5°
8.9.M.1:

JOHANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

ET

IN ACADEMIA JENENSI

QVONDAM PROFESSORIS
LONGE CELEBERRIMI,

Locorum Theologicorum

Cum pro adſtruenda Veritate, tum pro deſtruenda quorumvis contradicentium Falſitate, per theſes nervosè, ſolidè & copioſè explicatorum,

TOMUS TERTIUS:

In quo continentur hæc Capita:

15. De Lege Morali.
16. De Legibus Ceremonialibus & Forenſibus.
17. De Evangelio.
18. De Pœnitentia.
19. De Juſtificatione per Fidem.

EDITIO NOVISSIMA,

ac quàm plurimis hinc inde augmentis ditata, & illuſtrata.

In fine quadruplici Indice, Generali, Dictorum S. Scripturæ, Authorum, Verborum & Rerum, adjecto.

Cum Gratia & Privilegio S. Cæſareæ Maj.
&
S. Reg. Maj. Svecicæ.

FRANCOFVRTI & HAMBVRGI,
Sumptibus ZACHARIÆ HERTELII, Bibliopolæ Hamburgenſis.
ANNO DOMINI M. DC. LVII.

Digitized by Google

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS,

MAGNIFICIS, STRENVIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS

& Prudentiſſimis trium Ordinum Proceribus in Archi-Ducatu Auſtriaco Auguſtanæ Confeſſioni ſincerè addictis &c. Dominis ſuis gratioſis & Mecœnatibus magnis.

I*Nter controverſias illas, quæ cum Romana Eccleſia, qualis hodie eſt, Auguſtana Confeſſionis ſociis intercedunt, numero plurima, pondere graviſſima, facilè prima ac præcipua eſt ea, quæ de juſtificationis articulo magnâ contentione agitatur, quippe quæ non ſolùm ipſam met Chriſtianiſmi arcem atq́; acropolin contingit, ſed & complexu ſuo plures alias involvit, ex quibus vel ipſa, vel quæ ex illa originem ac ſcaturiginem ſuam trahunt. Noſtrarum Eccleſiarum ſententia in Auguſtana Confeſſione art. 4. ſatis perſpicuè proponitur.* Credimus & confitemur, quòd homines non poſſint juſtificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus; ſed gratis juſtificentur propter Chriſtum per fidem, cùm credunt, ſe in gratiam recipi & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſuâ morte pro peccatis ſatisfecit, hanc fidem imputat Deus pro juſtitia coram ipſo. *Huic oppoſita eſt Tridentini Concilii definitio ſeſſ. 6. cap. 7. quam ejus hyperaſpiſtæ ſic exponunt, quòd duplex ſit juſtificatio, prima & ſecunda; quarum illa conſiſtat in habitu juſtitiæ, hoc eſt, fidei, ſpei & charitatis infuſio; hæc in operibus bonis ex habitu juſtitiæ procedentibus, quæ ſint vitæ æternæ ex condigno meritoria. Formalem ergo juſtificationis cauſam eſſe ſtatuunt juſtitiam habitualem nobis inhærentem, ad quam præviæ diſpoſitionis loco requirantur fides, timor, ſpes, dilectio, pœnitentia, deſiderium ſuſcipiendi Sacramenta, propoſitum novæ vitæ & obſervationis omnium mandatorum. Ex infuſo illo juſtitiæ habitu poſtmodùm promanare bona opera, quæ ex condigno mereantur augmentum gratiæ, vitam æternam & gloriæ augmentum. Nos non negamus, remiſſionem peccatorum & renovationem interiorem (quam Pontificii vocant infuſionem gratiæ) eſſe perpetuo & indiſſolubili nexu conjuncta, interim tamen in ſola peccatorum remiſſione & juſtitiæ Chriſti per fidem imputatione juſtificationem formaliter conſiſtere ſtatuimus. Pari ratione non negamus, fide juſtificatos ambulare, adeoq́; teneri, ut ambulent in operibus bonis; eſſe quandam operum juſtitiam, ſed imperfectam; eſſe quandam juſtificationem ex operibus, hoc eſt, juſtitiæ declarationem; hoc verò eſt, quod negamus, vel habitualem nobis inhærentem vel actualem operum juſtitiam coram ſevero Dei judicio ſubſiſtere, ac nos per eam vel propter eam coram Deo juſtificari poſſe, ſed hoc ſoli juſtitiæ Chriſti Mediatoris per fidem nobis imputatæ tribuendum eſſe pugnamus. Cæterum opinio de juſtitia propria tàm habituali quàm actuali oritur ex falſa hypotheſi de perfecta impletione legis in hac vita. Cùm enim ſtatuant, legem Dei à renatis in hac vita perfectè impleri poſſe, quidni per opera bona, id eſt, per impletionem illam legis perfectam & numeris omnibus abſolutam coram Deo ſeſe juſtificari ſtatuerent? cùm perpetua & immota veritatis ſint effata illa divina,* Qui fecerit ea homo, vivet in eis. *Lev. 18. v. 5.* Hoc fac & vives. *Luc. 10. v. 28.* Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Matth. 19. v. 17.* Si poteſt juſtus legem implere (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de juſtif. cap. 19. §. ult.*) poteſt etiam ſine dubio per opera juſtificari. *Opinio de perfecta impletione legis oritur ex falſa illa hypotheſi, quod concupiſcentia in renatis reliqua non ſit peccatum. Cùm enim ſtatuant, concupiſcentiam illam, quæ poſt regenerationem & renovationem, in homine adhuc reliqua eſt, impellere tantùm ad peccata, nequaquam verò peccatum eſſe, quidni ſtatuerent obœdientiæ erga legem nequaquam vel imperfectionis vel immunditiei maculam ex ea affricari?* Lex Domini (*ſcribit Bellarm. lib. 5. de amiſſione gratiæ, & ſtatu peccati c. 9. § præterea*) nō ſolùm non impoſſibilis, ſed etiam facilis ac ſuavis eſt habentibus gratiam: at impoſſibile eſt, niſi privilegio ſingulari Dei, etiam juſtis & ſanctis nō habere motus concupiſcentiæ repugnantes legi mentis. Ergo motus illi non ſunt peccata. *Opinio de Concupiſcentia prava, quod non ſit peccatum, oritur ex falſa illa hypotheſi, quòd pugna partis inferioris cum ſuperiore ſit naturalis, hoc eſt, oriatur ex conditione materiæ, quæ in primis hominibus ante lapſum per ſupernaturale donum imaginis divinæ fuerit ſanata ac repreſſa.* Si homo non naſceretur ex Adam (*ſcribit Bellarm. loco proximè citato §. Tertia ratio:*) & tamen haberet concupiſcentiam, quam nunc habet, non poſſet in eo concupiſcentia vocari peccatum, tunc enim concupiſcentia eſſet res omninò naturalis: propter naturalia autem nemo reprehendi poteſt, ut ſi quis cœcus naſcatur. *Atque hi ſunt fontes, vel potiùs lacunæ, ex quibus opinio de juſtificatione per opera coram Deo originem ducit: qui ex illa promanant rivuli, non minùs ſunt turbidi & lutulenti. Ex opinione de juſtificatione per opera, oritur perſuaſio de operum abſoluta perfectione. Cùm enim opera non juſtificent, niſi ſint perfecta & munda, ideò poſitâ juſtificatione per opera (coram Dei judicio & quidem meritoriâ, hic enim* προσδιορισμὸς *ſemper eſt ſubintelligendus) ponitur vel potiùs præſupponitur eorundem abſoluta perfectio & mundities.* Si poteſt juſtus opera verè bona facere (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de juſtificat. cap. 19. §. ult.*) quæ nullo vitio polluta ſunt, poteſt utique juſtitiam facere; (*quâ coram Deo juſtificetur, ut requirit epigraphe capitis*) *poſitâ juſtificatione per opera, eorumq́; perfectione, immediatè ex eo ſequitur, vel potiùs præſupponitur, quòd peccata infirmitatis in renatis adhuc reliqua ſint ſuâ Naturâ venialia, quòd ſint tantùm præter, non autem contra legem. Si enim eſſent ſuâ Naturâ peccata, contra legem Dei pugnantia, juſtitiam operum coram Deo utique everterent.* Si opera bona juſtorum eſſent omnia vitiata & corrupta (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de juſtif. cap. 17. §. 2.*) id ſine dubio vel ex innata concupiſcentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admiſſione peccatorum venialium naſceretur. At nihil horum trium contaminare poteſt bona opera juſtorum. Nam concupiſcentia ipſa non eſt peccatum, ſed infirmitas, niſi ei conſentiatur. Defectus autem caritatis, eſt quidem defectus, ſed non culpa & peccatum. Admiſſio peccatorum venialium non impedit veram juſtitiam, quia peccatum veniale non eſt contrarium caritati, nec propriè contra legem, ſed præter legem. *Poſitâ juſtificatione per opera, ponitur opinio de meritis operum verè & propriè ſic dictis. Cùm enim opera non niſi meritoriè juſtificare poſſint, utique ut obtineatur juſtificatio per opera coram Deo, merita eorum ſtrenuè erunt propugnanda.* Opera bona juſtorum (*ſcribit Bellarm. 5. de juſtif. cap. 4. §. ult.*) ſunt verè juſta, ſatisfaciunt legi divinæ & juſtificant hominem: hinc ſequitur,

quòd

quòd ſint verè meritoria. *Poſitâ juſtificatione per opera eorundemque perfectione ac meritis, negatur imputatio juſtitiæ Chriſti per fidem.* Si fides, ſpes & caritas in hac vita poſſunt eſſe perfecta (*ſcribit Bellarm. lib. 2. de juſtif. c. 7.*) non erit neceſſaria imputatio juſtitiæ Chriſti. *Poſitâ juſtificatione per opera & negatâ imputatione juſtitiæ Chriſti per fidem, negatur fidem eſſe cauſam inſtrumentalem juſtificationis, quâ ſcil. meritum Chriſti apprehendamus, nobisq́; applicemus. Fruſtra enim juſtitiam, quæ coram Deo valet, in Chriſti merito quærimus, cùm eam in nobis ipſis habeamus.* Præcipua cauſa (*ſcribit Bellarm. lib. 1. de juſtif. c. 17. §. 1.*) cur adverſarii ſoli fidei juſtificationem attribuant, illa eſt, quòd exiſtiment, fidem non juſtificare per modum cauſæ aut dignitatis, aut meriti, ſed ſolùm relativè, quia videl. credendo accipit, quod Deus promittendo offert. Nam ſi perſuaderi poſſent, fidem juſtificare impetrando ac promerendo & ſuo quodammodo inchoando juſtificationem, ſine dubio non negarent, idem etiam dilectioni & pœnitentiæ aliisq; bonis actibus convenire. *Poſitâ juſtificatione per opera, negatur quòd Evangelium propriè ſic dictum ſit promiſſio gratiæ propter Chriſtum Mediatorem fide apprehendenda. Cùm enim juſtificatio ſit præcipuum Evangelii beneficium, utiq; ſi in ipſum juſtificationis actum opera ingrediuntur, Evangelium propriè ſic dictum erit doctrina operum.* Nos (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de juſtif. c. 2. §. 8.*) contendimus, Evangelio contineri illa omnia, quæ adverſarii ſoli legi tribuunt, quæ ſunt præcipuè tria, leges propriè dictæ, comminationes & promiſſiones cum conditione obœdientiæ: *idemter alia ſub finem capitis probat ex eo, quòd* Scriptura, quibus vel bis docet requiri conditionem fidei ad ſalutem, iisdem vel etiam clarioribus doceat requiri conditionem legis implendæ. *Poſitâ juſtificatione per opera, conſequenter docetur, fiduciam in operum merita collocandam eſſe.* Poſſe in meritis ſpem aliquam poni (*ſcribit Bellarm. 5. de juſtif. c. 7. propoſ. 2.*) Probari poteſt hac ratione, quoniam ſicut miſericordia Dei, ita etiam bona merita ſunt vera ſalutis cauſa: licet enim confidere in omni vera cauſa, quæ ad finem optatum & ſperatum conſequendum cognoſcatur idonea. *Poſitâ juſtificatione per opera, introducitur perpetua dubitatio de gratia Dei, juſtitia & ſalute, cùm nemo ſciat, an tantùm bonorum operum habeat, quantum ad juſtitiam & ſalutem promerendam requiritur.* Nemo certus eſſe poteſt (*ſcribit Bellarm. lib. 3. de juſtif. c. 6. §. 3.*) ſe toto corde eſſe converſum ad Deum, & fidem ac pœnitentiam habere, qualis requiritur, cùm in nulla Scriptura teſtimonium ejusmodi inveniatur de fide & pœnitentiâ noſtra in particulari: igitur nemo certus eſſe poteſt, certitudine fidei ſibi remiſſa eſſe peccata. *Poſitâ juſtificatione per opera eorundemq; perfectione ac meritis, ponuntur ſatisfactiones propriæ. Cùm enim opera vitam æternam ex condigno mereri poſſint, quidni etiam ſatisfaciendi vim haberent?* Si opera juſtorum (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de Pœnit. c. 8. §. Huc adferri*) eam vim habent, ut vitam æternam verè & propriè mereantur, nullo modo negari poteſt, quin etiam efficacia eſſe poſſint ad ſatisfaciendum pro reatu pœnæ temporalis, ſiquidem longè majus eſt gloria æterna, quàm pœnæ temporalis remiſſio. Certè inter homines, ſi quis Regem ſuum injuriâ affeciſſet, ac deinde in amicitiam reſtitutus ita ſe gereret, ut merito operum ſuorum in ſocietatem regni admitteretur, quis ambigeret, eundem officiis erga Regem pecuniarium debitum facilè poſſe redimere? *Poſitâ juſtificatione per opera, & perfectâ legis impletione, ponuntur etiam opera ſupererogationis; ſi enim legem per opera implere, atq; hac legis obſervatione coram Deo juſtificari poſſumus, quidni etiam ultra legis perfectionem aſſurgere & conſilia perfectionis in Evangelio propoſita implere poſſemus?* In benè conſtitutis Rebuspublicis (*ſcribit Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 12. §. Videmus*) non ſolùm præmia communia conſtituta ſunt ſervantibus legem, ſed & heroicis operibus ſingularia præmia ſunt decreta, ſic non abhorret à ratione, ſed potiùs conforme eſt rationi, ut præter vitam æternam obſervatoribus legis divinæ promiſſam, ſint certa præmia & ſingulares honores pro illis, qui non ſolùm legem Dei obſervant, ſed etiam virtutes heroicas oſtendunt. *Poſitâ juſtificatione per opera, & poſitis operibus ſupererogationis, ponitur etiam communicatio meritorum. Cùm enim quis abundat talibus operibus, quibus ipſe non indiget ad vitam æternam meritum, utiq; aliis ea communicare poteſt.* Cùm multi Martyres (*ſcribit Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 2. propoſ. 4.*) reatus leviſſimos aut etiam nullos habuerint ipſo tempore Martyrii, certè ſequitur, ut ingens cumulus ſatisfactionum ſuperfuerit. *c. 3. §. Illud quoq;*: Epiſcopi ſoliti fuerunt dare indulgentiam ad preces Martyrum, non ſolùm ut Martyres honorarent & ad conſummandum Martyrium accenderent, ſed etiam quia videbant merita Martyrum poſſe communicari pœnitentibus & acceptari paſſiones eorum pro ſatisfactione. *lib. 2. de Monachis c. 6. diſputat*, laborem Monaſticum eſſe Martyrij genus, *ex quo quid conſequatur, quilibet judicet: idem tamen alibi ſtrenuè negat*, opus bonum, quâ parte eſt meritorium, alijs applicari poſſe, ſed tantùm quâ eſt ſatisfactorium *lib. 1. de Indulg. c. 2. prop. 2. lib. 2. c. 4. & 9. &c. Poſitâ juſtificatione per opera & poſitâ ſatisfactione unius pro alio, ponuntur etiam indulgentiæ.* Satisfactiones (*ſcribit Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 3. propoſ. 1.*) Chriſto & ſanctis ſupervacaneæ applicari poſſunt aliis, qui rei ſunt luendæ pœnæ temporalis. *propoſ. 3.* Prælati Eccleſiæ diſpenſare poſſunt Chriſti paſſionem tum per Sacramenta, tum per indulgentias, paſſiones verò Sanctorum non niſi per indulgentias. *Poſitâ juſtificatione per opera & poſitis operum meritis ac ſatisfactionibus, ponuntur variæ ἐθελοθρησκείαι, peregrinationes, roſaria, atq; alia opera ſatisfactionis opinione ſuſcepta. Cùm enim res ipſa clamet, opera in lege præſcripta jam ante eſſe debita, ideoq; nec meritoria nec ſatisfactoria eſſe poſſe, ideò excogitata ſunt opera indebita, quibus Deo ſatisfieri & meritum aliquod parari poſſet.* Si Deo placent opera (*ſcribit Bellarm. lib. 4. de pœnit. c. 6. §. ult.*) quæ ipſe neq; in genere neq; in ſpecie imperavit, modò cum debitis circumſtantiis fiant, quantò magis certum erit placere Deo (*& eſſe ſatisfactoria, ita enim habet capitis epigraphe*) quæ ipſe in genere imperavit, qualia ſunt, oratio, jejunium & eleemoſynæ, & quæ ad iſta revocantur. *Poſitâ juſtificatione per opera & propriarum ſatisfactionum neceſſitate, ponitur Purgatorium. Cùm enim in hac vita rariſſimè (ex hypotheſi Adverſariorum, nunquam vero ex ſententia Scripturæ) per nos ipſos plenè ſatisfacere poſſimus, ideò quod hîc prætermiſſum, luendum reſtat in purgatorio.* Cùm reconciliantur Deo peccatores (*ſcribit Bellarm. lib. 1. de purgat. c. 11. rat. 2.*) non dimittitur ſemper cum peccato tota pœna temporalis, ac poteſt fieri & ſæpe fit, ut in tota vita aliquis non ſatisfecerit plenè pro temporali illa pœna. Ergo neceſſariò ſtatui debet Purgatorium. *Et poſtea §. probatur.* Multi qui plurima peccata commiſerunt, in articulo mortis convertuntur, quando nullam poſſunt agere pœnitentiam, ex quo certè ſequitur, ut poſt hanc vitam ſatisfacere debeant. *Atq; hæc & fortaſſis alia plura ex opinione de juſtificatione per opera coram Dei judicio conſequuntur. Nequaquam igitur cardo quæſtionis in eo vertitur, an bona opera ſint in Eccleſia docenda, urgenda, inculcanda, quod non ſolùm concedimus, ſed & urgemus, quin imo anathema dicimus illi, qui negat bona opera vel neceſſaria eſſe, vel carere præmiis temporalibus & æternis: ſed de eo quæritur, propter quas cauſas ſint neceſſaria, & an meritum juſtitiæ & vitæ æternæ illis tribui debeat. Non eſt quæſtio, an facienda ſint bona opera, ſed quomodo fieri poſſint verè bona opera, videl. prælucente fide in Chriſtum, in quo ſolo eſt*

noſtra coram Deo valens juſtitia. Non eſt quæſtio, an bona opera ſint facienda, ſed an fiducia & meritum juſtificationis illis tribui debeat. Nec dici poteſt, negato operum merito, ipſa bona opera, ſtudium, neceſſitatem & præmia eorum negari, cùm ne ipſe quidem Bellarminus ferat, ſi quis ea tribuere velit, quòd opera non renatorum moraliter bona vel non neceſſaria vel infrugifera ſtatuat, quia eadem ex condigno vitæ æternæ meritoria eſſe negat. Quâ de re ut & cognatis controverſiis cum ex immotis Scripturæ S. fundamentis uberrimè in hac qualicunq; articulorum de Lege, Evangelio, Pœnitentia & Juſtificatione ἐργασίᾳ actum ſit, ideo preſſius h.l. eam urgeri non arbitror fore neceſſarium.

Hanc opellam meam Illuſtres, Generoſi, Magnifici, Strenui, Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Prudentiſſimi Proceres. V.V. G.G. St.St. & A.A. debitâ ſubjectione & obſervantiâ inſcribere volui ac debui, ut publico documento teſtatum redderem, V.V. G.G. St.St. & A.A. ſinceræ doctrinæ (quam ita vocant) Evangelicæ, quæ ex immotis ſacrarum literarum fundamentis in hoc Scripto aſſeritur, & contra inſultus adverſariorum defenditur, animitùs addictas eſſe, id quod jam pridem conſtanti ejusdem profeſſione ne quidem periculoſis ac difficilimis temporibus depoſitâ, univerſo orbi notum fecerunt. Quin & hac ratione gratum meum animum pro inſigni illa benevolentia, quam per literas & internuncios mihi indigno & immerito ſignificari curarunt, hac dedicatione manifeſtum facere volui. Faxit benigniſſimus Deus, ut G.G. St.St. & A.A. V.V. quâ ſunt erga DEUM pietate, in doctrina Evangelica confeſſione ad finem uſq; vitæ conſtanter perſeverent, in ejusdem cognitione quotidiè creſcant, nec ullis periculis aut difficultatibus ab ea ſeſe deterreri patiantur, ſed magnificum illud nomen, quod religioſa pietate, inſigni prudentiâ, ac heroicis virtutibus in toto orbe jamdudum conſecuta ſunt, perpetuò tueantur, ac tandem immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam conſtantibus Chriſti & verbi ejus confeſſoribus promiſſam conſequantur. Dab. Coburgi 16. April. An. 1613.

G.G.St.St. & A.A.V.V.

Subjectiſſimè obſervant

JOHANNES GERHARD. D.

DE

DE LEGE DEI.

I.

Connexio cum loco præcedente

PEccatum, definiente D. Johanne, eſt ἀνομία 1. Epiſt. 3. v. 4. proinde ut aliàs privatio cognoſcitur ex habitu, ita *agnitio peccati eſt ex Lege Rō. 3. v. 20.* Quid obliquum & diſtortum ſit, non cognoſcitur niſi ex applicatione ad regulam rectam; ita peccatum, quod eſt quædam curvitas animæ, non poteſt intelligi, niſi conferatur cum regula illa juſtitiæ, quæ in doctrina Legis proponitur. Præterea vana ac falſa iſta virium humanarum in rebus ſpiritualibus perſuaſio non poteſt evidentiori quodam documento convinci, quàm ſi doctrina Legis rectè explicetur, ac oſtendatur, non qualemcunque externam, ſed ſpiritualem, internam & perfectiſſimam obœdientiam in ea à nobis requiri, convenienti igitur ordine doctrinam de Peccato & Libero arbitrio ſequitur locus de Lege, cujus explicatio non minùs quàm ipſa praxis Evangelio præmittenda eſt.

Vocabuli Legis ἐτυμολογία. 2. De Legis etymo ita diſſerit Cicero 1. de Legibus non longè ab initio. *Legem doctiſſimi viri Græco putant nomine à ſuum cuique tribuendo appellatam* (ἀπὸ τοῦ νέμειν) *ego noſtro à legendo, nam ut illi æquitatis, ſic nos delectus vim in lege ponimus, & proprium tamen utrumque Legis eſt.* Deducitur igitur vox Legis vel à legendo, quòd Legis juxta Varronem publicè legi conſueverit, vel à ligando, quod Lex obliget ad obœdientiam illos omnes, quibus tradita eſt, (***Lex à ligando* 1. quia legibus homines obligantur ad alia præſtanda & vitanda. 2. quia Magiſtratus illis ſubditos ſibi obſtringunt. 3. quia omnes ſocietates certis legibus continentur & conſtringuntur, unde quidam per *funes* & *vincula* Oſ. 11. v. 4. Pſ. 2. v. 3. legem intelligunt. Atqui ſi lex diceretur à ligando, potiùs diceretur *lix* quā *lex.***) vel à deligendo, quòd delectum rerum agendarum & omittendarum, expetendarum & fugiendarum monſtret juxta Ciceron. תּוֹרָה thorah, Hebræum deſcendit à יָרָה jaráh, quod ſignificat primò *docere*, ex quo colligitur, quòd in genere vox *Legis* pro *doctrina* ratione ſui etymi uſurpetur; deinde *jaculari*, ut innuatur, legem debere nobis eſſe inſtar ſcopi, ad quem in omnibus actionibus noſtris collimemus, niſi velimus ἀποσκοποῦ ξίνειν, quod eſt ἁμαρτάνειν; denique *mentes hominum doctrinâ fœcundare*, quemadmodum pluvia fœcundat terram, quod dignitatem atque utilitatem hujus doctrinæ arguit. **Quidam deducunt à יָרֵא *timuit*, quod lex timorem incutiat: quidam à תּוּר quod eſt *exploravit, ſcrutatus eſt*, quod nobis tanquam ſpeculum naturam ipſorum immundiciem exploratam ob oculos ſtatuat. νόμος vel à νόος ſecundùm *Platon.* lib. 12. de ll. tum quod mentem erudiat, tum quod lex Naturæ ex dictamine mentis profluat: vel à νέμειν tum quod mandet, ut ſuum cuique cedat, tum quod cuique ſuas partes & officia diſtribuat.**

3. Cùm verò æquivoca, niſi diſtinguantur, ipſam rerum confundant notitiam, præſertim cùm æquivocatio vocabuli hujus inſignes jam olim pepererit errores, docente D. Chemnit. parte 2. locor. pag. 4. ideò diligenter annotandum, quàm varias ac diverſas vocabulum Legis in Scripturis obtineat ſignificationes. *ὁμωνυμία.* *Propria & frequentiſſima* Legis ſignificatio eſt, quòd notat doctrinam operum; regulam faciendorum & fugiendorum, quo ſenſu etiam hoc loco à nobis uſurpatur. Hac ratione vox Legis uſurpatur vel in genere pro tota lege, vel in ſpecie pro lege morali Exod. 24. v. 12. *Dabo tibi tabulas lapideas & legem*; vel Ceremoniali Luc. 2. v. 22. *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini*; vel judiciali Johan. 19. v. 7. *Nos habemus legem, ſecundùm quam debet mori.* *Generaliter* ſignificat univerſam doctrinam divinitùs patefactam Pſal. 1. v. 2. *Beatus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte*; quo ſenſu doctrinæ Evangelii in ſpecie accommodatur, quæ tamen legi propriè ſic dictæ ἀντιδιηρημένως eſt oppoſita. Ceterùm an generaliter, an verò ſpecialiter hæc vox uſurpetur, id ex circumſtantiis cujusque loci colligendum: Quando ea, quæ ſunt Evangelii propria, Legi tribuuntur, manifeſtum eſt, Legis nomine non intelligi Legem propriè ſic dictam, hoc eſt, doctrinam operum, ſed generatim univerſam doctrinam divinitùs patefactam, vel etiam doctrinam Evangelii in ſpecie. Sic Eſaiæ 2. v. 3. *De Sion exibit lex*; manifeſtum eſt non legis propriè ſic dictæ, ſed Evangelii ſolennem promulgationem hîc intelligi, cùm Lex non in monte Sion, ſed in Sinai promulgata ſit. Pſalm. 19. v. 8. *Lex Iehovæ perfecta convertens animam.* verſ. 9. *Præcepta Iehovæ recta, lætificantia cor*; ibi lex dicitur conſolari, lætificare & erigere cor, cùm tamen Lex propriè dicta iram operetur Roman. 4. v. 15. Sic Apoſtolus vocat Legem fidei Roman. 3. v. 27. cùm tamen juſtitia, quæ eſt ex Lege & juſtitia fidei ſibi invicem opponantur Rom. 10. v. 5. & 6. ergò vox Legis in genere ibi notat doctrinam. *Materialiter* uſurpatur vox Legis pro libris ſacris, in quibus doctrina Legis deſcripta extat, idque iterum diverſimodè. Quandoque enim *in genere* notat omnes Vet. Teſtam. libros, ſic Joh. 10. v. 34. nomine Legis comprehenduntur etiam Pſalmi, *Scriptum eſt in lege veſtra, ego dixi, vos Dii eſtis.* Johan. 15. v. 25. *In lege ſcriptum eſt, odio me habuerunt gra-*

r.1.Corinth.14. v.21. ex Eſaia allegatur ſententia, quæ in lege ſcripta dicitur: quandoque verò *in ſpecie* ἀντονομαστικῶς Moſaicum notat, nimirum quoties à Prophetis & Pſalmis Scriptura Legis diſtinguitur. Lucæ 24. v.44. *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, Prophetis & Pſalmis.* Roman.3. v. 21. *Juſtitia Dei teſtimonium datum à Lege & Prophetis*: hoc ſenſu Rabini libros Moſis vocant תּוֹרָה thoráh: quandoque *ſpecialiſſimè* Scripturam Decalogi notat, ut Luc. 10. v.26. *Quod eſt primum mandatum in Lege?* Auguſt. tractat. 48. in Johann. *Legem appellavit Dominus* (Johan. 10. v. 34.) *generaliter omnes Scripturas, quamvis alibi ſpecialiter dicat Legem à Prophetis eam diſtinguens.* 1. retract. cap. 25. *Legem & ſpecialiter dicimus, ſecundum quod dictum eſt: Lex & Prophetæ: & generaliter ut in ea ſint & Prophetæ.* Nec conjunctè ſolùm pro omnibus libris Moſaicis vox Legis uſurpatur, ſed & diſtinctè pro ſingulis, utpote 1. pro libro primo Galat. 4. v. 21. *Legem non legiſtis? ſcriptum eſt enim, quia Abraham habuit filios duos* ex Geneſ.16. v.15. 2. pro libro ſecundo, Matth. 12. v.5. *aut non legiſtis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo violant Sabbathum,* ex cap.29. Exod. v.33. 3. pro libro tertio Johan.8. v.5. *In lege Moſes præcepit nobis, ut hujusmodi lapidarentur*, ex Levitic. 20. v.10. 4. pro quarto libro Hebr. 7. v.5. *Decimas ſumunt juxta legem*, ex Numer. 18. v.21. 5. pro libro quinto Johan.7. v. 51. *Num lex noſtra judicat hominem, niſi priùs audierit ab ipſo?* ex Deuter. 17. v.8. Hujus loci eſt & illa ſignificatio, quâ Lex accipitur pro Vet. Teſtamento, denotans totam illam formam politiæ & conſtitutionem ſacerdotii, quam Deus per Moſen populo Iſraëlitico præſcripſerat; quæ ſignificatio in Epiſtola ad Hebræos frequenter occurrit, quotieſcunque ſcilicet lex opponitur Novu Teſtamento Matth.11. v.13. *Lex & Prophetæ uſque ad Iohannem.* *Synecdochicè* uſurpatur vox Legis pro rigore & maledictione Legis, nimirum quando opponitur gratiæ Roman.6. v.14. *Non eſtis ſub lege ſed ſub gratia.* Galat.5. v. 18. *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*; ubi manifeſtum eſt, non intelligi obœdientiam, ſed rigorem illum maledictionis, quo Lex omnes, in quibus aliquid vitii hæret, abſque ulla ἐπιεικείᾳ accuſat & damnat, nec ullam obœdientiam probat vel recipit, niſi ſit numeris omnibus perfecta ac modis omnibus pura. *Metonymicè* uſurpatur pro vi, impetu, ſeu efficacia movente & impellente, ut lex peccati Roman. 7. v. 25. *Lex mortis*, verſ. 6. *Lex in membris*, verſ. 23. *Lex Spiritus vitæ*, Roman. 8. v.2. Auguſtinus libr. 83. quæſtionum quæſt.66. Legem peccati inde dictam putat, quod *peccatoribus imponitur, Legem mortis, quia ſtipendium peccati mors, aculeus mortis peccatum, virtus autem peccati Lex.* Atque hæ ſunt potiores hujus vocabuli ſignificationes. *Minùs principaliter & ſecundariò* accipitur 1. pro conſuetudine & jure gentium Daniel.6. v.15. *Lex Medorum.* Actor. 18. v. 13. *contra legem hic ſuadet Deum colere.* 2. pro inſtitutione rectâ Prov. 1. v.8. *Ne dimittas legem matris tuæ.* 3. pro ſubjectione & obœdientia quam quis ex jure divino & humano aliis præſtare tenetur Rom.7. v.23. *Mulier liberata eſt à lege viri.* 1.Corinth.7. v.39. *alligata eſt legi.*

4. Pulcerrimam Synonymorum Legi attributorum congeriem proponit Spiritus ſanctus Pſalm.119. & 19. quorum diligens explicatio traditur à Dn. Chemnitio part.2. locor. pag.8. Potiores appellationes ſunt iſtæ עֵדוּת Eduth, μαρτύριον teſtimonium, quia lex teſtatur de voluntate Dei & peccati nos convincit, Moſes in repetitione legis. Deuter. 4. v. 26. utitur radice הֵעִיד Heid. *Obteſtor vos hodie per cælum & terram*, דֶּרֶךְ Derech, ἡ ὁδὸς via, quia lex monſtrat viam bonorum operum, in qua ambulemus פִּקּוּדֵי Pekude, in regimine ἐντολαὶ mandata à פָּקַד Pakád, quod eſt committere, delegare, viſitare, requirere, quia Deus commiſit homini velut depoſitum quoddam legem ſuam, atque ejus transgreſſionem viſitat juſtiſſimis pœnis,** Geneſ.26. v.5. mandata Dei vocantur מִשְׁמָר *cuſtodia Dei*, quia debent ab hominibus obſervari & cuſtodiri. *Abraham cuſtodivit* מִשְׁמַרְתִּי *cuſtodiam meã* מִצְוֹתַי *præcepta mea*, חֻקּוֹתַי *ſtatuta mea* תּוֹרֹתָי *& leges meas.*** חֻקִּים Chukkim, δικαιώματα, quâ voce ritus & ceremoniæ legales plerunque intelliguntur, ut nomine מִשְׁפָּטִים Miſchpathim, τὰ κρίματα, judicia, leges forenſes ſive judiciales; interim utraque vox præſertim ſeorſim poſita generalis eſt, ſiquidem lex eſt ſtatutum Dei, ejuſdemque judicium contra peccatum. מִצְוָה Mitzvah, ἐντολὴ præceptum, quod aſtringit ad obſervationem à צִוָּה Ziváh, quod ſignificat præcipere, commendare, decernere, promittere &c. אִמְרֵי Imre, in regimine τὰ λόγια, οἱ λόγοι eloquia Dei, quia lex eſt ipſius Dei voce ſolenniter promulgata. צֶדֶק Zedek, ἡ δικαιοσύνη, τὸ δικαίωμα juſtitia, quia lex præſcribit normam juſtitiæ. בְּרִית Berith, ἡ διαθήκη, pactum, fœdus, quia in lege Deus init fœdus cum populo ſuo. יִרְאַת יְהוָה Iirath Jehovah, ὁ φόβος κυρίου, μετωνυμικῶς, quia ſumma legis conſiſtit in timore & dilectione Dei. Dicitur etiam lex עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים Aſreth haddebarim, *decas verborum*, ſumma enim legis Moralis conſiſtit in Decalogo. Appellatio legis Moralis uſitatiſſima quidem eſt, ſed rectè interim declaranda, neque enim morum duntaxat & externarum actionum, ſed etiam interiorum appetitionum, imò totius naturæ integritatem lex divina requirit. De appellationib. leg. vide Juſtin. in quæſtionib. & reſp. ad orthod. quæſt.92.

Συνωνυμίαι

5. Hujus loci eſt obſervatio *D. Lutheri* in Epiſt. Galat. cap.5. tom.4. latin. pag.149. quod diverſæ legi ab Apoſtolo Paulo tribuantur appellationes: quando enim lex per ſe conſideratur, ut doctrina à Deo promulgata, honorificis titulis ornatur, dicitur *lex ſancta, mandatum ſanctum & bonum* Roman. 7. v. 12. *mandatum quod ad vitam.* verſ. 10. *lex bona.* 1. Tim. 1. v. 8. *ſermo vivus* λόγια ζῶντα Actur.7. v.38. Quando verò in articulo juſtificationis & in collatione cum doctrina Evangelii, itemque reſpectu Naturæ noſtræ corruptæ conſideratur, ibi velut contemtim & ignominioſè de lege Apoſtolus loquitur, vocat enim *pædagogum & carcerem concludentem* (*quem nemo amat*, ait Lutherus,) Galat.3. v.23. & 24. *jugum ſervitutis*, Galat.5. v.1. *potentiam peccati*, 1.Cor.15. v.56. *operationem iræ & mortis*, Roman. 4. v.15. cap.7. v.5. *infirma & egena elementa mundi*, Galat.4. v.9. *miniſterium mortis & condemnationis, literam occidentem*, 2.Cor.3. v.6.7. & 9. *chirographum nobis contrarium*,

Appellationes Legis diverſæ

rium, Coloſſ.2.v.14. *Teſtamentum generans in ſervitutem*, Galat.4.v.24. Conciliationem horum diverſorum attributorum proponit D. Apoſtolus in ſequentibus dictis. Roman.7.v.10. *mandatum quod ad vitam* (à Deo datum) *inventum mihi eſt ad mortem*, verſ.11. *quia peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me* (quia Naturâ venundatus ſum ſub peccatum, quod voce legis divinæ manifeſtatur & accuſatur) 1.Tim.1.v.8. καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, *Lex bona eſt, ſi quis eâ legitimè utatur.*

Definitiones. 6. Definitiones Legis in genere acceptæ extant variæ ac diverſæ. Plato de legibus. *Lex eſt recta gubernandi ratio, qua dirigitur in optimum finem per media commoda, proponendo tranſgreſſoribus pœnas & obœdientibus præmia.* Ariſtotel.10. Ethic.Nicom.cap.10. ὁ νόμος ἐστι λόγος ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ ἀναγκαστικὴν δύναμιν ἔχων. 3.Politic.cap.16. νόμος ἐστὶ νοῦς ἄνευ ὀρέξεως. in Rhet.ad Alexand.cap.1. ὁ νόμος (ἁπλῶς εἰπεῖν) λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως μηνύων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα. Cicer.1.de legib. *Eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ jubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. Eadem ratio cùm in mente hominis eſt, confirmata & confecta eſt Lex.* Ibid. *Lex eſt recta ratio in jubendo atque vetando: Natura vis eſt mortis, ratioque prudentis, juris atque injuriæ regula, juſtorum, injuſtorum que diſtinctio, quæ ſupplicio improbos afficit, defendit ac tuetur bonos.* 2.de Nat Deor. *Lex eſt recti præceptio, pravique depulſio.* Demoſthen.orat.1. cont. Ariſtog. νόμος ἐστιν εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα σοφῶν ἀνδρῶν, ἐπανόρθωμα ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως συνθήκη κοινή, καθ' ἣν ζῆν προσήκει πᾶσι τοῖς ἐν πόλει. Thom.1.2.quæſt.90. art.1. *Lex eſt quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet promulgata.* Idem. *Lex eſt menſura & regula actuum agendorum directiva: eſt ratio divinæ ſapientiæ ſecundùm quod eſt directiva omnium actuum & motuum.* Biel.3.ſent.diſtinct.37.quæſt.un. *Lex eſt ſignum verum notificativum rectæ rationis dictantis ligari eam ad aliquid agendum vel non agendum.* Varinus: νόμος ἐστὶ λόγος προστάσσων ἃ δεῖ καὶ ἀπαγορεύων ἃ μὴ δεῖ. Recentioribus Lex in genere eſt certa quædam conſtitutio ſive ſanctio ligans ad obœdientiam eos, quibus illa præſcribitur, & pœnam ſtatuens his, qui eam violant. Item. Lex eſt ſententia præcipiens honeſta, obligans Naturam rationalem ad obœdientiam cum promiſſione præmii, ſi obœdientia præſtetur, & comminatione pœnæ ſi violetur.

Diviſiones Legũ. 1.in Divinas & Humanas. 7. Sed enim generalium harum deſcriptionum uſus eſt non adeò magnus, tranſibimus igitur ad diviſiones Legis. Primò ratione efficientis ſive autoris, quædam Leges dicuntur divinæ, quædam humanæ. Divinæ, quæ à Deo; humanæ, quæ ab hominibus ſunt ſancitæ. Can.omnes diſtinct.1. ex Iſidoro. Omnes Leges aut divinæ ſunt aut humanæ, divinæ Naturâ, humanæ moribus conſtant, ideoque hæ diſcrepant, quoniam aliæ aliis gentibus placent. Fas lex divina eſt; jus humanæ. Sed hæc deſcriptio legis divinæ minùs provida, ſiquidem Leges Ceremoniales & forenſes populo Iſraelitico traditæ divinæ erant, neque tamen Naturâ conſtabant.

2. in Morales, Ceremoniales & Forenſes Secundò ratione materiæ Leges divinæ dividuntur in Morales, Ceremoniales & Forenſes. Qui διχοτομίᾳ delectantur, poterunt dicere, Leges divinas alias eſſe æternas & immutabiles, alias verò χρονικὰς & mutabiles, quarum poſteriores iterum dividuntur in Ceremoniales & Forenſes. D. Chemnit. ſic procedit. Lex divina vel in genere præcipit de cultu Dei & juſtitia; vel determinat illa per certas externas circumſtantias, idque vel erga Deum in cultibus, vel erga homines in exercenda & adminiſtranda juſtitia.

8. Fundamentum vulgatiſſimæ hujus diviſionis extat in ipſa Scriptura ſacra. Deut.6.v.1. *Fundamenta hujus diviſionis* *iſtud eſt præceptum, ſtatuta & judicia quæ præcepit Iehovah Deus veſter, ut docerem vos, ut faciatis illa*, ואת המצוה החקים והמשפטים *Tzóth hammizváh, Hachukkim, vehámmiſchpatim.* ibi videmus diſtinctè recenſeri præceptum, ſtatuta & judicia; Jam verò Rabini habent regulam, quando ſimul junguntur משפטים & חקים *chukkim miſchpatim*, quod prius pro judicialibus, poſterius pro ceremonialibus ſit accipiendum, nomine igitur præcepti in genere intelligitur lex Moralis, quæ ideò in ſingulari numero præceptum dicitur, quia ſumma ejus conſiſtit in dilectione Levit.26.v.14. *Si non audieritis me, neque feceritis omnia præcepta iſta*, המצות *Hammizóth*, v.15. *Si ſpreveritis ſtatuta mea* חקי *Chukkav, & judicia mea abominata fuerit anima veſtra*, משפטי miſchpatai, *ita ut non faciatis omnia præcepta mea, & irritum faciatis pactum meum &c.* (pactum ergò Dei cum Iſraelitis initum conſiſtit in præceptis, ſtatutis & judiciis, hoc eſt, ut hodiè loquimur in lege morali, Ceremoniali & Forenſi) v.46. *Hæc ſunt ſtatuta & judicia & leges quas dedit Iehovah inter ſe & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moſe.* אלה החקים והמשפטים והתורת *Ellah hachukkim vehammiſchpatim vehattoroth*, ubi nomine *Thorah* intelligitur lex Moralis. Deuter.4.v.1. *Iſrael audi ſtatuta & judicia, quæ ego doceo vos*, v.2. *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, neque diminuetis ex eo, ut cuſtodiatis præcepta* מצות Mizóth, *Iehovæ Dei veſtri.* Peculiariter notandi ſunt v.13.&14. hujus capitis, in quibus manifeſtiſſimè traditur hæc diſtinctio. *Locutus eſt* (ait Moſes) *Iehovah ad vos, & renunciavit vobis pactum ſuum, quod præcepit vobis, ut faceretis decem verba, & ſcripſit illa in duabus tabulis lapideis: mihi quoque præcepit Iehovah eodem tempore, ut docerem vos ſtatuta & judicia, ut faceretis ea in terra promiſſa*: ubi videmus manifeſtè diſtingui inter decem verba ſive Decalogum, qui continet ſummam legis Moralis & inter leges Ceremoniales ac Forenſes. Decalogum dedit Deus toti populo immediatè, ac decem verba ipſemet in tabulis lapideis ſcripſit, ſed reliquæ leges per manum Moſis ſunt populo traditæ ac conſcriptæ. Promulgato ipſius Dei voce Decalogo, Moſes jubetur accedere ad caliginem, in qua Deus erat, ibi accipit judicia populo proponenda. Exod.19. Poſtea denuò ſolus aſcendit montem, & accipit leges ceremoniales Exod.24. Deut.6.v.20. *Cùm interrogaverit te filius tuus cras dicendo; Quid ſibi volunt teſtimonia & ſtatuta & judicia, quæ præcepit Iehovah DEUS noſter vobis?* מה העדת והחקים והמשפטים vehachukkim vehammiſchpathim Máh Haedóth, ubi nomine teſtimonii lex Moralis venit accipienda. Deut.7.v.11. *Cuſtodias præcepta & ſtatuta & judicia, quæ ego præcipio tibi*, quæ pari modo conjunguntur cap.8.v.11.c.11 v.1.c.26.v.17.c.30.v.16.c.33.v.10.&c.

9. Comprobatur inſuper hæc divinarum legum diviſio à D.Chemnit.part.2.locor.pag.30. ex eo, quod notitia Decalogi ſive legis Moralis ab omnibus requiritur Deuter.6.v.4.& ſeqq.de judicialibus verò conſtituitur peculiare Conſiſtorium Hieroſolymis ad quod aſcendant, ſi judicium difficile inciderit inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, plagam & plagam. De Ceremonialibus verò cùm Malachias locutus eſſet, ſubjungit cap.2.v.6. *Labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam & legem requirent ex ore ejus.* Res ipſa denique oſtendit neceſſariò conſtituendum eſſe tale diſcrimen inter leges divinas. Moralem legem Chriſtus explicat & urget, ſed diviſionem hereditatis ex forenſibus Moſis legibus inſtituere recenſet Lucæ 12. v.14. Legem per fidem abrogari, negat Apoſtolus Roman.3.verſ.ult. idem tamen in cibo aut potu aut parte diei feſti quempiam Chriſtianorum judicari prohibet Coloſſ.2.v.16. & in Chriſto inter Judæum & Græcum quippiam diſcriminis amplius ſupereſſe, negat. Galat.3. v.28. ** *Ratio hujus diviſionis deſumi poteſt ex ipſo legis officio, quod eſt ordinem, quo homo cum creatore ſuo conjungitur, ſancire & conſtituere, idque 1.ſimilitudine quadam interna, ceu dilectione, juſtitiâ, ſanctimoniâ & veritate, quam lex moralis quæ eſt quaſi fons, baſis, ſubſtantia & norma omnium aliarum legum determinat. 2. Externa internarum iſtarum virtutum ſignificatione adhibitis ſymbolis, quorum normam ſecunda pars, quæ eſt quaſi appendix primæ Decalogi ſive legis moralis tabulæ tradit & eſt de Ceremoniis & ritibus ſacris. 3.Denique exhibitione officii proximo debiti cujus rationem præſcribit tertia pars nempe forenſis, quæ eſt quaſi appendix ſecundæ Decalogi tabulæ, eſtque de jure & judiciis. Bacm.* ** Cogitandum hîc relinquo piis mentibus, num diviſio iſthæc inter Legem Moralem, ceremoniales & forenſes ſubinnuatur Roman.9.v.4.ubi Apoſtolus pronunciat Iſraëlitarum eſſe καὶ τὰς διαθήκας καὶ τὴν νομοθεσίαν καὶ τὴν λατρείαν? Nomine διαθηκῶν Auguſtinus quidem intelligit Vet. & Nov. Teſtamentum, quippe Vetus Teſtamentum Iſraelitis eſt datum, & Novum in vetere figuratum, alii unius Teſtamenti legalis aliam atque aliam ſanctionem denotari putant, ſed quia proximè facta mentio arcæ fœderis, ideò non inconciinnè αἱ διαθῆκαι accipientur μετωνυμικῶς de duobus tabulis, in quibus Decalogus digito Dei exaratus, quæ & ipſæ dicuntur tabulæ fœderis ac Teſtamenti Deuter. 4. v.11. & 15. Hebr. 9. v.4. νομοθεσία εἰδικῶς accommodari poterit ad partem legis judicialem, quâ forum politiæ Judaicæ conſtituebatur, λατρείας nomine peculiariter intelligitur Lex ceremonialis, in qua præſcripſerat Deus modum, prout in Vet. Teſtamento à populo ſuo coli voluit. Vide D.Schröderum in analyſi cap.9. Roman.th.40.41.42.

9. Inſcriptas & non ſcriptas.

10. De ſingulis hiſce legis divinæ ſpeciebus agemus uberiùs, ſi priùs alias legis diviſiones expoſitas dederimus. Tertiò igitur ratione accidentium quædam leges dicuntur ſcriptæ, quædam non ſcriptæ. τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγγραφοι inquit Juſtinianus inſtit.de jure naturali §.7. quæ diviſio & divinis & humanis legibus applicari poteſt. Lex divina vel eſt in creatione hominum mentibus inſita & inſculpta, vel ipſius Dei voce patefacta, promulgata, repetita & in ſacras literas relata. *Ambroſius de fuga ſec: Lex gemina eſt, naturalis & ſcripta, naturalis in corde, ſcripta in tabulis.* Hinc Apoſtolus pronunciat, quamvis gentibus de ſolenni promulgatione & repetitione legis divinæ nihil conſter, nihilo tamen minùs opus legis in cordibus ipſorum ſcriptum eſſe. Roman.2.v.14. *Cum gentes quæ legem non habent, Naturâ ea quæ legis ſunt, faciunt, illi legem non habentes ſibimetipſis lex ſunt,* v.15. *qui oſtendunt opus legis ſcriptum eſſe in cordibus ſuis, teſtimonium illis reddente ipſorum conſcientiâ.* Lex primitùs hominum mentibus inſita dicitur Lex Naturæ, ubi obſervandum, quod in Natura integra idem omnino erant lex Naturæ & lex Moralis, ſed in Natura corrupta magna pars legis Naturalis per peccatum obſcurata eſt, & tantùm particula quædam de externa obœdientia in hominis mente reliqua manſit, quæ cauſa etiam primaria eſt, propter quam ſolennem legis ſuæ promulgationem ac repetitionem in monte Sinai Deus ipſe inſtituit.

11. Reſpectu objectorum leges humanæ dividuntur quarto loco in Eccleſiaſticas & Politicas. Leges Eccleſiaſticæ ſunt, quæ à pio Magiſtratu conſenſu Eccleſiæ & cum conſilio Eccleſiaſtici Miniſterii feruntur de ordine actionum in publico Eccleſiæ Miniſterio, quas vulgò vocant Agenda Eccleſiaſtica. His conſtitutionibus humanis ſi accedat opinio vel cultus vel meriti vel ſimplicis cujusdam neceſſitatis, tunc ſiunt ἐντάλματα hominum, quibus fruſtra Deus colitur Matth. 15. verſ. 9. Sin verò εὐταξίας & εὐσχημοσύνης cauſâ inſtituuntur atque obſervantur, pertinent ad regulam Apoſtolicam. 1.Corinth.14. v.40. (ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ) πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω. Politicæ leges ſunt, quæ a Magiſtratu, qui habet poteſtatem ferendarum legum, de certo ordine actionum in Politia ſervando ad incolumitatem Reipublicæ conſtituuntur, quibus Apoſtolus Petrus propter Dominum. 1. Epiſt. 2. v.13. Paulus propter conſcientiam obœdire jubet Roman.13.v.5. Weſenbec. in parat. ſic definit: *Lex eſt honeſtum legitima poteſtatis decretum ad tuendam Republica pacem, moresque ac judicia regenda publicè factum & conſcriptum.* *4. In Eccleſiaſticas & Politicas.*

12. Ex his apparet, quid ſtatuendum ſit de diviſione Juris in Naturale, gentium & civile, quam Juſtinus in Inſtit.tit.de jure naturali, gentium & civili, atque ejus æmulator Gratianus diſtinct.1.decret. proponunt. *Jus naturale eſt,* (inquit Juſtinianus) *quod Natura omnia animalia docuit, nam jus iſtud non humani generis proprium eſt, ſed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur. Hinc deſcendit maris & fœminæ conjunctio, hinc liberûm procreatio, hinc educatio. Jus autem civile à jure gentium diſtinguitur, quod omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur. Nam quod quisque populus ipſe ſibi jus conſtituit, id ipſius proprium civitatis eſt, vocaturque jus civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis: quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræquè cuſtoditur, vocaturque jus gentium, quaſi quo jure omnes utantur. Conſtat autem jus noſtrum (Romanum) aut ſcripto aut ſine ſcripto. Scriptum jus eſt Lex, plebiſcitum,* *Diviſio Juris in Naturale, gentium & civile.*

ium, Senatusconſultum, Principum placita, Magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum. Lex eſt, quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituebat &c. Hæc Juſtinianus, qui voce legis ſtrictiſſimè utitur, prout non ſolùm à jure naturali & jure gentium, ſed etiam à plebiſcito, Senatusconſulto atque aliis legis civilis ſpeciebus diſtinguitur; Nomine juris Naturalis non intelligit eam Naturæ legem, quæ in cordibus hominum poſt lapſum adhuc reliqua & eſt pars legis Moralis (quam nomine juris gentium potius exprimit) ſed inſtinctum naturalem & Storgas phyſicas poſt lapſum adhuc in homine reliquas. Congruit cum hac explicatione diſtinctio JCtorum inter jus naturale, primævum & ſecundarium.

Summa Legis Moralis in Decalogo.

13. Legis Moralis ſumma extat in Decalogo, quem Deus in monte Sinai inter clangores tubæ, aliaque ſtupenda prodigia populo Iſraëlitico promulgavit Exod.19.v.20. Deſumta verò eſt appellatio Decalogi ex illis ſcripturæ teſtimoniis, in quibus lex Moralis ſolenniter in monte Sinai promulgata & repetita dicitur עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים Aſreth haddebarim, Decas verborum vel decem verba. Exod.34.v.28. Deuter.4.v.13. cap.10.v.4. Pulchra eſt alluſio Philonis lib. de Decalogo pag.475. *Impoſitores primi nominum viri ſapientes meritò videntur appellaſſe hanc δεκάδα quaſi δεχάδα, quod capiat, comprehendatque omnia numerorum genera & rationum proportionumque Arithmeticarum ac inſuper harmoniarum ſymphoniarumque &c.* Quemadmodum igitur numerus denarius eſt perfectiſſimus & capaciſſimus, ita quoque lex Moralis decem verbis à ſapientiſſimo Deo comprehenſa perfectiſſima eſt. Beda in cap.20. Exodi. *Nullus numerus creſcit amplius niſi uſque ad decem, ac per hoc in plenitudine numeri plenitudinem mandatorum conſtituit. Bene obſervatum à Philone* (ſcribit Spinæus libr. de Providentia) *quod decem illis verbis longè plura comprehendantur & doceantur, quàm quæ tot & tàm magnis Philoſophorum, Legiſlatorum, Iuriſconſultorum de ea re conſcriptis voluminibus continentur, in quibus nullum verbum extat de juſtitia retinenda, de recta Rerumpublicarum conſtituendarum ratione, quod non multò locupletius & doctius decem illis mandatis contineatur.* Proinde quod de legibus duodecim Tabb. dicit Cicer. 1. de Orat. *Omnes Bibliothecas Philoſophorum unicus libellus duodecim Tabularum ſuperat & autoritatis pondere & utilitatis ubertate*, id longè rectius de lege Morali in decem verbis Decalogi propoſita dici poteſt. Biel.3. ſentent. diſtinct.37. quæſt. und. artic. 6. *Omnia cætera præcepta tam divina quàm humana ad Decalogum reducuntur vel ut principia vel ut concluſiones, vel ut eis rationabiliter conſona.*

Lex Moralis eſt æterna.

14. Neque verò exiſtimandum legis Moralis initium cum ſolenni illa Decalogi promulgatione cœpiſſe, vel ejusdem anguſtiis concluſam teneri, ſed lex Moralis etiam ante ſolennem illam promulgationem à prima ſtatim mundi origine hominibus tradita eſt ac patefacta, imò cordibus ipſorum in creatione inſita & quaſi inſculpta fuit, creati ſiquidem fuerunt ad imaginem Dei Gen.1.v.27. quæ conſiſtit in juſtitia & ſanctitate vera Epheſ.4. v.24. cujus ſanctitatis ac juſtitiæ norma atque ſpeculum in lege proponitur; quin imò ante jacta mundi fundamenta norma atque ſpeculum in lege proponitur; quin imò ante jacta mundi fundamenta norma illa ac regula juſtitiæ extitit in mente divina, quod Rabini majorum ſuorum doctrinam hac de re haud ſatis dextrè percipientes in fabulam ac nugas converterunt, dum referente Galatino lib.17. arcan. cap.1. adverſ. Judæos & Reuchlino in Cabala cap.3. dicunt, *Legem Dei ante mundi creationem conditam eſſe duobus annorum millibus atque literis igneis nigris in dorſo ignis candidi ſcriptam.* Jubentur homines eſſe ſancti, ſicut Deus ſanctus eſt, Lev.11.v.44. 1.Pet.1. v.15. jubentur eſſe miſericordes, ſicut Pater cœleſtis miſericors eſt, Luc.6.v.36. Jubentur eſſe perfecti, ſicut Pater cœleſtis eſt perfectus, Matt. 5.v.48. utique ergo Deus ſanctus, miſericors ac perfectus eſt, jam verò ſanctitas, miſericordia & perfectio non ſunt in Deo accidentia, ſed ipſa ejus eſſentia, utiq; ergò ut eſſentia Dei æterna, ita ſanctitas, miſericordia & perfectio Dei eſt æterna, cujus ſanctitatis, miſericordiæ & perfectionis ἐκτύπωμα & velut ἀπεικόνισμα in lege proponitur. ** Pererius diſput. 6. in cap.2. Roman. n. 44. *Lex Moſis non alii genti quam Hebræorum lata eſt, nec alios niſi Hebræos tantum obligabat. 1. quia nuſpiam legitur in ſacris mandatum Moſi aut ulli Prophetarum, ut legem Iudaicam promulgaret gentibus, quemadmodum quidem de Evangelii promulgatione mandatum habuerunt Apoſtoli. 2. quia David ait, Deum juſtitias & judicia ſua annunciaſſe tantum Iſraeli, non aliis nationibus* Pſalm.147. *3. quia circumciſio tantum ad Iudæos pertinebat, in qua tamen continebatur obligatio iſtius legis Moſaicæ* Galat. 5. Contra 1. certum eſt, notitias naturales gentibus in prima creatione inſitas cum Decalogo convenire, unde vocantur opus legis. Decalogus autem eſt publica illarum notitiarum declaratio. Quos ergò notitiæ naturales obligant hos & Decalogus. 2. Lex de diligendo Deo & proximo obligat etiam gentiles. At ſumma Legis Moſaicæ in dilectione conſiſtit. 3. In quibus transgreſſio legis punitur, hos ipſa lex obligat. In gentibus punitur transgreſſio legis moralis Roman 1. Lev.18. Eph.6. 4. Leges quæ Hebræum duntaxat populum obligabant, non habent locum in N. Teſtam. Atqui lex moralis locum habet in N. Teſtam. ſubinde enim repetitur, explicatur & inculcatur. 5. A quibus etiam gentiles, quorum mens non eſt prorſus reproba abhorrent, eorum oppoſita etiam gentiles attinent. Sed à ſceleribus in lege Moſaica prohibitis etiam gentiles abhorrent 1. Cor.5.v.1. ergo oppoſitę virtutes una cum ſua norma etiam gentiles attinent. Ad rationes Pererii. 1. diſtinguendum eſt *inter publicũ miniſterii exercitium & Propheticum Doctorum Eccleſiæ officiũ.* Illud ad Iſraelitas duntaxat pertinuit, hoc verò commune eſt, quia quando Prophetæ gentilium vitia perſtrinxerunt, nullam aliam habuerunt normam, quam legem Moſis Eſa.34. v.16. Ezech. 22. v.10. Am. 2. v.7. 2. diſtinguuntur in leges morales, Ceremoniales ac forenſes. Illæ omnes obligant, hæ verò minimè. 3. In lege morali inſunt etiam quædam Ceremonialia, quæ ad Judæos tantum ſpectabant. Lutheri dicta eod. modo explicanda. **

Praxis legis Moralis ante Moſen. 15. Ceterùm ut appareat doctrinam Legis etiam ante Moſen ac ſolennem illam in monte Sinaitico promulgationem in Eccleſia DEI ſonuiſſe, jucundum eſt annotare, quomodo ſingula præcepta ipſius DEI voce vel immediatè ſanctis Patriarchis vel per Patriarchas populo DEI expoſita fuerint ac repetita. Primis parentibus primævam illam legem de non comedendo arboris vetitæ fructu datam eſſe novimus, Geneſ.2. verſ.17. quam matricem fuiſſe omnium præceptorum pulcrè diſputat Tertullianus libr. adverſus Judæos non longè ab initio pagin.133. *In principio mundi* (inquit) *ipſi Adæ & Evæ DEUS legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio Paradiſi ederent, quòd ſi contra feciſſent, morte morerentur. Quæ lex eis ſufficeret, ſi eſſet cuſtodita. In hac enim lege Adæ data omnia præcepta condita recognoſcimus, quæ poſtea pullulaverunt data per Moſen, id eſt, Diliges Dominum DEUM tuum de toto corde tuo, & ex tota anima tua, & diliges proximum tibi tanquam te. Et non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falſum teſtimonium non dices. Honora patrem tuum & matrem, & alienum non concupiſces. Primordialis lex eſt enim data Adæ & Evæ in Paradyſo quaſi matrix omnium præceptorum DEI. Denique ſi Dominum DEUM ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent, ſi proximum diligerent, id eſt, ſemetipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo contra præceptum DEI. A furto quoque abſtinuiſſent & de fructu arboris clam non deguſtâſſent, nec à conſpectu Domini DEI noſtri ſub arbore delitescere geſtiſſent. Nec falſum aſſeveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei quod ſimiles DEO eſſent futuri. Atque ita nec DEUM offendiſſent ut patrem, qui eos de limo terræ quaſi ex utero matris figuraverat. Si alienum non concupiſcerent, de fructu inlicito non guſtâſſent. Igitur hac generali & primordiali DEI lege, quam in arboris fructu obſervari Deus ſanxerat, omnia præcepta legis poſterioris ſpecialiter indita fuiſſe cognoſcimus, quæ ſuis temporibus edita cognoſcimus.* Hæc omnia Tertullianus, qui paulò poſt ſubjungit; *Ante legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis, legem contendo fuiſſe non-ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur & à Patribus cuſtodiebatur &c. Intelligimus DEI legem etiam ante Moyſen, nec in Oreb tantum, aut in Syna & in Eremo primum, ſed antiquiorem primùm in Paradyſo, poſt Patriarchis, atque ita & Iudæis certis temporibus reformatam, ut non jam ad Moyſi legem ita attendamus, quaſi ad principalem legem, ſed ad ſubſequentem, quam certo tempore Deus & gentibus exhibuit & repromiſſa per Prophetas in melius reformavit.*

Præcepti primi. 16. Primum præceptum Deos alienos habere prohibet, verum autem Deum ſuper omnia timere, diligere ipſíque confidere ac obœdire jubet. Atqui quando primis parentibus eſu arboris vetitæ interdicitur, eo ipſo requiritur, ut DEUM iſthoc præcipientem ſuper omnia timeant ac diligant, neque ullis blanditiis ab obœdientia erga hoc præceptum ſeſe dimoveri patiantur. Gigantæa audacia in architectis Babylonicæ turris confuſione linguarum & diſperſione ipſorum ſuper faciem univerſæ terræ ſeveriſſimè punita monet *ὁ θεομαχεῖν* neque ex ſeipſo ſuiſque ſtudiis idolum facere, ſed DEO omnem gloriam in vera cordis humilitate tribuere, Geneſ.11.v.9. Quandn Abrahæ præcipitur, *ut ambulet coram Deo ac ſit perfectus* Geneſ.17.v.1. eo ipſo præcipitur, ut Deum ex toto corde diligat, veneretur, colat, ac omnem vitam ad ipſius nutum componat, cùm ipſe ſit *παντεπόπτης*, cujus oculi clariores Sole: additur etiam promiſſio, *Ego ſum Deus omnipotens El Schaddai*, timentibus ac colentibus me non deerit ullum booum. Geneſ.15.v.1. *Ego ſum ſcutum tuum & merces tua magna valde.* Quando Abraham divina ſecutus juſſa filium unicum Iſaacum immolare paratus eſt, DEUM ſuper omnia diligendum eique obœdiendum eſſe ipſo facto oſtendit Geneſ.22. verſ.3. Jacobus familiæ ſuæ & omnibus, qui cum ipſo erant præcipiens, ut auferant Deos alienos eoſdemque ſubter quercum apud Sichem defodiens, quid aliud quàm praxin primi præcepti de non colendis idolis inſtituit? Geneſis 35. verſiculo 2. & 4.

Secundi. 17. Secundum præceptum nominis divini profanationem prohibet, ejuſdem verò invocationem præſcribit. Praxis hujus præcepti apud Patriarchas ſemper viguit. Geneſ.4. verſic.ult. cùm ſanctificatio nominis Dei per Cainitas eſſet profanata, *Enos cœpit invocare in nomine DEI* Geneſ.12.verſ.7. *Abraham ædificat altare ipſi Iehovæ primùm apud Sichemam, deinde inter oppida Bethel & Hai, invocatque ibi nomen Jehovæ*, hoc eſt, Abrahamus altari in honorem veri DEI extructo circa illud concionatur, ſacrificat, preces ſuas fundit & vaticinia de venturo Meſſia auditoribus ſuis proponit. Melchiſedecus Rex Salem Abrahæ ex prælio redeunti cum benedictione occurrit Geneſ.14. verſ.20. *Benedictus DEUS altiſſimus, qui tradidit hoſtes tuos in manum tuam*, ſicque ipſo facto oſtendit nomen Domini propter omnia non ſolùm ſpiritualia, ſed & corporalia beneficia benedicendum eſſe. Ibid.verſ.22. *Abraham levat manum ſuam ad Iehovam DEUM altiſſimum, poſſeſſorem cœli & terræ.* Per ſolum ejus nomen jurandum eſſe oſtendens, quem jurandi morem in Abrahæ & aliorum Prophetarum familia obſervatum poſtea fuiſſe, oſtendit exemplum Eleazari Geneſ.24. verſ.3. &c. Jacobi Geneſ.31. verſ.53. Tertiâ etiam vice *plantavit Abraham ſylvulam ad fontem Beerſeba, & invocavit ibi nomen Iehovæ DEI æterni* Geneſ.21. verſ.33. Iſaacus hoc parentis exemplum ſecutus itidem *altare illic extruxit & nomen Iehovæ invocavit* Geneſ.26. verſ.25. Ad cultum ſecundi præcepti pertinet etiam votum illud, quo ſeſe Jacobus vero DEO obſtrinxit Geneſ.28. verſ.20. Idem Eſavi truculentiam metuens & in ſummis anguſtiis conſtitutus ad ſerias preces convertitur, quibus ſe ſuoſque DEO commendat Gen.32.verſ.9. in omnibus omninò calamitatibus verum Deum unicè invocandum eſſe doceos.

18. Tertium præceptum de ſanctificando Sabbatho manifeſtè divinâ voce ſancitur Geneſ.2.verſ.3. *Benedixit DEUS diei ſeptimo & ſanctificavit illum*, hoc eſt, divino cultui eum deputavit ac verbi divini auſcultatione & meditatione, Sacramentnrum uſurpatione, ardenti invocatione ac ſimilibus pietatis exercitiis ſancti- *Tertii.*

ſancti-

ctificandum ordinavit. Arbor ſcientiæ boni & mali primis parentibus fuit velut ara ac templum, in quo debitum Deo exhiberent cultum. Pertinent huc ſacrificia veterum, utpote Caini & Abelis Gen. 4. v. 3. & 4. Noahi Gen. 8. v. 20. Abrahæ Gen. 22. verſ. 13. &c. quæ fuerunt typi unici verè propitiatorii ſacrificii à Chriſto in ara crucis offerendi atque in fidē oblata fuerunt pars cultus divini tertio præcepto ſanciti. Nec exiſtimandum, ex ſolo rationis dictamine ſine aliquo certo DEI verbo ſacrificia à Patriarchis fuiſſe excogitata, præterquam enim quòd hiſtoria Eccleſiæ omnium temporum teſtatur, ἐθελοθρησκείας nunquam DEO placuiſſe, disertè docet Epiſtola ad Hebræos, *Abelem fide ſacrificaſſe*, cap. 11. verſ. 4. jam verò fidei correlatum & objectum eſt DEI verbum Roman. 10. v. 17. nec in mactatione animalium ullam cum Natura DEI ſpirituali ἀναλογίαν ratio humana deprehendit, utique ergò non ex rationis ductu, ſed ex DEI in revelato verbo præſcripto mos ſacrificandi initium cœpit. Ejus inquam præſcriptum & revelationem ſecuti ſunt, qui ſemper verbo ſuo externum & viſibile aliquod gratiæ ſignum conjungit, & coram quo *melior obædientia quàm victima* 1. Sam. 15. v. 22. *Tempore Enos cœptum eſt invocari nomen Domini*. Geneſ. 4. verſ. ult. non q. nullæ hactenus preces in uſu fuiſſent Adamo, Evæ, Habeli, Setho &c. ſed quia publicum docendi miniſterium perſecutionibus Cainitarum diſſipatum ac præpeditum circa illud tempus iterum inſtauratum eſt. Vide D. Luther. in comment. ejus loci Geneſ. 5. verſ. 22. *Henoch ambulavit cum Deo*, hoc eſt, fuit eximius Propheta & concionator iſtius ſeculi, ſingulari præ reliquis zelo opus Domini urſit, Cainitarum idololatriæ ac impietati ſe oppoſuit, promiſſionem de ſemine mulieris explicavit ac ſpem vitæ æternæ inculcavit, quam interpretationem hujus phraſeos tradit Epiſt. Judæ verſ. 14. Gen. 6. v. 3. inter cauſas diluvii refertur contemtus Miniſterii, *homines ſunt caro*, hoc eſt, reipſâ oſtendunt, ſe nolle regi Spiritu DEI, ſecurè perficiunt deſideria carnis, nolunt peccata ſua per juſtitiæ præcones & organa Spiritus Sanct. argui, ideò etiam *Spiritus meus non contendet amplius cum eis* &c. hic contemtus miniſterii fuit graviſſimum peccatum contra tertium præceptum, ideò etiam graviſſimâ pœnâ à Deo fuit vindicatus. Quinimò quotieſcunque Patriarchæ dicuntur altaria extruxiſſe ac circa illa nomen veri Dei invocâſſe, utpote Abrahamus Geneſ. 12. verſ. 7. & 8. cap. 13. v. 4. cap. 21. verſ. 33. Iſaacus cap. 26. verſ. 25. Jacobus Geneſ. 33. verſ. 20. cap. 35. verſ. 7. ibi obſervatio tertii præcepti deſcribitur, ſiquidem eo fine altaria illa fuerunt extructa, ut ad illa convenirent, doctrinam cœleſtem proponerent, ſacrificia offerrent, preces & ſupplicationes facerent, vaticinia de Meſſia explicicarent ac DEO pro beneficiis gratias agerent. De Joſepho dicitur Pſal. 105. v. 22. *quod erudierit Principes in terra Ægypti, & ſenes ejus docuerit ſapientiam*, hoc eſt, inſtituit proceres regni in vera religione, & cœleſtem ſapientiam ex verbo Dei Ægyptios docuit.

Quarti. 19. Quartum præceptum de honorandis parentibus obſcuriùs ponitur in illa ſententia Geneſ. 2. verſ. 24. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*; neque enim honor parentibus debitus per conjugalem ſocietatem aboletur, ſed gradus tantùm conſtituuntur. Geneſ. 6. verſ. 2. inter cauſas diluvii etiam hoc refertur, quod *filii Dei filias hominum viderint, quàm pulcra eſſent, & acceperint ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*, hoc eſt, in electione conjugum non ſecuti ſunt conſilia parentum, ſed cœcæ libidinis impetum. verſ. 4. *erant etiam Gigantes in terra in diebus iſtis*, hoc eſt, Tyranni, ab irruendo ſic vocati, inferiores & pauperiores vi invadebant atque opprimebant, cùm deberent eſſe ex præſcripto quarti præcepti ὄντες πατέρες λαῶν. Gen. 9. verſ. 25. propter Chami procaces oculos ac detractricem linguam Canan filius ejus maledicitur, contrà verò Semi ac Japheti reverentia parenti exhibita benedictionis præmio afficitur, ex quo rectè colligunt Chryſoſt. & Theodoret. in comm. illius loci, quòd DEUS ipſi Naturæ in prima creatione inſculpſerit legem de honorandis parentibus. Geneſ. 16. v. 6. immorigera ancilla Hagar fugiens imperium herile ab Angelo Domini retrahitur ac ſub manibus dominæ ſeſe humiliare jubetur. Geneſ. 18. verſ. 19. DEUS ipſe magnoperè commendat, quod Abrahamus familiam ſuam educat ἐν νουθεσίᾳ κυρίου. *Novi, quod præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Iehovæ, faciantq́ juſtitiam & judicium*, quæ pars eſt officii parentum liberis debiti facilè primaria. Gen. 24. conſenſu parentum utriuſque conjugis Rebecca nubit Iſaaco, quod non minùs ad honorem parentum pertinet. Exemplum Iſaaci ſequitur Jacobus, Gen. 28. v. 2. uterque igitur præteritis Iſmaele ac Eſavo benedictionis redditur particeps. Joſephus parenti obſequentem ſeſe præbens Gen. 35. v. 13. poſt varios calamitatum turbines vel tandem ad portum felicitatis ac Regiæ majeſtatis Deo duce aſpirat.

Quinti. 20. Quintum præceptum de non occidendo disertè voce divinâ repetitur in Hiſtoria Caini Gen. 4. v. 10. *Sanguis*, ſive ut eſt in Hebræo, vox ſanguinum *fratris tui clamat ad me de terra*, neque enim vel minima guttula ſanguinis injuſtè effuſi eſt in oblivione coram Deo, ſed ipſe videt & requirit, unde Cain à Deo proſcribitur & maledictionis fulmine percellitur. Obſervandum autem eſt, quòd non tantùm poſt perpetratum fratricidium Cainus à Deo arguitur, ſed etiam audit verſ. 6. *Quare iraſceris & quare concidit vultus tuus?* oſtenditur igitur ab ipſo DEO vera quinti præcepti explicatio, quòd non ſolùm externum homicidium, ſed etiam interius odium, flammæ irarum & ſimultatum in eo ſint prohibitæ, perinde ut Chriſtus Matthæi 5. verſ. 22. dicit: *Quiquis dixerit fratri ſuo Racha, fatue, reus erit judicii*. Gen. 9. verſ. 6. ipſius DEI voce pœna homicidio conſtituitur capitalis. verſ. 5. *profectò ſanguinem veſtrum requiram, de manu cunctorum animalium requiram illum & de manu hominis, de manu viri fratris ejus requiram animam hominis*, ergò nec à propinquo nec à peregrino vel quocunque homine Deus vult hominem interfici verſ. 6. *Qui effuderit ſanguinem hominis, ejus ſanguis per hominem effundetur*, i. e. per legitimum Magiſtratum, cui gladius eſt commiſſus, ideò Tharguin Onkelos tradit hanc paraphraſin. *Quicunq́ fuderit ſanguinem hominis*

cum teſtibus, per ſententiam judicum ſanguis ejus fundetur Gen. 13. v. 17. exortâ inter paſtores pecoris Abrahæ & inter paſtores pecoris Lothi contentione, dicit Abraham ad Lothum verſ. 8. *ne quæſo ſit contentio inter me & te, & inter paſtores meos ac paſtores tuos, quia fratres ſumus*; docens lege caritatis omnes nos eſſe fratres, ac proinde omnem contentionem à nobis exulare debere. Geneſ. 14. exemplo Ahrahæ oſtenditur, bella legitima, præſertim ea, quibus injuria illata vindicatur & juſtâ defenſio quæritur, non pugnare cum quinto præcepto, fuiſſe enim illud Abrahæ bellum legitimum probat felix ſucceſſus, Melchiſedeci benedictio & ipſius Dei effatum Eſa. 41. verſ. 2. Geneſ. 18. verſ. 24. intercedit Abraham pro Sodomitis, ſincerum erga eos, præſertim verò Lothum agnatum ſuum, affectum demonſtrans, proximi enim calamitatem ut noſtram æſtimare quinti præcepti tenor jubet. Geneſ. 32. verſ. 3. Jacobus omnes vias reconciliationis cum Eſauo ſolicitè inquirit & de ſuo jure aliquid remittit. Geneſ. 35. verſ. 28. Invidia fratrum vendentium Joſeph graviſſimè tandem punitur, ut conſcientiâ priſtini ſceleris tacti dicant, Geneſ. 42. verſ. 21. *Verè peccavimus adverſus fratrem noſtrum, nam vidimus anguſtiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus eum, idcircò venit ſuper nos anguſtia hæc.* Joſephus contrà placidiſſimo animo condonat, quicquid contra ipſum peccaverant fratres, quæ condonatio fraterna eſt primaria virtus quinti præcepti. *Ne timeatis* ait Geneſ. 50. v. 19. *nam enim loco Dei ſum?* cùm Deus paternè condonat delicta, non convenit me immortales iras gerere.

Sexti. 21. Sextum præceptum prohibens adulteria & vagas libidines in ipſo Paradiſo divinâ voce ſancitum eſt. Geneſ. 2. verſ. 24. *Relinquet homo patrem & matrem ſuam, ac adhærebit uxori ſuæ, eruntq; caro una*, quâ Conjugii lege, non ſolùm vagas libidines atque adulteria, ſed etiam polygamiam ac temeraria divortia prohiberi teſtis eſt Chriſtus Matth. 19. verſ. 6. eâdem contrà ſincerum ac ſerium amorem conjugalem præcipi, teſtis eſt Apuſtolus Epheſ. 5. verſ. 30. & 31 Geneſ. 6. verſ. 2. inter cauſas diluvii referuntur vagæ libidines. *Viderunt Filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulcræ, & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant*, ubi talis traditur interpretatio ſexti præcepti, quòd non ſolùm exterior ſcortationis actus, ſed etiam illicita oculorum concupiſcentia in eo prohibeatur. 1. Johan. 2. verſ. 16. perinde uti Chriſtus Matth. 5. verſ. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam tum fornicatus eſt cum ea in corde ſuo.* Peccarunt igitur Filii Patriarcharum, quos Moſes DEI Filios vocat, multis modis contra ſextum præceptum; indulſerunt concupiſcentiæ oculorum, abnegatâ ſpe promiſſi ſeminis, ex Cainiticis fœminis quæſiverunt ſibi uxores, fugitivum formæ decus, non autem veram pietatem in illis reſpicientes; duxerunt inſuper eas ſine conſenſu parentum, & quas cœco libidinis impetu ſibi heri ſociaverant, hodiè iterum repudiârunt, & quia ſine Cerere & Baccho friget Venus, ideò heluationibus, luxu & Muſicis inſtrumentis libidinis flammas excitârunt teſte Chriſto Matth. 24. verſ. 38. quæ peccata horribili cataclyſmi pœnâ tandem vindicavit Deus. Geneſ. 12. verſ. 17. percutitur Pharao plagis magnis propter Saram Abrahæ uxorem, quæ in domum ipſius erat abducta, quo ipſo Deus ſeſe vindicem conjugii ac ſexti præcepti oſtendit. Geneſ. 19. verſ. 11. Sodomitæ propter horrendas libidines *puniuntur cæcitatibus* corporis ſcilicet atque animi, & verſ. 24. ſulphure & igne cœlitùs depluto funditùs delentur. verſ. 33. Lothum ebrietas decipit, ut fiat θυγατρόγαμος, atque ita ſuus gener, ſocer, pater, maritus, avus contra Naturæ legem. Geneſ. 20. verſ. 7. divinum judicium Abimelecho Regi mortem denunciat, niſi conjugem Saram Abrahæ reſtituat; quo ipſo oſtenditur, neminem dignitatis gradu ab obœdientia ſexti præcepti exemtum eſſe, proinde Perſicum illud Senatusconſultum eſſe impium ac Naturæ legibus repugnans, quòd Regi, quam velit ducere, liceat. Geneſ. 34. verſ. 2. Dina licentiùs evagata virginitatem perdit, quod ſcortationis peccatum filii Jacob verſ. 7. nominant *Stultitiam*, hoc eſt, impietatem & fœditatem: Scriptura enim impios vocat ſtultos; raptoris Sichemi improbitas v. 26. gladio punitur. Gen. 35. verſ. 22. inceſtus Rubeni commemoratur, propter quem jure primogenituræ ſpoliatus eſt, Gen. 49. verſ. 1. 1. Paral. 5. verſ. 1. Geneſ. 38. verſ. 8. jubetur Onanus *relictam fratris viduam ducere, ac fratri ſemen ſuſcitare*, quod ipſum oſtendit, multa lege Moſis ſancita in uſu fuiſſe ante legem, quemadmodum peculiari lege Deuter. 25. verſ. 5. hac de re cavetur; ſed quia Onanus fœdiſſimo ſcelere contra ſextum præceptum peccat, *ideò à Domino interficitur* verſ. 10. inſolito procul dubio mortis genere è terra viventium abſcinditur. verſ. 34. Thamarem ex fornicario concubitu gravidam Judas tanquam adulteram capitis ſupplicio adjudicat, utpote filio Selah deſponſatam, ex quo apparet, hanc legem de pœna adulterit capitali etiam ante Moſen in uſu fuiſſe. Geneſ. 39. v. 8. Joſephus adulteræ mulieris illecta menta renuens ad regale dignitatis ſolium poſtea evectus caſtitatem præmiis à Deo ornari comprobat.

22. Septimum præceptum de non furando itidem ante Moſen promulgatum. Gen. 2. v. 15. in ſtatu integritatis mandatur Adamo, ut *Paradiſum cuſtodiat, & in eo operetur*, Gen. 3. v. 19. *In ſudore vultus ſui pane ſuo veſci jubetur*, labores igitur vocationis Deus præcipit, otium averſatur, ſudorem pœnæ loco poſt lapſum imponit Gen. 6. v. 11. inter cauſas diluvii etiam hæc numeratur, quòd *terra fuerit repleta iniquitate*, חמס chamas, propriè ſignificat violentiam ac notoriam injuriam, oſtenditur igitur rapinas, deprædationes ac ſpoliationes antediluvianis illis χειροδίκοις fuiſſe uſitatas, ſed quòd injuſtè deglutierant, illud cataclyſmi aqua tandem concoxit. Gen. 18. & 19. φιλοξενία Abrahæ ac Lothi prædicatur, per quam *inſcii Angelos, imò Deum ipſum hoſpitio exceperunt* Hebr. 13. verſ. 1. Quia Labanus mentitus eſt Jacobo, & mutavit ei mercedem ſuam decem vicibus, ideò abſtulit Deus gregem ejus, ac dedit Jacobo. Geneſ. 31. verſ. 7. & 9. *Septimi.*

23. Octavum præceptum de fugiendo mendacio & amanda veritate itidem non ſolùm naturaliter mentibus hominum inſitum, ſed etiam *Octavi.*

voce

voce divinâ repetitum fuit. Cùm enim Cain Deo interroganti de fratre Abelo mendaciter reſponderet, ſe neſcire, graviter hoc nomine à Deo reprehenditur. Geneſ. 4. v. 20. Geneſ. 12. verſ. 13. & cap. 20. verſ. 2. Abrahamus Saram uxorem ſuam eſſe reticens magno periculo pudicitiam Saræ exponit, quod niſi divinitùs fuiſſet averſum, graviſſimis ſeſe malis Abrahamus implicaſſet. Gen. 29. verſ. 25. mendacium Labanis Leam Rachaelis loco ſubſtituentis graviſſimè à Jacobo reprehenditur. Filii Jacobi fratrem Joſephum à fera diſcerptum mentiti, Gen. 35. v. 31. triſtes tandem conſcientiæ morſus ac cruciatus experiuntur, Gen. 42. v. 21.

Noni ac decimi.

24. Nonum ac decimum præceptum de non concupiſcendo DEI ipſius voce ſic declarantur, quòd interiorem Naturæ depravationem & ipſam peccati radicem, pravam ſcilicet concupiſcentiam, arguant. Per concupiſcentiam oculorum præcipitata fuit Eva in barathrum omnium malorum, *vidit* enim: quòd *bonum eſſet lignum ad manducandum & deſiderabile oculis & concupiſcibile eò quod faceret ſapientes*, ideò *tulit de fructu ejus ac comedit*, Geneſ. 3. verſ. 6. nimirum per vitiatum oculorum intuitum, ipſe animi oculus fuit vitiatus, Diabolus fictâ voce Evam exteriùs interrogans, venenatis pravæ concupiſcentiæ telis ipſius animum interiùs vulneravit, quò trahunt veteres dictum Propheticum Jerem. 9. verſ. 21. *Per feneſtras mors irrupit* atque in arcem rationis impreſſionem fecit. Concionatur Deus Caino de peccato quieſcente ſeu cubante præ foribus Geneſ. 4. verſ. 7. quod nullum aliud quàm abſconditum illud pravæ concupiſcentiæ malum humanæ Naturæ poſt lapſum tenaciſſimè atque intimè adhærens, cui per Spiritum reſiſtendum, cujus deſideria mortificanda. Geneſ. 6. verſ. 5. non de externis ac gravioribus tantùm ſceleribus hominum Deus conqueritur, ſed etiam fontem illorum, ipſam ſcilicet Naturæ depravationem accuſat. *Omne figmentum cogitationum cordis ipſorum tantum malum omni die, hoc eſt, quemadmodum puteus ſcaturire facit aquam ſuam, ita corrupta hominis caro jugiter ſcaturire facit malitiam ſuam* (niſi Spiritu Dei regeneretur, reformetur ac regatur) Jerem. 6. verſ. 7. Gen. 17. inſtituitur Circumciſio in illo corporis membro, in quo potiſſimùm pravæ concupiſcentiæ malum ſeſe exerit, ut oſtendatur, malum illud per carnalem generationem propagari, ac concupiſcentiam carnis ſpirituali circumciſione perpetuò reſecandam eſſe. Geneſ. 19. verſ. 26. uxor Lothi præpoſtera rerum temporalium curâ & conflagrantis Sodomæ deſiderio reſpiciens in ſtatuam ſalis convertitur, cujus memores nos eſſe jubet Salvator, Luc. 17. verſ. 32. condimenti enim loco nobis propoſita eſt, ne illicita terrenorum concupiſcentia cor noſtrum occupet. Auguſt. 10. de civ. Dei cap. 8.

Solennis legis moralis repetitio.

25. Ex hac deductione liquidò apparet, notitiam legis divinæ mentibus hominum non ſolùm naturaliter inſitam, ſed etiam ante Moſen voce divinâ vel immediatè vel per Patriarchas ſæpius fuiſſe repetitam, quinimò præmia in obœdientes collata, ac pœnæ tranſgreſſoribus Legis irrogatæ, manifeſtum ſunt divini judicii ſignum, quo ſe Deus legis ſuæ autorem atque vindicem demonſtravit. Quamvis verò hæc ita ſeſe habeant, nihilo tamen minùs placuit divinæ ſapientiæ publicam & ſolennem legis promulgationem in monte Sinai inſtituere, eandemque populo Iſraelitico poſt eductionem ex Ægypto inter clangores tubæ ac tonitrua tradere, cujus promulgationis deſcriptio extat Exod. 19. & 20. Facta autem eſt ſolennis illa atque ad omnem poſteritatem memorabilis promulgatæ legis ſanctio Anno mundi 2454. (juxta computationem Funccii in Chronolog. pag. 32. & aliorum) menſe tertio die ſcilicet 50. poſt exitum Iſraelitarum Exod. 19. verſ. 1. Anno 430. poſt datam Abrahæ promiſſionem Galat. 3. v. 17. ante Chriſti nativitatem Annis 1516.

Propter quas causas facta ſit.

26. Cauſæ propter quas ſolennis illa legis promulgatio ac repetitio fuit inſtituta, potiores ſunt hæ. 1. quia per peccatum notitia legis mentibus hominum in prima creatione obliterata atque obſcurata eſt, ſiquidem plena illa ac perfecta cognitionis lux fuit pars imaginis divinæ: Amiſſâ igitur per lapſum imagine DEI, extincta etiam eſt lux illa notitiæ naturalis, ita ut tenues ſaltem reliquiæ ac faculæ manſerint, Eph 5. v. 8. *Eratis quondam tenebræ.* Externa & graviora delicta lege prohiberi notitia naturalis agnoſcit, ſed interiorem Naturæ corruptionem, & primos concupiſcentiæ motus peccata eſſe non agnoſcit; voluit igitur Deus ſolenni iſtâ legis promulgatione integram & genuinam ejus ſententiam quaſi inſtaurare, ac τὸ ἐλλειπὲς luminis naturalis perficere. Ambroſ. in cap. 5. Rom. *Quia ipſi quodammodo natura inſerta ſunt juſtitiæ ſemina, addita lex eſt, cujus autoritate & Magiſterio ingenium Natura proficeret ad fructum juſtitiæ faciendum. Sicut enim Nativitas interit, niſi nutrimenta habeat, quibus fota adoleſcat: ita & naturale juſtitiæ ingenium, niſi habeat, quod reſpiciat & veneretur, non facile proficit ſed ægrotat & ſupervenientibus cedit delictis.* ** Idem Ep. 71. *Propter inobœdientiam prærogativa naturalis legis corrupta atque interdicta eſt, ideò ſcriptum legis teſtimonium eſt neceſſarium, ut vel partem habeat; qui univerſum amiſerat & cui perierat quod naſcendo aſſumſerat, diſcendo ſaltem cognoſceret & cuſtodiret.* Aug. in Pſal. 139. *Quia peccator oblitus erat ſe; nec videbat ſe, data eſt illi lex, ut videret ſe.* Idem in enarr. Pſalm. 57. quin q. 2. *Data eſt ſcripta lex, non quia in cordibus ſcripta non erat, ſed quia tu fugitivus eras cordis tui.* In qq. Vet. & N. Teſt. q. 4. *Ubi naturalis lex evanuit, impreſſa conſuetudine delinquendi tunc oportuit legem manifeſtari, non quod penitus obliterata eſſet, ſed quia maxima ejus autoritate carebant, idololatriæ ſtudebatur, timor DEI in terris non erat, ſed fornicatio operabatur, circa rem proximi avida erat concupiſcentia. &c.* ** 2. Quia apud Cananæos aliáſve gentes multa flagitioſa malis moribus recepta & longâ conſuetudine confirmata erant, quæ pro lege Naturæ habebantur, ideò publicâ illâ legis moralis repetitione oſtendendum erat, quæ notitiæ naturales congruant cum regula illa æterna juſtitiæ, quæ eſt in Deo; ac normam juſtitiæ DEO placentis non eſſe corruptæ rationis placita vel gentilium exempla,

exempla, ſed Dei viventis Præcepta Levit. 18. verſ. 3 *Secundum opus terræ Ægypti ne feceritis, nec ſecundum opus terræ Canaan, & in ſtatutis eorum ne ambuletis* v. 4. *Judicia mea facite & ſtatuta mea obſervate.* Auguſt. lib. quæſt. q. 4. V. & N. T. *Ubi Naturalis lex evanuit impreſſa conſuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifeſtari, ut in Judæis omnes audirent, non quod penitùs obliterata eſſet, ſed quia maximâ ejus autoritate carebant; idololatriæ ſtudebatur, timor Dei in terris non erat, ſed fornicatio operabatur, circa rem proximi avida erat concupiſcentia, danda igitur lex erat, ut & quæ ſciebantur, autoritatem haberent & quæ latere cœperant, manifeſtarentur.* Sedul. in c. 3. ad Rom. *Per legem, quid ſit peccatum, agnoſcitur, in oblivionem enim ierat lex naturæ.* 3. Quia in Natura humana per peccatum miſerè corrupta ac depravata hæret larga ſeges pravarum inclinationum, quarum impetu velut turbine quodam ſæpiùs abripimur ac in delicta graviora præcipites damur, ideò voluit Deus publicum extare teſtimonium, naturales legis noticias eſſe divinitùs menti noſtræ inſitas, ut hac ratione mens confirmatior reddatur ad reſiſtendum pravis illis inclinationibus, ſicque major conſcientiæ ratio habeatur. Roman. 7. verſ. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 4. Quia homines interiorem Naturæ immunditiem non agnoſcunt, ſed externæ diſciplinæ admiratione faſcinati *propriam juſtitiam coram Deo conſtituere ſatagunt*, Rom. 10. v. 3. ideò ſolenni illâ promulgatione legis oſtendendum fuit judicium Dei adverſus peccata, quo *obſtruitur omnium os ac totus mundus redditur Deo ὑπόδικος*, Rom. 3. v. 19. ut hac ratione miſeriam noſtram agnoſcentes ad verum animæ Medicum, Chriſtum ſcilicet, properemus. Atq; hæ ſunt potiores ſolennis iſtius promulgationis cauſæ, cum quibus reliquæ coincidunt.

τὰ προηγούμενα ſolennis promulgationis. 27. Circa promulgationem illam Decalogi conſideranda duo. 1. Promulgationis modus 2. Tabulæ Dei digito exaratæ & in promulgatione illa Moſi traditæ. Modum promulgationis ut penitiùs conſideremus, obſervanda primùm Antecedentia τὰ προηγούμενα, ad quorum conſiderationem Deus ipſe in Decalogo nos remittit, quando in primo ſtatim limine inquit: *Ego ſum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Præceſſerunt igitur promulgationem Decalogi diuturna illa Iſraelitarum ſervitus in Ægypto; horribiles decem plagæ, quibus Ægyptios Deus percuſſit, (de comparatione harum plagarum cum decem præceptis tanquam vulnerum cum medicamentis extat peculiaris liber tom. 9. oper. Auguſt. non procul à fine & ſerm. 95. de temp. tom. 10.) miranda ac ſtupenda eductio ex Ægypto per manum fortem ac brachium excelſum; diviſio maris rubri tranſitum Iſraelitico populo præbentis; columna nubis & ignis dux itineris, ſubmerſio Pharaonis ac totius exercitus ipſum ſecuti in mari rubro aquarum in Marah edulcoratio, coturnicum mirabilis advectio, murmurantium repentina deletio, mannæ inſtar roris deſcenſio, aquæ ex petra eductio, glorioſa ex Amalecitis reportata victoria. Hiſce igitur tot ac tantis prodigiis excitare Deus voluit animos Iſraelitarum ad accipiendam Decalogi doctrinam. Memoria priſtinæ ſervitutis ac præſentis libertatis debebat eos excitare ad amorem tam benefici legiſlatoris. Memoria plagarum Ægyptiacarum, ſubmerſio Pharaonis, interitus obmurmurantium timorem illis incutere debebant, ne præceptis divinis ſeſe opponerent.

28. Conſideranda inſuper τὰ περιςατικὰ, quæ in ipſa Decalogi promulgatione contigerunt, quorum diligens & accurata deſcriptio extat Exod. 19. & 20. jubetur populus per triduum priùs ſeſe ſanctificare, à congreſſu conjugali abſtinere ac veſtimenta ſua lavare, die tertio educit Moſes populum ad radices montis Sinai, quem tamen vel manu contingere ſub mortis comminatione prohibetur, in vertice montis audiuntur tonitrua & clangor buccinæ intenſiſſimus, videntur fulgura & nubes ſuper montem denſiſſima; mons ipſe fumare videtur totus eò quod ſuper ipſum Jehova in igne deſcenderat, unde univerſus mons vehementer commotus, nec minùs commoti, quotquot aderant, timore & pavore magno. Moſes ſolus verticem montis aſcendens cum Deo colloquebatur, & Deus reſpondebat ei in voce, quæ fuit tàm ſonora, ut ſexcenta millia hominum ad radicem montis conſiſtentium eam potuerint exaudire. Refert Joſeph. lib. 3. antiq. Judaic. c. 4. *Montem Sina omnium regionis ejus eſſe celſiſſimum & ob nimiam altitudinem cauteſq; præruptas non aſcenſus tantum hominum, ſed aſpectus quoq; ipſos defatigantem*; magnum igitur ac ſtupendum eſt miraculum, quòd tanta hominum multitudo, quæ ad radicem montis magnum omninò ſpacium occupavit, vocem Dei loquentis diſtinctè audire potuit. Nec ſonora ſolùm, ſed & terribilis fuit vox Dei recitantis Decalogum, inde populus expaveſcens & procul recedens Moſi dicit: *Ne loquatur nobiſcum Deus, ne fortè moriamur, tu nobiſcum loquere & obſequemur.* Pertinet etiam hoc ad circumſtantiarum conſiderationem, quòd Decalogum Deus ipſe coram toto populo recitavit, ſed reliquas Leges Judiciales & Ceremoniales Moſi in caligine nubis tradidit ad populum perferendas. Deut. 5. v. 22. & ſeq. Joſeph. dicto loco circumſtantias promulgationis ſic deſcribit: *Hebræi juxta mandatum Prophetæ motis caſtris radices montis occupant, ſuſpenſi animis quidnam boni, ita ut promiſerat, eſſet à Deo reportaturus, atque interim dùm ductorem ſuum expectant feſtos dies agebant, caſtitatem ſervantes tum in cæteris, tum abſtinendo à congreſſu mulierum per triduum, ſicut juſſi fuerant, & aſſiduis precibus Deum ſolicitantes, &c. Interim & victu ſumtuoſiore utebantur & ornatu ſplendidiore unà cum uxoribus ac liberis excolebantur, atq; in hunc modũ duabus diebus inter epulas exactis, appetente jam tertia nubes primùm præter ſolitum ſupra tota caſtra Hebræorũ ſublimis pependit, tentoria quàm latè patebant contegens, reliquũ cœlum circũ quaq; clara ſerenitate obtinente, procella deinde cum imbre vehementi ruebant & fulgura ſimul crebrò micantia terrebant, fulminaq; eliſa ſignificabant Moſen ex ſententia cum Deo propitio conveniſſe. Hebræi inſolitâ tempeſtate viſâ, ejuſq; horrendo ſtrepitu aures feriente ſupra modum turbabantur, nam & rei novitas terrebat & rumor vulgatus de monte, q; crebrò eum Deus inviſeret, quamobrem ſe continebant intra tabernacula mœſti, putantes actum de ſalute Moſi.* Hæc Joſephus, ejus deſcriptio Moſaicæ non videtur uſquequaque convenire, quam enim ſupra tota caſtra pependiſſe nubem

Joſe-

Joſephus refert, eam Moſes tantùm ſupra montem collocat. Exod.19.v.16. Quæ de victu ſumtuoſiore & cultu ſplendidiore à Joſepho attexuntur, non videntur admodum convenire deſerto, & quis potuit ſumtuoſior victus illis ſuppetere, qui de carnium atque aquæ penuria paulò antè graviter erant conqueſti?

29. Redeamus verò ad deſcriptionem Moſaicam, 1. Jubetur populus per biduum ſe ſanctiſicare, veſtimenta lavare, à congreſſu conjugali abſtinere ac tertio demùm die legis promulgationem expectare. Sanctificatio illa requirebat piam ac devotam præparationem ad audiendam legem, ſiquidem externa illa ſanctificatio internæ ſymbolum erat. Determinantur huic ſanctificationi tres dies, vel quia ternarius numerus ſacer eſt Trinitati, vel ut Scholaſtici quidam ſentiunt, tres animæ facultates denotantur ſanctificandæ. Externa veſtium ablutio erat ſymbolum interioris purgationis à vitiis, honeſtus veſtitus de ſolennitate feſti admonebat. Præceptum de abſtinentia à congreſſu maritali itidem majorem reverentiam, & attentionem in animis Iſraelitarum excitare debuit, perinde ut Apoſtolus conjuges ardentiùs oraturos ac jejunaturos ad tempus ab uſu conjugali abſtinere docet, 1. Cor. 7. verſ. 5. 2. Tertio demùm die deſcendit Jehovah verus Deus in oculis totius populi ſuper montem Sinai, deſcendit autem non locum mutando, ſed præſentiam ſuam externis ſignis manifeſtando. Hic eſt legis ſuæ autor & promulgator; qui notitiam legis mentibus hominum primitùs inſevit, idem legem ſuam in monte Sinai ſolenniter ac publicè repetivit. Num. 12. verſ. 6. dicit Deus ſe *Prophetis revelare ſuum verbum vel in viſione vel per ſomnium vel per occultam inſpirationem* Spiritus ſancti, ſed cùm Decalogum promulgaret, nullo iſtorum modorum uſus eſt, ſed ipſemet ſuâ voce coram toto populo eum recitavit. 3. Uſus autem eſt Deus in promulgatione legis miniſterio Angelorum. Actor. 7. verſ. 53. *Accepiſtis legem εἰς διαταγὰς ἀγγέλων per diſpoſitionem Angelorum.* Galat. 3. verſ. 19. *διαταγεὶς ὁ νόμος δι᾽ ἀγγέλων. Lex ordinata per Angelos*, fuerunt autem in hoc opere Angeli non autores, ſed internuncii, teſtes atque adminiſtri. Non aderant ſolùm Angeli in monte Horeb ſed & vox illa tubæ per Angelum ſonuit. Quemadmodum igitur in promulgatione illa legis miniſterium Angelorum & tubæ ſonitus fuerunt adhibita; ita in extremo die, quando executio legis inſtituetur, *ipſe DOMINUS ἐν κελεύσματι in voce Archangeli, & in tuba DEI deſcendet de cælo*, 1. Theſſ. 4. v. 16. 4. Mediator in actione illa fuit Moſes. Galat. 3. v. 19. *Lex ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris*, quod officium quomodo executus ſit Moſes, deſcribitur Exod. 19. v. 3. *Moſe aſcendit ad DEUM, vocaverat enim eum Iehovah ex monte dicendo: ſic dices domui Iacob, &c.* v. 7. *Venit itaque Moſe & vocavit ſeniores populi, propoſuitq́, eis omnia verba illa.* v. 8. *Retulit Moſes verba populi ad Iehovam.* v. 14. *Deſcendit & ſanctificavit populum.* v. 17. *Eduxit populum in montem in occurſum DEI è caſtris.* Cap. 20. v. 19. *Dixit populus Moſi: Loquere tu nobiſcum & obſequamur, & ne loquatur nobiſcum DEUS, ne fortè moriamur.* v. 21. *Stetit populus procul, Moſe autem appropinquavit ad caliginem, in qua erat DEUS.* Cap. 24. v. 12. *Dixit Iehovah ad Moſen: Aſcende ad me in montem, & eſto ibi & dabo tibi tabulas lapideas & legem atque præceptum, quæ ſcripſi ad docendum eos.* Deuter. 5. v. 4. *Dixit Moſes populo: à facie ad faciem locutus eſt Iehovah vobiſcum in monte, è medio ignis.* v. 5. *Ego verò ſtabam inter Iehovam & vos eo tempore, ut renunciarem vobis verbum Iehovæ, timebatis enim à facie Iehovæ, & non aſcendiſtis in montem.* Moſes igitur Mediator fuit in hac actione promulgationem Legis priùs denunciando, promiſſum populi ad DEUM referendo, populum ſanctificando: eundemque in occurſum DEI ducendo, montem aſcendendo ac tabulas legis accipiendo, Ceremoniales & judiciales leges ex ore Dei referendo, &c. ** *Cauſa efficiens legis divinæ eſt vel principalis vel adminiſtra. Illa eſt ipſe DEUS* Exod. 19. v. 9. cap. 20. v. 1. Jac. 4. v. 12. Deut. 5. v. 22. *Adminiſtra eſt vel inferior vel ſuperior. Superior cauſa adminiſtra ſunt Angeli* Act. 7. verſ. 53. Galat. 3. v. 19. Heb. 2. v. 2. *non ut legis autores ſed ut internuncii, miniſtri, executores in promulgatione legis, præpoſitio enim διὰ geminata in διαταγεὶς & δι᾽ ἀγγέλων miniſterii & inſtrumenti indubium eſt indicium. Inferior eſt Moſes* Joh. 1. v. 18. Gal. 3. verſ. 19. *Lex ordinata eſt per Angelos in manu Mediatoris.* Athanaſ. Chryſoſt. *& quidam ex recentioribus per μεσίτην intelligunt ipſum Chriſtum, ſed Epiphan. quam Manich. & Lutherus rectius de Moſe V. T. Mediatore accipiunt, quippe qui fuit ſequeſter & medius inter Deum & Iſraelitas quoad annunciationem.* Deut. 5. v. 5. & 27. *ac dicitur ἐν χειρὶ quâ loquendi formulâ opera ac miniſteriũ ſignificari ſolet & quidem ita ut internuncius hic tanquam inferior Angelis, ab iis acceptas leges ad Iudæos detulerit. De Moſe autem hoc intelligendũ eſſe, ipſa promulgationis Hiſtoria* Deut. 5. v. 5. & 27. Ex. 32. v. 15. c. 34. v. 29. *evincit.* Bacmeiſt. *Q. Cur non prius lex repetita?* Reſp. quia nõ voluit, cujus voluntatis duæ poſſunt adduci rationes. 1. quia Deus præcipuè poſt lapſum ab imperfecto ad perfectius progredi ſolet v. gr. prius promiſit Meſſiam, poſtea typis exhibuit, denique in carne manifeſtavit. Sic prius legem Naturæ, deinde verbo ſine ſcriptura, poſtea eandem luculentiſſimè deſcriptam tradidit. 2. quod perfecta lex populo ex ſemine Abrahæ naſcituro erat deputata non prius autem erat populus & liber populus, ut propriis legibus uti poſſet.** 5. Quare tonitrua, fulgura, clangor buccinæ, ignis, fumus, lampades, &c. fuerint in promulgatione adhibita, ejus rei cauſam exponit Moſes Exod. 20. verſ. 20. *Ut tentaret vos, venit Deus, & ut ſit timor ejus ante conſpectum veſtrum, ut non peccetis. Lex iram operatur in hac corrupta Natura.* Rom. 4. verſ. 15. In cujus rei ſignum tremenda illa ac terribilia ſigna fuerunt adhibita. Lex vetus fuit *lex timoris*, Lex nova dicitur *lex amoris* à Scholaſticis, quò pertinet collatio Pentecoſtes in Vet. & Nov. Teſt. quam inſtituit Pſalmus 68. v. 8. & ſeqq. D. Chemn. in Harm. cap. 51. pag. 288. *In Vet. Teſt. tam terribilis erat promulgatio legis, ut populus non poſſet in montem aſcendere, ſed clamabat, vocem illam non poſſumus audire: quando autem in N. T. Chriſtus explicat legem addens ſuam impletionem, ſive quando*

Evan-

Evangelium utitur miniſterio legis addens ei ſuam ἐπιείκειαν, tunc turba in ipſum montem, ubi Chriſtus legem explicat, aſcendunt & de efficacia doctrinæ ejus mirantur. Per clangorem illum buccinæ quidam intelligunt ipſa tonitrua continuato ſono clangorem buccinæ imitantia, quò referunt, quod de ἐσχάτῃ σάλπιγγι ſcribit Apoſtolus 1. Corinth. 15. verſ. 52. 1. Theſſ. 4. v. 16. ſed cùm diſtinctam tonitruum & clangoris hujus mentionem faciat Moyſes, ac ſonitum buccinæ magis magiſque auctum fuiſſe referat, præſtat κατὰ τὸ ῥητὸν hunc clangorem accipere, quòd miniſterio Angelorum fuerit editus. Judæi ridiculam proponunt fabulam, quod *clangor iſte factus fuerit in cornu accepto de ariete, qui pro Iſaaco olim immolatus.* Exod. 19. v. 13. dicitur, *Cùm cœperit clangere buccina, tunc aſcendent in montem,* id videtur contrarium prædictis, in quibus prohibentur aſcendere in montem, adeoque etiam ab ejus contactu jubentur abſtinere. Quidam igitur agnoſcunt hìc ſynecdochen, aſcendent in montem, hoc eſt, ad radices montis. Rab. Salomon ſic exponit: *Erat quidam modus clangendi protenſus & erat ſignum receſſus Deitatis de monte, & per hoc erat ipſis data poteſtas tranſiliendi conſtitutos terminos & aſcendendi in montem.* Sed ex ipſo textu ſimpliciſſima peti poteſt interpretatio *Cùm cœperit clangere buccina aſcendent* בָּהָר Bhahár, *ad montem* non autem in montem, aliqualis igitur ad montem acceſſus concedebatur protracto longiùs buccinæ ſono, ubi myſticè ſignificatum, tùm ad Deum propiorem nobis patere aditum, cùm vox Evangelii diffuſa & protracta toti orbi innotuit. 6. In ſummo montis vertice apparuit ignis, in quo deſcendit Jehova Exod. 19. verſ. 18. ex cujus medio Deus locutus eſt cum Iſraelitis, Deut. 5. verſ. 4. huic quodammodo adverſari videtur, quòd dicit Deus ſe venturum in denſitate nubis, Exod. 19. verſ. 9. ac quòd Moſes dicitur appropinquaſſe ad caliginem, in qua erat Deus, Exod. 20. v. 21. dicendum, quòd in medio denſæ ac caliginoſæ nubis fuerit ignis, divinæ præſentiæ ſymbolum, è cujus medio Deus locutus dicitur, Exod. 24. verſ. 16. & 17. Beda in cap. 24. Exod. *Lex in monte datur, ut ex altitudine loci colligatur, quam excelſa, quámve ab humanis doctrinis ſecreta ſit lex, quam Moſes accepit.* Fumus impiorum legi rebellantium interitum, motus montis tremorem conſcientiæ notat. Denſa illa ac caliginoſa nubes in monte typus fuit miniſterii Vet. Teſt. in quo Deus myſterium ſalutis de Chriſto involucris umbrarum abſcondit, poteſt etiam generalis commonefactio eſſe, quòd in hac vita per ſpeculum in ænigmate videamus. 1. Cor. 13. verſ. 12. involvit ſe Deus nubi verbi, & Sacramentorum. Ignis ſignificabat, Deum eſſe ignem conſumentem. Deut. 4. verſ. 24. Heb. 12. verſ. 29. Vindicibus flammis ſibi qui contraria delet, ipſeque juſtitiæ regula ſola manet. Deut. 4. verſ. 36. Vocatur ignis ille *magnus*, cujus puritas ac ſplendor partim ſummam Dei perfectionem & ſanctitatem, partim verò Zelum adumbravit, deſcribitur enim ut ignis fumans, montem accendens, fulgura excitans & in terrorem conjiciens. Sed in Pentecoſte N. T. apparet ignis fumo carens, ſublatâ ſcilicet per Chriſti ſacrificium Dei irâ: ignis iſte acuit Apoſtolorum linguas, ut concione Evangelii corda hominum penetrarent. Act. 2. v. 3. per hunc ignem corda illuminantur, amore Dei accenduntur, Spiritus fervore inflammantur, à peccati ſordibus expurgantur, à connata duritie liberantur, & ad radios bonorum operum ſpargendos præparantur. Cogitandum hìc relinquo piis mentibus, an non columna ignis & nubis per deſertum Iſraelitas deducens fuerit perpetuum memoriale hujus promulgationis, in qua Deus itidem in nube & igne apparuerat? 7. Denique prohibetur populus montem contingere, nedum aſcendere. Exod. 19. v. 12. *Conſtitues terminum populo per circuitum montis & dices ad eos: Cavete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* (Et quantum ſupplicium ſumetur de tanta temeritate) *non tanget transgreſſorem illum manus hominis, ſed lapidibus opprimetur, aut jaculis eminus confodietur, ſive jumentum fuerit, ſive homo, non vivet.* v. 21. *Conteſtare populum*, hoc eſt, ſeriò prohibe, *ne fortè tranſcendere velit terminos, ut videant & pereant ex eis plurimi.* Prohibitio illa itidem ſpectabat ad reverentiam in animis Iſraelitarum excitandam, temeritatem contrà cohibendam. Sed & nos ſcripturæ terminis in hac vita contenti ſimus, ne rationis cœcæ ductum ſecuti in adita divinæ majeſtatis irrumpere conemur, quod foret τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν & præfixos limites tranſilire.

30. Reſtant circa promulgationis modum conſideranda τὰ ἑπόμενα quænam miracula ſolennem illam legis promulgationem ſint ſecuta, utpote quòd *Moſes denuò in montem aſcendit ac per quadraginta dies & quadraginta noctes in eo commoratus eſt, panem non comedens, & aquam non bibens*, Exod. 24. v. 18. Deuter. 9. v. 9. *quòd per integros quadraginta annos Deus populum Iſraeliticum in deſerto circumduxit, ut tentaret eum, ac ſciret quid in corde ſuo haberet, utrum obſervare velit præcepta ejus, an ſecus* Deut. 18. v. 2. *quòd veſtimenta ipſorum toto illo tempore non ſint attrita, nec calcei vetuſtate conſumti, nec pedes ex continuis illis profectionibus intumuerunt.* verſ. 4. *quod in promiſſam tandem terram melle ac lacte fluentem Iſraelitæ ſunt introducti.* verſ. 7. quibus omnibus ac ſingulis bonitatem, potentiam ac majeſtatem ſuam populo ſuo Deus teſtatum voluit facere atque ad legis obſervationem eos invitare. τὰ ἑπόμενα.

31. Expoſito promulgationis modo intueamur tabulas, quibus Decalogus fuit inſcriptus. 1. Cauſæ efficientis ratione fuerunt hæ tabulæ מַעֲשֵׂה אֱלֹהִים Maaſéh Elohim *factura* vel *opus Dei*, ex quo intelligitur miraculosè tabulas iſtas à Deo ipſo fuiſſe formatas, disertè enim non ſolùm ſcriptura ſed & factura iſtarum tabularum Deo tribuitur. Exod. 32. verſ. 16. *Et tabulæ opus Dei erant, ſcriptura quoque ſcriptura Dei erat tabulis illis inſculpta.* Sed tabulas iſtas Moſes de monte deſcendens ac propter idololatriam populi excandeſcens è manibus ſuis abjecit, eaſdemque ſub monte confregit v. 19. ideò jubetur alias duas tabulas dolare prioribus ſimiles, quibus verba legis à Deo ſunt inſcripta, Exod. 34. verſ. 1. Auguſt. lib. 2. quæſt. in Exodum q. 144. in hac colliſione tabularum figuratam fuiſſe ſcribit iterationem N. T. quoniam vetus fuerat abolendum & conſtituendum novum q. 166. *Magna hic oritur quæſtio, quomodo illæ tabulæ, quas erat* Tabulæ Decalogi dicuntur opus Dei.

Moſes

Moſes Deo utique præſciente facturus, non hominis opus dicantur eſſe, ſed Dei: nec ab homine ſcripta, ſed ſcripta digito Dei. Poſteriores verò tabulæ tamdiu manſuræ & in tabernaculo ac templo Dei futuræ jubente quidem Deo tàm ab homine exciſæ ſint, quàm ab homine ſcriptæ. An fortè in illis prioribus gratia Dei ſignificabatur, non hominis opus, quâ gratiâ indigni facti ſunt revertentes corde in Ægyptum & facientes idolum, unde illo beneficio privati ſunt & propterea Moſes tabulas fregit. Iſtis verò tabulis poſterioribus ſignificati ſunt, qui de ſuis operibus gloriantur, & ideò tabulæ humano opere exculta & humano opere conſcripta data ſunt, quæ cum ipſis manerent, ad eos ſignificandos de ſuis operibus gloriaturos non de digito Dei, hoc eſt, de ſpiritu Dei, &c. In prioribus illis vetus ſignificatum eſt Teſtamentum, quia Deus ibi præcepit, ſed homo non fecit; In ſecundis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas fecit atq; conſcripſit, quia Novi Teſtamenti caritas legem fecit.

Fuerunt lapideæ.

32. Secundò ratione materiæ dicuntur lapideæ Exod. 24. v. 12. c. 31. v. 18. &c. לֻחֹת הָאֶבֶן *luchóth haæbhan*, tabulæ lapidum לוּחַ *luach*, tabula à levitate אֶבֶן *abhan*, Forſterus exiſtimat deſcendere à radice בָּנָה *Banah*, ædificavit, propterea quòd ex lapidibus varia extruantur ædificia. Rabini dicunt, ex Sapphiro eas fuiſſe factas. Gloſſ. interlin. *Lex eſt in tabulis lapideis ſcripta, quia fortibus fixa intentione cuſtodienda, quorum exempla cum nobis imitanda proponuntur, quaſi ſcripta in lapide lex oſtenditur.* Convenientiùs dicitur, denotari legis divinæ in lapideis tabulis expreſſæ rigorem ac perpetuitatem Matth. 5. verſ. 18. *Donec tranſeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Itemque cordis humani contumaciam, quòd naturâ eſt lapideum, Ezech. 36. verſ. 26. Pertinet hûc, quòd Joſua repetitionem legis coram populo Iſraëlitico inſtituens, lapidem magnum ſtatuit ſubter quercum, quæ erat in ſanctuario Jehovæ, & dicit ad populum univerſum: *En lapis iſte erit in teſtimonium, ipſe enim audivit omnia verba Iehovæ, quæ locutus eſt nobiſcum*, Joſ. 24. v. 26. & 27. nimirum voluit eos commonefacere lapidearum tabularum, quibus lex Dei inſcripta erat. Paulus 2. Cor. 3. verſ. 3. Eleganti oppoſitione renatos vocat Epiſtolam Chriſti ſcriptam non atramento, ſed ſpiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus, nimirum quia Spiritus Dei legem ſcribit in corda renatorum, ac dat vires præſtandi ea, quæ in legis litera præſcribuntur; abſque hoc Dei ſpiritu lex & tabulæ illæ lapideæ manent litera mortua imò occidens, unde v. 7. Apoſtolus eam vocat διακονίαν τοῦ θανάτου ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένην ἐν λίθοις. Lapideæ illæ legis tabulæ non conferent nobis ſalutem & vitam (ſiquidem infirmitas & corruptio carnis noſtræ perfectam obœdientiam remoratur) accedendum igitur verâ fide ad lapidem illum benedictum in Eccleſia, ad precioſum illum lapidem, quem in Sion poſuit Deus, Eſa. 28. v. 16. Dan. 2. v. 45. 1. Petr. 2. v. 4. &c.

Dei digito ſcripta.

33. Tertiò ratione formæ dicuntur hæ tabulæ ſcriptæ Dei digito Exod. 31. v. 18. Deuter. 9. v. 10. unde diſertè additur Exod. 32. v. 16. *Tabulæ opus Dei erant, & ſcriptura erat Dei ſcriptura tabulis inſculpta.* Moſes utitur vocibus. כָּתַב Cathábh, *ſcripſit* & חָרַת Chaváth *ſculpſit*, quæ

poſterior vox alibi in tota ſcriptura non invenitur, Apoſtolus 2. Cor. 3. v. 7. pulcerrimè dicit legem ἐντετυπωμένην q. d. typis expreſſam & impreſſam in tabulis. Sed incorporeus Deus quomodo potuit digito ſcribere? Reſp. 1. cœleſti & ineffabili modo fuerunt à Deo ipſo characteres literarũ in illis tabulis formati. ** *Digito Dei fuerunt ſcripta*, i. e. Opere Dei, ab ipſo Deo non ab homine vel Angelo. *Digitus Dei* ſignificat Dei omnipotentiam Exod. 8. v. 19. Luc. 11. v. 20. Senſus igitur eſt, quod operatione Dei immediata ſine Angelorum miniſterio lex duabus tabulis ſit impreſſa, Dei enim dicere eſt facere Pſalm. 115. v. 3. Pſal. 33. v. 9. ** 2. Filius Dei in plenitudine temporis aſſumturus erat veram humanam naturam, quo reſpectu *digitum Deo* ſcriptura tribuit. In ipſa promulgatione Decalogi Deus de Deo, h. e. Filius de Patre loquitur Exod. 19. v. 10. & 11. cap. 34. v. 5. & 6. 3. Digitus Dei eſt Spir. Sanct. ut intelligitur ex collatione Matt. 12. v. 27. cum Luc. 11. v. 20. ſignificatur igitur legem Dei per Spiritum ſanctum cordibus noſtris per prædicationem Evangelii inſcribi oportere, Jer. 31. v. 33. ut ſpontaneam Deo ac legi ipſius obœdientiam præſtare incipiamus. Auguſt. 16. de civ. Dei cap. 43. *Lex data eſt quinquageſimo die poſt celebratum paſcha per ovis immolationem, quæ uſq; adeo typus Chriſti eſt, prænuncians eum per victimam paſſionis de hoc mundo tranſiturũ ad patrem. Paſcha quippe Hebræâ linguâ tranſitus interpretatur, ut jam cùm revelaretur Teſtamentum novum, Poſteaquam Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, quinquageſimo die veniret de cœlo Spiritus ſanctus, qui dictus eſt in Evangelio digitus Dei, ut recordationem noſtram in primis præfigurati facti memoriam revocaret, quia & legis illæ tabulæ digito Dei ſcriptæ referuntur.*

Ex utroq; latere.

34. Quartò ad formam harum tabularum pertinet etiam hoc, quòd dicuntur ſcriptæ מִשְּׁנֵי עֶבְרֵיהֶם miſchen æbhrehæm, *ex utroque latere earum*, ut Pagninus vertit, vel ut Förſterus *in duobus tranſitibus* ſeu *lateribus ſuis*, quòd clariùs ſic exponitur: מִצֶּה וּמִצֶּה הֵם כְּתֻבִים Miſſe umiſſe hem cetucim, *hinc & inde erant ſcriptæ* Exod. 32. v. 15. ** *Quidam ex Hebræis volunt, verba in una tantũ parte fuiſſe ſcripta, ſed in altera quoque parte legi potuiſſe, quodam miraculo. Alii ſtatuunt, eadem verba in utraque parte fuiſſe ſcripta, ita ut utrinque in tabulis extiterint præcepta DEI. Ad verbum in Hebræo eſt. Et fuerunt tabulæ illæ ſcriptæ in duabus ſuperficiebus ſuis, hinc & hinc erant ſcriptæ. Vulg. ſcriptæ ex utraque parte. Ergo tabulæ Decalogi ex utraque parte exaratæ & repletæ fuerũt Scripturâ decem præceptorũ.* Fag. Ex. 32. ** Rab. Salom. dicit, quòd *erat ibi unica ſcriptura, quæ tamen erat legibilis indifferenter ex una parte ſicut ex altera, quod erat mirabile; quia litera ex una parte figurata ordine recto, in parte oppoſita apparet ejus figura modo oppoſito.* Lyranus monet abſque miraculo tali poſſe dici, *quod literæ fuerint duplices, ita quod præcepta fuerint ſculpta ex una parte & ſimiliter ex altera.* Münſterus vertit: *Fuerũt tabulæ illæ ſcriptæ in duabꝰ ſuperficieb. ſuis.* עֵבֶר eber, ſignificat propriè *tranſitũ*, ex quo fortè deſcendit Germanicum über/ ergò quòd tabulæ dicuntur in duobꝰ tranſitibꝰ ſcriptæ, id intelligendum vel diſtributivè, quòd utrumq; latus cuiq; tabulæ fuerit ſcriptum, vel collectivè; quod ſcriptura unius tabulæ ex oppoſito reſponderit ſcripturæ

alterius tabulæ, ſed prior interpretatio videtur ad textum propius accedere.

Tabulæ duæ.

35. Quintò ratione numeri fuerunt שְׁנֵי לֻחֹת *Schenéh luchóth*, duæ tabulæ. Placuit enim ſapientiſſimo Legiſlatori præcepta non in unam, ſed duas diſtinctas referre tabulas, cùm de dilectione DEI & proximi diſtinctè in illis præcipiatur. Inde eſt, quòd Chriſtus hoc vocat *primum & ſecundum præceptum*, quod Moſes appellat *primam & ſecundam tabulam*. Matthæi 22. verſ. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, verſ. 38. *hoc eſt maximum & primum præceptum*, verſ. 39. *ſecundum autem eſt ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum*, nimirum quia primæ tabulæ præcepta agunt de dilectione DEI, præcepta ſecundæ tabulæ de dilectione proximi. Lyra binarium tabularum numerum ſic explicat, quòd per illum denotetur intellectus & affectus hominis, in quibus lex nova ſcribatur per fidem & caritatem opere Spiritus ſancti. Nec abſurdè dici poſſet, duabus legis tabulis ſignificari, quòd animæ ac corporis ſanctimoniam interiorem atque exteriorem obœdientiam in lege ſua Deus à nobis requirat. Beda in cap. 20. Exodi: *In duabus tabulis ſcripta eſt lex propter duo Teſtamenta, vel propter amorem Dei & proximi.* Quæ verò ac quot præcepta cuique tabulæ aſſignanda ſint, dicetur poſteà.

Dicuntur tabulæ teſtimonii & fœderis.

36. Sextò ratione finis tabulæ Decalogi dicuntur לֻחֹת הָעֵדֻת luchóth haeduth, *tabulæ teſtimonii* Exod. 31. verſ. 18. cap. 32. verſ. 15. cap. 34. verſ. 29. &c. nimirum quia voce legis teſtantur de voluntate DEI, de judicio DEI adverſ. peccata, de beneficiis Dei populo Iſraelitico exhibitis. Deut. 4. v. 7. *quæ eſt gens ita magna, cui ſint dii propinqui, ſicut eſt Iehovah Deus noſter? & quæ eſt gens ita magna, cui ſint ſtatuta & judicia iſta, ſicut eſt univerſa lex iſta, quam do corā vobis hodie?* Dicuntur etiā לֻחֹת הַבְּרִית luchóth habberith, tabulæ fœderis, nimirū quia inſcripta illis fuerūt verba fœderis, q. iniit Deus cum populo ſuo Ex. 34. v. 28. cujus ſolēnis conſecratio deſcribitur Ex. 24. v. 6. & ſeqq. ubi Moſes librū fœderis, legit in auribus populi, & ſanguine ſacrificiorū, cujus dimidium ſuper altare ſparſerat, populū poſt factā obœdiētiæ pollicitationē aſpergit, dicēs: *En ſanguis fœderis, q. pepigit Iehova vobiſcū ſuper omnib. iſtis rebꝰ.*

Quid de illis tandem factū.

37. Deniq; ratione durationis conſiderandū, quid de his tabulis tandem factum, ac quamdiu fuerint aſſervatæ. Juſſu ipſius Dei repoſitæ primùm ſunt in arcam fœderis Ex. 40. v. 20. Deut. 10. v. 5. cujꝰ arcæ deſcriptio extat Exod. 25 v. 10. & ſeqq. cum qua & in qua poſtea in tabernaculū ſunt introductæ Exod. 40. v. 21. extructo Salomonis templo arca & tabulæ fœderis in ea aſſervatæ translatę ſunt in partem templi interiorem, ſanctum Sanctorum dictam. 1. Reg. 8. v. 6. fuiſſe enim eo tempore tabulas fœderis adhuc in arca ſuperſtites disertè additur v. 9. & repetitur 2. Paral. 5. v. 10. Ergo in templo Salomonis unà cum arca adhuc ſuperſtites erant Decalogi tabulæ, ſed in templo ſecundo à Zorobabel extructo, quod Hag. 2. v. 10. בַּיִת הָאַחֲרוֹן Báith haacharón, domus poſterior dicitur, eas fuiſſe ipſimet RABINI negant. Tractatus eſt in opere Thalmudico, qui vocatur Maſſecheth Joma, ibi ſcribitur, *Quinq; res adfuiſſe templo primo, quæ defuerunt templo ſecundo, videl. Arcam, Urim & Thummim, ignem cœleſtem, præſentiam divinitatis, quam* שְׁכִינָה *vocant & Spiritum S.* Eadem referuntur in ſcholiis Dav. Kimhi & Salomonis Jarii ad caput Haggæi ſecundum; monendum tamē per Spir. Sanctum ipſos intelligere Spir. Propheticū, qui poſt Malachiam deſiit, aliàs Sp. S. ſemper adeſt Eccleſiæ. Joſeph. lib. 3. antiq. Judaic. cap. 9. de Urim & Thummim (ipſe nominat Eſſena) ſcribit, deſiiſſe ducentis annis antequā hiſtoriam illam commentaretur, irato nimirum Deo propter legum ſuarū prævaricationem. Natus autē eſt Joſephus anno primo imperii Caii Cæſaris, Chriſti trigeſimo nono, mundi quater milleſimo & uno, quā ratione etiā in ſecundo templo fuiſſet Urim & Thummim; ſed fides Joſephi hîc videtur vacillare, prę terquam n. quod Kimchi & Salomo diverſum, uti dictum, teſtantur, refertur in libro Hananeels Gorionidi dicto cap. 5. fol. 17. col. 4. quòd Jaddus Hebræorum Pontifex, is ſcilicet, qui Alexandrum Macedonem excepit, cùm ab eo rogaretur ut lumen iſtud conſuleret cogniturus ex eo de eventu belli Perſici, reſponderit in hæc verba. *A die, quo domus iſta deportata eſt in Babyloniam, abſcōdita fuerūt ab ea Urim & Thummim.* Vide doctiſſ. Druſium lib. 15. obſervationū cap. 13. p. 355. De arca ſcribit Joſephꝰ Ben Gorion, occultatam eam eſſe à Jeremia in ſpelunca quadam montis Nabo, in quo monte olim Dei poſſeſſionem, h. e. terram ſanctam aſpexerat, quibus conſentanea referuntur. 2. Maccab. 2. v. 4. & ſeqq. *Erat in illa ſcriptura* (in libro de rebus geſtis Jeremiæ) *annotatum, quomodo tabernaculum Domini & arcā juſſit Propheta oraculo divino accepto ſecum aſportari uſq; in montem, in quo Moſes aſcendit & vidit Dei hereditatem & veniens Ieremias invenit locū ſpeluncæ ideo & tabernaculum & arcam & altare incenſi intulit, illuc & oſtium obſtruxit. Et acceſſerunt quidam ſimul qui ſequebantur, ut notarent ſibi locum & non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Ieremias, culpans illos dixit, quòd ignotus futurus ſit locus, donec congreget DEUS populi congregationem, tunc Dominus oſtendet hæc.* Sed figmenta illa relinquenda ſunt Judęis, neque enim in veris ac genuinis Jeremiæ ſcriptis, nec in Eſra quicquam tale continetur. Fuit Jeremias in carcere detentus uſq; ad urbis excidium. Jer. 38. v. 28. auferre igitur & abſcondere arcam non potuit ſtante adhuc templo ac civitate, ſed nec ſacerdotes id permiſiſſent: captâ a. civitate Chaldæi templum incenderunt, pretioſis omnibus ſive aureis ſive argēteis direptis 2 Reg. 25. v. 9. 13. 15. Jer. 52. v. 19 quis credat arcæ, quæ auro obducta erat tota, eos pepercisse? Et ſi poſt reditum Iſraëlitarum ex Babylonica captivitate arca iterum fuiſſet inventa juxta hāc ψευδώνυμον Propheticam, quomodo ab ipſis Rabinis in ſecundo templo ſuperſtes negatur? Frivolum eſt, q. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 15. ſtatuit de converſione illa Judęorum, quę paulò ante mundi finem futura eſt, vaticiniū intelligendum audiat ille verum veri Jeremiæ vaticinium, cap. 3. v. 16. *Cum multiplicati fueritis & creveritis in terra, (hoc eſt, cum multiplicata fuerit Chriſti Eccleſia) in diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra. Arca Teſtamenti nobiſcū eſt, neq; aſcendet ſuper cor eorum, nec recordabuntur quidē illius, nec fiet ultra, non reparabitur, non erit ultrà talis arca.* Quas difficultates cùm non poſſet Lyranus tollere in eom. 2. Macc. 2. rectè fatetur librum illum à multis reputari multùm Apocryphum. In N. T. habemus verum propitiatorium Deum, &

ſpiritu

ſpiritu ſcribitur lex DEI in corde credentium: periit igitur DEI voluntate typicum propitiatorium, perierunt tabulæ lapideæ, Periit antiquati fœderis arca; veniente corpore ceſſārūt umbræ.

Quæ præcepta ad quamque tabulam pertineant.

38. Quoniam igitur ſapientiſſimo Nomothetę placuit, non uni, ſed duab. diſtinctis tabulis præcepta legis ſuæ inſeribere, age porrò conſideremꝰ quæ & quot præcepta cuiq; tabulæ fuerint inſcripta. Certū h. e. & extra omnem dubitationis aleam poſitū, non plura nec pauciora, quàm decem præcepta tabulis iſtis Dei manu inſculpta fuiſſe; inde n. dicuntur decem verba ſive ſententię Ex. 34. v. 28. &c. Unde non abſurdè quidā legem hoc modo deſcribunt, ꝙ ſit Dei ſapientia decem verbis comprehenſa: certū & hoc ϗ ἀναμφίλεκτον, utramq; tabulā Decalogi in ſe deſcripti fuiſſe ϑοχεῖον ϗ ταμεῖον, ſed quę ac quot pręcepta in utraq; tabulā conſignata fuerint, de eo variant Scriptorum veterū ac recentiorū ſententiæ. Quidam n. primę tabulę aſſignant quinq;, quidam verò quatuor, quidam tantùm tria præcepta. Quinq; præcepta primæ tabulæ aſſignat Joſephus lib. 3. antiq. Jud. c. 4. *Profert Moſes duas tabulas continētes decem præcepta inſcripta in ſingulis quina*; lib. ejuſd. c. 6. addit *in ſingulis paginis, i. e. in ſingulis cujusq; tabulæ facieb. extitiſſe δύο ϗ ἥμισυ, duo integra præcepta cum dimidio.* Eadem eſt ſententia Philonis lib. de Decalogo p. 477. *Decem cùm ſint, in quina dividuntur* (præcepta) *inſcripta duabus tabulis, prior quinariō habetur potior, ſecundō inferior.* Lyranus in c. 32. Exodi dicit *Joſephum & Philonem ſequi Doctores Hebræos*, ubi etiā ſchema hujus diviſionis proponit. Quid ꝙ Irenæꝰ ea quæ numero quinario comprehenduntur colligens manifeſtè dicit lib. 2. c. 42, p. 142. *Unaquæq; tabula, quā Moſes accepit a Deo, præcepta habebat quinq; quā in parte Iudæorum traditionem ſequitur*, ut rectè monet Galaſius in annot. Sed hac ratione præceptum de honorandis parentibꝰ aſſignabitur primæ tabulæ, cùm tamen pertineat ad dilectionem proximi, ac proinde ad ſecundam tabulam, quod manifeſtè oſtendit Chriſtꝰ, quandò Matt. 22. v. 37 & 39. *primum præceptum eſſe*, ait, *Diliges Dominū Deum tuum ex toto corde &c. ſecundum vero diliges proximū tuum ſicut teipſum.* Quod Moſes vocat primam tabulam, id Chriſto dicitur primum præceptum de dilectione Dei, ex quo colligimꝰ, docente Chriſto in prima tabula fuiſſe ſcripta illa præcepta, quibꝰ im̄ediatè cum Deo agimus: quod Moſes vocat ſecundam tabulam, id Chriſto dicitur ſecundum præceptū de dilectione proximi, ex quo colligimꝰ in ſecunda tabula conſignata extitiſſe ea pręcepta, quibus immediatè cum proximo agimus. Adde quòd D. Apoſtolus Epheſ. 6. v. 2. ſcribit, Præceptum de honorandis parentib. eſſe primū in promiſſione, ꝙ neceſſariò hoc ſenſu accipiendum eſt, præceptum illud de honore parentum eſſe primum in ſecunda tabula, ſiquidē primæ tabulę præceptis manifeſtè addita eſt promiſſio: *Ego ſum Deus faciens miſericordiam in mille generationes, his qui diligunt me, &c.*

An quinq; præcepta ad primā tabulam pertineant.

39. Convenit igitur inter pleroſque Chriſtianos ſcriptores, quòd primæ tabulæ aſſignāda ſint præcepta de dilectione Dei, ſecundæ verò pręcepta de dilectione proximi; & vel ex eo colligi poteſt (ait doctiſſ. & incomparabilis Theologus Dn. Chemn. loc. de lege c. 7. p. 73.) quàm miſerè extincta fuerit lux doctrinæ apud Judæos etiā in parvis rebus. Inconſideratè a. quidam recentiores ſcriptores Joſepho ac Philoni accenſent illos ex veteribus, qui præceptum de Sabbato quartū eſſe volunt; quamvis n. hac in parte Joſepho ac Philoni aſſentiantur, primæ tamen tabulæ neutiquam quinq; præcepta tribuunt, quâ in re manifeſtè à Rabinis diſſentiunt. Quidni verò diſſentiant, cùm divisionis illius, quā primæ tabulæ ea ſolùm aſſignantur præcepta, quæ de dilectione Dei agunt, ſecundæ tantùm ea, quæ de dilectione proximi, ſint manifeſta in N. T. fundamenta & uſus ejus longè maximus. Oportet Deo magis obœdire quàm hominibus, dicunt Apoſtoli, Act. 5. v. 29. Si quis non odit patrem, uxorem, filios & animā ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus, ait Chriſtus Luc. 14. v. 26. ex quibus dictis extructæ ſunt regulę Theologicæ. Obœdientia primę tabulæ derogat ſecundæ, quando utriq; ſimul nō poteſt obſequium exhiberi. Primum mandatum majus eſt ſecundo. Obœdientia ſecundæ tabulæ non habet locum ſine obœdientia primæ tabulę, h. e. non placet Deo qualiſcunq; externa obœdientia præceptis ſecundæ tabulæ exhibita, ſine interiori cultu, ſine vera agnitione, timore ac dilectione Dei, quæ in prima tabula requiruntur. Hę regulæ nec intelliguntur nec locum amplius habent, ſi primæ tabulæ aſſignetur præceptum de honore parentum.

An præfatio Decalogi conſtituat peculiare præceptum.

40. Eorum qui præcepta primæ tabulæ debita, quaternario numero complectūtur, duæ poſſunt conſtitui claſſes. Prima eſt eorū, quibus pręfatio Decalogi, *Ego ſum Dominus Deus tuus*, &c. eſt præceptū primum, de non habendis diis alienis, ſecundum de non aſſumendo Dei nomine in vanum, tertium, de Sabbatho ſanctificādo quartum. Hāc diviſionem amplectitur Philo lib. Antiq. Bibl. fol. 12. ita enim Decalogum ibi recitat: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxit te de terra Ægypti. Deos ſculptiles non facies tibi, nec facies omne abominamentum Solis & Lunæ, nec omnium quæ ſunt ſupra terram, nec eorum, quæ repunt in aquis, Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes, &c. Non accipies nomē Domini Dei tui in vanum. Conſerva diē Sabbathi, &c.* Hæc Philoni quatuor ſunt præcepta, qui Deos alienos & ſculptiles uno, videl. ſecundo prohiberi Præcepto autumat. Obſerva a. Philonis ſententiam hîc allegari, non ꝙ hæc quatuor tantùm præcepta primæ tabulæ aſſignet, (ꝙ faciūt Chriſtiani, qui hanc diviſionē amplectuntur) ſiquidem uti dictum quinq; præcepta primæ tabulæ cum reliquis Judæis tribuit, ſed quia præfationem Decalogi pro peculiari pręcepto agnoſcit. Philonem hac in parte ſequi videtur, Athanaſius in ſynopſi ſcript. tom. 2. edit. Com̄el. p. 67. περιέχει τοῦτο τὸ βιβλίον (Exodus) τὰς ἐν πλαξὶ δέκα ἐντολὰς ταύτας, πρώτην, ἐγώ εἰμι κύριος ὁ θεός σου· δευτέραν, οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα· τρίτην, οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ, τετάρτην μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων. Temporibus Cyrilli eandem diſtinctionem fuiſſe uſitatam apparet ex 5. ipſius libro contra Julianum, ubi Julianus ſic loquitur. *Scribantur ſuis verbis ſingula mandata, quæ ab ipſo Deo Moſes conſcripta dicit: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Secundū poſthoc, Non erunt tibi Dii alieni præter me, non facies tibi ſimulachrum, &c. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Quamvis verò hæc ſint Juliani verba, tamen Cyrillus hāc diviſionem diſertè non rejicit. Enumerationem iſtam ſequuntur etiam Hieronymus in

c.16. Oſeæ, ac Heſychius in c.26. Lev. referente Thom. 1. 2. q. 100. Ex recentioribus hanc diviſionem amplectitur Petrus Martyr claſſ. 2. locor. comm. c.17. fol. 376. *Ego utrumq; puto ad idem pertinere præceptum, q. non ſint habendi Dii alieni, & quod non ſit faciendum ſculptile. Primum autē mandatū eſſe arbitror, quod q. procemii loco ceteris præponitur. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Nam his verbis ſancitur, ut illum pro vero Deo habeamus, ne autē eum putaremus una cum aliis Diis colendū eſſe, ſtatim adjunctū eſt ſecundū præceptū, quo Deos alienos & ſculptilia & imagines colere prohibemur.* Martyrem ſequitur Solinius in Diſp. de primo & ſecundo præcepto in opere theſium fol. 167. *Primo præcepto affirmatur Deum Iſraelitarum, i. e. qui ſe iſti populo patefecerat, verū Deum agnoſcendū & habendum eſſe. Secundo præcepto prohibetur tum fictio, tum adoratio alienorum Deorum, id eſt, idololatria.*

41. Improbat hanc præceptorum divinorum enumerationem Burgenſis in additionib. ad Lyram in c.20. Exodi addit: *1. Attendenda* (ait) *ſunt hoc loco duo: Primum eſt, quòd plenius ſenſus literæ concordat manifeſtè opinioni Doctorum noſtrorum* (qui procemium Decalogi non habēt pro peculiari præcepto.) *Secundum q. motiva Hebræorum contrariū aſſerentiū nō valent. Primum patet, nam in hoc q. dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. nullum verbum præceptivum ſeu imperativū ponitur, ſed ſolum ſunt quadā dicta denunciativa, quibus Deus denunciat populo, quòd ipſe, qui loquitur, eſt Deus, qui eos eduxit de captivitate, nihil in hoc eis præcipiendo, ut patet manifeſtè intuenti, in ceteris vero Decalogi præceptis manifeſtè ponūtur verba mandativa tum affirmativa, tum negativa. Secundum patet, nam motiva Hebræorum ſunt duo. Unū eſt, quod ad omnia præcepta divina obſervanda oportet præſupponere, quod credatur abſq; dubitatione, quòd ille, qui loquebatur ſeu præcipiebat, erat Deus ſuus, quæ quidem credulitas ſeu fides erat potiſſima ratio obligandi eos ad ſervāda ejus præcepta, hanc rationē ponit Abenezra in ſua gloſſa. Alii dicūt, q. in hoc, quod dicitur, Ego ſum Dominus Deus tuus, præcipitur affirmativè, quòd ille Deus, qui loquebatur, haberetur ab eis in Deum, ita ut mandata ejus tenerentur obſervare, quod quidem præceptū dicūt debere neceſſario præcedere omnia alia præcepta, idq; declarant ſimilitudine Regis, qui in nova Provincia nō poteſt ferre leges, antequam in Regem accipiatur, hæc eſt ratio. R. Moſis Gerundenſis in Gloſſa. Sed hæ rationes, ait Burgenſis, non concludūt, nam filii Iſrael, antequā ad recipiendum legem venirent, crediderunt in Deū, proinde nec requirebatur, ut daretur eis aliud expreſſū præceptū, cùm hoc præſupponatur ad præcepta Decalogi tanquam per ſe notū ei qui habet fidē. Similiter etiam jugū obœdientiæ manifeſtè acceperant filii Iſrael, ergò nō requirebatur alia receptio generalis ad obœdientiā præceptorū.* Hæc Burgenſis, cuj⁹ reſponſiones quamvis ſint frigidiores, cùm de illis etiā data ſint præcepta, quæ ex lege naturę quodammodo erāt nota, tamē rectè diſputat, procemiū illud Decalogi haud ſatis commodè pro peculiari præcepto haberi. 1. Eſt n. oratio indicativa, nō imperativa; quis ſit, qui mandet, non autem quid mandet, propriè oſtendens. 2. paulò pòſt iterum novum conſtituendum eſſet præceptum, ubi dicitur: *Ego ſum Deus fortis zelotes* &c.

An præceptum de 42. Poſterior claſſis eorum, qui primæ tabulæ præcepta quatuor aſſignant, primum præceptū facit, de non habendis diis alienis, ſecundum de ſculptilib⁹, tertium de profanatione nominis divini, quartum de Sabbatho, cujus enumerationis autores ſunt complures. *ſculptilib⁹ à primo ſeparandū.* Chald. Interp. in c. 20. Exodi Joſeph. lib. 3. Antiq. c. 4. *Primum præceptum, Deum eſſe unum & hunc ſolū colendum. Secundum, nullius animalis ſimulachrum adorandū.* Orig. lib. 3. in Exod. hom. 8. *Primum mandatum eſt, non erunt tibi dii alii præter me, Secundum non facies tibi idolum neque ullam ſimilitudinem.* Nazianz. in Carm. Hieron. & Ambroſ. in ſextū cap. Epheſ. Chryſoſt. in Matth. Hom. 49. tom. 2. fol. 110. Autor quæſtionum V. & N. T. (quæ in operibus Auguſtini tom. 4. habentur, ſed eas Auguſtini non eſſe Eraſmus cenſet) quæſt. 7. *Non ſint tibi dii alii præter me, primum hoc verbum eſt. Et ſubjecit ſecundum, Non facies tibi ullam ſimilitudinem eorum, quæ ſunt in cælo ſurſum & in terra deorſum.* Sulpit. Sever⁹ lib. 1. Hiſt. Zonaras tom. 1. Hiſtor. Byzant. Ex recentioribus plerīq; omnes, qui Calvini doctrinam amplectuntur, hanc præceptorum divinorum enumerationem approbant. Calvin. lib. 2. inſt. c. 8. ſect. 13. & ſeq. Catech. Heidelb. q. 93. Zach. Urſin. in explic. Catech. part. 3. p. 684. Chaſſanio in locis lib. 1. c. 20. §. 2. &c. Interim tamen obſervandum, quòd quidam Calviniani ita amplectantur hanc diviſionē, ut alteram illā, de qua paulò pòſt agetur, non omninò damnent. Ita Calv. lib. 2. Inſt. c. 8. ſect. 12. *In diviſionem præceptorum noſcendā non malè ſtudium impenditur, modo ejus generis rem eſſe memineris, in qua liberum cuiq; judicium eſſe debeat, ob quam nō ſit contentioſè cum diſſentiente pugnandū.* Zacharias Urſinus in Catech. p. 686. *Obſervandū* (ait) *ſi modò doctrina & ſententia Decalogi de vero Deo & vero cultu Dei integra retineatur, de verborū numeratione non eſſe odioſè pugnandum.* Muſcul. in locis p. 43. *Scio parùm ad pietatis ſtudium facere, ſi præcepta Dei rectè quidem numeret, malè verò cuſtodiat ac ſervet. Nec improbarim, ſi populo abſq; diviſione, modo integrè omni mutilatione rejecta proponantur.* Hi ſequuntur modeſtiam veterū. Sic Hieron. in c. 6. ad Epheſ. ſecundum præceptū de non faciendis idolis dicit, ſed alibi præceptū de profanatione nominis divini ſecundum eſſe agnoſcit. Orig. in Exodū dicit, à quibuſdam conjungi præcepta de nō habendis Diis alienis & de ſculptilib. Beda in c. 20. Exod. expoſitâ diſtinctione eâ, quâ præceptū de ſculptilib. cōjungitur cū primo, ſubjūgit, *poſſe etiā aliter præcepta diſtingui, ut ſit primū: Non habebis Deos alienos, ſecundū; non facies tibi ſculptile.* Quidā verò Calvinianorū ſententiā illā, quòd præceptū de ſculptilib. ſit ſecundum, & à primo diſtinctum, tàm mordicùs amplectuntur, ut contrariū ſentientes, neſcio cujus ſacrilegii accuſent. Ita Gētil. Apol. pro Chriſt. Gall. cap. de imag. omiſſionem huj⁹ præcepti vocat *nefariū ſacrilegiū & immane facinus.* Anhaldini in Apol. contra quoſd. Nobiles fol. 28. huc referūt dictū Chriſti: Qui ſolverit unū ex mādatis minimis, minim⁹ vocabitur in regno cælorū. Neo-Marpurgenſes vocant redintegrationē Decalogi & in Reſp. ſuo Apolog. fol. 111. 112. 143. *tremendā judicii extremi ſententiam minātur iis, qui ad partes ſuas nō accedant, propterea quòd tales horribiliter contradicant ori Altiſſimi mutilatè & ſemiplenè Decalogum doceant, Eccleſiam ſeducant & ſanctū Iſraelis exacerbent, excipiendi olim non mitiùs ac ſervus ille infidelis,* Matth. 25. Quâ de re

quid

quid ſentiendum ſit, paulò pòſt dicetur, ubi priùs illam Decalogi diſtributionem, quæ in noſtris Eccleſiis recepta eſt, propoſuerimus.

Tria præcepta ad primam tabulam pertinere & præceptum de ſculptilibus pertinere ad primum.

43. Tria primæ tabulæ accenſere præcepta, ac mandatum de ſculptilibus referre ad primum de non habendis diis alienis: in ſecundam tabulã ſeptem referre prçcepta & mandatum de non concupiſcendo in duo diſtincta præcepta dividere, uſitatũ eſt in Eccleſiis illis ferè omnib⁹, quæ Auguſtanam confeſſionẽ & Lutheri Catecheſin ſincerè amplectuntur. Hæc diviſio non eſt noviter à Luthero excogitata, & in Eccleſiam introducta, ſed itidem habet aſſertores ex Antiquitate. (Falſum n. eſt, ꝙ ſcribit Wolffg. Muſc. in locis ſub tit. de diviſione Decalogi p.42. *Neminem ex veteribus diviſionem illam, quâ primæ tabulæ tria, ſecundæ ſeptem præcepta tribuuntur, poſuiſſe*) Clemens Alexandr. lib.6. ςρωμαϛ. ſol.140. edit. Lat. ſ.290. in Græc. *Primum Decalogi præceptum oſtendit, unum ſolum eſſe Deum omnipotentem, qui populum tranſtulit ex Ægypto per ſolitudinem in terrã patriam, ut per divinas quidẽ operationes comprehenderent, ut poterant, ejus potentiam, ab eorum a. quæ ſunt genita, abſtinerẽt idololatria, omnem ſpem habentes in Deo, qui eſt in veritate. Secunda a. oratio ſignificabat, non oportere aſſumere neq; inferre magnam & omni veneratione dignam ejus potentiam, quæ quidem eſt nomen, ad res genitas & inanimes. Tertia a. eſt oratio, quæ ſignificat mundũ eſſe à Deo factum & dediſſe nobis ſeptimũ diem ad quieſcendũ.* Auguſt. lib.3. Confeſſ. c.8. *Vivitur malè adverſus tria & ſeptem, Pſalteriũ decem chordarũ Decalogũ tuum Deus altiſſimè & dulciſſime.* Quæſt. 71. in Exodum: *Mihi videntur congruentius accipi tria illa & iſta ſeptem, quoniã videntur Trinitatem illa quæ ad Deum pertinent, inſinuare diligentiùs intuentibus. Et revera ꝙ dictũ eſt, non erunt tibi dii alieni, hoc ipſum perfectiùs explicatur, cùm prohibẽtur colenda figmenta, &c.* Idem repetit Epiſt.119. ad Januarium lib.15. contra Fauſtum c.7. de decem chordis c.5. & 6. in Pſal.32. ſerm.95. & 148. de temp. Auguſtinum ſequitur Beda in c.20. Exod. in Epiſt. Rom. &c. Bernh. ſerm. ſup. ſalve Regina 4. col.1361. *Primum præceptũ eſt: Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, proximum: Non aſſumes nomẽ Dei tui in vanum.* Eodem modo numerat Gloſſ. ordinaria, Lyranus, Hugo Cardinalis in c.20. Exodi, Lombardus lib.3. ſent. diſt.37. & recentiores complures. **Eandẽ noſtram diviſionem approbant *Martyr* claſſ.2. loc. com. c.14. ſect.3. *Oecolampad.* lib. de Conſ. auric. f.116. *Hemming.* in Enchir. claſſ.2. loco de lege. O.4. & O8. & in Catech. p.26. *Szegedinus* in locis p.50. Noſtri in explicatione primi præcepti verba de non faciendis ſculptilib. ad adorationẽ, ſimul recitant & explicãt, uti videre eſt apud *Lutherum* tom.3. Jen. fol.38.b. wider die Himliſche Propheten. Item, in der Außlegung über die Zehen Gebot/tom.4. f.500.b. Catech. *Brentii* p.473. *Chemnic.* loc. part.2. fol.40.43.46. *Hemming.* Enchirid. pag.152. Catech. *Hunnii* pag.52. Pflacherum p.290.**

Quare pro hac diviſione pugnatur.

44. Antequam verò ad argumenta adverſariorum, quibus hanc diviſionem oppugnant, vel firmamenta ejuſdem proponamus, accuratè obſerventur ſequentes hypotheſes. 1. Conſtitutio numeri ordinalis, in præceptis Decalogi per ſe & ſua Natura eſt ἀδιάφορόντι. Certum quidem eſt, decem eſſe præcepta, h. e. certus quidem eſt cardinalis præceptorũ numerus, ſed nuſpiam à Moſe additur, quodnam ſit ſtatuendum ſecundum, quod tertium præceptum. 2. Peccatur igitur cõtra libertatem Chriſtianam, quando ab adverſariis enumeratio illa, quâ præceptum de ſculptilibus ſecundum eſſe ſtatuitur, ut neceſſaria obtruditur. 3. Graviſſimè etiam contra caritatem & unitatem Chriſtianam peccatur, quãdo intempeſtiva iſtius diviſionis propugnatione Eccleſię benè conſtitutæ turbantur. 4. Adverſarii præceptum de ſculptilibus ſecundum eſſe pugnantes, ſimpliciter imagines ipſas, nõ tantum cultum ac adorationem earum prohibitas eſſe ſentiunt, quã falſam interpretationem Eccleſiæ eâdem operâ obtrudere ſatagunt. 5. Mutilationem Decalogi D. Lutheri Catecheſi tribuentes ex Eccleſia eandem eliminare per occultos cuniculos quærunt, quæ cauſæ ſunt ſatis urgentes, propter quas enumeratio illa præceptorum Decalogi in Eccleſias noſtras neutiquam recipitur.

Argumenta eorum, qui præceptum de ſculptilib. à primo ſejungendũ eſſe pugnãt. 1. Quia ſenſu differunt.

45. His ita præmiſſis audiamus Urſinum, qui potiora ſuæ confeſſionis ſociorum argumenta in hac quæſtione proponit, quibus reſpondentes eâdem operâ noſtræ diviſionis firmamenta manifeſta faciemus: 1. Diſtincta ſunt præcepta, quæ diſtinguuntur ſententiis. Cum n. Deus ipſe Decalogum in decem verba diſtribuerit, haud dubiè præcepta ſenſu inter ſe differre voluit. Ergò diverſa ſunt, quæ ſenſu differunt; nõ diverſa, ſed unum præceptum ſunt, quæ ſenſu non differunt. Præceptum de non habendis diis alienis, & de nõ faciendis ſculptilibus ſenſu differunt. Illud enim vetat aliud Numen præter ſolũ verum Deum coli, hoc vetat ſolum verum Deum aliter coli, quàm ipſe præcepit. Reſp. 1. Si præcepti de non faciendis ſculptilibus hic ſenſus eſt, quòd prohibetur eo Deus verus aliter coli, quàm ipſe pręcepit, ſequitur nõ ſimpliciter prohiberi facturam imaginũ, ſed quatenus eo fine fiunt; ut per eas Deus colatur, id quod alii Calvinianorũ promachi nõ concedũt, qui ſimpliciter imagines ſecundo pręcepto prohiberi tradunt. 2. Omnis Idololatria primo præcepto eſt prohibita. Jam v. duplex eſt Idololatriæ ſpecies: prior ratione objecti, cùm illud religioſè colitur, ꝙ non eſt verus Deus; poſterior ratione cultus, cùm verus Deus colitur, h.e. coli ſtatuitur, ſed non divinè, h.e. nõ eo modo, quo ſe coli in verbo præcepit. Ergò utraque idololatriæ ſpecies primo præcepto eſt prohibita, nec propterea præceptum de ſculptilib. à primo divellendum. 3. Invertimus igitur argumentum; Species includitur ſuo generi: jam v. primũ præceptũ Deos alienos in genere prohibet, pręceptũ de ſculptilib. certã ſpeciem Deorum alienorum exprimit. Ergo ſub prohibitione Deorũ alienorũ etiam prohibitio Idolorũ, ut ſpecies ſub genere continetur. 4. Hujus loci eſt obſervatio illa, quòd nuſpiam abſolutè & ſimpliciter vel pictæ, vel ſculptæ, vel fuſiles imagines prohibẽtur, ſed quatenus fiunt ac proſtant ad cultũ, ut ſuo loco demonſtrabitur, inde eſt, quòd Idola, h.e. omnia illa, quibus cultus divinus tribuitur, cùm tamẽ non ſint Deus, ſive ſint creaturæ naturales, ſive res artificiales, omnia, inquam, illa dicũtur dii alieni Gen.31.v.19. Rachel furatur idola patris ſui, quæ requirens Laban dicit v.30. *Cur furatus es Deos meos?* Cui reſpondet Jacobus v.32. *Is apud quem inveneris Deos tuos, non vivat.* Gen.35. v.2. dicit Jacob familiæ ſuæ: *Auferte Deos alienos,*

qui ſunt in medio veſtri. v. 4. *Dant Iacobo omnes Deos alienos, qui erant in manu ſua, inaures, quae erant in auribus ipſorum & abſcondit eos Iacob, ſubter quercum.* Exod. 20. v. 23. *Ne faciatis mecum Deos argenteos; neq; Deos aureos facietis vobis.* Exod. 32. v. 8. Fabricato vitulo fuſili dicunt Iſraëlitæ, *iſti ſunt Dii tui Iſraël, qui eduxerunt te ex terra Ægypti* Levit. 19. v. 4. *Ne convertatis vos ad idola, neque Deos fuſiles faciatis vobis, Ego Iehova Deus veſter,* Deut. 28. v. 36. *Coles Deos alienos lignum & lapidem,* 1. Sam. 7. v. 3. dicit Samuel ad populum. *Si toto corde veſtro revertimini ad Iehovam, auferte Deos alienos de medio veſtri & Aſtharoth,* v. 4. *abſtulerunt ergò filii Iſrael Bealim & Aſtharoth.* 1. Paral. 14. v. 12. *dereliquerunt Philiſtæi Deos ſuos, & præcepit David, & combuſti ſũt igni.* Ex his & ſimilibus Scripturæ locis ita concludimus. Quicquid eſt Deus alienus, prohibetur primo præcepto. Idola, h. e. omnia illa, quibus divinus cultus exhibetur. cùm tamen non ſint verus Deus, ipſâ Scripturâ interprete, ſunt Dii alieni. Ergò Idola prohibentur primo præcepto, & per conſequens pericope de ſculptilibus non conſtituit novũ præceptum. 5. Nec ullo fine alio ſculptiliũ factura prohibetur, quàm eo, ne cultus divinus tribuatur ei, quod non eſt verus Deus, & ſic habeantur Dii alieni; alienum Deum non efficit manus hominis, ſed cultus & fiducia cordis, ſive tribuatur rei naturali ſive artificiali. Cuicũq; enim tribuitur cultus & gloria ſoli Deo debita, illud fit Deus alienus. Gen. 30. v. 2. dicit Jacob ad Rahelem liberos importunius poſtulantẽ, *Nunquid pro Deo ſum, qui prohibuit à te fructum ventris?* 2. Reg. 5. v. 7. dicit Rex Iſraelis, *Sumne ego Deus, ut curem illum à lepra?* 1. Cor. 8. v. 4. *Scimꝰ quòd idolum nihil eſt in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus.* 2. Cor. 4. verſ. 4. *Diabolus dicitur Deus hujus ſeculi,* eorum ſcilicet, qui relicto vero Deo ipſi in mundo ſerviunt & obœdiunt. Phil. 3. v. 19. *Venter* dicitur *Pſeudoapoſtolorum Deus,* quâ ratione ipſa quoque avaritia dicitur idololatria. Col. 3. v. 5. ex quo iterũ apparet, quòd præceptũ de ſculptilibus ſit appendix primi de non habendis Diis alienis. 6. Deniq; obſervandũ hoc loco, quòd Prophetæ imaginum cultum reprehenſuri rationem ducunt ex primo præcepto, quo ipſo oſtendũt appendicem illã de imaginibus ad primum præceptum pertinere. Exod. 20. v. 23. *Non facietis mecum* (coram me) *Deos argenteos vel aureos.* Agnoſcis verba primi præcepti Lev. 19. v. 4. *Non faciatis vobis Deos fuſiles, ego Iehovah Deꝰ veſter.* Eſa. 42. v. 8. *Ego Dominꝰ, h. e. nomen meũ, & gloriam meam alteri nõ dabo, nec laudẽ meam ſculptilibꝰ,* Ergò gloriam Deo debitam dare ſculptilibꝰ, eſt Deos alienos habere. 7. Nec obverti poterit, priorem tantùm idololatriæ ſpeciem, quâ id, ꝙ nõ eſt Deus, colitur pro Deo, primo præcepto prohiberi, alterius v. idololatriæ ſpeciei, qua verus DEUS colitur non divinè, h. e. juxta adinventiones cordis, non a. juxta præſcriptũ verbi, prohibitionem conſtituere novũ ac ſecundum præceptũ, ſiquidem ἐθελοθρησκείων prohibitio nominatim ad primum præceptum refertur. Num. 15. v. 39. *Non ſequantur Iſraelitæ cogitationes ſuas, nec poſt oculos ſuos fornicentur,* v. 40. *ſed memores ſint præceptorum meorum.* v. 41. *Ego Iehovah Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum.* Rom. 1. verſ. 23. gentiles accuſantur & convincuntur idololatriæ, propterea quod *cùm cognoverint Deum, tamen non glorificarint ſicut Deum,* hoc eſt, non coluerunt eum juxta præſcriptum verbi, ſed vanitatem cogitationum ſuarum ſunt ſecuti. Addo argumentum evidens. In primo præcepto jubetur Deus ſuper omnia timeri ac honorari. Jam verò qui non colit Deum juxta præſcriptũ verbi, is nec timet nec honorat Deum ſuper omnia, ſiquidem adinventiones cordis ſui præfert Dei verbo, cœcæ rationis ductum præfert luci cœleſtis verbi. Ergò qui nõ colit DEUM juxta præſcriptum verbi, is peccat contra primum præceptum. 8. Monemus & hoc. Si præceptum de non habendis Diis alienis & de non faciendis ſculptilibus ſenſu differunt, & ſenſu ea differre Deus ipſe voluit, cur igitur Martyr ac Sohnius eadem conjungunt, cum hiſce ſuis alioqui aſſeclis Urſinꝰ priùs tranſigat. ** *1. Imagines quæ ad cultum ſiunt & uſurpantur, in Scripturis dicuntur Dii alieni.* Gen. 31. v. 30. cap. 35. v. 2. Exod. 32. v. 3. Jer. 2. v. 27. 28. 1. Reg. 1. v. 28. Pſal. 135. v. 15. &c. *Ergo fieri nullo modo poteſt, quin Diis alienis prohibitis, imagines ſimul prohibeantur & generi tanquã una aliqua, eaq; craſſior idololatriæ ſpecies ſubjiciantur. 2. Quæ præcepta unum eundemq; finem proximum habent, ea numero diſtincta eſſe non poſſunt, ſed ſibi invicem ſubordinentur neceſſum eſt. Iam v. verba de non habendis Diis alienis & de nõ faciendis ſculptilibus ad unum communem ſcopum, qui eſt prohibere idololatriam & contrà præcipere verum DEI cultum immediatè collimant. 3. Sicut in ſingulis Decalogi præceptis, ſic etiam in primo ſimul interiora & exteriora tum peccata tum bona opera continentur, nullâ ratione imaginum idololatrica ſtructura, cùm ſit ſpecies peccatorũ primi præcepti, à primo præcepto ſegregari poterit. 4. Perpetuum & Utile mandatorum Decalogi axioma eſt, in qualibet negativa affirmativam & rurſus in qualibet affirmativa negativam contineri. Cùm ergo utrique enunciationi negativa unum tantum hic reſpondeat præceptũ affirmativũ ꝙ eſt, Dominũ Deum tuum unum & ſolum agnoſces & coles, ſequitur negativas idem denotare & unum numero præceptũ conſtituere. 5. Quia promiſſiones & comminationes textui de imaginibus ſtatim ſubjunxit Deus, inde apparet, quod ille textus à primo præcepto avelli & peculiare atque in ordine ſecundum præceptum conſtituere prorſus nequeat. Veritati enim maximè conſentaneum, promiſſiones & comminationes, quas generaliter de tota lege & ſingulis præceptis intelligi voluit, non ſecundo ſed primo præcepto appoſuiſſe, cùm illæ nec Decalogi præmiſſa nec poſtpoſita legantur. 6. Quia DEI qui in perſonis trinus eſt, dilectionem in prima tabulæ equiri conſtat, tria & non plura aut pauciora præcepta circa illam in prima tabula conſtituenda fuiſſe* Aug. Epiſt. 119. *Beda & alii ſtatuunt attendentes non tam concludendi neceſſitatem quàm collocationis concinnitatem, quam in ordine quoque cultus divini obſervare poſſumus ut eum præſtemus corde, ore & opere.* Bacm.**

46. Alterum Urſini argumentum tale eſt. Quæ præcepta ſenſu non differunt, ea non ſunt diverſa, ſed unum tantùm præceptum. Præceptum de concupiſcentia, quod aliqui in nonum & decimũ dividunt, ſenſu unũ ſunt, id quod tum ipſimet teſtantur, quoties in explicationib. ſuis nonũ & decimũ conjungunt, tùm v. Paulꝰ docet, cùm de concupiſcentia tanquã de uno præcepto dicit: *Non noviſſem, concupiſcentiam eſſe peccatũ,* *4. Quia præcepta de non concupiſcendo ſenſu conveniunt.*

niſi

niſi lex dixiſſet, non concupiſces. Ergò ſunt unum tantùm præceptum. Si enim propterea in duo dividi deberet, quia diſtinctè domus & uxoris proximi concupiſcentiam prohibet, eâdem ratione diſtrahi deberet in plura & tot præcepta fierent, quot ſpecies rerum concupiſcendarum enumerantur. Reſp.1. Veteres ad diverſitatem objectorum plerunque confugiunt, quàm ad diverſitatem præceptorum conſtituendam ſufficere arbitrantur. Auguſtin. quæſt. 71. in Exod. *Concupiſcentia uxoris alienæ & concupiſcentia domus alienæ tantùm in peccando differunt, ut illi, quo dictum eſt: non concupiſces domū proximi tui, adjuncta fuerint alia dicente Scriptura, neq; agrum ejus, neq; ſervū ejus, neq; ancillam ejus, neq; boves ejus &c. diſcreviſſe antè videretur concupiſcentiam uxoris alienæ à concupiſcentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque ſic cœpit: Non concupiſces uxorem proximi tui, Non concupiſces domum proximi tui & huic adjunxit cætera. Non autem cùm dixiſſet: Non concupiſces uxorem proximi tui, huic connexuit alia, dicens: neque domum ejus, neque agrum &c. ſed omnia apparent hæc eſſe conjuncta quaſi uno præcepto contenta & diſcreta ab illo, quo uxor nominata eſt.* Hæc Auguſtin. Quidā igitur ſecuti ordinem in Deuteronomio obſervatum, dicunt nono præcepto prohiberi concupiſcentiam, quæ reſpicit ſextum præceptum; decimò eam, quæ attingit objecta ſeptimi præcepti. Quidam verò ſecuti ordinem in Exodo ſervatum nono præcepto concupiſcentiam domus, decimo uxoris ac reliquorum; in illo totū, in hoc autem partes expreſſas dicunt. Lyranus in cap. 20. Exodi. *Ratio, quare duo præcepta ponantur ad repreſſionem concupiſcentiæ eſt, quia bonum dividitur per utile & delectabile, alia enim ratio boni utilis & delectabilis, unde contingit, ut aliquis habeat proprietatem ad unum & non habeat proprietatem ad aliud, ſicut aliquis concupiſcit uxorem alterius, qui tamen non concupiſcit alias res ipſius, ideò ad reprimendam iſtam concupiſcentiam duplicem, debuit aſſignari duplex præceptū.* Thomas 1.2. quæſt. 100. art. 4. *Concupiſcentia uxoris alienæ ad commixtionem pertinet ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentia aliarum rerum pertinet ad concupiſcentiam oculorum, ideò duo præcepta de non-concupiſcendo ponuntur.* 2. Quamvis verò hęc ab objectis petita diſtinctio non videatur ſatis firma, tamen non minoris ponderis eſt, quàm illa Adverſariorum, quâ tradunt in primo præcepto cultum alienorum Deorum in univerſum, in ſecundo certum ejuſdem modum eſſe prohibitum. 3. Si vel maximè non poſſet evidens dari ratio, propter quam præceptum de cōcupiſcentia in duo diſtincta præcepta divideretur, nihilo tamen minus reſponderi poſſet, Deū ideò diſtinctis duobus præceptis concupiſcentiæ malum prohibere voluiſſe, quod tota lex & vera ejus interpretatio pendeat in cognitione genuina hujus præcepti, cùm peccati hujus interioris cognitio ſit abſtruſiſſima teſte Apoſtolo, Rom. 7. v. 7. cum peccatum concupiſcentiæ ſit fons & mater reliquorum omnium. Hæ rationes moderatis ingeniis ſatisfacere poterant, quò minus ſimpliciter binam illam præcepti de non-concupiſcendo repetitionē improbarent. 4. Sed ne quid habeant adverſarii, quod conquerantur, dicimus geminum concupiſcentiæ genus nono ac decimo præceptis prohiberi. Actualem ſcil. & Originalem; quæ concupiſcentiæ diſtinctio non tàm objectorum, quàm modi & actus diverſitate nititur. Actualis concupiſcentia eſt notabile illud concupiſcentiæ genus, quando ad motum obortum accedit delectatio & deliberata voluntatis conſenſio: Originalis concupiſcentia eſt arcanum illud concupiſcentiæ genus, quando ipſa Natura ſe movet, agit aut patitur (reſpectu ſc. diverſo) ita ut cor inclinationes vel mens cogitationes ſaltem concipiat, quæ tamen à προαιρέσει perficiendi ſunt adhuc remotæ. Fundamentum hujus diviſionis petimus ex ipſis legis promulgatæ verbis & ex interpretatione ejusdem ab Apoſtolis tradita. Exod. 20. v. 17. bis repetitur concupiſcendi verbum חָמַד Chamád, *Non concupiſces domum proximi tui. Non concupiſces uxorem ejus.* Latinus interpres in poſteriori parte mutavit vocem concupiſcendi in vocem deſiderandi ſed in Hebræo eſt idem utrobique vocabulum. Binâ autem atque emphaticâ illâ verbi repetitione Spiritus ſanctus ſubinnuit geminum concupiſcentiæ genus hîc damnari, & quod hoc loco ſubinnuitur, illud in ſolenni legis repetitione Deut. 5. v. 21. clariùs exprimitur. Ibi enim duo diſtincta habentur vocabula חָמַד Chamád, & הִתְאַוֶּה hithavæh, ubi Latinus interpres verbi repetitionem planè omiſit. חָמַד Chamád, ſignificat ex animo aliquid deſideravit cum conſenſu & opere in rem ferventi; appetivit vehementer, cognationem enim habet cum radice חָמַם Chamám, æſtuavit, incaluit, הִתְאַוֶּה hithavæh, ſignificat ſeipſum fecit concupiſcere, ſeipſum irritavit ad concupiſcendum originaliter, vox enim אָוֶן Aven, uſurpatur de corruptione Naturæ, de cupiditate & concupiſcentia, conatu & ſtudio carnali, quo quis affectus eſt & aliis dolorem & vim affert aut ipſe afficitur; monente Forſtero in Lexico p. 13. cujus ſignificationis exempla paſſim ſunt obvia Pſalm. 119. v. 133. Prov. 6. v. 18. &c. Voce igitur הִתְאַוֶּה hithavæh, taxavit Moſes ipſam radicem, quæ gignit confuſionem appetitionum, ipſam originalem concupiſcentiam, quæ gignit pravos affectus, etiamſi nondum accedat conſenſus. In lingua Germanica diſcrimen hoc vix poterit exprimi, conabimur tamen aliquâ ex parte illud exponere. לֹא-תַחְמֹד lo thachmód, reddi poterit, du ſolt nicht begehren. לֹא תִתְאַוֶּה lo hithavæh, laß dich nicht gelüſten/ quamvis Deut. 5. D. Lutherus videatur hoc invertere. Porrò diſcrimen hoc inter originalem & actualem concupiſcentiam pertractat etiam Jacobus cap. 1. v. 14. & 15. ubi illam vocat ἐξελκῦσαι καὶ δελεάζῦσαι, hanc verò συλλαβῦσαν. *Unusquisque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, concupiſcentia autem, ubi conceperit, parit peccatum*; quando concupiſcentiæ accedit conſenſus, tunc fit prima quaſi actualis delicti conceptio, quando actuale delictum perpetratur, fit quaſi partus, ſed verè viperinus, peccatum enim animæ mors eſt & ſic filia devorat matrem. Quidam per συλλαβῦσαν cōcupiſcentiam intelligunt originalem, per τίκτυσαι actualem, ſed accurata text. conſideratio diverſum oſtendit; δελεάζειν καὶ ἐξέλκειν proprium eſt originalis concupiſcentiæ, ſed prohibenda eſt, ne per conſenſum accedentē ac per delectationē fiat συλλαβῦσα aliàs proximè ſequitur partus actualis ſc. externi delicti. De Originali concupiſcentia loquitur Apoſt. Rō. 7.

v. 7. *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Certè non erat Apoſtolo ignotum, concupiſcentiam cum προηγήσει & delectatione conjunctam peccatum eſſe, cùm ex lumine Naturæ ſaniores Ethnici eam accuſaverint, intelligit igitur abſconditum illud originalis concupiſcentiæ malum, primam & profundam illam concupiſcentię luem, προπάθειαν à quibuſdam dictam, quæ in ſchola Spiritus ſancti tantùm, peccatum eſſe agnoſcitur. Ex quibus omnibus colligimus, actualem concupiſcentiam utpote notiorem præcepto nono, originalem verò decimo præcepto prohiberi. 5. Quamvis igitur in explicationibus Catecheticis præceptũ de concupiſcentia conjungatur, interim non negatur duplex eſſe concupiſcentiæ genus, quorum utrumque voce legis divinæ accuſatur. Paulus Roman. 7. propriè de originali concupiſcentia agit, cujus agnitio ex lege, actualis concupiſcentiæ cognitio ex lumine Naturæ quadantenus obvia. Ac ſi vel maximè Apoſtolus hæc duo præcepta ibidem conjunxiſſet, (quod facit Roman. 13. v. 9.) nihilotamen minus duo diſtincta de non-concupiſcendo præcepta conſtitui poſſe non negâſſet. Chriſtus totius ſecundæ tabulæ præcepta uno comprehendit verbo. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum* Matt. 22. v. 38. nec tamen diſtinctam præceptorum enumerationem improbat. 6. Nemini verò mirum videatur, peculiari præcepto actualem concupiſcentiam prohiberi, cùm in ſuperioribus præceptis jam antè fuerit prohibita, unde Chriſtus Matth. 5. v. 28. ſexti præcepti talem tradit interpretationem. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam in corde ſuo, jam tum mœchatus eſt cum ea.* Præterquam enim quod carnali Judæorũ populo ſpiritualis hic legis ſenſus non erat in reliquorum præceptorum verbis obvius, ideoque novo ac peculiari præcepto evolvendus, diſtinguendum inſuper inter ſedem propriam alicujus interdicti & inter expoſitionem aliunde translatam: inter objectum certum & inter cauſam agentem; inter prohibitionem Univerſalem & ſpecialem. Ipſe actus ſecundus concupiſcentiæ propriè & in genere ſine certo aliquo objecto prohibetur in nono præcepto, ſicque efficiens & formale ipſius concupiſcentiæ damnatur; quando verò Chriſtus in reliquis præceptia interdictam dicit concupiſcentiam certi alicujus objecti, tunc magis ad materiale, hoc eſt, certam ſpeciem objecti, puta, cædis, adulterii, furti reſpicit & declarationem ex nono præcepto mutuatur.

3. Quia præceptum de ſculptilibus verſiculo diſtinguitur à primo.

47. Tertium Urſini argumentum videamus. Haud dubiè præcepta ſunt diverſa non eadem, quæ diverſis periodis & verſibus: non diverſa, ſed unum præceptum ſunt, quæ uno verſu à Moſe ponuntur. Præceptum de non habendis Diis alienis & de non faciendis idolis Moſes verſiculis diſtinxit. Diſtincta igitur ſunt præcepta. Contrà, præceptum de concupiſcentia domus & uxoris alienæ periodis non diſtinxit, ſed uno verſiculo comprehendit. Unum igitur eſt de concupiſcentia præceptum. Reſp. 1. Quidam punctorum additionem ac verſiculorum diſtinctionem negant ab ipſo Moſe ortum ducere, ſed à Maſoritis, quorum tamen ſententiæ, præſertim quod puncta attinet, non ſubſcribo. Alia igitur reſponſione utimur, nimirum fundamentum eſſe admodum lubricum, quòd diſtincta ſint præcepta, quæ diverſis periodis ac verſiculis ponuntur, Contrà verò unum, quod uno verſu ponitur. Nam Exod. 20. v. 2. dicitur: *Ego Iehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*, v. 3. additur, *Non erunt tibi Dii alieni coram me.* Hæc à quibuſdam habentur pro primo præcepto, licet alii velint priora verba eſſe totius Decalogi prooemium. v. 4. *Non facies tibi ſculptile nec ullam ſimilitudinem* &c. & v. 5. *Non incurvabis te eis, nec coles ea*, &c. Hæc nec ipſe Urſinus pro duobus præceptis habet. v. 8. *Recordare diei Sabbathi, ut ſanctifices illum.* v. 9. *Sex diebus operaberis & facies omne opus*, v. 10. *At die ſeptimo Sabbathum erit Iehovæ Deo tuo.* Nec hæc ab Urſino pro diſtinctis præceptis haberi poſſunt. 3. Gnaris linguæ Hebrę æ notum eſt, ſæpiùs diſtingui verſiculis, quæ neceſſariò ſunt conjungenda, & contrà, verſiculo conjungi, quæ neceſſariò ſunt diſtinguenda. Geneſ. 14. v. 18. *Melchiſedecus Rex Salem protulit panem & vinum, & ipſe* (cùm eſſet) *Sacerdos Deo altiſſimo* v. 19. *benedixit ei.* Non ideò protulit Melchiſedecus panem & vinum, quia Sacerdos Altiſſimi, ut volunt patroni Miſſæ, ſed ideò benedixit Abrahæ, quia erat Sacerdos. Hebr. 7. v. 3. 4. Quamvis verò præcepta de non-concupiſcendo uno comprehendantur verſiculo, tamen in Deuteronomio additur litera ס. nota interſtitii, quam Rabini vocant סתומה Sethumáh, quale ſignum inter præceptum de non habendis Diis alienis, & inter præceptum de non faciendis idolis nullibi ponitur; in Exodo ac Deuteronomio additur accentus Athnachta, ex quibus hæc præcepta diſtincta eſſe, non inſcitè colligitur.

48. Urget Urſinus quarto loco permutationem præceptorum de non-concupiſcendo. Moſes haud dubiè eundem præceptorum ordinem in Exodo & Deuteronomio retinuit. Jam verò verba decimi præcepti de concupiſcentia domus & uxoris inverſo ordine poſuit. Nam in Exodo præcedunt hæc verba: Non concupiſces domum proximi tui, ſequuntur hæc: Non concupiſces uxorem proximi tui: In Deuteronomio præcedunt hæc: Non concupiſces uxorem proximi tui: ſequuntur illa, Non concupiſces domum proximi tui. Sunt igitur hæ unius præcepti partes, alioqui non poterit dari novum præceptum & dicendum erit, Moſen in altero loco nonum præceptum cum decimo confudiſſe & partem decimi in locum noni ſubſtituiſſe. Reſp. 1. Permutatio illa objectorum nihil aliud infert, niſi πρώτως primariò atque unicè ex illis non poſſe peti concupiſcentiæ ac præceptorum diſtinctionem, manet interim, quòd reſpectu ad ipſum concupiſcentiæ actum habito diverſæ concupiſcentiæ ſpecies ac diſtincta præcepta ſtatui poſſint. 2. Nec tranſpoſitio illa præceptorum ullius abſurditatis accuſanda. Matthæus cap. 19. v. 18. v. 19. Itemque Lucas cap. 18. v. 20. ex ore Chriſti præcepta legis hoc ordine enumerant. *Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non dices falſum teſtimonium, Honora patrem tuum & matrem tuam*, ubi videmus præceptum de honorandis parentibus poſtponi illis, quibus apud Moſen præponitur. Marcus cap. 10. v. 19. hunc obſervat ordinem. *Non mœchaberis. Non occides. Non furtum facies. Non dices falſum teſtimonium. Ne fraudem feceris. Honora*

4. Quia præcepta de non concupiſcendo permutantur.

nora

nora patrem & matrem, ubi videmus præceptum de non occidendo poſtponi præcepto de non mœchando, cùm tamen in Decalogo præponatur. Rom.13.v.9. itidem talis *μετάθεσις* occurret, quæ præceptorũ integritati nihil quicquam detrahit, nec Moſis autoritati quicquam derogat.

y. Ab autoritate veterum.

49. Tandem provocatur ad veterum autoritatem, ubi referuntur teſtimonia Joſephi, Philonis, Athanaſii, Origenis, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Zonaræ, Hieronymi, Ambroſii & Auguſtini. Reſp. 1. nec nos diviſionem ipſis uſitatam, quâ nonum & decimum præceptum conjungũtur, ſimpliciter repudiamus. 2. Veteres ita amplectuntur hanc præceptorum diviſionem, ut alteram Eccleſiis noſtris uſitatam non improbent. Adverſarii eam urgent ut neceſſariam. 3. Nec ſibiipſis autores adducti per omnia conſentiunt; Philo & Joſephus quinq; præcepta primæ tabulæ aſſignant, reliqui tantùm quatuor. 4. Quis ergò à Joſepho & Philone veram præceptorũ diviſionem expectet, cùm præceptum de honorãdis parentibus admodum inſcitè ad primam tabulam referant? Et quis à Joſepho expectet, ut duo de cõcupiſcentia mandata agnoſcat, aut geminum concupiſcentiæ genus diſtinguere ſciat, cùm in peccati iſtius tàm craſſa hæſerit ignorantia, ut ſcribat lib. 12. antiq. c. 13. *voluiſſe ſacrilegiũ, ac non etiam perfeciſſe, non videri ſibi rem dignam ſupplicio, ne divino quidem.* Sed & veterum Pasrum quoſdam de inhærentis peccati Naturæ & concupiſcentię malo frigidiùs ſenſiſſe negari nequit. 5. Auguſt. in ſcriptis *γνησίοις* noſtram ſequitur enumerationem. Hyperius part. 2. opuſc. Theol. p. 662. adducit locum ex Auguſtini lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, quem acriter urget, ac reliquis locis præſerendum judicat: ſed recitantur ibi tantùm Decalogi præcepta, ordinis nullâ mentione factâ, de quo ordine aliis in locis quamplurimis Auguſt. ex profeſſo tractat. 6. Ac præter Auguſt. etiam alii ex veterib. noſtræ diviſioni ſuffragantur, ut vidimus ſuperiùs.

50. Primariæ igitur ac principales cauſæ, quare enumerationem illam, quam Adverſarii tanto conatu urgent, non recipiamus, expoſitæ ſunt §. 43. nimirum quia mutatio illa in re ſua Natura adiaphorâ & indifferente ab Adverſariis veritaris ſuſcepta libertatem Chriſtianã ſervili jugo implicat, uſum imaginum ſimpliciter prohibitũ ſtatuit & Catecheſi noſtræ mutilationis crimen intentat. Secundaria cauſa ea eſt, quod diſtributio præceptorum in noſtris Eccleſiis uſitata nititur rationibus non contemnendis, utpote 1. Sub prohibitione Deorum alienorum etiam prohibitio idolorum, ut ſpecies ſub genere in primo præcepto continetur. 2. Promiſſio & comminatio illa: Ego Dominus Deus tuus fortis zelotes &c. præcepto de ſculptilibus ſubjuncta, eſt appendix cõmunis ad omnia Decalogi præcepta ex æquo pertinens, ꝙ plurale מִצְוֺתָי mizothái, præcepta mea, manifeſtè oſtendit: quia verò ante præceptum de nõ profanando Dei nomine collocatur, eo ipſo oſtenditur, omnia illa, quæ immediatè præcedunt, ad primum pertinere præceptum. Ut enim primum præceptum eſt fons ac matrix reliquorum omnium, ſeq; ad reliqua omnia ac ſingula extendit: ita quoq; communis illa promiſſio & comminatio ad omnia ac ſingula præcepta ſe diffundit. 3. Quia per legem eſt peccati cognitio & verò duplex genus concupiſcentiæ in ſcriptura alibi accuſatur, ideò veriſimile eſt duo diſtincta præcepta de hoc malo, cujus cognitio in corruptione iſta Naturæ noſtræ admodum obſcura eſt, ipſius Dei voce tradi. 4. Diviſio illa non à D. Luthero primum excogitata, ſed multis omninò ſeculis uſurpata, cujus mutatio rudioribus exhibet moleſtiam, infirmis verò ſcandalum.

An Decalogus in Catecheſi D. Lutheri ſit mutilatus.

51. Frivolum eſt, quod Catecheſis D. Lutheri præclarum illud *κειμήλιον* mutilationis cujusdam accuſatur, propterea quod præceptum de non faciendis idolis in ea omittitur. Nam 1. D. Luth. è Codice Biblico nihil quicquam ne Jota quidem vel apicem unum expunxit, ſed integram Decalogi enumerationem in Exodo ac Deuteron. ſartam tectam reliquit. 2. In Catecheſi propter captum rudiorum *συντομῇ* quadam uſus eſt, quo nomine cujuſdam *καταλύσεως* vel mutilationis reus peragi nequit. 3. Quædam n. in Decalogo propriè & primariò ad Judæos ſpectant, quædam v. moralia ſunt & ad Chriſtianos etiam in N. Teſt. pertinent. Appendix illa de non fabricandis ſculptilibus, quamvis ratione ſui generis ſit moralis; tamen propter Judæos potiſſimùm fuit addita; vivebant illi in medio gentiliũ, qui per idola ſua maximè peccabant contra hoc præceptum. Nobis in N. Teſt. ſufficit ſcire, quod in genere prohibita ſit idololatria in primo præcepto. 4. Ita quoq; beneficium eductionis ex Ægypto proprium eſt Eccleſiæ Iſraëliticæ, Jerem. 16. v. 14. *Non dicetur ultra, vivit Iehovah, qui aſcendere fecit filios Iſrael ex Ægypto* &c. ſanctificatio Sabbathi, h. e. diei ſeptimæ autoritate Apoſtolicâ in N. Teſt. abrogata, licet genus maneat. Apoc. 1. v. 9. &c. unde appendix illa pręcepto de ſanctificatione Sabbathi itidem propter captum rudiorum *συντομῆς ἕνεκα* in Catecheſi omittitur. 5. Chriſtus Matth. 22. v. 37. & ſeqq. univerſa legis præcepta complectitur duobus hiſce mandatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* D. Apoſtolus Rom. 13. v. 9. pręceptum de non-concupiſcendo recitat, ſpeciebus minimè recenſitis, quæ Exodi 20. v. 16. & 17. ac Deut. 5. v. 21. diſertè ſunt addirę. Eodem igitur jure in recitatione primi præcepti Catecheſis noſtra utitur, nimirum ut genus ponatur prætermiſſa idololatriæ ſpecie, quæ per ſculptilia exercetur. Eph. 6. v. 2. & 3. recitat Apoſtolus præceptum de honorandis parentibus, ſed appendicem illã de promiſſione vitæ in terra Canaan Judæis promiſſa prorogandæ non addit, nimirum quia promiſſio illa terrę Canaan fuit Judæorum propria. At num Apoſtolo propterea mutilationis accuſationem intentabimus.

Alluſiones veterum ad numerũ ternarium præceptorum primæ tabulæ.

52. Atq; hæc dicta ſint de enumeratione præceptorum Decalogi, in noſtris Eccleſiis uſitata, juxta quam primæ tabulæ tria, ſecundæ ſeptem aſſignantur præcepta. Ternarium hunc præceptorum in prima tabula numerũ alluſione quadam non contemnenda ad SS. Trinitatis myſterium Auguſt. q. 71. in Exod. & alibi paſſim refert. *Trinitatem* (ait) *videntur illa, quæ ad Deum pertinent inſinuare, diligentiùs intuentib.* Gloſſ. ord. in c. 5. Deut. ex Auguſt. Epiſt. 119. ad Jan. c. 11. *Primũ mandatum ad Patrem pertinet. Dominus Deus tuus Deus unus eſt, ut hoc audiens unũ Deum Patrem colas, non multos Deos ſuſcipias. Secundũ pertinet ad Filiũ, de quo hic dicitur: Nõ aſſumes nomen Dei tui in vanũ, i. e. non æſtimes creaturã eſſe Dei Filium à*

omnia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

omnis enim creatura vanitati ſubjecta eſt: ſed credas eum æqualem Patri. Tertium ad Spiritum, cujus dono requies æterna promittitur; quia enim S.S. dicitur ſeptiformis, ideò ſeptimum diem ſanctificavit Deus, rectè ergò hoc mandatum pertinet ad Spir. S. tùm propter ſanctificationis nomen, tum propter æternam requiem ad donum Sp. S. pertinentem. Auguſt. ſup. Pſ. 32. conc. 1. *Tria* (primæ tabulę) *præcepta pertinent ad dilectionem Dei, cujus cogita unitatem, veritatem & voluntatem. Eſt enim quædam voluntas in Domino, ubi verum Sabbathum, vera requies?* Lyran. in c. 20. Exodi. *Doctores noſtri ponunt tria præcepta tantùm ad Deū ordinantia, cujus ratio ſumitur, quia homo debet fidelitatem Deo, reverentiam & debitum famulatum ad recognitionem dominii ſui. Infidelitas autem prohibetur primo præcepto, irreverentia ſecundo, & per iſtas negationes intelliguntur oppoſita affirmationes, ſcil. colere unum Deum, & ei reverentiam exhibere. Debitus autem famulatus præcipitur tertio.*

Ad ſeptenarium in tabula ſecunda.

Septenarius præceptorum in ſecunda tabula numerus ab Auguſt. ſer. 148. de temp. ita explicatur, quòd per eum innuatur, neminem ſuis virib. legem implere poſſe, niſi adjuvetur Sp. S. gratiâ, qui eſt ſeptiformis munere. Sunt, qui ſeptenario numero denotatum exiſtimant, quòd vita noſtra, quæ per ſeptem dies multoties repetitos conſumitur, in ſancto erga hæc præcepta obſequio transfigenda ſit. Gloſſ. ord. in c. 20. Exodi: *Benè ſeptem mandata ſunt, quæ ad proximū pertinent. Septenarius enim ex ternario conſtat & quaternario. Ternarius verò animæ congruit, quæ eſt iraſcibilis, concupiſcibilis, rationalis: quaternarius corpori.*

Regulæ generales ad verā Decalogi explicationē ducentes.

53. Antequam ad ſpecialem præceptorū Decalogi explicationem deſcendamus, generales quasdā regulas ad certam atq; integram cujusq; præcepti ſententiam pernoſcendam apprimè utiles pręmittemus. 1. Decalogus intelligendus eſt juxta interpretationem Prophetar. Chriſti & Apoſtolor. Quemadmodum n. etiam ante ſolennem legis promulgationē ſonuit ejus vox in Eccleſia Patriarcharum, ut oſtendimus ſuperiùs: ita quoq; poſt promulgationem illam Deus per Prophetas & Apoſtolos, quin & per Chriſtum ipſum ſubſequentib. temporib. legem ſuam expoſuit ac declaravit. 2. Non manui tantùm aliisve externis membris, ſed cordi ac toti homini Deus in lege præcipit, h. e. in omnib. Decalogi præceptis non externa tantùm, ſed etiā interna obœdientia requiritur, Rom. 7. v. 14. lex ſpiritualis eſt. 3. Non externa tantùm ſed & interiora cordis peccata, adeoq; intima illa naturæ corruptio à lege accuſantur; nam inter cauſas alias etiam hoc fine poſt lapſū tradita ac ſolenniter repetita eſt vox legis, ut patefaciat illa præcepta, quorum cognitio in lege naturæ per peccatum extincta eſt. Rom. 7. v. 7. *Concupiſcentiam non cognovi niſi per legem.* 4. Non interior ſolùm qualiscunq; obœdientia, ſed perfecta ac numeris gradibusvè omnib. abſoluta, in lege requiritur. Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* 5. In præceptis affirmativis negativa & in negativis affirmativa cōtinentur. Neq; enim bonum à lege præſcriptum pręſtari poteſt, niſi malum contrarium caveatur, nec malum à lege prohibitum, caveri poteſt, niſi oppoſitum bonum præſtetur. 6. In genere ſemper comprehenduntur ſpecies, in ſpecie præcipuâ ſpecies cognatæ adeoq, totum genus. Sic in prohibitione adulterii omnes illicitæ libidines prohiberi intelligūtur. 7. In effectu cauſa prohiberi intelligitur, ſic in prohibitione adulterii prohibetur luxus ſcortationis mater. Viciſſim q. caſtitatem requirit, is etiam media caſtitatis temperantiam & abſtinentiam requirit. 8. In relato ſemper intelligitur correlatū. Sic quando filii jubentur ſuos parentes honorare, ex correlato intelligitur, quòd parentes jubeantur filios ſuos in diſciplina & *νουθεσίᾳ Κυρίου* educare, Epheſ. 6. v. 4. 9 Ad veram cujusq; præcepti ſententiam inveſtigandam valdè prodeſt finem ac ſcopum ejusdem conſiderare; ex fine n. de mediis facilè poteſt fieri judiciū. *Totius legis finis eſt caritas de corde puro & conſcientia bona & fide non ficta.* 1. Tim. 1. v. 7. 10. Lex accuſat non ſolùm opera mala, ſed ēt illud malum, quod bonis operib. renatorum adhæret Rom. 7. v 18. *Velle adjacet mihi, perficere a. non invenio, miſer ego, &c.* 11. In Decalogo appellatione craſſioris delicti minora prohibentur, ut magnitudinem & gravitatem eorum coram Dei judicio verè agnoſcamus: cum n. ira quinto præcepto juxta Chriſti explicationem prohibeatur, manifeſtum eſt, iram coram Deo haberi pro homicidio. 12. Ad plenam legis explicationem requiritur non ſolùm enumerare virtutes & vitia in quolibet præcepto, ſed oportet diſertam fieri mentionem promiſſionum & comminationum, quas Deus vel toti legi in genere vel ſingulis pręceptis in ſpecie addidit. 13. Quin & colligenda ſunt exempla, pręcipuè ea, quæ Sp. S. in ſcripturis annotavit, quib. Deus ſuis promiſſionib. ac comminationib. fidem fecit. 14. Propter diverſos fines & reſpectus idem opus in diverſis præceptis mandatum vel prohibitum dici poteſt, ac proinde non nimis anxii ac ſcrupuloſi eſſe debemus in cujusq; præcepti virtutib. ac vitiis enumerandis. 15. In explicatione legis accuratè tenendū diſcrimen inter peccata mortalia & venialia. Quamvis n. ex ſe & ſuâ Naturâ juxta legis rigorem omnia peccata ſint mortalia, tamen quando renatis lex proponitur, oſtendendum eſt diſcrimen inter peccata illa quæ ſauciant conſcientiam, excutiūt fidem & Sp. S., per quæ renati amittunt hereditatem vitæ æternæ: & inter adhærentes ſordes, infirmitates atq; imperfectiones, quæ itidem ex lege ſunt agnoſcendæ, deplorandæ, earumq; remiſſio per Chriſtum petenda. 16. Pręceptum primum includitur reliquis omnibus, ideò obœdientia reliquorū præceptorum ortum ac ſcaturiginem ducat ex obœdientia primi præcepti, unde ſingulari conſilio D. Luth. in ſingulis præceptis repetit: *Debemus Deum timere & diligere.* Ex quo etiam intelligitur illud Apoſtolicū Rom. 14. v. ult. *Quicquid non fit ex fide, peccatū eſt.* 17. Pręceptum ultimum de concupiſcentia per ſuperiora omnia ducendum, ut intelligatur non exteriores tantùm actus, ſed interiores etiam pravos motus in illis prohiberi. 18. In Decalogo Moralia, quæ ad omnes homines pertinent, diligenter diſcernenda ſunt ab involucris Moſaicis, quæ ad Iſraelitas in V. T. tantùm pertinebant, quomodo verò hęc agnoſcenda ac diſcernenda ſint, eruditè oſtendit Dn. Chemn. loc. de lege cap. 7. reg. 10. 19. Obœdiētia primę tabulę derogat ſecūdę, quādo ſe utraq; ſimul locum habere nequit. Luc. 14. v. 26. *Qui non odit patrem, uxorem, filios & animā ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* 20. Ceremonialia cedunt moralibus etiam in ſecunda tabula

Oſ. 6.

Oſ.6.v.7.Matt.9.v.13.*Euntes diſcite quid ſit, miſericordiam volo & non ſacrificium*. 21. Mandatum ſecundũ de dilectione proximi ſimile eſt primo juxta dictum Chriſti, Matt.22.v.39.quòd non intelligendum eſt ἁπλῶς & abſolutè, quaſi Deus nõ ſit magis diligendus, quàm proximus, ſed ſimilitudo illa conſiſtit primù in neceſſaria connexione, neq; n.minùs neceſſaria eſt obœdientia ſecũdæ tabulæ quàm primæ. 1.Joh.4.v.20. *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt*: Deinde in eod.genere cultus, opponit enim Chriſtus hanc regulam Phariſæis, qui quando ſacrificabant, in templa donariũ offerebant & alia Ceremonialia præſtabant, exiſtimabant, Deum non curare, ſi vel maximè parentes negligerent: tertiò in cauſa finali, quia opera ſecundæ tabulæ procedere debent ex dilectione Dei, ut fiant cultus Deo grati: deniq; in eod.genere pœnę, transgreſſio n.mandatorũ ſecundę tabulæ itidem meretur pœnas temporales ac æternas, &c. Eſt qui obſervari jubet, ſecundum præceptum non dici par aut æquale primo, ſed ſimile, ſui ſcil.qualitate & conditione. Qualitate quia utrobiq; dilectio pura ac ſincera pręcipitur, velut ſi dicas, hominẽ homini ſimilem eſſe, Naturâ ſc.& qualitate, quãvis alius aliũ excellat magnitudine, ordine, dignitate & conditione, propterea ꝙ ut dilectio Dei caput eſt & ſumma omnium reliquorum præceptorum quæ Deum: ita dilectio proximi ſuma & caput eorum eſt, quæ homines concernunt.

Ordo præceptorum Decalogi.

54. Magnum verò divinę ſapientię argumentum concinnus ille præceptorum Decalogi ordo. Primæ tabulæ præcepta agunt de cultu Dei immediato; præcepta ſecundæ tabulæ de cultu Dei mediato, ſiquidem officia proximo prę̃ſtanda, pficiſci debent ex vera Dei dilectione ac timore, quâ ratione ſiunt cultus Deo gratus & acceptus. Primum præceptum orditur a nobiliſſimo objecto, videl.vero Deo, ac vendicat ſibi nobiliſſimũ ſubjectum, videl.ipſum cor hominis, quod verò timore, fiduciâ ac dilectione Deo adhærere jubet. Secundum præceptũ linguam hominis format, quæ Deum ex verbo rectè agnitũ debet cõfiteri, invocare, celebrare, ipſiq; gratias agere. Si à corde diſceſſeris, nobiliſſimũ hominis membrũ eſt lingua articulatæ vocis, per quam à brutis homo ſecernitur. inſtrumentum; hęc nola ita debet tinnire, ut à fune cordis trahitur. Tertium præceptum inſtituit ſanctificatioonem Sabbathi, h.e. cultum Dei publicum per miniſteriũ verbi, hoc n. medio veram ſui agnitionem atq; invocationem Deus in homine vult accendere. Secunda tabula de officiis proximo debitis agens orditur à prima illa naturali ſocietate, quę eſt inter parentes & liberos. Oeconomica ſocietas fundamentũ eſt ac ſeminarium Reipubl.: convenienti igitur ordine quartũ præceptum, quod eſt ſecundæ tabulæ primũ, de honore parentum tractat. Quintum præceptum vitam hominis tuetur, eamq; ab omnib. injuriis defendit. Sextum conjugũ honeſtatem inviolatam conſervat. Septimum facultates; Octavum famã hominis valido quodam muro atq; ſepto circumvallat. Nonum requirit interiorem affectionum erga proximum rectitudinem. Decimum generalem legis declarationem continet, quòd videl. in ea requiratur interior omniũ virium cũ Deo conformitas tàm perfecta, ut ne minimâ quidem pravæ concupiſcentiæ labeculâ ſit contaminata Thomas 1.2.q.100.art.5. procedit hoc modo: *Sicut præcepta legis humanæ ordinant hominem ad communitatem quandã obſervandam, ita præcepta legis divinæ ordinant hominem ad communitatem ſive Rempubl. ſub Deo. Ad hoc autem quod homo benè converſetur in communitate humana duo requiruntur, ſcil. ut ſe benè habeat ad eum qui præeſt communitati, ſecundò ut ſe benè habeat ad alios conſocios communitatis. Tria prima præcepta explicant præceptum de dilectione Dei, & ordinant hominem ad Deum ſecundum tria, quæ ſubditus debet Domino ſuo, quæ ſunt fidelitas, reverentia, famulatus. Fidelitas conſiſtit in eo, ut principatus ad alium non transferatur. Reverentia requirit, ut nihil injurioſum in eũ committatur. Famulatus debetur Deo in compenſationem beneficiorum, quæ ab ipſo percipiunt ſubditi. Præcepta reliqua ordinant ad proximũ. Sunt autem quidam proximi, à quibus ſpecialiter beneficia recipimus, quibus ſpecialiter ad gratitudinem obligamur, unde datur præceptũ quartum de parentibus, ſub quib. omnes benefactores intelliguntur. Generaliter homo nulli proximo nocere debet nec opere, nec ore, nec corde. Contingit autem opere tripliciter nocere proximo, ſcil. vel in perſona propria ipſum occidendo, vel in perſona conjunctã, præſertim quantũ ad prolis procreationem vel in bonis fortunæ in reb. exterioribus. Ore infertur nocumentum per detractionem Nocumentum cordis fit per illicitam concupiſcentiam carnis & oculorum, quarũ illa nono, hæc ultimo prohibetur præcepto.* Hæc Thomas.

Explicatio primi præcepti.

55. Præceptum primum juxta deſcriptionem Exod.20.traditam, quadripartitum eſt. Primò enim ponitur præfatio: *Ego Jehovah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis*: ſecundò præceptum ipſum, *Non habebis Deos alienos coram me*. Tertiò appendix *eidem*: *Non facies tibi ſculptile, nec omnem imaginem, quæ eſt in cælo ſurſum, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis nec coles ea.* Quartò generalis promiſſio & comminatio ad totam legem pertinens: *Ego ſum Dominus Deus tuus, Deus zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorũ qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.*

Præfatio primi præcepti: Ego ſum Dominus Deus tuus.

56. Quare verba iſta, *Ego ſum Dominus Deus tuus* &c. ſtatuamus eſſe generalem præfationem, ejus rei cauſas expoſuimus ſuperiùs §. 41. neq; tamen litem illis movemus, qui ſtatuũt, hęc verba eſſe partem primi præcepti, quod biſariam proponatur, primùm quidẽ affirmativè, quis ſit pro vero Deo à nobis agnoſcendus ac colendus, deindè negativè, quod nulli alii extra & præter hunc verũ Deum divinus honor ac cultus ſit tribuendus: qua ratione Deus ipſe exemplo primi præcepti oſtenderet, quod in explicatione reliquorum præceptorũ in affirmativis negativa & in negativis affirmativa pręcepta cõtineri ſit docendũ. Porrò præfatio illa trimẽbris. Legislator n. primò ſe nominat Jehovam, quę eſt appellatio veri Dei propria, qua ſe ab omnibus aliis fictitiis Numinib. & Creaturis ſecernit. Oſtendimus autem ſuo loco in tract. de Natura Dei §. 21. nomen Jehovah deduci ab *eſſendo*, ac tribuitur uni ac ſoli vero Deo: 1. quia per ſe exiſtit, nullius indigens conſervatione vel ſuſtentatione. 2. quia omnib. Entib. dat eſſe, eſt eſſentia omnium Eſſentiarum, ac proinde abſolutum in omnia habet imperiũ. 3. quia promiſſis ſuis dat eſſe, ac reipſa ead. com-

plet.

plet. Quando igitur verus Deus h.l. ſe nominat Jehovam, ſe ſolũ pro vero Deo agnoſci, ac præceptis ſuis obœdiri jubet, cùm ſit αὐτοκράτωρ, cùm ſit noſter creator & conſervator, cùm promiſſiones ſuas obœdientibus datas reipſa compleat. Deinde vocat ſe Deum noſtrum. Ego Jehovah, אֱלֹהֶיךָ *Elohæchâ*, Deus autem propriè illorũ Deus eſt, quos peculiari dilectione complectitur. Gen. 17. v. 7. *Ego ſum Deus tuus, & Deus ſeminis tui* Pſ. 33. v. 12. *Beatus populus, cujus eſt Deus Iehovah, populus quem elegit in hereditatem ſibi*; conjungatur autem explicatio hujus phraſeos tradita Lev. 26. v. 12. Jer. 31. v. 2. Matth. 22. v. 32. 2. Cor. 6. v. 18. Quare cùm Deus illorum tantùm Deus ſit, qui eum agnoſcunt talem, qualem ſe in verbo nobis patefecit, ideò jubet his verbis, ut juxta patefactionem in verbo traditam ipſũ agnoſcamus & colamus: viciſſim cùm Deus peculiari dilectione & gratiâ illos complectatur, quorum ſe Deum profitetur, ideò promittit his verbis ſuã gratiam omnib. ex verbo ipſum rectè agnoſcentibus. Ratione creationis, cõſervationis & gubernationis Deus eſt *Deus omnis carnis* Jer. 32. v. 77. ſed ratione patefactionis & dilectionis peculiaris eſt tantùm Eccleſiæ Deus. Porrò cum hæc peculiaris Dei gratia non niſi in Chriſto & per Chriſtum nobis obtingat, ideò non incommodè dicitur אֱלֹהֶיךָ Elohæchà plurale cum affixo ſingulari denotare myſterium Trinitatis & Unitatis in Natura divina. *Qui non honorat filium, is nec Patrem honorat.* Joh. 5. v. 23. *Qui negat Filium, is nec Patrem habet.* 1. Joh. 2. v. 23. Ut ergò verus Deus ſit Deus noſter, ex verbo diſcendum, quòd Pater ſit in Filio, ac Filius in Patre. Joh. 14. v. 11. quod Pater, Filius, ac Spiritus S. ſint unum, h. e. unus verus Deus 1. Joh. 5. v. 7. & quod per Filiũ ἐκεῖνον καὶ μόνον cœleſtis Patris gratia nobis obtingat, &c. Denique revocat Deus Iſraelitas ad recens & inſigne illud beneficium liberationis ex Ægypto, quam vocat domum ſervitutum ſingulari emphaſi. Ego in mirando illo opere divinam meam potentiam, majeſtatem, ac bonitatem evidenter declaravi: æquum igitur eſt, ut me verum Deum agnoſcas, mihiq; ſoli ſervias. Obſervandũ autem, quod hæc particula propriè ac tantum ad Iſraëlitas pertineat, qui vel p ſe, vel per ſuos majores in ſervitute Ægyptiaca fuerunt: nobis in N. T. longè majus beneficium Deus per Filiũ præſtitit, qui ſuâ paſſione & morte ex regno Satanæ nos liberavit, cujꝰ typus fuit corporalis illa liberatio Iſraëlitis præſtita. Jer. 23. v. 7. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicent ultra, Vivit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti.*

Virtutes primo præcepto mãdata.

57. Verba primi præcepti, *Non habebis Deos alienos coram me*, nervoſè expoſuit Dn. Chemn. in cap. de primo præcepto, ubi oſtendit Deos novos, Deos alienos, Deos poſteros, Deos ſpurios & in genere omnem idololatriam non exteriorem tantùm, ſed etiam interiorem prohiberi, cùm diſertè addat Dominus: Non habebis Deos alienos *coram me*, coram facie mea; jam v. Deus corda & renes ſerutatur, oculi ejus Sole lucidiores abſconditũ noſtrum intuentur, quando idola in corde erigimus, Exech. 14. v. 7. Quæ virtutes in hoc 1. præcepto mandentur, id ex verbis: *Ego ſum Iehovah Deus tuus*, & ex Antitheſi, *nõ ſint tibi dii alieni coram me*, abundè cognoſci poteſt, præſertim ſi conjungatur explicatio Prophetarũ ac Apoſtolorum: 1. Si nõ habendi ſunt dii alieni, ſed unus ſolus verus Deus habendus, utiq; ex verbo ſuo rectè erit agnoſcendus ac proinde prima primi præcepti virtus eſt Dei Agnitio. Jer. 9. v. 24. *Ego ſum Dominus, faciens miſericordiam & judicium, qui gloriatur, in hoc glorietur, ſcire & noſſe me.* 2. Si Deus eſt noſter Deus, & quidem fortis zelotes, utique ergò timendus, ac proinde pertinet ad primum præceptum Timor Dei, Malac. 1. v. 6. *Si Pater veſter ſum, ubi eſt honor meus? Si Dominus, ubi eſt timor meus?* 3. Si Deus eſt noſter Deus, h. e. qui non ſolùm nos creavit & cõſervat, ſed etiam peculiaribus beneficiis Eccleſiæ propriis nos ſibi aſtringit, utiq; erit diligendus, ac proinde ad primum præceptum pertinet Dilectio Dei, Deut. 10. v. 20. *Dominum Deum tuum timebis, illiqúe adhærebis*, v. 21. *ipſe eſt Deus tuus.* 4. Si Deus eſt noſter Deus, h. e. qui peculiari gratiâ nos cõplectitur, utiq; fiducia cordis in ipſum collocanda: pertinet igitur ad primũ præceptum Fides, Eſa. 45. v. 22. *Confugite ad me & ſalvi eritis, quia ego ſum Deus, & non eſt alius.* 5. Sĩ Deus eſt noſter Deus, h. e. qui bonitatem ſuam manifeſtis indiciis declaravit, utiq; in eũ ſperandum, ac proinde etiam Spes pertinet ad primum præceptum Pſ. 7. v. 1. *Domine Deus meus in te ſperabo.* 6. Ex fide, ſpe & dilectione oritur Patientia, quę præſtat Deo obœdientiam in calamitatib. cũ tranquillitate animi conjunctam. Si enim verè credimus, paterno animo crucem imponi, ac tandem auxiliũ Dei nobis affulſurum, cur detrectemus jugũ crucis ſuſcipere. 7. Ex agnitione divinæ majeſtatis & timore Dei oritur Humilitas, quæ omnia bona à Deo deſcendere agnoſcit, reverenter ſe Deo ſubjicit, ipſi ſoli omnem gloriam tribuit, infirmitatem contra humanam agnoſcit & deplorat, nec majora viribus vel vocatione ſuâ appetit, ſed intra metas vocationis ſeſe continet; nec alios deſpicit, ſed ſuum illis locum ac honorem tribuit &c. 1. Pet. 5. v. 5. *Humiliamini ſub potenti manu Dei.* Porrò ea quæ in primo præcepto ſibi deberi Deus oſtendit, duplicis potiſſimùm ſunt generis. Quædam enim ita competunt ſoli Deo, ut ſi vel minimum quippiam decerpas & cum re creata quacunque communices, ilicò in hoc præceptum impingas, verbi gratiâ, fides & ſpes ſalutis, cultus adorationis, &c. quædam, licet ſoli Deo non conveniant, in ſummo tamen gradu ad Deum unicè referenda, ut dilectio, obœdientia, timor, &c. Bernh. ſer. 83. in Cant. *Exigit Deus timeri ut Dominus, honorari ut Pater, amari ut Sponſus.*

58. Hîc verò latiſſimus ſeſe apperiret campus de ſingulis hiſce virtutibus dicendi, nimirum 1. quid ſingulæ virtutes complectantur, 2. quæ cauſæ nos ad ſingulas impellere debeant. 3. quæ promiſſiones ſingulis annexæ. 4. quib. exemplis veritas promiſſionum divinarum demonſtrata, quæ omnia ex concionibus Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorũ abundè peti poſſunt, & ab induſtrio ſcripturę interprete, hûc referri debent, ſed inſtituti noſtri ratio hoc in loco id agendum ſuſcipere non permittit, ſufficit digitum ad fontes intendiſſe. Exempli gratiâ: Dilectio Dei complectitur conſiderationem bonitatis & miſericordię divinę, memoriam beneficiorum corporalium & ſpiritualium, conſiderationem promiſſionum futuræ vitæ, obœdientiam Deo debitam, &c. Diligendus ergò Deus, 1. quia eſt ſummum bonum, 2. quia eſt bonum αὐτοτελὲς,

ſum-

Digitized by Google

ſumma pulchritudo, ſummus theſaurus, ſumma ſapientia. 3. quia prior nos dilexit. 4. quia per dilectionem Deo ſociamur. 5. quia proxima via ad ſalutarem & practicam Dei cognitionem eſt ipſius amor. 6. quia ſolus Deus animæ deſiderium explere poteſt. 7. quia Deus diligens & dilectus beatos facit. 8. quia Deus ſe profitetur ſponſum noſtrum, &c. Hæc omnia dictis & exemplis ſcripturæ illuſtranda, & quid in concionibus Prophetarnm, Chriſti & Apoſtolorum de ſingulis virtutibus extet, diligenter annotandum eſt; tanta certè in Decalogo comprehenſa eſt ſapientia, quæ in hac vita exhauriri nunquam poterit.

Peccata contra primum præceptum.

59. Peccata contra primum præceptum pugnantia breviter comprehenduntur nomine alienorum Deorum ac Idololatriæ. *Non habebis Deos alienos coram me; Non facies tibi ſculptile, nõ adorabis, nec coles ea,* Sed illa brevitas evolvenda eſt. Oſtendimus ſuperiùs §. 45. membro 5. ex immotis ſcriptnræ dictis, quandocunque alicui rei vel naturali vel artificiali tribuitur gloria, quæ ſoli DEO debetur, inde fieri Deum alienum; jam verò hæc eſt gloria ſoli Deo debita, quòd ſuper omnia timendus ac diligendus; quòd omnis in ipſum collocanda cordis fiducia; quòd ab ipſo omnia ad nos deſcendunt bona; quòd ipſe ſolus noſter Salvator & Liberator. Ergo quæcunque creatura magis timetur ac diligitur quàm Deus, efficitur Deus alienus, quandocunque ita confiditur ac obœditur alicui rei, ut propterea violetur mandatum Dei, fit inde Deus alienus: quando beneficia accepta referimus non Deo, ſed creaturis, quando quærimus alios Salvatores & Liberatores, quàm verum Deum, facimus nobis Deos alienos. Sic 2. Cor. 4. v. 4. *Satan* dicitur *Deus hujus ſeculi*, nimirum quia homines hujus ſeculi ipſius ſuggeſtionibus magis obœdiunt, quàm Dei mandatis. Philipp. 3. v. 19. *Venter* vocatur *Deus Pſeudoapoſtolorum*, quia non quærunt Chriſti gloriam, ſed ventris commoda. Ita avaro pecuuia eſt Deus alienus, *qui ponit aurum ſpem ſuam, & auro dicit, fiducia mea es.* Job. 31. v. 24. non timet Deum, quò minùs in corradendis pecuniis mandata Dei violet, non confidit Deo, ut curam ventris ei committat.

Species Idololatriæ.

60. Idololatriæ ſpecies conſtitui poſſunt variæ. Eſt enim Idololatria quædam craſſa, quædam verò ſubtilis. Ad illam referendum, ſi lapides, ligna ac metalla aliquid divinitatis habere ſtatuuntur; ad hanc, ſi interius quoddam idolum in corde erigitur, cui divinus honor tribuitur. Alii hac utuntur diſtinctione. Prima ſpecies idololatriæ eſt, cùm divinè colitur id, quòd non eſt verus Deus, ſive ſit res naturalis, ut Sol, Luna &c. ſive manu hominum facta, ut ſculptilia, &c. Altera ſpecies eſt, cùm verus Deus colitur non divinè, hoc eſt, cùm verus Deus aliter colitur, quàm ſe in verbo coli præcepit: Sic Iſraëlitæ erant Idololatræ, cùm fabricarent aureum vitulum, cui tribuebant nomen veri Dei, non quòd ſtatuerent, illum vitulum eſſe æternam & infinitam illam eſſentiam divinam rerum omnium conditricem, ſed quia meminerant, Ægyptios tali ritu Deos ſuos colere & omnibus bonis circumfluere, ideò voluerunt etiam verum Deum, qui ex Ægypto ipſos eduxerat hoc cultus genere honorare. Hoc ſenſu omnes ἐθελοθρησκείαι ſunt ſpecies idololatriæ, quicunque enim verum Deum aliter colit, quàm ſe in verbo coli præcepit, is cogitationes cordis ſui verbo DEI & ſic Deo ipſi præfert. Denique ut duæ ſunt idolorum ſpecies, quædam ſunt interiora, quædam exteriora: ita quoque duæ ſunt cultus religioſi partes: Una interior, qua in corde ſtatuitur, aliquid divinitatis idolis ineſſe, reverentiam quandam religioſam illis deberi: altera exterior, quâ animus iſte proſternendo corpus, genua flectendo, caput aperiendo, &c. declaratur. Obſervandum hoc loco, quòd idolum ſit vocabulum relativum, materiale ejus ſunt lapides, ligna, metalla, imò & creaturæ Dei, Sol, ſtellæ, &c. hoc reſpectu *idola gentium* dicuntur *aurum & argentum*, Pſal. 115. v. 4. formale idoli eſt conceptus mentis tribuens vel creaturæ Dei vel facturæ manuum hominis aliquid divini honoris, quæ notio & conceptus mentis eum ſit vaniſſimus, ideò hoc reſpectu dicitur *idolum nihil eſſe in mundo*, 1. Cor. 8. v. 4. hoc eſt, nihil per ſe ſubſiſtens: ratione finis *dii gentium* dicuntur *Dæmonia*, Pſal. 96. v. 5. quando enim divinus honor tribuitur idolis, tùm non ligno aut lapidi, vel Soli, ſed Diabolo cultus iſtius autori honor defertur Pſal. 106. v. 37.

61. Poſſunt etiam peccata contra primum præceptum ex ἀντιθέσει virtutum ſuperiùs enumeratarum colligi. Cum vera Dei agnitione pugnant ignorantia veri Dei & voluntatis ejus; eaque vel innata vel affectata, falſæ opiniones de DEI eſſentia ac voluntate, ἐθελοθρησκείαι, dubitationes de DEO, abnegatio veri DEI, idololatria, &c. Cum timore DEI pugnant ſecuritas carnalis, vanus hominum timor, &c. Cum dilectione DEI pugnant odium DEI, inobœdientia erga DEUM, inordinatus amor ſui & creaturarum, hypocritica dilectio, &c. Cum fide pugnant ἀπιστία, ὀλιγοπιστία, fides hypocritica, fides temporaria, diffidentia, tentatio DEI, quâ ex fiducia propriæ ſapientiæ diſceditur à verbo & obedientia DEI, &c. Cum ſpe pugnant deſperatio, quæ honorem veritatis & miſericordiæ DEO denegat; dubitatio de liberatione & perſeverantia finali. Cum patientia pugnat impatientia, murmuratio adverſus DEUM in calamitatibus, quæ denegat DEO honorem ſapientiæ ac juſtitiæ, inquietudo cordis DEO ſe ſubjicere detrectantis, temeritas accerſens ſibi ſponte mala. Cum humilitate pugnat ſuperbia, cujus ſpecies variæ; hypocritica humilitas &c.

Appendix primi præcept.

62. Appendix ſive pars εἰδικὴ primi præcepti de non faciendis ſculptilibus ad cultum tractat ac proinde peculiarem Deorum alienorum ſpeciem exprimit. Vivebant Iſraelitæ in medio gentilium, ante menſes duos Ægypto exierant, cujus incolis uſitatiſſima fuit ratio exprimendi & colendi DEUM ſub ſpecie imaginum, quid quod ritibus Ægyptiorum ſeſe conformare cœperant Joſuæ cap. 24. verſ. 14. ideò peculiariter hanc idololatriæ ſpeciem in ſolenni illa legis ſuæ promulgatione DEUS prohibere voluit. Sed enim cùm non ſolùm ſuperioribus ſeculis, ſed etiam noſtro tempore diſputatio de Imaginibus magnas Eccleſiæ turbas dederit, aliis quidem imagines ſimpliciter hoc præcepto prohibitas eſſe contendentibus, aliis è diverſo

cultum imaginum eodem prohibitum adhuc propugnantibus, aliis media viâ inſiſtentibus & imagines ad habendum quidem, non tamen ad colendum Chriſtiano populo conceſſas eſſe demonſtrantibus (** Beza in Coll. Mompelg. p. 416. *Imagines in ſacris locis non judico collocandas, niſi valde circumſpectè caveatur, ne occaſionē idololatriæ dent* (Ergo illa circumſpectione adhibitâ etiam in templis collocari poſſunt) p. 420. *Pictura Antiqui dierum in Daniele non ideo propoſita eſt, ut pingatur: quamvis non urgem, ejuſmodi pingere non eſſe peccatum, ſed adiaphoron.* Zach. Urſinus in Explic. Catech. part. 4. p. 118. *Non ſimpliciter hic prohibetur à Deo facere vel fieri imagines, quia ſic damnaretur ars pictoria, ſculptoria, fuſeria, textoria, quam inter eximia & vita humana utilia Dei dona ſcriptura numerat Exod. 31. v. 3. cap. 35. v. 30. Sir. 38. v. 28 damnaretur etiā proprium opus artis. Et Salomon in ſolio ſuo leones & in templo palmas & Cherubim juſſu Dei ſculpi curavit.* Witak. contra Rainold. cap. 11. pag. 291. *Non pictura ſed cultus idolum facit: Pictura Jovis & Martis ſecundùm receptum hujus verbi uſum idola non erant, niſi eos homines adoraſſent: ita etiam ſanctorum imagines, ſi ad ſacrum cultum transferantur, quâ ratione* (Pontificii) *eas ſacras imagines appellatis, non aliud ſunt quam profana, impia & abominanda idola.* Vorſtius in cauſis deſerti Papatus diſp. 5. theſi 10. *Omnium rerum creatarum, licet inviſibilium, imagines omninò per ſe licitæ ſunt, nec niſi per accidens in Dei verbo prohibentur, i. e. propter accedentem idololatricum cultum, item obſcœnitatem ac turpitudinem, aut ſimilem aliquem cultum. Vide Exod. 25 & 31. & 35. Item Num. 21. & 1. Reg. 6. & 7. ubi Deus ipſe Cherubinos & alias id genus imagines exprimi curavit. Vide etiam Exod. 20. Levitic. 26. Eſa. 42. ubi tales imagines non niſi reſpectu idololatriæ & ſimilis alicujus abuſus prohibita dicuntur.* Idem in Coroll. illius diſputationis. *Imagines in templis noxiæ ſunt, ſi vel opinio neceſſitatis vel evidens idololatriæ periculum, aut certum infirmorum offendiculum, aut ſimilis abuſus excedat. Si tamen nihil horum verè ſit, ac ne futurum quidem eſſe juſtè metuatur, tum non minus in templis quā in ædibus privatis illa haberi aut ſaltem tolerari poſſunt quippe quæ per ſe ſunt adiaphora.* Et paulò poſt. *In auferendis imaginibus duo præcipuè ſpectanda. 1. Ut publica Chriſtiani Magiſtratus auctoritas Eccleſiæ autoritas accedat, neque per vim aut ſeditionem popularem, neque ex privata paucorum voluntate aliquid hic fiat. 2. Ut Magiſtratu procurante Eccleſia ipſa ſufficienter ex DEI verbo erudiatur, quid de re tota ſentiendum ſit, priusquā ad executionem veniatur atque ita idola prius ex animis quā ex oculis hominum auferantur.* Martyr in locis claſſ. 2. cap. 5. §. 10. in 1. Reg. 7. f. 53. *Chriſtus quatenus homo eſt & fingi & pingi poteſt. Non enim id pugnat cum rei Natura cum homo verè fuerit, neque cum arte pingendi, quæ corpora imitari poteſt.* Et paulò poſt. *Parùm mihi Synodi 7. probatur ratio, quæ ſi vera eſſet, non liceret ullum hominem pingere, quod anima, quæ ſpiritus eſt nequeat exprimi.* Ibid. *Angelos licet interdum pingere, prout ſe hominibus patefecerunt. Neque DEI præceptum id vetat, niſi fierent eorum ſigna, ut religioſè ac ſanctè colerentur.* Hemming. Comm. in Joh. laudat eos, qui in templum imaginem Chriſti crucifixi collocant. Ludov. Crocius in Aſſert. Aug. Conf. p. 456. *Picturas revelationum divinarum extra caſum offendiculi & periculum idololatriæ ut indifferentes cum Beza concedimus.* Zvinglius de vera & falſa relig. cap. ult. pag. 428. 429. edit. Tigur. Ann. 1525. *Statuas, imagines & ſimulachra nemo tam ſtolidus eſt, qui putet abolendas eſſe, ubi nullus eis cultus exhibetur. Quem enim moveant Cherubim, ſive myſterii, ſive ornatus gratiâ cùm in propitiatorio, tum in cortinis opere phrygio volantes, aut palmæ, leones, boves, mala punica & id genus ornamenta in templo Salomonis artificioſè fabrefacta? Rurſus ubi coluntur, quis tam excors eſt, ne dicam perfidus, ut ferri debere putet? ſed certâ ſcandali habitâ ratione.* Calvinus in Catech. E. ij. *Non quamlibet ſimpliciter picturam vel ſculpturam his verbis damnari intelligendum eſt, ſed tantùm imagines prohibemur facere in hunc finem, ut in illis Deum vel quæremus vel colamus, ſive quod idē eſt eas colamus in honorem Dei, aut quoquo modo illis ad ſuperſtitionem & idololatriam abutamur.* Bened. Aretius probl. Theol. part. ult. cap. de idolol. p. 210. *In templis etiam picturæ interdum viſuntur citra religionem tamen, ut noſtrum templum foris habet in porticu maximo inciſum noviſſimum judicium, ſculptæ quoque imagines virginum ſtultarum, & è contra aſtant ſculptæ & pictæ virgines quinq; ſapientes expreſſis geſtibus mira arte, nemo tamen religionem illis tribuit, ſed ſinguli artem & ingenium hîc admirantur.* ** ideò operæ precium erit exactiùs in genuinam hujus præcepti ſententiam inquirere, ubi meritò commendamus eruditiſſimum tractatum Dn. Schrôderi de Imaginibus An. 1606. editum, qui totam hanc de imaginibus controverſiam copioſiſſimè & perfectiſſimè expoſuit.

63. Sententia noſtra eſt, in hac primi præce- *An imagines ſimpliciter ſint prohibitæ.*
pti appendice, quatenus eſt moralis, non ſimpliciter & abſolutè ſculptilium ac imaginum facturam prohibitam eſſe, ſed tantùm ſecundum quid, h. e. ratione cultus. Id quidem ſic exprimunt, εἰδωλοποιΐαν non a. εἰκονοποιΐαν hoc præcepto prohibitam, cùm non omnis imago ſit idolum, ſed tùm demum fiat idolum, quando adorari & coli incipit. Autor librorum de Imaginibus, qui ſub nomine Caroli Magni circumferuntur lib. 4. pag. 18. *Nos imagines in baſilicis poſitas, idola non nuncupamus, ſed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recuſamus.* Urſinus in Catech. p. 718, diſtinctionem inter imaginem & idolum dicit ineptam eſſe, cùm εἴδωλον ratione etymi idem ſit, quòd formula, ſpecies, imago; ac proinde non poſſe diſcrimen tale ſtatui, quod ſimulacrum ſignificet imaginem rei verè exiſtentis, idolum autem imaginem rei fictitiæ. Reſp. Concedimus ſanè ratione etymi εἴδωλον idem eſſe quod Latinis eſt *imago*, interim tamen uſu Scripturę & Eccleſiæ nullū eſt idolū, niſi quod ad cultum proſtat, quod poteſt eſſe rei vel exiſtentis vel fictitiæ; ſi Sol, Luna, ſtellę adorētur, ſi ligna, lapides colantur, fiunt idola; ſi fingitur peculiaris modus Deum colendi extra verbi limites, itidē in corde idolū erigitur.

64. Notanter autem addimus in hac primi præcepti appendice non prohiberi ſimpliciter εἰκονοποιΐαν, quatenus ſcilicet appendix illa eſt moralis. Diſputat. Dn. Chemnit. in locis cap. de Imaginib. pag. 203. omninò Judæis interdictum fuiſſe, imagines & ſculptilia in templo ponere, quod ex Joſepho lib. 18. cap. 5. colligi poſſe arbitratur, ſed notanter addit hanc prohibi-

hibitionem fuiſſe Ceremonialem. Ergò ſi vel maximè obtineretur facturam imaginum ſimpliciter hoc præcepto prohibitam eſſe, nondum tamen evictum foret, eâdem prohibitione etiam nos Chriſtianos in Novo Teſtamento obligatos teneri, cùm Apoſtolus 1. Corinth. 8. verſ. 4. *idolum nihil eſſe* pronunciet (ſublata ſcil. opinione cultus & adorationis) *Quemadmodum circumciſio, quæ in Vet. Teſtam. neceſſaria fuit, in Nov. Teſtam. nihil eſt, h. e. res indifferens eſt Gal. 5. v. 6. ita quoque idolum nihil eſt, non eſt aliquid quod poſſit vel ſanctificare vel contaminare.* Hæc Dn. Chemn.

Argumenta pro parte quæſtionis negante. 65. Simpliciſſimum autem ac verbis legis maximè congruum eſt ſtatuere, quòd non contineatur in hoc præcepto abſoluta *εἰκονοποιΐας* prohibitio, ſed tantùm ea, quâ ad cultum imagines fiunt, quam propriè vocant *εἰδωλοποιΐαν*, quod ſequentibus confirmamus argumentis. 1. Ex genere judicium fieri poteſt de ſpecie. Jam verò generale membrum primi præcepti hoc requirit, ne habeantur Dii alieni. Ergò pars hæc *εἰδικὴ* de non faciendis ſculptilibus itidem intelligenda eſt hoc modo, ne per ſculptilia faciamus Deos alienos, quod fit cultu atque adoratione. 2. verſ. 5. immediatè ſequitur. Non adorabis, nec coles ea, quæ verba limitationem addunt prioribus, quatenus ſcilicet & quo fine ſculptilia fieri prohibeantur. Quamvis verò iſta verba, *non adorabis nec coles ea*, per diſtinctionem Silluk ſive Sophpaſuk ab antecedentibus diſtinguantur, ex eo tamen non poteſt inferri, quòd diſtinctum a priore conſtituant præceptum, aliàs toties conſtituenda forent nova præcepta, quoties in Exodo cap. 20. & Deuteronomio cap. 5. diſtinctio illa occurrit. Nec deſunt exempla, in quibus verſus ſequens limitationem atque explicationem præcedentis continet, ſi vel maximè per Sophpaſuk ab eo diſtinguatur. Deuteron. cap. 4. verſ. 15. & ſeqq. idemque hîc locum habere oſtendit punctum Rebia, quod ante Sophpaſuk ultimæ dictioni præcedentis verſus incumbit ac monet ſententiam de Imaginibus nondum finiri, ſed ejus declarationem in ſequentibus expectandam eſſe, ideò LXX. Interpp. intra unius periodi contextum verba, quæ in Hebræo per Silluk diviſa videntur, contraxerunt. *ὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, ὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς, ὐ προσκυνήσεις, ὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς.* 3. Generalis promiſſio & comminatio ſubjuncta oſtendit omnia præcedentia ad unum, videlicet primum de non habendis Diis alienis pertinere præceptum; Zelotypia enim illa Dei huc ſpectat, quòd non poſſit ferre Deos alienos, ſicut maritus Zelotypus non poteſt domi ſuæ ferre rivalem. Quod ſi præceptum de ſculptilibus eſt appendix ſive pars primi præcepti, evidenter ex eo colligitur, eatenus tantùm imagines prohibitas eſſe, quatenus ex illis fiunt Dii alieni. 4. v. 23. ſubjungitur. *Non faciatis mecum Deos argenteos, neque Deos aureos facietis vobis.* Levitic. 19. verſ. 4. *Non convertatis vos ad idola, neque Deos fuſiles faciatis vobis, ego Jehovah DEUS veſter*; ubi apparet, argenteas aureasvé imagines eo ſolùm reſpectu fieri prohibitas, ne ſint Dii, hoc eſt, ne proſtent ad idololatriam. 5. Neve ulla reſtet dubitatio, conjungimus explicationem hujus præcepti traditam Levit. 26. v. 1. *Non faciatis vobis idola* (Elilim *deunculos*, alii deducunt à *vanitate* ſeu *ſtultitia*, alii volunt dictum quaſi אַל אֵל Al El, *non Deus*) *& ſculptile & ſtatuam non erigetis vobis, neque lapidem pictum ponetis in terra veſtra, ut incurvetis vos ei, ego n. Jehovah Deus veſter.* Quæ per Sophpaſuk Exod. 20. diremta videntur, ea hoc in loco ita contexuntur, ut unam eandemque ſententiam conſtituant. Quod in Exodo dicitur לֹא תַעֲשֶׂה לְךָ פֶסֶל ׃ לֹא תִשְׁתַּחֲוֶה

lo taaſæh lechá pæſæl: lo thiſchthachavæh

non facies tibi ſculptile, non incurvabis te, in hoc loco ſic exprimitur. לֹא תַעֲשׂוּ לָכֶם אֱלִילִם

וּפֶסֶל לְהִשְׁ תַּחֲוֹת עָלֶיהָ

lo thaaſu lachém Elilim upæſæl lehiſch thachaót aléhah,

Non facietis vobis idola & ſculptile, &c. ad incurvandum vel ut incurvetis vos ei, qui locus vel unicus totam hanc terminare deberet controverſiam, cùm evidentiſſimè oſtendat, certo reſpectu videlicet adorationis & incurvationis causâ imagines fieri, prohibitum eſſe. Petimus etiam ex hoc loco tale argumentum. Quo modo prohibitum eſt erigere ſtatuam, & ponere lapidem, eo etiam modo prohibetur facere ſculptile. Jam verò non quævis, ſed idololatrica, lapidis ac ſtatuæ erectio ibi prohibetur. Ergò non quævis, ſed idololatrica ſculptilium factura prohibetur. Aſſumtum confirmant exempla eorum, qui tum ante legis promulgationem, tum poſt eam ſtatuas erexerunt ac lapides poſuerunt Gen. 28. verſ. 18. c. 31. v. 45. cap. 35. v. 14. Joſuæ 24. v. 20. 1. Sam. 7. verſ. 12. 6. Denique Deuter. 4. v. 15. & ſeqq. repetitur hoc præceptum. *Cavete diligenter animabus veſtris (non enim vidiſtis ullam imaginem die, quo locutus eſt Jehovah ad vos) ne fortè corrumpatis vias veſtras & faciatis vobis ſculptile aut imaginem ullius ſimulachri, effigiem maſculi aut fœminæ, effigiem cujuscunque animalis, quod in terra, effigiem cujuscunque alatæ, quæ volet per cælum, effigiem cujuscunque repentis in terra, effigiem cujuscunq; piſcis, qui in aqua, ſub terra, nevè attollas oculos tuos in cælum, & videas Solem & Lunam, & incurves te illis, colasque ea*, &c. Hic locus præterquam quòd disertè exprimit eo fine prohibitam eſſe Sculptilium facturam, ne incurvemus nos eis, ſuppeditat duplex ſententiæ noſtræ argumentum; Aut imaginum illæ ſpecies enumeratæ omnes ſunt ſimpliciter prohibitæ, aut tantùm ratione finis, ſcilicet cultus, ſi prius, nec hominis, nec volucris, nec piſcis, nec ullius animalis imago habenda erit: & quia præceptum generale eſt, ne quidem in privatis ædibus, in libris Medicorum, in monetis, in inſignibus eas habere licebit, quod abſurdum. Si poſterius, evicta eſt noſtra ſententia. Viciſſim, Quo modo prohibitum attollere oculos in cœlum & videre Solem & Lunam & ſtellas, omnem militiam cœli; eo etiam modo prohibitum, facere ſculptile (de paribus enim idem eſt judicium) Atqui non niſi ratione finis vitioſi, ſcilicet cultus idololatrici prohibitum eſt, oculos attollere in cœlum & videre Solem & Lunam & ſtellas. Ergò etiam non niſi idololatrica ſculptilium factura præcepto Dei prohibetur.

66. Atque hæc noſtræ interpretationis fundamenta ex ipſis textus viſceribus ſunt petita, quibus addi poſſunt ſequentia ex aliis Scripturæ locis & ex ipſa re depromta. 1. Quicquid à DEO ipſo factum ac fieri præceptum, id moraliter in lege non eſt prohibitum. (Lex eſt norma voluntatis divinæ & ea quidem immota, dici ergò nequit, Deum ea facere aut præcipere, quæ cum norma legis ſuæ pugnant) Jam verò DEUS ipſe fecit & præcepit fieri imagines. Gen. 25. verſ. 40. oſtendit Moyſi in monte imaginem tabernaculi Numer. 21. verſ. 9. jubet erigere ſerpentem æneum, quem cùm percuſſi ab ignitis ſerpentibus adſpicerent, ſanabantur. Exod. 35. verſ. 30. & ſeqq. Beſeleel & Ahalias implentur Spiritu DEI, ſapientiâ, intelligentia & ſcientiâ in omni opere ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, &c. quò pertinent viſiones Propheticæ V. ac N. T. 2. Quod Natura ipſa facit, id Deo non eſt ſimpliciter exoſum, loquor autem de Natura inſtituta, non autem per peccatum in homine corrupta. Definientibus Philoſophis Natura eſt potentia Dei ordinaria. Proinde quod Natura, quâ talis, facit, illud DEUS odio non habet. Jam verò tota rerum univerſitas figuris & imaginibus plena eſt. Imago è corpore emanans recipitur in aqua, in ſpeculo &c. in ſuperiore aeris regione varia formantur φαινόμενα, ut irides, trabes, confligentes exercitus, cruces, parelii, paraſelenæ &c. Socrates lib. 2. cap. 24. refert, Signum Servatoris in Oriente apparuiſſe, cùm columna crucis effigiem exprimens in cœlo viſa maximam intuentibus excitaret admirationem. Hemmingius annotat, eandem Chriſti imaginem cum corona ſpinea Anno 1561. in cælo viſam. Similia oſtenta Anno 1549. 1554. 1559. viſa eſſe teſtatur Fincelius. Cognitio noſtra fit per ſpecies, quas vocant intelligibiles, quæ nihil aliud ſunt quàm interiores, ſpiritales atque ἄϋλοι imagines. 3. Quicquid ut pars Levitici cultus à Deo ipſo inſtitutum, illud lege morali non eſt prohibitum, aliàs lex moralis & ceremonialis, invicem pugnarent. Jam verò imagines in tabernaculo fieri, à Deo ipſo eſt inſtitutum, ut Cherubin Exod. 25. v. 18. mala punica Exod. 28. v. 33. &c. quò pertinent variæ illæ imagines in templo Salomonis 1. Reg. 6. & 7. 2. Paral. 3. & 4. quas Deo haudquaquam diſplicuiſſe ex eo patet, quod gloria Domini templum illud miraculosè implebat 1. Reg. 8. v. 11. 4. Quicquid Iſraelitis fuit liberum, id non eſt lege aliquâ morali ſimpliciter prohibitum. Atqui uſus imaginum fuit Iſraëlitis liber, quòd non ſolùm ex variis illis imaginibus in templo Salomonis apparet, ſed cumprimis ex hiſtoria Joſuæ 22. Rubenitæ, Gaditæ & dimidia tribus Manaſſe extruunt altare è regione terræ Canaan in confinibus Jordanis v. 11. hoc nomine accuſantur ab aliis populi Iſraëlitici tribubus ac ſi eſſent legis divinæ prævaricatores v. 16. cùm verò inſtituti ſui rationes exponerent, quod non cultus alicujus idololatrici, ſed memorialis cujusdam gratia id fecerint v. 27. placuit hæc res in oculis filiorum Iſrael v. 33. Arca Domini poterat ſecum tolerare mures aureos & quinque anus aureas, cùm non proſtarent ad cultum idololatricum, ſed idolum Dagon concidit à facie arcæ, quippe quæ ſtatua erat idololatrica 1. Sam. 5. & 6. capp. Tempore Salomonis potuit Deus boves fuſiles in templo tolerare, ſed vitulos in Bethel & Dan odio habebat, quippe qui proſtabant ad idololatriam, figuris certè non diſtabant, ſed tantùm fine. De Siclo templi Iſraelitis uſitato refertur, quod ab una parte habuerit imaginem virgæ Aaronis, ab altera caliculum thuris. 5. Quicquid in primitiva N. T. Eccleſia eſt liberè uſurpatum, id non eſt voce legis moralis prohibitum, quia lex moralis non minùs in N. T. Chriſtianos obligat, quàm in V. T. Iſraelitas. Atqui imaginum uſus in primitiva N. T. Eccleſia liber fuit habitus. 1. Cor. 8. v. 4. *Idolum nihil eſt in mundo.* Docet Apoſtolus idolothytorum eſum per ſe non contaminare Chriſtianum, cùm idolum nihil ſit in mundo, ità ut ſine conſcientiæ labe tolerari poſſit ab iis, qui pro idolo non habent. Si idolum hoc modo tolerari poterit à Chriſtianis, multò magis tolerari, imò haberi poſſunt Sanctorum imagines in noſtris templis. Act. 27. & 28. *Paulus vehitur in navi Alexandrina, cujus inſigne erat imago Caſtoris & Pollucis.*

67. Excipit Urſinus in Catech. part. 3. p. 718. hanc non eſſe ſuam ac ſuorum hominum ſententiam, quod ſimpliciter lege Dei prohibitum ſit ſimulacra, ſtatuas, imagines, fieri vel habere, ſed illas tantùm imagines ac ſtatuas prohibitas eſſe. 1. quæ ad repræſentandum aut colendum DEUM effinguntur. 2. quæ in templis, in compitis, vel alibi ad cultum DEI vel ad ornatum periculoſum ponuntur: licitas contra imagines creaturarum eſſe, quæ extra templum citra periculum & ſpeciem idololatriæ, ſuperſtitionis aut ſcandali, ad uſum politicum, hoc eſt hiſtoricum aut ſymbolum vel ad honeſtum ornatum fiunt. Ita quoque Caſſellani in antiq. fide Cattorum p. 89. domi privatim licet habere imagines Apoſtolorum, quamprimum autem conſtituuntur in templo, exerces per illas idololatriam. *Exceptiones adverſariorum.* *1. In templo prohibitas eſſe imagines.* Reſp. 1. DEUS, cùm ſit Spiritus, adeoque eſſentia inviſibilis & infinita, per ſe & quoad eſſentiam pingi non poteſt: cumque nulli rei creatæ ſit ſimilis, ideò non debet rei alicujus creatæ imago pingi, quâ DEUS repræſentetur, maximè cùm diſerto præcepto id ſit prohibitum. Deut. 4. verſ. 15. quâ in parte Urſino nemo noſtrûm contradicit. Sed ſecures, bipennes, vectes & mallei adverſariorum εἰκονομάχων teſtantur, quòd ſtatuant illas etiam picturas eſſe prohibitas, quibus Hiſtoriæ manifeſtationes, in quibus S. Trias ſeſe revelavit, depinguntur, quod ex verbis legis Moſaicæ demonſtrare nunquam poterunt. Neque enim reſtrictio illa additur; non facies tibi ſculptile aut imaginem, quâ repræſentes manifeſtationem DEI ſive tales res, quibus ſe DEUS manifeſtavit, neque poteſt ex antecedentibus vel conſequentibus iſta reſtrictio probari, ſed in genere prohibentur omnes imagines, κατά τι videlicet certo reſpectu & fine, ne adorentur & colantur. Ac ſi vel maximè nunquam pingatur, nunquam fingatur, nunquam oculis hominis objiciatur talis imago, tamen quando manifeſtationes illas DEI, quibus Pater in forma antiqui dierum Dan. cap. 7. verſ. 13. Filius in aſſumta carne 1. Timoth. 3. verſ. 16. Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ Math. cap. 3. verſ. 16. ſeſe revelavit & oculis hominum olim q. conſpiciendum præbuit, quando inquam manifeſtationes illas recitari audi-

audimus vel eaſdem in Scripturis legimus, ſtatim mens noſtra ſibi interius tales imagines format; neque enim ſpecies intelligibiles quicquam aliud ſunt quàm ſpiritales & internæ rerum imagines.(** *Quæcunque verbis piè deſcribuntur & juxta deſcriptionis illius tenorem animo tanquam ſpeculo imprimuntur & ſecundum illum animi conceptum efferuntur ad alios, ut & ipſi percipiant, illa non minus piè etiam penicillo & coloribus depingi & ob oculos poni poſſunt, ut eadem planè imago & non diverſa animo concipiatur ſive per oculos ex pictura, ſive per aures per expreſſa verba, quo accommodari poteſt phraſis Paulina* Gal. 3. v. 1. οἷς κατ' ὀφθαλμοὺς Ἰησοῦς Χριστὸς προεγράφη ἐν ὑμῖν ἐσταυρωμένος. D. Mentz. diſp. 2. contra Pierium. coroll. 2**) Nullum igitur à pictura illarum manifeſtationum propriè & per ſe imminet periculum, cùm non cultus ſed memoriæ & ornatus cauſa depinguntur. viderint autem adverſarii, annon ipſimet idolum in cordibus auditorum erigant. Ezech. 14. v. 7. quando aliam Dei imaginem ipſis imprimunt, quàm in verbo ſeipſum manifeſtavit, dum docent, ipſum abſoluto quodam decreto maximam hominum partem æterno exitio devoviſſe, ipſum multis offerre verbum, quos tamen converti seriò non velit; nunquam fuiſſe tempus, quo voluerit omnium miſereri &c. Ac ſi Hiſtorica illa manifeſtationum divinarum pictura ſimpliciter eſt Dei lege prohibita, quo jure concedit Martyr in Comment. 1. Reg. 7. claſſ. 2. locor. commun. c. 5. §. 10. *Chriſtum quoad humanam Naturam pingi poſſe?* cui tamen hoſtiliter contradicit Beza, quando in colloq. Mompelg. p. 418. *ſe ex animo deteſtari imaginem crucifixi* publicè fatetur. Idem tamen in Coll. Momp. pag. 420. fatetur, non eſſe peccatum, ſed ἀδιάφορον, manifeſtationem illam Patris in forma antiqui dierum depingere. 2. Ubi verò additur reſtrictio illa, quod imagines domi habere liceat, in templo non liceat? verba legis generalia ſunt, *non facies tibi ſculptile, nec ullam ſimilitudinem.* Annon in ipſo templo ex Dei inſtitutione fuerunt Cherubin aliæque imagines complures? Ac ſi vel maximè Judæis non licuit ullas templo Hieroſolymitano inferre imagines, quod ſtatuiſſe videntur ex Joſepho lib. 18. c. 15. illud tamen in N. T. jamdudum tanquam Ceremoniale fuiſſet antiquatum & abrogatum. Ratio templorum, quibus utimur, tota eſt Ceremonialis, quicquid igitur extra templa nobis Chriſtianis eſt conceſſum; idem intra templa morali aliquâ lege non eſt prohibitum. Salomon fecit boves fuſiles in templo 1. Reg. 7. v. 25. Jeroboamus vitulos ſuos aureos extra templum in Dan & Bethel erexit 1. Reg. 12. v. 28. 29. nihilo tamen minùs boves fuſiles Salomonis à Deo approbantur, vituli aurei Jeroboami damnantur.

2. Manifeſtationes Dei non licere depingere.

68. Excipit Urſinus ulteriùs pag. 720. Deo quidem licuit, ſe manifeſtare quocunque modo ipſi placet, nulli autem creaturæ licet Deum ſigno, quo ipſe non juſſit, repræſentare. Deinde ſpecies illæ habebant promiſſionem præſentiæ & exauditionis Dei ad illas, quod de ſimulachris illas imitantibus dici nequit. Denique ſpecies illæ erant tranſitoriæ, tantiſper manebant, donec illis DEUS ad patefactionem ſui uti volebat, ideoque ad idololatriam rapi non poterant: Statuæ verò & picturæ, quas homines ad patefactiones divinas repræſentandas faciunt, neque ad patefactiones Dei, neque ad repræſentationem patefactionum ſunt à Deo ordinatæ, proinde ſunt objectum & occaſio idololatriæ. Reſp. 1. Quamvis Deus non juſſerit manifeſtationes illas depingere, tamen nec pingi prohibuit, adiaphorum igitur eſt & in Chriſtianâ libertate relictum. 2. Picturis illis non dicimus Deum ipſum, ſive ipſam Dei eſſentiam repræſentari, quod fieri nec poteſt nec debet, unde in Concil. Elibertino can. 36. rectè prohibitum, *ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur,* ſed res illæ, in quibus Deus ſeſe manifeſtavit & conſpiciendum quaſi præbuit, depinguntur. 3. Quamvis ſpecies illæ habuerint teſtimonium præſentiæ Dei peculiaris ad illos, quo pictura illarum ſpecierum deſtituitur, ex eo tamen nondum inferri poteſt, ſimpliciter & abſolutè prohibitum eſſe, manifeſtationes illas exprimere. Martyr quoad humanam Naturam Chriſtum pingi poſſe concedit, qui procul dubio in illa pictura perſonalem τοῦ λόγου ἐνοίκησιν non agnoſcit, quam tamen aſſumtæ carni, in qua λόγος ſeſe manifeſtavit, neceſſariò tribuere cogitur. 4. Nec directa fuit vel etiam dirigi debuit adoratio ad ſpecies illas, in quibus ſe Deus manifeſtavit, ſed ad Deum, qui in illis ſe patefecit (ubi tamen excipitur aſſumta Chriſti caro, quippè quæ cum λόγῳ perſonaliter unita, ideoque unâ adoratione Chriſtus ut DEUS & homo glorificandus eſt) 5. Hiſtoricæ illæ picturæ per ſe & ex ſe non ſunt objectum & occaſio idololatriæ, alias in noſtris etiam Eccleſiis religioſè colerentur, quod enim alicui rei per ſe convenit, id ſemper & omni convenit. Ex his facilè reſponderi poterit ad reliquas Urſini exceptiones, quæ nituntur omnes hoc fundamento, quod imagines ſint ſimpliciter prohibitæ, & quod per ſe ſint cauſa idololatriæ.

3. Mandatum de fabricandis imaginib. fuiſſe ſpeciale.

69. Contra fundamenta noſtræ ſententiæ ſuperiùs allata, hoc modo inſurgit pag. 728. 1. *Mandatum DEI datum Moſi de fabricandis Cherubin & exemplum Salomonis templum DEI variis imaginibus exornantis fuerunt ſpecialia.* Reſp. Non dicimus, neceſſarias eſſe imagines in templis, quemadmodum fuerunt neceſſariæ Moyſi, qui mandatum peculiare de illis accepit, dicimus autem, eas tolerari poſſe, idque ex teſtimoniis illis rectè colligimus, quæ enim ſimpliciter lege morali ſunt prohibita, ea DEUS nec præcipit, nec permittit. 2. Imagines illæ non facilè potuerunt trahi ad idololatriam. Addunt alii, *Cherubin fuiſſe in Sancto Sanctorum, ſicque à conſpectu populi remota.* Reſp. An non ſerpens æneus ſucceſſu temporis fuit occaſio idololatriæ 2. Reg. 18. verſ. 4. *Ezechias ſuſtulit aneum ſerpentem, quem fecerat Moſe, quia usque ad dies illos filii Iſraelis ſuffitebant ei;* an non aliæ imagines in tabernaculo Moſis & templo Salomonis in totius populi conſpectu fuerunt prohibitæ? Puritas ac ſinceritas verbi unicum ac certiſſimum eſt idololatriæ præcavendæ remedium, ſtante verbi puritate nullum erit ab imaginibus periculum, collapſa verbi ſinceritate proclivis eſt ad idololatriam lapſus, ſi vel maxime nullæ extent ſtatuæ vel imagines. Sol, Luna, ſtellæ & omnis militia cœli occaſio fuit idololatriæ, deturbent igitur illas DEI creaturas è cœlo. Adde quòd non defendamus illas ſtatuas, quæ facilè dant occaſionem

4. Imagines illas non potuiſſe facilè trahi ad idololatriam.

idololatriæ, ſed hoc ab adverſariis obtinere cupimus, imagines non eſſe ſimpliciter & abſolutè lege divinâ prohibitas. 3. *Imagines illæ in V. T. fuerunt typicæ, jam verò per Chriſti adventum omnes typi ſublati.* Reſp. Sanè imagines illæ fuerunt pars cultus Levitici, ideoque neceſſariæ, quod de noſtris imaginibus Hiſtoricis non dicimus. Quamvis imagines in Novo Teſtam. non ſint typi futurorum, tamen poſſunt eſſe memorialia præteritorum.

5 Imagines V T fuiſſe typicas.

70. Maneat ergò firmum fixum, non omnem εἰκονοποιΐαν abſolutè & ſimpliciter lege Dei prohiberi, ac proinde non omnem imaginum uſum eſſe interdictum. Quod utinam exactius perpendiſſent 338. Patres Synodi Conſtantinopolitanæ VII. ſub Conſtantino Copronymo Anno Chriſti 753. vel ut alii volunt 755. qui non ſolùm imaginum cultum, ſed etiam ipſas imagines damnarunt, ac ne fierent, prohibuerunt. Verba decreti ſic habent. *Qui ab hoc die imaginem auſus fuerit ſibi parare aut adorare aut in Eccleſia, aut in privata domo conſtituere aut clam habere, ſi Epiſcopus fuerit aut Diaconus deponitor: Si verò ſolitarius aut Laicus anathemate percellitor, Imperialibusq; conſtitutionibus ſubjicitor, at qui divinis decretis repugnet & dogmata non obſervet.* Horum exemplum ſuperiori ſeculo imitandum ſibi propoſuit Andreas Carolſtadius (de quo Philipp. in Epiſt. ad Frid. Myconium præfixa libello de Euchariſt. ſcribit, quod fuerit *homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi, in quo extiterint manifeſta ſigna impietatis* &c.) is bellum εἰκονοκλαςικὸν Anno 22. cùm D. Lutherus in Pathmo ſuo lateret, Witebergæ redintegravit & imagines ex templis ferratâ manu exturbare non fuit veritus. Videatur Sleidanus lib. 3. Hiſt. D. Lutherus Tom. 2. Jen. Germ. fol. 68. & ſeqq. ** Quirin. Reuterus in aphor. Theol. Heidelb. ann. 601. edit. part. 3. th. 29. *Seculum integrum ad has evellendas ſpinas iſtis diligentibus Paſtoribus* (Lutheranis) *nondum ſuffecit? imo removeantur ex oculis, ut illorum memoria deleatur ex animis. Denique ſemel potius tollatur lapis offendiculi, quã de periculo ruinæ viatores uſque moneantur.* ** Quantos tumultus εἰκονοκλασία in Gallia, Belgio, quin & in Germaniæ quibusdam locis ſuperioribus annis excitaverit, non ignotum eſt. Monet quidem Urſinus in Catech. p. 726. in abolitione imaginum & ſtatuarum duo diligenter obſervanda eſſe 1. ut præmittatur doctrina de vero Dei cultu ante idolorum abolitionem: *Præcedat doctrina* (ait) *& idola ſponte corruent.* 2. *Statuæ non debent tolli à privatis, ſed autoritate publica ſive Magiſtratuum, ſive populi, ſi penes eum ſit poteſtas publica & in iis locis, in quibus Eccleſia tenet imperium.* At num hæc ubique & ſemper fuerint à ſuæ fidei hominibus diligenter obſervata, ipſe viderit. Beza in Colloq. Mompelg. f. 398. fateri cogitur, hujusmodi in Gallia in exortis tumultibus & civilibus bellis facta eſſe aliquo zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam, quoniam modum exceſſerunt.

71. Antequam vero noſtram de imaginibus ſententiam exponamus, diſtinguendum erit inter imagines. ** *Imagines quædam ſunt licitæ, aliæ illicitæ. Illicitæ ſunt vel inhoneſtæ vel ſuperſtitioſæ. Inhoneſtæ aut ſunt impudicæ ut Veneris, Bacchi; aut mendaces ut Chriſtoph. Catharinæ. Licitarum aliæ ſunt Symbolicæ aliæ Hiſtoricæ, quarurſus ſunt vel politicæ ut picturæ ac cælaturæ εἰς κόσμησιν καὶ ἀνάμνησιν ubivis obviæ vel ſacræ ex hiſtoriis ſ. literarũ depromtæ, ut ſunt typi & apparitiones.* Bacm. ** vel 1 Quædam ſunt Idololatricæ. 2 Quædam inhoneſtæ & obſcœnæ. Scribit Ambr. Catharinus, *in excelſis templis ac ſacellis Italiæ offendi picturas tanta laſcivia, ut quicquid Natura occuluit turpe, ibi liceat contemplari ad excitandam non devotionem ſed cujusvis demortuam carnis libidinem.* 3. Quædam ſuperſtitioſæ ac fabuloſæ. 4. Quædam typicæ. 5. Quædam hiſtoricæ. 6. Quædam ornatus causâ efformatæ. Idololatricas & inhoneſtas picturas ſive ſtatuas per Magiſtratum politicum abolendas eſſe dicimus. Superſtitioſæ ac fabuloſæ itidem in templis ferendæ non ſunt, niſi fortè de idolomania ſuperiorum temporum ea illis petere velimus teſtimonium, quo fine privatim aſſervari poſſent. Typicæ imagines V. T. propriæ ſunt. Hiſtoricas atque illas quæ ornatus cauſa formantur libertas Chriſtiana nõ repudiat; ubi tamen obſervare jubemus ſequentia theoremata. 1. Prudentia Chriſtiana, ut alibi, ita hîc vel maximè requiritur, ne intempeſtivo rerum adiaphorarum uſu ſcandalum præbeamus infirmis, *nec tamen vel ad horam cedamus illis, qui ſubintroeunt ad tentandam libertatem Chriſtianam,* Gal. 2. v. 4. Sic Apoſtolus præſcribit Chriſtianis, *ne in ſimulacris Deum provocent ſuâ ſcientiâ.* 1. Cor. 10. v. 22. idem tamen idolum nihil eſſe pronunciat, 1. Cor. 8. v. 4. 2. Dn. Chemn. graviter ſcribit p. 2. locor. p. 105. *In imaginibus caveantur omnes occaſiones idololatriæ, quæ inde poſſet exiſtere. Experientia omnium temporum in V. & N. T. oſtendit, imagines & ſtatuas præbuiſſe idololatriæ occaſiones ac ſeminaria, & ſemper ex indifferenti imaginum uſu progreſſu temporis ortas fuiſſe corruptelas verbi divini.* 3. Nimia copia imaginum ſumtuoſarum vitanda, ne accidat id, de quo conqueritur Bernhard. in Apolog. ad Gail. Abbatem col. 1134. *ut ſplendide fulgeat Eccleſia in parietibus & egeat in pauperibus, lapides ſuos auro induat & filios ſuos nudos deſerat, nevè de ſumtibus egenorum ſerviatur oculis divitum.* 4. Sedulò præcavendum, ne pars divini cultus in illis conſiſtere judicetur, aut ſanctitatem quandam loco conciliare exiſtimentur; ne fingatur, Deum ita alligatum eſſe ad imagines, ut ibi magis exaudiat & efficaa ſit, quàm alibi. 5. Ponatur imaginum uſus inter exercitia corporalia, quæ Paulus dicit ad modicum utilia eſſe. 1. Tim. 4. v. 8. *Deus enim dedit ſcripturam, ut eſſet medium ad inſtructionẽ, commonefactionem & excitandam devotionem, huic medio nullo modo comparandæ ſunt mutæ imagines,* ut iterum ſcribit Dn. Chemn. c. 2. de imagin. p. 108. 6. Magis probandæ picturæ & ſculpturæ Hiſtoricæ, quàm prægrandes illæ ſtatuæ ac coloſſi. ** Uſus imaginum eſt duplex. *Illicitus* & *licitus*. Illicitus vel ſuperſtitioſus, quando imagines cum impietate ſunt conjunctæ, idq; dupliciter 1. *formaliter*, quando in ipſa imagine vel pictura eſt aliquid impietatis, ut quæ exprimit DEI Naturam & eſſentiam. 2. *finaliter*, quæ proſtat ad adorationem ita ut ea adoretur vel Deus in ea. Licitus uſus duplex eſt. *Politicus* vel *Eccleſiaſticus*. Politicus aliàs Symbolicus eſt, qui commonefacit nos de re, quæ imagine illa repræſentatur ob finem politicum ut imago Cæſaris in moneta. Hunc uſum approbat Chriſtus Matth. 22. Uſus *Eccleſiaſticus* eſt *Typicus* vel *Hiſtoricus*. Uſus Typicus

Variæ ſpecies imaginum.

Quibus conditionibus imagines haberi poſſint.

picus viguit in V. T. & jam deſiit. Talis fuit ſerpens æneus &c. Hiſtoricꝰ eſt quando vel propter monumentum rerum geſtarum vel propter ornatum imagines adhibentur.

72. His & ſimilibus conditionibus obſervatis, licitus ac indifferens eſt imaginum uſus, quem dum contra εἰκονοκλάςας defendimus, non tàm de imaginibus, quàm de libertate Chriſtiana ſoliciti ſumus. Cùm n. nulla lex moralis imagines haberi vetet, utique abolitionem earum tanquam neceſſariam urgere, Chriſtianam libertatem captivat. Quamvis enim quædam ſtatuæ ac imagines ex Papatu adhuc ſuperſtites olim fuerint idololatricæ, nondum tamen ex eo ſequitur, quod ſimpliciter neceſſarium ſit eas removeri, cùm remotâ idololatriâ memoriæ vel ornatus cauſâ liberè retineri poſſint. Sol, Luna & ſtellæ fuerunt olim Ethnicis idololatriæ materia; quæ nihilominus ſunt ac manent bonæ Dei creaturæ. Acriter quidem urgetur ab adverſariis præceptum Dei Deut. 7. v. 15. *Sculptilia Cananaeorum igni comburenda eſſe*, ſed fuit hoc peculiare quoddam mandatum, quale & illud quod v. 4. jubentur Cananæi ad internecionem uſque percuti. Paulus Act. 17. v. 23. aram Athenienſium ignoto Deo inſcriptam haudquaquam diruit, nec vela navis, cujus inſigne erat imago Caſtoris ac Pollucis, vi ac ferro avellit Actor. cap. 28. v. 1. Leviuſculum eſt, quod quidam verba legis urgent, non adorabis coram eis! Levit. 26. v. 1. ex quo evincere conantur, non ſolùm non adorandas eſſe imagines, ſed nec coram eis adorandum. Etenim cùm in omni loco adorandum ſit. 1. Tim. 2. v. 8. ſequeretur etiam in privatis ædibus non eſſe tolerandas imagines, ne fortè coram eis adoremus ac præceptum Dei violemus. *Coram imaginibus adorare* phraſis eſt ſcripturæ, ſignificans vel orationem ad imagines dirigi, vel unà cum facie etiam cor ad eas conferri, vel opinari, preces magis exaudiri coram imaginibus fuſas quàm in loco alio, id verò à nobis ac noſtris Eccleſiis alienum eſt. Vehebatur Apoſtolus in navi, cujus inſigne erat Caſtor & Pollux, Actor. 28. v. 11. num exiſtimabimus, Paulum in illa navi non oràſſe? quid quod 1. Cor. 8. v. 4. concedit Chriſtianis (modò abſit offendiculum infirmorum) ut comedant de Idolothytis, quæ in ipſis Ethnicorum templis, quæ refertiſſima erant Idolis, conſumebantur, quantò minus prohibitum erit adorare eo in loco, in quo imagines Chriſti & Sanctorum habentur, ita tamen, ut ad ipſas imagines oratio haudquaquam dirigatur.

Cauſa propter quas imaginum uſus defenditur.

73. Primaria, uti diximus, cauſa, propter quam Imaginum uſum defendimus, eſt Chriſtiana libertas: accedunt cauſæ ſecundariæ complures, utpote quod in templis utilitatem habere poſſint non contemnendam: 1. in commonefaciendo, 2. in ciendo affectu, 3. in exornando, &c. ut latè oſtendit D. Schröderus tractatu de Imaginib. q. 1. theſi 86. & ſeqq. Greg. Nyſſen in Cant. *Vidi non infrequenter paſſionis Hiſtoriam, nec ſine lachrymis ejuſmodi ſcripturam tranſii.* Greg. l. 9. Epiſt. 9. ad Serenum: *Quod Sanctorum imagines adorari vetuiſti, omnino laudamus, fregiſſe vero reprehendimus. Dic frater, à quo factum eſſe Sacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti, aliud n. eſt picturam adorare, aliud per pictura Hiſtoriam quid ſit adorandum diſcere. Nam quod legentibus ſcriptura, hoc idiotis præſtat pictura, quia in ipſa ignorantes vident, quid ſequi debeant: in ipſa legunt, qui literas neſciunt.* Cyrill. lib. 6. contra Julianum recitatis beneficiis à Chriſto in cruce nobis exhibitis, ſubjungit: *Hæc omnia recordari nos facit ſalutare lignum, & ſuadet, ut cogitemus, quod ſicut unus pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit, ita viventes, non ultra ſibi ipſis vivant.* Baſil. ſerm. de 40. Martyr. *In Eccleſia ad ſpectandum me alliciunt flores, contemplor fortitudinem Martyris, coronarum præmia conſiderò & tanquam igne incendor æmulandi cupiditate.* Scholaſt. dicunt, Imagines haberi ad inſtructionem rudium, ad commonefaciendam memoriam, ad excitandam meditationem ac devotionẽ. Unde à primitiva Eccleſia liberè ſunt uſurpatæ, non in privatis tantùm ædibus, ſed etiam in templis, quâ de re itidem prolixè tractat D. Schröderus theſi 77. & ſeqq. Auguſt. 1. de conſenſ. Evang. cap. 10. *Imagines Chriſti inter Petrum & Paulum depictis paſſim inveniri* commemorat. Idem refert Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 14. Tertullianus lib. de pudicit. meminit: *Pictura Chriſti in calicibus Eucharisticis cum ove perdita & revecta ab eo in humeris.* De imagine Meletii dicit Chryſ. orat. in Melet. *quod in annulis, in poculis, in parietibus & ubique eam pinxerint.* De imagine crucis omnes veteres loquuntur. Refert ſupplementum Naucleri, quod templum Sophiæ Conſtantinopolitanum ſub Chriſtianis Imperatoribus picturis totius Hiſtoriæ Paſſionis Dominicæ fuerit exornatum, illud cùm Anno 1509. Turcæ in templum Mahumeticũ converterent, picturas illas omnes injecto cæmento oblinierant, ſed in magno quodam terræ motu cæmentum illud omne dejectum, ita quidem ut paſſionis Hiſtoria iterum clariſſime appareret. (Pontificii tamen uſum imaginum longiùs extendunt, *Laicorum libros eas conſtituendo.* Guilielmus Peraldus (l. 1. d. Prædic. in libro, quem *Summam Virtutum & Vitiorum* vocat tom. 1. cap. 3. *Ut Scriptura litera ſunt Clericorum, ſic ſcriptura & ſculptura ſunt Laicorum.* Lælius Zecchius in volumine caſuum conſcientiæ tom. 2. cap. 90. art. 18. p. 609. *Scripturas poni in Eccleſiis utile eſt, ad charitatem erga Deum & Sanctos fovendam, & augendam, ad fidem conſervandam, cùm imagines habeantur pro libris his qui literas ignorant, ex quibus ducuntur in cognitionem, memoriam & imitationem divinorũ.* Feuardentius Franciſcanus in lib. homiliarum pag. 16. *Ex imaginũ contemplatione ſimplices ac idiota illa divina miracula & opera facilè & breviter diſcunt, quæ ex ſacris libris aut vix aut nunquam percipere valent.*)

74. Hactenus oſtendimus appendicem illam primi præcepti de non faciendis ſculptilibus nequaquam omnem imaginum uſum præſertim in Nov. Teſtam. ſimpliciter abrogare, ſed certam quandam idololatriæ ſpeciem, quæ per imagines committitur, prohibere. Habere igitur imagines licet, ſed eaſdem colere non licet, diſertè enim prohibentur ſculptilia adorari ac coli Exod. 20. v. 4. ubi non agitur de civili aliquo cultu, de externa quadam honorificentia, quali templa ac vaſa ſeu utenſilia ejus ἐντιμόως haberi ſeu tractari ſolent, ſed de cultu religioſo, qui ad primam Decalogi tabulam pertinet. atque exercetur adorando, venerando, ſalutando, ſacrificando, &c. Dn. Chemn. in Exam. Conc. Trid. p. 4. cap. de imag. eruditè oſtendit, cultum ſimu-

Imagines coli prohibitum.

lachrûm voce legis divinæ ita prohiberi, ut nullę eluſioni aut exceptioni pateat locus: 1. numeratur ſculptile & fuſile, ſtatua poſita. erectus lapis; & generali vocabulo *Themunah* ſimilitudo ſeu imagò exprimês & repræſentans qualicunq; effigie ſpeciem aliquam, quocunq; modo & ex quacunq; materia factam. 2. Res quarum ſimilitudo ſeu imago ad cultum proponi & uſurpari prohibetur, ita numerantur, ut iterum nullus exceptioni pateat locus: dicit enim eorum, quę vel in cœlis ſupra, vel in terta deorſum, vel quæ ſub aquis, vel quæ ſub terra ſunt. In cœlo ſunt Deus, Angeli, Spiritus beatorum: ſub terra Dæmones, in terra animalia & homines, ſub aquis piſces, &c. 3. Duobus vocabulis prohibetur omne genûs cultuum religioſorum: non adorabis nec coles ea, quorum altero, quod incurvationem ſignificat, omnes externi geſtus & ritus cultuum, altero interiores affectionea & devotiones cultuum exprimuntur. 4. Scriptura addit hanc explicationem, quod appelletur cultua Deorum alienorum, ſi vel maximè cultus illi imaginum ad prototypû, ſive ad res per imaginea ſignificatas, ſive ad Deum ipſum referantur. Utinam verò contra manifeſtum Dei interdictum religioſus iſte imaginum cultus in Eccleſiam non fuiſſet receptus, nec adhuc in ea toleraretur! ſed videmus idem hac in parte contigiſſe, quod agricolis evenire ſolet (quâ ſimilitudine utitur Baſilius Ep. 41.) *Quando illi incurvum tenellæ arboris ramum corrigere ſtudent, nimiâ attractione in alteram partem peccant:* ita quoque ſuperioribus ſeculis Diſputationea contra iconoclaſtas abierunt tandem in *εἰκονολατρείαν*.

Propugnatores cultus imaginum. 75. Anno 788. (aliis Anno 787.) cum Irene Imperatrix juxta conſilia Legatorum Romani Pontificia eos, qui cultum imaginum ſuperiori Anno in Synodo Conſtantinopolitana oppugnaverant, in exilium expuliſſet, ſeque exercitu muniiſſet, indixit Synodum Niceæ, ad quam circiter 350. Epiſcopi, Abbatea & Monachi convenerant, referente *Paulo Diacono* lib. 23. rer. Romanarum ac *Sigeberto* in Chron. in qua recitatæ ſunt literæ Adriani Pontificia ad Taraſium Patriarcham Conſtantinopolitanum, quibus eum hortatur, ut deinceps etiam venerandas imaginea primùm juxta humanam figurationem Chriſti Dei & noſtri, ſecundum nos & pro nobis & per nos incarnati, deinde inviolatæ & veræ Deiparæ, poſtremò omnium Sanctorum ſuorum colere & adorare pergat: Hanc Adriani ſententiam ſeſe probare omnes illius Concilii Patres, teſtati ſunt. Hanc Synodum Nicenam II. Græci vocant Oecumenicam VII. ſed paulò pòſt Anno ſcilicet 794. Carolus Magnus Synodum Francofurdianam propter hæreſin Felicis (quòd CHRISTUS ſit Filius DEI adoptivus ſecundum humanam naturam) convocavit, in ea Pontifex Adrianus petiit confirmari acta Synodi Nicenæ, quod Patres iſtius (Francofurdianæ) Synodi abſque legitimo examine facere recuſarunt. Inſtitutâ igitur diſquiſitione & facta collatione decretorum utriusque Synodi tùm illius, quæ ſub Conſtantino Copronymo prorſus damnaverat ac rejecerat Imagines q.ſ. nec pingere nec habere eas liceret: tùm hujus, quæ ſub Irene Imperatrice non modò habendas, ſed etiam adorandas & colendas aſſeveraverat, mediam ſententiam amplectuntur, ac ſtatuunt, quòd imagines habere in templis & privatis locis per ſe non ſit impium vel illicitum, ſed eas adorare & venerari ſit à fide Chriſtiana alienum & cum ſuperſtitione gentilium congruat. Reprobant igitur Adriani Pontificis, & Græcorum de cultu imaginum decreta. In hac Synodo convenerunt Epiſcopi, Sacerdotes, Abbates & Monachi ex Gallia, Italia & Germania. Avent. lib. 4. annal. Regino lib. 2. Blondus lib. 1. decadis 2. Sed hæc moderatio Pontificibus Romanis non probatur, ideò in Synodo Tridentina confirmant acta ſecundæ Nicenæ Synodi & tale decretum faciunt. *Mandat ſacroſancta Synodus imagines Chriſti, Deiparæ virginis & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas & retinendas eſſe, eisq; debitum honorem & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat à gentilibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum præſertim verò ſecundæ Nicenæ Synodi decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.*

76. Utimur contra Pontificios hoc argumento: Omnis idololatria pugnat cum primo præcepto. Cultus religioſus imaginum in Eccleſiis Pontificiis eſt idololatria. E. cultus religioſus imaginum in Eccleſiis Pontificiis pugnat cum primo præcepto. Majoris veritas comprobata eſt ſuperiùs. Minorem adverſarii præfractè negant, atque omnem idololatriæ ſuſpicionem à ſe amoliri conantur. Piſtorius in hodeg. p. 292. *(Catholica Romana) Eccleſia nunquam ex imaginibus fecit idola, aut ullam eis divinitatem tribuit, imò verò ab idololatria potiùs filios ſuos magnâ ſolicitudine retraxit.* Nimirum hoc vult quod Bellarm. lib. 2. de imag. ſanct. c. 5. inter imaginem ac idolum diſtinguendum eſſe monet hoc modo: *Imago dicitur vera rei ſimilitudo, ut cùm pingimus hominem, equum, &c. Idolum autem falſa ſimilitudo, quæ repræſentat id, quod revera non eſt, ut cum gentiles proponebant ſtatuas Veneris aut Minervæ, quæ ſigna idola erant, quia repræſentabant Deos generis fœminini, quales dii nec ſint nec eſſe poſſint, ideoq; nec verè repræſentabant, ſed erant falſæ imagines, ſiquidem id quod non eſt, repræſentari non poteſt.* Ex quo colligit, imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe idola, ac proinde per cultum iſtarum imaginum non committi idololatriam. Quid huic diſtinctioni tribuendum ſit, poſteà exponemus, ubi argumentum noſtrum priùs confirmavimus. *Argumenta contra religioſum cultum imaginum.*

77. Minorem igitur ſyllogiſmi noſtri confirmamus: 1. Ex diſputationibus Pontificiorum de imaginum cultu. 2. ex ipſa praxi in Eccleſiis ipſorum uſitata. Concilium Tridentinum ſtatuit imagines Chriſti, B. Mariæ & Sanctorum in templis habendas ac retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam, ſed cùm non exprimatur, quis ille ſit honor, quæve veneratio imaginibus debita (quod enim additur *per imagines, quas oſculamur & coram quibus caput aperimus & procumbimus, nos ipſum Chriſtum adorare & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem ge-* *An per cultum imaginum committatur idololatria*

runt

vimus nos venerari, id adhuc ambiguum eſt) ideò quærenda eſt latior declaratio hujus cultus: 1. Ex actis Synodi Nicenæ. 2. Ex Scholaſticis. 3. Ex Pontificiorum ſcriptis. Ad decreta ſecundæ Nicenæ Synodi Patres Tridentini provocant, ejusque ſententiæ ſe ſtare profitentur, utique ergò rectè fit, quod de cultu imaginum quid ſtatuant, ex actis iſtius Synodi cognoſcamus. Dicunt, imagines eſſe venerandas & adorandas, ſed addunt id non intelligi debere de cultu latriæ, ſed de honoraria quadam adoratione, quomodo verò eam explicant? Theodoſius actione 1. inquit: *Saluto & veneror Mariæ imaginem, cujus etiam auxilium, protectionem & interceſſionem nocte dieque, ut peccatori mihi ſubveniat, invoco, ut quæ eam poteſtatem habet à Chriſto. Sanctorum etiam imagines veneror, non ut Deos, ſed mentis meæ affectum & deſiderium, quo in illos affectus ſum, hoc modo indicans ex toto animo omnes obteſtor, ut ad Deum pro me intercedant.* &c. act. 2. citatur hæc Baſilii ſententia ſuppoſititia: *Deiparam virginem, Sanctos, Prophetas, Apoſtolos & Martyres ſuſcipio, qui pro me apud Deum ſupplicant, quo per iſtorum mediationem propitius mihi ſit DEUS & remiſſionem peccatorum mihi gratis largiatur. quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illarum honoro & palam adoro.* Docet igitur Synodus, imagines propter hanc cauſam adorandas, ut per Sanctorum, quorum ſunt imagines, mediationem, Deus nobis ſit propitius & peccatorum remiſſionem condonet: recitantur etiam in actis iſtius Synodi varia miracula, quomodo pictæ imagines ſint locutæ, morbos ſanaverint, ſui contemtum vindicaverint, candelas inextinctas ſervaverint, &c. Adriani Epiſtola dicit: *Iſraelitæ per inſpectionem ænei ſerpentis à peſte ſervati ſunt, nos verò Chriſti & Sanctorum imagines contemplantes & venerantes abſit ut dubitemus nos ſervari.* Commendatur in eadem ſententia Taraſii, Patriarchæ Conſtantinopolitani & jubetur, ut deinceps etiam venerandas imagines Chriſti Deiparæ virginis & Sanctorum colere ac adorare pergat. Videantur acta hujus Synodi in tomis Conciliorum prolixè deſcripta, ut appareat quales opiniones & quem cultum imaginum Tridentina Synodus ſtabilire & Eccleſiæ DEI obtrudere conetur, quando ad ſeptimam Synodum ſe refert.

78. Scholaſticorum diſputationes de cultu imaginum variæ ſunt. Robert. Holcoth. in lib. Sap. lect. 53. fatetur, *magnam cum idololatria affinitatem habere, quod homines coram idolis proſternuntur, ideoque cavendum monet, ne doceantur homines coram lapidibus & lignis Deum adorare.* Durandus in 3. ſent. diſt. 9. q. 2. & Biel. in Canonem Miſſæ lect. 49. apertè negant *imagines adorandas eſſe adoratione latriæ, ſive conſiderentur in ſe ſecundum quod ſunt lignum, lapis aut metallum, ſive ſecundum rationem ſigni & imaginis.* Sed hæc moderatio ab aliis improbatur; Thomas p. 3. q. 25. artic. 3. Alexander Alenſis p. 3. q. 3. membr. 3. artic. 3. Bonavent. 3. ſentent. diſt. 9. art. 1. q. 2. Albertus Richardus, Capreolus, Marſilius, Almainus aliiq; complures ead. diſt. ſtatuunt, *eundem honorem deberi imagini & exemplari, ac proinde imagines S. Trinitatis, Chriſti & crucis cultu latriæ adorandas eſſe.* Thomas utitur hoc argumento: *Illi exhibemus cultum latriæ, in quo ponimus ſpem ſalutis, ſed in cruce Chriſti ponimus ſpem ſalutis: Cantat n. Eccleſia: O crux ave ſpes unica, hoc paſſionis tempore, Auge piis juſtitiam, Reisq; dona veniam. Ergò crux Chriſti adoranda eſt adoratione latriæ. Item Philoſophus dicit, quod idem ſit motus in imaginem & in rem cujus eſt imago. Item Menſura adorationis uniuscujusq; rei eſt ratio ſive excellentia, propter quam adoratur, ſed ratio, cur adoretur imago, non eſt alia, quam excellentia exemplaris. Ergò idem omninò honor debetur imagini qui debetur exemplari.* Bonaventura ait: *Quia imago Chriſti introducta eſt ad repræſentandum eum, qui pro nobis crucifixus eſt, nec offert ſe nobis pro ſe ſed pro illo, ideò omnis reverentia, quæ ei offertur Chriſto offertur, & propterea imagini Chriſti debet cultus latriæ exhiberi.* Imagini Mariæ dicunt deberi *cultum hyperduliæ*, Sanctorum aliorum *cultum duliæ*. Heinricus quodlibet. 10. q. 6. idem ſtatuit cum reliquis, ſed addit nullam imaginem eſſe adorandam *cultu latriæ*, cùm imago CHRISTI non ſit ipſius imago ut Deus, ſed ut homo eſt.

79. Quid hac de re ſcriptores Pontificii recentiores ſtatuant, inquirendum reſtat. Cajetanus in Thomam p. 3. q. 25. art. 3. amplexatur & defendit eandem ſententiam, quòd imagini & exemplari idem honor debeatur. **Catharinus in lib. de Imaginibus. *Verùm de ipſarum Imaginum cultu ac veneratione, etiam inter Catholicos diſputatio eſt, utrum præter utilitates prædictas & ſolatia ſpiritualia, quæ de imaginibus capiuntur, etiam ad hoc ſculpantur vel pingantur imagines, ut ipſæ adorentur & aliquis eis cultus reddatur. Sunt enim qui hoc omninò negent & clament, eſſe idololatricam. Videntur autem non futilibus argumentis moveri, nec abſque majorum imò & ſcripturarum autoritate*, Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 1. q. 24. punct. 2. p. 467. *Sic quidem ſunt venerandæ imagines, ut ipſæ quoque propriè ſuo quodam modo ſint terminus venerationis, licet non per ſe, quatenus tali materia & figurâ continentur, ſed per aliud ſcilicet ratione prototypi. Hoc autem modo eodem honore, quo prototypus, imagines ſunt honorandæ, atque adeo hominis Chriſti imagines latriâ ſunt venerandæ per aliud.* Azorius lib. 9. Inſtit. cap. 6. art. 3. & 6. *Conſtans eſt Theologorum ſententia imaginem eodem honore & cultu honorari & coli, quo colitur id, cujus eſt imago, atq; hæc ſententia non tantum unius Thomæ, ſed communi eſt Theologorum conſenſu recepta.* ad cujus ſententiæ probationem adducit Conc. Trid. cujus vocem Bellarm. lib. 1. de Iuſt. cap. 12. dicit *eſſe vocem Eccleſiæ Catholicæ, quam omnes Catholici ut Magiſtram ſequuntur.*** Gregor. de Valent. tom. 3. Diſput. 6. q. 11. punct. 6. *Veriſſimum eſt* (ait) *quod affirmari ſolet eodem officii atque honoris genere, eodem animi motu, hoc eſt, eâdem voluntate excitandi opinionem excellentem honorari prototypum ipſum, ejusq; imaginem. Nam imaginem honorare eſt coram ipſa tanquam prototypi ſecundum repræſentationem vicariâ, velle de prototypo commovere excellentem opinionem. Itaque idem venerationis motus ad utrumque ſpectat, ſed tamen diverſa ratione. Nam ad prototypum pertinet, ut illi ſecundum ſe exiſtimationem concilict; ad imaginem autem ut coram ipſa & in ipſa, tanquam in vicaria exiſtimatio ejusmodi conciliëtur prototypo, perinde ac ſi eſſet illud præſens, ſicut imago ipſa, &c.* Neve quis inde colligat prototypum

eo mu-

eo modo tantùm honorari, non autem imaginem, ſubjungit: *Dicet fortè aliquis, ſi venerari imaginem, eſt prototypum ipſum venerari: igitur honor nequaquam imagini exhibetur; nec verè dicitur ipſa honorari, ſed prototypum tantummodo coram illa. Reſp. minimè inde ſequi quod non etiam honoretur verè ipſa imago (nam ipſa quoque eo ipſo veriſſimè honoratur ſuo modo ſcilicet relativè) ſed ſolùm inde ſequitur: quod ante docuimus videlicet non eâdem ratione nos honorare imaginem quàm ipſum prototypum, in quo uno animum figimus, cujus præſtantiam ac dignitatem veneratione proteſtamur: at honoratur verè imago nihilominus ſuo modo, eo videlicet, quo honorari cenſentur eæ res, quæ non niſi propter aliud honorantur*, id poſtea declarat exemplo Legati Regii, qui Regis loco honoratur & concludit: *Quapropter non ſolùm hæretici errant, qui venerationem imaginum inſectantur, ſed etiam illi minus circumſpectè loquuntur, qui etſi probent Eccleſiæ uſum in venerandis imaginibus, tamen negant ipſas propriè honorari.* Idem: *Eodem prototypi honore honorari debent imagines, modo illo ſuo, quo honorari debent, videlicet quatenus ſunt imagines & conſequenter imagines Chriſti coli debent latriâ*, Ubi etiam provocat ad fundamentum Thomæ, quòd unus & idem motus ſit in imaginem & in rem, cujus eſt imago. Coſterus in Enchirid. pag. 438. & 439. *Non alius in imagine honoratur, quàm ipſum prototypum, ex quo non obſcurè conſequitur omnem honorem, qui prototypo debetur, etiam exhiberi poſſe imagini.* Hoc Coſteri Enchiridion approbatum à Colonienſibus, Trevirenſibus & Moguntinenſibus Jeſuitis.

80. Quidam videri volunt modeſtiores. *Alphonſus de Caſtro* in verbo *imago*, ſequitur Durandum, quòd imago non ſit ullo modo in ſe colenda, ſed tantum exemplar coram imagine. *Martinus Pereſius* in libro de traditionibus tract. de imag. *Catharinus* in tract. de imag. *Sanderus* lib. 2. de imag. cap. ult. ſtatuunt, ipſas imagines in ſe & propriè honorari debere ſed honore minori, quàm ipſum exemplar & proinde nullam imaginem adorandam eſſe cultu latriæ. *Bellarminus* lib. 2. de imag. Sanctorum, cap. 21. & ſeqq. format aliquot propoſitiones, quibus ſuam de imaginum cultu ſententiam exponit, quarum ſumma eſt, cultum iſtum qui per ſe & propriè debetur imaginibus eſſe cultum quendam imperfectum, qui analogicè & reductivè pertineat ad ſpeciem ejus cultus, qui debetur exemplari, quâ de re paulò pòſt pleniùs diſſeremus.

Praxis Papatus in colendis imaginibus.

81. Intueamur praxin, qualis honor, quisvé cultus in Eccleſiis Pontificiis Imaginibus exhibeatur quam Do. Schröderus quæſt. 2. de Imagin. theſi 115. & ſeqq. ad hæc capita revocat; Primò Pontificii honorant imagines ſuas DEDICANDO. In Pontificali habentur certæ & præſcriptæ benedictionum formulæ, quibus imagines conſecrantur. Lignum crucis his verbis benedicitur: *Rogamus te ſempiterne DEUS, ut digneris benedicere hoc lignum crucis, ut omnibus hic, genu flectentibus & majeſtati tuæ ſupplicantibus cordis compunctio & admiſſorum concedatur remiſſio.* Item: *Sanctificetur illud lignum crucis, ut orantes inclinantesque ſe propter DEUM ante iſtam crucem inveniant corporis & animæ ſanitatem.* Item: *Digneris benedicere hoc lignum CRUCIS, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſolidior fidei bonorum operum profectus & redemtio animarum, tutela contra ſæva jacula inimicorum.* Imago B. Mariæ conſecratur his verbis: *Sanctifica Deus hanc formulam B. virginis, ut tuis fidelibus ſalutaris auxilii opem ferat, ut tonitrua aut fulmina, ſi invaluerint nocentia, celeriùs expellantur, pluviarum quoque inundatio aut civilium bellorum commotio, ſeu paganorum devaſtatio ad præſentiam ejus comprimantur.* In Benedictione imaginis D. Johannis: *Sit hæc imago Dæmonum ſancta expulſio, Angelorum advocatio, fidelium protectio, ejusque in hoc loco potenter vigeat interceſſio.* 2. NOMEN PROTOTYPI ILLIS IMPONENDO. Sacrar. Cerem. Eccleſ. Rom. lib. 1. tit. 7. in conſecratione Cereæ imagunculæ, quam vocant Agnum DEI, orant, *ut iſti agni immaculati eandem virtutem accipiant, cõtra omnes diabolicas verſutias & fraudes maligni Spiritus, quâ Agnus innocẽs Filius ejus Jeſus Chriſtus in ara crucis immolatus protoplaſtum noſtrum de diabolica poteſtate eripuit.* Urbanus V. Pontifex quinque ejusmodi imagunculas dono miſit Orientali Imperatori additis his verſiculis:

Balſamus & cera munda cum chriſmatis unda,
Conficiunt agnum, quod munus do tibi magnum.
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum,
Fulgura deſurſum depellit & omne malignum,
Peccatum frangit ut Chriſti ſanguis & angit.
Prægnans ſervatur ſimul & partus liberatur.
Dona defert dignis virtutem deſtruit ignis.
Portatus mundè de fluctibus eruit undæ.

Ubi non ſolùm nomen prototypi Chriſti, ſed etiam beneficia ejus imagunculæ tribuuntur & quidem imagini imaginis, ut ita loquar, cum tales cereæ figuræ non ſint imago ipſius CHRISTI, ſed agni, in cujus imagine Chriſtus depingitur. 3. SINGULAREM NUMINIS PRÆSENTIAM ILLIS AFFINGENDO. Negant quidem Tridentini Patres credendum, aliquam in imaginibus divinitatem eſſe, interim tamen approbant peregrinationes ad imaginem quandam, quandoque ſatis longinquas, approbant vota de peregrinationibus ad certas Sanctorum ſtatuas ſuſcipiendis, approbant indulgentias datas precantibus coram imagine crucis vel Mariæ. Bellarm. 2. de imagin. c. 18. dicit, *Unam imaginem magis frequentari quam aliam propter varias cauſas, primò, quia DEUS per unam operatur miracula & non per aliam, ſecundò quia quædam imagines factæ ſunt à ſanctis viris, quæ peculiarem merentur devotionem propter artificem, tertiò quia aliqua magis excitant ad pietatem.* Polyd. Virg. lib. 6. de rer. invent. cap. 13. *Benè multi ſunt rudiores ſtupidioresque, qui ſaxeas, vel ligneas, marmoreas, aureas ſeu in parietibus pictas variisq; coloribus litas imagines colũt, nõ ut figuras, ſed perinde quaſi ipſæ ſenſũ aliquem habeant, & iis magis fidant, quàm Chriſto vel aliis Diis quibus dicatæ ſint.* 4. *Certorum beneficiorum largitiones ab ipſis expectando. Certâ experientiâ novimus* ait Gregor. de Valent. diſputat. 6. q. 11. punct. 6. *Singulariter quibusdam in locis, quasdamq; imagines venerantibus ſolitum eſſe Deum præclara impertiri beneficia.* Sylvius lib. 2. comm. *In Eccleſia S. Mariæ Prunetanæ agri Florentini eſt imago virginis, quam mirâ religione venerantur populi, tanquam pluviæ ſerenitatisq;*

Digitized by Google

ſatiſq; donatricē, cùm neceſſitas ingruit.” Lucius Marincus Siculus Caroli V. Hiſtoricus lib. 5. de reb. Hiſpanicis. *In Urbe Burgenſi adoravimus Salvatoris imaginem crucifixam, quæ à Nicodemo facta perhibetur, cujus invocato Numine multos infirmos convaluiſſe nobis affirmarunt.*” 5 *Sertis & coronis ornando.* 6. *Veſtimentis induendo.* 7. *Circumgeſtando pro avertenda lue peſtifera, pro avertendis frugum incommodis.* Vide Bonfin. lib. 5. rer. Hungar. Decad. 1. Baron. in Martyr. Roman. Sleidan. lib. 9. Hiſt. p. 250. 8. *In loco ſublimi conſtituendo.* 9. *Altaria eis erigendo.* 10. *Templa & delubra extruendo.* 11. *Sacrificulos præficiendo.* 12. *Ferias ſacras inſtituendo.* 13. *Cantando.* 14. *Epulando.* 15. *Oſculando.* 16. *Supplicando.* 17. *Alloquendo.* 18. *Obſecrando.* Sic referente Thoma p. 3. q. 25. art. 3. canit Eccleſia de ligno crucis: *O crux ave ſpes unica, hoc paſſionis tempore, auge piis juſtitiam, Reiſq; dona veniam.* Coram Veronica (uti vocant) recitant hanc orationem: *Salve ſancta facies impreſſa panniculo. Nos ab omni macula purga vitiorum atque nos conſortio junge beatorum. Nos perduc ad patriam ô felix figura ad videndum faciem, quæ eſt Chriſti pura. Eſto nobis quæſumus tutum adjuvamen, dulce refrigerium atq; conſolamen, ut nobis non noceat hoſtile gravamen, ſed fruamur requie, omnes dicant Amen.* 19. *Sacrificando.* Nam & thus adolent nonnullis imaginibus, ut apparet ex praxi & Miſſali Romano ſub tit. de ritu ſerv. in celeb. Miſſæ. 20. *Cereos accendendo.* 21. *Vovendo.* 22. *Jurando*, quæ omnia ex praxi ſunt notiſſima.

An per cultum imaginum committatur idololatria.

82. Ex his omnibus tale deducimus argumentum. Omnis cultus quo honor ſoli Deo debitus transfertur ad id, quod eſt extra Deum, eſt idololatria. Per cultum imaginum in templis Pontificiis honor ſoli DEO debitus transfertur ad id, quod eſt extra DEUM. Ergò per cultum imaginum in templis Pontificiis committitur idololatria. Excipit Bellarminus 2. de imagin. cap. 13. *Illum cultum imaginum eſſe idololatricum, quando imagines habentur pro Diis, vel quando per imagines coluntur tanquam Dii illi, qui verè non ſunt.* Aliam idololatriæ ſpeciem in dictis illis Scripturæ Exod. 20. Deuter. 5. Rom. 1. &c. non prohiberi cap. 5. diſtinguit inter imaginem & idolum: illam definit quod ſit vera rei ſimilitudo, hoc verò quòd ſit falſa ſimilitudo, hoc eſt, quod repræſentet id, quod revera non eſt, ex quo colligit imagines Chriſti & Sanctorum non eſſe idola, & per conſeq. per cultum earum non committi idololatriam. Gregor. de Valent. diſputat. 6. q. 2. de Idololatr. punct. 1. Idololatriam definit, quod ſit cultus, quo honor divinus tribuitur alicui creaturæ ſicut Deo, hanc definitionem exponit puncto 3. Eum divinos honores creaturæ conferre, ut DEO, qui eam divino cultu ſic proſequitur, ut eo quantum in ſe eſt, velit illi opinionem conciliare talem, qualis revera in ſolam Dei Majeſtatem competit; ex quo colligit puncto. 6. Catholicos (Romanenſes) idololatras non eſſe, cùm ſic honorent imagines, ut minimè tamen creaturæ adhibeant divinum honorem ſicut Deo, cùm venerentur tùm Chriſti tùm Sanctorum imagines, & in cultu imaginum Chriſti, atque adeò etiam crucis honorem quidem uſurpent divinum, ſed non deferant illum ipſis imaginibus, ſicut DEO ac Domino noſtro. Piſtorius in hodeg. p. 303. prima falſitas eſt, quod Pontificii adorent ligna & lapides, & ex iis faciant idola, cùm Eccleſia Catholica (Romana) nunquam ex imaginibus fecerit idola, aut ullam eis divinitatem attribuerit pag. 292.

83. Sanè eſt quædam idololatriæ ſpecies, atque ea quidem ſatis craſſa, quâ ſimulachra manu hominum facta, pro diis habentur, & divinis honoribus ut Dii coluntur, ſed ex eo nondum deduci poteſt, nullam præter hanc idololatriæ ſpeciem primo præcepto prohiberi ac damnari. Jubemur in primo præcepto unum verum Deum venerari & colere, ipſi ſolos divinos honores ac religioſum cultum deferre, juxta præſcriptum verbi ipſi ſervire, contrà verò, alienos Deos non habere, ſculptilia non adorare nec colere, ex quo manifeſtè colligitur, etiam hanc eſſe idololatriæ ſpeciem, ſi honor & cultus Deo debitus transfertur ad id, quod eſt extra DEUM, ſi verus DEUS colitur non divinè, hoc eſt, non eo modo, quo ſe in verbo coli præcepit. Quemadmodum enim in vera invocatione utrumque conjungendum, tum objectum, nempe verus Deus unus in eſſentia, trinus in perſonis: tum ratio & modus invocandi, ſecundùm ſcil. præſcriptum verbi, nempe verâ fide in Chriſtum, in Spiritu & veritate; aliàs audire cogimur, *Vos adoratis quod neſcitis* Joh. 4. verſ. 22. ita quoque è contrario ſenſu colligitur, quòd idololatria committatur tùm in objecto, tùm in modo cultus, ac proinde non illos ſolùm idololatras eſſe, qui ſtatuas & ligna habent pro veris Diis, ſed etiam qui verum Deum colere volunt in ſtatuis, ac per ſtatuas, qui juxta adinventiones cordis ſui, non autem juxta præſcriptum verbi Deum colunt, ut eruditè ſcribit D. Mentz. diſp. 7. AntiPiſtor. th. 36.

De diſcrimine inter Imaginem & Idolum.

84. Cuicunque igitur rei divinus honor defertur, cum tamen non ſit verus Deus, illa res fit idolum, ſive ſit naturalis ſive artificialis, ac proinde tali religioſo cultu iſtius rei, quæ non eſt verus Deus, committitur idololatria. Ex quo intelligitur, quàm nugatoria ſit diſtinctio illa Bellarminiana inter imaginem & idolum, quaſi imago ſit ſimilitudo rei vera: Idolum verò falſa. Nam 1. hac ratione Sol, Luna & ſtellæ ſi adorarentur, non eſſent Idola (cùm non ſint falſa alicujus rei ſimilitudo) & per conſeq. qui militiam illam cœli adorarent, non eſſent idololatræ. Atqui Iſraëlitæ ſuffitu & libaminibus Reginam cœli honorantes dicuntur (in vulgata verſione) ſacrificaſſe idolis Jerem. 44. v. 23. Similitudines illæ reptilium & animalium, quas colebant Iſraelitæ, dicuntur idola Ezech. 8. v. 10. & in genere ex primo præcepto damnatur idololatriæ nomine, quando homines oculos tollunt in cœlum, & vident Solem, & Lunam & ſtellas, omnem militiam cœli, & incurvant ſe illis, coluntque ea Deut. 4. v. 19. quò reſpiciens Epiphan. in compend. veræ doctrinæ de Perſicis Magis rectè ſcribit, quòd *idola quidem abominentur* (ſimulachra manu hominum facta) *idola tamen adorent, ignem, Lunam & Solē.* Viciſſim pater mœrens acerbo filii præmaturè erepti luctu, effecta imagine jam ante mortuum nunc ut Deum colere incipiens, idololatra non eſſet, cùm talis imago ſit vera ſimilitudo, at contrarium pronunciatur Sap. 14. v. 15. 2. Hac ratione imagines Hiſtoricæ, quæ prototypum exactè non exprimunt, ſtatim forent idola. At

quo-

quotusquisque pictorum eâdem figurâ Apoſtolos depingit, quam in vivis habuerunt, hi ergò omnes forent εἰδωλοποιοὶ quinimò pingitur imago Magni illius Chriſtophori, qui tamen nunquam vixit, hæc certè ex definitione Bellarmini foret idolum, ſi vel maximè tantum commonefactionis ergò in templis depingeretur. 3. Quot verò in ipſis Pontificiorum templis idola forent juxta hanc Bellarm. definitionem? Georgius eques conculcans Draconem, Moſes cornutus, aliæque imagiues complures non ſunt veræ ſimilitudines, neque enim unquam talis quidam Georgius Draconem conculcans vel cornutus Moſes extitit. 4. Ubicunque idololatria, ibi etiam idolum ex Natura relatorum. Atqui Ælius Lampridius imagines Chriſti & Abrahæ unà cum reliquis idolis colens erat idololatra juxta Bellarminum 2. de imag. c. 11. & in genere ex ipſius ſententia idolulatra eſt, qui imaginibus Chriſti defert cultum latriæ propter ſe. 2. de imag. cap. 24. Ergò imagines Chriſti ſunt aliquando idola. Et quâ veritatis ſpecie negari poteſt, eum verè committere idololatriam, etiam juxta Pontificios, qui imaginem Petri cultu λατρείας honoraret, ſi vel maximè imago illa eſſet vera Petri ſimilitudo. 5. Voces idoli, imaginis & ſimulachri ſæpiſſimè indifferenter uſurpantur non tantùm apud prophanos autores, ſed etiam in Scriptura ſacra & apud Eccleſiaſticos Scriptores, quinimò apud ipſos Pontificios. 2. Reg. 11. v. 18. populus ſub Jojada confringit omnes imagines Baal. Vide etiam Eſ. 44. v. 13. Ezech. 7. v. 20. c. 16. v. 17. c. 23. v. 14. Amos 5. v. 26. Tertull. in Apol. c. 12. Cyprian. ad Demet. Athanaſ. contra gentes. Chryſoſtom. tom. 1. hom. 87. &c. qui idola gentilium vocant imagines, Cajetanus, Fonſeca, Pererius, Onuphrius, Pereſius, Valentianus, adeoq; ipſe Bellarminus diſcrimen illud non ubique obſervant. Valent. lib. 3. de idolol. cap. 8. §. Quod autem. *Idolum græcè imaginem ſive ſimulachrum ſignificat.* Ibid. *Innuit B. Petrus aliquem eſſe licitum ſimulachrorum & idolorum cultum.* Bellarm. 2. de imag. c. 7. *Sine dubio non prohibetur in Decalogo omnis imago, ſed ſolùm illa quæ dici poteſt idolum, id eſt, imago quæ habetur pro Deo, vel quæ repræſentat tanquam Deum, eam rem, quæ non eſt Deus.* ejusd. lib. c. 24. *Vel imagini exhibetur cultus latriæ propter ſe & hæc eſt idololatria* &c. Quò pertinet illud Eraſmi in 1. Corinth. 8. p. 335. *Certè Ambroſius nullum novit diſcrimen inter idolum & ſimulachrum, nec ego ullum video.* 6. Vanum ergò & ineptum eſt diſcrimen illud, quod inter idolum & imaginem conſtituit Bellarminus, verum contra & perpetuum illud, quod conſtituimus ſuperiùs, quo idolum dicitur omne id, cui divinus cultus exhibetur, cùm tamen non ſit Deus, ſive ſit imago hominum manibus efformata, ſive res naturalis, ſive interius cordis figmentum: Imago autem quæ citra ſui cultum memoriæ vel ornatus causâ formatur.

85. Nec ullius aſſis æſtimanda appendix illa Valentiani, quando diſſerit hanc eſſe veram idololatriæ definitionem, creaturæ habere divinum honorem SICUT DEO. 1. Hoc enim proinde eſt, ac ſi quis definire velit adulterium concubitum cum altero, qui non ſit conjux tanquam cum conjuge, ac proinde adulteram non eſſe, quæ commiſceatur ei, quam non habeat pro conjuge, ſed eam tantùm, quæ alteri ceu conjugi ſeſe proſtituat. 2. Quando creaturæ alicui divinus honor exhibetur, eo ipſo creatura iſta in Dei locum evehitur ac pro Deo habetur, ſiquidem divinus honor non eſt, niſi is, qui Deo debetur, ac proinde oblato tali honore, ipſa divinitas reverâ attribuitur, vel certè ex immota conſequentia attribui intelligitur, nulla enim relatio eſt extra ſuum fundamentum. 3. Si non eſt idololatra, niſi qui divinum honorem tribuit creaturæ ut DEO, nec Iſraelitæ colentes Deum in vitulis, nec Ethnici colentes eundem in ſimulacris idololatræ erũt: nec Ariani & Neſtoriani idololatriæ à priſcis Eccleſiæ Doctoribus accuſari potuiſſent, illis enim nihil minùs erat propoſitum, quàm Chriſto ut Deo divinum honorem deferre, quâ de re poſtea pleniùs. Quàm verò exiguus fuerit idololatrarum manipulus juxta hanc Valentiani definitionem! pauciſſimi certè idololatræ eò amentiæ progrediuntur, ut ſimulacra ſua Deos eſſe reverâ ſentiant. 4. Adde, quod ipſe Valentianus hoc definitionis ſuæ membrum non ubique obſervet. Diſp. 6. de Idolol. q. 2. punct. 3. diſputat de idololatria exteriori, quam committi docet, cùm veneratio non procedit ab infidelitate interiori, quâ creatura putetur eſſe Deus, aut etiam ab expreſſa & directa voluntate conciliandi creaturæ divinam exiſtimationem, ac per hanc idololatriam exteriorẽ plus peccari quàm per interiorem ex ignorantia ortam, puncto 2. concludit.

86. Remoto igitur peregrino iſto aſſumento plena & perfecta idololatriæ definitio eſt, quòd ſit cultus, quo honor ſoli Deo debitus transfertur ad id, quod eſt extra Deum. *Definitio Idololatriæ.* (Eſt verò extra Deũ omne id, quod vel per eſſentiã non eſt Deus, vel per unionem hypoſtaticam non eſt unitum Deo, quo modo aſſumta humana Natura eſt λόγῳ unita, ac proinde eodem λατρείας cultu adoranda, quâ λόγος juxta definitionem Conc. Epheſ. anath. 8. cont. Neſt.) Quam definitionem Dn. Schröder. tract. de Imag. q. 2. th. 28. & ſeqq. probat 1. ex fine & ſcopo primi præcepti, quod requirit, non ſolùm ut unum ac ſolum verum Deum religioſè colamus, ſed etiam ne præter illum ac extra verum Deum quicquam aliud religioſè colamus. 2. Ex genuino ac proprio idoli formali, in eo conſiſtente, quod colitur aliquid divino honore, cùm tamen non ſit Deus. Porrò in eo proprium idoli formale conſiſtere patet ex eo, quod res quædam, quæ non erat idolum, tunc demum evadat idolum, quando religioſè coli incipit & contra quæ erat idolum, deſinat eſſe idolum, quando religioſè coli deſinit. Æneus ſerpens quamdiu non colebatur, idolum non erat, at ubi populus cœpit ei adolere incenſum, abiit in idolum, ideoque à Rege Ezechia eſt abolitus 2. Reg. 18. v. 4. Sol, Luna, & omnis cœli militia erant idola, quando Iſraelitæ ipſis ſacrificabant. 2. Reg. 23. v. 5. nobis non amplius ſunt idola, ſed bonæ Dei creaturæ. 3. Exemplis eorũ, qui idololatriæ accuſantur hoc nomine, quod cultum Deo debitũ tribuerunt ei, quod eſt extra Deut. 17. v. 3. dicuntur alienos Deos colere, qui ſe incurvant Soli, Lunæ, vel omni militiæ cœli Ezech. 8. v. 8. Iſraelitæ dicuntur idololatræ, propterea quod ſimilitudines reptilium ac animalium coluerunt. Rom. 1. v. 23. Ethnici peraguntur idololatrias rei, quia mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis &

volu-

Digitized by Google

volocrum & quadrupedum & ſerpentium. Carpocraten idololatriæ accuſant Iren. lib. 1. c. 24. p. 81. Epiph. hær. 29. Auguſt. ad Quodvultdeum hær. 7. quòd imagines Chriſti & Pauli, quas habebat, coleret, iisque ſacrificaret. Ἀγγελολάτραι idololatrias accuſantur in Syn. Laodic. can. 35. Arianis idololatria tribuitur ab Athanaſ. orat. 1. contra Arian. in Syn. Nicen. 11. artic. 6. quod cultum divinum Dei Filio exhiberent, quem Deum verum eſſe negabant. Neſtoriani dicti ſunt anthropolatræ à Syn. Epheſ. Epiſt. ad Theodoſ. & Valent. Impp. Cyrill. de recta fide ad Regin. Juſtiniano conſtit. 6. cap. de ſumm. Trinitat. & fide Cathol. & idololatræ à Synodo Nicena 11. act. 7. eò quod carnem Chriſti adorare volebant, quam tamen intra λόγῳ ὑπόςασιν ſubſiſtere negabant. Chriſtiano categori dicuntur idololatræ à Damaſcen. lib. de hæreſ. circa finem & Bellarm. 2. de imagin. ſanct. cap. 11. eò quod imaginibus divinos honores decernebant ac Chriſtianos tanquam idolorum cultores accuſari faciebant. 4. Deſcriptionibus Idololatriæ, quas tradunt autores Tertull. lib. de idolol. cap. 1. *Idololatria fraudem Deo facit, honores illi ſuos denegans & aliis conferens, ut fraudi etiam contumeliam jungat.* Ambroſ. In cap. 5. Ephel. *Idololatria DEI honorificentiam uſurpat, & creaturæ vindicat.* Gregor. Nazianzen. orat. εἰς γενέθλ. *Idololatriam vocat adorationis à creatore ad creaturam translationem.* Auguſt. 1. de Trinit. cap. 6. *Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris eam ſervitutem exhibent, quæ debetur DEO.* Beda in cap. 4. Lucæ. *Idololatræ nuncupantur, qui vota, preces & ſacrificia, quæ uni Deo debuerant, idolis impenderunt.* Gerſon. in reg. moral. tit. de ſuperbia lit. M. *Idololatria eſt exhibitio honoris verè vel interpretativè aut attributivè divini alicui creaturæ aliter, quam ſibi poteſt competere.* Thom. 2. 2. q. 44. art. 1 *Idololatria eſt ſuperſtitio, quâ creaturæ divinus cultus exhibetur.* Catech. Trident. in explicat. 1. præcepti. *Moſes cùm populum ab idololatria avertere vellet, ajebat, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die quâ locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis, quod ſapientiſſimus Legiſlator ideò dixit, ne quo errore ducti divinitatis imaginem fingerent, Deoque debitum honorem creaturæ tribuerent*, ex quibus verbis talis colligitur idololatriæ definitio, quòd ſit error, quo DEO debitus honor creaturæ tribuitur.

ἐθελοθρησκείαι ſunt ſpecies εἰδωλολατρείας.

87. Cumque pars ſit divini honoris ac cultus ſoli Deo debiti præſcriptum ipſius in forma ac modo cultus ſequi Deut. 12. v. 8. *Non facietis ſinguli, quicquid rectum in oculis ſuis, ſed* verſ. 32. *quicquid ego præcipio vobis, cuſtodietis, ut faciatis, non addes ad illud, neque detrahes.* Matth. 15. v. 9. *Fruſtra colunt me docentes doctrinas mandata hominum.* Eſ. 1. v. 12. *Quis requiſivit hæc de manibus veſtris* &c. ideò ἐθελοθρησκείαι, quibus proprii cordis cogitata in cultu divino homines ſectantur, εἰδωλολατρείας quædam ſpecies conſtituuntur. Numer. 15. verſ. 39. *Recordamini omnium præceptorum Jehovæ, ut faciatis ea, & non aſpicietis poſt cor veſtrum & oculos veſtros, poſt quos fornicamini.* v. 40. *ut recordemini & faciatis omnia præcepta mea, & ſitis ſancti Deo veſtro.* v. 41 *Ego Jehovah Deus veſter, qui eduxi vos è terra Ægypti, ut eſſem vobis in Deum; Ego, inquam, Jehovah Deus veſter* (uſitatiſſimum eſt Prophetis ſpiritualis fornicationis & adulterii nomine idololatriam complecti, quando ergò electitii cultus hoc loco dicuntur fornicatio, utique idololatrias loco habentur, quod ipſum oſtendit repetitio verborum primi præcepti. Egó Jehovah Deus veſter) Deut. 12. v. 30. *Cave tibi, ne imiteris gentes, poſtquam te introeunte fuerint ſubverſæ, & requiras Ceremonias* (Hebr. Deos) *earum, dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam.* v. 31. *Non facies ſic Deo tuo.* In hoc dicto manifeſtè dicuntur Dii alieni conſtitui, quando verus Deus colitur vel coli exiſtimatur peregrinis Ethnicorum cultibus præter & extra verbum. 1. Sam. 15. v. 22. *Nunquid voluntas Jehovæ eſt in holocauſtis & victimis & nõ potius in obtemperando voci Jehovæ?* v. 23. *Peccatũ divinationis eſt rebellio & idolũ & Theraphim transgredi* (notum eſt per Theraphim ſimulachra intelligi, quibus divinus cultus exhibetur Gen. 31. v. 19. Jud. 17. v. 5. idolum igitur erigunt, quicunque cordis ſui cogitationes in cultu divino ſequuntur) Probant hoc ipſum rationes ſequentes. 1. Qui non timet nec diligit Deum ſuper omnia, peccat contra primum præceptum. Quisquis cultus extra & præter verbum inſtituit, nõ timet nec diligit Deum ſuper omnia; ſiquidem cogitata cordis ſui præfert Dei verbo. E. qui cultus extra & præter verbum inſtituit, peccat contra primum pręceptum, & per conſeq. committit idololatriam. Omnia enim peccata contra primum præceptum generali idololatrias nomine comprehenduntur. 2. Qui non agnoſcit Deum eſſe ſapientiſſimum, peccat contra primum præceptum (quia primo præcepto jubemur Deum agnoſcere, qualis eſt; jam verò Deus eſt ſapientiſſimus) Quisquis præter & extra verbum cultus inſtituit, non agnoſcit Deum eſſe ſapientiſſimum, quia cordis ſui cogitationes divinæ ſapientiæ præfert. E. qui electitios cultus inſtituit, contra primum præceptum peccat, & per conſeq. idololatriam committit. 3. Quicunque gloriam ſoli Deo debitam ad alium transfert, peccat contra primum præceptum & idololatriam committit. Quisquis electitios cultus inſtituit, gloriam ſoli Deo debitam transfert ad alium (ſiquidem hæc ſolius Dei gloria eſt, quod *ipſe unus ſit legiſlator εἷς ὁ νομοθέτης* Jacob. 4. v. 12 cui ſoli competit, normam ac formam ſui cultus præſcribere) E. qui electitios cultus inſtituit, contra primum præceptum peccat, & idololatriam committit. Hieron. in cap. 10. Jerem. *Quicquid de idolis diximus, ad omnia dogmata, quæ ſunt contraria veritati referri poteſt. Et ipſi enim* (talium dogmatum autores & propagatores) *ingentia pollicentur & ſimulachrum vani cultus de ſuo corde effingunt, jactant grandia & ad decipiendos ſimplices quosq. q. aureis ſenſibus & eloquiis argenti ſplendore fulgentibus imperitorum obſtringunt aciem* &c. *quorum cultura propriè gentium eſt & eorum, qui Deum ignorant.* Idem in c. 5. Michæ, *Infelix humana conditio & inſipientia plena atque erroris ſcit de ſuo ſenſu dogmata eſſe compoſita, non ignorat à ſe eſſe idolum ſimulatum & pro Deo adorat opera manuum ſuarũ.* Auguſt. in quæſt. ſuper Joſuam q. 29. ſuper verba. *Auferte Deos alienos de medio veſtri*, inquit. *Propheta ſanctus Joſua in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo & ipſas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum, qualis non eſt Deus, alienum Deum utiq. & falſum in cogitatione portat.* lib. de vera relig. cap. 38. *Opinio-*

net erroneas & propria φαντάσματα *eſſe cultum ſimulachrorum* oſtendit.

88. Ex quibus omnibus vera ac genuina idololatriæ Natura, plena ac perfecta definitio ac variæ ejusdem ſpecies cognoſci poſſunt: reſtat probandum, quod per imaginum cultum in Eccleſiis Pontificiis idololatria committatur, id verò ſeq. confirmamus argumentis. 1. Quicunq; divinum honorem deferunt rei, quæ non eſt Deus, committunt idololatriam: Pontificii deferunt honorem divinum imaginibus, cùm tamen non ſint Deus. E. Pontificii per imaginum honorem committunt idololatriam. Major ex illis, quæ dicta ſunt manifeſta eſt. Minorem confirmamus hoc modo. Adoratio eſt cultus ſoli Deo debitus. Imaginibus in Eccleſiis Pontificiis defertur adorationis honor. E. imaginibus defertur cultus ſoli Deo debitus. Minoris manifeſta veritas patet ex eo, quòd Thomas, Alenſis, Bonaventura, Albertus aliique complures ex ſcholaſticis diſputant, eundem honorem deberi imagini & exemplari, ac proinde imagines SS. Trinitatis, Chriſti & crucis adorandas eſſe cultu latriæ, quorum ſententiam ſequuntur Cajetanus, Greg. de Valent. & Coſterus, ut vidimus theſi 77. & 78. idololatricè dici agnoſcunt non ſolùm Robertus Holcot. & Gerſon (quorum ille lect. 158. in ſap. ſcribit. *Latria honor eſt ſoli Deo debitus, ſed nulla imago eſt Deus. Ergò nulli imagini debetur talis honor.* Hic verò part. 3. tract. 8. ſuper Magnificat concludit: *Solum Ens divinum & ſummum latriâ eſt honorandum, ſciunt hoc fideles, ſciunt & Philoſophi omnes, ſed lignum crucis etiam illud, in quo pependit Dominus, nihil habet divinitatis,*) ſed etiam ipſe Bellarminus, qui lib. 2. de imagin. cap. 24. ſic ſcribit: *Imago per ſe & propriè non eſt adoranda eodem cultu, quo ipſum exemplar & proinde nulla imago per ſe & propriè eſt Deus, ſive conſideretur ratione materiæ, ſive ratione figuræ & colorum, ſive ratione relationis. Ergò per ſe & propriè non debetur ulli imagini cultus latriæ. Dicet aliquis fortaſſè, Latriam eſſe cultum proprium Deo, quando exhibetur propter ſe, non autem quando propter aliud contrà; nam de eſſentia vera veræ latriæ eſt, exhiberi propter ſe, latria enim dicitur ſummus cultus, qui debetur vero Deo, ut primo principio rerum omnium, implicat autem contradictionem, exhiberi ſummum cultum primo principio ac propter aliud, nam ſi primo principio, non ergò propter aliud, ſi propter aliud, non primo principio. Ergò, vel imagini exhibetur cultus latriæ propter ſe, & hæc eſt vera idololatria, vel non exhibetur propter ſe, & tunc ille non eſt cultus veræ latriæ* &c. Hæc Bellarminus pleriſque Scholaſticis, imò ſuæ ſectæ hominibus Valentiano & Coſtero contradicens.

Bellarmini opinio de cultu imaginum.

89. Quo verò cultus genere Bellarminus cenſet imagines honorandas eſſe? lib. 2. de imag. c. 20 de genere cultus imaginibus debiti tres ſententias haberi ſcribit. *Prima, quòd imago non ſit ullo modo in ſe colenda, ſed ſolùm coram imagine colendum exemplar.* Ita ſenſiſſe videtur Alenſis p. 3. q. 30. artic. ultim. Durandus lib. 3. ſent. diſtinct. 9. q. 2. Alphonſus à Caſtro in verbo *Imago*, illis addere potuiſſet Vaſqoezium ſuæ ſocietatis hominem, qui lib. 2. de adorat. diſputat. 2. c. 3. dicit: *Superſtitioſum & ſtultum eſſe imagines per ſe colere nulla habita ratione ad exemplar. Secunda opinio eſt, quod idem honor debeatur imagini & Exemplari, & proinde Chriſti imago ſit adoranda cultu latriæ, B. Mariæ cultu hyperduliæ, aliorum Sanctorum cultu duliæ.* Ita Thomas, Bonaventura, Marſilius, Cajetanus &c. *Tertia opinio verſatur in medio, eſtq; eorum, qui dicunt, ipſas imagines in ſe & propriè honorari debere, ſed honore minori, quam ipſum exemplar, & proinde nullam imaginem adorandam eſſe cultu latriæ.* Ita Pereſius lib. de tradition. tract. de imag. Catharinus, Sanderus &c. Ut has opiniones conciliet, format ſeqq. propoſitiones. 1. *Imagines Chriſti & Sanctorum venerandæ ſunt non ſolùm per accidens vel impropriè, ſed etiam per ſe & propriè, ita ut ipſæ terminent venerationem, ut in ſe conſiderantur & non ſolùm ut vicem gerunt exemplaris. 2. Quantum ad modum loquendi præſertim in concione ad populũ, non eſt dicendum, imagines ullas adorari debere latriâ, ſed è contrario non debere ſic adorari. 3. Si de reipſa agatur, admitti poteſt, imagines poſſe coli impropriè vel per accidens, eodem genere cultus, quo exemplar ipſum colitur. 4. Imago per ſe & propriè non eſt adoranda eodem cultu, quo ipſum exemplar, & proinde nulla imago colenda eſt cultu latriæ propriè & per ſe 5. Cultus qui per ſe & propriè debetur imaginibus, eſt cultus quidã imperfectus, qui analogicè & reductivè pertinet ad ſpeciem ejus cultus, qui debetur exemplari.* Nimirum his coloribus εἰκονολατρείαν Bellarminus pingere voluit, ut comtior evaderet, à quo meritò quærimus. 1. Cur diſcedat à Thoma, cui juramento eſt aſtrictus? 2. imò cur diſcedat à Valentiano & Coſtero ſui ordinis hominibus? 3. cur neget manifeſtam praxin, quæ divinos honores imaginibus exhiberi teſtatur, quâ de re diximus theſ. 80. 4. cur diſcedat à Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 25. dicit, adorare imaginem, eſt ipſum Chriſtum adorare, ex quo colligit Valentianus, cùm in honorando prototypo uſurpetur ille honor, qui competit excellentiæ ipſius, ergo eodem prototypi honore honorandas eſſe imagines, modo illo ſuo, quo honorari debent, videlicet quatenus ſunt imagines ac proinde imagines Chriſti coli debere latriâ. 5. Cur neget, ad populum dicendum eſſe, quòd imagines ſint adorandæ cultu latriæ, cùm concedat, ſi de reipſa agatur, admitti poſſe, quòd impropriè vel per accidens cultu latriæ colantur? *Chriſtus doctrinam ſuam per Apoſtolos prædicari voluit omni creaturæ.* Marc. 16. v. 15. *Nec quicquam timet veritas niſi abſcondi:* Tert. adv. Valent. p. 383. Meritò hic exclamaverit quiscum Auguſtino 4. de civ. Dei cap. 27. *Præclara religio, quæ conferat liberandus infirmus & cùm veritatem, quâ liberetur, inquirat, credatur ei expedire, quod fallitur.* 6. Cur dicendum aſſerat, imagines non debere adorari cultu latriæ & tamen concedat, impropriè loquendo eas latriâ colendas eſſe? Quid dicatur impropriè hooorari id ipſemet hoc modo exponit. 2. de imag. cap. 2. *impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco Regis, ut quando Legatus honoratur loco Regis honore proprio Regibus.* Quemadmodum igitur verè honoratur Legatus, quando honor Regis ipſi defertur, licet id fiat impropriè; ita juxta Bellarmini hypotheſin dicendum, verè adorari cultu latriæ imagines, quando honor prototypi illis defertur, licet id fiat impropriè. 7. Quis tandem ſit iſte analogicus cultus imaginibus debitus? cap. 25. eum ſic explicat: *Sicut ſe habet imago ad ſuum exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Sed imago eſt ipſum exemplar analogicè &*

ſecun-

ſecundum quid, nam homo pictus, eſt homo ſecundum quid & analogicè, ergo etiam imagini debetur cultus ipſi exemplari debitus, imperfectus & analogicus. Reſp. homo pictus & verus homo non conveniunt, analogico genere, ſed æquivoco ſaltem Ariſtot. ἐν κατηγορ. cap. de homonymis. ὁμώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, οἷον ζῷον ὅ τε ἄνθρωπος καὶ τὸ γεγραμμένον. Subſumo, ſicut ſe habet imago ad exemplar, ita ſe habet cultus imaginis ad cultum exemplaris. Atqui imago eſt ipſum exemplar æquivocè, non analogicè, multò minùs συνωνύμως. E. etiam cultus imaginis eſt cultus æquivocus. 8. Quâ ratione analogicus ac reductivus iſte cultus rudioribus, qui in imaginum cultu operoſiores ſunt ipſis Magiſtris, ita explicari poſſit, ne periculum idololatrias ipſis metuendum ſit? quotus enim quiſque eorum, qui imagines veneratur, cogitat de latria, hyperdulia, dulia, de cultu illo inferiore, qui ſecundum quid analogicè ac reductivè ſit latria, hyperdulia, dulia? 9. An cultum illum analogicum imaginibus SS. Trinitatis Chriſti & crucis debitum ſtatuat aliquo modo divinum, an verò nullo? Si prius, denuò ſequetur, partem divini honoris ad imagines transferri idque analogia manifeſtè requirit, cùm conſiſtat in quadam participatione inter id, quod analogicè reducitur & ad quod reducitur. Si poſterius, Deus per illum imaginum cultum non coletur, cùm Deo non conveniat niſi divinus honor.

Exceptiones adverſariorum.

90. Quid ſi dicatur, Papiſtas quidem procidere ante imagines, ſed nihil hîc eſſe idololatricum, cùm adoratio in genere notet quemvis honorem etiam humanum, cumque adoratio non referatur ad ipſas imagines, deniq; cùm totũ hoc ſpectet ad excitationem animorum ad Deum? Ita Piſtorius diſputat in hodeg. cap. de imag. pag. 295, cui ſolidè reſpondet D. Menzerus in Antipiſt. diſp. 7. th. 43. & ſeqq. 1. Synodus Nicena II. itidem honorariã ſaltem adorationem imaginibus tribuit, ſed quomodo eam explicet, vidimus theſi 76. 2. Ipſa praxis oſtendit adorationem illam imaginum non eſſe civilem ſed religioſam, ſiquidem colunt eas ſacrificando, vovendo, jurando, &c. cùm tamen Bellarm. 3. de cultu Sanctor. cap. 9. agnoſcat, *votum eſſe actum religionis ſoli Deo debitum, qualis etiam ſit juramentum & ſacrificium.* 3. Voce legis divinæ manifeſtè prohibitum incurvare ſe ſculptili, atque illud colere. Quicunque ergò ſe incurvat imagini, ut interiorem cordis ſui cultum hac ratione exteriùs proferat, is contra præceptum Dei peccat. 4. Civilis illa adoratio Regibus & honoratioribus delata non poteſt hîc habere locum, cùm imagines non habeantur in numero rerum civilium, ſed ſacrarum ac religioſarum. Jam verò in rebus ſacris nota religioſi cultus ex geniculationis geſtu petitur. 1. Reg. 19. v. 9. Rom. 11. v. 4. 5. Adde quod magna ſit diſſimilitudo, quando hominibus rationalibus exhibetur civilis & externa reverentia, quæ in ſcriptura V. T. aliquando vocatur adoratio, & ejus exempla in ſcriptura extant: ſed inanimatis ſtatuis hoc exhibere non eſt idem, & ejus nullum extat in ſcriptura vel mandatum vel exemplum, imò lex Dei quia utrumque prohibet & adorationem & cultum imaginum, altero interiorem cultum ſpiritus, altero externam honorariam adorationem imaginum prohibet. 6. Bellarm. 2. de Imag. c. 24. & Greg. de Valent. tract. de adoratione Chriſti punct. 2. diſertè improbant eorum ſententiam, qui dicunt, imaginem non eſſe ullo modo in ſe colendam, ſed ſolùm coram imagine colendum exemplar: Imaginem verò tantùm nobis eſſe motivum, ut prototypum ſolum honoremus. 7. Scholaſtici plèrique eundem omninò cultum deferunt imagini, qui debetur exemplari.

Alterum argumentum quo probatur per cultum imaginum committi idololatriam.

91. Atque hæc dicta ſint de argumento primo, quo demonſtrare cupimus, Pontificios per cultum imaginum committere idololatriam; alterum hoc eſto. Quandocunque per cultum imaginum Deus colitur, committitur idololatria. Pontificii per cultum imaginum Deum colere volunt. E. per cultum imaginum idololatriam committunt. Minorem haud inviti concedunt. Majoris veritatem comprobat tùm manifeſtum Dei præceptum, quo ſe per imagines coli vetuit, tùm exempla eorum omnium, qui idololatrias accuſati ſunt, quod per imagines Deum colere voluerunt præceptum manifeſtum extat. Deut. 4. v. 15. *Cavete diligenter animabus veſtris (non enim vidiſtis ullam imaginem in die, quâ locutus eſt Jehovah ad vos è medio ignis)* v. 16 *Ne fortè corrũpatis vias veſtras & faciatis vobis ſculptile, aut imaginem ullius ſimulachri, &c.* Prohibet legiſlator populo, ne faciat ſibi ſculptile aut imaginem non cujusvis rei, ſed ejus in qua repræſentetur & colatur Deus, additur enim ratio, ideò nullam Dei ſimilitudinem in ſolenni Legis promulgatione viſam, quod nollet ſui aliquam ſimilitudinem fieri. Quod ſi prohibitum, ne Dei aliqua ſimilitudo fiat, utique etiam prohibitum, ne in ſimilitudine vel imagine quadam Deus colatur. Bellarm. 2. de imag. c. 8. ſcribit, *Non eſſe tàm certum in Eccleſia, an ſint faciendæ imagines Dei ſive Trinitatis quam Chriſti & Sanctorũ: interim concludit, licere pingere imaginẽ Dei Patris, in forma hominis ſenis, cùm Angeli ſint incorporei & depicti in V. T. cùm Deus viſus ſit ſpecie corporeâ, cùm tribuantur ei membra humana, &c.* Sed hæc omnia nondum probant, ipſius Dei imaginem pingi poſſe vel debere, quando enim corporeæ illæ ſpecies in quibus ſe repræſentavit Deus, depinguntur, tùm non ipſe Deus, ſed id in quo ſe manifeſtavit Deus, depingitur, quod ipſe Bellarminus quodammodo agnoſcit, unde in arg. tertio Coll. 956. fatetur, *Non ſine periculo exhiberi imperitis ejuſmodi picturas, in quibus membra corporea tribuuntur Deo.* Coll. 956. diſputat tribus modis aliquid pingi poſſe. 1. *Ad exprimendam perfectam ſimilitudinem formæ & naturæ rei ipſius, quâ ratione ſi quis Deum pingere tentaret, verum idolum conſtitueret.* 2. *Ad hiſtoriam aliquam oculis exhibendam, ut ſi quis pingere vellet expulſionem Adami de Paradiſo, pingere deberet Deum in forma hominis ambulantem, &c. qui autem ita pingeret, non vellet certè repræſentare Dei Naturam, ſed ſolùm exhibere oculis per picturam, quod alius auribus exhiberet recitando ſcripturam* 3. *Ad explicandam rei Naturam non per immediatam & propriam ſimilitudinem ſed analogiam ſive metaphoricas myſticasq; ſignificationes, ut cùm in forma humana extra Hiſtoriam pingitur DEUS Pater, Chriſtus in forma ovis, &c. ubi notandum, non debere ejuſmodi imagines multiplicari, nec tolerandum eſſet, quod pictores audent ex capite ſuo confingere imagines Trinitatis, ut cum pingunt unum*

hominem cum tribus faciebus, vel unum hominem cum duobus capitibus, & in medio eorum columbam, iſta enim monſtra quædam vocantur & magis offendunt deformitate ſua, quàm juvent ſimilitudine. Hæc omnia Bellarm. qui poſteà concludit, *in ſcripturis tantum prohibitam eſſe imaginem Dei primi generis.* Quamvis verò Hiſtoricæ iſtæ picturæ, in quibus manifeſtationes divinæ exprimuntur, non omninò à nobis improbentur, tamen extra Hiſtoriam pingere imaginem vel erigere ſtatuam aliquam, quâ Deus vel immediatè vel analogicè repræſentetur, prohibitum eſſe ſtatuimus, propter manifeſta ſcripturæ dicta Deut. 4. v. 15. *Nullam vidiſtis ſimilitudinem, obſerva ergo teipſum, ne fortè deceptus facias tibi ullam ſimilitudinem.* Eſa. 40. v. 18. *Cui aſſimilabitis Deum, aut quam ſimilitudinem ponetis ei?* Eſa. 46. v. 5. *Cui aſſimilabitis me & æquabitis aut comparabitis me & ſimilitudo ero?* Actor. 17. v. 29. *Non debemus exiſtimare auro & argento aut lapidi ſculpturæ artis aut cogitationis hominis, Numen eſſe ſimile.* Ac res ipſa oſtendit, non poſſe talem quandam imaginem fingi vel pingi, qua Deus unus in eſſentia, ac trinus in perſonis vel immediatè vel analogicè repræſentetur: hinc veteres disertè ſcribunt, nefas eſſe Dei imaginem aliquam fingere. Clemens Alexan. lib. 1. Strom. aſſerit *Deum ex Moſis diſciplina nec hominis effigie, nec ulla altare repræſentari.* Tertull. de cor. mil. *Indignum, ut imago Dei vivi imago idoli & mortui fiat.* Orig. lib. 7. cont. Celſ. in fin. *Negat Dei ſimilitudinem ullam faciendam.* Idem repetit Euſeb. lib. 1. de præparat. Evang. c. 6. Athanaſ. orat. cont. gentes. Hieron. in c. 40. Eſa. Auguſt. de fide & ſymb. c. 7. Theod. in Deut. q. 1. Damaſc. lib. 4. orth. fid. c. 17. Synod. Conſtantin. ut habetur in act. 6. Syn. Nicen. Niceph. lib. 8. hiſtor. Eccleſ. c. 53. quorum ſententiam imitatus Polyd. Virg. 2. de rer. invent. c. 23. ſcribit: *Cùm Deus ubique præſens ſit, nihil à principio poſt homines natos ſtultius viſum, quàm ejus ſimulachrum pingere.* Quòd ſi imaginem aliquam Dei fingere nefas, multò minùs fas erit imaginem aliquam Dei colere. Inde Auguſt. Epiſt. 119. ad Januar. dicit: *Primo præcepto prohiberi, ne quis colat ullam imaginem Dei, niſi unam eandem cum ipſo quæ eſt Chriſtus.* Ambroſ. Epiſt. 31. ad Valent. *Non vult Deus in lapidibus coli.* Abulenſis in c. 4. Deuter. *Vetuit Deus non ſolùm imaginem aliquam adorari, ſed etiam ſeipſum adorari in imagine; unde colligit hoc conſectarium. In imaginibus ſignantib. Deum purè ſc. Trinitatem duo inconvenientia ſequi poſſunt, primùm idololatria, ne etiam imago colatur, ſecundùm error & hæreſis, ſc. attribuere Deo corporeitatem.* Pereſius parte 3. de traditionibus tr. de imag. ſecutus Auguſtinum prodidit, *Primo Dei præcepto prohiberi, ne colatur aliqua in figmentis hominum Dei ſimilitudo, non quia non habet imaginem Deus, ſed quia nulla ejus imago coli debet, niſi illa, quæ hoc eſt, quod ipſe.* Vaſques lib. 2. de adorat. diſp. 4. c. 2. *ex Deut. 4. clarè deducitur, non licuiſſe tùm verum Deum in aliqua imagine venerari.*

Exempla idololatrarum. 92. Eos qui per cultum imaginum Deum colere voluerunt, idololatriæ accuſatos fuiſſe teſtantur exempla: 1. *μοσχολάτρων* in Ægypto, qui

1. μοσχολάτραι. per cultum vituli conflatilis verum DEUM coli poſſe putabãt, quaſi idololatras fuiſſe, graviſſima pœna teſtatur Exod. c. 32. (** Vide *Lutherum* in præfat. præfixa Germanicæ verſioni Prophetarum.**) Excipit Bellarm. 2. de imag. c. 13. *Iſraëlitas exiſtimaſſe ſummum Deum eſſe vitulum illum, quia viderant in Ægypto vitulum in ſummo honore, unde etiam dicantur obliti Dei ſui, Pſal. 106. v. 21. & permutaſſe gloriam ſuam in ſimilitudinem bovis, v. 20.* R. ex textu evidentiſſimè patet, iſtius vituli cultum in honorem veri Dei ab ipſis inſtitutum fuiſſe. v. 4. dicit Aaron: *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* At noverant non à vitulo illo ante horas non ita multas fabricato ſeſe ex Ægypto eductos, ſed à vero Deo. v. 5. *Aarõ ædificat altare vitulo, & præconis voce clamat: Cras ſolennitas Domini eſt* ליהוה laihovah, ubi apparet ipſi Deo ſolennitatem indici. Viderant Ægyptios colere Deum ſuum per bovem ſive vitulum Apim dictum (quem ſacrabant Serapidi, teſtibus. Auguſt. 18. de civ. Dei c. 5. Cic. de Natur. Deorum. Macrob. l. 1. Saturnal. c. 21. Herodoto, Diodoro Siculo, Plutarcho, &c.) ideò etiam verum illum Deum, per quem ex Ægypto educti erant his ritibus & in hoc ſimulacro colere voluerunt. Johan. Ferus in cap. 7. Actor. *Judæi venerati ſunt Deum verum in vitulo, quem formavit Aaron, idq; patet ex ipſorum verbis, hi ſunt Dii tui, &c. peccarũt verò, quod idolum extra primum Dei præceptum fecerunt.* Quid quod evidentia textus cogit Bellarminum, ut ſcribat Coll. 984. *Non improbabiliter dicitur, quod Judæi putaverint in idolo ſe colere Deum verum, ceterum in hoc peccarunt graviſſimè, tum quia idolo ſacrificabant & in ipſo idolo vim divinam ineſſe credebant, tùm etiam quod imaginabantur, Deum eſſe corporeum & ipſi idolo ſimilem, ex quo ſequebatur, ut putarent ſe colere verum Deum, ſed revera non colerent niſi figmentum ſuum.* Hæc Bellarm. à quo meritò requiritur, ut probet Iſraëlitas credidiſſe in ipſo vituli idolo aliquam vim divinã ineſſe, & Deum corporeum ſtatuiſſe. Si enim ex eo, quod vitulo ſacrificaverint, id colligitur, utique pari ratione colligere poterimus, Pontificios etiam ſtatuere, quod imaginibus via aliqua divina inſit (fruſtra renitente Concil. Trident.) cum thure, precibus, votis &c. eas colant. Obliti dicuntur Dei ſui, non quod Dei patrum ſuorum, à quo ex Ægypto educti erunt, planè non meminerant, ſed quia obliviſcebantur mandatorum ejus, peculiariter illius, quo prohibiti erant, ſimulacrum aliquod ad cultum Dei fabricare, qui mandatorũ Dei obliviſcitur, is ipſius Dei obliviſcitur, qui verũ Deũ aliter colit, quã in verbo præcepit, is nõ colit verũ Deum, ſed cordis ſui idolũ. Dicuntur gloriã ſuã (Deũ ſuũ) cõmutaſſe in ſimilitudinem bovis comedentis fœnum, non quod ſtatuerint, Deum in eſſentia ſua talem eſſe, quod ſi vel maximè aliis, tamen Aaroni nunquam in mentem venit, ſed quia vitulo iſti divinos honores tribuerunt, & ſic gloriam vero Deo debitam ad ipſum tranſtulerunt. Quamvis autem verum Deum hac ratione colere voluerint, tamen Sp. S. pronunciat ipſos verum Deum commutaſſe in ſimilitudinem vituli: neque n. hac in parte reſpicitur colentium affectus vel intentio, ſed Dei animus ac ſententia Jer. 2. v. 27. tribuitur Iſraëlitis, *quòd dixerint ligno, Pater meus es tu; & lapidi, tu genuiſti me:* Atqui Reges, Principes, Sacerdotes ac Prophetæ Iſraëlitarum (quos ibidem Jeremias idololatriæ accuſat) non fuêre tàm emotæ mentis, ut ſtatuerent ligneas ac lapideas illas ſtatuas

eſſe

eſſe creatores ſuos, aliàs cerebrum in calcaneo geſtaſſent, ſed quia per cultum illarum ſtatuarum Deum creatorem colere voluerunt, ideò rectè de illis hoc pronunciatur, quòd honorem creatoris mutaverint in ſimilitudinem ligneæ vel lapideæ ſtatuæ.

2.Micha. §3. II. Micha cum matre ſua per ſimulachra Deum colens idololatriam committit Jud. 17. utrumque aſſertionis membrum ex textu ſatis evidens. v. 3. dicit mater: *Sanctificando ſanctificavi argentum illud,* (ex quo factum eſt ſimulachrum) *Domino* (Jehovæ) *ut de manu mea ſuſcipiat filius meus & faciat* (ex eo) *ſculptile atque conflatile.* v. 5. cùm argentarius ex eo feciſſet ſculptile atque conflatile, id fuit erectum in domo Michæ, is habuit ſacellum in ædibus, in quo ſimulachrum illud repoſuit: ex reliqua pecunia fecit Ephod, hoc eſt, veſtem ſacerdotalem, quâ ſolebant uti ſacerdotes V. T. in peragendis ſacris: *Implevitque manum unius filiorum ſuorum & factus eſt ei Sacerdos:* Poſtmodum v. 10. ubi Levitam peregrè ad ſe venientem in Sacerdotem conſecraſſet, dicit: *Nunc ſcio, quod benefaciet mihi Jehova, quia Levitici generis Sacerdotem nactus ſum,* quia noverat ex ſola Levitica tribu Sacerdotes eſſe diligendos cap. 18. v. ult. Danitæ dicuntur ſibi erexiſſe ſculptile ipſius Michæ, quod fecerat, cunctis diebus, quibus fuit domus Dei in Siloh; ex quo manifeſtè patet, tutum hoc negotium à Micha & ipſius matre in honorem veri Dei ſuſceptum, exiſtimarunt n. ſe in cultu iſtius ſimulachri verum Deum culturos, ipſique gratificaturos, ac nihilominus idololatriæ accuſantur, ſimulachrum n. illud dicitur *Teraphim* Jud. 18. v. 18 v. 24. Huc pertinet quod Jud. 8. v. 27. de Gedeone commemoratur, quomodo ex inaurib. ſpoliorum aureos fecerit Ephod ac poſuerit illud in civitate ſua in Ophrah. Quamvis v. Gedeon in honorem & cultũ veri Dei id faceret, expreſsè n. dicit v. 23. *Jehovah vobis dominabitur,* tamen univerſus Iſrael dicitur poſt illud Ephod fornicatus, id eſt, idololatriam commiſiſſe, nimirùm quia verum Deum aliter colere voluit, quam in verbo ſuo præceperat. Auguſt. lib. 7. quæſtinnum q. 41. *Non fruſtra quæritur, cùm idolum non fuerit, id eſt, cujuſquam Dei falſi & alieni ſimulachrum, ſed Ephod, hoc eſt unum de Sacramentis tabernaculi, quod ad veſtem Sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem ſcriptura dicat populi iſta ſectantis atque venerantis, ideò ſcil. quod præter tabernaculum Dei ubi erant iſta, quæ ſibi fieri juſſerat DEUS Iſraël, extra ſimile aliquid fieri fas non erat, ideò ſequitur & dicit Scriptura: Et factum eſt Gedeon & domui ejus in ſcandalum, id eſt, ut ab offenſo Deo diſcederet, quia & hoc quoddam genus idoli quodammodo erat, quod extra DEI tabernaculum quodlibet manu factum pro Deo coleretur, cùm illa ipſa, quæ juſſa ſunt in tabernaculo fieri ad Dei potiùs cultum referrentur, quàm pro Deo aliquid eorum aut pro Dei ſimulachro colendum haberetur, quanquam per Ephod eâ locutione quæ ſignificat à parte totum, omnia poſſunt intelligi, quæ conſtituit Gedeon in ſua civitate velut ad colendum Deum ſimilia tabernaculi Dei.*

3.Iſraelitæ. 94. III. Iſraëlitæ ſervierunt Baal & Aſtharoth, Jud. 2. v. 13. atqui Deum ipſum vocarunt Baal, hoc eſt per cultum Baalis verum Deum colere voluerunt. Oſeæ 2. v. 16. *In die illo vocabis me, vir meus, nec vocabis me ulterius Baal,* v. 17. *auferam enim nomen Baal de ore ejus, &c.* nihilominus dicuntur malum feciſſe in oculis Jehovæ, ſerviendo Baal. Sic Jeroboamus 1. Reg. 12. v. 28. facit duos vitulos aureos, quorum alterum collocavit in Dan, alterum in Bethel, ac dixit: *Ecce Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt ex Ægypto.* Jeroboamo non erat propoſitum à vero Deo Iſraelis populum abducere, aut illi perſuadere, aureos illos vitulos verè Deos eſſe, ſed ſimulachra illa ad cultum veri Dei erexit: Etenim cùm metueret, ne populus Iſraëliticus aſcendens ad facienda ſacrificia in domo Dei in Jeruſalem, hac occaſione ad Roboamum relaberetur, docuit populum, vero illi Deo, qui ex Ægypto majores ipſius eduxerat, non minùs ſervici poſſe coram illis vitulis aureis, quàm Hieroſolymis coram ſancto ſanctorum, ſuprà quod erant Cherubim, nihilominus erat Idololatra 1. Reg. 14. v. 9. Pertinet hûc, quod de Jehu commemoratur, 2. Reg. 10. v. 25. & ſeqq. quod ſervos quidem Baalis trucidaverit, ſtatuam ejus confregerit, ædem quoque Baalis deſtruxerit, interim tamen à peccatis, Jeroboami filii Nadab, qui peccare fecit Iſrael, non receſſerit, neque dereliquerit vitulos aureos in Dan & Bethel, quorum cultores vocat ſervos Jehovæ, v. 23. nimirum quia per cultum vitulorum iſtorum verum Deum coli exiſtimabat. 2. Reg. 18. v. 22. Rabſaces Legatis Hiskiæ reſpondet: Quod ſi dixeritis mihi, in Jehova Domino noſtro confidimus, nonne is eſt, cujus abſtulit Hiskias excelſa & altaria? Dixitque ad Juda & Jeruſalem, coram altari hoc incurvabitis vos in Jeruſalem. E. etiam ad gentes percrebuit iſta fama, quod per excelſa & ſtatuas illas verum Deum Iſraelitæ colere voluerint. Bellarm. l. d. non improbabilem judicat ſententiam Abulenſis & Cajetani in c. 7. Judicum, qui dicunt, duo genera idolorum fuiſſe apud Hebræos, unum ſine nomine certi Dei; quale fuit idolum Michæ Jud. 17. & fortè vitulus aureus quem fecit Aaron Exod. 32. & renovavit Jeroboam 1. Reg. 12. alterum cum certo nomine ut Baal, Moloch, Aſtaroth, &c. de primo genere admitti poſſe, quod Judæi putaverint in idolo ſe colere verum Deũ. **Greg. de Valent. in tract. de idolol. lib. 2. cap. 6. eſſe quendam ſimulacrorum cultum licitum putatur, quod probare conatur ex 1. Petr. 4. v. 3. Ubi vetus Interpres ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις vertit *illicitos ſimulachrorum cultus,* unde colligit, *quoſdam igitur ſimulacrorum cultus eſſe licitos, ſicut cũ cædem hominis injuſtam audimus, jure aliquando hominem cædi poſſe intelligimus.* Reſp. 1. Hoc epitheton ἀθεμίτοις rectius *nefarios* quàm *illicitos idolorum cultus* deſignat, ut Eraſmus reddidit. 2. epitheta non ſemper diſtinguendi & diſtribuendi, ſed etiam amplificandi gratia adhibentur, ut cùm dicimus *nefaria ſtupra, impura adulteria.* 3. In Ep. Jud. v. 11. dicuntur *peccatores impii*, nemo tamen inde colligit eſſe quoſdam peccatores pios, quatenus tales manent.**

95. Gentiles verum Deum, cujus aliqualem cognitionem ex libro Naturæ diſcebant, colere voluerunt per illum, quem ſimulachris deferebant, honorem. Bell. 2. de imag. c. 13. hoc præfractè negat, ac probare inſtituit, gentiles habuiſſe idola ſua pro diis, vel certè in idolis creaturas loco veri Dei coluiſſe. Reſp. fuerint ſanè quidam ex plebe tàm ſtupidi atq; excordes, ut idola illa verè Deos eſſe ſtatuerent, tamen plerique præſertim cultiores per imagines atque in imaginibus illis 4.Gentiles.

verum Deum colere voluerunt, non autem ipſas imagines Deos eſſe exiſtimarunt. Aug. in enarr. Pſal. 113. cunc. 3. *Ne quiſquam dicat, cùm irriſa fuerint ſimulachra, non hoc viſibile colo, ſed numen quod illic inviſibiliter habitat, ipſa ergò Numina in alio Pſalmo ſic damnat Scriptura; quoniam Dei gentium Dæmonia. Videntur autem ſibi purgatioris religionis eſſe, qui dicunt, nec ſimulachrū nec Dæmonium colo, ſed per effigiem corporalem ejus rei ſignum intueor, quam colere debeo.* D. Chryſoſtom. orat. 12. de prima Dei notitia, & Maximus Tyrius ſerm. 38. aſſeverant, *ſummum, primum, maximum Deum creatorem omnium & conſervatorem à ſe in ſimulacris ex auro, argento & ebore factis coli.* Surius tom. 5. fol. 881. refert, quòd Julianus Apoſtata Artemium Syriæ Ducem & Martyrem ad Idololatriam traducere conatus hoc modo Ethnicorum idololatriam excuſaverit. *Non tanquam Deos colunt eorum imagines, abſit: hoc enim ita accipiunt agreſtiores & ſimpliciores, ſed qui cupiditate tenentur ſapientiæ & res Deorum accuratè inquirunt, ſciunt, cuinam honorem tribuant, & ad quem tranſeat adoratio divinarum imaginum.* Pereſius parte 5. de tradit. exc. 17. Actor. colligit: *Multa fuiſſe idola, quæ tantum benefactorem Deum repræſentabant, nec omnia quæ gentes colebant, falſum Deum ſignificaſſe, fuiſſe enim Athenis aram ignoto Deo erectam, iſti ſcilicet Deo, qui feciſſet mundum & omnia quæ in eo ſunt.* Fonſeca in annot. margin. ad Cajetan. in c. 4. Deut. *In pleriſque ſtatuis Deum & virtutes ejus & id quod ſignificabatur, non ſignum colebant olim nonnullæ gentes, ita ut nonnulla ſimulachra conſecrata habuerint vero Deo, alia diis falſis.* Johan. Ferus in c. 17. Act. *tametſi gentiles idola ſibi præſtituebant, tamen eorum animus erat, vero Deo cultum exhibere.* Catech. Trid. in explic. primi præc. *Præclarè Apoſtolus eos mutaſſe Dei incorruptibilis gloriam in ſimilitudinem volucrum, quadrupedum ac ſerpentium dixit, hæc n. omnia tanquam Deum venerabantur, cùm illi horum imagines ponerent.* ** Jerem. 3. v. 10. Deus teſtatur de Ethnicis, *quod Deos ſuos nunquam mutaverint.* Jam v. manifeſtum eſt, imagines ac ſtatuas Deorum ſubinde à gentib. variè immutari, adeoque uni Deo v. g. Jovi aut Marti plures imagines erigi conſveviſſe. E. imagines ab Ethnicis non prodiis, ſed pro *Deorum ſignis*, ut Cicero loquitur, fuêre habitæ atq; cultæ. Id adeò certum eſt, ut veteres Dd. cum adv. idololatriam gentilium ſcriberent, in hac illorum exceptione refellenda quaſi ex profeſto inſiſterēt. Vide *Lact.* in l. Inſt. *Arnob.* l. 6. & 7 contra gentes, *Clem. Alex.* in l. Stromat. *Athan.* contra idola *Aug.* in Pſ. 113. Arnob. *Sed inquiunt* (Ethnici idololatræ) *nos neq; æra, neq; auri argentive materias aut alias, quib. ſigna conſiant, eos eſſe per ſe Deos & religioſa decernimus Numina, ſed eos ipſos in his colimus ac veneramur, quos dedicatio infert ſacra & fabrilib. efficit inhabitare ſimulacris.* R. 2. Arnob. *id æquè abſurdū eſſe ac ſi ſtatuas & ſimulacra Deos eſſe putes.* Atqui 1. Judæi & Ethnici illas ſtatuas Deorum nomine inſignire conſueverunt. R. eſt uſitata metonymia, qua ſigno nomen rei ſignatæ tribuitur, ſicut ipſi adverſarii imaginib. nomē prototypi imponunt & in ſ. literis ſimulacra boū, leonū, Cherubinorū appellantur boves, leones &c. 2. idololatræ dicūtur Deos alienos coluiſſe & veri Dei obliti eſſe Deut. 32. Pſ. 106. Reſp. per religioſum cultum fiunt ex imaginib. Dii alieni & Dei obliviſcuntur, qui non colunt eum juxta verbum **.

96. Deniq; hoc argumento utimur contra religioſum imaginum cultum. Omnis ἐθελοθρησκεία adverſatur primo præcepto. Religioſus imaginum cultus eſt ἐθελοθρησκεία. E. religioſus imaginum cultus adverſatur primo præcepto. Majorem confirmatam dedimus ſuperiùs, Minor ex eo patet, quod religioſus imaginum cultus deſtituitur mandato, promiſſione & applicatione ſcripturæ ſac. Adrianus 1. in Epiſt. ad Conſtantinum & Irenen. Augg. quæ in Actis Concilii Niceni II. habetur, operosè probat, non quod Deus juſſerit imaginem aut creaturam aliquam religiosè adorari, ſed quod cultus propria voluntate ſuſceptus Deo probetur. Recitatur ibidem dictū cujuſdam Stephani Boſtrorum Epiſcopi. *Quicunque imagines divorum confitentur, non errant; ſiquidem omne opus factum in nomine Dei bonum & ſanctum eſt.* Thomas 3. ſent. diſt. 9. q. 1. art. 2. reſp. ad 3. Marſ. 3. ſēt. q. 8. art. 2. dub 2. reſp. ad 5. fatētur cultū imaginum non poſſe ex ſcriptura probari.

Tertium argumentum cōtra cultum imaginum.

97. Excipit Bellar. 2. de imag. c. 12. non deſtitui cultum imaginum ſcripturæ teſtimonio, cum tria genera teſtimoniorum præſtò ſunt. Primò ea quæ expreſsè agunt de Imaginib. nimirum Ex. 25 de Cherubin propitiatorii, & Num. 21. de æneo ſerpente. Imagines n. Cherubin ſuper arcam exiſtentes neceſſariò adorabantur ab iis, qui arcam adorabant. Serpens quoque æneus non poterat non honorari, cùm in loco ſublimi à Deo poſitus fuiſſet & ſalutē miſeris in ſe aſpicientib. afferret. Reſp. 1. nec arcam nec Cherubin Iſraëlitæ adorabant, ſed verum Deum, qui apud arcam illam peculiari modo ſeſe præſentem fore pollicitus erat. Vetuſtiſſimus mos eſt facie ad Orientem versâ adorare, nec tamen ipſe oriens ſimul adoratur. Magi Chriſtum infantulum in præſepi poſitum adorabant, nec tamen ipſum præſepe ſimul adorabant. Qui canebant Chriſto Hoſianna cū aſino veheretur, ita potuerunt eum adorare, ut tamen non adorarent aſinum. Coràm altari, coràm Baptiſterio Deum adoramus, nec tamen altaria vel baptiſteria adoramus. 2. Serpens æneus poterat abſque religioſo cultu aſpici, neque etiam debebat religiosè honorari. Illud, quia non eſt neceſſe, ut id quod in ſublimi loco poſitum & ſalutem affert hominibus religiosè colatur, aliàs etiam Sol, Luna ac reliqua cœli ſidera eſſent colenda. Hoc verò, quia ſerpens iſte à Moſe erigebatur, non ut honoraretur, & adoraretur, ſed ut aſpiceretur ac typus eſſet Chriſti ſuo olim tempore in crucem agendi & ſalutem collaturi his qui oculis fidei eum aſpicerent Joh. 3. v. 14. Refert Lyranus ex R. Salom. in ipſo ſerpente non fuiſſe virtutem ſanandi, ſed aſpicientes ſerpentem cognoviſſe, quod afflictio illa juſtè ſit à Deo illata ac petentes ab eo miſericordiam ſic eſſe ſanatos. Quin imò cùm ſerpens ille religiosè per ſacrificia coli inciperet, ab Ezechia Rege abolitus & exuſtus eſt. 2. Reg. 18. 2. Para. 29.

Dicta ſcriptura ſtabiliendo imaginum cultu allata.
1 Cherubin & ſerpens æneus.

98. Secundo loco Bell. affert illa teſtimonia, quę docent creaturas religiosè honorandas propter ſolam relationem ad Deum, ut Pſ. 95. *Adorate ſcabellum pedum ejus.* Matth. 5. *Nolite jurare per cœlum, quia thronus Dei eſt, nec per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus*, ubi prohibentur juramenta ſine debitis circumſtantiis per cœlum & terram, ne contumelia fiat ejusmodi creaturis,

2 Pſ 95 adorate ſcabellum pedum ejus.

quatę-

quatenus relationem habent ad Deum. Reſp. 1. Verba Hebræa Pſalmi ſic habent: הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדֹם רַגְלָיו קָדוֹשׁ הוּא hiſchthachavû lahadóm raglaiv Kadóſch Hu. Adorate ad ſcabellum pedum ejus, quia ſanctus ipſe. Per *ſcabellum pedum* quidam intelligunt terram, quæ Matth. 5. v. 35. & Act. 7. v. 49. eo nomine appellatur, ſed rectiꝰ arca fœderis hoc loco intelligitur, cùm Pſ. 99. v. 1. Deus dicatur *inſidere Cherubim*, qui erant ſupra propitiatorium arcæ impoſitum, quæ & alibi 1. Paral. 28. v. 2. Eſ. 60. v. 13. Thren. 2. v. 1. ſcabellum pedum Dei dicitur. Porrò cùm Hebræa verba utroque modo converti poſſint: *adorate ſcabellum pedum ejus, & adorate ad ſcabellum pedum ejus*, ideòquidam priorem, quidam verò poſteriorem verſionem amplectuntur. Priorem ſequitur Bellarminus, ſed poſteriorem præferendam eſſe conſtat ex his fundamentis. Deus nuſpià legitur ſanxiſſe, ut adoraretur arca fœderis; ſed ſeſe peculiari ratione præſentem in tabernaculo ad arcam fœderis adorari juſſit. Nec ſancti viri ipſam illam arcam fœderis, ſed ad arcam Deum adorarunt 1. Paral. 13. v. 6. aſcendit David & omnis vir Iſraël ad collem Ciriathiarim, qui eſt in Juda, ut afferret inde arcam Domini Dei ſedentis ſuper Cherubim, ubi invocatum eſt nomen ejus. Quid quod in hoc ipſo Pſ. v. 9. ſimili loquendi modo dicitur, הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר קָדְשׁוֹ hiſchthachavû lehár hodſchó, *προσκυνεῖτε εἰς ὄρος ἅγιον αὐτοῦ. adorate in monte ſanctitatis ejus.* Et Pſ. 132. v. 7. נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו niſchthachavæh lahadom raglaiv, *προσκυνήσωμεν εἰς τὸν τόπον, οὗ ἕστησαν οἱ πόδες αὐτοῦ. Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.* Auguſt. cùm Hebrææ linguæ non adeò gnarus eſſet, nec videret, quomodo ſcabellum pedum Dei adorari poſſet, ad carnem Chriſti totum hoc refert. *Fluctuans* (ait) *converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hîc & invenio, quomodo ſine impietate adoretur ſcabellũ pedum ejus, ſuſcepit n. de terra terram, quia caro de terra eſt & de carne Mariæ terram accepit, & quia in ipſa carne hîc ambulavit & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit, nemo autẽ illam carnem manducat, niſi prius adoraverit: inventum eſt, quomodo adoretur tale ſcabellum pedum Domini & non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando &c.* 2. Sententia Chriſti de juramentis oppoſita eſt Phariſæorum corruptelis, qui exiſtimabant, fidem datam per juramentum, in quo non expreſsè nomen Dei ſed aliæ formulæ, licet obliquè & indirectè ad Deum referrentur, interponebantur, impunè poſſe falli, ſicut Chriſtus ipſe explicat Matth. 23. v. 16. vel tales jurandi formulas, in quibus ipſum nomen Dei expreſſè non nominabatur, liberè & abſq; peccato contra ſecundum præceptum Decalogi poſſe in familiari ſermone & in quibusvis caſibus uſurpari. Oſtendit autem Chriſtus Matth. 23. v. 16. & ſeq. quando in formulis juramentorum mentio fit creaturarum, tunc jurisjurandi religionem & invocationem non dirigi ad creaturas vel ibi ſubſiſtere, ſed obliquè, indirectè ſeu mediatè referri ad ipſum Deum & quidem ſolum, qui præſentiam, gloriam, potentiam & operationem ſuam illuſtri aliquâ ratione in creaturis patefecit, uti hæc explicantur à Dn. Chemnitio c. 51. Harm. p. 363. ſed ex eo nondum ſequitur, per imagines etiam jurari vel aliam religioſi cultus partem ad eas transferri poſſe, neque n. in imaginibus gloria, potentia ac majeſtas Dei eo modo elucet, quo in creaturis eſt conſpicua. Quid quod D. Hieronymus ſtatuit, Chriſtum hoc loco ſimpliciter damnare formulas jurandi per creaturas tanquam impias? Quidam etiam diſputant tales loquendi formulas, non tàm juramenta, quàm obteſtationes appellandas eſſe, cùm jurisjurandi religio ſit honor ac cultus ſoli DEO debitus.

99. Tertium genus teſtimoniorum accerſit Bellarm. ex illis ſcripturæ locis, quæ docent, creaturas dici *ſacras* propter relationem ad res ſacras vel ſanctas Ex. 3. *Locus, in quo ſtas, terra ſancta eſt*, propter Angeli ſc. præſentiam Ex. 12. *Dies Paſcha dicitur ſancta & venerabilis* propter ſignificationem & quia dedicata erat cultui divino. Ex. 28. dicuntur *veſtes ſacerdotum ſanctæ* propter eandẽ cauſam. 2. Tim. 3. *ſcripturæ dicuntur ſacræ literæ*, quia ſigna ſunt ſacrarum rerum, nec ſolùm literas, ſed etiam verba ipſa prolata venerari conſuevimus, præſertim nomen JESUS & Evangelium audimus ſtantes detecto capite &c. At imagines Chriſti & Sanctorum etiam inſtitutæ ſunt ad ſignificandas & repræſentandas res ſacras: an ergò eas honorare non liceat? Reſp. Magna omninò in exemplis hiſce occurrit diverſitas, ac proinde ex illis colligi nequit, quod Bellarminus ſibi colligendum propoſuit. Exod. 3. v. 5. locus, in quo ſtabat Moſes, dicitur ſanctus, tùm propter DEI patefactionem, tùm propter verbi prædicationem. Quamvis enim Auguſtinus tract. 3. in Johan. creatum Angelum Moſi apparuiſſe ſtatuat, idem tamen 2. de Trinitat. cap. 13. rectiùs ſentit, per Angelum illum Filium Dei intelligi poſſe, quod non ſolùm ex v. 4. 6. & ſeqq. ſed etiã ex Deut. 33. v. 16. patet. *Benedictio ejus, qui apparuit in Rubo, veniat ſuper caput Joſeph.* Idem ſtatuit Euſebius lib. 1. Hiſt. cap. 2. Dies Paſchatis & veſtes ſacerdotales dicuntur ſanctæ propter eandem cauſam, ob quam tabernaculum dicitur ſanctuarium, nimirum quia cultui divino ſunt conſecratæ. Scripturæ dicuntur ſacræ, quia ſunt θεόπνευστοι à Spiritu ſancto inſpiratæ, quia tractant res ſacras & piâ eorum meditatione Spiritus ſanctus hominem ſanctificat. Sed imagines aliquo horum modorum ſanctas dici, probandum adhuc erat Bellarmino, neque enim divino cultui ſunt conſecratæ ipſius DEI voce & inſtituto. Ac ſi vel maximè ſacræ dicuntur, ex eo tamen nondum evinci poteſt, religioſæ adorationis & venerationis cultu eas honorandas eſſe, ſed externam ſive Ceremonialem quandam honorificentiam, quali templa ac vaſa ſeu utenſilia ejus εὐσχημόνως haberi ſolent, ipſis propter hoc nomen competere. Nomini JESU honorem exhibemus, & ei genua flectimus, ſecuti præſcriptum Apoſtoli Philip. cap. 2. verſ. 10. non quod ipſi ſono vocis vel apicibus literarum vim quandam occultam ineſſe ſtatuamus, ſed ut profiteamur, nos credere in CHRISTUM θεάνθρωπον Salvatorem noſtrum unicum, cui ex mortuis reſuſcitato & ad dextram Patris evecto ſummus ille honor ſubjectionis & adorationis debeatur.

3. Creaturæ dicuntur ſacra.

100. De Conciliorũ ac Patrum ſententiis, quas ſecundo & tertio loco Bellarminus adducit, conſulatur Dn. Chemnitius in Exam. Concil. Trid. Notum eſt, Patres Concilii Francofurtenſis à Ca-

Ex Conciliis & Patribus.

rolo Magno Anno 794. ex Gallia, Italia & Germania magno numero congregatos, mediâ viâ ingreſſos eſſe, & cum Niceno Coucilio II. contra Conſtantinopolitanum ſtatuiſſe, quod imagines haberi fas ſit: contrà verò cum Concilio Conſtantinopolitano contra Nicenum II. pronunçiaſſe, quòd imagines adorari fas nõ ſit, qua de re teſtâtur Adon. in Chrõ. An. 795 Abb. Urſper. A. 793. Hincmarus Remẽſis in l. cont. Epiſc. Jandunenſem, Aventinus in annal. Boiorum lib. 4. Annonius lib. 4. c. 85. Regino lib. 2. Schaffneburg. Sigebertus, Eginardus in vita Caroli M. apud Erphordienſem c. 69. Blondus lib. 1. Decad. 2. Mutius lib. 9. Carolini libri de imagin. Omnes iſtos Scriptores mentiri vel libros eorum corruptos eſſe, impudenter aſſerit Alanus Copus Dial. 4. & 5. cujus ſententiam optat quidem veram eſſe, ſed tamen falſam ſuſpicatur Bellarminus lib. 2. de imag. c. 14. qui aliud quęrit effugium, nimirum decretis hujus Synodi non conſenſiſſe Romanum Pontificem. Atqui norma Conciliorum non eſt ſententia Rom. Pontificis, ſed Scripturarum autoritas. Nicenum II. quàm fuerit turbulentum, ac quibus rationum momentis imaginum cultum aſtruxerit, petatur es actis iſtius Concilii. Patres abſolutè definiunt idololatriam, quâ honor divinus tribuitur creaturæ, interdicunt, ne qua Dei ſimilitudo fiat, imagines adorari prohibent, eos qui contrà agunt, hereticis accenſent, quâ de re videatur Iren. lib. 1. adv. hæreſ. c. 24. Epiph. tom. 2. lib. 1. hæreſ. 23. Auguſt. de hæreſ. ad Quotvultdeum hæreſ. 7. Theodoret. lib. 1. hæret. fab. *Nos crucem nec adoramus nec optamus*, ait Minutius Felix in Octavio. *Invenit Helena crucem Domini, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis error eſt, ſed adoravit illum, qui pependit in ligno*, ſcribit Ambroſ. ſerm. de obitu Theodoſii. *Perlatum ad nos fuerat*, (ſcribit Gregor. ad Serenum Maſſilienſem Epiſcopum lib. 9. Epiſt. 9. & habetur c. perlatum diſt. 3. de conſecrat.) *quod in conſiderato zelo ſuccenſus Sanctorum imagines ſub hac quaſi excuſatione ne adorari debuiſſent, confregeris & quidẽ eas adorari vetuiſſe, omninò laudamus, fregiſſe v. reprehendimus. Dic frater à quo factum eſſe Sacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Aliud n. eſt picturam adorare, aliud per picturæ Hiſtoriam, quid ſit adorandum, addiſcere.* Quinimò non dubitat Eraſmus aſſerere in ſymb. Catech. 6. p. 207. *Uſque ad ætatem Hieronymi fuiſſe probatæ religionis viros, qui in templis nullam ferre voluerunt imaginem nec pictam, nec ſculptam, nec textam, ne Chriſti quidem propter Anthropomorphitas, paulatim autem imaginum uſum irrepſiſſe in templa &c.*

En miraculis.

101. Quartum argumentum petit Bellarminus ex miraculis, quæ per imagines Chriſti & Sanctorum facta, ſed cùm manifeſtum ſit, non omne id, per quod miracula fiunt, adorandum eſſe (ut ſilentio involvamus miracula illa per ſtatuas facta, ut plurimum eſſe fictitia, quod de quibusdam concedit Gregor. de Valent. cont. Heerbrand.) ideò Bellarm. probare conatur, miracula per imagines facta, ideò facta eſſe, ut ſancirent imaginum cultum, *cur quaſo*, ait, *ignis cœleſtis diſcerpſit ſtatuam Juliani, niſi ut vindicaret injuriam factam ſtatuæ Chriſti? cur ab imagine à Judæis confoſſa ſanguis prodiit*, *ut eſt apud Athanaſ. lib. de paſſione imaginis Domini, niſi ut oſtenderet ſe honorare id quod Judæi contumelia afficiebant. Cur illis duntaxat conferuntur beneficia per imagines qui honorant & colunt imagines?* Reſp. 1. Ethnicorum idolis itidem miracula & ſermones tribuunt Hiſtorici, ecquis verò hoc nomine religioſè ea coleret? Valer. Maxim. lib. 1. memorab. c. 2. *Ater ſui Numinis vindex Apollo, qui Carthagine à Romanis oppreſſa, veſte aurea indutus id egit, ut ſacrilega manus inter fragmenta eis abſciſſa invenirentur*, c. 8. *Fortuna muliebris ſimulacrum non ſemel ſed bis locutum conſtitit* &c. Vide ibidẽ plura, ut & Auguſt. 4. de civ. Dei c. 19. 2. Miracula abſque verbo nihil probant, ſed ſunt inſtar ſigilli à literis avulſi. 3. De ſtatua ænea ab hæmorrhouſa erecta Euſebius nuſpiam dicit, quod religioſo aliquo cultu à Chriſtianis fuerit honorata, quinimò non fuit in Oratoria Chriſtianorũ tranſlata per trecentos annos, ſed tempore demum Juliani Apoſtatæ fragmenta ejus à Juliano colliſæ ſunt in templum repoſita ac aſſervata referente Sozomeno lib. 5. c. 20. Quod autem Nicephorus lib. 10 Hiſt. c. 30. addit, Chriſtianos ſtatuam illam in Diaconico Eccleſiæ loco honoratiori poſuiſſe & cultu convenienti eam proſecutos fuiſſe, in eo poſteriorum temporum ſuperſtitionem vetuſtis hiſtoriis ſuo more aſſuit. In primitiva certè Eccleſia ad cultum iſtam ſtatuam non fuiſſe uſurpatam ex eo manifeſtè patet, quod Nicephorus ibidem commemorat, *temporis diuturnitate oblivionem inductam fuiſſe, cujus nam ea ſtatua formam referret. & ejus rei gratia ibi collocata eſſet, quia enim ſub dio ſteterat, corpus fuiſſe mutatum, & imbres ex locis ſuperioribus limum ſecum trahentes ſtatua ipſi aggeſſiſſe, ut literæ non apparerent.* 4. Librum de paſſione imaginis non eſſe Athanaſii plurimæ evincunt circumſtantiæ, adeò ut ipſe Bellarminus eum non audeat Athanaſio tribuere 2. de imag. c. 10. Nannius Lovanienſis non diffitetur, ſuppoſititium eſſe. Sed quicquid ſit de miraculis per imagines editis, adorandas propterea illas eſſe, probari nulla ſpecie poteſt; quia enim unquam Apoſtolorum tempore adoravit umbram D. Petri, vel ſudaria & ſemicinctia D. Pauli? imò ipſi Apoſtoli divinum adorationis cultum ſibi exhiberi disertè prohibuerunt Act. 10. v. 26. & 14. v. 15.

Ex rationibus.

102. Quintum Bellarmini argumentum prodeat. *Homo dignus eſt veneratione, quia imago Dei eſt. E. & Chriſti & Sanctorum imagines veneratione digna ſunt.* Reſp. Honor, qui confertur homini ratione vel officii vel donorum, eſt civilis quædam reverentia & ad ſecundam Decalogi tabulam pertinet, ſed honor, quem imaginibus deferri vult Bellarminus, eſt cultus religioſus. Clemens Rom. lib. 5. recogn. planè invertit hoc argumentum, ſiquidem gentilibus, qui vitio vertebant Chriſtianis, quod religionem haberent abſque ſimulacris, reſpondet hoc modo. *Si verè velitis Dei imaginem colere, homini benefacientes, veram in eo Dei imaginem coleretis. Si ergò vultis verè Dei imaginem honorare, nos vobis, quod verum eſt, aperimus, ut homini, qui ad imaginem Dei factus eſt, benefaciatis. Hæc autem in tantum ad honorem DEI imaginis cedunt, ut qui iſta non fecerit, contumeliam imagini divinæ intuliſſe credatur. Quis ergo iſte honor DEI eſt per lapideas & ligneas diſcurrere formas & inanes atq; exanimes figuras tanquam numina venerari & hominem, qui eſt verè imago Dei, ſpernere?*

Hæc

Hæc Clemens ille. Invertimus proinde argumentum hoc modo: Si adorandæ ac colendæ ſunt imagines Dei ac Chriſti, certè vivæ potiùs adorandæ eſſent & colendæ, quàm mortuæ, quæ ex auro, argento, lapide &c. manibusq; hominum conficiuntur. Jam verò nemo ſtatuit, vel Deum patrem in homine vivo, vel Chriſtum Filium ejus in Chriſtiano vivo, vel Spiritum ſanctum in columba viva adorandum eſſe & colendum, proinde multò minùs convenit, ut Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum in mortuis, inſenſatis, ac mutis imaginibus adoremus ac colamus. Auguſt. 8 de civit. Dei cap. 16. *Religionis cultus qui debetur ex animo, nequaquam ei res debetur, quæ inferior eſt animo.* Baronius Anno 814. ſect. 38. ex Theodoro Studita ſcribit, *honorem imaginis ſive naturalis ſive artificialis redire ad prototypum*. Ergò, ſi artificialis imago religioſè colitur, utiq; & naturalis religioſè colatur.

103. Sextum argumentum. *Imago Regis venerabilis eſt honore quodam civili. E. imagines Chriſti & Sanctorum ſunt honorabiles cultu religioſo.* Reſp. 1. De cultu Dei judicandum eſt ex verbo patefacto, non ex conſuetudine ſeculi, neque ex noſtris ratiocinationibus. 2. In homine pio longè expreſſior ſimilitudo & imago Dei eſt, quàm in ulla picta vel ſculpta imagine, nec tamen cultu religioſo pii ſunt honorandi. 3. Num & ſic argumentabimur. Miniſtri Eccleſiæ ſunt *Legati Dei* 2 Cor. 5. v. 20. jam verò Legatus Regis honoratur quandoque honore Regis proprio, ut diſputat Bellarm. 2. de imagin. c. 20. diſt. 3. cui honoris generi confert cultum imaginib. debitum c. 23. Ergóne etiam Legatis Dei debetur honor Deo proprius? 4. Si quis principis imaginem tantùm non afficiat dedecore, is ſufficienter eam honoravit: ita quoq; ſufficit ad honorem imaginum, ſi non tractentur ignominioſè. 5. Optima ratio colendi imaginem Dei proponitur nobis in ſacris literis, quæ in eo conſiſtit, ut egenis Chriſti membris benefaciamus, dona Dei in aliis reverenter agnoſcamus, honore nos invicem præveniamus &c.

104. Septimum. *Imago eſt capax injuriæ & contumeliæ. E. & honoris atq; cultus.* Reſp. Utriusque quidem honoris civilis & religioſi capax eſt imago, ſed poſteriorem illi deferre divina lege prohibemur. Gen. 9. v. 6. prohibetur effuſio ſanguinis humani argumento, quia ad imaginem Dei factus eſt homo. Imago Dei viva capax contumeliæ, Ergóne etiam cultus religioſi? Octavum argumentum. *Idola gentium meritò exetramur & confringimus, quod non fit, niſi ratione ſignificationis, quia ſunt imagines falſorum Deorum. Ergò è contrario imagines Chriſti & Sanctorum honorabiles ſunt, quia res verè bonas ſignificant.* Reſp. Idola gentium non tantùm ratione ſignificationis, ſed maxime ratione cultus confringuntur, ſublato cultu idololatrico memoriæ cauſâ retineri poſſunt, ſicut Conſtantinus Imperator & Theophilus Epiſcopus eo fine quorundam Ethnicorum idolorum ſtatuas leguntur aſſervaſſe, ut eſſent Idolomaniæ Ethnicæ teſtes Euſeb. in vita Conſt. l. 3. c. 52. Socrat. lib. 5. Hiſt. c. 16. Imagines Chriſti & Sanctorum retineri & honeſtè tractari poſſunt, ne tamen contra Dei præceptum adorentur. Nono. Iconomachi fuerunt impii, qui imagines defenderunt viri ſancti. Decimò. Iconomachi infelicem ſortiti ſunt exitum, qui imagines defenderunt, felicitate donati. Reſp. Iconomachorum atq; Iconoclaſtarum temeritatem non approbamus, Iconolatrarum interim ſuperſtitionem vehementer improbamus, ſed nec ab omni errore ſancti ſunt immunes, nec ex felicitate externa potiſſimum æſtimandi.

105. Finiemus hanc de cultu imaginum diſſertationem, ubi priùs monuerimus, ab ipſis Pontificiis quibusdam Scriptoribus eum improbari, quâ de re ita ſcribit Caſſander in conſul. ad Impp. Ferdin. & Maximil. loco de imag. *Ad imagines Sanctorum quod attinet, certum eſt, initio prædicati Evangelii aliquanto tempore inter Chriſtianos præſertim in Eccleſiis, imaginum uſum non fuiſſe, ut ex Clemente & Arnobio patet. Quantum autem veteres initio Eccleſiæ ab omni veneratione imaginum abhorruerint, declarat unus Origenes adverſus Celſum ubi ait: Impoſſibile eſt, ut qui Deum novit, fiat ſupplex ſtatuis, nec hoc tantum ſtultum eſt, ſi quis preces offert ſimulacris &c. Nos vero ideò quoque non honoramus ſimulacra, ne quando in eam incidamus credulitatem, ut & iis tribuamus aliquid divinitatis.* Addit Caſſander. *Nec valebat tunc illa ratio quæ à nonnullis obtendi ſolet, honores iſtos non ſimulachris, ſed iis, quorum ſpeciem repræſentant, deferri: hic enim color à paganis quoq; afferri ſolebat, ut eſt apud Arnobium. Non, inquiunt, materias æris, auri, argenti & alias, ex quibus ſigna conficiunt, eos per ſe Deos eſſe & religioſa Numina diſcernimus, ſed eos in his colimus, eosq; veneramur, quos dedicatio infert ſacra.* Et apud Lactantium. *Non ipſa, inquiunt, ſimulacra timemus, ſed eos, ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Verùm hunc cultum, qui Deo per imagines exhibetur, non ſatis aptum & convenientem eſſe Deo, ſed à ſuperſtitioſis hominibus excogitatum, ex paganis quoque prudentiſſimi animadverterunt. Autor enim eſt Auguſtinus, Varronem dixiſſe, antiquos Romanos annos 170. Deos ſine ſimulachro coluiſſe. Qui mos ſi (inquit Varro) adhuc manſiſſet, caſtius Dii obſervarentur, atq; hujus ſuæ ſententiæ teſtem adhibebat inter reliquos gentem etiam Judaicam. Idem Clemens tradit, Chriſtianis vetitum fuiſſe artem fallacem (picturam) exercere. Appellat quoque ſpecioſum quidem, ſed improbum artificium, quod poſteaquam floruit, auctus eſt error. Et prophetiam citat, quæ dicit: res hic ſeſe habebunt infeliciter, quando crediderint ſtatuis. Sicut & Concilium Eliberti nũ Anno 320. celebratum decrevit: Picturas in Eccleſia eſſe nõ debere, ne quod colitur, in parietibus pingatur. Prudenter quoque poſt hos monuit Gerſon in declarationibus defectuum Eccleſiaſticorum. Judicate, inquit, ſi tanta imaginum & picturarum in Eccleſiis varietas expediat, & an non plures nonnunquam ſimplices ad idololatriam convertantur? Et ſanioribus Scholaſticis diſplicet ſententia Thomæ, qui cenſet, imaginem eadem adoratione colendam, quâ res ipſa colitur, quæ per imaginem ſignificatur. Gabriel quoque Biel ſaniorem ſententiam refert eorum, qui dicunt, quod imago neque ut conſideratur in ſe, ſecundum quod lignum eſt, lapis aut metallum, neque ut conſideratur ſecundùm rationem ſigni & imaginis eſt adoranda, quia qualitercunque conſideretur, eſt res quædam inſenſibilis & creatura, cui adoratio latriæ minimè eſt exhibenda. Quapropter* (ait Caſſander) *meritò reprehenditur a poſterioribus & ſanioribus Scholaſticis opinio Thomæ,*

Caſſandri ſententia de imaginibus.

ut mi-

ut minus tuta & periculoſa aſſerentis crucem Chriſti adorandam adoratione latriæ, ea videlicet adoratione, qua Chriſtus ipſe eſt adorandus, qua de re diſputat Johannes Picus Mirandulanus concl. 3. quæ eſt hujuſmodi; Nec crux Chriſti, nec illius imago adoranda eſt adoratione latriæ, etiam eo modo, quo ponit Thomas. A Thoma diſſentientes commemorat Durandum, Henricum de Gandavo, Johannem Guarranum, Robertum Holcot & Petrum de Aquila, Franciſcum Maronis &c. Tandem concludit Caſſander. Neq; verò ſatis eſſe videtur, ſi concionibus & admonitionibus populus ab illis erroribus avocetur, niſi etiam Principum & Epiſcoporum communiter id curâ efficiatur, ut quam minimâ perturbatione fieri poteſt, hujuſmodi errorum occaſio præſcindatur. Quamdiu n. ſerico, auro & gemmis ornata ſtatua in templis & aris conſtituentur, ſuperſtitionis finis ſperandus non eſt. Et ad cultum veræ Dei imaginis, i. e. hominis, invitandum populum, qui cultus conſiſtat in egenorum ſubventione, qui non modo imaginē Dei, ſed vicē & perſonam Chriſti nobis repræſentant. Chriſtus enim in judicio, ut in libris ſuis inquit Magnus ille Imperator, non eſt dicturus: Quicquid uni ex imaginibus iſtis feciſtis, mihi feciſtis: Sed quicquid uni ex minimis iſtis feciſtis &c. Idem de Synodo Francofordiana ſic ſcribit: Cùm apud Græcos acres contentiones & magni motus imaginum cauſâ extitiſſent, nec illi ſibi conſtarent aliis atque aliis nunc imagines confringentibus & delentibus, nunc verò coli & adorari jubentibus, Eccleſia Romana confractionē omninò damnavit, uſum verò in tota Eccleſia Romana & per totum fere orbem jam receptum retinendum cenſuit. Quam conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, quæ pariter confractionem & adorationem improbat, Gallicana & Germanica Eccleſia aliquot annis diligenter ſunt ſecuta & fortiter tueata ſunt, uſque adeò ut cùm in Synodo Nicena ſub Conſtantino & Irene de imaginibus adorandis aliquot decreta edita fuiſſent, atq; exemplari illo Germanicæ Synodi Francofortum (ubi tunc a Carolo Epiſcoporum Germaniæ, Galliæ, Aquitaniæ, Italiæ adverſus Felicem quendam Orgelitanum Epiſcopum Chriſtum ratione humanæ Naturæ filium adoptivum aſſerentem frequens Synodus habebatur) allatum & juſſu Caroli diligenter lectum fuiſſet, cui ſynodo etiam Legati Rom. Pontificis interfuerunt: Summo Patrum conſenſu Græca illa Synodus, quâ parte imagines adorandas cenſebat, improbata & damnata fuit, ut quæ non modo divinis literis & antiquæ Patrum traditioni, ſed etiam conſuetudini Romanæ Eccleſiæ adverſaretur. Quæ damnatio etiam actis & capitibus illius Francof. Synodi inſerta fuit. Atq; ea de re Caroli ipſius etiam jußu quatuor libri conſcripti fuerunt, quorum Hincmarus Epiſcopus Remenſis meminit, & eorum exemplum hodieq; in Bibliotheca Vaticana, & in nonnullis Galliæ locis extat, qui libri & rationes Orientalium diligenter confutant, & quæ hactenus fuerat, Eccleſiæ Rom. ſententiam acriter defendunt. Quæ ſententia breviter comprehenditur in Epiſtola Gregorii ad Serenum Epiſcopum Maſſilienſem: quam Carolus in ſuo ſcripto lib. 2. c. 23. ponit, cujus hoc eſt argumentum: Imagines à B. Gregorio Rom. urbis Antiſtite & adorari prohibentur & frangi. Breviter a. & ſcitè moderatam hanc de uſu imaginum ſententiam expreſſit Carolus l. 4. adv. Synod. Græc. c. 9 Imagines nil, ſi non habentur, derogant nil, ſi habentur, prærogant, cum tamen abdicata quandam incautam levitatē afferant, adorata verò culpam inurant. Cùm a. poſtea Romani Pontifices Græcis in hac cauſa paulatim concederent, Eccleſia tamen Gallicana & Germanica in hac ſententia & moderatione, quam primùm a Romana Eccleſia receperant, in Francofortenſi Concilio probata, conſtantiſſimè aliquot ſeculis perdurârūt, ut ex Scriptoribus Gallicanis conſtat, in quibus eſt vir eruditus Jonas Epiſcopus Aurelianenſis &c. Idem: Manifeſtum eſt, quam ut multis verbis explicari debeat, imaginum & ſimulachrorum cultum nimium invaluiſſe & affectioni ſeu potiùs ſuperſtitioni populi plus ſatis indultum eſſe, ita ut ad ſummam adorationem, quam pagani ſuis ſimulachris & imaginibus effingendis & exornandis admiſerunt, nihil a noſtris reliqui factum eſſe videatur. Quare & prudentes in Eccleſia Catholica viri jamolim modum aliquem huic rei ponendum & ſuperſtitioni occurendum eſſe cenſuerunt, inquibus fuit Gulhelmus ille Durandus Epiſcopus Moldenſis de modo Concilii generalis celebrandi. Hæc omnia Caſſander. Corn. Agrippa de vanit. ſcient. c. 57. dici non poteſt, quanta idololatria apud rudē populum alatur per imagines. Ethnici cùm ad Chriſti religionem converſi erant in Eccleſiam noſtram ſimulachra & multas ſteriles ceremonias introducebant, quarum omnino nihil eſt apud primos illos & vere Chriſtianos. Joh. Caſpar Rutlandus in locis comm. Theol. tit. 14. de imag. Chriſtiani imagines Chriſti, B. Virginis & Sanctorum habent tanquam memoriale, ut nos admoneant. Dum enim intuemur imaginem Chriſti crucifixi aut reſurgentis, ſtatim revocantur nobis in memoriam ſalvifica mors Chriſti & glorioſa ejus reſurrectio &c. Quod ſi autem alicubi eſſet imago, ad quam rude vulgus accurreret, ut eam adoraret, & apud eam auxilium quæreret, hanc debet Magiſtratus ejus loci tollere &c. Debent etiam prædicatores populum rudem ac ſuperſtitioſum informare, ne putent imaginibus aliquid divini Numinis ineſſe, & ideò eis magnâ ſuperſtitione peculiares cultus & honores tribuant. Liber quidem per ſe eſt uſus imaginum, modo caveatur abuſus & ſuperſtitio, quæ hactenus ſervata eſt apud vulgum in ſtatuis Chriſti & Sanctorum, quæ ſuperſtitio debet per concionatores corrigi & emendari, non tamen uſus imaginum omnino tolli debet è templis &c.

106. Atq; hæc dicta ſint de tertia primi præcepti parte, videlicet de appendice illa εἰς τὰς imagines concernente, reſtat pars quarta, quæ eſt generalis promiſſio ac comminatio ad totam legem pertinens, hiſce verbis Ex. 20. v. 5. & 6. propoſita. Ego ſum Dominus (Jehovah) Deus tuus, Deus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiā & quartam generationem odio me habentium, & faciens miſericordiam in multa millia his, qui diligunt me & cuſtodiunt præcepta mea. Hanc promiſſionem ac comminationem dicimus generalē eſſe ad omnia omninò Decalogi præcepta referendā, id quod plurale מִצְוֹתָי Mizvothái, præcepta mea h. l. uſurpatum manifeſtè evincit. Quemadmodum n. primū præceptū eſt ὡς εἰπεῖν præceptū præceptorū, fons & caput ceterorū omnium, cuj9 vis ad reliqua omnia ſpargitur & promanat: ita promiſſio & comminatio primo huic præcepto addita generalis eſt per omnia Decalogi præcepta deducenda. Idipſum repetitio horū verborum Ex. 34. v. 6. & 7. itidē nō obſcurè confirmat. Generalis promiſſio ac comminatio primo præcepto addita.

107. Proponuntur autem in his verbis rationes ſatis efficaces, quibus ad præſtandam mandatis

ſuis

Quinq; rationes ad obedientiam excitantes in ea propoſita.

ſuis obœdientiam hortari nos Deus voluit, continent enim minas graviſſimæ ultionis inobœdientibus paratę & promiſſionem ſingularis beneficentiæ obœdientibus expectandæ. Enucleatiùs dicendo, quinq; rationes hîc proponuntur, quibus ad obœdientiam excitamur. Primò n. Jehova ſe vocat Deum noſtrum non ſolùm creationis jure, ſed & aliquorum beneficiorum reſpectu, præſertim ratione fœderis nobiſcum initi, quâ de re plura diximus ſuperius §. 44. Deinde vocat ſe Deum fortem אֵל El, propriè ſignificat *potentem*, per antonomaſian κατ᾽ ἐξαίρετον λόγον tribuitur Deo, cujus potentia eſt infinita, ad omnes ac ſuper omnes creaturas ſe extendens, à cujus potentia dependent omnia in cœlo & terra, quæcunq; aliquâ potentia, virtute vel facultate ſunt inſtructa, ac propter hæc dona ab ipſo accepta ad præſtandam obœdientiam & cultum ipſi adſtringuntur. Oſtendit igitur Deus hac appellatione ſibi non deeſſe robur ad puniendum contumaces & benefaciendum morigeris. Tertiò appellat ſe ipſum קַנָּא kanná, *zelotem*. קִנֵּא kinné, ſignificat *zelum habere*, quod ſimul ex favore & ira provenit, quādo ſc. timetur, ne alteri attribuatur, quod cum nemine quis habere vult commune. Uſurpatur propriè de marito, qui ex ſincero amore erga conjugem ferre non poteſt, ut ſidem conjugalem ſibi ſoli debitam ad alium transferat. Oſtendit igitur Deus ſe non poſſe ſpirituale illud adulterium ferre, quo honor, cultus, dilectio & fiducia ſibi debita transferatur ad creaturas vel ficta Numina, ſed acerrimum fore honoris ſui vindicem. Orig. hoc loco: *Qui legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, ſed accenditur zelo ad ſervandam caſtitatem matrimonii: ſic animam ſibi ſpiritualiter conjunctam Deus non patitur peccare, nec ferre poteſt, ut alludat adulteris. Si a. viderit eam temerantem conjugii jura, dat ei bellum repudii*, Eſa. 50. v. 1. *eſt autem novum genus bonitatis ejus, ut etiam poſt adulterium revertentē & toto corde pœnitentem ſuſcipiat*, Jer. 3. v. 1. Quintò minatur Deus, ſe viſitaturum iniquitates parentum in filiis in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt ipſum. Oſtendit igitur ſe non eſſe ſimilem falſis gentilium diis, qui nec benè nec malè facere poſſunt, ſed graviter punire non ſolùm illos ipſos, qui reluctantur & iniquè agunt, ſed etiam ipſorum poſteros in tertiam & quartā generationem. Quod nominatim tertia & quarta generatio exprimitur, id quidam ſeculi Auguſt. quæſt. 42. in Deut. eò referunt, *quod ſeptenarius qui ex ternario & quaternario conjunctus oritur, ſit numerus perfectionis, ut hac ratione perfectum Dei odium adverſus peccantes denotetur*. Lyra in c. 20. Ex. *hanc affert rationem, quia mali homines vident filios ſuos uſq; ad tot generationes & ſic informant eos ſuis malis exemplis, vel illi imitantur, quod viderunt in Patribus*. Denique promittit Deus ſe miſericordia uſurum in multa millia erga eos, qui ipſum diligunt & mandata ejus obſervant. Pœnas minatus erat in tertiam tantum & quartam generationem miſericordiam extendit in milleſimam, ut oſtendat ſe magis ad miſericordiam, quàm ad vindictā propenſum eſſe, & hac ratione ad ſui dilectionem ac præceptorum ſuorum ſpontaneam obœdientiam nos alliciat. Dilectio Dei, quâ nos complectitur, exerit ſe per inenarrabile benefaciendi ſtudium. Dilectio noſtra, quâ Deum complectimur, exerat ſe per ſtudium obœdiendi. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, dicit Chriſtus Johan. 14. v. 13. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, v. 15. Probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Vera ac Deo placens mandatorum divinorum cuſtodia proficiſci debet ex vera & ſincera dilectione. Viciſſim vera Dei dilectio non eſt otioſa, ſed in cuſtodiendis mandatis divinis ſedula. Nec probantur Deo arbitrarii cultꝰ, quos ex dilectione neſcio quâ proficiſci hypocritæ prætendunt; ſed objectum dilectionis ſtatuuntur hoc loco Dei præcepta. Sed nec perfecta impletio, verùm cuſtodia præceptorum diligentibus Deum hoc loco tribuitur, nec ex debito, ſed ex gratia obœdientiam illam remunerari Dominus aſſeritur. quo ipſo meritum operum noſtrorum luculenter evertitur.

108. Hæc Dei bonitas & juſtitia verbis paululùm immutatis latiùs deſcribitur Exod. 34. v. 6. & 7. Jehovah enim Moſi gloriam ſuam manifeſtans & coram ipſo tranſiens clamat: *Jehovah. Jehovah fortis, miſericors & miſerator, tardus ad iram & multus miſericordia & veritate: Servans miſericordiam millibus, auferens iniquitatem & prævaricationem & peccatum, & qui abſolvendo non abſolvit, viſitans iniquitatem patrum ſuper filios filiorum in tertiam & quartam generationem*. Potentia Dei exprimitur voce אֵל El: Bonitas ejus ſeptē vocabulis exprimitur, 1. vocatur רַחוּם vachúm, miſericors, deducitur nomen ab effectu uterino ſive à viſceribus, ſicut Luc. 1. v. 78. *Viſcera miſericordiæ* Deo tribuuntur, denotatur n. internus ille ac verè ſeriùs miſericordiæ affectus, quo parens ex intimis viſceribus afficitur erga liberos, oſtendit igitur Deus ſe affici malis noſtris, *cor ejus propter nos inverti, &c.* Oſeæ 11. v. 8. 2. חַנּוּן channun, clemens, ad gratificandum paratus, oſtendit igitur ſe promtum ac paratum eſſe ad omnis generis beneficia in nos ex gratia conferenda, quemadmodum perennis fons continuis undis exuberat. 3. אֶרֶךְ אַפַּיִם æræch appaim, longus narium, h. e. tardus ad iram & vindictam μακρόθυμος, oſtendit igitur ſe non ſtatim iraſci ob peccata noſtra, eademque ſubitò vindicare; ſed *ſuā μακροθυμίᾳ ad pœnitentiā nos invitare*, Rom. 2. v. 4. &c. 4. רַב חֶסֶד Rabh chæſæd, multus benignitate Cheſed propriè ſignificat ardentem illam στοργὴν, affectum illum pietatis & caritatis, quo parentes tanguntur erga liberos, & viciſſim hi erga illos, quandoque etiam notat benignitatem ac beneficentiam, oſtendit igitur Deus, ſe eſſe *divitem miſericordia*. Epheſ. 2. v. 4. 5. רַב אֱמֶת rabh æmath, dives veritate in ſervādis promiſſis, quod n. Deus ex gratia promittit, ex veritate & in fide præſtat. 6. Cuſtodiens חֶסֶד chæſed, miſericordiam in multa millia, benefaciendo non defatigatur, ſed parentum pietatem in longa poſterorum ſerie remuneratur. 7. Auferens עָוֹן Avún, iniquitatem (quâ appellatione originale peccatum ut plurimum denotatur) וָפֶשַׁע vapéſchah, tranſgreſſionem, prævaricationem, quâ appellatione peccata ignorantiæ & infirmitatis exprimi ſolent) וְחַטָּאָה vchattaáh, & peccatum ſive delictum (quo nomine peccata malitiæ, delicta voluntaria ſine fronte admiſſa ſignificantur) oſtendit igitur Deus, ſe omnis generis peccata etiam graviſſima condonare, nimirum illis, qui veram pœnitentiam agunt. Juſtitia Dei adverſus peccatores impœnitentes exprimitur duabus

Explicatio loci Ex. 34.

mem-

membris 1. נַקֵּה לֹא יְנַקֶּה nakkeh lo jenakkéh, Pagn. *abſolvendo non abſolvet.* Münſt. (*nocentem*) *innocentem non faciens.* Luth. *Coram quo nemo innocens.* Tharg. *Parcendo non parcet*, nimirum pertinaci ac impœnitenti oſtendit igitur Deus, ſeſe juſto judicio in contũaces animadverſurum, nec in ipſos ſolùm ſed & poſteros; ideò additur. 2. *Viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, quâ de re ſuperiùs. Hebræi colligunt ex hoc loco 13. מדות middóth, ſive *proprietates* & *Epitheta* Dei, de quibus vide Münſterum in cap. 34. Ex. Zanchium 1. de Natura Dei cap. 18. & diſput. noſt. ſuperiorem de Natur. Dei, theſ. 139.

Quâ ratione Deo tribuatur Zelotypia.

109. Quæritur hoc loco: 1. Quâ ratione Deo tribuatur Zelotypia. *Homo zelotes & invidus* (dicebat olim Apoſtata Julianus) *reprehenſione dignus eſt*, quis ergò laudabit Deum ob zelotypiam? Reſp. quando affectus humani per ἀνθρωποπάθειαν Deo tribuuntur, repurgandi priùs ſunt ab omnibus vitiis ac defectibus, & quod ſupereſt puriſſimum ac ſinceriſſimum, id tantùm Deo tribuendum. Zelotypia eſt effectus per ſe honeſtus ac laudabilis, quo maritus ob violatam conjugii fidem uxori adulteræ iraſcitur: ſic Deus vocat ſe zelotem, cùm ex ſincero erga nos amore ferre nequeat, ut honorem ac cultum ſibi ſoli debitum per ſpirituale adulterium Diis alienis tribuamus: hic zelus oritur ex amore & juſtitia, ac tantum abeſt, ut Deum dedeceat, ut à falſis gentilium diis eum potius diſcernat. Gentium dii cultoribus ſuis ſine ulla indignatione permittunt, ut quosvis alios unà cum ipſis colant, perinde ut lenones uxores ſuas aliorum libidini proſtituunt: ſed Dominus Deus noſter zelotes eſt, qui coram ſe alienos Deos habere prohibet, ac ſi habeantur, ſeverè iraſcitur, graviterque punit: Si quid vitii in humano zelotypiæ affectu quandoque concurrit, id repurgetur priùs ac ardentiſſimus ille amor, quo abſque ullo vitio maritus adulteræ iraſcitur, Deo relinquatur. Gloſſ. ordin. ex Orig. in cap. 20 Exod. *Omnis mulier aut ſub viro eſt & ſubjecta legibus viri aut meretrix eſt & utitur libertate peccandi. Qui ingreditur ad meretricem, ſcit, quòd ad proſtitutam & cunctis patentem ingreſſus eſt, ideo aliis indignari non poteſt. Qui legitimo utitur matrimonio, non patitur uxorem peccare, ſed accenditur zelo ad ſervandam matrimonii caſtitatem, ut poſſit legitimus fieri pater. Sic omnis anima aut proſtituta eſt Dæmonibus & habet plures amatores, ut intrent ad eam, modò ſpiritus fornicationis, modò ſpiritus avaritiæ, poſt hunc venit ſpiritus ſuperbiæ & alii plurimi, alter tamen alteri non invidet, nec ad zelotypiam commovetur, ſed ſeſe invicem invitant: ſed ſi anima conjuncta fuerit viro legitimo, id eſt, Chriſto, etiamſi aliquando fuerit peccatrix, ulteriùs eam peccare non patitur.*

Quomodo filius non portet iniquitatem patris.

110. Quæritur ſecundò, *quomodo cum divina juſtitia præſertim verò cum dicto Prophetico Ezech. 18. v. 20. conveniat, quod hoc loco minatur Deus, ſe viſitaturum iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem?* Reſp. Hieronym. & Origenes allegoricè philoſophantur de gradibus peccatorum in homine. *Cùm à Diabolo ſuademur ad peccandum, ſemen ejus ſuſcipimus, cùm facimus, quod ſuadet, jam genuit nos, naſcimur enim ejus filii per peccatum, ſed quia ferè ſine adjutorio non peccamus, verùm & alios miniſterio ſceleris nobis adjungimus, ideò omnes velut unus ex altero ſecundùm perſuaſionis ordinem generati ex Diabolo progeniem ducunt, &c.* Sed verba legis diſerta non ſunt in allegorias transformanda. Quidam diſtinguunt inter ju- 2.
dicium divinum & judicia civilia: in illo liberos puniri propter parentum peccata concedunt; in his verò puniri negant. Sed Prophetam Ezechielem manifeſtum eſt loqui de judicio Dei, coram quo negat filios portare iniquitatem parentum. Adde quod in civilibus etiam judiciis ob crimen læſæ majeſtatis puniuntur liberi, l. 5. C. ad l. Jul. majeſt. de cujus legis æquitate tractant Weſenb. in paratit. l. hujus legis, Scipio Gentilis tract. de juriſd. lib. 3. c. 4. Duarenus in comm. ad hanc legem, Gomezius 3. variar. reſol. cap. 2. v. 15. &c. Sunt qui diſtinguunt inter tempus ſervitutis Ægyptiacæ ante legis promulgationem, quo tempore idololatriam populi ſui Deus non eſt ultus, & inter tempus habitationis in terra Canaan poſt legis promulgationem, quo tempore poſt tam ſolennem fœderis renovationem, miraculoſam liberationem, divinæ majeſtatis declarationem, &c. idololatriã populi ſui etiam in ipſis poſteris Deus punivit. Sed enim cùm commina- 4.
tio ſit generalis omnium omninò locorum ac temporum homines concernens, ideò ſimpliciſſimè reſpondetur duplici diſtinctione: 1. Quidam liberi ſequuntur exemplum parentum ac peſſimis eorum veſtigiis inſiſtunt: quidam vero ad Dominum convertuntur & ad bonam frugem ſe recipiunt. De liberis prioris generis agitur in Ezodo, ideò notanter additur, *Deum vindicaturum iniquitatem Parentum in liberis*, nimirum illis, qui parentum exemplo ipſum oderunt. De liberis poſterioris generis agitur in Ezechiele, ideò additur v. 14. *Si parens* (impius) *genuerit filium, qui viderit quidem peccata patris ſui, ſed non fecerit ſimilia*, v. 17. *hic non morietur propter iniquitatem patris ſui, ſed vivendo vivet.* Hinc R. Abenezra in cap. 20. Exodi ſcribit, locum illum intelligendum de liberis, qui ſunt paternorum ſcelerum ſectatores. 2. Quædam pœnæ ſunt æternæ, quædam verò temporales: æternis pœnis non ſubjiciuntur liberi propter parentum peccata, ſi ex toto corde fuerint converſi ad Deum, ſed temporalibus calamitatibus quandoque liberi etiam verè pii ſubjiciuntur propter parentum delicta (Auguſt. q. 8. in Joſuam, lib. 1. contra adv. legis & Prophet. c. 16.) interim calamitates illæ non ſunt propriè dictæ pœnæ, ſed paternæ caſtigationes, ad commodum piorum, qui nec ipſi omni ex parte innocentes ſunt, ipſis à DEO impoſitæ. Obſervandum enim, quod hæc comminatio divina non ſit eo modo accipienda, ac ſi præciſè & perpetuò de tot generationibus impiorum pœnas Deus ſumat, ſiquidem quandoque intercedit quædam interruptio, Deo ſcil. iram ſuam propter poſterorum pœnitentiam remittente. Sic pepercit Deus Joſiæ, ac dedit ei, ut in pace moreretur, nec videret ſequentium temporum mala, quæ propter avi Manaſſis idololatriam ac ſcelera erant ventura: mortuo Joſia, rediit ultio divina in ſequentes generationes, adeò ut nec ipſis Joſiæ liberis pepercerit, cùm veſtigiis proavi ſui inſiſterent. 2. Reg. 22. & ſeqq. Vide plura in tract. de Natura Dei §. 157.

Quæri-

An omne peccatum ex odio Dei ortum.

111. Quæritur tertiò, an omne peccatũ qualecunque ac quantulumcunque ſit, rectè dicatur ex odio Dei ortum? Reſp. Scotus 2. ſent. diſt. 37. notat, *quod averſio a fine ultimo poſſit dupliciter intelligi, formaliter & virtualiter. Formaliter quando in avertendo habet ultimum finem pro objecto poſitivè vel privativè. Poſitivè, ut ſcil. voluntas nolit illum finem actu poſitivo, & hoc nolle propriè eſt odiſſe Deum. Privativè, ut ſcil. non velit, cùm deberet velle ultimum finem, & tale non velle eſt omittere illud præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde virtualiter, quando avertitur ab aliquo neceſſario ad conſequendum ultimum finem hæc averſio virtualis eſt communis omni peccato mortali.* Hæc Scotus. Simplicior eſt reſponſio ex ipſa phraſi petita, *odiſſe* enim dicitur, non ſolùm qui ſcienter & prudenter odii affectu erga aliquem præditus eſt, ſed etiam qui præcepta ad voluntatem ejus negligit, & ſic ex conſequenti eum odiſſe convincitur. *Qui parcit virga, odit filium ſuum*, Prov. 13. v. 24. ſiquidem per nimiam indulgentiam eum perdit & ſic non verè amare, ſed odiſſe convincitur, Luc. 14. v. 26. *Qui venit ad me, nec odit patrem & matrem ſuam, &c. non poteſt eſſe meus diſcipulus*, non quod hoſtili odio parentes quis debeat proſequi, ſed quod parentum juſſa ſervitio Chriſti contraria negligenda ſint ac poſthabenda. Sic hoc loco diſtinguendum inter peccati cauſam & actum, Peccati actus non ſemper includit actualiter ac formaliter Dei odium, cauſaliter tamen id in ſe continet, ſiquidem omne peccatum includit neglectum præceptorum divinorum.

Explicatio ſecundi præcepti.

112. Atque hæc dicta ſint de primo Decalogi præcepto, progrediamur ad ſecundum, cujus hæc eſt ſanctio: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum, quia non habebit Deus inſontem, quicunque in vanum uſurpaverit nomen ejus.* Partes duæ ſunt: 1. Prohibitio. 2. Comminatio.

Nomen Dei quid.

Per שֵׁם יְהוָה ſchem Jehováh, *nomen Dei*, non intelliguntur apices illi literarum, quibus nomen Dei ſcribitur, quaſi abundè ſatisfiat huic præcepto, ſi nomen Jehovah ſuis literis ac punctis integrè non ſcribatur, ſed loco ejus Elohim ſcribatur ac Adonai pronuncietur: quemadmodum ſuperſtitioſi Judæi ſtatuunt, ſed per nomen Dei intelligitur in ſcripturis, 1. Deus ipſe, *ſic invocare nomen Domini, diligere nomen Dei, pſallere nomini Dei*, Gen. 22. v. 7. Pſal. 5. v. 21. Pſal. 9. v. 3 &c. eſt verum Deum invocare, diligere, laudare. 2. Quia verus Deus non eſt aliter agnoſcendus, quàm ſe in verbo ex arcana majeſtatis ſuæ luce progreſſus manifeſtavit, ideò nomine Dei intelligitur, quicquid de eſſentia & voluntate Dei in verbo ipſius pateſactum eſt. Joh. 17. v. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Actor. 9. v. 15. *ut portet nomen meum coram Regib.* 3. Nomine Dei intelligitur ipſius autoritas juſſum ac mandatum. Deut. 18. v. 19. *Quicunque non audierit verba mea, quæ loquitur Propheta ille in nomine meo, ego requiram ab eo*, Jerem. 14. v. 14. *Falsò prophetant in nomine meo, non miſi eos, nec præcepi eis.* 4. Dei majeſtas & gloria, Exod. 9. v. 16. *Ut narretur nomen meum.* Pſal. 8. v. 2. *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.* 5. Cultus & profeſſio Dei, Mich. 4. v. 5. *Omnes populi ambulabunt, unusquisque in nomine Domini Dei noſtri.* 2. Samuel. 7. v. 13. *Ipſe ædificabit domum nomini meo.*

**Emphaticum eſt & *αἰτιολογικὸν* quod cum Jehova ipſe legis hujus autor & lator ſit non tamen dicat: *non aſſumes nomen meum*, ſed *nomen Domini Dei tui in vanum*. Quod ſi enim terreni Principis nomen non ſine reverentiæ affectu audimus aut legimus, quem honorem cenſebimus deberi nomini Domini Jehovah quod *magnum* Jerem. 10. v. 6. quod *laudabile* Pſal. 112. v. 3. quod *ſanctum* Pſal. 110. v. 9. quod *terribile* Pſal. 98. v. 3. Eſt inſuper nomen *Dei noſtri*. Deus enim noſter eſt creatione, manifeſtatione, agnitione &c. **

In vanum ſumere.

113. Hoc nomen ſuum prohibet Deus aſſumere in vanum נָשָׂא naſáh, latiſſimæ eſt ſignificationis, propriè autem ſignificat *levare, elevare*. Pſal. 16. v. 4. *Non levabo nomina eorum in labiis meis.* Pſal. 50. v. 16. *Quare enarras ſtatuta mea & levas pactum meum in os tuum?* Actor. 9. v. 15. *Organum electum eſt mihi βαστάσαι ut portet meũ nomen coram gentibus.* Vult igitur Deus nomen ſuum levari ſed non in vanum לַשָּׁוְא temerè, leviter, incogitanter; eſt enim nomen Domini Dei noſtri, quæ verba ſunt *αἰτιολογικά*, ideò enim nomen Domini non eſt aſſumendum in vanum, quia eſt *nomen Domini Dei noſtri*. Additur prohibitioni comminatio, *Non habebit Deus illum innocentem, quicunque in vanum uſurpaverit nomen ejus* לֹא יְנַקֶּה lo jenakkæh, non abſolvet, non ſinet impunitum, eſt enim verbum judiciale, & oſtendit transgreſſores hujus præcepti reos fieri iræ Dei & pœnarum. Finis hujus ſecundi præcepti eſt abuſum nominis divini prohibere; Verùm contrà & religioſum ejus uſum requirere. Proponitur autem verbis negativis, ex quibus Antitheſis affirmativa colligenda eſt, propter corruptionem naturæ noſtræ, quæ ad Profanationem divini nominis perpetuò inclinat: ac propter gentilium conſuetudinem, qui per nomina falſorum Deorum ſuorum vaniſſimè jurabant. Pulcerrima eſt Dn. Chemnitii obſervatio, *ſicut in aliis præceptis plerunque una aliqua ſpecies craſſioris delicti exprimitur, ut abominatio reliquorum peccatorum coram Dei judicio oſtendatur: ita hic contrario modo ſub minori majus cogitandum proponitur. Homines enim in vana & otioſa uſurpatione nominis divini, quaſi ſit ſine manifeſta blaſphemia, cogitant ſe inſontes, ſed quia ſecundum præceptum dicit, Non habebit Deus inſontem, qui aſſumſerit nomen meum in vanum, ergò multò minus, qui profanarint ac blaſphemarint, inſontes erunt*, loco de lege pag. 117. ** Senſum præcepti plerique Interpp. referunt *ad jusjurandum temerarium*, ſicut & paraphraſtes Chaldaicus reddidit. *Non jurabis, fruſtra per nomen Dei tui.* Quem ſecuti ſunt Philo in expoſ. Decal. & Joſeph. libr. 3. antiq. cap. 4. Aliis videtur prohibitum ne Divinitatis titulos rebus creatis & vanis tribuamus, neve nomen Dei alibi quam in precibus & fidei inſtitutione & cauſis graviſſimis uſurpemus. **

Virtutes in ſecundo præcepto requiſitæ.

114. Quare cùm prohibeat Deus nomen ſuum in vanũ aſſumi, ex antitheſi colligitur, quòd velit illud modis omnibus religiosè ac ſanctè à nobis uſurpari. Pertinent igitur ad ſecundũ præceptum hæ virtutes: 1. Reverenter ſentire de Dei nomine, hoc eſt grato animo cogitare quãtum ſit beneficium, quòd Deus ex arcana Majeſtatis ſuæ luce prodiens nomen ſuum nobis manifeſtaverit. 2. Nomen Dei invocare, hoc eſt,

verum Deum, prout in verbo ſeſe patefecit in nomine Mediatoris Chriſti in omnibus adverſitatibus invocare, Pſal.105.v.1. *Confitemini Domino, invocate nomen ejus.* Pſal.20.v 9. *Nos in nomine Dei noſtri recordabimur.* 3. Numini Dei gratias agere, hoc eſt, mente & voce confiteri, quòd à Deo omnis generis beneficia ad nos deſcendant, & hâc beneficiorum Dei prædicatione alios ad agnitionem, & invocationem nominis divini invitare, Pſal.7.v.18. *Pſallam nomini Domini*, Pſal.92.v.2. *Bonum eſt celebrare Iehovā & pſallere nomini tuo altiſſime.* 4. Nomen Dei prædicare, hoc eſt, cœleſtem doctrinam à Deo nobis traditam propagare, alios de ea informare, ut & ipſi ad veram Dei agnitionem adducantur, Pſal.22.v.23. *Narrabo nomen tuum fratribus.* Geneſ.4.v.26. *Enos cœpit invocare nomen Domini.* 5. Nomen Dei confiteri, hoc eſt, veritatem ex patefacto verbo agnitam intrepidè & conſtanter profiteri, nullâ habitâ odiorum vel periculorum ratione, ut Dei gloria illuſtretur, ut ad veram Dei notitiam alii adducantur. Actor.9.v.14. *Ligare omnes confitentes nomen Ieſu.* Matth.10.v.32. *Qui confitebitur me coram hominibus, &c.* & quia publica illa veræ doctrinæ confeſſio facit ad illuſtrandam divini nominis gloriam, ideò in Vet. Teſt. confiteri Domino, uſurpatur pro celebratione divini nominis. 6. Nomen Dei celebrare ac glorificare, hoc eſt, non ſolùm linguâ Deum celebrare, ſed etiam omnes actiones ad Dei gloriam referre. Pſ.29.v.2. *Afferte Domino gloriam nominis ejus.* Pſal.86.v.2. *Glorificabo nomen tuum.* Pſal.100.v.4. *Laudate nomen ejus, &c.* 7. Per nomen Dei jurare, hoc eſt, quando gloria Dei vel ſalus proximi requirit, jurejurando Deum invocare, ut ſit teſtis, nos vera dicere ac ſeverè puniat mentientes Deut.6.v.13. *Per nomen Dei tui jurabis.* Eſa.65.v.16. *Qui juraverit in terra, jurabit in Deo veraci.* 8. Pro gloria nominis Dei zelare, hoc eſt, ex ſincero amore Dei & ſtudio gloriæ divinæ dolere propter contumeliam ac contemtum divini nominis, & ſuo loco eum prohibere. Num.25.v.13. *Pineas zelatus eſt pro Deo ſuo.* Pſ.69 v.10. *Zelus domus tuæ comedit me.*

Peccata in ſecundo præcepto prohibita.

115. Viciſſim quia Deus prohibet nomen ſuum in vanum aſſumere, ex eo colligitur, quod ſecundo præcepto prohibeantur hæc peccata: 1. Irreligioſè ac non ſatis reverenter de Deo ſentire, non expendere quantum ſit beneficium manifeſtatio nominis divini. 2. Invocationem Dei omittere, in precibus negligentem eſſe, invocare quidem ſed non legitimè, quod fit ſi ad creaturas, vel fictitia Numina invocatio dirigatur, ſi ad certum locum ſine verbo præſentia & auxilium Dei alligetur, ſi præſcribatur Deo tempus ac modus, ſi ea petantur, quæ divinæ voluntati ac legi repugnant, ſi preces noſtrâ nituntur dignitate, ſi non invocetur in nomine Chriſti mediatoris, ſi preces conceptæ ſine vero cordis affectu ac ſenſu recitentur, ſi battologia adhibeatur, ſi abſque vera pœnitentia oretur, &c. 3. Gratiarum actionem omittere, nunquam vel rarò celebrare Dei beneficia fortunæ vel cauſis ſecundis ea tribuere, frigidè ac oſcitanter gratias agere, beneficia Dei extenuare donis Dei abuti, eademq; negligere. 4. Occaſiones erudiendi alios prætermittere, nomen Dei non uſurpare, cum tædio de nomine Dei audire vel loqui, doctrinam cœleſtem corruptelis inficere, falſam doctrinam ſpargere, nomen Dei humanis ſomniis prætexere. 5. veritatem agnitam vel ex metu vel ſpe præmiorum; vel ex obſtinata malitia abnegare, non confiteri; cùm interrogamur, fidem celare, modis illicitis perſecutionem fugere; libertate Chriſtianâ abuti, ſine vocatione ingerere ſe periculis & huic temeritati confeſſionem prætexere. 6. Omittere Dei celebrationem, vel in ea frigidum ac remiſſum eſſe, jocosè ac ridiculè verbum Dei adhibere, nomen Dei in ſuperſtitionibus, ſortilegiis atque incantationibus ſcripto vel voce uſurpare; abuti Dei nomine ad execrationes; blaſphemare Dei nomen, quod fit multis modis, ſi voces impiæ ac blaſphemæ adverſus Deum & verbum ejus proferantur, ſi pernicioſis ſcandalis ac vitæ peſſimę exemplo animi nondum converſorum à vera religione abalienentur, &c. 7. juramentum legitimum recuſare, pejerare, quod fit, ſi mendacium juramento confirmetur, ſi juramentū violetur, ſi dolosè juretur; nō legitimè jurare, quod fit multis modis, ſi in cauſis non neceſſariis futiliter ac temerè juretur, ſi juramentum nō habeat tres hoſce comites, Judicium, Juſtitiam & Veritatem. (Ex parte jurantis requiritur judiciū diſcretionis, ex parte rei tum in conſcientia jurantis, tum in ſermone requiritur veritas, ex parte cauſæ requiritur juſtitia) ſi juretur de re illicita vel impoſſibili, vel dubia & incomperta, ſi juretur per creaturas, vel fictitia Numina, ſi forma juramenti in Deum contumelioſa adhibeatur; Pugnat etiam cum legitimo juramento deferre illis juramentū, quos manifeſtè conſtat falsò juraturos; quod illicito juramento promiſſum impiè perſolvere &c. Scholaſtici dicunt 6. modis perjurium committi: 1. dum ſcienter juratur falſum, 2. dum dolosè juratur verum, quod putatur eſſe falſum, 3. dum ignoranter juratur falſum, quod creditur eſſe verum, 4. dum non ſervatur promiſſum juramento firmatum, 5. dum juratur illicitū vel quod vergit in deteriorem exitum. 6. dū juratur indiſcretè. 8. Non affici dolore propter contumeliam divini nominia, non oſtendere dictis & factis ſerium prohibendi eam ſtudium, non prohibere blaſphemias cùm poſſint ac officii ratione debeant; doci zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, q fit, cùm id quod non eſt Dei gloria, defenditur tanquam Dei gloria, cùm id, quod judicatur gloriæ Dei repugnare, & cum zelo propulſatur, reverâ non lædit Dei gloriam.

116. De ſingulis hiſce virtutibus ac vitiis colligenda ſunt dicta ſcripturæ ex concionib. Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, addendæ etiam promiſſiones & comminationes; ſubjungenda inſuper exempla, quibus teſtatum fecit Deus obœdientiam erga hoc præceptum dignis penſari præmiis, transgreſſores autem meritis affici ſuppliciis. Id hoc loco à nobis fieri inſtituti noſtri ratio nō permittit, ſubjungemus quæſtionum quarundam brevem ἐπίλυσιν. Quæritur primò, *an Chriſtianis licitum ſit jurare?* Negabant olim Eſſæi referente Joſepho 2. bell. Judaic.c.7. & Manichæi, quos hodie ſequuntur Franciſcani c. Nuper nobis 51. Ext. de Teſt. & Anabaptiſtæ. ** *Annis poſt Chriſtum 200. multi martyres impoſitum à Magiſtratu juramentum recuſarunt Chriſtianis jurare nullo modo licitum opinantes.* Chemnit. pag.2. locor. pag. 49. in fol. ** Atqui 1. Deus ipſe jurat Gen.22 v.16. *Per memetipſum juravi.* Jerem.44.v.26. *Ecce, juravi in nomine*

An licitū ſit jurare.

meo

meo magno, dicit Dominus. Amos 4.v.2. *Juravit Dominus Deus in ſancto ſuo.* Confer Numer.14. v.21. Jerem.22.v.5. cap.51.v.14. Amos 6.v.8. 2. Jurat Chriſtus Mediator Nov. Teſt. Matth. 5. v.18. *Amen, Amen, dico vobis*, quam eſſe formulam juramenti colligitur ex cap.6.ad Hebr.v.14. & cùm priùs taceret Chriſtus, adjuratus poſtea à ſummo Pontifice per Deum viventem edit ſuam confeſſionem, Matth.26.v.36. 3. Jurant Angeli, Daniel.12. v.7. *Angelus levatis manibus in cœlum jurat.* Apoc.10.v.6. *Angelus jurat per viventem in ſecula.* 4. Jurant Sancti Vet.& Nov. Teſt. Geneſ.14.v.22. *Abraham juravit Regi Sodomorum* Gen.42.v.15. *Ioſeph à fratribus juramentum exigit.* Joſ.14.v.9. *Iuravit Moſes dicens.* 1.Regum 20.v.3. *David fœdus cum Ionatha initum juramento firmat.* cap.26.v.31. cap.31.v.54. Roman.9.v.1. jurat Apoſtolus: *Veritatem loquor in Chriſto Ieſu, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientiâ.* 2.Cor.1.v.23. *Teſtem invoco Deum in animam mea.* Confer Rom.1.v.9. 1.Corinth.15.v.31. 2.Corinth.11.v.31. Galat.1.v.20. Phil.1.v.8. 1.Theſſ.2.v.5. 2.Theſſ.2.v.1. 5. Legitimum juramentum eſt virtus ſecundi præcepti, moralia autem in Nov. Teſt. non ſunt abrogata, Deut.6.v.13. *In nomine meo jurabitis.* Eſa. 65.v.16. de cultu Nov. Teſt. dicitur: *Qui jurabit in terra, jurabit in Deo verari.* Jerem.12.v.16. *Si juraverint per nomen meum, ædificabuntur in medio populi mei.* Hebr.6.v.16. *Homines per majorem ſe jurant, &c.* quod ex ſe non eſſe malum probatur ibidem exemplo Dei promiſſionem ſuam juramento confirmantis. 6. Juramentum oritur ex recta in Deum fide, quod ſcil. exiſtimamos omnia illa comperta eſſe, omnia oculis ejus obvia, indicamus etiàm Deum eſſe amatorem veritatis ac mendacis perjurii vindicem, 2.Cor.11. v.31. *Novit Dominus, quòd non mentior.* 7. Juramentum eſt pars cultus divini, quia per quem juramus, eum profitemur nos pro vero Deo agnoſcere, *Iuramentum fit per præſtantiorem ac majorem*, Hebr.6.v.16. Eſt ergò juramentum quædam confeſſio divinæ Excellentiæ Roman. 1. v.9. *Teſtis mihi eſt Deus, cui ſervio in ſpiritu meo.* 8. Juramentum ſpectat ad gloriam Dei illuſtrandam & proximi ſalutem promovendam, utique ergò ſuo genere non eſt vitioſum. Manifeſtatio veritatis certè in gloriam Dei cedit, *& omnis controverſiæ inter homines finis ad conſummationem eſt juramentum.* Hebr.6. v.16. Concludimus igitur cum Auguſt. Epiſt.154. *Non jurare ſed pejerare peccatum eſt.* Thom. 22. quæſt. 89. artic. 2. *Jurare eſſe licitum patet ex origine, quia juramentum introductum eſt ex fide, quâ homines credunt Deum habere infallibilem veritatem & univerſalem omnium cognitionem. 2. ex fine, quia inducitur ad finiendum controverſias.* ** In controverſiis dubiis Deus juramentum interponi voluit Exod.22.v.11. juramentum eſt pars cultus divini Eſa.19.v.17. ubi Propheta vaticinatur de gentibus ad verum veri Dei cultum convertendis: uti etiam cap.45.v.23. Juramenta eſſe licita probatur. 1. *Scriptura dictis* & mandato Dei. Deut.6. 2. *exemplis*, ipſius Dei, Chriſti, Angelorum, Patriarcharum, 3. *precepto Dei* ne juramentum violetur. Num.30.v.3. 4. *rationibus*, quæ ſunt. 1. fidei confirmatio Hebr.6. 2. πάσης ἀντιλογίας πέρας.**

Exceptio 117. Excipiunt Anabaptiſtæ: *Olim quidem in Vet. Teſt. ſub lege Patribus licuiſſe, in Nov. autem prohibitum nobis eſſe jurare per Chriſtum* Matt. 5. v.34. & Jacob.5.v.12. Reſp. Chriſtus ibidem diſertè dicit verſ.17. *ſe non veniſſe, ut legem ſolveret, ſed ut impleret.* Verba igitur Chriſti non oppoſita ſunt legi divinæ, ſed Phariſæorum corruptelis, quæ quales fuerint ex Matth.23.v.16. colligitur; nimirum, judicabant licitum eſſe, etiam in familiari ſermone & in communibus negotiis, in quocunq; caſu, de re quacunq; per nomen Dei jurare, ſi vel maximè non faciat ad Dei gloriam vel proximi utilitatem, quæ per ſimplicem promiſſionem pacta erant, datâ occaſione violabant, DEUM perjurii tantùm vindicem eſſe ſtatuentes, quin imò eum, qui non per ipſum DEI nomen ſed per cœlum, per terram, per templum juret, etiamſi quod juravit non præſtet, vel falſũ ſit, exiſtimabant non eſſe reum perjurii coram DEO. Hiſce igitur corruptelis opponit Chriſtus, omninò non eſſe jurandũ vel directè per DEUM vel indirectè per creaturas, puta vanè ac temerè, vel falsò, ſed in communi ſermone, ubi negotia per ſimplicem affirmationem vel negationem expediri poſſunt, cavenda eſſe temeraria juramenta. Vide Chemn. c.51. Harm. p.358.c. Etſi Chriſtus de jurejur. *Prohibitus eſt ibi modus jurandi ex levitate, non ex neceſſitate.* Idem ſibi vult Jacobi dictum, quod ex verbis Chriſti deſumtum eſt, perinde igitur ut particula ὅλως, in verbis Chriſti non eſt ſimpliciter univerſalis, ſed ad ὑποκειμένην ὕλην reſtringenda, ita quoque univerſale pronunciatum Jacobi, neque aliud ullum jusjurandum de temerariis ac levibus juramentis accipiendum, quorum ſpeciebus aliquot enumeratis ſimiles omnes prohiberi indicat Auguſt ſerm.28. de verb. Apoſt. ** Hebr.6.v.16. *omnis controverſiæ finis eſt juramentum.* Ergo autor illius Epiſtolæ non judicavit rationem ac neceſſitatem præſtandi juramentum à Chriſto in Nov. Teſt. ſublatam. Auguſtin. de mend. cap.15. *Dictum eſt a Domino, ne juretis omnino, ne ſcil. jurando ad facilitatem jurandi veniatur & ex facilitate ad conſuetudinem, atque ita ex conſuetudine in perjurium decidatur, quod etiam Iacobus dicit, ne in condemnationem incidatis.* Particula ὅλως non referenda ad actionem ſed actionis objectum, quod non ſit jurandum, per illa objecta, quæ ibi enumerantur. Præceptum de juramentis Phariſæi ſic intelligebant, quod duntaxat in eo prohibeatur perjurium, interim temeraria juramenta in vita communi permittebant, ſed Chriſtus veram legis explicationem opponit. Auguſtin. Epiſt.154. *Hoc quidem propterea mihi dictum videtur, non quia verum jurare peccatum eſt, ſed quia pejerare immane eſt peccatum.* Univerſalis particula ſæpe ad ſubjectam materiam reſtringenda, ſic etiam hoc loco particula ὅλως quævis juramenta prohibet ſcil. levia ac temeraria in re levicula. Sic Exod.20.v.10. *nullum opus facies in Sabbatho* ſcil. profanum. Luc.7.v.28. *Non ſurrexit major Baptiſta* ſcil. inter eos qui vulgari modo nati. Quidam τὸ ὅλως interpretantur *frequenter ac ſubinde*, ſicut διαπαντὸς uſurpatur Sir.23.v.21. Vide *Lyram* in comm.** adverſariorum.

118. Quæritur ſecundò, *de quibus rebus ſit jurandum ſeu quæ juramenta ſint licita?* Reſp. Non ideo, quia juramenta ſunt licita, jurandi conſuetudinem inducere debemus, ſed non niſi neceſſitate ita exigente ad juriſjurandi obteſtatio- *Quæ juramenta ſint licita.*

nem deſcendamus. Philo libr. de Dec. p. 481. graviſſimè ſcribit: *Utiliſſimum fuerit & creaturæ rationali convenientiſſimum, omninò abſtinere a jurejurando & ſic veritati aſſueſcere, ut ſimplex ſermo vim juramenti habeat, ſecundaria verò, juxta proverbium navigatio eſt, rectè jurare.* Idem de ſpecial. legib. p. 490. *Conſuetudo crebrò jurandi argumentum eſt perfidiæ.* Syracides cap. 23. v. 9. & ſeqq. à temeraria jurandi conſuetudine his verbis nos revocat: *Juramento non aſſueſcat os tuum, qui jurat atq; aſſiduè nomen Dei uſurpat, culpâ non vacabit. Vir crebrò jurans replebitur ſcelere, neque à domo ejus recedet flagellum, ne temerè quidem niſi juramento, innocens judicabitur,* &c. quæ verba ex ſecundo Decalogi præcepto ſunt deſumta. Proinde illud tantum legitimum eſt juramentum, quod fit de re licita, poſſibili, certa, juſta & bona, quando Dei gloria & ſalus proximi illud exigit, hinc variæ conſtituuntur legitimi juramenti ſpecies. ** Aliud eſt *privatum*, inter privatos & paucos: aliud *publicum*, quod in loco publico ſolenniter præſtatur. ** Aliud eſt *aſſertorium*, quo de re præſenti aut præterita aliquid aſſeveratur vel negatur; aliud *promiſſorium* quo ad faciendum vel omittendum aliquid obſtringimur; aliud eſt *voluntarium*, quo quis ſe ſponte ad juramentum offert; aliud *coactum*, quo ad jurandum invitus quis cogitur; aliud *privatum*, quo in fœderibus ac contractibus privati utuntur; aliud ἐπακτὸν, quod à magiſtratu imponitur, quod vocant *conceptũ, ſolenne, corporale juramentum.* ** ἐπακτὸν ſive *impoſitum* eſt, quod juranti ab aliis imponitur, idq; vel pro autoritate, quale eſt illud quod Magiſtratus à ſubditis exigit, vel vi & coactione. Quæ *coactio* vel *juſta* eſt, ut quando victor victis juramentum fidelitatis imponit, vel *injuſta*, qua latrones juramenta aliis, quos ſcelere invaſerunt, extorquent. ** Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 6. *Aliud eſt juramentum per ſimplicem conteſtationem, quod fit per Deum, aliud per execrationem, quod fit per creaturas.* JCti habent judiciale, purgatorium, calumniæ, perhorreſcentiæ, &c. Alexand. Alenſ. pag. 3. quæſt. 31. membr 3 artic. 1. omnes modos jurandi reducit ad hos quatuor: *Jurans veritatem primam quæ Deus eſt, reveretur & in teſtimonium adducit, id fit 1. in quantum principium eſt omnis veritatis & tunc juratur per Deum per veritatem. 2. in quantum cognitor eſt omnis veritatis. & tunc eſt forma, teſtis mihi Deus. 3. in quantum judex & retributor præmiorum bonis, & tunc eſt forma, vivit Dominus. 4. in quantum retributor pœna malis, & tunc eſt forma, Hac adjuvet mihi Dominus, non ſalver.*

An liceat jurare per creaturas.

119. Quæritur tertiò. *An liceat jurare per creaturas?* Reſp. Hieron. in cap. 5. Matth. exiſtimat, Chriſtum formulas jurandi per creaturas ſimpliciter improbare tanquam impias, & in hanc ſententiam multa ex veteribus allegantur in Jure Canonico c. conſidera c. movet. cauſ. 22. quæſt. 1. c. Ecce dico cauſ. 22. quæſt. 5. ** Auguſt. in Epiſt. ad public. *Non licet per Creaturas velut per numina jurare, ſed tamen licet eas appellationis noſtræ invocationiſque de Deo teſtes facere.* Theophylact. in cap. 5. Matth. *Deus ſolus per ſemetipſum jurat, utpote nulli ſubjectus, nos autem cùm non ſimus noſtræ poteſtatis, quo pacto per caput noſtrum jurabimus? alterius enim eſt poſſeſſio. Aliud ergo eſt eum citare teſtem, qui jus habet ulciſcendi, quam per rem maximè caram aſſerere aliquid eſſe verum quod diximus.* Concil Carthag. 4. can. 61. *Clericus per creaturas jurans acerrimè objurgandus ſi perſtiterit in vitio, excommunicandus.* ** Hieronymo quidam reſpondent, tum demum juramenta per creaturas improbari, ſi religio jurisjurandi ad ipſas creaturas referatur, ſicque aliquid Numinis & divinitatis ut omnipotentia vel omniſcientia eis tribuatur. Jere. 5. v. 7. *Jurant in his qui non ſunt Dii,* vel ſi temerè ac leviter per creaturas juretur hac opinione, quòd talibus obteſtationib. non peccetur contra ſecundum præceptum, nec ſit perjurium eas fallere, quæ erat Phariſæorum opinio, cui Matthæi 5. v. 34. opponit Chriſtus veram legis explicationem, quod temeraria, futilia ac levia juramenta ſint prohibita, ſi vel maximè non fiant expreſsè per DEI nomen, ſed per cœlum, terram, Hieroſolymam, caput jurantis, cùm in hiſce quoque formulis nomen DEI obliquè, indirectè, relativè & implicitè contineatur, ſiquidem *cœlum eſt Thronus Dei, terra ſcabellum pedum ejus, Hieroſolyma eſt urbs magni Regis, & nemo ne unicum quidem capillum capitis ſui album vel nigrum reddere poteſt:* Adde, quod ignominia, quæ creaturis eo ipſo infertur, quod cultus ſoli DEO debitus ipſis tribuitur, in creatorem earum redundet. Anshelm. in cap. 5. Matth. *Non debemus jurare per creaturas, tum quia bona ſunt facta à ſummo bono, tum quia Deus habitat in eis.* D. Luther. in enarr. 2. præcepti tom. 1. latin. Witteb. *Semper is, qui jurat per ea, quæ Dei ſunt vel ei applicata, etiam per Deum jurat, ex quo, in quo, & in quem omnia ſunt.* Alex. Alenſ. p. 3. quæſt. 31. artic. 9. *Jurare per creaturam eſt creatorem ejus teſtem veritatis adducere.* Sed enim cùm juramentum propriè ſic dictum ſit cultus ſoli DEO debitus, ideò formulas illas, in quibus nomen DEI non expreſsè ponitur, præſtat vocare graves obteſtationes ac vehementes aſſeverationes vel certè juramenta indirecta quò pertinent ſimiles formulæ. Deut. 4. v. 26. *Teſtor contra vos hodie cœlum & terram.* Gen. 42. v. 15. *Vivit Pharao.* 1. Sam. 20. v. 3. *Vivit anima tua, &c.* Refert Zigabenus in Elencho Iſmaëlit. *Mahometum jurare per Solem, Lunam, aſtra, igneum ſplendorem, animalia & hujuſmodi.* Juſtinian. Imperator Magiſtratus novos *non modo per Deum omnipotentem & filium ejus unigenitum D. N. I. C. ſed & per ſanctam & glorioſam Dei genetricem & ſemper virginem Mariam ac per ſanctos Archangelos Gabrielem & Michaelem jurare jubet.* Novell. 9. Rex Otho Johanni Papæ in c. tibi Dn. Johanni diſt. 63. jurat *per ſacroſanctam Trinitatem, per lignum vivificæ crucis, per Sanctorum reliquias.* Sed cum juramentum ſit ſpecies cultus ſoli DEO debiti, quo gloria omniſcientiæ ac omnipotentiæ ipſi tribuitur, ideò ſtatus Auguſtanæ Confeſſioni addicti has jurandi formulas non recipiunt, unde placuit in pacificatione religionis Anno 52. Paſſavii inita, ut in Camera Imperiali deinceps Aſſeſſoribus vel cauſas ibidem agentibus aut defendentibus liberum eſſet, utrum ſub hac formula vel per DEUM & Evangelium jurare vellent. Monet autem Weſenbec. in parat. de jurejur. nu. 6. intelligendum hoc de verbo hypoſtatico, hoc eſt, de Filio DEI, non de litera Evangelii. ** *Juramenti forma apud Judæos hæc eſt Juramentum præſtans tenet librum legis brachio ſuo & lingua à ſancta jurat in hunc modum. Ego juro*

per.

Digitized by Google

per Deum Iſraelis per eum qui dicitur clemens & miſericors, quod huic nihil debeam. Iudices dicunt, Nos adjuramus te per Deum, aut per eum qui appellatur miſericors, quod non ſit in manu tua quicquam. Et ipſe reſpondet, Amen. Schindl. in Lex. in verbo שבע.**

De Ceremoniis quæ in jurando adhibentur.

120. Quæritur quartò. *Quid de Ceremoniis, quæ in juramentis adhibentur, ſtatuendum ſit?* Reſp. Ritus aliquos majoris reverentiæ ergò in juramentis adhiberi non eſt inſolens. Eleazarus jurabat *manu femori Abrahæ ſubjecta*, Geneſ. cap. 24. v. 2. ſiquidem ex ſemine Abrahæ Meſſias proditurus ſperabatur. Chriſtiani olim jurabant *tacto ſancti alicujus Martyris ſepulchro*, referente Gregor. lib. 5. Epiſt. 33. vel *manu altari*. Gregor. Turon. lib. 5. Hiſtor. cap. 3. vel *Evangeliorum libro impoſita*. Sozomen. lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 30. Ex conſtitutione Carolina, quam auream Bullam vocant, ante electionem Regis vel Imperatoris Romani Principes, Electores Eccleſiaſtici coram altari propoſito S. Johannis Evangelio & manibus pectori reverenter ſuppoſitis; ſeculares verò Principes Electores Evangelio ipſo corporaliter manibus ſuis tacto juramentum præſtant. Deut. 23. v. 40. Dan. 12. v. 7. juratur *elevatis ad cœlum manibus*, unde procul dubio mos hodiernus ortus, quod corporale vel ſolenne juramentum præſtatur erectis & elevatis duobus prioribus digitis, indice ac medio, ut denotetur animæ & corporis oppignoratio, quidam volunt etiam pollicem elevandum eſſe, ut ſacroſanctæ Trinitati juramentum deferri indicetur. Fœminæ jurant oppoſita ad pectus dextra, quem morem etiam veteribus Alemannis uſitatum fuiſſe refert Petrus Gregor. in Syntag. lib. 50. cap. 8. num. 30. Præter contrectationem libri Evangeliorum accenduntur hodie alicubi candelæ & aliæ adhibentur Ceremoniæ, quæ licet abfuerint, nihil tamen juramenti integritati ex eo decedit.

Quæ juramenta ſint ſervanda?

121. Quæritur quintò. Quæ juramenta ſint ſervanda? Reſp. *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè voviſti, ne facias; impia eſt promiſſio, quæ ſcelere impletur,* ut habet Iſidori ſententia c. in malis cauſa. 22. quæſt. 4. *quod male juratur, prius præſtatur; miſerabilis eſt neceſſitas quæ parricidio ſolvitur,* dicit Ambroſius 3. de officiis c. 12. ubi de Herodis juramento tractat, *nec juramentum debet eſſe vinculum iniquitatis,* ut ait idem Ambroſius, Hubaldum à juramento concubinæ dato abſolvens. ** Hieronymus tribus conditionibus juramentum conſtare dicit, *veritate, judicio & juſtitia.* Veritate, ut juretur quod conſcientia dictitat eſſe verum: judicio, ut deliberato animo adhibito judicio de re certa & comperta juretur, quæque jurisjurandi religio ſit, probè attendatur. Juſtitia, ut de re juſta, licita & poſſibili, quæ nequecum fide vel caritate pugnet, ſuſcipiatur.** Pulcrè Philo de ſpecialibus legibus ad tria Decal. præcepta. pag. 491. *Qui juratus male agit, addit culpam culpæ, dum Sacramento abutitur, cùm debuiſſet potius abſtinere à malitiis, abſtineat igitur & ſupplex Deum exoret, ut pro ſua clementia temeritati inconſultæ ignoſcat, quâ ad jurandum præceps actus eſt, nam duplicare noxam, cùm te poſſis exonerare dimidio, maxima eſt mania vix unquam curabilis.* Si verò de re licita ac poſſibili juramentum præſtitum, religiosè ſervandum eſt, ſi vel maximè id videatur durum ac difficile, Pſ. 15. v. 4. *Qui juravit malum,* (quod rebus ſuis obeſſe videt) *& non mutat, is habitabit in monte Domini.* Hinc facilè apparet, quid ſtatuendum ſit de juramento, latroni præſtito, tum de certa pecuniæ ſumma ipſi numeranda, tum de ſilentio præſtando, de quo latè diſputat D. Rauchbarus p. 2. quæſt. juris quæſt. 4. Sanè præſtantiſſimi quique Theologi illud ſervandum eſſe ſtatuunt. ſanctior enim ac auguſtior nobis debet eſſe jurisjurandi religio, quàm pecuniæ jactura, nec ſuo genere illicitum eſt tale juramentum συγχωρητικῶς: ſcilicet, quatenus vita per illud conſervari poteſt. Si juſtum fuit ac licitum, tale quid juramento promittere, juſtum quoque ac licitum erit juramento promiſſa implere. Joſua licet deceptus à Gibeonitis, tamen noluit jurisjurandi religionem violare. Joſ. 9. v. 18. (** Placuiſſe Deo, quod Joſua ſervaverit juramentum Gibeonitis præſtitum, exinde apparet, quod fœderis iſtius violatio à Saule perpetrata, non niſi cæde poſteritatis expiari potuit. 2. Sam. 21. v. 6.**) ac juramenta etiam hoſtibus præſtita ſervanda eſſe, patet ex 2. Reg. 15. v. 6. Ezech. 17. v. 13. Scholaſtici dicunt, juramentum coactum eſſe obligatorium in foro conſcientiæ, non autem in foro exteriori. Proinde pecuniam latroni juratam eſſe dandam, ſed tamen haberi remedium quo poſſit datam in judicio repetere aut judici denunciare, nec debet jurare, quod non velit denunciare, quia hoc eſt contra fraternam correctionem ac proinde illicitum. ** *Non quæritur, quid juris quis adverſus latronem habeat, ſed quomodo in conſcientia juramento obſtrictus ſit, quo reſpectu juramentum iſtud dicitur à Theol. obligatorium. Duo promitti ſolent in hoc juramento. 1. certa pecuniæ ſumma. 2. ſilentium perpetuum. Prius quod attinet, ſanctior eſt juramenti religio quàm pecuniæ jactura. Ad poſterius dicimus, tacendam eſſe injuriam iſtam & vim illatam, quoad ſpeciem, hoc eſt damnum à latronibus illatum vi præſtiti juramenti revelandum non & interim quoad genus manifeſtari poſſe, hoc eſt, à Magiſtratus in genere moneri poteſt, ut vigilet inque id incumbit, ut provincia malis hominibus, quos hinc inde graſſari, furari, prædari certum ſit & exploratum, expurgetur & via publica tuta conſerventur.* D. Schmuc.**

An approbandus uſus ligaturarum ac characterum;

122. Quæritur ſextò. *An approbanda ſint ſuperſtitioſa illa vel ligatura, vel ſuſpenſiones quarundam rerum, vel characteres ad avertendos morbos aliaque mala adhibita.* Reſp. Minimè verò. Quāvis enim non intercedat manifeſtum pactū cū Diabolo, nec adhibeatur Chriſti vel Baptiſmi abjuratio, tamen ſuperſtitio illa eſt peccatum contra ſecundum præceptū, quippe quâ nomen Dei levatur in vanum. Non hoc fine verbum ſuū dedit nobis Deus, ut ad avertendos corporis morbos characteres ejus uſurpemus, ſed ut ad vitam æternam, atq; animæ ſalutem ex eo inſtruamur. Joh. 20. verſ. ult. Quæcunque igitur curationes vel obſervationes non habent cauſam in natura, vel inſtitutione divina, ſuperſtitioſæ judicentur, atq; earum inventio transſeribenda eſt diabolo: Inconſideratè igitur quidam Medici curationem illam per concepta quædam verba probant, ſuperſtitionem anicularū hac ratione confirmando (vide Aëtium lib. 8. cap. 50. Trallian. libr. 9. cap. 4.) ſive ſtatuant revera per incantationes tolli morbos, ſive ex accidenti, quatenus confi-

dentia & alacritas ęgroti uſu incantationum, quibus aliquid virium tribuit, excitatur & ex conſequenti morbus levatur.

Explicatio tertii præcepti. 123. Præceptum tertium: *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimâ autem die Sabbathum Domini Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo tu & filius tuus. & filia tua, ſervus tuus & ancilla tua, jumentū tuū & advena, qui eſt intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlū & terram, & mare. & omnia quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo. Idcircò benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificavit eum.* Partes duæ ſunt: Præceptum & pręcepti ratio. Præceptum obſervationem Sabbathi præſcribit tùm ſanctificatione, tùm quiete ab externis laboribus peragendam. In hoc præcepto ceremonialia à moralibus accuratè ſunt diſtinguenda; ſanctificari Sabbathum & ab operibus quæ cultum divinum remorantur abſtineri, hoc eſt, certis diebus publicum Eccleſiæ miniſterium inſtitui, certum aliquod tempus miniſterio verbi εὐταξίας cauſa tribui, morale eſt. Sed diem ſeptimum ſanctificari, hoc eſt, Judaicum Sabbathum in V. Teſt. obſervatum huic cultui attribui Ceremoniale eſt, ut ſuo loco plenius docebim9. Ratio præcepti ad ipſius Dei exemplum ac primævum inſtitutū nos remittit, ipſe quippe Deus ſex diebus fecit opera ſua, cùm cælum ac terram in principio conderet, ſeptimo autem die quievit, ac diem illum quietè ſanctificavit.

Memento. 124. Ut ſcopū ac finem præcepti indagemus, expendemus priùs ſingula verba. 1. Non ſimpliciter ut in reliquis præceptis dicit Deus: Sabbathi diem ſanctificabis, ſed præmittit attentionis voculā, Memento ut diem Sabbathi ſanctifices. In Hebr. eſt זָכוֹר in forma infinitivi, quod genus præcipiendi admodum grave eſt ac ſerium, accuſatur igitur corruptæ Naturæ noſtræ oſcitantia, quòd pietatis ac divini cultus oblivio ſæpiuſculè animum noſtrū ſubeat, ergò hujus verbi ſtimulo ex veterno noſtro excitamur. Præterea admonemur hac voce, quòd ad pręceptorum divinorum obſervantiam requiratur animus memor ac vigilans, qui dies ac noctes de præceptis ſervandis cogitet, Pſal. 1 v. 2. *Beatus, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Pſal. 119. v. 16. *Non obliviſcar verborum tuorum,* v. 176. *mandatorum tuorū non ſum oblitus,* præceptorum divinorū oblivio proxima eſt ad transgreſſionem ipſorum via. Quinimò cùm recordandi verbū magis animi affectum quàm externum opus concernat, ſignificatur hac voce non tàm externam Sabbathi obſervationem, quàm interiorem ſanctificationem hoc præcepto requiri. Et quod in ſpecie de ſanctificatione Sabbathi hîc præcipitur, id ad omnia omninò præcepta Dei, aliis in locis transfertur. Deut. 6. v. 8. *Lex iſta erit ſignum in manu, & inter oculos tuos recordatio.* Malach. 4. v. 4. *Mementote legis Moſe ſervi mei, cui mandavi in Horeb ad univerſum Iſrael ſtatuta & judicia.* Denique cùm in prima ſtatim mundi creatione Sabbathum fuerit à Deo ſanctificatum, ideò recordandi verbo memoria illius rei quaſi renovatur. Rabini ridiculè ſtatuunt, ideò verbum recordandi in principio hujus præcepti poſitū eſſe, quod in omni re pretioſa debeat homo habere memoriam de Sabbatho, ut ſi habeat novā veſtem, debet expectare diem Sabbathi, ut primò tunc utatur eā.

Ut ſanctifices. 125. Secundò jubemur ſanctificare Sabbathum. quâ in re ſcopus & anima q. hujus præcepti conſiſtit. Aliter autem Deus ſanctificat Sabbathū Gen. 2. v. 3. aliter homines illud ſanctificant. Deus benedicit Sabbatho, & ſanctificat illud, h. e. divino cultui deputat, & qui *juxta præſcriptū Dei Sabbathum ſanctificant, ſuper eos tranſit hæc benedictio,* ut R. Agnon dicit, Dei benedicere eſt benefacere. Ergò qui in honorem Dei Sabbathū ſanctificant, omnis generis bonis præſertim ſpiritualib. implentur. Homines ſanctificant Sabbathum, quando illud à Deo ſanctificatū eſſe agnoſcunt, pro ſancto habent & ſanctis operib. in eo vacant. Quæ v. ſunt illa opera? interior ſanctificatio ac ſpiritualis cultus in priorib. duob. præceptis requiruntur, ſed quia in hac vita ſpiritualis ille ac interior cultus externo aliquo exercitio publici miniſterii indiget, per quod Deus interiorem illam ſanctificationem in nobis efficit, conſervat & auget, ac in quo interioris illius ſanctificationis πληρώματα eduntur, ideò hoc tertiū præceptum accipiendum eſt de publico verbi ac ſacrarum Ceremoniarū miniſterio Exod. 31. v. 13. *Sabbatha mea cuſtodietis, ut ſciatis, quod ſim Iehovah ſanctificans vos.* v. 14. *Cuſtodietis Sabbathum, quia ſanctitas eſt vobis.* Id eſt, per publicū ac externū illud miniſterium verbi interiorem ſanctificationem in cordib. veſtris operabor. Exod. 20 v. 24. *In quocunq; loco memoriā nominis mei inſtituero, veniā ad te, & benedicā tibi.* Quæ v. ſint illa publici miniſterii & cultus divini exercitia, in enumeratione virtutū hujus pręcepti apparebit.

126. Tertiò non ſimpliciter jubemur Sabbathū ſanctificare, ſed additur: Memento, ut Diem Sabbathi ſanctifices, non quòd ſuperſtitioſā dierum obſervationem Deus confirmare velit; ſed ut doceamur integrū Sabbathi diem ſanctificare ac ſanctis operib. tranſigere. Vulgaris idemque peſſimus mos eſt, aliquā tantū eamq; ferè minimam diei ſacrę partem divino cultui impendere, reliquam v. ignavo otio vel etiam choreis ac cōviviis tribuere, ſed meminerimus diem, non aliquot horas Sabbathi eſſe ſanctificandas. Deindè cùm dies haberi jubetur ſanctus, communi ſenſu ex eo ſequitur, ſanctum diem etiam ſancta opera & ſanctam converſationem requirere, quemadmodū etiam Poëta Ethnicus ſcribit: *Sancta dies oritur, linguisq;, animisq; favete. Hoc dicenda bono ſunt bona verba die.* Deniq; cùm præter Sabbathum dierum ſit etiam Sabbathum menſium & annorum, Lev. 25. v. 4. & 8. cap. 26. v. 35. Ideò expreſſa ſit diei Sabbathi mentio, ut intelligatur potiſſimùm de Sabbatho dierum hîc agi, aliis in locis generaliter in plurali Deus loquitur: *Cuſtodite Sabbatha mea,* Exod. 31. v. 13. *Diem.*

127. Quartò nominatim exprimitur dies ſeptimus, qui divino cultui ſit deſtinatus. Populus Iſraëliticus erat carnalis, ad ſuperſtitionē & idololatriam admodùm pronus, non ergò ritus tantùm ac ceremonias, quibus ad cultum Dei informarentur, ſed etiam certa tempora ac certos dies præſcripſit illis Deus, in quibus ritus illos ac Ceremonias exercerent, nec ipſorū arbitrio liberū relinqueret, eligere dies quoſcunq; vellent, ſed certis legibus eos aſtrinxit, ut hac ratione ab ἐθελοθρησκείας revocarentur: Deut. 12. v. 8. *Non facietis ſinguli quicquid rectū in oculis ipſorū.* Adde quòd ſeptimus dies convenientiſſimè præ reliq s fuit electus, ꝓpter memoriam præteriti (puta ꝓpter Sabbatū creationis) & ſignū futuri (videl. ꝓpter *Sabbathi.*

pter

pter Sabbathum redemptionis, quod Chriſtus in ſepulcro egit & propter Sabbathũ æternũ) Exod. 31. v. 13. *Sabbathum meũ cuſtodietis, quia ſignũ eſt inter me & vos.* Ezcch. 20. v. 20. *Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent in ſignũ inter me & ipſos.* Ab hoc ceremoniali legis involucro in N. T. ſumus liberi.

Sex diebus operaberis.

128. Quinto, ſex dieb⁹ operaberis & facies omnia opera tua תַּעֲבֹד thaabhód propriè ſignificat ſerviliter operaberis; oſtendit igitur Deus diſcrimẽ inter labores externos & inter exercitia pietatis ac cult⁹ divini. Illos vocat ſerviles, his v. ſanctificari dicit Sabbatum. Ne v. exiſtimetur labores illos vocationis Deo diſplicere, ideò in hoc ipſo præcepto, quod de ſanctificatione Sabbathi agit expreſſam eorũ mentionẽ facit, ac ſex dies illis aſſignat, ſeptimũ tantùm diẽ cultui divino tribuendũ præcipit. Quidam verba illa ſex diebus operaberis, intelligunt permiſſivè, hoc ſenſu, quod liberũ illis reliquerit Deus populo ſuo, quid ac quâ iſtarũ dierũ operari velit, ſed rectiùs accipiuntur προστακτικῶς in forma præcepti dicta, ſicut etiam D. Luther. vertit ſechs Tage ſoltu arbeiten/ nam non minùs labores vocationis quàm ſanctificatio Sabbathi à Deo requiruntur. Gen. 3. v. 19. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Atq; eadem in Hebraico verbo forma eſt, quæ in reliquorum præceptorum verbis occurrrit: תִּנְאָף תִּרְצָה תַּעֲבֹד thináph thirzáh thaabhód, &c. propter extremã naturæ corruptionem non minùs reliquis diebus ignavum otiũ homini prohibitũ, quam ſeptimæ diei ſanctificatio præcepta. Idipſum comprobat ratio huic præcepto ſubjecta, quod non tantùm ſeptimo die quieviſſe Deum commemorat, ſed & ſex diebus operatum fuiſſe. Ergò ut exemplum Dei in quiete Sabbathi nobis proponitur, ita quoque idem in opere ſex dierum nobis proponi cenſeamus.

129. Sexto, ſervilibus laboribus conceduntur dies ſex, cùm ſeptimus tantũ Sabbathi ſanctificationi concedatur, non quod opera illa quibus ſextiduum illud tranſigitur, ſint præſtantiora ac digniora illis, quibus Sabbatum ſanctificatur, ſed quia nota eſt Deo extrema Naturæ corruptio, propter quam caro noſtra laboribus ſubigenda, ne torpeſcat otio. Creati ſumus initio non ad ſervilia illa opera, ad ſudorem illum vultus, ſed ad illa opera, quibus Sabbathum ſanctificatur, & in vita æterna, quando Sabbathum ex Sabbatho celebrabimus, ceſſabunt laborioſa illa ac ſervilia opera neceſſitatib⁹ hujus vitæ inſervientia, ſed propter corruptionem Naturæ ex peccato primorũ parentum ortam ac in nos traductam pœnæ loco multiplicati ſunt illi labores ac ſudores, ideò ſexti diei laboribus probè ſubactis ac defatigatis, unius tandem, videlicet ſeptimæ diei, quies conceditur. Ex quo fundamento apparet, quid de copia ſuperfluarum ac ſuperſtitioſarum feriarum ſit ſtatuendum.

Et omnia opera tua facies.

130. Septimò jubemur ſex diebus operari & omnia opera NOSTRA facere ſeu abſolvere (עָשָׂה Aſáh, enim utrumq; ſignificat) quod ipſum non caret ἐμφάσεως. Præſcribit enim Deus unicuiq; ſuæ vocationis opera, quæ abſque ulla πολυπραγμοσύνῃ exequatur, 1. Cor. 7. v. 17. *Unumquemque ſicut vocavit Deus, ita ambulet.* 1. Theſſal. 4. v. 11. *Operam detis* ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια καὶ ἐργάζεσθαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑμῶν. 2. Theſſ. 3. verſ. 11. dicuntur ἀτάκτως ambulare οἱ μηδὲν ἐργαζόμενοι ἀλλὰ περιεργαζόμενοι. Quin imò cùm opera illa ſervilia dicantur noſtra, & ab operibus, quib⁹ Sabbathum ſanctificatur, diſtinguantur, innuitur, non eſſe in viribus noſtris ſancta illa opera in Sabbatho peragenda, eo modo perficere, ut ſint Deo grata, ſed hoc eſſe Dei opus, ipſe eſt qui nos ſanctificat Exod. 31. v. 13. *Sabbathum meum cuſtodietis, ut ſciatis, quod ego ſim Iehovah, ſanctificans vos.* Ezech. 20. v. 22. *Dedi illis Sabbatha mea, ut ſciant, quod ſim Iehovah, qui ſanctificat ipſos.*

Septimus dies eſt Sabbathum Dei.

131. Octavò. Septima dies dicitur Sabbathum Domini Dei noſtri; ſanè *propter hominem inſtitutum eſſe Sabbathum* pronunciat Chriſtus Marc. 2. verſ. 27. hoc eſt propter hominis uſum ac commodum, interim non dicitur hominis, ſed DEI Sabbathum, tùm quia ab ipſo inſtitutum, tùm quia in prima ſtatim creatione poſt abſolutum cœli ac terræ opificium ab ipſo celebratum. Ac latet in hiſce verbis αἰτιολογία, Dominus ille, cujus eſt Sabbathum, eſt Deus tuus, ergò in honorem & cultum ipſius Sabbathum ſanctificabis. Quinimò his verbis etiam modus quadantenus præſcribitur, quo debeat à nobis Sabbathum ſanctificari. Quia enim eſt Dei Sabbathum, ergò operibus Dei, hoc eſt, à DEO præſcriptis & requiſitis eſt ſanctificandum, quemadmodum in primo præcepto, verbis illis, Ego ſum Dominus Deus tuus, jubemur Deum non aliter colere, quàm in verbo nobis præſcripſit. Pertinet hûc pulcerrimus locus Eſai. 58. v. 13. *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, nec feceris voluntatem tuam* (חֲפָצֶךָ chaphazecbá, beneplacitum tuum) *in die ſancto meo, tum vocabitur Sabbathum jucundum in ſanctitatem Domini glorioſum, tunc glorificabis eum, dum non facies vias tuas & non invenietur voluntas tua* (ubi nomine voluntatis noſtræ intelliguntur non ſolùm prava carnis deſideria, ſed etiam ſuperſtitioſæ ἐθελοθρησκείας, ut ex totius capitis apparet) Denique verbis hiſce, Sabbathum Domini Dei tui eſt, in ſolius Dei honorem ac cultum Sabbathum celebrare, ac ipſi ſoli religioſæ adorationis cultum exhibere jubemur. Auguſtin. 8. de civit. Dei c. 27. *Martyribus non conſtituimus templa, ſacerdotia, ſacra & ſacrificia, quoniam non ipſi ſed Deus eorum nobis eſt Deus. Honoramus ſanè memorias eorum tanquam ſanctorum hominum Dei &c. Sed non conſtituimus eis Sacerdotes, nec offerimus eis ſacrificia &c. quia incongruum illicitumq; eſt atque uni Deo tantummodò debitum.*

Non faciet omne opus in eo.

132. Nonò. Non facies omne opus in eo. Refert Münſterus in cap. 20. Exod. ex Rabinis, quòd verba iſthæc eo modo intelligant, quòd die Sabbathi non liceat pomum carboni admovere, ut aſſetur, aut vinum ſuper ſinapi pulverem mittere, aut allium, quod edere velis, decorticare, prohibitum quoque eſſe, ſaltantem pulicem capere, reptilia quæ utrumque ſexum habent interficere, niſi tibi ſint infeſta; arborem non licet conſcendere, ne ramum frangas. Super herbas caveto gradi, ne calceamento herbam evellas. In cythara aut alio Muſico inſtrumento non licet ludere, noo licet cantare, nec alium ſonum edere, quo vel puerum à fletu coërceas &c. Dicunt etiam Sabbatbum hoc modo ſanctificari, quando homines aliis utuntur veſtibus & aliter loquuntur atque edunt, quàm in diebus prophanis, videlicet ſi veſcantur carnibus ac piſcibus, ſi vinum bibant &c. Sed hæ nugæ gerris Siculis ineptiores meritò ſuis au-

toribus relinquuntur. Quæ opera Sabbatho facienda Deus prohibuerit, id non ſolùm ex aliis Scripturæ locis, ſed ex ipſis hujus præcepti verbis colligitur. Non facies ullum opus, ſcilicet ſervile, quod publici miniſterii partes & cultum divinum impediat, præcedit enim vocabulum תַעֲבֹד thaabhód, & jubentur ſervi ac jumenta ab opere abſtinere Levit. 23. v. 7. כָּל מְלֶאכֶת עֲבֹדָה לֹא תַעֲשׂוּ Cól melæchæth abhodáh lo thaaſu, *Omne opus ſervitutis ſive ſervile nō facietis.* Deut. 5. v. 15. additur ratio: *Memento, quod & ipſe ſervieris in Ægypto & eduxerit te inde Dominus &c.* Ergò in memoriam iſtius beneficii jubet DEUS, ut Sabbatho etiam ſervis ac jumentis quies à labore concedatur. Ubi denuò Ceremonialia à Moralibus hujus præcepti accuratè ſunt diſtinguenda. Morale enim ac perpetuum eſt, opera illa prohiberi, quæ publici miniſterii exercitium impediunt; interim opera ea, quæ ad cultum DEI, ad ceremonias ſacras, ad dilectionem proximi & vitæ neceſſitatem pertinent, non ſunt prohibita. Contrà verò multa erant Ceremoniali lege Judæis prohibita, quæ in N. T. non amplius nos obligant. Exod. 16. v. 29. *Sabbatho non egrediatur quiſquam è loco ſuo.* Atqui Chriſtus Sabbatho ſæpius iter fecit Matth. 12. v. 1. Sic Jer. 17. v. 21. ſeverè edicitur, *non eſſe portanda onera die Sabbathi.* Sed Job. 5. v. 8. jubet Chriſtus tolli grabatum. Quidam hæc verba allegoricè interpretantur, quod non ſint facienda Sabbatho opera noſtra, h. e. ea quæ à vitiata noſtra Natura proficiſcuntur, ſed enim locum habet hæc allegoria in ſpirituali Chriſtianorum Sabbatho, quod eſt perpetuum ac ſingulis vitæ diebus celebrari debet, at hoc loco aliena eſt, neque enim ſeptimo tantùm die ſed & ſex illis intermediis diebus à talibus corruptæ carnis operibus abſtinendum eſt.

Nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec ſervus tuus &c.

133. Decimò. Non facies Sabbatho ullum opus, nec tu, nec filius tuus, nec filia tua, nec ſervus tuus, neque ancilla tua &c. neque peregrinus tuus, qui eſt in portis tuis. Colligimus ex his verbis, primò quamvis ſanctificatio Sabbathi primariò ac propriè non conſiſtat in externa quiete, interim quia ſervilia opera veram Sabbathi ſanctificationem impediunt, ideò diſertis verbis hoc præcepto prohibentur, ex quo colligenda eſt regula quædam generalis in omnibus Decalogi præceptis obſervanda, quod non ſolùm peccata, ſed etiam peccatorum occaſiones lege DEI ſint prohibitæ: quodque non ſolùm virtutes lege DEI requirantur, ſed etiam omnia ea, quæ virtutibus impedimento ſunt, averruncari jubeantur. Patet etiam ex eo, quàm præſenti animo, quàm ſerio ſtudio, quantâve attentione ſacra ſint tractanda, quâ Spiritus alacritate ac libertate verbum DEI audiendum! Deinde cùm diſerta mentio fiat filiorum, ſervorum ac peregrinorum, ex eo colligitur, à parentibus, patribusfam. & Magiſtratibus exigi, ut non ipſi ſolùm Sabbathum ſanctificent, ſed etiam à filiis, ſervis ac peregrinis curæ & fidei ſuæ commiſſis illud ſanctificari curent. Quod religionis communicationem concernit, nulla eſt differentia inter parentes ac liberos, dominos ac ſervos, magiſtratus ac ſubditos, *unus omnium Dominus, una omnium fides, una omnium ſpes ac hereditas.* Epheſ. 4. v. 4. & 5. Denique quod etiam advenæ jubentur ſeptimo die ab operibus feriari, ex eo patet, quamvis peregrini non fuerint coacti ad religionem Iſraeliticam ſuſcipiendam, tamen ab ipſis requiſitum fuiſſe, ut in externis divinæ legi ſeſe ſubjicerent, quod ſuo modo etiam Chriſtiano Magiſtratui ad imitationem eſt propoſitum. Si advenis licuiſſet Sabbatho operari, non ſolùm exemplo ſuo Iſraelitis ſcandalo fuiſſent, ſed etiam in fraudem legis per iſtos opera ſua ſervilia exequi potuiſſent.

Nec jumentum tuum.

134. Undecimò. Jumentorum etiam in hoc præcepto DEUS meminit, non quòd *de bobus ipſi ſit cura* 1. Cor. 9. v. 9. hoc eſt, quod legem ſuam brutis tulerit, aut quaſi ſanctificatio Sabbathi etiam ad bruta pertinuerit; ſed jumentis imperatur Sabbatho quies has ob cauſas. Primò, quia labor jumentorum requirit gubernatorem hominem. Secundò, niſi expreſſa jumentorum facta fuiſſet mentio, potuiſſent Judæi in fraudem legis divinæ accommodare eadem gentilibus ad opus faciendum. Tertiò, quia non homines ſolùm, ſed & jumenta quiete aliquâ indigent, idcò ſeptimo die eadem refici DEUS voluit. Quod autem hominum & jumentorum quietem conjungit, id facit ideò, ut oſtendat veram Sabbathi obſervationem non conſiſtere in externa illa quiete à ſervilibus operibus, quæ homini cum jumentis communis eſt, ſed requiri inſuper ſanctificationem, quę eſt homini propria & propter quam externa iſta quies præcipitur. Quartò, quia DEUS etiam brutis animantibus quietem aliquam concedit, ex eo diſcere debemus, quantò majori benignitate & clementia erga nos præditus ſit? Denique ad humanitatis officia non ſolùm ſervis & peregrinis, ſed ipſis etiam jumentis exhibenda hoc verbo invitamur, quia per exercitia crudelitatis in bruta accenditur & augetur inhumanitas erga proximum, ut teſtatur Domitiani exemplum, qui ex quotidiano muſcarum confodiendi exercitio Tyrannidem didicit. Prov. 12. v. 10. *Cognoſcit juſtus animam jumentorum ſuorum, viſcera autem impiorum ſunt crudelia.*

Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram.

135. Duodecimò revocantur Iſraelitæ ad primævam Sabbathi inſtitutionem, ideò αἰτιολογικῶς ſubjungitur: Sanctifica diem Sabbathi &c. Sex enim diebus fecit Jehovah cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo, idcircò benedixit DEUS diei Sabbathi, & ſanctificavit illum. Sabbathum inter cætera debebat eſſe perpetuum memoriale creationis, ideò revocantur Iſraelitæ ad iſtum articulum. Quemadmodum DEUS ſex diebus omnia creavit, die autem ſeptimo requievit & vidit quæ fecerat: ita ſex diebus debebant operari, ſeptimo autem quieſcere & cogitare de beneficiis in articulo creationis & providentiæ nobis præſtitis. Quomodo verò quievit DEUS, cùm propriè loquendo in opere creationis non laboraverit? ipſe dixit & facta ſunt. Reſp. Quies dupliciter poteſt accipi, vel ut notet finem ac terminum actionis, vel ut refrigerium poſt laborem exprimat, priori modo DEO tribuitur quies, non autem poſteriori. Ut in opere DEI nulla cogitanda defatigatio, ita in ipſius quiete nulla eſt ignavia. Deinde ceſſavit DEUS à condendis novis creaturarum ſpeciebus, interim à ſe conditas tuetur & gubernat. Johan. 5. verſ. 17. dicit CHRISTUS, *Pater meus ἕως ἄρτι operatur & ego operor.* Vide Auguſtin. 4. de Gen. ad liter. cap. 12. Hæc alibi latiùs explicantur.

Hocloco obſervemus additam præcepto rationem. Die ſeptimo poſt hominis creationem quievit Deus utique ergò in Deo etiam quieſcat homo, ut Deus quieſcat in ipſo. Cumque Deus ita quieſcat die ſeptimo, ut tamen non ceſſet ab omni opere, ſed rerum univerſitatem conſervet ac gubernet, ita quoque Sabbathi ſanctificatio non conſiſtit in ignavo otio, ſed ut ea operemur, quæ ad Dei gloriam faciant.

Virtutes in tertio præcepto requiſita.

136. Ex his fundamentis facilè poteſt colligi, quæ ſint virtutes tertii præcepti. 1. Lev. 23. v. 3. dicit Dominus ad Iſraëlitas *Sex diebus fiet opus, die autem ſeptimo Sabbathū quietis eſt* מִקְרָא קֹדֶשׁ mikrá kódæſch, *cōvocatio ſancta*, quod v. 7. 8. 21. 27. repetitur. Et lex de Sabbatho requirit, ut inſtituantur publici Eeeleſiæ congreſſus; ut fideles congregentur ad publicum miniſterium. 2. Reg. 10. v. 20. *Sanctificate cœtum ipſi Baal & convocarunt*, ubi verba deſumuntur ex tertio præcepto. 2. In publicis illis congreſſibus propaganda eſt vera doctrina, verbum Dei prædicandum & audiendum eſt Levit. 10. v. 11. *Sacerdotes in tabernaculo Eccleſia doceant filios Iſrael omnia ſtatuta, quæ locutus eſt Iehovah.* Luc. 4. v. 16. *Chriſtus Sabbatho docet in Synagoga Nazarethana.* Actor. 13. v. 14. & 15. *Paulus & Barnabas ingreſſi die Sabbathorum ſederunt, poſt lectionem a. legis & Prophetarum miſerunt Principes Synagogæ ad eos dicētes: Viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad plebem dicite.* v. 44. *ſequenti Sabbatho penè univerſa civitas convenit audire verbū DEI.* Act. 15. v. 21. *Moſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbathum legitur.* 3. In iiſdem adminiſtrādæ Ceremoniæ divinitùs inſtitutæ, præſertim Sacramenta, quæ licet in Novo Teſtam. ad certum tempus ac locum non ſint alligata, tamen convenit eorum adminiſtrationem in publico Eccleſiæ cœtu potiſſimùm vigere. 1. Cor. 11. v. 20. *Convenientibus vobis in unum, hoc non eſt Dominicam cœnam edere.* Act. 20. v. 7. *Una Sabbathorum cùm conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſſerebat eis.* 4. Inſtituenda publica & ſolennis Dei invocatio ac celebratio, quā confeſſio, gratiarum actio & preces noſtræ conjungantur cum Eccleſia Pſal. 22. v. 23. *In medio congregationis* בְּתוֹךְ קָהָל betóch kahál *laudabo te* v. 26. *à te laus mea in congregatione multa* Act. 16. v. 13. *die Sabbathorum egreſſi ſumus extra urbem, ubi videbatur oratio eſſe & ſedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant.* 5. Colligendæ Eleemoſynæ ad ſuſtentationem pauperum Eſa. 58. v. 7. *Frange eſurienti panem tuum & egenos introduc in domum tuam, hoc vocabitur Sabbathum Domini ſanctum &c.* 1. Cor. 16. v. 1. *De collectis quæ ſiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ſic & vos facite.* verſ. 2. *In una Sabbathorum quisque veſtrûm apud ſe reponat, recondens quod ei placuerit.* Vide Juſtin. Apol. 2. p. 77. ubi Eccleſiaſticos cœtus ſui temporis pulcerrimè deſcribit. Huc referenda etiam reliqua miſericordiæ opera, quibus Sabbathum minimè profanatur. Chriſtus ſæpius die Sabbathi ægros ſanavit, & contra Phariſæorū ſuperſtitionem hoc ſuum factum defendit. 6. Abſtinendum ab operibus manuariis, ſervilib9 & mechanicis, quæ publicum divini cultus exercitium impediunt.

Peccata contra tertium præceptum.

137. Pugnat igitur cum tertio præcepto. 1. *Deſerere congregationem* Heb. 10. v. 24. nolle publicis Eccleſiæ congreſſibus intereſſe, abjectè de illis ſentire, rarò adeſſe ſacris concionib9. 2. Dies ſacros conſumere ignavo otio, lectionem, meditationem & auſcultationem verbi negligere, inflectere doctrinam ad aliorum affectus ac cupiditates. 3. Sacramentorum adminiſtrationem atque uſum intermittere, inſtitutionem divinam mutare, excludere à communione ſacrorum eos, qui erant admittendi; admittere eos, qui erant excludendi. Ezech. 23. v. 38. *Sabbatha mea profanârunt, cùm filios ſuos idolis immolârunt.* 4. Publicas Eccleſiæ preces contemnere, abſq; urgente cauſa ab eis ſe ſubtrahere, intereſſe quidem precibus publicis, eaſdemque recitare, ſed abſque affectu & attentione, linguâ ignotâ precari. 1. Cor. 14. v. 17. *Tu quidem benè gratias agis, ſed alter non ædificatur.* 5. Vel parùm vel nihil conferre ad pauperum ſuſtentationem; *tuba canere, ſi quando eleemoſyna dantur* Matth. 6. v. 2. hoc eſt, in illis erogandis ſe oſtentare. 6. Domeſticis nullam concedere quietem; opera, quę Sabbathi ſanctificationem impediunt ac differri poterant, Sabbatho peragere.

Officia Miniſtrorum verbi.

138. Ceterùm eùm non omnes poſſint Prophetæ officio fungi 1. Cor. 12. v. 29. ideò ſanctione hujus præcepti ſtatuitur diſcrimen inter Miniſtros verbi & Auditores, quibus ſingulis ſua munia, ſuæque partes aſſignantur. Miniſtrorum officia ſunt 1. veram & integram legis ac Evangelii doctrinam gregi ſibi commiſſo proponere. 1. Pet. 4. verſ. 11. *qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei*, quò pertinet inſtitutio rudiorum Catechetica, ἔλεγχος eorum, qui veritati adverſantur, παράκλησις afflictorum &c. 2. Sacramenta ſecundum divinam inſtitutionem rectè adminiſtrare, 1. Cor. 11. v. 23. *A Domino accepi, quod tradidi vobis.* 3. Diſciplinam Eccleſiaſticam conſervare. Matth. 18. v. 17. *Dic Eccleſia*, quò pertinent νουθεσία, ἐπανόρθωσις, ἐπιτίμησις, uſus clavium in abſolutione & excommunicatione. 4. Preces pro tota Eccleſia facere. 1. Sam. 12. v. 23. dicit Samuel: *Abſit à me, ut peccem Iehova, ceſſando orare pro vobis ac docere vos viam bonam & rectam.* 6. Auditoribus probatæ vitæ exemplo prąire. Tit. 2. v. 7. *Per omnia teipſū præbe exemplar bonorum operum &c.* quâ de re in Capite de Miniſterio dicetur uberius.

Auditorū.

Auditorum officia ſunt 1. Verbum Dei ex ore Miniſtrorum tanquā ex Dei ore audire, à Pſeudoprophetis ſibi cavere. 2. Uti Sacramētis divinitùs inſtitutis. 3. Obœdire Miniſtris, ſubtrahere ſe à fratribus inordinatè ambulantib9, excom̄unicatis non dicere Ave &c. 4. Orare pro Miniſtris, gratias Deo agere pro fidelib9 verbi præconibus. 5. Profeſſionem doctrinæ morum honeſtate ornare. 6. Denique Miniſtros diligere, honorare, pacificè cum illis vivere, ipſis benefacere, cōferre aliquid ad alendos docentes ac diſcentes in Scholis, tolerare infirmitates Miniſtrorū, quæ non enormiter corrumpunt aut impediunt officium, aut publicum præbent ſcandalum. Antitheſis facilè oſtendet, quid Miniſtris ac Auditoribus cavendū ſit, ne ſui officii parum memores ac tertii præcepti transgreſſores audiant. Addendæ etiam promiſſiones ac com̄inationes, addenda exempla quibus obœdientiam hujus præcepti remunerari, Inobœdientiam verò puniri manifeſtum fiat. ** Circa Sabbatum in defectu peccant *Photiniani*,

qui

qui in N. Teſt. *illud ea ratione dicunt eſſe abrogatum, ut nihil* (& ſic nec morale) *remanſerit*. In exceſſu 1. Judæi qui adhuc hodie in N.T. Sabbati obſervationem ſtatuũt neceſſaria. Fingunt *omnes gentiles, qui Sabbatum nõ ſervaverunt horribiles cruciatꝰ perpeti in inferno & nolẽtes volẽtes cogi ad Sabbathum etiã apud inferos ſervandũ, videl. damnatos eo momento, quo Judæi in terris Sabbatum initiant, evocari ab Angelo dato ad requiem ſigno & ſtatim quo momento Judæi Sabbatum finiunt revocari ad pœnas.* Helvicus tom. 4. Giſſ. Diſp. 9. 2. *Ebionitæ* non tàm ob rigorem Moſaicum quàm propter exempla Apoſtolorũ quæ in Actis eorum extant, unà cum Dominica Chriſtiana etiã Sabbatum Judaicum coluerunt. Euſeb. lib. 3. Hiſt. 27. 3. Illis ſe aſſimilant *Chriſtiani* noſtra ætate *in Æthiopia* degentes, referente Bellar. lib. 3. de cult. Sanctor. cap. 9. *Perkinſ.* lib. 2. caſuum conſc. cap. 16. quæſtionem proponit. *Utrum ſit in poteſtate Eccleſiæ DEI in terris diem Sabbati à die ſeptimo ad diem ullũ aliũ transferre* ad quam reſpondet negatè modeſtè tamen addit, *ſe non abſolutè aliquid definire, ſed tantummodo proponere illud quod veritati & rationi maximè congruere ſibi videatur*. Moroſius neceſſitatem efflagitat Schönfeldius in Syllogiſmo ſeptimo D. Mentzero oppoſito cujꝰ minor propoſitio ſic habet. *Chriſtianæ juventuti Decalogum integre* (ſine verbo ad verbum à litera ad literam) *ita ut ſimul obſervato Ceremonialium & moraliũ diſcrimine loco Sabbati Ceremonialis diem ſeptimum in genere* (id quod morale eſt) *& quidem diem quemq; Dominicum celebrandum.* Contrà Mentzerus tom. 2. Giſſ. Diſp. 1. th. 145. *non eſt morale diem quem vis ſeptimum eſſe Sabbatum, ſed hoc morale eſt, ex diebus illis ſeptem aliquem vel aliquot peculiariter tribuere cultui divino.* Luth. tom. 8. Jen. fol. 348. in tranſlatione reddit den Feyertag. Confer *Bald.* q. 6. in Coloſſ. 2. *Mehlfurer.* in Vindic. Dom. 17. poſt Trin. th. 46.**

Quotuplex ſit Sabbathũ.

139. Quæritur primò. *Quotuplex ſit Sabbathum?* Reſp. 1. Eſt *Sabbathum creationis*, Gen. 2. v. 2. quo DEus ab omni opere ſuo, quod fecerat, requievit, ac diei ſeptimæ benedixit. 2. Eſt *Sabbathum Moſaicum*, quo ſeptimꝰ dies publico divini cultus exercitio & vacationi ab operibus œconomicis ac politicis fuit deſtinatus. Exod. 20. v. 10. Ceterùm quia opera, quibus ſanctificatur Sabbathum, ſunt finis ille, propter quem homo conditus eſt, ideò etiam tota reliquorum dierũ hebdomada apud Hebræos dicitur Sabbathum ſive Sabbatha. Ad hoc Moſaicum Sabbathum referendum etiam *Sabbathum annorum*, quod erat ſeptimus quiſque annus, quo Iſraelitæ agrorum ac vinearum culturam intermittere jubebantur, Levit. 25. v. 3. & ſeqq. unde dicitur, *Sabbathum terræ*. 3. Eſt *Sabbathum redemtionis*, quo Chriſtus per integrum Sabbathi diem in ſepulchro quievit. Luc. 24. v. 54. 56. Quemadmodum abſoluto primæ creationis opere quievit Deus die ſeptimo: ita abſoluto ἀνακτίσεως καὶ ἀναπλάσεως noſtræ opere itidem quieſcere voluit Chriſtus in ſepulchro, ut æternam quietem nobis à ſe partam demonſtraret. Auguſt. 4. de Geneſi ad lit. cap. 11. *Chriſtus ipſo die Sabbathi requievit in ſepulchro, eumq; totũ diẽ habuit ſanctæ cujuſdam vacationis, poſteaquam ſexto die, i.e. paraſceve, quem dicunt ſextũ Sabbathi conſummavit omnia opera ſua, cùm de illo, quæ ſcripta ſunt, in ipſo crucis patibulo complerentur, nam & hoc verbo uſus eſt, quando ait: Conſummatum eſt.*** Sipontinus vult Sabbatum dici à שֶׁבַע quod eſt ſeptẽ, eò quod ſit dies hebdomadis ſeptimus. Plutarch. lib. 4. Sympoſ. à σαβάζειν vel à σάββοις i. e. Bacchis, ſed malè. Rectiſſimè deducitur à שָׁבַת quievit.** 4. Eſt *Sabbathum Chriſtianum*, quo juxta Apoſtolorum conſtitutionem dies hebdomadæ primus publicis Eccleſiæ congreſſibus deſtinatus eſt, quâ de re plura ſuo loco. 5. Eſt *Sabbathum ſpirituale*, ac internum, quo à corruptæ carnis noſtræ operibus feriamur, ac Deũ in nobis operari ſinimus. Hoc Sabbathum continuum ac perpetuum debet eſſe in renatis Eſa. 56. v. 2. *Cuſtodiens Sabbathum cuſtodiet manus ſuas, ne faciat omne malum.* Eſ. 58. v. 13. *non facias voluntatem tuam in die ſancto meo &c.* Hebr. 4. v. 10. *qui ingreſſus eſt in requiem ejꝰ, etiã ipſe requievit ab operibꝰ ſuis, ſicut à ſuis Deus.* Ignat. Epiſt. 3. ad Magneſianos. ὁ ἕκαστος ἡμῶν σαββατιζέτω πνευματικῶς, μελέτῃ νόμων χαίρων, οὐ σώματος ἀνέσει, δημιουργίαν Θεοῦ θαυμάζων &c. Auguſt. 4. de Gen. ad lit. c. 13. *Tempore gratiæ N. T. perpetuum Sabbathum obſervat, qui ſpe futuræ quietis operatur, quicquid boni operatur, nec in ipſis bonis operibus ſuis quaſi habens bonum quod non accepit, gloriatur &c. quieſcit à priſtinis operibus, ut jam in novitate vitæ ambulans Deum in ſe operari cognoſcat.* ** Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 71. *Dies ſeptimus ſanctus vobis vocabitur, non facietis in eo opus ullum* λατρευτὸν *ſervile, verùm quæcunq; fient omni animæ.* Per λατρείαν hoc loco ſervitutem intelligit. *Nihil igitur*, inquit, *ſervilium rerum ac vos ab otio in Dei cultu collocando tanquã ſervos abſtrahentium die Sabbati facietis, nec quod vos peccatorũ pondere deprimat. Eſt n. recreationis ac remiſſionis dies, nec ipſius dignitatem vitiorum colligationibus dedecorari contumeliaq; affici convenit, Quod a. ſequitur, nimirũ quæcunq; fiunt ea animæ fieri oportere, per hæc verba ea omnia, quæ animæ lucrum afferunt, expleri præcepit h. e. precationem, quietẽ, admonitionem, beneficentiam, pudicitiam, continentiam, veritatem, puritatem &c.* ** Abſque hoc ſpirituali Sabbatho non placet Deo externa Sabbathi obſervatio: quinimò in figuram iſtius ſpiritualis Sabbathi obſervatio ceremonialis Sabbathi fuit inſtituta. Iren. lib. 4. c. 30. *Sabbatha perſeverantiam totiꝰ diei erga Deum deſervitionis docebant.* 6. Eſt *Sabbathum æternum*, in quo & animâ & corpore à peccatis, calamitatibus & miſeriis hujus vitæ requieſcemus. Eſa. 66. v. 23. *Erit Sabbathum ex Sabbatho* Hebr. 4. v. 6. *Supereſt introire quoſdam in requiem.* v. 9. *Proinde relinquitur Sabbathiſmus populo Dei.* Orig. homil. 23. in Num. *Ultra hunc mundũ eſt veri Sabbathi obſervatio.* Hoc Sabbathum inchoatur in renatis per ſpirituale Sabbathum hujus vitæ, & conſumabitur tandem in futura vita, in qua *Deus erit omnia in omnib.* 1. Cor. 15. v. 28. ** *Q. an Sabbatum fuerit ante Moſen uſitatum?* Moſes quidem dicit, *Deum ſeptimo die quieviſſe*, ſed non addit vel benedictionẽ vel ſanctificationem creato homini per mandatum injunctam fuiſſe, nec ullũ extat veſtigiũ ſanctificationis diei ſeptimi in Geneſi ante promulgationem legis. Unde Rabini in Bereſchit Kabba dicunt. *Abraham non obſervavit Sabbatum*, unde in ipſa promulgatione legis non tantùm ceſſationis à creatione ſed etiam liberationis ex Ægypto memoriale ſtatuitur.**

140. Quæ-

Quo fine Sabbathū inſtitutum.

140. Quæritur ſecundò, *Quo fine Sabbathum Moſaicum fuerit à Deo inſtitutum?* Reſp. Fines ſunt complures. 1. ut eſſet certus dies, in quo publici Eccleſiæ congreſſus inſtituerentur, ac doctrina de vera Dei agnitione publicè proponeretur. Levit. 23. v. 13. *Die ſeptimo eſt Sabbathum quietis, congregatio ſancta.* Quò pertinent ſacrificia, preces, hymni &c. quibus verè ſanctificatum fuit Sabbathum. 2. Ut perpetuum memoriale articuli de creatione extaret, quò reſpiciunt verba hujus præcepti. Exod. 20. v. 10. *Sex diebus operaberis &c. Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, ſed requievit die ſeptimo.* 3. Ut monumentum eſſet liberationis ex ſervitute Ægyptiaca, & gratiarum actionis Deo debitæ pro quiete à laboribus, quos in Ægypto ſuſtinuerant graviſſimos. Deut. 5. v. 14. *Die ſeptimâ Sabbathum erit Iehovæ,* v. 15. *& memineris quod ſervus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Iehova Deus tuus ex ea, in manu forti & brachio extenſo, idcircò præcepit tibi Deus, ut faceres diem Sabbathi.* 4. Ut brutis ac hominibus concederetur quies corporalis, brutis quidem propter homines, hominibus autem propter cultum divinum Exod. 20. v. 10. *Non facies ullum opus, nec ſervus tuus, nec jumentum tuum.* 5. Ut commonefierent Iſraelitæ, de Sabbatho ſpirituali ac interno, de Sabbatho redemtionis, quod Chriſtus egit in ſepulchro ac de Sabbatho æterno Exod. 31. v. 13. *Sabbathum meum cuſtodietis, quia ſignum eſt inter me & vos.* Ezech. 20. v. 12. *Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent ſignum inter me & eos.* Auguſtin. 4. de Gen. ad lit. c. 11. *Dici probabiliter poteſt, obſervandum Sabbathum Iudæis fuiſſe præceptum in umbra futuri, quæ ſpiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo hujus quietis ſuæ fidelibus bona opera facientibus arcanâ ſignificatione pollicebatur.* ** Reuchl. lib. 3. de Cabala. Cabaliſtę dicunt, *Sabbathū eſt myſteriū Dei vivi. Extat namq; ſymbolū mūdi ſuperioris id eſt, jubilæi æternitatis, ubi ceſſat omnis labor. Quare gemino dicendi uſu legibus indicitur.* Deut. 5. *Obſerva diē Sabbathi, q; vult referri ad actiones exteriores juxta mundum inferiorem. Dein Exod. 20. memora diem Sabbathi ad ſanctificandum illū videl. animæ vires conjungendo menti ad contemplationis profectū juxta mundum ſuperiorem.* Vide ibid. plura & conjunge Galat. lib. 11. cap. 8. & ſeq. **

Cur in locum Sabbathi ſucceſſerit dies primus ſeptimanæ.

141. Quæritur tertiò. *Cur in locum Sabbathi Iudaici primus ſeptimanæ dies in Novo Teſtamento ſacris ſit deſtinatus?* Reſp. De abrogatione Sabbathi dicetur inferiùs, hoc loco explicandum, quare primus ſeptimanæ dies publico cultus divini exercitio ab Apoſtolis deſtinatus ſit. (id q; peculiari conſtitutione Conſtantini fuit poſteà confirmatum, referente Euſebio lib. 4. de vita Conſtantini cap. 18. ** Apoſtolos verò primum ſeptimanæ diem in celebrandis conventibus obſervaſſe, colligi poteſt ex Act. 20. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2. ubi μία σαββάτων eſt *primus ſeptimanæ dies.* Hæc dies præ cæteris eſſe hanc ob cauſam ſacris conventibus videri poteſt convenientior quia Chriſtus octavo die poſt reſurrectionem ſc. hac prima die congregatis ſuis diſcipulis ſolenniter Miniſterium Apoſtolicū iterum concredidit Johan. 20. **) Cauſa primaria ac potiſſima eſt, quòd Chriſtus eo die à mortuis reſurrexit, ut colligitur ex hiſtoria Evangelica Matthæi 28. verſ. 1. Marc. 16. verſ. 1. unde primus ſeptimanæ dies vocatur ἡμέρα κυριακὴ Apocal. 1. v. 10. *Dies Dominicus.* 1. Quemadmodum ſeptimo die requievit Deus ab Hexaëmero creationis opere, in cujus beneficii memoriam Sabbathum in Veteri Teſtamento fuit inſtitutum: ita primo ſeptimanæ die poſt peractum redemptionis noſtræ per mortem ac paſſionem myſterium Chriſtus glorioſè ex mortuis victor rediit, in cujus beneficii memoriam primus ille ſeptimanæ dies in Novo Teſtamento celebratur. 2. Quemadmodum in Veteri Teſtamento Sabbathum inſtitutum, ut eſſet memoriale liberationis ex Ægypto, Deut. 5 v. 15. ita in Novo Teſtamento dies Dominicus eſt memoriale ſpiritualis noſtræ liberationis ex regno & captivitate Satanæ per Chriſti reſurrectionem nobis partæ, cujus typus fuit illa ex Ægypto Iſraelitarum eductio. 3. Per Chriſti mortem ac reſurrectionem facta eſt ceremoniarum Leviticarum ac umbrarum legalium abrogatio, inter quas cùm & Sabbathum numeretur, Coloſſ. 2. verſ. 17. ideò mutatio Sabbathi in diem Dominicum, publicum eſt teſtimonium, liberatos eſſe Chriſtianos ab umbris legalibus & diſcrimine dierum divinitùs olim ſancito. Ignatius Epiſtola 3. ad Magneſ. ἑορταζέτω πᾶς ὁ φιλόχριστος τὴν κυριακὴν τὴν ἀναστάσιμον (reſurrectioni conſecratum) τὴν βασιλίδα τὴν ὕπατον (reginam ac principem) πασῶν τῶν ἡμερῶν. Nec abſurdè additur, hac in parte ad articulum etiam creationis habitum fuiſſe reſpectum, ſiquidem primo ſeptimanæ die lux à tenebris in prima creatione diviſa eſt. Juſtinus Apolog. 2. p. 77. τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. *Die Solis communiter omnes conventum agimus, quia dies primus eſt, quo Deus tenebras & confuſam materiam depellens mundum fecit, & Ieſus Chriſtus Salvator noſter eodē die ex mortuis reſurrexit.* ** Aug. 136. de tēp. t. 10. col. 186. *Univerſa Sabbathi gratia & antiqua illa feſtivitas populi Iudæorum diei iſtiꝰ* (Dominicę) *ſolennitate mutata eſt. Illi in Sabbatho non faciebant opus ſervile, nos in die Dominica opus ſervile non facimus, quia peccatis & vitiis non ſervimus. Illi de domibus ſuis non egrediebantur & nos de domo Chriſti non egredimur. Sumus enim in Eccleſia. Illi non accendebant ignem in die Sabbathi, nos è contrario accendamus in nobis ignem SS. & omne vitium excoquamus peccatorum, de quo igne Dominus ait:* ignem veni mittere in terram. *Illi per diem Sabbathi non ambularunt in itinere, perdiderunt enim eum qui dixit;* ego ſum via. *Nos autem dicimus,* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, &c. De prærogativis diei Dominicæ latè tractat Blaſius Viegas in comment. Apocal. cap. 1. p. 55. *Orig.* in cap. 16. Exod. ſtatuit *die Dominica primum manna in deſerto pluiſſe*, idque ex Moſe colligit, addens. *Si die Dominica pluit manna de cœlo & in Sabbatho non pluit, intelligant Iudæi jam tunc prælatam fuiſſe Dominicam noſtram Iudaico Sabbatho & indicatum quod in Sabbatho ipſorum gratia à DEO ad eos de cœlo nulla deſcenderit.* Eadem eſt ſententia *Ambroſii* in 1. Corinth. 10. *Auguſt.* ſerm. 257. de temp. Synodi Cæſarienſis quam refert Beda

Epiſt;

Digitized by Google

Epiſt. de celebr. paſch. Sex enim integris diebus continuò pluit manna ſcil. à die Dominica uſque ad feriam ſextam incluſivè. Förſterus in theſ. Catech. Decad. 1. probl. 8. *SS. Trinitas ſingulari ſtudio & conſilio diem ſeptimanæ primam in perpetuam beneficiorum ſuorum cardinalium ἀνάμνησιν ſolenniter conſecrare voluit. Et pater quidem opere creationis, quod eo die cœptum; Filius verò opere redemtionis, quod die iſto reſurrectione ſua abſolvit. Spiritus denique ſanctus opere ſanctificationis ad quod ea diſcipulis Chriſti peragendum, eo die ἀφθόνως effuſus fuit.***

An ſimpliciter opera œconomica & politica Sabbatho ſint prohibita.

142. Quæritur quartò. *Num abſolutè & ſimpliciter opera hujus vitæ œconomica ſcilicet & politica Sabbatho ſint prohibita?* Reſp. Judæi in obſervatione Sabbathi admodũ ſuperſtitioſi ſunt, ſed meminerimus ſcopum hujus præcepti eſſe, ut ſanctificetur, hoc eſt, ſanctis operibus Sabbathum tranſigatur: quæcunque igitur opera non impediunt vel remorantur publicum divini cultus exercitium, non ſunt in hoc præcepto prohibita; ac in N. T. majorem libertatem eſſe docet Chriſtus Matth. 12. v. 1. Johan. 5. v. 8. Luc. 14. v. 5. quinimò ſi vel neceſſitas vel proximi dilectio quædam opera Sabbatho exigat, illis contra hoc præceptum non peccatur. Extat hac de re verſiculus complectens quatuor caſus, in quibus Sabbato operari liceat:

Parva, neceſſarium, Reſpublica cum pietate.

Matth. 12. v. 1. *Diſcipuli in fame vellunt ſpicas Sabbatho* verſ. 12. *Licet Sabbathis benefacere.* Luc. 13. verſ. 15. *Nonne unusquisque veſtrûm ſolvit bovem ſuum aut aſinam à præſepio & ducit aquatum?* Luc. 14. v. 5. *Cujus veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahat eum die Sabbathi?* Iren. lib. 4. c. 19. p. 244. *Continere ſe jubebat lex ab omni opere ſervili, id eſt, ab omni avaritia, quæ per negotiationem & reliquo terreno actu agitatur: animæ autem opera, quæ fiunt per ſententiam & ſermones bonos in auxilium eorum, qui proximi ſunt, adhortabatur fieri.* De his caſibus intelligenda eſt l. omnes 3. C. de feriis. *Omnes judices urbaneq́; plebes & cunctarum artium officia venerabili die Solis quieſcant. Ruri tamen poſiti agrorum culturæ liberè licenterq́; inſerviant (quoniam frequenter convenit, ut non aptius aliâ die frumenta ſulcis aut vineæ ſcrobibus mandentur) ne occaſione momenti pereat commoditas cœleſti proviſione conceſſa.* Et cap. pervenit de conſecr. diſt. 3. *Pervenit ad me quoſdam perverſi ſpiritus homines prava inter vos aliqua & ſanctæ fidei adverſa ſeminaſſe, ita ut die Sabbathi aliquid operari prohiberent, quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerimus, &c.* Extra caſum neceſſitatis ſervilibus & œconomicis operibus profanatur Sabbathum. Improbamus igitur ſeriò quod ſcribit Toletus Jeſ. inſtruct. l. 4. c. 25. *Licet iter facere (audito prius ſacro) & venari, licet ſtudere ſuper lites propter pecuniam. Licet carnes vendere, animalia occidere ad victum propter pecuniam, licet in ſolennitatibus conſtruere loca pro ſpectaculis, quando nõ poſſunt fieri niſi in feſto.*** Caſaub. exerc. 1. ad ann. Baron. cap. 9. p. 66. *In univerſum pronunciant Rabini omne periculum præſens amittendæ vitæ impellere Sabbathum. Ipſi dicere ſolent* מסכנת נפש דוחה שבת *Joſephus p. 670. id ita dixit.* ὑπὲρ μόνου τοῦ σώματος ἀμύνεσθαι καὶ τοῖς σάββασι pro ſolo corpore etiam in Sabbatis reſiſtere licet, *ubi corpus eſt quod Rabinis* periculum animæ. *Philo* in libro περὶ ἀποικίας refert *fuiſſe nonnullos doctores, qui docerent τοὺς ῥητοὺς νόμους εἶναι σύμβολα νοητῶν πραγμάτων leges ſcriptas eſſe ſymbola rerum intellectualium.* Hi obſervationem Sabbati ſecundum literam non magni faciebant, quos propterea Philo ibi repræhendit & ſcortatur, ut ſententiam mutent. Contrà alii Judæi τῷ ῥητῷ nitentes ceſſandum ſine ulla exceptione ſtatuebant ac ne hoſti quidem jugulanti eſſe reſiſtendum. Temperavit hunc rigorem Matathias Maccabæus quo autore decretum, ut hoſte vitam eripiente inſuper habere Sabbatum fas eſſet, ut refertur 1. Macc. 11. v. 41. Joſeph. lib. 12. c. 8. *Matthæus Paris* in anno 1260. Eodem tempore apud Theoceſbery quidam Judæus cecidit in latrinam, ſed quia tunc erat Sabbatum, non permiſit ſe extrahi niſi ſequente die Dominica propter reverentiam ſui Sabbathi, quamobrem Judæum mori contigit in fœtore. Simile Hiſtoriam de alio Judæo, qui in latrinam itidem die Sabbati inciderat, narrat *Munſterus* ad cap. 12. Evang. Hebraici ſecundum Matthæum. *Azorius* tom. 1. lib. 7. Inſtit. cap. 7. p. 551. *Intermiſſionem cultus divini concedit. Suarez* lib. 2. de feſtor. obſervat. cap. 1. num. 3. fol. 153. ſtatuit, *Deum diem ſeptimum dedicaviſſe ad ſuum cultum in mente & propoſito, non in executione.* Item, *Deum non poſuiſſe obligationem aut legem ſanctificationis Sabbathi. Cajetanus* in Thom. 2. q. 122. art. 4. Suarez fol. 154. *Deum feciſſe cultum Sabbathi in ipſa exteriori quiete ab operibus ſervilib9, & non præcepiſſe actum ſed tantum ceſſationem ab actu. Alberic. Gentil.* lib. 1. de nupt. cap. 6. probat, *die Sabbathi licitum eſſe fruges invehere, ſi Eccleſiaſtica non impediantur per l. 3. C. D. feriis.* 1. *Dii facientem adjuvantem,* Varro. 1. de re ruſt. *& oportet manus admoventem Deorum opem invocare.* 2. Etiam feſtis quædam exercere diebus, fas & jura ſinunt. 3. non exiguntur neceſſariò integri dies, qui cultui divino tribuantur Covan. lib. 4. variar. reſol. c. 19. 4. licuit ovem erigere in Sabbatho & eſurientibus ſpicas frumenti excutere. 5. *licet diebus feſtis piſcari propter neceſſitatem & capere debitorem fugitivum.* Panorm. cap. 3. de conſuet. 6. *Sabbatum non mutatum in diem Dominicam ſed abrogatum.* Bernh. hom. 30. in Cant. 7. Sic nec mandatum, ut Dominico abſtinerent homines à laboribus quotidianis tradunt Theologi 8. Si licet vacare libris, cur non & aratris, num vocationum acceptio apud Deum.**

Explicatio quarti præcepti.

143. Præceptum quartum: *Honora Patrem & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Partes duæ ſunt: Præceptum & promiſſio. Præceptum eſt, Honora Patrem & Matrem. Promiſſio, ut ſis longævus ſuper terram. 1. Nominatur Pater, quâ appellatione eum, à quo geniti ſumus, denotari nemo ambigit. Sed Spiritus ſanctus hoc nomen aliis etiam tribuens veram hujus præcepti explicationem nobis monſtrat. Dicuntur enim Patres omnes majores in linea aſcendente Joh. 6. verſ. 58. Doctores Eccleſiæ: 2. Reg. 13. v. 14. Galat. 4. v. 19. Præceptores: 2. Reg. 2. v. 12. Magiſtratus: Geneſ. 41. v. 43. Domini: 2. Reg. 5. v. 15. Seniores; 1. Tim. 5. v. 1. Tutores ac Curatores: Joh. 19. v. 26. Patroni: Job. 29. v. 16. Artifices Magiſtri: Geneſ. 4. v. 20. illi ergò omnes pertinent ad hoc quartum præceptũ.

Patrem.

2. Quam-

2. Quamvis in genere omnes ſuperiores honorandos eſſe, ſancire DEUS hoc præcepto voluerit, tamē parentum diſerta ſit mentio, quia Oeconomica ſocietas eſt fundamentum Politiæ, & quia hæc apellatio admonet Magiſtratus, Præceptores, Dominos ac ſuperiores omnes, ut paternum erga inferiores fidei ac curæ ſuæ commiſſos animum induant, præſertim verò quia paterna prærogativa peculiarem quendam affectum requirit, unde primus locus in altera Decalogi tabula datur parentibus, qui proximo poſt DEUM loco ſunt habendi ac honorandi.

& Matrē

3. Patri additur mater, ne propter ſexus imbecillitatem ac judicii infirmitatem leviùs de ea ſentiatur. Eccleſ. cap. 7. v. 29. *Dolorem matris tuæ ne obliviſcaris.* 4. Non dicitur ſimpliciter, Honora Patrem & Matrem, ſed additur, *Honora Patrem tuum, & matrem tuam*, quibus vocabulis proponitur *αἰτιολογία* hujus præcepti ideò honorabis Patrem, quia eſt tuus Pater, à quo genitus & educatus es: ideò honorabis matrem, quia ex ea non ſine maximis difficultatibus ac doloribus in hanc vitam editus es. *Qui liberos ad vitam produxerunt, ſunt effigies & ſimulachra divini Numinis*, ait Philo de ſpecial. ll. pag. 489. 5. Nulla additur conditio, quales parentes ſint honorandi, ſed ſimpliciter dicitur, *Honora Patrem tuum & Matrem tuam*; Qualeſcunque tandem ſint, ideò honorandi ſunt, quia parentes tui ſunt. Qui parentes ideò honorat, quia divites, honorati ac potentes ſunt, non tàm prærogativam paternam, quàm divitias, honorem ac potentiam in illis honorat. 6. Jubentur parentes honorari.

tuam

Honora.

In Hebræo eſt כַּבֵּד quod importat ejus perſonæ ſeu rei, de qua dicitur, intenſionem atque excellentiam. Debetur PARENTIBUS non ſolùm honor, ſed etiam Dilectio, Timor, Obœdientia, &c. Sed hæc omnia ſapientiſſimus Legislator uno honorandi verbo complexus eſt, Qui enim verè & ex animo parentes honorat, is eoſdem diliget, verebitur ac debitam obœdientiam illis exhibebit. 7. Denique quia præceptum de honorandis parentibus in ſecundam tabulam rejectum fuit, ex eo evidenter colligitur, deberi quidem parentibus honorem, obœdientiam & dilectionem, interim tamen DEO, qui eſt *Pater ſpirituum*, Hebr. c. 12. v. 9. *Ex quo omnis paternitas in cœlis ac ſuper terram nominatur*. Epheſ. c. 3. v. 15. majorem honorem, obœdientiam & dilectionem deberi.

Vt ſis longævus ſuper terrā.

144. Promiſſio præcepto addita obœdientibus vitam longævam promittit; *Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus*, in Hebræo eſt, *ut prolongetur*, vel *ut prolongent ſe dies tui ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*. 1. Hæc promiſſio accuſat Naturæ noſtræ corruptionem, quòd non niſi propoſito præmio in honorandis parentibus DEO obſequimur, cùm tamen ipſa Natura dictitet, honorandos eſſe vitæ noſtræ autores. Malach. 1. v. 6. *Nonne filius honorare debet parentem.* Valer. Max. lib. 5. memorab. c. 4. dicit: *Primam eſſe naturæ legem, ut parentes diligamus.* 2. Teſtatur, quanti faciat Deus honorem parentum. Expendit hoc D. Apoſtolus Eph. 6. v. 2. *Honora Patrem tuum, &c. quod eſt mandatum primum in promiſſione.* 3. Obſervanda etiam promiſſionis æquitas ac legislatoris in ea promulganda ſapientia. *Qui enim parentes honorat, is vita ſua corporalis autores honorat, æquum igitur eſt, ut vitâ hac diu perfruatur*: Ita Lyranus hoc loco. 4. Promiſſio hæc Epheſ. cap. 6. v. 3. ita exponitur, *ut benè ſit tibi & ſis longævus*, quia longævitas abſque proſperitate ac fœlicitate, moleſta potiùs quàm grata eſt. 5. Diſtinguendum in hac promiſſione ſpeciale à generali. Quod enim terra Canaan deſignatur, id ſpeciale eſt & ad ſolos ISRAELITAS pertinet, ideò D. Apoſtolus in repetitione promiſſionis pericopen illam omittit, ac ſimpliciter dicit, *ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*, Epheſ. 6. verſ. 3. 6. Quamvis promiſſio huic præcepto addita ſit corporalis, tamen per eam non excluduntur promiſſiones futuræ vitæ, ſed ut Apoſtolus pronunciat 1. Tim. 4. v. 8. *Pietas* (cujus pars non poſtrema eſt parentum honor & reverentia, quæ ipſo pietatis nomine *εὐσεβείας* accepto quandoque notatur) *habet præmia præſentis & futuræ vitæ*, ideò ex aliis ſcripturæ locis explicationes hujus promiſſionis colligendæ ſunt, ex quibus manifeſtum fiet, non tantùm corporalia, ſed & ſpiritualia, non tantùm terrena, ſed & cœleſtia ac æterna præmia manere eos, qui in honorandis parentibus debitum Deo obſequium præſtant. 7. promittitur *μακροβιότης* in terra, quam Dominus Deus dabit, quæ eſt tacita admonitio, ut cogitent Iſraëlitæ, à Deo ſibi contingere promiſſæ terræ occupationem, æquum igitur eſſe, ut debitum in ea præceptis divinis præſtent obſequium, maximè cùm DEUS ſibi reſervaverit jus iterum adimendi Iſraelitis regionem illam promiſſam, ſi præceptorum ſuorum parùm memores eſſe velint.

145. Ex his fundamentis facilè colligitur, quæ ſint virtutes quarti præcepti. *Virtutes in quarto præcepto requiſita.* Finis ac ſcopus præcepti eſt conſervatio ſocietatis œconomicæ ac politicæ in mutuis ſuperiorum & inferiorum officiis. Superiores jubentur ab inferioribus honorari & parentum nomine denotantur. Traditur igitur ſuperioribus hæc regula, ut reipſa parentes ſe exhibeant erga inferiores, ac tales ſe præſtent, ut honorificè ac reverenter de ipſis ſentiatur. Inferioribus hæc regula traditur, ut honorent ſuperiores, ubi appellatione honoris omnia omninò officia ſuperioribus debita comprehenduntur. Parentum nomine propriè ac potiſſimùm intelliguntur *Patres carnis*, Hebr. 12. v. 9. quorum officium Eph. 6. *Parentum officium.* verſ. 4. revocatur ad hæc capita: 1. *Educent liberos*, proſpiciant illis de victu & amictu, defendant contra injurias. Matth. cap. 7. v. 9. *Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei.* 1. Tim. 5. v. 8. *Qui domeſticis non providet, infideli deterior eſt.* 2. Corinth. 12. v. 14. *Parentes debent filiis theſaurizare.* Huc referendum, quòd tenentur parentes proſpicere liberis de honeſto artificio, quo ſe olim ſuſtentent, de conjugio, &c. Baſil. in enarr. Pſal. 7. *Parentum eſt colligere liberis, ut præter hoc quod ad vitam illos genuerunt, etiam vivendi ſubſidia ſubminiſtrent.* 2. Inſtituant in vera cœleſtis doctrinæ cognitione vel aliis inſtituendos tradant, neque enim naſcitur nobiſcum Dei noticia, ſed teneris mentibus inſtillanda eſt. Hûc referendum, quòd tenentur parentes adducere ſecum liberos ad templa, ablegare eos ad ſcholas. 3. Regant eos domeſticâ diſciplinâ Proverb. 22. verſ. 15. *Stultitia colligata eſt in corde pueri, virga correctionis elongare faciat eam ab eo.*

Proverb. 23 verſ. 13. *Ne ſubtrahas à puero correptionem.* Confer c. 29. verſ. 17. Eadem ſunt officia Tutorum ac Curatorum, qui in parentum locum ſuccedunt. Pugnant cum his paterni officii partibus. 1. non quærere aut ſuppeditare liberis neceſſaria, quod Apoſtolus vocat *τῶν οἰκείων οὐ προνοεῖν* non tueri eos contra injurias, nō adhibere ad labores, ad honeſta opificia, &c. educare eos in luxu. *Actum eſt de civitate, in qua pueri veſtiuntur purpurâ*, dicebat Plato. 2. Non erudire liberos in vera doctrina, nec aliis erudiendos tradere, peſſimæ vitæ exemplo eos corrumpere, delicta juventutis coram liberis recenſere. 3. Diſciplinam domeſticam negligere, quod Rex ſapiens vocat *virga parcere*, Proverb. 13. verſ. 24. præpoſterâ indulgentiâ ad delicta liberorum connivere, vel in caſtigatione non adhibere debitam moderationem, ob rem qualemcunque iraſci ac debacchari in liberos, quod Apoſtolus Epheſ. cap. 6. verſ. 4. vocat *παροργίζειν*, nimiâ erga eos ſeveritate uti, ac nimis durâ tractatione animos eorum abalienare, diris eos devovere, quas imprecationes ſuum quandoque juſto DEI judicio ſortiri effectum, demonſtrant exempla apud Lazium in Geneal. Auſtriac. lib. 2. & Camerar. parte 1. ſucciſ. hiſt. cap. 86. *Pudore & liberalitate retinere liberos ſatius eſſe, credo quam metu*, dicit apud Comicum Mitio.

Liberorũ officium. 146. Liberorum officium eſt parentes honorare nimirum *ſermone, opere ac patientiâ* Eccleſ. c. 3. v. 8. Requiritur igitur 1. interior reverentia, quâ parentum autoritas divinitùs conſtituta agnoſcatur Epheſ. 6. verſ. 1. *Filii obœdite parentibus in Domino*, agnoſcite Deum hoc conſtituiſſe ac mandaſſe. 2. Exterior honor ac reverentia in verbis ac geſtibus, de quibus enim honorificè & reverenter ſentimus, illos etiam exteriùs honoramus. Eccleſ. cap. 3. verſ. 8. *Qui timet DEUM, honorat parentes ſermone.* 3. Amor, hic enim cohæret cum reverentia & ex ſeria beneficiorum, quæ à parentibus contingunt, æſtimatione oritur, Matth. 10. verſ. 37. *Qui patrem aut matrem plus diligit quàm me, &c.* 4. Obœdientia, quæ eſt pars honoris: quos enim verè & ex animo honoramus, illorum etiam juſſis obſequimur. Epheſ. 6. verſ. 1. *Filii obœdite parentibus in Domino.* 5. *ἐπιείκεια*, quâ patienter tolerentur nævi ac infirmitates parentum, itidem oritur ex vero & ſincero honore parentibus debito, Eccleſ. 3. verſ. 8. *Qui timet Dominum, honorat parentes patientiâ.* 6. Gratitudo, quæ non minùs ad honorem illum requiritur, quâ *ἀμοιβαὶ* redduntur *τοῖς προγόνοις* definiente Apoſtolo 1. Tim. 5. verſ. 4. Græci pulcerrimâ appellatione nominant *ἀντιπελαργίαν καὶ ἀντιπελάργησιν, quia Ciconiæ ſenes volandi impotes nido ſe continent, ex his prognata terrâ marique volitant & cibos parentibus afferunt*, ut ſcribit Philo de Decal. p. 483. Pugnat igitur cum his liberorum officiis. 1. Non agnoſcere *τὸ θεῖον* in parentibus, non habere eos loco eo, in quem divinitùs conſtituti. 2. Nullam verbis vel geſtibus reverentiam illis exhibere. 3. Odio eos proſequi, non agnoſcere beneficia, quæ per illos Deus nobis præſtat. 4. Parentibus immorigerum eſſe, eos lædere, percutere, furtim aliquid ipſis ſubtrahere, abſque conſenſu ipſorum conjugium contrahere; vel etiam in rebus impiis ac illicitis obœdientiam eis præſtare. 5. Parentes ſubſannare, infirmitates eorum exagitare, ac ignominioſè traducere. 6. Nullam illis gratiam rependere, ſenio affectos non ſuſtentare, ac pro virili juvare, &c.

Officium præceptorũ ac diſcipulorum. 147. De officiis Magiſtratus ac ſubditorum peculiari capite ſuo loco dicetur. Quæ ſint præceptorum erga diſcipulos, dominorum erga ſervos, miniſtrorum erga auditores & in genere ſuperiorum omnium erga inferiores, viciſſim etiam quæ inferiorum erga ſuperiores officia, id per analogiam quandam ex illis, quæ dicta ſunt, facili negotio colligitur. Præceptores induant parentum animum erga diſcipulos, cùm ſint veri animorum parentes. Viciſſim diſcipuli amore ac reverentiâ filiali Præceptores ſuos proſequantur. Quint. l. 2. Inſtit. c. 10. *Diſcipulos id unum moneo, ut Præceptores ſuos non minùs quàm ipſa ſtudia ament, & parentes eſſe non quidem corporum ſed mentium credant, multùm hæc pietas ſtudio confert.* De officiis Dominorum præcipitur Eccleſ. 7. verſ. 23. cap. 33. verſ. 30. & ſeqq. Coloſſ. 4. v. 1. Epheſ. 6. verſ. 9. &c. de officiis ſervorum. Coloſſ. 3. verſ. 22. Epheſ. 6. verſ. 5. & ſeqq. 1. Pet. 2. v. 18. &c. de ſenioribus. Tit. 2. v. 2. & ſeqq. de junioribus. 1. Tim. 5. v. 1. Tit. 2. v. 6. 1. Pet. 5. v. 5.

An etiam ſpurii obligentur ad honorandos parentes. 148. Quæritur hoc loco: 1. *An etiam ſpurii obligentur hoc præcepto ad honorandos parentes?* Reſp. Sanè maximâ ignominiâ ſpurii à parentibus afficiuntur: jure civili Hebræorum *non licebat eis ingredi in concionem* Deut. 23. verſ. 1. hoc eſt, publicum aliquod officium civile vel Eccleſiaſticum adminiſtrare; jure civili prohibentur patri ſuccedere, adeò ut ne alimenta quidem petere poſſint l. ex complexu C. de inceſtis nuptiis. Unde videri poſſent tales parentes nullo amore digni; ſed enim quia manet obligatio naturalis & conjunctio ſanguinis, ideò æquum eſt, ut tales liberi diſſimulatâ parentum injuriâ præſtent ea, quæ ſunt ſui muneris. *Si enim injuriam à proximo illatam eidem condonare Chriſtianâ religione jubemur, quantò magis parentibus hæc dilectio fuerit exhibenda*, ut ſcribit D. Rungius in c. 20. Exodi.

Quando parentes ſint odio habendi. 149. Quæritur ſecundò. Cum jubeantur parentes honorari, quare & quo ſenſu dicat Chriſtus Luc. 14. v. 26. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & matrem, &c. non poteſt eſſe meus diſcipulus?* Reſp. *Chriſtus non venit, ut ſolveret legem*, Matth. c. 5. v. 17. quinimò legem de honorandis parentibus contra Phariſæorum corruptelas diſertis verbis urget & explicat Matthæi 15. verſ. 4. & ſeqq. ergò verba Chriſti Luc. c. 14. v. 26. non abolent ſed determinant honorem ac obœdientiam parentibus debitam, nimirum quòd in caſu confeſſionis honor parentum poſtponendus ſit honori Dei, *odiſſe* enim non hoſtilem quendam affectum notat, ſed parentum amori dilectionem cœleſtis patris præferendam eſſe monet, uſitatum enim eſt in lingua Hebræa verba & nomina quandoque poni pro contrariis negatis. Sic odiſſe dicitur, qui non amat vel obtemperat. Hanc explicationem ſuorum verborum tradit Chriſtus ipſe Matth. 10. v. 37. *Qui patrem & matrem plus diligit, quàm me, non eſt me dignus. Amandus eſt genitor, ſed præponendus eſt creator, nec debes plus amare beneficium quam benefactor*, ut ſcribit Ambroſius in

cap.

cap. 12. Lucæ. Hûc pertinet quod Apoſtolus jubet *obœdire parentibus in Domino*, Epheſ. c. 6. v. 1. non ſolùm propter Dei mandatum, ſed etiam ut Deo magis obœdiatur, quàm parentibus, Actor. 5. v. 29.

An μακροβιότης beneficii loco habenda.

150. Quæritur tertiò; *Num poſſit beneficii ac præmii loco μακροβιότης haberi, cùm hac vita ſit labor ac dolor, à quo citiùs liberari, beneficii loco potiùs ſit habendum?* Reſp. Sanè non poteſt omni ex parte negari, verum eſſe quod Nazianzenus ſcribit Orat. funebri de fratre Cæſar. *Longius vitæ ſpacium nobis hoc afferre, ut plura mala partim videamus, partim ſuſtineamus, partim perpetremus*: quibus malis citò defunguntur, qui obſtetricante morte ad veram in cœlo vitam præmaturè transferuntur, ſed hoc ex accidenti eſt, interim longævitas in ſe ac per ſe eſt Dei donum, piis loco præmii promiſſum. Quamvis enim in hac vita pii ſint ſubjecti variis calamitatibus, ut hac ratione vitæ productio videatur calamitatum prolongatio: tamen in ipſa cruce ſentiunt DEI præſentiam & auxilium, quin & norunt *paſſiones hujus temporis non eſſe condignas ad futuram GLORIAM*, Roman. cap. 8. verſ. 13. Unde etiam *gloriantur in afflictionibus*; Roman. cap. 5. v. 3. utpote τῇ ἐλπίδι χαίροντες Rom. c. 12. v. 12. adde quòd piis etiam in hac vita calamitates mitigentur, quòd ſuâ confeſſione ac vitæ exemplo alios ad veram doctrinam invitent, quòd in veritatis cœleſtis cognitione ipſimet creſcant & confirmentur, quòd variis DEI beneficiis corporalibus ac ſpiritualibus perfruantur. Vita æterna majus bonum eſt, interim longævitas hujus vitæ non deſinit eſſe bonum, inde 1. Tim. 4. v. 8. hujus *& futuræ vitæ præmia* conjunguntur, ut admoneamur, eatenus præſentis vitæ commoda expectanda eſſe, ut majorem interim æternorum habeamus rationem; propter Pædagogiam legalem populo Iſraëlitico terrena plerunque promiſſa proponebantur, ſed in N. T. potiſſimùm cœleſtia bona promittuntur, quamvis interim utrobique tàm in V. quàm N. T. verum ſit Apoſtolicum illud pronunciatum, quòd *pietas habeat præmia præſentis & futuræ vitæ.*

Cur morigeri liberi quandoq; non ſint longævi.

151. Quæritur quartò, *Quâ ratione conſiſtat liberis morigeris vitæ longævitatem præmii loco promitti, cùm quandoque contingat morigeros non eſſe longævos, contra verò immorigeros eſſe longævos?* Reſp. Obſervandi hac de re Canones Theologici. Promiſſiones bonorum corporalium intelligendæ ſunt cum exceptione caſtigationis & crucis. Item potiſſima præmia ac pœnę differuntur ad futurum judicii diem. Mors præmatura ſi contingat piis ac morigeris liberis, non eſt iræ divinæ judicium, ſed potiùs gratiæ exuberantis ſignum. Sap. 4. v. 7. *Iuſtus, etiamſi præmaturâ morte obeat, quiete tamen perfruitur.* v. 10 *Quoniam Deo placuit, carus ei fuit, & cùm inter peccatores viveret, translatus eſt.* v. 11. *Raptus eſt ne malitia mentem ejus immutaret, &c.* Unde beneficii loco quibuſdam contingit *colligi in pace, ne videant oculi illud malum, quod adducit DEUS ſuper terram.* 2. Reg. 22. verſ. 20. Eſa. 53. verſ. 1. & 2. Sin verò impii ac immorigeri præmaturâ morte è regione viventium abſcindantur, locum habet illud Pſalmi 55. verſ. 24. *Viri ſanguinarii & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Proverb. 20. verſ. 20. *Qui maledicit Patri aut Matri ſuæ, ejus lucerna extinguetur in mediis tenebris.* Proverb. 30. v. 17. *Oculum, qui ſubſannat Patrem, effodient corvi torrentis.* Duplici autem nomine impiis malum ac ingratum eſt citò ex hac vita excedere, primò quia privantur deliciis carnis, quibus ſe tradiderunt, deinde quia ad æterna ſupplicia citiùs rapiuntur, quemadmodum è contrario piis duplici nomine bonum eſt citò ex hac vita migrare, tùm ut ex vitæ hujus miſeriis liberentur, tùm ut ad veram quietem ac felicitatem transferantur.

Explicatio quinti præcepti.

152. Præceptum quintum: NON OCCIDES. Finis ac ſcopus præcepti eſt, mutua charitatis officia præſcribere, quibus homines invicem juventur; Nam ex negato colligendum eſt affirmatum: prohibere autem ea, quibus ſalus & incolumitas vitæ humanæ læditur. 1. Abſque ulla vel perſonarum vel modi vel numeri vel inſtrumenti ſpecifica determinatione occidere prohibemur: neque enim dicit Legislator, *Non occidat vir, non occidat mulier*, &c. *non occides parentem, non civem, &c. Non occides publicè, non occides gladio vel fuſte, non occides multos*, ſed in genere, *Non occides*, ut cædes in univerſum prohibita intelligatur. 2. Negativi præcepti ſententia accuſat Naturæ noſtræ corruptionem, per quam ad occidendum proni ſumus. 3. Cùm delicti gravioris appellatione prohibeantur ira, odium, invidia, &c. ſignificatur, quo loco habeantur coram DEI judicio illa peccata, quæ exiſtimamus eſſe leviora. 4. Diſerta interpretatio hujus legis, Matth. c. 5. v. 21. & ſeqq. à Chriſto tradita oſtendit, non externam tantùm, ſed etiam interiorem cædem prohiberi, non manui tantùm, ſed & cordi præcipi, ne occidat, hoc eſt, ne ad cædem propendeat, ne quærat occaſiones ac media cædis, &c. 5. Cùm præceptum de non occidendo ſubjungatur illi, quod tradit parentes honorandos eſſe, quorum nomine etiam Magiſtratus intelliguntur, ex eo apparet Magiſtratum, quatenus eſt perſona publica, & juxta Dei legem de ſceleratis ſumit ſupplicium, non peccare contra hanc legem, id quod evidentiùs probatur ex Geneſ. 9. v. 6. Exod. 22. v. 18. Roman. 13. v. 4. &c.

153. Affirmativa hujus præcepti ſententia proponitur in illa totius ſecundæ tabulæ Epitome Levit. 19. v. 18. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Negativam pulcerrimè exponit Chriſtus Matth. 5. v. 22. *Qui iraſcitur fratri, reus erit judicio, Qui dixerit fratri ſuo: Racha, reus erit conſilio, Qui dixerit ei fatue: reus erit gehennæ ignis.* v. 24. *Reconciliare fratri tuo.* v. 25. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via*; ubi oſtenditur, non ſolùm externis operibus, ſed etiam interioribus cordis motibus, verbis ac geſtibus hoc præceptum violari. Requiritur ergò in hoc præcepto: 1. corde diligere proximum, id eſt complecti eum verâ benevolentiâ, affici vero ac ſerio calamitatum ſenſu, quas in proximo videmus, manſuetum eſſe ac placabilem, amare concordiam, grato animo agnoſcere beneficia à proximo nobis præſtita, tolerare proximi infirmitates. 2. Verbis diligere proximum, hoc eſt, comem atque affabilem ſe præbere, juvare conſilio, erigere conſolatione. Quò pertinent etiam amici ac benevoli geſtus. 3. Opere diligere proximum, hoc eſt, reipſa teſtatum

Virtutes in quinto præcepto requiſita.

facere interiorem dilectionem. Quò pertinent multæ inſignes virtutes, utpote Juſtitia particularis, quæ nullius corpus ac vitam lædit; Beneficentia, quæ exercet opera charitatis. Condonatio fraterna, quæ offenſas remittit; Juſtitia diſtributiva puniens, quâ Magiſtratus divinâ autoritate circumdatus animadvertit in facinoroſos; Fortitudo bellica & togata, quæ ſuſcipit pericula & labores pro defenſione Reipubl. ac propugnat juſtitiam; Amicitia, quæ ex vera & ſincera benevolentia honeſtorum officiorum communicationem inſtituit.

Peccata contra quintum præceptū.

154. Pugnat cum hoc quinto præcepto. 1. Corde occidere proximum, h. e. temerè eidem iraſci, ipſum odiſſe, ipſi invidere, mala contra ipſum cogitare ac machinari, ardere cupiditate vindictæ, inimicitias ac ſimultates fovere, abjectè de proximo ſentire, malis ipſius non affici, nolle ipſi reconciliari, nolle offenſas remittere, ἐπιχαιρεκακεῖν, &c. 2. Linguâ occidere proximum, hoc eſt, ipſi convitiari, malum imprecari, temerè ipſum judicare & condemnare, invicem ſeſe mordere, verborum pugnas concitare, deeſſe conſilio & conſolatione, miſeriæ proximi illudere. Huc pertinent irati geſtus, quibus odium ac malevolentia erga proximum oſtenditur, quos Chriſtus complectitur voce Racha. 3. Ipſo externo opere proximum occidere, quod variis modis contingere poteſt, non tantùm manu, gladio, fuſte, lapide, jaculo, ſed etiam veneno. Quinimò qui efficacem cauſam mortis dedit, occidiſſe judicandus eſt, utpote qui impediunt conceptionem, qui abigunt fœtus per abortionis pocula, qui percutiunt prægnantes, qui libidinibus, luxu aliiſvè modis vitæ ſuæ nocent, qui abſque judicio ignari artis Medicæ ægrotis medicamenta præſcribunt, &c. quod vocant homicidium cauſale. Referendi ad hanc claſſem, qui vel conſilio vel opere vel falſis teſtimoniis adjuvant cædes, qui non defendunt eos, quos tueri à cæde poterant & debebant. Catalogus virtutum oſtendit etiam alia peccata, quibus contra hoc præceptum delinquitur; Sic juſtitiæ particulari adverſantur injuria, violenta vel fraudulenta proximi læſio; Beneficentiæ & Amicitiæ adverſantur, Simulata Amicitia, Inimicitia, Gratificatio in rebus illicitis. Condonationi fraternæ adverſantur Inhumanitas, Malevolentia, Vindicta privata. Juſtitiæ diſtributivæ punienti adverſa ſunt Crudelitas, Tyrannis, nimia lenitas ac indulgentia, προσωποληψία. Fortitudini adverſantur, Timiditas deſerens eos, quibus debetur defenſio ac Temeritas periculis non neceſſariis ſeſe objiciens. Hæc omnia dictis & exemplis Scripturæ ſunt illuſtranda, addendæ etiam promiſſiones ac comminationes de præmiis ac pœnis temporalibus & æternis, in anima, corpore & fortunis, &c. *Diſputare enim de peccatis ſine comminationibus non eſt legem docere, ſed ſolvere,* ut graviter ſcribit D. Chemnit. p. 2. locorum in explicat. 5. præcepti p. 195.

An αὐτοφονία ſit peccatum.

155. Quæritur hoc loco 1. *An αὐτοφονία ſit peccatum contra quintum præceptum?* Reſp. Utique ** αὐτοχειρία enim pugnat. 1. cum lege divina. Non occides. 2. cum lege Naturæ. 3. cum præceptis moralibus, violatur enim fortitudinis officium. (4. cum politia, tollitur civis Reipub. 5. cum jure civili, αὐτόχειρες ſunt infames. Si odium ſuiipſius eſt illicitum utique multo magis αὐτοχειρία. Sed illud Eph. 5. v. 29.

Martialis.

Nolo virum facilè redimit qui ſanguine vitam
Hunc volo laudari, qui ſine morte poteſt.
Rebus in adverſis facilè eſt contemnere mortem,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Auguſt. lib. 2. ad Epiſt. Gaudentii ſecundam cap. 5. *Cùm multi innocentes ab aliis occidantur, à ſeipſo nullus innocens occiditur. Eâ quippe cogitatione quâ occidere ſeipſum molitur, innocentia prius ſpectatur, ut cùm ſe occidit, non innocens moriatur.* Lib. 19. de Civit. DEI cap. 4. *Utrum obſecro Cato ille patientiâ, an potiùs impatientiâ ſe peremit? non enim hoc feciſſet, niſi victoriam Cæſaris impatienter tuliſſet. Ubi eſt fortitudo? nempe ceſſit, nempe ſuccubuit atque adeo ſuperata eſt.* Videatur Lactant. lib. 3. Inſtit. cap. 18. De Lucretia quidam ſic cecinit.

Si fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter
Immeritò ex merita præmia morte petis.
Sin potius caſto vis eſt illata pudori,
Quis furor, alterius crimine velle mori?
Fruſtra igitur laudem captas Lucretia, namq́;
Vel ſcelerata cadis vel furioſa ruis. **

prohibetur in Sacra Scriptura enim homo hominem occidere, jam verò qui ſe occidit, utique hominem occidit. Quemadmodum non ſumus Domini vitæ alienæ, ita nec poteſtatem accepimus noſtræ, ut in eam pro libitu injurii, ejuſdemq́ue prodigi ſimus. *Nemo eſt dominus ſuorum membrorum* l. 3. ff. ad leg. Aquil. In acie hîc ſtamus, non licet injuſſu ſummi Imperatoris atque agonothetæ eâ excedere. Reipublicæ imò Eccleſiæ cives ſumus, non licet utilem Reipublicæ civem è medio tollere. Auguſt. 1. de civitat. Dei cap. 17. & ſeqq. diligenter tractat hanc quæſtionem, & aſſignat varias cauſas, propter quas αὐτόχειρας ſeipſos interimere contingat, videlicet calamitatis vel acceptæ vel inſtantis impatientiam, peccati alieni deteſtationem ac fugam, vehementem de proprio peccato pœnitudinem, inanis gloriæ ſtudium, vitæ melioris deſiderium &c. ſed nullam harum juſtam ac ſufficientem eſſe oſtendit, cap. 26. ſcribens. *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus. neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vitâ opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari: neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* Vide eundem l. 2. contra Petilianum c. 49. Epiſt. 60. & 40. & 204. Proinde non probatur nobis, quod Adelhelmus Abbas Malmeſburienſis diſputat, virgines illas beatas prædicandas, quæ ſibipſis ob metum ſtupri violentas manus intulerunt. Rectius Hieronymus in Epiſt. ad Marcellum de obitu Bleſillæ ſub perſona Dei. *Non recipio tales animas, quæ me nolente exierunt è corpore.* Chryſoſtomus in cap. 1. Gal. vocat αὐτόχειρας, *ſceleratos & pejores homicidis.* Exemplum Catonis Ethnicum eſt, Samſonis heroicum, Raziæ extra

Cano-

Canonem, Jonæ Propheticum. Si exempla valere debent, proponimus Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, qui cùm omnia graviſſima perpeterentur, nunquam tamen manum ſibi attulerunt. Exempla Achitophelis, Judæ, Pilati (apud Euſeb. lib. 2. Hiſt. c. 7.) infamem faciunt αὐτοχειρίαν, neque tamen indiſtinctè omnes αὐτόχειρας æternæ morti adjudicandi ſunt, quâ de re peculiari ſcripto tractat Celichius.

An ſupplicia à Magiſtratu irrogata pugnent cum quinto præcepto.

156. Quæritur 2. *Unde demonſtrari poſſit facinoroſorum ſuppliciis à Magiſtratu irrogatis non peccari contra hoc præceptum?* Reſp. Extat manifeſtum divinæ ſententiæ reſcriptum, quo Magiſtratui jus gladii conceditur Gen. 9. v. 8. *Qui effuderit humanum ſanguinem, ejus ſanguis effundetur per hominem.* Roman. 13. v. 4. *Non gerit gladium fruſtrà.* Quemadmodum igitur Magiſtratus non hominis, ſed *Dei judicia exercet* 2. Paral. 19. v. 6. ita quoque non humanâ ſed divinâ autoritate pœnas irrogat. Miniſter Dei eſt, ad cujus voluntatem gladium divinitùs datum ſic adminiſtret, ut quos ille voce legis occidi jubet, occidantur: quos ſervari conſtituit, defendantur; hoc ſi fecerint, non ſolùm non peccant occidendo, ſed peccarent potiùs non occidendo. Gladius Magiſtratus, quo facinoroſi occiduntur, tantum abeſt, ut contra hujus præcepti ſanctionem ſtringatur, ut potiùs illi ſerviat & ad eundem ſcopum cum eo collimet. Finis enim hujus præcepti eſt, ut ſecuritati humanæ vitæ conſulatur, eodem ſpectat, quod hoſtes generis humani, quietis publicæ turbatores, ac vitæ noſtræ inſidiatores gladio ultore puniuntur, ſanguis noxius legitimè funditur, ne innoxius illegitimè fundatur. Auguſt. 1. de civ. Dei. cap. 21. *Non ipſe occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti. Ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum eſt, Non occides: qui Deo autore bella geſſerunt, aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis ſecundum ejus leges, hoc eſt, juſtiſſimæ rationis imperiū ſceleratos morte punivérunt.*** Quòd Arithmetica proportio in irroganda pœna homicidii debeat obſervari. 1. abſolutè dicitur. *Quicunque profuderit ſanguinem humanum, ejus ſanguis effundetur.* 2. προσωποληψία in lege divina ſimpliciter prohibetur. Lev. 19. v. 15. Deut. 1. verſ. 17. 3. Judex unicuique ratione officii id quod ſuum eſt, tribuere tenetur, unde dicitur δίκαιος q. *δίχαιος per medium tranſiens*, propterea quod obſervet æqualitatem. 4. Saul proprium ſuum filium capitali ſupplicio adjudicavit 1. Reg. 14. David Abſolonem perſecutus. 2. Reg. 13. 5. Niſi id fiat, multa mala conſequuntur, teſtis eſt Polonia, in qua cædes multiplicatæ. 6. Viri honorati bis peccant, non facto ſolum ſed & exemplo. Quòd Geometrica, ſive harmonica proportio ſit obſervanda. 1. Ex. 21. homicida capite plectitur, ſed Dominus ſervum ſeverius caſtigando occidens à pœna illa liber. 2. Leges omnes ſubverterentur, quia infinita locorum, temporum, perſonarum varietas cauſarum diſſimilitudinem judicibus affert. 3. Saul filium ſuum ſecundum jus æquum ad interceſſionem populi abſolvit. Pro deciſione diſting. Arithmetica proportio obſervari poteſt, ſi adſit qualitas extrinſeca facti Naturam non attingens, ut divitiæ, paupertas, nobilitas, generis obſcuritas: Geometrica ſi adſit conditio factum vel aggravans vel elevans. Diſt. etiā inter ἀκριβοδίκαιον & ἐπιεικεῖαν jus ſtrictum & æquum.. Quoad jus ſtrictum nulla perſonarum adhibenda eſt diſtinctio, ſed omnes æqualiter puniendi &c.**

Quid ſtatuendum de homicidio caſuali.

157. Quæritur 3. *Quid de caſuali homicidio ſtatuendum ſit?* Reſp.** Tolet. lib. 5. capit. 6. p. 349. eum qui motu repentino correptus adeò ut rationis non ſit compos, alterumque occidit, à peccato mortali liberat & abſolvit.** Duplici modo caſualia homicidia contingere poſſunt, quandoque enim datur opera rei illicitæ, vanæ ac ludicræ, quandoque verò licitę & honeſtæ: ex utriuſque ſtudio caſuale homicidium contingere poteſt. Prioris exemplum eſt, ſi ebrius gradibus decidendo puerum opprimat, ut moriatur, ſi temerariâ Sclopeti emiſſione proximus lædatur. Poſterioris, ſi *quis abeat cum proximo ſuo in ſylvam ad cædendum ligna, & impulſa fuerit manus ejus in ſecurim ad cædendum lignum, elapſum autem fuerit ferrum ex ligno, inveneritq; proximum ſuum & moriatur*, Deut. 19. v. 5. In priore caſu quamvis non ſit dicendum voluntarium homicidium concurrere, tamen non abſolvitur ab omni culpa is, cujus illicito vel temerario ſtudio proximus occiditur. Poſterior caſus nō poteſt homicidii propriè ſic dicti damnari, aut pœnis homicidii vel latæ culpę ſubjici, unde in hoc caſu Deus ipſe civitates refugii in lege conſtituit Exod. 21. v. 13. Num. 25. v. 6. Deut. 19. v. 6. Joſ. 20. v. 2. Quamvis verò homicidium caſuale ordinariæ pœnæ in Republica non ſit ſubjectum, tamen non eſſe coram Dei judicio rem bonam vel indifferentem, patet ex eo, quòd talis homicida extra civitatem ſuam in urbibus refugii uſque ad mortem ſummi Sacerdotis, habitare cogebatur. Num. 35. v. 25. Joſ. 20. v. 6. quo denotatum fuit, remiſſionem aliam hujus peccati per mortem Chriſti, qui eſt ſummus Sacerdos N. T. pœnitentibus ex fide contingere. R. Salomon hanc adducit legis hujus rationem, *quod effuſio ſanguinis, ſi vel maximè caſualis ſit, abbreviet vitam & ſit horrida coram Deo.*

Quid de homicidio defenſorio ſtatuendum.

158. Quæritur 4. *Quid de homicidio defenſorio ſtatuendum ſit?* Reſp. Defenſorium homicidium duplex eſt: Publicum & privatum. Publicum, quando autoritate Magiſtratus legitimum bellum geritur, cujus requiſita ſuo loco enumerabuntur. Privatum, quando quis injuſtâ vi oppreſſus neceſſitate defenſionis cogitur, ut vitæ ſuæ vel ſuorum conſervandæ cauſa alterius vitam lædat. De priore nulla eſt dubitatio, quin ſit licitum, niſi cum Anabaptiſtis legitima bella improbare velimus. Poſterius an ſit licitum, graviter controvertitur. Sed enim cùm defenſio proprii corporis ac noſtrorum non ſolùm cum jure Naturæ ſed & caritatis lege conveniat, ideò ſervatis conditionibus debitis, præſertim verò moderamine inculpatæ tutelę tale defenſorium homicidium licitum eſſe, plerique omnes ſtatuunt. Exod. 22. verſ. 2. *Si effringens fur domum in ipſa perfoſſione inventus fuerit & percuſſus, ac vulnere accepto mortuus, non erit percuſſor morti obnoxius*, interim tamen cùm in hoc caſu facilimè tranſiliri potuerint ea, quæ ad moderamen inculpatæ tutelæ requiruntur, præſerſertim cùm ſtudium vindictæ, ac irarum flammæ inſciis quandoque obrepant, ideò in foro conſcientiæ tutiſſimum eſt propter effuſionem

illam ſanguinis magis dolere ac lugere, quàm gloriari vel animo efferri, factum ſuum coram Dei judicio magis accuſare, quàm excuſare, à Dei miſericordia remiſſionem propter Chriſtum potiùs petere, quàm in conſpectum DEI illud proferre. Totam hanc quæſtionem diligenter tractat D. *Chemnit.* p. 2. locorum cap. de vindicta. ** Probatio petitur. *1. ab exemplo Abraha* Gen. 14. v. 14. qui erat peregrinus in terra Canaan, nullumque gerebat Magiſtratum nec in Sodomæos habebat aliquam poteſtatem, nihilo tamẽ min' ad defenſionem ſui nepotis, armat familiam, inſequitur & trucidat hoſtes, quæ defenſio non diſplicuit DEO. Quod ſi licuit Abrahamo privato nepotem ſuum in caſu neceſſitatis per hoſtium occiſionem defendere, multò magis licebit propriã vitam tueri. *2. ab approbatione divina* Exod. 22. v. 2. Homicidium, quo fur aut graſſator noctu veniens nobiſque inſidias ſtruens ob neceſſariam familiæ propriique corporis defenſionem interficitur, Deus ipſe à pœna abſolvit. E. tale homicidium divinæ voluntati non eſt ſimpliciter contrarium. *3. A Lege Naturæ.* Inſcriptum eſt Natura inſculptumque cunctorum cordibus ſicut nemini nocendum, ita propriũ corpus contra injuſtam vim defendendum, vel ordinariis imperiis vel propria defenſione cùm Magiſtratus opitulari nequit, cuivis enim animanti Natura inſevit vitæ appetitum & ſtudium illam conſervandi &c. *4. A Magiſtratus conceſſione.* Manifeſtam vim in defectu auxilii publici aliquem pro virili repellere & ſe ſuosque tueri fit ſecundum leges cum approbatione legitimæ & divinitus ordinatæ poteſtatis. Ergo non debet talis defenſio tanquam privata vindicta reprehendi. *5. A defectu interdicti divini.* Chriſtus non venit, ut tolleret politias & mutaret leges Naturæ, nec in N. T. quicquam extat quod furem & graſſatorem nocturnũ impune occidi poſſe, mutatum probaret. *Meiſn.* in refut. Socini p. 203. **

Explicatio ſexti præcepti.

159. Præceptum ſextum. NON MOECHABERIS. 1. נָאַף *naáph*, propriè ſignificat adulterium committere abagitando vel ſubagitando, ſynecdochicè hoc loco ponitur pro omni illicitarum libidinum ſpecie, quod oſtendit interpretatio hujus præcepti per Prophetas & Apoſtolos tradita, unde Matth. 15. v. 19. conjungit Chriſtus μοιχείαν καὶ πορνείαν. ** Quidam exiſtimant נאף eſſe *ſcortari* Job. 24. v. 15. Jerem. 3. verſ. 9. Sed exempla Scripturæ oſtendunt נאף propriè ſignificare *adulterari* Levit. 20. verſ. 10. Proverb. 7. verſ. 32. Oſeæ. 4. verſ. 13. Apud Jobum non de ſcortatore, ſed de adultero propriè ſermo eſt, quia ſcortatores non adeo quærunt latebras, ut adulteri. Jerem. 3. verſ. 9. conjungũtur duo verba זנה & נאף non tanquam *συνώνυμα* ſeu *ἰσοδυναμοῦντα* ſed prius tanquam generalius per poſterius tanquam ſpecialius declaratur.** 2. Non ſolùm exteriora delicta ſcortationis, adulterii &c. ſed etiam interiores flammæ libidinum hoc præcepto prohibentur Matthæi 5. v. 28. *Qui aſpicit mulierem ad concupiſcendum eam, jam tum mœchatus eſt in corde ſuo.* 3. Quin & omnia illa prohibentur, quæ augent vel excitant illicitas libidinum flammas, ubi damnatur effectus, ibi etiam cauſam damnari intelligimus. Ezech. 16. verſ. 49. *Ecce iſta fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia otii fuit ei & filiabus ejus.* 4. Peccata interiora & exteriora caſtitate adverſa exprimuntur delicti craſſioris nomine, ut quo loco coram DEI judicio habeantur, manifeſtum fiat, ne corruptioni cordis noſtri blandiamur. 5. Cùm omnem impuritatem DEus extremè deteſtetur, nominatim prohibet tori conjugalis violationem, ut intelligamus conjugii ordinem divinitùs ſancitum lege confirmari ac dignitatem ejus aſſeri. 6. Abſque ulla ſpecificatione vel determinatione omnibus prohibetur adulterium, ne quis perſonæ vel ſtatus exceptione utatur. 7. Accuſatur voce legis prohibentis extrema Naturæ noſtræ corruptio, quâ ad omnis generis libidines proni ac proclives ſumus. 8. Ex negato colligendum eſt affirmatum, ut appareat, finem ac ſcopum hujus præcepti eſſe conſervationem caſtitatis & conjugii munitionem.

Virtutes in ſexto præcepto requiſitæ.

160. Ex his fundamentis facilè conſtitui poteſt, quæ ſint virtutes hoc præcepto requiſitæ. Primaria ac principalis virtus hujus præcepti eſt Caſtitas, quam dici volunt à κάζω, hoc eſt, *orno*, quia caſtitas maximum eſt hominis ornamentum, cùm ſit virtus, quâ ex vero Dei timore, & dilectione mundities animi & corporis conſervatur ac vitantur omnes libidines à Deo prohibitæ. 1. Theſſ. 4. v. 4. pulcerrimo nomine vocatur ἁγιασμὸς. Gal. 5. verſ. 22. ἐγκράτεια Pſal. 51. v. 12. mundities &c. Eſt autem duplex caſtitas pro ratione diverſorum ſubjectorum. Caſtitas vitæ cælibis & conjugalis. Illa eſt non ſolùm corpus impollutum ſervare, ſed & animum ab incendiis libidinum habere liberum, ita namque definit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 34. *ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu.* Hæc verò eſt corpus ſuum uni conjugi legitimè ſociato caſtum & ſanctum ſervare, leges conjugii divinitùs ſancitas reverenter tueri. Hæc virtus ſedem habeat in corde, eluceat in geſtibus & ſermone, appareat tandem in opere. 1. In corde ſit ſerium caſtitatis ſtudium; agnoſcatur, DEUM eſſe mentem caſtam & ſeverè exigere à nobis caſtitatem, abſint flammæ libidinum, abſint pravæ concupiſcentiæ. 2. In verbis & geſtibus regnet pudor ac verecundia, quâ teſtemur, nos abhorrere ab omni turpitudine, caveantur ſpurci ſermones, impudici geſtus, laſcivia oculorum &c. 3. In opere demonſtretur caſtitas, ut corpus ſervetur purum & impollutum, caveatur abuſus ſeminis, omniſque corporum illegitima commixtio & contaminatio. Huic virtuti inſervit Temperãtia, quæ in cibo, potu, ſomno, otio &c. obſervet ordinem Naturæ, honeſtati & rectæ rationi convenientem, ne πάθη concupiſcentiæ & flammæ libidinum incendantur. Ceterùm cùm in conjugio ſit vera ac DEO placens caſtitas, ideò conjugii ordo divinitùs hîc ſancitur, pertinent igitur ad hoc præceptum leges conjugii, Geneſ. 2. ſancitæ & poſtea ſæpè repetitæ, ut & officia maritis ac uxoribus præſcripta, qua de re ſuo loco pleniùs dicetur.

Peccata contra ſextũ præceptum.

161. Antitheſis oſtendit, quæ peccata pugnẽt cum hoc præcepto. 1. Pravæ concupiſcentiæ in corde, flammæ libidinum, quas D. Apoſtolus vocat πυρώσεις 1. Cor. 7. v. 9. *Ex corde exeunt ſtupra, adulteria, cogitationes malæ.* 2. In verbis ſpur-

ſpurcities, turpiloquinm, obſcœnitas. In geſtibus quævis ſigna laſcivię, oculorum concupiſcentia, Eccleſ.26.v.12. *Fornicatio mulieris in oculis & palpebris agnoſcitur,* impudici amplexus & oſcula Jer.5.v.8. *Vnusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat;* 3. In opere variis modis peccatur contra hoc præceptum, per fornicationem inter perſonas ſolutas, per adulterium inter conjuges, per raptum, quando per vim ſtuprum infertur mulieri, per inceſtũ, quandò fit cõmixtio cum conſanguineis & affinibus io gradibus prohibitis, per Sodomiam, beſtialitatem, pæderaſtian, mollitiem ſive ſeminis volnntariam effuſionem, de qua Thomas proounciat, quod *ſit ipsâ ſcortatione graviùs peccatum*, per concubinatum meretricium. Cùmq; vitare peccata, ſit vitare occaſiones peceati, ideò peccatur contra hoc præceptum Intemperantiâ, Ebrietate, Luxuriâ, levitate veſtium, choreis impudicis, otio & ſecuritate, impurâ lectione, amatoriis cantilenis, Lupanariũ erectione ac tolerantia. Deniq; cùm in hoc præcepto ſanciatur conjugium, ideò peecatur contra illud Vituperatione conjugii & fœminei ſexus, temerariis divortiis, ſimulatâ caſtitate extra conjuginm, prohibitione conjugii in perſonis idoneis, Item neglectu officiorum, quę conjugibus Scriptura præcipit. Hæc omnia dictis & exemplis è divinis tabulis ſunt illuſtranda, addendę promiſſiones & comminationes: item exempla pręmiorum ac pœnarum, enumerandę ſunt cauſæ impulſivæ, quæ ad caſtitatem nos adhortari debeant, oſtendendum quàm atrox & deteſtandum ſit adulterii ac ſcortationis peccatum, ſed hiſce immorari non eſt noſtri inſtituti.

An Lupanaria toleranda.

162. Quæritur hoc loco. 1. *Quid propriè ſit adulterium?* Reſp. R. Salomon dicit, *non eſſe adulterium, niſi in uxore cujuſpiam fieri*, hoc eſt, adulterium committi tantùm cum maritata, non autem cum ſoluta. Eum ſequitur Lyranus, cùm definit mœchiam, quod ſit *copula carnalis cum uxore alterius viri, qua reputatur una caro cum ipſo.* Sed rectiùs ſtatuunt, qui committi docent adulteriũ, quacunq; tori ac fidei conjugalis violatione, ſive cum ſoluta, ſive cum maritata nefanda illa commixtio fiat. Lex conjugii hęc eſt 1.Cor.7 v.4. *Vir non habet poteſtatem ſui corporis, nec mulier,* Ergò adulterium eſt, ſi alteruter conjugum poteſtatem ſui corporis alienis permittat; Unitatis conjugalis corruptio dicitur adulterium, quia admiſſu alieni corporis, quod integrum erat, adulteratur ac corrumpitur, ſi vel ad alterius thorũ non accedatur. Prov.7.v.5. etiam illa adulterii accuſatur, quæ juveni poteſtatem ſui corporis facit. Rectè autem conſtituuntur duæ ſpecies adulterii; ſimplex, quando thorus conjugalis proprius violatur, utpote ſi maritus rem habet cum ſoluta, ac ſi ſolutus pollnit nxorem alterius; Duplex, quando non ſolùm thorus conjugalis proprius, ſed etiam alienus violatur, utpote ſi conjugatus alterius thorum corrumpit, vel conjugata marito alteri poteſtatem ſui facit.

An Lupanaria toleranda,

163. Quæritur 2. *An Lupanaria tolerare ſit peccatum contra hoc ſextum præceptum?* Reſp. 1. ** *Lutherus* in cap.19. Geneſ. fol. 229. præciſè negat. Paulus III. olim oſtendebat, ſe aliquam Eccleſiæ emendatione meditari, dedit negotium quibusdam Cardinalibus & Epiſcopis, qui cæteris habebantur puriores, quid autem illi ſenſerint, extat in 3. volumine Conciliorum. *Quæruntur tantam eſſe Romæ potentiam meretricum, quantam aliàs nusquam.* An Paulus III. hoc emendavit? in Tridentina quoque Synodo polliciti ſunt Romanenſes magnam aliquam emendationem, ſed nec effecerunt, nec quicquam conati ſunt. Cur non imitantur potiùs & ſequuntur Juſtiniani leges? is in anthent. tit. de lenonib. vult *meretrices prorſus eliminatas è civitatibus nec adſtringi aut teneri, ſi quid lenonibus promiſerint, imò ſi juraverint ſe fore meretrices ad aliquot tempus, a juramento abſolvit.* ** Aſt Romanus Præſul non ſolùm tolerat Lupanaria, ſed etiam annuum cenſum à ſcortis accipit, quem ad aliquot millia florenorum quotannis excurrere compertum eſt, Stanislaus Orichonius in libro de Lege Cælibat. & Hieronymus Marius in Euſebio captivo referunt, quod anno 42. Paulus III. in tabulis habuerit numero 45. meretricum millia, ea quarum fornieatione ſingulis menſibus cenſum exegit, contribuente qualibet ſecundùm pulcritudinis ſuæ excellentiam. Atqui omnes illæ deteſtationes ſeortationis, quæ in Scriptis Propheticis ac Apoſtolicis occurrunt, rectiſſimæ etiam contra Lupanaria publica, quæ ſunt ſcholæ omnis impuritatis ac immundiciei, vibrantur. Deuter. 23.v.17. *Non ſit ulla meretrix aut proſtituta in Iſrael.* Nec eſt quod dictum Auguſtini lib. de ordine (*Tolle meretrices & omnia implebuntur libidinibus*) obvertatur, ſiquidem *non ſunt facienda mala, ut eveniant bona*, Rom.3.v.8. ſcripſit hoc Auguſtinus adhuc Catechumenus, nec dum in religione ſatis inſtitutus. Per inverſionem rectiùs dicitur: *Ale meretrices & implebis omnia libidinibus*, quia ut Baſilius in Pſal. 1. dicit: *Scortatio non conſiſtit in uno homine, ſed totam civitatem pervadit, accedit enim ad ſcortum unus quispiam juvenis, ille aſciſcit ſibi ſocium & ille item alterum, unde ſicut ignis accenſus in civitate, ſi ventus graviter incubuerit, non ſiſtit incendium in una vel altera domo, ſed longè lateqùe vagatur, & magnam ſecum ruinam trahit, ita hoc malum ſemel accenſum per omnes partes urbis graſſatur.* Leges quidem civiles de precio ſeu mercede meretrici data aut promiſſa non dedignantur aliqua ſtatuere l. Idem eſt ſi. ff. de condict. ob turpem cauſam l. Affectionis ff. de donationib. ex quo quidam colligunt, legibus civilibus non auferri meretrices è Romana ditione, ſed reſpondemus ex Hieronymo in Epitaphio Fabiolæ, ubi de hac ipſa re agens ſic ſcribit: *Non tàm ſtudioſè citanda ſunt jura civilia, alia ſcribit Papinianus, alia Paulus.* Divina legis ſanctio manifeſta eſt Deuter.23.v.18. *Non adduces mercedem meretricis in domum Iehova Dei tui, quia abominatio Iehova eſt.*

Quale ac quantum peccatũ ſit adulteriũ,

164. Quæritur 3. *Sitnè adulterium pro enormi ac deteſtando ſcelere habendum?* Reſp. Alexander III. cap. At ſi Clerici, Extra de Judiciis reſcripſit Salertiano Archiepiſcopo *de adulteriis & aliis criminibus, quæ ſunt minora, poſſe Epiſcopum cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare,* ex quo apparet, quòd Romaous Pontifex habeat adulteria pro levioribus criminibus. Sed aliter pronunciandum eſt ex Codice divini juris, quod non ſolùm morte puniri jubet adulterum, Levit.20.v.10. Deuter. 22. v.22. Sed & regno Dei eum excludit, 1.Cor.6.

v.13. Galat.5.v.21. Adverſatur hoc delictum tabulis fœderis conjugalis, quod coram Dei & Eccleſiæ facie fuit initum, utique ergo adulter pro fœdifrago habendus eſt, unde etiam propter adulterium matrimoniũ ſolvi poſſe Chriſtus pronunciat Matth.5.v.32. Chryſoſt.homil.62.in Johan. affirmare auſus eſt *adulterium gravius eſſe ſcelus idololatriâ*, quod quamvis ſimpliciter & abſolutè non videatur affirmandum, magna tamen cognatio eſt inter idololatriam & adulterium, unde idololatræ ſpiritualis adulterii à Deo peraguntur rei. Per adulterium ipſe fons & radix humani generis contaminatur, turbantur familiæ, thorus ipſe, liberis magna fit injuria, violatur honeſtas publica, peccatur in proprium corpus, cœcitas mentis attrahitur, innumeris periculis incurritur, templum Spiritus ſancti profanatur, ex membris Chriſti membra meretricis ac adulteræ efficiuntur. Fructus adulterii plerunq; ſunt homicidium ac veneficium. Inde ſapientiſſimi Legumlatores graviſſimas adulteris pœnas ſtatuerunt. Suetonius in vita Julii Cæſaris refert, quòd libertũ ſibi gratiſſimum ob adulteratam Equitis Romani uxorem, quamvis nullo accuſante, capitali pœnâ affecerit. Julius Capitolinus refert, Macrinum Imper. adulterii reos vivos ſimul incendiſſe junctis corporibus. Aurelianus Imp. referente Vopiſco militem, qui adulterium cum hoſpitis uxore commiſerat, ita punivit, ut duarum arborum capita inflecteret, quas ad pedes militis deligatas ſubitò dimitti juſſit, ut diſciſſus ille utrinq; penderet. Conſtant. M. legem tulit, quâ violatores conjugii gladio plecti jubentur. Parthos nulla delicta quam adulterium graviùs vindicaſſe, autor eſt Juſtin. At ubi tunc lex Julia dormis?

An pollutio nocturna ſit peccatum.

165. Quæritur 4. *An pollutio nocturna ſit peccatum?* Reſp. De Onanitico ſcelere coram caſtis auribus dicere pudore prohibemur, Quæramus ergò de nocturno illo involuntario ſeminis profluvio, quod in ſomno quandoque contingit. ** Deut.23.v.10. *Si fuerit inter vir, qui non fuerit mundus ob accidens noctis egredietur extra caſtra & non ingredietur intra caſtra*, v.11. *Et cùm declinaverit veſpera lavabit ſe in aquis & cùm occubuerit Sol, ingredietur intra caſtra.* De hac pollutione nocturna gravem querelam inſtituit *Auguſt.* lib.10.confeſſ.cap.30 ac de iiſdem lib.12 de Geneſ. cap.15 & lib.11. de Trinit. cap 4. fert ſententiam.** Scripſit verò hac de re peculiarem Tractatum Johan. Gerſon. Cancell. Pariſienſis parte 2. operum fol. 211. ubi format has propoſitiones. *Nulla pollutio inchoata & perfecta in ſomno eſt peccatum mortale, quia quod non eſt voluntarium, illud non eſt peccatum, at ſi quis vigilans impurum haberet deſiderium ſe polluendi, quo vigente caderet in ſomnum, aut ſi pollutionem in ſomno cœptam expergiſcens malè conſummaret, opus illud obſcœnum imputaretur ad culpam. Item poſſet aliquis peccare poſtmodum complacendo ſibi in tali voluptate probroſa, quam habuit, ac per crapulam poſſet aliquis in hanc ſorditiem delabi, tunc culpam haberet vigilia, non ſomnus.* Addit Gerſon. conſid.6. *Pollutio corporalis in ſomno contingere poteſt non ſolùm abſq; peccato mortali præcedente, imò & ex merito, nimirum ſi fiat apud invitos ac renitentes, ſi eveniat ex arcta abſtinentia in pane & aqua, ſi propter finem utilem de eo vigilans cogitavit, ſi fiat dæmonis illuſione &c.* Vide ibidem plura. Hiſce diſputationibus occaſionem præbuerunt coacta virginitas, auricularis confeſſio & impoſitæ ſatisfactiones. Lege Ceremoniali ſeminifluus immundus habebatur Lev.15.v.2. quamvis verò non poſſit ex legali contaminatione inferri, quod ſit peccatum, cum & menſtruatæ mulieres & qui mortuum tangebant, ceremonialiter ac legaliter immundi fuerint habiti, tamen cùm fluxus ille ſeminalis rariſſimè vel nunquam fiat abſque delectatione vel prægreſſa vel comitante vel ſubſequente, tutiſſimum eſt coram Dei judicio peccatum hoc agnoſcere & deplorare, atque uti remedio conjugii divinitùs conſtituto. Seriò enim improbandum, quod ex Thoma diſputat Tolletus Jeſ. lib.5. Inſtruct. c.13. *Si quis deſideret habere pollutionem ob finem bonum aut ob ſanitatem, aut ad levandas tentationes carnis, quibus interdum affligitur, non eſt peccatum.*

166. Præceptum ſeptimum. *Non furaberis.* *Explicatio ſeptimi præcepti.* 1. Rabini exiſtimant de furto hominis ſive plagiatu hoc præceptum agere ſed interpretatio in Scriptis Propheticis & Apoſtolicis tradita oſtendit, quodvis furtum in genere prohiberi גנב *Ganábh*, propriè ſignificat clanculum aliquid moliri ac ſubducere, ut conſcientia illius, cujus intereſt, fallatur, ſicut Gen.31.v.26. *Iacob dicitur furatus cor Laban, cùm ipſo inſcio abiret.* 2. Quamvis non ſolùm furta, ſed etiam, imò multò magis rapinas ac deprædationes hoc præcepto Deus prohibere voluerit, tamen diſertam furti mentionem facit, ut ſub prohibitione minoris, majus hoc ipſo longè magis prohibitum eſſe intelligamus. Præterea rapinis ac prædis autoritate Magiſtratus ac renitentiâ obviam iri poteſt, ſed furtum clam admiſſum diu quandoque conſcientiam judicis & aliorum hominum fugit. 3. Finis ac ſcopus præcepti eſt, externas facultates munire, ne fraudibus, malis artibus ac rapinæ hominum ſint expoſitæ. 4. Ex negato igitur colligendum eſt affirmatum, videlicet ſanciri hoc præcepto omnes virtutes, quibus res proximi juvantur & conſervantur, approbari certam dominiorum diſtinctionem, juſtam rerum & facultatum acquiſitionem, poſſeſſionem & legitimum uſum.

167. Ex his fundamentis facilè colliguntur *Virtutes in ſeptimo præcepto requiſita.* virtutes hujus præcepti. 1. Si non eſt furandum, utique ad acquirenda ea, quæ vitæ ſuſtentandæ ac noſtris alendis neceſſaria ſunt, labores vocationis diligenter ſint perficiendi. Eſt igitur prima hujus præcepti virtus, *Sedulitas*, in faciendis laboribus vocationis, quâ reconciliati Deo per fidem in Chriſtum, certi ſumus vocationem & labores vocationis noſtræ ipſi placere, ac prælucente hac fide opera vocationis noſtræ ſedulò perficimus, exitum Deo commendantes, benedictionem & ſucceſſum ab ipſo petentes ac omnia nobis neceſſaria ex ipſius manibus humiliter expectantes Epheſ. 4. v. 28. *Qui furatus eſt, non amplius furetur, ſed laboret manibus.* 2. Si non eſt furandum, utique diſtinctiones rerum ac dominiorum non ſunt turbandæ, altera igitur hujus præcepti virtus eſt *Iuſtitia commutiva*, quæ in contractibus ſervat æqualitatem rectæ rationi & honeſtis legibus congruentem. Contractuum variæ ſunt ſpecies, ut emtio & venditio, permutatio, locatio, ſocietas, ἐμφυτευσις &c. quorum omnium æquitatem recta ratio & honeſtæ leges moderantur. Ad hanc

vir-

virtutem pertinēt redditio depoſiti, ſolutio debiti, redditio eorum, quæ furto vel rapinâ ſubtracta. 3. Si non eſt furandum, utique oportet illis facultatibus quas per honeſtos labores vocationis Deus nobis concedit, contentos eſſe, proinde tertia hujus præcepti virtus eſt *αὐτάρκεια*, quâ ſorte noſtrâ contenti gratuitam Dei benedictionem agnoſcimus, onus paupertatis moderatè ferimus & alienam felicitatem oculo irretorto aſpicimus 1. Tim. 6. v. 8. *Magnus eſt quæſtus pietas cum animo ſuâ ſorte contento.* 4. Si non eſt furandum, utique res propriæ cuſtodiendæ ſunt & utiliter collocandæ, vitandi ſumtus non neceſſarii; ne paupertate ſponte attractâ ad fraudes & rapinas poſtea impellamur: quarta igitur hujus præcepti virtus eſt *Parſimonia*, quâ caventur largitiones non neceſſariæ, cuſtodiuntur res proprię, nec niſi neceſſitate vel honeſtate exigente ſumtus fiunt. Ad hanc virtutem etiam pertinet frugalitas debitā in victu moderationem obſervans. 5. Si non eſt furandum, ſed potiùs proximo egenti quippiam conſerendum, ergo quinta hujus præcepti virtus eſt, *Beneficentia ac liberalitas*, quæ cōmunicat facultates & operas non debitas obligatione civili ſed naturali & divina, ubi & quando decet. Ad hanc pertinet officium mutui, gratuita donatio, Hoſpitalitas &c.

Peccata contra ſeptimum præceptum

168. Antitheſis oſtendit peccata, quibus contra hoc præceptum delinquitur. 1. Ignaviâ, polypragmoſyne, mendicitate non neceſſaria, artib. illicitis vel curioſis, fiduciâ noſtræ induſtriæ ac diligentiæ. 2. Injuſtitiâ, quæ eſt quævis injuſta rerum translatio, ſive fiat vi vel fraude; illa dicitur rapina, hæc furtum. Furti ſpecies variæ ſunt. Simplex furtum eſt ablatio rei alienæ inſcio vel invito domino, qui eſt homo privatus. Ad hanc ſpeciem furti pertinent omnes fraudes in contractibus, quibus in negotio proximus circumvenitur, ſive id fiat mercibus vitioſis ſive inæquali precio ſive pondere ac menſurâ injuſtâ, ſive monetâ adulterina ſive fraude verborum aliisque impoſturis. Apoſtolus vocat *ὑπερβαίνειν καὶ πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν* 1. Theſ. 4. v. 6. peculatus eſt furtum admiſſum in re ad Rempubl. ſpectante. Sacrilegium eſt ablatio rei ſacrę. Stellionatus ſunt injuſti contractus. Uſura eſt lucrum, quod accipitur ſolius mutuationis causâ. *ἀνδραποδισμὸς* eſt hominis furtum. Peccatur etiam contra juſtitiam cōmutativam denegatione mercedis operariis debitę, denegatione reddendi depoſiti, malitioſâ dilatione, vel negatione perſolvendi debiti, denegatâ alieni reſtitutione. 3. Avaritiâ, *πλεονεξίᾳ* inordinato divitiarum amore, *quo cor eis apponitur*, Pſal. 62. v. 11. ſictâ recuſatione eorum, quæ ex neceſſitate debentur vel ex honeſtate offeruntur. 4. Illiberalitate, ac ſordibus. Item prodigalitate ac profuſione, quæ eſt proxima ad avaritiam ac fraudes via. 5. Inhumanitate, immiſericordiâ, obturatione aurium ad clamorem pauperis, temerariâ mutui denegatione. Nec illi ſolùm contra hoc præceptum peccant, qui ipſimet furantur, ſed etiam qui alterius furto communicat, ſive id fiat conſilio, ſive mandato, ſive conſenſu, ſive occultatione; ſive permiſſione. Servus negligens pejor dicitur manifeſto fure & infidelis operarius integrum laboris precium malâ fide expoſcit.

An omne furtum prohibitū.

169. Quæritur hoc loco 1. *An omne furtum ſimpliciter prohibitum?* Reſp. Muſculus in locis utitur hâc diſtinctione, quod eorum, quæ *divinâ lege prohibentur, quædam ita comparata ſint, ut nunquam absque culpa perpetrentur, utpotè omnia illa, quæ in prima Decalogi tabula prohibentur, quædam etiam in ſecunda ut adulterari, dicere falſum teſtimonium adverſus proximum &c. quædam verò ita comparata eſſe, ut quandoque non ſolùm ſine delicto fieri poſſint, ſed etiam niſi fiant, delictum committatur. Jubemur honorare parentes, interim ſi quid contra cœleſtis Patris mandata præcipiant, honor ille ceſſat. Jubemur non occidere, interim Magiſtratus facinoroſos è medio tollendo non peccat, ſed peccaret nō tollendo. Ita quoq; in hoc præceptorem ſe habere,* 2. Reg. 11. v. 2 *cum Athalia mater Ahaſiæ omne ſemen Regium perderet, Ioſaba filia Regis Ioram ſoror Ahaſiæ Ioas filium Ahaſiæ furatus eſt è medio filiorum Regis, qui interficiebantur & occultavit illum. Hoc genus furti haudquaquam reprahendendū, quò referendum etiam Iſraelitarum furtum, quò aurum, argentum & veſtes Aegyptiorū juſſu Dei ſecum abſtulerunt.* Exod. 12, v. 35. Sed enim ſi accuratè loqui velimus, hæc non fuerunt furta propriè dicta, cùm occultatio illa futuri olim Regis prudens defenſio contra Tyrannicam crudelitatem ſit judicanda. Iſraelitarum facto itidem non convenit propriè furti definitio, quia Ægyptii iniquiſſimè oppreſſerant & exhauſerant Iſraëlitas, æquiſſimum igitur erat fieri refuſionem accedente præſertim ſummi judicis, Dei ſcilicet, qui omnium bonorum proprietarius eſt, autoritate. Si in foro civili non judicatur eſſe furtum, quando Magiſtratus debitori ſolutionem juſtam deneganti tot bona vi juſtè adimit, ut creditori ſatisfieri poſſit, quantò minùs hæc æquiſſima Dei diſpoſitio furti accuſanda. Adde quod Ægyptii non inviti ſua dabant Iſraelitis, ſed Deus ipſorum corda movebat ac inflectebat Exod. 12. verſ. 36. hinc quidam notant in deſcriptione hujus ſpolii non extare verbum גנב *Ganábh*, ſed נצל *nizél*, quorum illud *furari*, hoc *diripere* ſignificat. Exodi 3. verſic. ultimo.

170. Quæritur 2. *An furtum ſit Natura prohibitum?* Reſp. Omninò 1. quia lex moralis nihil aliud eſt, quàm publica & ſolennis repetitio legis Naturæ; jam verò lege morali prohibetur furtū. 2. Leges civiles diſertè hoc ediſſerūt. l. 1. §. 3. ff. de furt. *Furtum eſt contrectatio rei fraudulosâ, lucri faciendi gratiâ vel ipſius rei vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſvè, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.* l. probr. 42. ff. de verb. ſign. *Probra quædam Naturâ turpia ſunt, quædā civiliter & q. more civitatis, utputa furtū, adulterium Naturâ turpe eſt.* l. nam hoc 14. ff. de condict. indeb. *Naturâ æquū eſt, neminem cū alterius damno locupletiorem fieri.* l. ex hoc jur. ff. de juſt. & jur. dicuntur *jure gentiū dominia diſtincta.* Nec obſtat, quod apud Lacedęmonios ingenioſa furta fuerint laudata, quodq; Ægyptii multa commiſerint furta absq; ulla honeſtatis læſione, referente Alex. ab Alex. l. 6. genial. c. 10. quia barbaries illa quarundam gentium legem Naturæ nequaquam tollit aut immutat, & ſolennis illa legis divinæ repetitio hoc fine inſtituta eſt, ut corruptelæ, quib. lex Naturę à gentib. depravata eſt, ſubmoverentur. Quod Prov. 6, 30 dicitur, *Non eſt grandis culpa, ſi quis furetur*, id accipiendū eſt *κατὰ λόγον συγκρίσεως* dictum, comparatione n. adulterii minùs peccatum dicitur, cùm in ſe ac per ſe ſit longè maximum. Poriſma hujus

An furtū ſit Naturâ prohibitū.

quæ-

quæſtionis eſt, nullo neceſſitatis prætextu furtũ excuſari, cujus contrarium docet Maldon. Jeſuit. in ſumm. quæſt. 8. art. 3. *Pauperes non faciunt furtum, cùm preſſi extremâ neceſſitate rem alienam capiunt, quia res tum propriè non eſt aliena, ſed communis vitæ periclitantis, nec neceſſitas extrema eſt, quæ jam ferè non poteſt admittere remedium, ut cùm pauper exhalat animam, ſed cùm vix aliâ ratione poteſt ſubveniri.*

An juſtũ ſit fures ſuſpendio puniri.

171. Quæritur 3. *An juſtum ſit fures ſuſpendio puniri?* Multis hoc nimis durum ac rigidum videtur, cùm lex divina quadrupli vel quintupli pœnam ſtatuat. Exod. 22. v. 1. cùm nulla ſit comparatio inter bona & vitam hominis, cùm exaſperatio pœnarum non debeat egredi earum genus. **Inde N. Zepperus, Piſcator, Anton. Matthæus JCtus, Kekerm. diſp. 32. Curſ. Philoſ. q. 2. Rationes ſeveritatis illius Carolinæ in fures hæ ſunt. 1. *Magiſtratus Chriſtiani libertas.* Magiſtratus Chriſtianus non ita ſtrictè alligatus eſt ad ll. forenſes, prout Magiſtratus populi Iſraelitici, proinde ſanctio eorum non eſt ad illas accuratè examinanda. Si enim libertatem ſuam in aliis pœnis ſervant, utpote contumaciam filiorum gladio non mulctare, hæreticos non interficere &c. utique etiam in exaſperandis furum pœnis ipſis aliqua relinquitur libertas, cùm de ſimilibus ſit ſimiliter judicandum. 2. *Utilitas* quæ multiplex eſt. 1. fortunæ civium melius cuſtodiuntur. 2. malum è medio citius tollitur. 3. alii ab hujusmodi facinore felicius deterrentur. 3. *Æquitas.* Communis regula juris eſt. *Creſcentibus delictis creſcũt pœnæ.* Jam verò furta adeò creverunt in Romano Imperio, ut nulli ferè res ſuæ tuto manent loco. 4. *Neceſſitas.* 1. Nullus Legiſlator aut Imperator, qui ſpectat ſalutem & felicitatem ſubditorum ſuorum, tam crudelis & ſeverus ſine crimine præſumi poteſt aut debet, quod ſupplicium mortis conſtituat, niſi neceſſitate compulſus fuerit. *Meiſner.* p 2. Phil. p. 586.** Ex quibus patet fures præſertim effractores, qui cum telo veniunt, capitali pœna affici, non eſſe improbandum. Præterquam enim quod Weſenb. in parat. probat, capitalem pœnam omnibus ferè populis placuiſſe, obſervandum eſt, quod in Republ. Moſaica propter frequentiam furtorum tandem ad pœnam ſeptupli, vel etiam omnium bonorum confiſcationem deſcenſum ſit Prov. 6. v. 31. *Reddet ſeptuplum ſi deprehenſus fuerit, & tradet omnem ſubſtantiam domus ſuæ.* Quinimò Exod. 22. v. 2. Deus ipſe conſtituit, furem in quo animus graſſandi præſumitur, poſſe etiam extra judiciũ occidi. *Si in effoſſione inventus fuerit vir & percuſſus, mortuusq; fuerit, non erit percuſſor morti obnoxius.* Furto hominis itidem aſſignatur capitis ſupplicium, Exod. 21. v. 16. *Qui furatus fuerit aliquem, vendideritque illum & inventꝰ fuerit in manu ejus, morte moriatur.* Ex quo fundamento procul dubio petita Davidis deciſio 2. Sam. 12. v. 5. *Filius mortis eſt vir ille, qui pepercit accipere de ovibus & bobus ſuis, & tulit agnam viri pauperis:* fuit igitur in manu Judicum poſitum, ut pœnas augerent vel minuerent pro circumſtantiarum varietate. Quare cùm publica Magiſtratus autoritate pœna illa furti hodiè ſit ſancita, ut patet ex Conſtitut. Carol. In der peinlichen Halſzgerichts Ordnung artic. 160. meritò conſtitutis legibus non de illis ſed ſecundum illas judicandum, maximè cùm hac in parte non tàm res quæ violatur, quàm delicti qualitas & Magiſtratus prohibentis autoritas ſit reſpicienda. l. Capitalium 28. §. Graſſatores, ff. de pœnis. *Graſſatores, qui prædæ causâ id faciunt, proximi latronibus habentur, & ſi cum ferro aggredi & ſpoliare inſtituerunt, capite puniuntur, utiq; ſi ſæpius atq; in itineribus hoc admiſerunt, ceteri in metallum dantur, vel in inſulas relegantur.* Interim tamen in furtis levioribus, iisdemque nondum repetitis, præſertim extremæ neceſſitatis impulſu perpetratis ἐπιείκειαν adhibere, Chriſtiani Magiſtratus eſſe dicimus. De Eleemoſyna, de rerum communione, de Uſuris ſuus erit poſtea dicendi locus.

Explicatio octavi præcepti.

172. Præceptum octavum. *Non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Poſtquam præcedente ſeptimo præcepto facultates proximi munitæ ſunt, conſequenter famæ ipſius hoc octavo providetur, ne mendaciis vel calumniis ea dehoneſtetur 1. ענה *Anáh reſpondere* ſignificat, nominatim igitur de ea teſtimonii ſpecie agitur, quod in judiciis de cauſa aliqua interrogati proferimus. עד Ed, uſurpatur tum de perſona, quæ teſtificatur, tùm de re, hoc eſt, teſtimonio, quod teſtis profert. Eſt autem ea teſtimonii Natura, ut de veritate ac re certa, quam quis cognovit, vidit & audivit, teſtetur, cui alios fidem habere oportet, qui non cognoverunt nec viderũt. 2. Non prohibemur ſimpliciter teſtimonium dicere, quia uſu teſtificandi humana ſocietas carere nequit, ſed falſum teſtimonium proferre mandato Dei prohibemur. 3. Nec prohibemur dicere teſtimonium contra proximum, ſiquidem amore Dei ac ſtudio veritatis & juſtitiæ quandoque contra proximum in judiciis teſtimonium dicere cogimur, ſed falſum contra eum proferre teſtimonium prohibemur. 4. Quia falſum in foro proferri teſtimonium hoc præcepto prohibetur, utique ordinem judiciorum & actiones forenſes eodem muniri manifeſtè intelligitur. 5. Synecdochicè ſub una falſi teſtimonii forenſis ſpecie (quod reliquis peſtilentius) continetur in genere deteſtatio omnis mendacii. Levit. 19. v. 11. *Non furabimini, nec mentiemini, nec fallaciter agetis quisque cum proximo ſuo,* Matth. 19. v. 18. Marc. 10. v. 19. Rom. 13. v. 19. οὐ ψευδομαρτυρήσεις. 6. Scopus igitur ac finis hujus præcepti eſt conſervatio veritatis in humana ſocietate.

Virtutes in octavo præcepto requiſitæ.

173. Ex his fundamentis facilè intelligitur, quod Veritas ſeu Veracitas ſit primaria ac principalis virtus hujus præcepti, quæ lucere debet 1. in corde, ut ſerio amore ac ſtudio veritatis ducamur. 2. In lingua, ut veritatem liberè, intrepidè ac conſtanter profiteamur. 3. In geſtibus, ut inſidioſas ſimulationes & occultationes caveamus. 4. In opere, ut pacta & promiſſa inviolata ſervemus. Cæterùm cùm veritatis uſus in communi vita latiſſimè pateat, ideò ratione objectorum talis poteſt conſtitui Catalogus virtutum hujus præcepti. Veritas ſermonis propria ſervari debet. 1. In judiciis & quidem ab omnibus illis perſonis, quæ in foro verſantur, vel ad judicia requiruntur. Judex juſtam de re cognita & utraque parte audita debet proferre ſententiam. Actor juſtam intendat accuſationem, Reus delicti ſibi conſcius, illud nec neget nec palliet. Teſtes nec incomperta nec falſa proferant, nec veritatem ma-

litioſè

litiosè occultent. Advocati nec malas cauſas defendendas ſuſcipiant, nec bonas malitiosè eludant. 2. Incooſiliis, ut veritas, gloria Dei & ſalus proximi in eis ſpectetur. 3. In fœderibus & contractibus ut ἄνευ δόλυ καὶ ἀπάτης juxta veterum formulam in eis agatur. 4. In doctrinis & artibus humanæ vitæ utilibus ac neceſſariis. 5. In tota civili ſocietate, ut vera de proximo dicantur, innocentia ejus defendatur, ambigua io meliorem partem interpretatione moderatâ convertantur.

Peccata contra octavũ præceptum.

174. Pugnat igitur cũ hoc præcepto, 1. amare mendacium, delectari falſis teſtimoniis. 2. dicere mendacium vel in judiciis, quando judex profert falſam ſententiam, quando parte utrâq; non dum ſufficienter auditâ judicium fertur, quando ex δωροφαγίας, προσωποληψίᾳ, metu periculi, captatione gratiæ judicium pervertitur, quando legitimus judiciorum ordo ac proceſſus turbatur: quando actor falſam accuſationem reo intendit, quando levi de cauſa forenſes actiones inſtituit: quando reus delictum negat vel contra conſcientiam cauſam ſuam palliat: quando teſtes veritatem negant vel depravant, vel occultant, quando de re non ſatis comperta teſtificantur: quando Advocati malæ cauſæ patrociniũ ſuſcipiunt, lites proprii commodi cauſâ alunt, cauſas bonas malitiosè eludunt: vel in conſiliis, quando prava conſilia dantur, vel in fœderibus & pactis, quando fraudulentis & ambiguis verbis concipiuntur, vel io doctrinis & artibus, quando malitiosè depravantur: vel in civili ſocietate, quando proximi famæ per convitia vel calumnias detrahitur, quando adulationibus verum judicium pervertitur, quando ex ambitione vel vanitate etiam verum crimen proximi propalatur, quando ambiguè dicta vel facta ſiniſtris interpretationibus pervertuntur. 3. Inſidioſis occultationibus ac ſimulationibus in vita ac moribus uti. 4. Fœdera ac pacta violare &c. Referenda etiam ad hunc locum peccata omiſſionis, atq; ea, quibus alienorum peccatorũ participes reddimur, quę ex commemoratis ſpeciebus facilè intelliguntur.

175. Secundariæ ac minùs principales hujus pręcepti virtutes ſunt, quæ linguam hominis moderantur, utpotè 1. *Taciturnitas*, quæ arcana probè tenere novit, & non neceſſaria vel non utilia dictu reticet, cui repugnant garrulitas, futilitas, proditio ac nimium ſilentium. 2. *Comitas & Affabilitas*, quæ libenter & cum ſignificatione benevolentiæ audit, reſpondet ac loquitur, ubi opus eſt ſermone gratiæ ſale condito, cui repugnant moroſitas cum faſtidio alios audiens & duriter reſpondens & ſimulata comitas. 3. *Vrbanitas*, quæ eſt veritatis condimentum, figuratè ac jocosè dictis ad alios monendos, delectandos, vel taxandos ſervatâ perſunarũ, loci ac temporis ratione utens, cui repugnant ſcurrilitas, jocos obſcœnos & contumelioſos ſpargens, mordacibus dictis alios repræhendens & inſultans, quæ eſt intempeſtiva urbanitatis affectio. 4. Referunt etiam huc *Candorem, Simplicitatem, Conſtantiam, Modeſtiam, Gravitatem, Eloquentiam, Docilitatem*, Appetitionem veræ gloriæ &c. Sed hæc omnia nihil aliud ſunt quàm ſurculi & propagines Veritatis ſeu Veracitatis.

176. Virtntes & vitia hujus præcepti itidem dictis & exemplis Scripturæ ſunt illuſtranda, addendæ promiſſiones & comminationes, exempla præmiorum & pœnarum &c. ſed inſtituti noſtri ratio banc operam hoc loco à nobis ſumi non permittit. Quæramus igitur 1. *An omne omninò mendacium ſit peccatum contra octavum præceptum?* Reſp. Finis ratione diſtinguitur mendacium in *pernicioſum, officioſum & jocoſum*, Auguſtin. in Enchirid. ad Laur. cap. 22. Lomb. 3. ſentent. diſtinct. 38. c. Ne quis 22. q. 2. *Pernicioſi* finis eſt lędere. *Officioſi* prodeſſe, *Iocoſi* delectare. Mendacium pernicioſum hoc præcepto prohibitum eſſe, nemo dubitat. Sed de officioſo & jocoſo multi dubitant, an in peccatorũ cenſum referenda ſint, quâ de re Auguſtinus in libr. ad Conſentium, & Epiſtol. 1. ad Hieron. ex profeſſo tractat. Quamvis verò jocoſum mendacium non multùm nocumenti afferat, officioſum inſuper etiam prodeſſe videatur, quo nomine (cùm caritati tantoperè non adverſentur quàm pernicioſum) longè minora peccata cenſenda ſunt, interim tamen in claſſem adiaphororum vel etiam virtutũ nequiquam ſunt referenda, ſiquidem abuſus ſignorum non ſolùm in pernicioſo, ſed etiam officioſo ac jocoſo mendacio concurrit. Voces ſunt animi ac rerum Symbola, abutuntur igitur vocibus, qui per eas aliud ſignificant, quam rem ſe habere animo conceperunt. ** Auguſtin. Epiſt. 2. ad Hieron. *Ad ſanctas Scripturas ſi admiſſa fuerint vel officioſa mendacia, quid in eis remanebit autoritatis?* Et…erum: *Qua tandem de Scripturis illis ſententia, proferetur, cujus pondere contentioſa falſitatis conteratur improbitas? ſtatim enim ut protuleris, ſi aliter ſapit, quia contra nititur dicit illud quod prolatum erit, honeſto aliquo officio ſcriptorem fuiſſe mentitum.* Idem de mendac. cap. 14. *Quisquis eſſe aliquod genus mendacii, quod peccatum non ſit, putaverit decipiet ſeipſum turpiter, cùm honeſtum ſe deceptorem arbitratur aliorum.* Item. *Nullo pacto, nullo fine, nulla diſpenſatione, humana vel divina poteſt licitè mendacium dici.* Hieron. mitior eſt, ſic enim ſcribit in comm. Galat. 2. *Vtilem ſimulationem & in tempore aſſumendam Iehu Regis Iſrael nos doceat exemplum, qui non potuiſſet interficere Sacerdotes Baal, niſi ſe finxiſſet idolum colere velle* 2. Reg. 10. ** Thomas 2. 2. q. 110. artic. 3. *Mendacium eſt malum ex ſuo genere, eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. cùm enim voces ſint ſigna naturaliter intellectuum, innaturale eſt & indebitum, quod aliquis voce ſignificet, id quod non habet in mente.* Juvandus quidem proximus, ſed licitis ac legitimis mediis nec bona intentio actiones ſuâ Naturâ vitioſas reddit bonas. Apoſtolicum præceptum eſt, *Mala non eſſe facienda, ut eveniant bona*, Roman. 3. v. 8. Si propter commodum proximi liceret mentiri, utique pro Dei gloria idem multò magis liceret. Conceſſerim equidem illud mendacium, cui voluntas ſeu intentio fallendi non eſt conjuncta, nòn eſſe peccatum mortale, interim tameo jocoſa ac officioſa mendacia planè non eſſe peccata, ex eo minimè ſequitur. Præterquam enim quod abuſus ſignorũ etiam in his mendaciis concurrit, hoc inſuper vitium habent, ut qui talibus mendaciorum generibus utitur, autoritatem ſibi abroget, ut poſtea non poſſit cum fructu admonere, arguere, aut conſiliũ dare, audieotes enim exiſtimabunt ipſum officiosè mentiri, ut ipſos in viam revocet, non quaſi revera res ſe ita habeat. ** Geſner. in cap. 27. Gen. *Non eſt plena*

An omne mendaciũ ſit peccatum?

defini-

by Google

definitio mendacii, quâ dicitur falſa eſſe ſignificatio vocis cum intentione fallendi. Auguſt. in Enchir. cap.6.& de mend.cap.22. *ſed hoc inſuper addi oportet, quod mendacium e privata cupiditate carnis eque propriè mendaciorũ non ex inſtinctu Spir. S. promanet, quodq; directum ſit vel in contumeliã Dei, vel in detrimentũ proximi quem lædere & circumvenire iniquum ſit, vel alioquin ex ingenii vanitate proficiſcatur.*** De *exemplis Sanctorum, qui officioſè vel jocoſè mentiti ſunt,* obſervandum, quod nec temerè damnanda nec temerè imitanda ſint. De obſtetricibus Ægyptiacis reſpondet Auguſtinus, *non mendacium ipſarum, ſed fidem & timorem Dei ac miſericordiam erga Iſraeliticos infantes Domino placuiſſe.* Reliqui vel ex humano Spiritu vel afflatu divino ea, quæ cum re non conſentiunt, protulerunt; ſi prius, humani aliquid paſſi ſunt: ſi poſterius, eorum dicta & facta mirabimur, non autem imitabimur. Sic Biel.3.ſent. diſtinct.38. quæſt un. primo in genere reſpondet, *non eſſe neceſſarium, ut ab omni mendacio officioſo & jocoſo Sanctos excuſemus, aut ab omni peccato, cùm non fuerint perfectiores Apoſtolis, qui peccarunt venialiter etiam accepto Spiritu ſancto.* Item, *Potuiſſe illos dicere talia familiari conſilio Spiritus ſancti, per quod lex revocetur:* Poſtea in ſpecie ad ſingula exempla reſpondet. *Abraham dicit, ſe reverſurum, nimirum, quia credidit filium poſt immolationem morte ſuſcitandum, ergò non protulit aliquid contra id, quod in mente habuit. Iſaac uxorem vocat ſororem, more illius gentis, quo omnes cognatæ dicebantur ſorores. Jacob vocat ſe Eſavum, quia revera erat Eſavus, non quidem in perſona; tamen in officio & dignitate, quærebat autem Iſaac de eo cui debebatur benedictio, Joſeph vocat ſe augurem exprimendo opinionem populi, qui eum talem eſſe exiſtimabant, vel ſecundum Alenſem verbum augurandi ſumitur communiter pro ſcientia futurorum. Rachab exploratores abiiſſe dicens non propter mendacium, ſed propter pietatem commendatur. Iehu mendacium fuit perniciosum, quia mortis procurativum. Juditha non mendacia ſed affectio ad populi liberationem commendatur.* Hactenus Biel. Sed enim cùm neç officioſo nec jocoſo mendacio conditiones mendacii propriè dicti conveniant, ideò in illis condemnandis haudquaquam præcipites nos eſſe convenit.

An omnis ſimulatio prohibita. 177. Quæritur 2. *An omnis ſimulatio ſit prohibita?* Reſp. Diſtinguunt inter ſimulationem. Unam eſſe dicunt, quæ deceptionem tantùm ſpectet, hanc eſſe peccati arguendam, nemo dubitat. Alteram, quæ non eò tendit, ut aliquis fallatur, ſed conſilia tantùm occultat, ne impediantur, quo referunt exemplum Chriſti ſimulantis ſe longiùs iturum Luc.24.v.28. Bonaventura dicit, *Eſt quædam ſimulatio cautelæ, quædam doctrinæ, quædam deceptionis. Prima fuit Ioſuæ & Davidis, ſecunda Chriſti, quâ docuit diſcipulos officium hoſpitalitatis, tertia eſt hypocriſis.* Sed enim quamvis non ſemper exigatur, ut id, quod novimus, in apertum proferamus, Eccl.19.v.8. *Nec apud amicum, nec apud inimicum mores alienos enuncies, & ſi non redundat in te peccatum, ne detegas:* Tamen probè cavendum, ne ſimulatione utamur, quando confeſſio veritatis exigitur, nec calliditas prudentiæ ſpecie nobis imponat. ** Hunn. in qq. ſuper cap.18. Geneſ. *Deus hypotheticos dicit. Si vixero veniam ad te, ut inſerviat ſuo inſtituto, nondum enim volebat agnoſci, ſe eſſe Iehovam. Neque hæc eſt ſimulatio ſed diſſimulatio, quæ cum Dei Natura non pugnat. 1. Quis enim meritò accuſaverit eum, ſi maximè Abrahamo ſe tum non aperuiſſet, planè, quisnam eſſet, cùm non ex debito teneatur ſe aperire Abrahæ? 2. adhæc quia ſub initiũ apparitionis illius ſine ullo ſuo periculo Abrahamus ignorare potuit, eum eſſe dominũ qui apparebat, idcircò Deus agnitionem ſui in eum differt temporis articulum, quem ſuo inſtituto judicabat maxime accommodum, nam quia potiſſimum hac vice propter Saram apparuerat, ideò expectabat, donec illa cordis ſui diffidentiam proderet, ut tum redarguendi, tum in fide confirmandi eam occaſionem haberet commodiorem. Angeli ſimulant ſe in platea pernoctaturos, ut inſerviret inſtituto, & excitarent in Lotho affectum retinendi ipſos, ſicut & Salvator fecit* Lucæ 24. *quæ non eſt ſpecies ullius mendacii, cùm hæc à Chriſto & Angelis fiant, non ad fallendum quenquam neque ad nocendum cuiquam, neque ex dolo malo, ſed hoc duntaxat fine & conſilio, ut augeant in illis, à quibus diſceſſuri videntur ſui detinendi ſtudium ac deſideriũ.* Idem in cap.19. Gen.** De exemplo Chriſti quidam ſtatuunt ſignificatum eo fuiſſe, quàm procul à cordibus iſtorum diſcipulorum adhuc abeſſet, uti & abitum ſuum ad cœlos eo fuiſſe adumbratum, ac proinde in illa ſimulatione non inveniri mendacium, cùm rei ſignificatæ factum probè adæquetur. Auguſt.lib.2.qq.Evang.quæſt.51. *Quod ſcriptum eſt de Domino, finxit ſe longiùs ire, non ad mendacium pertinet, non enim omne, quod fingimus, mendacium eſt, ſed quando id fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium, cùm autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis, alioquin omnia, quæ à ſapientibus & ſanctis viris vel etiam ab ipſo Domino figurata ſunt dicta, mendacia deputabuntur, quia ſecundum uſitatum intellectũ non ſubſiſtit veritas in talibus dictis &c. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur ſine mendacio ad aliquam rem ſignificandam.* Syrus reddidit, *faciebat eos putare, quod quaſi ad locum longinquum proficiſceretur.* ** Geſn. in cap.27. Gen. quæſt.1. *Quando de fictione & ſimulatione agitur ſemper confeſſio & religio excipienda eſt, de qua veriſſimè ſentit* Auguſtin. libr. de mend. cap.14. *capitale eſt mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis, ad quod mendacium nullâ conditione quicquam debet adduci. Sed extra tempus confeſſionis in rebus ad hanc vitam pertinentibus ſæpe negotia ita comparata ſunt, ut id, quod fieri æquum eſt, abſque aliqua fictione, occultatione & ſolertia conſequi nequeamus. Rebecca abſque odioſo jurgio cum marito & totius familiæ perturbatione benedictionem Iacobo citra hanc aſtutiam impetrare nequiviſſet. Infantium in Ægypto vitam obſtetrices citra tale honeſtum commentum tueri, Gabaonitæ abſque aſtutia Iſraelitarũ amicitiam comparare, Nathan Davidem abſque commento ad agnitionem delicti adducere, Chuſai Achitophelis ſcelerata conſilia explorare, fœmina Davidis nuncios abſcondere, Rahab exploratores dimittere & denique Ioſua, David & reliqui principes abſque ſtratagematum adminiculo res magnas gerere non potuiſſent.***

An liceat in judicio 178. Quæritur. 3. *An liceat in judicio vel in caſu confeſſionis æquivocationibus uti ac veritatem occul-*

vel conſeſſione æquivocationib. uti.

occultare? Reſp. Jeſuitæ id ſibi licere putant. Sic enim Tolletus libr. 4. inſtruct. Sacerd. cap. 21. *Aliquando licet uti æquivocatione & decipere audientem, non ſemper, ſed quando judex contra juſtitiam petit juramentum, licet uti æquivocatione & jurare ſecundùm ſuam mentem contra mentem judicis, ut putà quærenti judici, feciſtine illud? Reſpondeat, non feci, intelligendo inter ſe, ut dicam tibi, vel hoc tempore, vel quid ſimile. Et ſi vir uxorem quærat, an ſit adultera? iſta poteſt dicere, non ſum, quamvis verum fuerit intelligendo, ut tibi revelem. Sic, qui cogitur jurare alteram in ſponſam accepturum, intelligendo, ſi poſteà placuerit. Et à latronibus comprehenſus juraverit, ſe poſtea daturum centum aureos, ut liberetur, & æquivocè jurans, inter ſe dicens, ſi poſtea libuerit, tunc non tenetur ſolvere. Sic à cuſtode injurioſè detentus, ut dimittatur, jurans ſe rediturum poſtea, poteſt uti æquivocatione, & non tenetur redire.* Campianus in Epiſt. ad generalem ſocietatis ex Anglia ſcripta & Treviris Anno 83. typis evulgata pag. 86. *Catholicorum conditio in Anglia graviſſima; animis nihil liberum, nihil integrum relinquitur, non vox, non religio, loquendum tibi eſt cum aliis affirmandum juramento, quod ceteri affirmarunt, etiamſi animo longè aliter opineris, etiamſi conſcientiâ planè contrarium ſenſeris* (nimirum juxta doctrinam Baſilidis hæretici, qui uti refert Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7. ex Agrippa Caſtore docere non erubuit, fidem perſecutionis temporibus incunctanter etiam perjurio negandam) Gregor. de Valent. tom. 3. pag. 1346. æquivocationem vocat *prudentem deſenſionem*. Thomas Mortonus Anglus in Apol. Cathol. libr. 2. cap. 13. allegat verba Sacerdotum Wisbycenſ io Epiſtola, quam ad Catholicum Generoſum inſcripſerint, in qua ſic loquuntur. *Ars eſt noſtrorum Ieſuitarum, ut in juramentis ſuis Magiſtratus illudant: Cùm à Magiſtratibus quæritur, Esnè Sacerdos? tum Sacerdoti* (dicunt) *licebit reſpondere, Non ſum talis (ſed additâ hac intentione, intus in animo concepta, non ore prolata) qualem me eſſe cupitis, aut ut narrem tibi, aut aliquid ſimile.* Sed hæ ſunt doctrinæ fraudum ac perjuriorum; quando in judiciis tanquam teſtes examinamut vel confeſſio religionis exigitur, tenemur abſq; ullis æquivocationum involucris nudam ac ſimplicem veritatem profiteri. De juramentis præclara extat Iſidori ſeoteotia c. Qui pejerare. cauſa. 22. q. 5. *Quacunq; arte verborũ quis juret, Deus ſic accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit.* Ibidem. *Deus duplicitatis aſpernator ſimplicem intentionem utriusque conſiderat, & tam ex parte recipientis, quàm ex parte præſtantis verborum artem aſpernatur & odit.*

Explicatio noni & decimi præcepti.

179. Præceptum nooum. *Non concupiſces domum proximi tui.* Præceptum decimum. *Non concupiſces uxorem proximi tui, nec ſervum ejus, nec ancillam ejus, nec bovem ejus, nec aſinum ejus, nec omnia quæ illius ſunt.* 1. Oſtendimus ſuperiùs th. 45. geminum concupiſcentiæ genus his præceptis prohiberi, actualem ſcil. ac originalem; id quod ex verbis horum præceptorum & collatione aliorum Scripturę locorum ibidem evicimus. 2. Accuſantur igitur his præceptis non tantùm vitioſi affectus, ad quos plenus ac deliberatus accedit conſenſus. Sed & prava inclinatio, primi illi vitioſæ concupiſcentiæ motus, imò etiam ipſa habitualis concupiſcentia, per quam peccatum originale ab Apoſtolo definitur. 3. Obſtruitur igitur fons peccatotum in hiſce ultimis præceptis, ſiquidem *ex corrupto corde noſtro exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemia* Matt. 15. v. 19. 4. Chriſtus ipſe in explicatione legis Matthæi 5. oſtendit, ita interpretanda eſſe hæc duo ultima præcepta, ut ducantur per omnia Decalogi mandata. 5. Diſtinguendi autem neceſſariò appetitus naturales & ordinati à vitioſis concupiſcentiæ moribus, non enim illos, ſed hos lex divina prohibet. D. Apoſt. aliam profert diſtinctionem Gal. 5. v. 17. inter concupiſcentiam carnis & Spiritus. Nec naturalis, nec ſpiritualis, ſed corruptæ carnis concupiſcentia lege DEI prohibetur. 6. Deut. 5. fit objectorum tranſpoſitio, uxor enim primo loco, domus ſecundo recenſetur, ex quo apparet, diſtinctionem horum præceptorũ non poſſe ex objectis primò ac propriè peti. 7. Concupiſcentia non continet ſe in illis objectis, quæ in his præceptis enumerantur, ſed latiùs vagatur, ideò additur generalis clauſula, non cõcupiſces quicquam eorum, quæ ſunt proximi: & cùm Chriſtus Luc. 8. v. 14. inter ſpinas numeraſſet, curas hujus ſeculi, deceptionem divitiarum & voluptates addit Marc. 4. v. 19. *καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι.* Gal. 5. v. 17. Opera Spiritus, cõtra quę caro concupiſcit, enumerantur ex utraq; Decalogi tabula. Ideò autem nominatim uxorem, domum, ſervos, ancillas, agros, boves, aſinos proximi concupiſcere prohibemur, quia hęc in uſu vitæ humanæ quotidie oculis noſtris obverſantur. 8. Apoſtolus involucris illis Moſaicis de non-concupiſcenda domo, uxore, agro &c. omiſſis, præcepta hæc ſine circumſtantiæ additione vel objectorum ſpecificatioue proponit. Rom. 7. v. 7. c. 13. v. 9. *Non concupiſces.*

180. Requiritur igitur io his duobus præceptis interior perfecta harmonia omnium appetitionum cum norma legis divinæ perfectè congruens, concreata totius Naturæ integritas, ſpiritualis & numeris omnibus abſoluta obœdientia: contrà verò accuſantur omnes cogitationes, inclinationes, impetus & affectus contra Dei legem, quorum omnium cùm fons & ſcaturigo ſit peccatum originis, ideò D. Apoſtol. illud vocat concupiſcentiam. Agnoſcamus proinde extremâ naturæ noſtræ corruptionem, quâ ad omnis generis pravas concupiſcentias effreni impetu ferimur, propter quas etiam poſt regenerationẽ quotidianâ peccatot. remiſſione indigemus Pſal. 32. v. 6. quibus ipſa bona opera inficiuntur & maculantur, quò minùs Dei judicio opponi poſſint; agnoſcamus inquam haſce noſtras ſordes & ſeriis gemitibus eas deploremus, petamus merito Chriſti eaſdem in nobis tegi; repugnemus illis virtute ſpiritus carnem cum ſuis concupiſcentiis mortificantes & ad plenam in æterna vita expectandam integritatem ac perfectionem intimo cordis deſiderio aſpiremus.

An lex Dei perfectè impleri poſſit.

181. Præmiſſâ hâc Decalogi expoſitione, probè obſervatâ, facilè apparebit, *an perfectam illam obœdientiam; quam Deus in lege à nobis requirit, viribus Naturæ vel gratiæ, hoc eſt, vel ante regenerationem vel poſt regenerationem in hac vita præſtare poſſimus.* Gravis hîc conſtituta nobis adverſaria cum Pontificiis, quibus perſuaſum, perfectam legis impletionem vires hominis, præſertim renati non excedere. Nos contra ſtatuimus;

homines nondũ renatos externam quidem diſciplinam præſtare poſſe, quam ſcriptura vocat *juſtitiam carnis* Heb.9 v.10. ſed interiorem obœdientiam cordis ſine fide & Spiritu ſancto ab eis non poſſe inchoari nedum præſtari aut impleri, atque ipſam illam externam non renatorum diſciplinam Deo non placere, nec eſſe verè bonum opus. Ad Renatos quod attinet, dicimus legem ab illis impleri duobus modis, primò fide & imputatione, *quod enim impoſſibile erat legi, eò quod infirmabatur per carnem, hoc Deus miſſo filio præſtitit, & de peccato damnavit peccatum, ut juſtificatio legis impleretur in nobis*, Rom.8.v.3.& 4. *Finis legis Chriſtus eſt ad juſtitiam omni credenti*, Rom.10.v.4. Deinde inchoatione ſeu novâ obœdientiâ ex fide ortâ, ideò enim credentib. imputatur perfecta legis obœdientia à Chriſto præſtita, non ut ſecundum carnem liberè vivant, ſed ut in præceptis Dei ambulent: hæc renatorũ nova obœdientia non tantùm in externis operibus conſiſtit, ſed etiam interiorem obœdientiam complectitur, ſiquidem interiores cordis concupiſcentias & deſideria carnis mortificat, inchoatis novis cum lege DEI conſentientibus motibus, interim tamen à perfecta illa legis impletione, quam DEUS requirit, procul adhuc abeſt, id quod ſequentibus demonſtramus argumentis.

Argumenta pro parte negante. 1. Scriptura disertè reclamat.

182. Primò. Scriptura manifeſtis ac perſpicuis verbis aſſerit, legẽ Dei requirere adeò perfectam ac numeris omnibus integram obœdientiam, ut plena ejus perſolutio ſit nobis in hac vita impoſſibilis, Joh.7.v.19. *Moſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem* Act.7.v.53. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum & non ſervaſtis*, Act.13.v.38. *Per Chriſtum annunciatur vobis peccatorum remiſſio & ab omnibus, quibus non potuiſtis juſtificari per legẽ Moſis*. Act.15.v.10. *Quid tentatis Deum imponendo jugum ſuper cervicem diſcipulorum, quod neq; patres noſtri neq; nos portare potuimus*? Rom.8.v.3. *quod impoſſibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, præſtitit Deus miſſo filio ſuo*, v, 7. *τὸ φρόνημα σαρκὸς legi Dei non ſubjicitur, imò ne poteſt quidem*. Gal.3.v.21. *non eſt data lex, quæ poſſet vivificare*. **Socin. cõtra dictũ Rom.8. *Quod impoſſibile erat legi*, excipit part.2. de Servatore cap.23. f.194. *infirmari legem per carnem eſſe idem quod alibi dicitur hominem à ſervitute peccati liberari*. Reſp. contextus oſtendit, aliud ſignificare, nimirum, cùm lex ſit impoſſibilis homini carnali, adeoque ſalutem præſtare nequeat. Nam in præcedentibus opponit legem Spiritus vitæ in Chriſto legi peccati & mortis, ac dicit, quod *lex Spiritus vitæ Chriſti liberaverit eũ à lege*, i.e. quod in Chriſto inveniam' legis impletionem.** Excipiunt alii in genere, hęc dicta intelligenda eſſe de non renatis, qui non poſſunt Naturę viribus legem Dei implere, interim renatos viribus gratiæ id poſſe. Reſp. dicta hæc ſunt generalia, ac ratio eorũ itidem generalis eſt. Ideò lex eſt jugum, quod portare nemo noſtrûm poteſt, quia requirit perfectam omnium virium & actionũ integritatem, nec patitur ſibi ſatisfieri vel qualicunque externâ vel inchoatâ interiore obœdientiâ, ſed dilectionem perfectam ab omni concupiſcentiæ labe immunem requirit, quam cùm nemo hominum etiam renatorũ poſſit præſtare, ſiquidem *primitias tantùm Spiritus accipiunt* Rom.8.v.23. *& volentibus ipſis facere bonum adjacet malum* Rom.7.v.21. ideò vox legis eſt univerſale Dei judiciũ, quo *omnes* omninò *concluduntur ſub peccatũ*, Gal.3.v.22. *ut omne os obſtruatur & ὑπόδικ@ fiat omnis mundus Deo*, Roman.13.v.19. hinc Chriſtus dicit Joh.5.v.45. *eſt, qui vos accuſat Moſes, in quo vos ſperatis*. Iſraelitæ per circumciſionem recipiebantur in fœdus gratiæ, dabatur eis Spiritus υἱοθεσίας & renovationis, interim tamen fatentur Apoſtoli non gentibus ſolùm, ſed & circumciſis Judæis legem fuiſſe tale jugum, quod portare non potuerunt. Bellarm.4. de Juſtif. cap.14. excipit, Apoſtolos tantùm de Ceremoniali lege loqui, quod probare conatur 1. ex occaſione illorum verborum. Scribit enim *Lucas, Surrexiſſe quosdam ex diſcipulis, qui dicerent, oportere gentiles converſos circumcidi* atque iſtam fuiſſe cauſam, cur Apoſtoli concilium egerint, ut viderent de verbo hoc, ergò de circumciſione aliisque id genus Ceremoniis Petrus loquitur: Deinde ex verbis decreti. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis ab immolatis ſimulacrorum a ſanguine ſuffocato & ſcortatione*. Hæc ſola dicuntur neceſſaria ex lege Ceremoniali, non ſimpliciter ex omni lege, aliàs liceret Chriſtiano mœchari, occidere, furari, &c. tertiò ex ſumma decreti & verborum. Volunt Apoſtoli removere jugum legis à cervicibus Apoſtolorum; Si per τὸ removere jugum legis intelligitur abrogatio legis quoad obligationem, neceſſariò de ſola Ceremoniali lege id intelligendum, Moralis enim adhuc obligat. Si verò per τὸ removere jugum legis intelligitur tollere opinionem Juſtificationis, ſequetur legem Ceremonialem quoad obligationem nondum eſſe ſublatam. Reſp. ex v.5. patet duplicem fuiſſe quęſtionem motam à Pſeudoapoſtolis, 1. An circũciſio adhuc gentes obliget. 2. An obſervatio legis Moralis ad juſtificationem ſit neceſſaria. *Surrexerunt* (ait Lucas) *quidam ex hæreſi Pharisæorũ, qui crediderunt, dicentes, quod oporteat eos circũcidi, præcipere quoq; ut ſervene legem Moſis*. Apoſtoli diſtinctè reſpondent primò circumciſionem nõ ampliùs obligare gentes, volunt tamen paucas quaſdam Ceremonias legales de ſanguine & ſuffocato à gentibus obſervari propter evitationem ſcandali, quod Judæis oboriri poterat; hiſce adjungunt ex lege Morali continentiam à fornicatione quæ apud gentiles non habebatur pro peccato. Deinde legem Moralem dicunt obligare quidem cõverſos ex gentibus ad obœdientiã, interim tamen opera ejus non valere ad juſtificationem, quæ pendeat ex ſola Dei gratia in Chriſto nobis propoſita. Hoc decreti ſcopo obſervato facilè apparet, quid reſpondendum ſit argutiis Bellarmini, neq; enim de obſervatione tantùm legis ceremonialis quęſtio erat, ſed etiam de lege Morali, an ex ejus obſervatione ſperari poſſit juſtificatio & ſalus? Apoſtoli reſpondent, legis ceremonialis obſervationem eſſe in N. Teſt. penitùs ſublatam & ex lege Moſis non poſſe nos juſtificari aut ſalvari, cùm ſit jugum importabile, ideò in ſola Dei gratiâ omne perfugium, atq; omnem ſpem ſalutis nobis conſtitutam eſſe. Si de ſola ceremoniali lege fuiſſet quæſtio, cur diceretur jugum importabile? externi iſti ritus non excedunt hominis etiam non renati vires; fruſtra excipit Bellarminus, dici jugum importabile, quoniam ægrè ac difficulter portabatur, non enim

nim de difficultate, ſed de impoſſibilitate hoc loco agi, ipſe verborum ſonus arguit. Stapletonus in antidotis pag. 325. *propter adjunctam legem moralem Ceremoniarum multitudinem fuiſſe onus difficile diſputat*, fateatur igitur non de Ceremoniali tantùm, ſed etiam morale lege Apoſtolos, loqui, Quòd ſi lex Ceremonialis fuit jugum importabile, multò magis tale jugum fuit lex Moralis, ſiquidem Luc. 11. v. 24. & Matth. 23. v. 23. confert CHRISTUS inter ſe opera legis Ceremonialis & moralis, atque hæc illis graviora *βαρύτερα* eſſe pronunciat, quod probè obſervari velim. Præthereà ſubjungitur v. 11. *per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & Patres noſtri*, ex quo colligimus hoc modo. Illa Dei gratia, quâ juſtificamur & ſalvamur, opponitur non ſolùm obſervationi Ceremoniarum, ſed etiam operibus legis Moralis. Ergò non Ceremonialis tantùm, ſed etiam imò multò magis legis Moralis obſervatio dicitur jugum importabile. Antecedens patet ex Epiſtolis ad Romanos & Galatas, in quibus illius legis opera ab articulo juſtificationis excluduntur, *ex qua eſt peccati agnitio*. Rom. 3. v. 20. *quæ omnes homines peccati arguit, & univerſum mundum damnat*, v. 19. *quæ mentibus hominum inſcripta*. Ro. n. 2. v. 15. *quæ data eſt propter transgreſſores*, Galat. 3. v. 19. *de qua dictum, Qui fecerit ea, vivet in eis*, v. 10. At hæc omnia legi Morali competunt, Ergò non tantùm Ceremonialis, ſed & Moralis legis obſervatio ad juſtif. ac ſalutem eſt inefficax. Conjunge his omnib diſputationem Pauli in Epiſt. ad Galatas, ubi itidem contra illos Pſeudo apoſtolos demonſtrat, nos juſtificati ſolâ fide abſq; operibus legis etiam Moralis, ut ſuo loco pleniùs oſtendetur; Ex eo colligimus quæſtionem fuiſſe motam non de Ceremoniali tantùm lege, ſed etiam de morali, an opera legis Moralis ad juſtificationem requirantur.

2. Natura legis non permittit. 183. Alteram argumentorum claſſem petimus à natura legis. ** Bellar quidē lib. 5. de grat. & lib. arb. c. 4. §. 7. ſcribit: *Præcepta Non occides & Non furaberis, nihil aliud imperant niſi voluntariam omiſſionem externi operis homicidii & furti. Concupiſcentia enim rei alienæ & odium proximi præceptis aliis prohibentur. Itaq; non prævaricatur præcepta. Non furaberis & non occides, ſed illa obſervat ſecundum ſubſtantiam operis, qui abſtinet manum à furto & à cæde, etiamſi fortè prævaricetur præceptum, Non concupiſces rem proximi tui. Et ne oderis fratrem in corde tuo.* cap. 9. *Non eſt neceſſe omnia in Deum referri explicitè, ſatis eſt ſi opus referatur in finem proximum, tunc enim per ſe dirigetur in Deum ut ultimum finem.* ** Sed *Lex eſt ſpiritualis*, dicit Apoſtolus Rom. 7. v. 14. non externam tantùm, ſed internam etiam Spiritus obœdientiam requirit talem integritatem ac perfectionem poſtulat, ut nihil carnale ſit aut ſentiatur in viribus noſtris, quod vel alio inclinet & trahat, vel impediat, quò minus totus homo ſit ſpiritualis & motus dilectionis ardentiſſimus. D. Luth. *Præceptum quotlibet eſt ita ſpirituale, ut non ſolùm opus & fructum & folia & ramos, h. e. opera, verba, ſigna prohibeat, ſed etiam radicem & ſuccum, i. e. cupiditatem, ex qua talia veniūt.* Deut 6. v. 5. proponitur ſumma legis Moralis. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, ex omnibus viribus tuis, & proximum ſicut teipſum.* Jubemur Deum diligere ex corde non dimidio, ſed integro ac perfecto, ut in amore nihil ei vel præponamus vel adæquemus, ut ipſū ſolū diligamus, & ſi quid aliud diligimus, id propter ipſum, ſub ipſo, in ipſo & juxta voluntatem ejus diligamus. Jubemur Deum diligere ex tota mente, ut ea ſemper cogitemus, quę nos ad ipſius dilectionem inflammare poſſint, ut in omnibus ſtudiis & actionibus noſtris ipſius gloriam nobis habeamus propoſitam. Jubemur Deum diligere ex tota anima, ut maximo ſtudio exequamur, quę novimus Deo grata & accepta eſſe, ut perfecto odio proſequamur omne id, quod novimus ipſi ingratum & adverſum. Jubemur Deum diligere ex tota virtute, ut totis ipſi adhærentes viribus nullis minis vel blanditiis ab ipſo nos divelli patiamur, ut omnes animæ vires, omnia corporis membra dilectioni Dei & mandatorum divinorum obſervationi inſerviant. ** *Triplex* dilectionis *totalitas* rigoroſè exigitur. 1. *Objecti diligibilis*, ejuſq; tum primarii, ut diligamus totum Deum & quæcunq; ad eum pertinent: tum ſecundarii, ut diligamus proximum inimicum pariter & amicum 1. Joh. 4. v. 21. Matt. 5. v. 24. & quidem juxta integrum Decalogū Jac. 2. v. 10. 2. *Modi ex parte diligentis*, ut noſtra erga utrumque dilectio ex limpido & puro totius cordis, quod affectuum ſedes, fonte derivetur, id eſt, ut non ſolum Deum ſuper omnia præferendo illum omnibus aliis juxta *Becanum* p. 465. verè non fictè non ſimulatè, juxta *Bellar.* 2. de Monach. c. 13. p. 634. recto corde pro viriū noſtrarum modulo, ſecundum *Coſter.* c. 4. p. 245. ſed toti juxta omnia membra, omnes omninò animæ & corporis vires ſinceriſſimè diligamus & impenſiſſimè adeò ut omnes cogitationes, omnis vita & intellectus in illum conferatur, à quo habemus ea ipſa quæ conferimus *Auguſtin.* de doctr. Chriſt. c. 22. ut omnes cordis actus, motus & affectus ad eum diligendū concurrant. 3. *Temporis* ut Deum & proximum diligamus perpetuò & indeſinenter Deut. 6. v. 12. c. 11. v. 1. unde quidā Judæus referente Helvico tō. 3. diſp. Giſ. p. 178. *Quoniam hoc viſe us* (inquit) *cor eſt omnium primum in hominis formatione & poſtremū quod moritur, adeò innuitur his verbis toto corde, Deum eſſe diligendum continuè uſq; ad extremum momentum vitæ.* Requiritur *perfectio 1. eſſentialis* ex tota anima & omnibus viribus. *2. integralis* juxta omnia & ſingula mandata. *3. accidentalis*, omni tempore. ** Hoc præceptum de dilectione Dei eſt regula & menſura obœdientiæ in præceptis affirmativis, quemadmodum præceptum de non concupiſcendo eſt regula & menſura obœdientiæ in præceptis negativis. ** Quamdiu *caro concupiſcit adverſus Spiritum* Galat. 5. v. 17. & *lex in membris noſtris eſt rebellans legi mentis noſtræ* Roman. 7. v. 23. Deum non ex toto corde noſtro, anima, viribus, cogitatione diligimus, ſed ex parte: ideoque minus quàm debemus; quicquid autem minus fuerit, quam eſſe debeat, in vitio eſt, ſiquidem mandatum ejus violat. Deuter. 4. v. 2. cap. 12. v. 32. ** Aug. 1. de doctr. Chr. c. 22. *Diliges Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente; ut omnes cogitationes tuas & omne vitā, & omnem intellectum in illū conferas, à quo habes ea ipſa, quæ confers. Cum aut toto corde, totâ animâ, tota mente; nullā vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat & q. locum dare, ut alia veliſ frui, ſed quicquid aliud diligendum venerit in animū, illuc rapiatur,*

quò totius dilectionis impetus currit. Idem de Spir. & lit. c. 26. *Fortaſſe quiſpiam putaverit, nihil nobis deeſſe ad cognitionem juſtitiæ, quod Dominus verbũ conſummans & brevians ſuper terrã dixit, in duob. præceptis totã legem Prophetasq́; pendere, nec ea tacuit, ſed verbis apertiſſimis promiſit. Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum tuũ tanquã teipſum. Quid verius his impletis impleri omnem omninò juſtitiam? Veruntamen qui hoc attendit, etiã illud attendat, quàm in multis offendamus omnes, dũ putamus Deo, quem diligimus, placere vel non diſplicere quod facimus & poſteà per ſcripturã ejus, ſive certâ & perſpicuâ ratione commoniti cùm didicerimus, quod ei non placeat, pœnitendo deprecamur ut ignoſcat. Plena humana vita eſt documentis talibus, unde a. minùs novimus, quod ei placeat, niſi quia & ipſe minùs notus eſt nobis? Videmus n. nunc per ſpeculum, &c. Ad illam vitam immortalem pertinet, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota virtute tua. Ad hanc a., non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obœdiendũ deſideriis illius: ad illam, Nõ concupiſces ad iſtam: poſt concupiſcentias tuas non eas.* Idem de perf. juſtitiæ ad ratiocin. 17. *In plenitudine caritatis, nimirũ in patria præceptum illud implebitur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, nam cùm eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnino ex tota anima diligitur Deus; tunc cùm nulla lex erit in membris, ex toto corde diligemus Deum.* ** Diligendus eſt Deus *toto corde* i.e. tota voluntate, quæ eſt actionum omnium in anima principium, ſicut motuum omnium in corpore principium eſt cor. *Tota anima* i.e. toto appetitu inferiori ſeu ſenſitivo (quo ſenſu ſcriptũ Gen. 2. *factus eſt homo in animam viventem* i.e. vitâ animali & ſenſibili cœpit vivere) quem etiam appetitum movet voluntas, ſicut ſphæra ſuperior ſuo motu orbes inferiores movet. *Ex totis virib.* i.e. per omnes potentias motivas & executivas ejus quo voluntas imperat, ſicut illæ omnes Deo ſerviant in ſanctificationem juſtitiæ, ſicut in impiis ſerviunt iniquitati ad iniquitatem. Denique *ex tota mente* i.e. toto intellectu, qui per voluntatem caritate informatam movetur ad credendum de Deo quę ſunt credenda, ad meditandũ de Deo dilecto, ad ea inveſtiganda, quę ad Dei cultum & gloriam faciũt. Sic ergo diligendus Deus ut tota noſtra voluntas, appetitus, actio, intellectus in eũ feratur, nec horum quippiam mundo, carni, diabolo aut peccato ſerviat. *Stapler* in promt. moral. Dom. 12 poſt ſent. p. 294. Requiritur ut Deum diligamus toto corde ac totis viribus, at renati vix dimidiatis virib. pollent, eò quod veteri & novo homine, veteri & novo corde, vetuſtis & innovatis viribus ſeſe invicem perpetuò oppugnantib. conſtent. Rom. 7. Gal. 5. Eph. 4. Col. 3. multò igitur minùs ex totis virib. diligere poſſunt. Victor in Marc. 12 *Lex hæc ejuſdem verbi circa eand. materiam repetitione præ ceteris abundat. Facit hoc a. quò hominem tanto Dei amore flagrare debere commonſtret, ut nihil prorſus in ullam omnino animæ facultatem irrepere ſinat, quod ſuã erga Deum dilectionem excludat aut diminuat, aut alio trãsferat.* Theophyl. in c. 10. Luc. *Non oportet tum vegetativam facultatem animæ ſubjicere dilectioni Chriſti. Sed quomodo? vehementer, non a. remiſſè. Sed & ſenſitivã, atq́; hanc etiam vehementer, quin & rationalem, eandemq́; ex totis viribus. Quare nosipſos totos debemus Deo concedere, ſubjicereque nutritivam, ſenſitivam, rationalem noſtram facultatẽ dilectioni Dei.* Anshelm. in Matt. 22. *Ex toto corde tuo, i.e. intellectu perfecto, ut in confeſſione divinitatis nullũ relinquas errori locum & in tota anima tua, i.e. tota voluntate tua, ut ſcil. nihil velis illi contrarium. Et in tota mente tua, i.e. tota memoria tua, nihil reminiſcens, quo minùs de eo ſentias.* ** Ex quibus omnibus concludo, ſi vel maximè mandatis Dei obœdire in hac vita incipimus, tamen nos deficere in primo & ultimo præceptis. *Bellar.* 2. de Monachis c. 13. primò fatetur, *Gregor. Nyſſ. lib. de creat. hominis c. 8. Anshelm. in c. 22. Matth. Auguſt. 1. de doctr. Chriſt. c. 22. Bernh. ſer. 20. in cant. Præceptũ hoc ſic interpretari, ut per animam ſignificetur pars animæ vegetativa, per cor facultas ſentiens, per mentem intelligens vel aliquid hujuſmodi*, ſed addit *veriſimilius eſſe, iſta omnia idem omninò ſignificare.* Reſp. ſanè ubicunque in Scripturis jubemur Deum diligere ex toto corde, non minor quędã dilectio nobis pręcepta intelligitur, quàm ubi adjectis etiam reliquis membris ex tota anima, ex totis viribus & ex tota mente eum diligere jubemur, qui enim totum cor requirit, is intellectũ, voluntatem & reliquas vires non excludit, ſed ſimul complectitur, cùm phraſi Hebræa *cordis* nomine hæc omnia intelligantur: interim tamen dubium nullum, ſingularis emphaſeos & uberioris declarationis gratiâ etiam reliqua mẽbra adjici, ut omnes animæ vires, omnes cordis affectus, omnes mentis noſtræ cogitationes ſancto Dei amori deberi intelligamus. Quia n. omne, quicquid in nobis eſt, ab ipſo donatum obtinemus, ideo jure optimo omnia quæ habemus, ipſius dilectioni & obſequio iterũ impendere jubemur. Thom. 2. 2. q. 44. art. 5. *Quando jubemur Deũ ex toto corde, ex tota anima, ex tota mẽte, ex tota virtute diligere, deſignãtur 4. potentiæ principales in homine, ſcil. intellectiva, volitiva, ſenſitiva, & motiva, per cor intelligitur voluntas, quia omnibus imperat, ſicut cor vitæ influxũ cõmunicat, per mentem intellectus, per animam vis ſenſitiva, per virtutem vis motiva corporalium membrorũ.* 2. Pręceptum hoc affirmativum eſt, ideò ſolùm præcipitur, ut exerceamus iſtas animæ potentias propter Deum, quando id neceſſitas glorię ejus procurandæ requireret, alio autem tempore ſi id fieret, opus eſſet conſilii & ſupererogationis; petitum eſt hoc Bellar. pronunciatum ex Biele 1. ſent. diſt. 1. q. 4. art. 3. ubi dicit, *Non teneri hominem actualiter ſummè diligere Deum. quoties de Deo cogitat, ſed ſufficere habitualem dilectionem.* ** Cui ſimilia habet Johan. Heſſelius pontificius. *Ex ipſo præcepto ſcribens dilectionis tenetur homo quandoque à cogitatione de Deo abſtinere, ut miro modo ex Dei amore Deum non cogitet Deumque amet, dum ab amando ceſſat: cui opponendum illud contrariũ, de Deo ſæpius cogitandum quàm ſpirandum.* itemque Molanus in lib. de pract. Theol. tract. 3. c. 16. concl. 1. nu. 11. *Eſſe de honeſtate & non de neceſſitate, ut Deum ſuper omnia diligamus.* It. tract. 3. c. 8. cõcl. 3. n. 19. *non præcipitur, nobis à Deo ut pro inimicis oremus.* ** Reſp. quando verò incidere poſſet tempus ejuſmodi, quo nulla nos urgeret promovendi divinam gloriam neceſſitas? 1. Cor. 10. v. 31. *Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Præceptum de diligendo Deo ſuper omnia perpetuò nos obligat, cùm nullo unquã tempore

Exceptiones Bellarmini.

pore ſummi boni amore deſtitutos nos eſſe conveniat; ſi nondum ferimur toti in amorem Dei, ſi quid in amore ipſi præponimus vel æquamus, ſi nondum omnia diligenda propter ipſum, in ipſo & juxta ipſius voluntatem diligimus, ſi ipſum unicum omnium noſtrorum affectuum, conatuum & actionum finem nondũ ſtatuimus, imò ſi vel minima in nobis oriatur cogitatio ac concupiſcentia prava, quæ puriſſimo & ſanctiſſimo illi amori adverſetur, nondum perfectè præceptum hoc implemus. Si ex toto corde Deus diligendus, nullus debet eſſe cordis affectus, qui non in amorem Dei feratur. Auguſt. de Spiritu & lit. c.36. *Non reſtat in nobis aliquid quod addi poſſit ad totum, quod ſi reſtabit aliquid, illud non erit totum.* 3. Illud ex toto corde ab Auguſtino & Bernhardo ita exponitur, ut ſignificetur imperari nobis omnes gradus charitatis, quos vel in hoc mundo vel in alio habere poſſumus, ita ut ſemper Deum amemus, nec ullus ſit in nobis contrarius cupiditatis motus, ſive voluntarius ſive involuntarius; cum amore Dei pugnans; ex quo rectè deducunt hoc mandatum in hac vita perfectè impleri non poſſe. Reſp. Benè habet, egregii illi Scripturæ Interpretes & ſingularia Eccleſiæ lumina noſtram confirmant ſententiam, negant mandatum dilectionis in hac vita perfectè à nobis impleri poſſe, quod præcepti iſtius evidentia & proprii cordis experientia eos fateri coegit, quid ulterius deſiderat Bellarminus? regerit eoſdem Patres affirmare, hoc præceptum licet non poſſit perfectè impleri in hac vita, non tantùm facere prævaricatores, niſi impleatur, ſiquidem præcipitur aliquid duobus modis, uno modo ut ſolùm indicetur id, quod faciendum eſt, alio modo ut indicetur præcepto id, quod faciendũ eſt, & finis cujus gratia id faciendum. Si dicat Imperator militibus, pugnate adverſus illam urbem, ſolùm indicat id, quod faciendum eſt, ſi verò dicat, capite urbem, indicat quid faciendum eſt, & finem etiam illius operis, idem enim eſt ac ſi diceret, pugnate ad hunc finem, ut urbem capiatis. Præceptum autem propriè non obligat ad finem, ſed ad media, neque enim peccant milites, urbem non capiendo, modò ſtrenuè pugnent & pugnando dent operam ut illam capiant. Ita quoque Staplet. lib.6 de Juſt. c. 10. *Hoc præceptum diligendi Deum eſt doctrinale non obligatorium.* Reſp. Putida eſt hæc diſtinctio, quam ſuperiùs in tractatu de peccatis actualibus theſ. 44. pleniùs excuſſimus. Leges humanæ κατὰ τὸ δυνατὸν feruntur, neque ultra vires hominis quicquam requirunt, ſed lex divina non ſolùm præcipit, ut conemur ad illam perfectionem dilectionis, quam præſcribit, aſpirare, verùm etiam ut in tanto perfectionis gradu quem requirit, diligamus corruptæ rationis noſtræ indicium eſt, ſi κατὰ δύναμιν & quantum in nobis eſt, agamus, de reliquis Deum non eſſe magnoperè ſolicitũ, ſed vox legis urgens perfectam Dei dilectionem *& maledictum pronuncians omnem, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis* Deut. 27. v. 26. Galat. 3. v. 10. nimis manifeſta eſt. Qualis à lege obœdientia requiratur, non æſtimandum eſt ex viribus Naturæ deſtitutæ ſed inſtitutæ; quamvis igitur præceptum dilectionis propter peccatum per lapſum primorum parentum in nos traductum in hac vita implere non poſſimus, tamen perfecta ejus impletio à lege exigitur, & quidem meritiſſimè, cùm

perfectis ac ſufficientibus ad implendam eam viribus genus humanum primitùs fuerit à Deo inſtructum. Invertimus igitur Bellarmini ſimilitudinem (quâ & Stapletonus utitur in antidotis ad 7. cap. Roman.) Quemadmodum miles perfectis ad urbem occupandam viribus inſtructus ſuo non ſatisfecit muneri ſtrenuè pugnando; ſed requiritur inſuper, ut urbem re ipſa occupet: ita primus homo perfectis ad DEUM ex toto corde diligendum inſtructus fuit viribus; quas ad poſteros propagaſſet, ſi in concreata integritate perſtitiſſet, jure igitur à nobis DEUS exigit, non ſolùm ut aſpiremus ad illam dilectionem, ſed etiam ut revera ex toto corde ſe diligamus. *Omnis certe ἀνομία eſt peccatum.* 1. Joh. 3. v. 4. jam verò non implere iſtum dilectionis gradum eſt ἀνομία. Ergò non implere illum dilectionis gradum eſt peccatum. Egregiè igitur ſophiſticatur Bellarminus, quando ex Auguſtino & Bernhardo probare conatur, *non eſſe coram Deo peccatum quod deeſt perfectioni dilectionis, quam lex requirit*, hoc enim Patres iſti non ſolùm nuſpiam dicunt, ſed etiam diſertè contradicunt. Auguſt. l. de Spiritu & litera cap. 36. dicit: *Ideò nobis præceptum, ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus, ut admoneremur, quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere debeamus.* Idem & nos dicimus, fidem in Chriſto perfectam legis impletionem quærere ac dilectionis illud præceptum in æterna demùm vita perfectè à nobis impleri, at num ex eo ſequitur, quod perfectioni illi deeſt, non eſſe coram DEO peccatum? minimè verò, ſed manet debitum, ſi vel maximè nos non ſimus ſolvendo, ideò ſubjungit Auguſtinus, per hoc quantum mihi videtur in ea, quæ perficienda eſt juſtitia, multùm in hac vita profecit, qui quàm longè ſit à perfectione juſtitiæ proficiendo cognovit: ſed dici poteſt juſtitia minor huic vitæ competens, quâ juſtus ex fide vivit, quamvis peregrinus à Domino & ideò per fidem ambulans, nondùm per ſpeciem, non abſurdè dicitur etiam ad iſtam pertinere, ne peccet. Urget Bellarminus, quod in Auguſtino ſequitur: *Neque enim ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plena perfectaque debetur, jam culpa deputandum eſt, aliud eſt enim totam nondum aſſequi caritatem, aliud nulla ſequi cupiditatem.* Reſp. Auguſtin. nomine culpæ intelligit peccatũ mortale, quod nos actu coram DEO reos ſtatuit, tali culpæ non eſt deputanda charitatis imperfectio, interim tamen ſi DEUS velit in judicium nobiſcum intrare, poſſet propter hanc imperfectionem nos à facie ſua projicere, & propter hunc defectum noſtra vel habitualis vel actualis juſtitia non poteſt DEI judicio opponi, ideò ſubjungit Auguſtinus: *Quia hæc Scripturæ ſacra teſtimonia, Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens; ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus & veritas in nobis non eſt; Non eſt homo, qui non peccet; falſa eſſe non poſſunt, illud eſſe conſequens video, ut qualemlibet vel quantamlibet in hac vita poterimus definire juſtitiam, nullus in ea ſit hominum, qui nullum habeat omnino peccatum, omnique homini ſit neceſſarium dare, ut detur illi, dimittere ut dimittatur illi & ſi quid habeat juſtitiæ non de ſuo ſibi eſſe præſumere, ſed de gratia juſtificantis Dei & adhuc tamen ab illo eſurire & ſitire juſtitiam, qui eſt pa-*

nis vivis, & apud quem eſt fons vitæ. qui ſic operatur juſtificationem in Sanctis ſuis, in hujus vitæ tentatione laborantibus, ut tamen ſit quod petentibus largiter adjiciat, & quod confitentibus clementer ignoſcat. Sed inveniant iſti, ſi poſſunt, aliquem ſub onere corruptionis hujus viventem, cui jam non habeat Deus quod ignoſcat. Eodem modo ſcribit libr. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 7. *Virtus quæ nunc eſt in homine juſto hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat etiam ipſius imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confeſſio. Tunc enim ſecundum hanc infirmitatem pro ſuo modulo perfecta eſt iſta parva juſtitia, quando etiam, quid ſibi deſit, intelligit. Gratia Dei tribuit hic ſtudium ſervandi præcepta & eadem, ſi quid etiam in illis præceptis minus ſervatur, ignoſcit.* Epiſt. 26. ad Hieronym. *Propter illud imperfectionis vitium, ſi dixerimus peccatum non habemus, nos ipſos fallimus & veritas in nobis non eſt, propter illud etiam; quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere, Dimitte nobis debita noſtra, cùm jam omnia in Baptiſmo dimiſſa ſint, ex quo vitio non juſtificabitur in conſpectu Dei omnis vivens.* Ex Bernhardo profert Bellarm. ſerm. 50. in Cant. *Non latuit præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires, ſed judicavit utile ex hoc ipſo ſuæ illos inſufficientiæ admoneri, ut ſcirent ſanè ad quem juſtitiæ finem niti pro viribus oportet, ergò mandando impoſſibilia non prævaricatores homines fecit, ſed humiles.* Hactenus Bernhardus, in cujus verbis obſerva, quod expreſsè dicat præcepti pondus noſtras ſuperare vires, at ſi non obligati eſſemus ad perfectum illũ dilectionis gradum, ſi legem implere poſſemus, quomodo lex tale pondus eſſet, quod vires noſtras ſuperaret? dicit inſuper nos noſtræ inſufficientiæ admoneri, quæ admonitio nihil aliud eſt, quàm legis accuſatio, ut patet ex illis quæ ſequuntur apud Bernhardum. Proinde quod additur, DEUM mandando impoſſibilia non facere homines prævaricatores, accipiendum hoc ſenſu, quod inſufficientia illa noſtra ac virium noſtrarum *ἀδυναμία* manifeſtetur quidem in lege, interim tamen illud fieri non aliquo legis vitio ſed noſtro, perinde ut Apoſtolus diſſerit Rom. 7. v. 13. *Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum & juſtum & bonum,* v. 14. *quod ergò bonum, mihi factum eſt mors? abſit, ſed peccatũ, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum.* Attendat Bellarmin. illis, quæ immediatè cohærent, verbis ex Bernhardo citatis: *Deus mandando impoſſibilia non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, ut omne os obſtruatur, & ſubditꝰ fiat omnis*
„ *mundus coram Deo, quia ex operibus legis non ju-*
„ *ſtificabitur omnis caro coram illo. Accipientes*
„ *quippè mandatum & ſentientes defectum clamabi-*
„ *mus in cœlum & miſerebitur noſtri Deus, & ſcie-*
„ *mus in illa die, quia non ex operibus juſtitiæ, quæ fe-*
„ *cimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos*
„ *nos fecit.* 4. Sed enim animadvertit Bellarminus, ſe in concedendo nimis liberalem fuiſſe, ideò aliud quærit ſubterfugium. *Illud ex toto corde* (ait) *non ſignificat omnes actus cordis vel omnem intentionem poſſibilem, ita ut imperetur, ut nihil corde agamus, niſi Deum diligere, idque ſummâ vehementia amoris, ſed ſolùm ut amemus Deum amore præcipuo, nihilq; illi in amore vel anteponamus vel æquemus, ac proinde ſolùm in hoc præcepto contineatur id, quod faciendum eſt, non finis, ob quem faciendum eſt;* ex qua interpretatione colligit, adverſari quidem huic præcepto omnia peccata mortalia, non autem adverſari illi amorem honeſtum amicorum, licet non referatur actu in DEUM, non peccata venialia, non motus involuntarios concupiſcentiæ, etſi rerum alioqui graviſſimarum utpote infidelitatis, blaſphemiæ, &c. Præceptum hoc perfectè in hac vita ſervari poſſe. Quod commentum repetit 1. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati cap. 12. ** *Toto corde ſcribens, integrè quidem & perfectè, ut nihil amori Dei præponatur, ſed non ſemper continuo actu in hac vita, hoc enim hic non requiritur, ſed tantum indicatur de perfectione futuræ vitæ.* ** Deſumtũ autem eſt ex Thom. 2. 2. q. 24. art. 8. *Caritatis perfectio intelligitur vel ex parte diligibilis & ſic nulliꝰ creaturæ charitas perfecta, quia Deus in tantum diligibilis in quantum bonus, bonus autem eſt infinitè, vel ex parte diligentis, quando diligit, quantũ poteſt, quod fieri poteſt tripliciter. 1. Ut totum cor hominis actualiter feratur in Deum, hæc eſt perfectio charitatis in patria. 2. Ut homo ſtudium ſuum deputet ad vacandũ Deo & rebus divinis prætermiſſis aliis, nimirum, quantum neceſſitas præſentis vitæ requirit, hæc perfectio in via (in hac vita) poſſibilis. 3. Ut quis habitualiter totum cor ſuum ponat in Deo, ita ſcil. ut nihil cogitet vel velit, quod divinæ dilectioni ſit contrarium, hæc perfectio communis eſt omnibus habentibus charitatem.* Reſp. Non ſolùm DEO in amore nihil æquandum vel anteponendum, ſed etiã omnia diligenda, propter ipſum & juxta voluntatem ejus diligenda ſunt; pravæ concupiſcentiæ, licet ad eas nondũ accedat conſenſus vel delectatio, nihilominꝰ repugnant dilectioni Dei quia repugnant præcepto, Non concupiſces, omniũ a. præceptorũ ſum̃a eſt charitas, ubicunq; igitur in corde oriuntur pravi motus, ibi nondũ ex toto corde diligitur Deus. Negari certè nequit, in Decalogo propoſitã eſſe formam ac normam illius dilectionis, quam homo in ſtatu innocentiæ DEO præſtitiſſet, illa ſanè talis fuiſſet, ut in omnibus animæ viribus ac potentiis puriſſima dilectionis flamma luxiſſet, nec ullo unquã tempore vel extincta vel incendiis pravorum affectuum obfuſcata fuiſſet, hanc rectitudinem in Adamo toti humano generi conceſſam Deus adhuc jure à nobis requirit. Quæ Bellar. pro confirmatione interpretationis ſuæ affert, facilem habent explicationem. 1. *Totũ interdum ſumitur pro magna parte. Ergò & h. l.* Reſp. Ex puris particularib. procedit collectio. Demonſtrandũ erat Synecdochicã illam totiꝰ ſignificationem etiam hic habere locũ, contrarium oſtendit res ipſa, nõ magnam virium noſtrarũ partem, ſed omnes omninò animæ vires ac potentias à DEO donatas habemus. Ergò non ex magna tantùm viriũ parte, ſed ex omnibus ac totis virib. perfectiſſimè eũ diligamus. 2. *Quædam Scripturæ dicta oſtendunt præceptũ hoc eſſe facilè. 3. Promiſit Deus ſe facturũ, ut tempore N. T. diligatur in toto corde. 4. Multi hoc mandatũ impleverunt. 5. Patres dicunt, nihil impoſſibile a Deo nobis mandatum eſſe.* Reſp. Horum omnium explicatio ſequetur ſuo loco. Ceterùm an motus primi concupiſcentiæ, quibus nondum accedit conſenſus, ſint peccata contra legem Dei, quod argumentum noſtrum aſſerit, Bellarminus verò. 5. de ſtatu peccati c. 10. acriter negat, de eo ſuperiùs latiſsimè egimus.

184. Ter-

3. Confeſſio omniũ Sanctorũ contrariũ teſtatur.

184. Tertiam argumentorum claſſem petimus ex confeſſione omnium Sanctorum, qui ſe coram Deo peccatores eſſe, contra verò à perfecta legis impletione procul adhuc abeſſe conqueſti ſunt. Exod. 34. v. 7. *Coram Deo nemo innocens.* 1. Reg. 8. v. 46. *Non eſt homo qui non peccet.* Job. 9. v. 2. *Verè novi, quod non juſtificabit ſe homo coram Deo.* v. 3. *Si velit cum eo contendere, non reſpondebit ei ad unũ ex mille.* Hinc in vulgata verſione v. 28. ſubjungitur. *Verebar omnia opera mea ſciens q; non parcis delinquenti.* Job. 15. v. 15. *Ecce inter Sanctos ejus nemo integer, & cœli nõ ſunt mundi in conſpectu ejus, quanto magis abominabilis ac putridus homo, qui bibit velut aquam iniquitatem.* Pſal. 19. v. 13. *Delicta quis intelligit: ab occultis munda me.* Pſal. 32. v. 6. *Pro remiſſione peccatorum orandum eſt omnibus Sanctis.* Pſ. 130. v. 2. *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit.* Pſal. 143. v. 2. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia coram te non juſtificabitur omnis vivens.* Prov. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Eſa. 64. v. 6. *Omnes noſtræ juſtitiæ ſunt inſtar panni menſtruatæ.* Dan. 9. v. 5. *Peccavimus & iniquè egimus.* v. 7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autẽ cõfuſio faciei.* v. 18. *Non in juſtitiis noſtris proſternimus deprecationes noſtras in conſpectu tuo, ſed in miſerationibus tuis multis.* Rom. 7. v. 14. *Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* v. 18. *Scio, quod non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum, nam velle adiacet mihi; perficere autem bonum non invenio.* v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc nõ ſum juſtificatus.* 1. Johan. 1. v. 8. *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces ſumus.* Jac. 3. v. 2. *In multis offendimus omnes.* Naſcitur hinc varia argumentorum ſeges. Ubi peccatum, ibi ἀνομία: ubi ἀνομία, ibi non eſt perfecta cum lege conformitas; pugnant enim inter ſe aberratio à lege & perfecta impletio legis. Jac. 2. v. 10. *Qui in uno offendit, eſt omnium reus.* Qui carnalis eſt, nondum perfectè implet legem, quæ eſt ſpiritualis. Renati ſunt adhuc ex parte carnales, manet in eis lucta carnis & Spiritus Galat. 5. v. 17. Ergò perfectè non implent legem. Qui veretur juſtitiâ ſuâ coram Dei judicio niti, is nondum implevit legem, cur enim dubitaret juſtitiâ ſuâ niti, ſi perfectè legem implevisset? *Qui fecerit ea, vivet in eis?* At Sancti verentur ſuâ coram Dei juſtitiâ niti. Ergò, non implent legem. Si ipſi renati fatentur ſe legi Dei non ſatisfacere, quantò minùs homines non renati ſatisfaciunt? qui cùm fide careant, Deo placere nequeunt, & ipſorum opera non poſſunt eſſe niſi peccata. Hebr. 11. v. 6. Roman. 14. v. 24. ** Ad locum 1. Reg. 8. *Non eſt homo qui non peccet,* excipit Schmalcius contra Diſp. 12. Frantzii de cauſis peccatorum, *loqui Salomonem de impingentibus per imbecillitatem & ignorantiam, licet peccati lege non ſint captivati, at de talibus qui quidem peccarunt antea, ſed poſſunt à peccato ceſſare & deinceps perfectè ſervire Deo.* Reſp. Oſtendit contextus, Salomonem loqui de talibus peccatis, quæ ſunt graviſſima propter quę Deus iratus ejiciat Iſraëlitas ſuos in terram hoſtium & longinquam valdè, ibique tamdiu affligat, donec his caſtigationibus commoti ad ipſum redeãt per veram pœnitentiam. ** Bellarmin⁹ variis in locis varias habet exceptiones, lib. 2. de Monachis c. 13. dicit 1. *Paulum* Rom. 7. *loqui de motibus concupiſcentiæ involuntariis, quæ non ſunt peccata.* Reſp. Contrarium oſtendimus ſuo loco. 2. *Jobum veritum fuiſſe opera ſua, quia metuebat, ne quid imperfectionis eis miſceret, illi autem propriè metuunt, qui vident, poſſe vitari malum quod metuunt.* Reſp. Si omnis illa imperfectio operibus bonis renatorum adhærens vitari poteſt, quare pro remiſſione peccatorum orat omnis ſanctus? quare generaliter pronunciat Scriptura, non eſſe hominem qui non peccet? nec ſimpliciter & abſolutè verum eſt, illud ſolum metui, quod vitari poteſt, quia majori metu conſternimur, ſi videmus mala impendentia vitari non poſſe. Johus deſperans de ſuis meritis ad Dei miſericordiam & Redemtorem ſuum omnium Sanctorum more confugit. Gloſſ. ord. in c. 9. Jobi. *In bonis operibus duo ſi menda ſunt, deſidia ſcilicet & fraus, deſidiam facit minor amor DEI, fraudem facit proprius amor ſui.* Gregor. in illum locum. *Juſti omne quod agunt, metuunt, dum cautè conſiderant, ante quem judicem ſtabũt. Enumerant mala propriis operis & contrà exaggerant bona gratiæ conditoris. Conſiderant prava quàm diſtrictè judicet, bona opera quàm ſubtiliter penſet & perituros ſe abſq; ambiguitate præſciunt, ſi remotâ pietate judicentur, quia hoc ipſum quoq; quod juſte videmur vivere, eſt culpa, ſi vitam noſtram cum judicat, hanc apud ſe divina miſericordia non excuſat.* Anſhelmus in 1. Cor. 4. *Ad illius examen vita noſtra ducitur, ſub quo & virtutes noſtræ trepidant.* 3. *Eſaiam loqui in perſona graviſſimorum peccatorum, qui ſi qua bona opera faciebant, ſaltem moraliter ea inquinabant admixtione multorum criminum.* Reſp. Imò verò Eſaias more omnium Sanctorum petit peccatorũ remiſſionem, neque ex hac publica totius populi confeſſione ſeipſum hypocriticè excludit. Eſa. 6. v. 5. *Væ mihi,* ait, *nam vir pollutis labiis ſum ego, & in medio populi mei polluti labiis habito,* ac licet ipſi ea iniquitas & impuritas ablata ſit v. 7. ſe tamen ex peccatorum cœtu non eximit, dum ait: *Facti ſumus ut immundus, OMNES nos & quaſi pannus menſtruatus univerſa juſtitia noſtra.* Oſtendunt idipſum tum antecedentia tum conſequentia iſtius loci. Omnes quotquot publicarum calamitatum ſenſu afficiuntur, peccata ſua ibidem agnoſcunt, deplorant, atque eorum remiſſionem petunt. Atqui Propheta & reliqui pii in populo Iſraëlitico afficiuntur ſenſu publicarum calamitatum. E. peccata ſua agnoſcunt, deplorant, eorundemque remiſſionem petunt. Adde, quod diſertè de juſtitiis Propheta loquatur, quas peccatis contaminatas eſſe conqueritur, ecquis verò graviſſimis peccatorib⁹ tribuet juſtitias? ſi vel maximè externa quædam opera moraliter bona faciant, ea tamen coram DEO nõ ſunt bona, nec juſtitiæ nomine digna. Bernh. ſerm. 5. de verbis Eſaiæ col. 250. *Noſtra (ſi qua eſt) humilis juſtitia, recta forſitan, ſed non pura. Niſi fortè meliores nos eſſe credimus, quàm Patres noſtros, qui nõ minùs veraciter quàm humiliter ajebant: Omnes noſtræ juſtitiæ tanquam pannus mulieris menſtruatæ? Quomodo enim pura juſtitia, ubi adhuc non poteſt culpa deeſſe? Recta proinde interim videri poteſt juſtitia hominum, ſi tamen peccato non conſentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore.* Gerſ. lib. 4. de Conſol. Theol. proſ. 1.

Bellarmini exceptiones.

 Quid

Quid Eſaias ſe cum ceteris involvens ſibiq́; vileſcens humili confeſſione protulerit, legimus: Omnes juſtitia noſtra tanquam pannus menſtruata. Quis ergò juſtitias ſuas velut gloriabundus oſtentaverit Deo, pluſquam pannum confuſionis ſuæ mulier viro. Adrianus de Trajecto in 4. ſentent. referente ex eo Caſſandro in conſult. *Sunt merita noſtra velut baculus arundineus, cui dum quis innixus fuerit, confringitur, perforat manum innitentis, & quaſi pannus menſtruata ſunt omnes noſtra juſtitia. Jugiter enim ſuper pannum vita, quã juſtitia operibus teximus, ſtillamus ſaniem diverſorum criminum. Qua igitur ex eis poterit eſſe fiducia apud Deum, qui neminem diligit, niſi ex toto corde converſum.* 4. Dictum Pſalmi, quod non poſſit coram Deo juſtificari omnis vivẽs, ita explicat, quod *nemo ſit qui non habeat peccata venialia, qua tamen non impediunt, quò minùs homo ſit juſtus & multa opera bona faciat; vel etiam comparatione cum Dei juſtitiâ initâ neminem eſſe juſtum.* Reſp. Deprecatur David judiciũ Dei, additâ ratione, quod nemo poſſit coram ipſo juſtificari, fatetur igitur juſtitiam ſuam nõ poſſe opponi Dei judicio, nec ſeverum ejus examen ſuſtinere. Venialia illa peccata non impediunt quidem vel tollunt juſtitiam fidei, ſiquidem renatis ea agnoſcentibus ac deplorantibus, in Chriſtum credentibus & carnem ſuam crucifigentibus non imputantur, interim tamen propriam noſtram juſtitiam tùm habitualem tùm actualem omninò impediunt, quò minùs eã in judicio Dei niti poſſimus. Si David potuiſſet Dei legem perfectè implere, cur veritus fuiſſet juſtitiam ſuam in examen divini judicii adducere? Nec comparatè ſolum ſed & abſolutè omnem operum juſtitiã coram Dei judicio ſubſiſtentem David & ſibi & aliis hominibus in univerſum omnibus derogat, perinde ut omnes Sanctos peccatorũ remiſſione indigere teſtatur Pſ.32.v.1. Aug. in enarr. Pſ.142. tom.8. *In veritate tua exaudi me in tua juſtitia, non in mea, ut inveniar in illo non habens meam juſtitiam, qua ex lege eſt, ſed eam qua eſt ex fide. Ad me enim cum reſpicio, nihil aliud meum, quam peccatum invenio. Qui cum Deo volunt intrare in judicium, niſi qui ignorantes Dei juſtitiam ſuam volunt conſtituere? Merito iſte* (David) *humilis in corpore Chriſti, diſcens a capite, quoniam mitis eſt & humilis corde, ne intres, inquit, in judicium cum ſervo tuo. Non litigemus, nolo tecum habere cauſam, ut ego proponam juſtitiam meam, tu convincas iniquitatem meam. Quare hoc? quare timei? quoniam non juſtificabitur coram te omnis vivens, hic utique vivens, in carne vivens, moriturus homo, natus vivens, ex hominibus vivens, de Adamo Adam vivens. Omnis itaq; vivens juſtificare poteſt ſe coram ſe, non coram te. Quomodo coram ſe? ſibi placens, tibi diſplicens. Coram te a. non juſtificabitur omnis vivens. Noli ergò intrare mecum in judicium Domine Deus meus. Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu de theſauro tuo regulam tuam, coaptas me ad eam & pravus invenior &c.* lib. 4. de juſtif. c.14. ad dictum Jacobi, *in multis offendimus omnes*; & Johannis: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*, reſpondet, *intelligenda ea de peccatis venialibus, qua non ſint peccata ſimpliciter, ſed imperfectè & ſecundum quid, neq; ſunt contra legem, ſed præter legem.* Reſp. Nugatoria hęc eſt diſtinctio, quam in tractatu de peccatis actualibus plenè excuſſimus. Omne peccatum, quantumcunq; vel qualecunq; ſit, eſt ἀνομία, aberratio à lege, transgreſſio legis, ac proinde nõn tantùm præter ſed etiam contra legem, quod Durandus, Cajetan⁹, Vega lib.11. in conc. cap.20. Azorius lib. 4. Inſtit. c.8. Vaſques in Thom. diſp.143. c.4. num.8. concedunt, cum quibus Bellarminus priùs tranſigat. lib.1. de amiſſione gratiæ & ſtatu peccati cap.12. dicto Jacobi obvertit *longè aliter ipſum accipere offenſionem, quando dicit* cap. 2. *Qui offenderit in uno, factꝰ eſt omniũ reus, & cùm poſtea* cap. 3. *dicit, in multis offendimus: ibi enim de offenſione criminali, hic de veniali loquitur, ibi enumerat gravia crimina, qua propriè & perfectè ſunt contra legem, hic verò addit, Qui non offendit in verbo, hic perfectus vir eſt, ubi de ea offenſione loqui ſe declaravit, qua perfectioni, non de ea, qua neceſſaria integritati opponitur.* Reſp. Utrumq; dictum Jacobi generale eſt, in multis offendimus omnes, & qui in uno offendit, reus factus eſt omniũ. Phariſaicum eſt, dicere quidem mandata eſſe minima, quorũ tranſgreſſione non peccetur contra legem, ut oſtendit Chriſtus Matth. 5. v.19. Idem qui dixit, Non mœchaberis, dixit etiam, Non concupiſces, ergò non ſolùm qui mœchatur, ſed etiã qui concupiſcit, contra legem agit, & reus peccati coram Deo efficitur. Bellarminus cap.11. præcedente abſurdiſſimum eſſe judicat, ſi ſtatuatur hominem juſtum ſtatim atq; unum aliquod peccatũ veniale cõmiſit, eſſe verè ac perfectè legis prævaricatorem, & per hoc reũ omniũ cœleſtiũ mãdatorum, q̃ homini non excidiſſet, ſi aliam juſtitiam, quam quę ex lege eſt, videl. eam, quæ eſt ex fide, agnoſceret, ſi ſplendentẽ Moſis faciẽ remoto velamine intueretur, quâ de re plura ſuo loco.

185. Quartum argumentórum claſſem petimus ex illis Scripturæ dictis, quæ teſtantur per legem, & ex lege non poſſe homines coram Deo juſtificari & ſalvari. Quicunque perfectam & integram obœdientiam legi præſtare poteſt, is poteſt etiam per legem juſtificari & ſalvari. At nullus homo per legem juſtificari & ſalvari poteſt. Ergò. Nullus homo perfectam & integram obœdientiam legi præſtare poteſt, Propoſitio eſt immotæ veritatis. Levit.18.v.5. *Cuſtodite leges meas, qua faciens homo vivet in eis.* Ezech. 2. v.11. *Dedi eis pracepta mea & judicia mea oſtendi eis, qua faciens homo, vivit in eis.* Luc.10. v.23. *Fac hoc & vives.* Rom.7.v.10. *Mandatum erat ad vitam.* Gal.3.v.12. *Qui fecerit ea, vivet in eis*, Aſſumtio non minùs certa Gal.3.v.11. *In lege neminem juſtificari coram Deo δῆλον manifeſtum eſt.* Rom.3.v.20. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram Deo.* Si ex lege poſſemus coram Deo juſtificari, opera legis non excluderentur à juſtificationis actu, Atqui manifeſtè excluduntur, Rom.3.v.28. *Arbitramur hominem juſtificari per fidem abſq; operibus.* Gal.3.v.11. *Quicunq; ex operibꝰ legis ſunt, ſub maledicto ſunt.* Hâc de re in articulo Juſtificationis plura, ubi eâdem operâ Bellarminianas exceptiones diſtinctione inter opera legis Ceremonialis & Moralis, inter opera Liberi arbitrii & gratiæ, inter opera, quæ fidem pręcedunt & ſequuntur, inter juſtificationem primam & ſecundam nitentes excutiemus. ** Photiniani diſtinguũt inter *opera legis moralis Moſaica* & inter *opera legis, prout à Chriſto completior facta in N. T.* Sed hæc hypotheſis falſa eſt.** Hoc loco illud examinandũ, quod Bellarminus 4. de juſtif. ſcribit, *Apoſtolum* Gal.3.v.11.

4. Scriptura per legem nos juſtificari neget.

non-

non ſignificare eos maledictos eſſe, qui legem implendo juſtificari quærunt, ſed eos, qui ſuis viribus ſine fide & gratia legem implere & juſtificari ſe poſſe credunt. Reſp. Pſeudo-apoſtoli illi, contra quos D. Paulus eo in loco diſputat, noo excludebant fidem à juſtificatione, ſed opera legis ei conjungebant, ut apparet ex cap. 15. Actor. v. 5. Surrexerunt quidam de hæreſi Phariſæorum πεπιστευκότες, qui crediderant. Niſi fuiſſent in eorum numero, qui Chriſto nomen ſuum dederant, certè non tantùm moleſtiæ ac negotii Apoſtolo falſâ ſuâ doctrinâ exhibuiſſent, contra eos demonſtrat Apoſtolus ex fide non ex operibus legis eſſe juſtificationem, argumento uſus inter reliqua etiam iſto, quod à maledictione legis petitum eſt. Lex DEI maledictum pronunciat omnem omninò hominem, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea. Jam verò nemo hominum permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut ea faciat. Ergò, omnes homines ſunt ſub maledictione legis. Finge cum Bellarmino argumentum Apoſtoli de ea tantùm legis impletione, quæ fit noſtris viribus ſine fide & gratia concludere, & alienum erit à ſcopo, quem ſibi præfixum habebunt Pſeudoapoſtoli, alienum erit à mente Galatarum, qui fidem Chriſti nondum abjecerant nec abjicere inſtituerant.

5. Filius Dei eo fine in mundum venit, ut noſtri loco impleret legem.

186. Quintam argumentorum claſſem petimus ex illis Scripturæ locis, quæ teſtantur, Filium DEI eo fine in hunc mundum eſſe miſſum, ut noſtri loco perfectam legi obœdientiam præſtaret, quæ per fidem oobis imputaretur, quâve coram Deo conſiſtere poſſemus. Si homo perfectè poſſet legi ſatisfacere, non opus ei eſſet CHRISTI merito. At hoc abſurdum. Ergò & illud. Connexionis veritas pendet ex pronunciato Apoſtolico Galat. 2. v. 21. *Si per legem eſt Iuſtitia, ergò gratis δωρεὰν* ſine cauſa CHRISTUS *mortuus.* Si perfectè legem implere ac per eam juſtificari poſſemus, quid opus fuit CHRISTO tot labores, tot moleſtias, tot anguſtias exhiberi? Referenda huc omnia Scripturæ dicta, quæ de fine incarnationis ac fructu paſſionis Dominicæ, Itemque de formali cauſa noſtræ juſtificationis loquuntur, quæ ſuum habebunt inferiùs locum. Hac vice expendemus ſequentia. Act. 13. verſ. 38. *Per Chriſtum annunciatur vobis remiſſio peccatorum, & ab omnibus illis, quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari.* Rom. 8. verſ. 3. *Quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, id Deus præſtitit Filium ſuum mittens in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne.* verſ. 4. *ut juſtificatio τὸ δικαίωμα legis impleretur in nobis.* Matth. 5. v. 17. *Non veni ſolvere legem, ſed implere.* Excipiunt Chriſtum nobis promeruiſſe gratiam Dei & Spiritum Sanctum ut legem implere poſſemus. Reſp. Sanè Chriſtus nobis non tantùm ſuam donat juſtitiam, ſed & Spiritum ſanctum, qui legem Dei ſcribit in cordibus noſtris, facit nos zelotas bonorum operum, flectit corda noſtra ad ſpontaneam obœdientiam prçſtandam &c. interim tamen obœdientia illa nondum eſt numeris omnibus in hac vita perfecta & abſoluta, ſiquidem *primitias tantùm Spiritus accipimus* Rom. 8. v. 23. *manet lucta carnis & Spiritus.* Galat. 5. verſ. 17. *Renovatio creſcit de die in diem.* 2. Cor. 4. v. 16. *Indigemus quotidianâ peccatorũ remiſſione* Matthæi 6. verſ. 12. ideò hæc qualiſcunque inchoata renatorum obœdientia oon eſt talis quædam perfecta legis impletio, quâ coram Dei judicio conſiſtere & vitam æternam mereri poſſint, ſed gratiâ DEI & merito Chriſti non in prima tantùm reconciliatione, ſed etiam toto vitæ curſu ad juſtificationem indigent. Excipit Bellarminus 4. de juſtificat. cap. 14. *Chriſtum eſſe ſemper noſtrum Mediatorem, quamvis ipſimet legem impleamus, tùm quia ſemper vires & gratiam nobis ſubminiſtrat, per quam bona opera faciamus, tùm quia peccata noſtra, quamvis levia & quotidiana ipſe purgat, ac converſos in gratiã iterum recipit.* *Exceptio Bellarmi.* Reſp. Peccata illa noſtra, quibus legem Dei quotidie tranſgredimur, non ſunt ex ſe & ſua Natura levia, ſiquidem dicuntur ab ipſo Chriſto ὀφειλήματα debita quædam Matth. 6. v. 12. Sed remoto gratiç umbraculo nos reos æternæ damnationis facerent, ideò ſacerdotali illâ Chriſti ad dextram Patris interceſſione, quæ nititur dignitate meriti à ſe præſtiti, quotidie indigemus. Rom. 5. verſ. 2. non ſolùm *fide juſtificati pacem habemus ad Deum per Chriſtum*, ſed etiam *per eundem habemus acceſſum fide in gratiam iſtam, in qua ſtamus.* Epheſ. 3. verſ. 2. *In Chriſto habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidẽ ejus.* Hebr. 4. v. 15. *Habemus Pontificem tentatum per omnia juxta ſimilitudinem abſque peccato.* verſ. 16. *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratia, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium oportunum.* 1. Joh. 1. v. 1. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum juſtum.* verſ. 2. *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Quamvis igitur magnum ſit Chriſti beneficium, quotidiana illa noſtri per Spiritum renovatio, tamen ab altero illo regenerationis beneficio accuratè diſtinguendũ eſt, nec gloria juſtificatioois tribuenda eſt inchoatæ noſtræ obœdientiæ: quamvis enim oriatur ex novis illis viribus à Chriſto Mediatore per Spiritum ſanctum in nos collatis, tamen cùm infirmetur per carnem, nec aſſequatur perfectionem à lege præſcriptam, ideò nec pro perfecta legis impletione, oec pro perfecta coram DEO ſubſiſtente juſtitia venditari poteſt. Quod Bellarminus addit, *Per noſtram ſententiam Chriſtum conſtitui otioſum Mediatorem, quaſi tàm inſigni obœdientiâ non potuerit hoc efficere, ut juſtificatio legis in nobis impleretur*, id facilem habet explicationem, omninò enim juſtificatio τὸ δικαίωμα legis in nobis beneficio Chriſti Mediatoris impletur, quod qui oegare vellet, apertis tibiis Apoſtolo Rom. 8. v. 4. id aſſerenti contradiceret, impletur autem non inhæſione, ſed imputatione, non operibus, ſed fide; impletur in hac vita inchoativè, in futura conſummativè. Viderit autem Bellarminus, nc à ſuæ fidei hominibus Chriſt' otioſus Mediator cooſtituatur, quibus peccatum in carne renatorum adhuc hærens videtur non eſſe proprii generis peccatũ, quib' infirmitates quotidianæ videntur peccata ex ſe & ſuâ Naturâ levia, quibus præter Chriſti Meritum tot ſunt adverſus peccata illa remedia, utpotè aquæ luſtralis aſperſio, Epiſcopalis, Sacerdotalis ac Monialis benedictio, pectoris tunſio, precularum horariarum ſine mente & ſono recitatio &c.

187. Sex-

6. Propria renatorum experientia perfectæ legis impletioni refragatur.

187. Sextam argumentorum claſſem petimus; ex propria renatorum experientia. Quis in dilectione Dei ſeſe ſatis fervidum eſſe ſentit? quis in timore Dei quandoque remiſſum ſeipſum fieri non ſentit? quis tali ac tantâ patientiâ afflictiones ſuſtinet, qualem ac quantam Lex Dei exigit? quis in precibus ſemper eſt attentus & aſſiduus? cui non obrepunt dubitationes de exauditione? quis impiorum felicitatem oculo ſemper irretorto & abſque tacito cordis murmure aſpicit? quis omnibus officii ſui partibus quotidiè ſatisfacit? quis proximum non verbis tantùm ſed & animo & opere; non ſimulatè, ſed verè; non frigidè, ſed ardenter; non ad tempus, ſed conſtanter; non perfunctoriè, ſed intimè; non tantùm benefacientem, ſed & perſequentem ſemper diligit? quis non aliquando pravis titillatur concupiſcentiis? At hæc omnia non præter ſed contra legem fiunt, non ſunt res mediæ, ſed verè & ſuâ Naturâ peccata, non ſunt Naturæ inſtitutæ effectus, ſed deſtitutæ defectus & corruptæ carnis noſtræ fructus. ** Rom. 3. v. 10. & 12. *Non eſt juſtus, non eſt qui faciat bonum.* Ergò nemo perfectè implet legem. Excipit Pererius Diſp. 6. in c. 3. Rom. *Sententias illas non ad omne genus hominum ſimpliciter referendas eſſe, ſed ad omnes homines impii & iniqui populi, apud quos verè dicatur, quod non ſit juſtus quiſpiam nec faciat bonum.* Sed refragatur ſcopus Apoſtoli, cui propoſitum eſt omnes omninò homines peccati reos agere v. 9. *Cauſati ſumus, Judæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe.* Item, *ut ſubditus fiat totus mundus DEO.* Repugnat etiam ſcopus Pſalm. 14. ex quo hæc deſumta. In eo enim omnes homines quaſi coram DEI judicio conſtituti, peccatorum rei aguntur non aliqui, ſed omnes omninò, ideo Utilitatem illam tripliciter effert S S. 1. per expreſſam affirmativam omnes, quæ notatur in Hebræo ה demonſtrativo, quo quaſi digito notatur, ſermonem eſſe de iis, de quibus Apoſtolus in præcedentibus egerat, id eſt, de filiis hominum ex patre & matre natis. 2. Per particulam combinantem יַחְדָּו omnes *ſimul* ſeu *pariter*, ita ut nemo excipiatur. 3. Per negationem, quæ nullum prorſus excludit, *ne unus quidem.* Cum hac ſententia congruit univerſa Scriptura Prophetica & Apoſtolica. *Non eſt homo qui non peccet* 2. Paral. 6. v. 36. Eccleſ. 7. v. 21. 1. Reg 8. verſ. 46. *innocens apud Deum non eſt innocens* Exod. 34. verſ. 7. *non eſt juſtus qui faciat bonum & non peccet* Eccleſ. 7. verſ. 21. *Juſtus in die ſepties cadit* Proverb. 24. verſ. 16. *nemo poteſt dicere mundum eſt cor meum* Proverb. 20. verſ. 9. unde Chryſoſt. in comm. Pſal. 14. ex his verbis colligit, etiam B. Mariam peccato originali fuiſſe obnoxiam. **

7. Allegoriæ idipſum docent.

188. Referri huc poſſunt allegoriæ, quæ legis divinæ jugum humeris noſtris importabile eſſe oſtendunt. Quamvis enim allegoriæ non præbeant firma & apodictica argumenta, plurimum tamen ornant ac delectant ſubſtratis priùs ex literali Scripturæ ſenſu firmis ac immotis fundamentis. Sic *graves Moſis manus* Exod. 17. verſ. 12. ſignificant legem eſſe *jugum oneris.* Eſa. 9. verſ. 4. *radians Moſis facies.* Exodi 34. verſ. 29. notat, nos non poſſe εἰς αὐτὴν ἀτενίσαι & ſplendorem legis ferre. 2. Corinth. 3. verſ. 13. *gravis ac difficilis Moſis lingua.* Exodi 4. verſ. 10. convincit nos, quod ipſius præceptis perfectè obœdire non poſſimus. *Lapidea Decalogi tabula.* Exod. 24. verſ. 12. Conterunt cor noſtrum, non ſanant. ** Numer. 19. ſummus Sacerdos qui ligna accenderat & alter qui cinerem ex vacca ruffa collegerat, erant immundi uſque ad veſperam: ſic in hac vita uſque ad ejus veſperam ſumus immundi in omnibus noſtris operibus. ** Ut in promiſſam terram non Moſes, ſed Joſua Iſraëlitas introduxit, ita cœleſtis Joſua Chriſtus per Evangelii doctrinam, non autem Moſes per legem ad vitam æternam nos ducit. D. Luther. præfat. in libros Veteris Teſtamenti tom. 3. latin. Jenenſ. p. 67. *Lex habet tria diſcipulorum genera, primi ſunt, qui legem audiunt, verùm contemnunt eam & turpem abſque omni metu agunt vitam, ad hos lex non pervenit. Illi enim vituli cultores in Exod. horum figuram gerunt, ad quos Moſes non perferebat legem, ſed commotus irâ legum tabulas frangebat. Secundi ſunt, qui tentant ſuis viribus præſtare legem ſine gratia DEI, horum figuram hi gerunt, qui gloriam in vultu Moſis ferre non poterant, cùm denuò referret leges, atque ad hos quidem pervenit lex, verùm ipſi non poſſunt eam ferre: obducunt igitur eum velamine & hypocriticam vitam ſimulatione externorum operum legis agunt, verùm lex etiam illa ipſa opera judicat eſſe peccata, ubi velamen amotum fuerit, convincit enim nos, quòd noſtra vires nihil ſint, ſed tantùm Chriſti gratiâ nobis opus ſit. Tertii jam ſunt, qui in Moſis faciem ſine velamine poſſunt defigere oculos, hoc eſt, qui verè intelligunt legem & vident quàm ſit impoſſibile humanis viribus eam præſtare, atque hic quidem ſeſe exerit illa vis peccati & potentia mortis, hæc eſt illa haſta Goliath immenſæ magnitudinis, cujus cuſpis ſexcentos æris ſiclos pendet. Fugiunt igitur eum omnes Iſraëlitæ præter unicum Davidem, hoc eſt, Chriſtum noſtrum Dominum, qui nos ab omnibus illis monſtris liberavit, niſi enim gloriam vultus Moſis Chriſtus majore gloriâ obſcuraret, nemo illum legis fulgorem, hoc eſt, peccati ac mortis terrores perferre poſſet. Hi igitur omnia opera, omnem præſumptionem de ſuis viribus abjiciunt, neque alium legis uſum norunt, quàm ut per eam peccata ſua agnoſcant & miſerè deſiderent Chriſtum &c.* Huc refert D. Lutherus in verbis paulò præcedentibus, quod tres Apoſtoli in monte Thabor Moſen quidem & Eliam videbant, non tamen metuebant eos, erat enim in Chriſti vultu gloria, quæ omnem metum animis adimebat Dn. Chemn. c. 51. Harm. fol. 288. hanc texit allegoriam. *In V. T. tam terribilis erat promulgatio legis, ut populus non poſſet in montem aſcendere, ſed clamabat: Vocem illam non poſſumus audire. Sed quando Chriſtus Mediator explicat legem, addens ſuam impletionem; ſive quando Evangelium utitur miniſterio legis addens ei ſuam concionem, tunc turba in ipſum montē, ubi Chriſtus legē explicat, aſcendunt & de efficacia doctrina ejus mirantur*, Matth. 7. verſ. 28. Hujus loci etiam eſt Parabola Chriſti Luc. 10. in qua totū genus humanum adumbratur in homine illo, qui Hieroſolymâ Jericho verſus iter faciens in latrones incidit, rebuſque ſuis omnibus exutus ac ſpoliatus, inſuper lethaliter vulneratur, &c. Sacerdos &

Levita

Levita prætereunt nihil opis miſero huic homini conferentes, quâ in re lex Dei, cujus illi miniſtri erant, ſignificata eſt, quæ cernit quidem hominis cladem & miſeriam, nempe peccatum & mortem, ſed non juvat nec relevat homines. Matth. 18. ſervus quidam in conſpectum DEI producitur, qui decem millia talentorum ei debet, ſervus hoc debitum inficiari non audet, nec tamen ſolvendo eſſe poteſt, æterno igitur carcere damnari meretur: ejuſmodi debiti ſummam omnes homines Deo debent, omnia Decalogi præcepta multis modis transgreſſi, nec poſſunt ſuis viribus hoc debitum perſolvere, igitur à lege accuſantur & damnantur. Eodem etiam pertinet Parabola drachmæ perditæ & ovis amiſſæ, Luc. 15.

Dicta veterum. 189. Huic ſententiæ toties ſuum præbent veteres aſſenſum, quoties concupiſcentiam in carne renatorum adhuc hærentem peccatum eſſe aſſerunt, quoties noſtrâ juſtitiâ coram Deo nos ſubſiſtere poſſe negant. Peculiariter huc referenda dicta, in quibus legem in hac vita impleri poſſe disertè negant. Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. pag 252. *Nam genus humanum omne maledictioni obnoxium eſſe invenietur juxta legem Moſis. Maledictus enim quilibet dictus eſt, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea, nemo certè exactè omnia præſtitit.* Item l. 3. c. 20. p. 211. *Veniens lex, quæ data eſt per Moſen, regnum quidem mortis abſtulit, latronem & non regem eum detegens, & homicidã eum oſtendit, oneravit autem hominem qui habebat peccatum in ſe, reum mortis oſtendens eum, Spiritualis enim cum lex eſſet, manifeſtavit tantummodo peccatum, non interemit.* Origen. in c. 3. ad Rom. *Quis rectè ſuper caſtitate ſua gloriabitur, cùm ſcriptum legat, quia ſi quis aſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo? Quis ſuper juſtitia ſua gloriabitur, cùm audiat Prophetam dicentem: quia omnis juſtitia noſtra ſicut pannus menſtruatæ? ſola igitur noſtra gloriatio eſt in fide crucis Chriſti, quæ excludit omnem gloriationem, quæ deſcendit ex operibus legis.* Cyprian. in Expoſ. orat. Dom. *Ne quis ſibi innocẽs placeat & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur & docetur ſe peccare quotidiè, quotidiè pro peccatis jubetur orare.* Macar. hom. 38. oſtendit: *Eos qui à gratia divina illuminantur, diriguntur, pacifici ac boni redduntur ἐξ ἀληθείας ſeipſos reputare graviores peccatores omnibus hominibus.* ** Origen. homil. 10. in Num. non longè à princ. *Requirendum eſt quomodo & ſancti dicantur aliqui & de peccatis eorum ſcribatur. Non enim ut putant quidam, ſtatim ut quis ſanctus eſſe cœperit, peccare jam non poteſt, & continuò ſine peccato putandus eſt. Si enim ſanctus non peccaret, non utique ſcriptum eſſet. Sumetis peccata ſanctorum.* Numer. 18. v. 1. *Si ſanctus ſine peccato eſſet, non diceret Dominus per Ezechielem Prophetam ad Angelos quos mittebat peccatores punire, & à ſanctis meis incipietis* Ezech. 9. v. 6. *Si enim ſancti ſine peccato ſunt, quomodo ipſi primi ſuccumbũt in ſuppliciis peccatorum? Si ſancti ſine peccato eſſent, nunquam diceret Scriptura, quia juſtus in principio ſermonis eſt accuſator ſui.* Prov. 18. v. 17. Lactant. lib. 6. cap. 11. *Nemo eſſe ſine delicto poteſt, quamdiu indumento carnis oneratus eſt, cujus infirmitas triplici modo ſubjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.* Auguſtin. Epiſt. 89. *Omnibus neceſſaria eſt oratio Dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt, Apoſtolis ſuis Dominus dedit & unusquisque DEO dicat. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Cui enim hæc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hîc ſine peccato vivere pronunciandus eſt, quales ſi aliquos futuros Dominus prævideret, meliores utique quàm extiterunt ejus Apoſtoli, aliam orationem illos doceret, quâ non peterent dimitti ſibi peccata, quibus in Baptiſmo fuerant jam omnia dimiſſa.* Bernhard. ſerm. 73. ſuper Cant. fol. 789. *Opus habent & ſancti pro peccatis exorare, ut de miſericordia ſalvi fiant propria juſtitia non fidentes.* ** Ambroſius in cap. 2. Rom. *Non hi juſti ſunt, qui audiunt legem, ſed qui credunt in Chriſtum, quem lex promiſit, & hoc eſt facere legem, omnis autem non faciens legem, qui non credit legi, dum non recipit, cui lex teſtimonium perhibet, omnis ſalus in lege de Chriſto eſt, hic ergo ſervat legem, qui credit in Chriſtum, ſi autem non credit, transgreſſor eſt legis, quia non recipit Chriſtum, quem lex ad juſtificationem venturum cecinit, quam ipſa dare non potuit.* In cap. 4. Rom. *Quomodo Iudæi per opera legis juſtificari ſe putant juſtificatione Abrahæ, cum videant Abrahamum, non ex operibus legis, ſed ſolâ fide juſtificatum?* In c. 3. Galat. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus. Hoc ſcriptum eſt in Deuteronomio, quia ſi quid legis præteriſſet aliquis, maledictus haberetur, & tanta mandata ſunt, ut impoſſibile ſit ſervare ea. Unde & Petrus in Actis Apoſtolorum ait: Quid imponitis jugum fratribus, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?* ** Iſidorus Peluſiota lib. 1. Epiſt. 100. pag. 26. *Dic ad Novatiani ſuperciliis diſcipulum. Quid tanquam purus ſtolidè gloriaris? quid teipſum peccati expertem ſimulas? quid Naturæ ſocietatem inficiaris? Eſaias immundum ſe eſſe prædicat. David omnem hominem mendacem eſſe agnoſcit atque omnes in peccatis conceptos & in lucem editos fuiſſe. Atque etiam Deus ipſe homines mirum in modum & ſedulo improbitati addictos eſſe ac ſolo miſericordiæ oleo indigere ait. Et tu puritatis faſtum arroganter jactas?* Ambroſ. in c. 3. Gal. *Quoniam nemo poterat legem implere, rei erant omnes maledicto legis, ut vindicaret in eos. Chriſtus autem homo natus eſt, oblatus pro nobis, redemit nos à Diabolo.* ** Hieronym. in cap. Galat. *Quod autem in lege nullus juſtificetur apud Deum, &c. quia nemo eam ſervat, ideò dictum eſt, quod ſolâ fide juſtificandi eſſent credentes.* In cap. 5. Galat. ſuper locum: Evacuati eſtis à Chriſto, quicunque per legem juſtificamini. *Si in lege ſpem ponitis & juſtificari vos poſſe creditis, infirmam Chriſti gratiam judicatis, & quod jam gratis conſecuti eſtis, tanquam non habentes propriis vultis laboribus adipiſci.* ** Idem in cap. 11. Matth. *In lege multa præcepta ſunt, quæ Apoſtolus non poſſe compleri pleniſſimè docet.* In comment. cap. 2. Galat. *Congregandum in hoc loco, quanta in lege præcepta ſint, quæ explere nullus queat.* Lib. 1. contra Jovin. fol. 13. *Poſt diluvium data lex, quam implere nullus potuit.* ** Auguſt. 1. retract. cap. 19. *Omnia mandata DEI facta deputantur, quando quicquid non*

non ſit, ignoſcitur Bellarminus hunc unicum ex Patribus pro ſententia noſtra adducit locum, cui reſpondet 4. de Juſtific. c. 14. Auguſtinum loqui de ſumma perfectione implendi legem, ad quã non perveniamus in hac vita. Idipſum & nos dicimus, non enim negamus inchoari legis impletionem, ſed in ſummo perfectionis gradu abſolvi negamus, quia peccatorum remiſſione indigemus. Bellarm. regerit per pœnitentiam impetrari prævaricationis veniam, & hac ratione mandata deputari impleta. At illa peccatorum remiſſio non contingit per opera legis, per noſtras ſatisfactiones, ſed ex fide in Chriſtum, ex Evangelio, &c. ut ſuo loco plenius oſtendemus.) Idẽ Auguſt. Epiſt. 29. ad Hieron. Charitas eſt virtus, quâ id quod diligendum eſt, diligitur, hæc in aliis major, in aliis minor, in aliis nulla eſt. Pleniſſima enim quæ jam non poteſt augeri, quamdiu vivit hîc homo, eſt in nemine, quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud, quod minus eſt, quàm eſſe debet, ex vitio eſt, ex quo vitio non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, propter quod vitium ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos fallimus. De actis cum Felice Man. lib. 2. cap. 11. Data eſt enim lex ſuperbis hominibus & viribus ſuis totum tribuentibus, ut cùm implere non poſſent legem datam, prævaricatores invenirentur & facti rei ſub lege peterent miſericordiam à DEO conditore. ** Idem q. 105. in Ex. Quia lex à quovis perficiente non omni ex parte completur, propitiatorium deſuper eſt. Ad hoc enim opus eſt ut Deus nobis ſit propitius, & ideò deſuper ponitur, quia ſuperexaltat miſericordia judicio.** De Spiritu & lit. cap. 5. Illud præceptum (de diligendo DEO ſuper omnia) poteſt fieri coram hominibus, non coram Deo, qui cordis etiam ipſius & intimæ voluntatis eſt inſpector. De tempore ſerm. 49. Hoc ergo dicit legem implere, hoc eſt, non concupiſcere. Quis ergò hoc qui vivit, poteſt? adjuvat nos Pſalmus, qui modò cantatus eſt, Exaudi me Domine in tua juſtitia, hoc eſt, non in mea. Sedulius in cap. 7. Rom. Lex ſpiritualis eſt, quæ ſpiritualia mandat, ardua præcepit opera Spiritus, prohibens peccata & ideò non poteſt impleri. In cap. 10. Rom. Perfectionem legis habet, qui in CHRISTUM credit. Cùm enim nullus juſtificaretur ex lege, quia nemo implebat Legem, niſi qui ſperabat in promiſſionem CHRISTI, fides poſita eſt, quæ crederet pro perfectione LEGIS, ut in omnibus prætermiſſis fides ſatisfaceret pro tota lege. Carolus Magnus lib. 1. de Imagin. cap. 15. Deus jugum legis homini impoſuit, homo ferre non valet. Vide etiam cap. præcedens 14. Chryſ. in cap. 3. Gal. ſuper locum, juſtus ex fide vivet. Hoc enim non ſolùm oſtendit, ex fide juſtificationem eſſe, verùm etiam fieri non poſſe, ut per legem contingat ſalus. Poſteaquam, inquit, legem nemo ſervavit, ſed omnes ob tranſgreſſionem erant obnoxii maledicto, excogitata eſt facilior quædam via per fidem. Quod idem maximum argumentum eſt, ex lege neminem poſſe juſtitiam adipiſci, Non enim dixit Propheta: Juſtus ex lege vivet, ſed ex fide, lex autem non eſt ex fide.** Idem in c. 2. Galat. Lex jubet omnia fieri, quæ in ipſa ſcripta ſunt ac non facientem punit. Omnes igitur illi mortui ſumus, eò quod nullus eam impleret.** Primaſius in c. 3. Gal. ſuper locum, Quid igitur lex &c. Propter tranſgreſſionẽ, inquit, non propter juſtificationẽ. Hæc audientes conticeſcãt, qui delirãt, q. lex quenquam ad regnum cælorum tranſmiſerit. Theophylact. in cap. 3. Gal. ſuper locum, Quod verò per legem nullus juſtificetur, &c. Demonſtrato quod lex maledictos faciat, fides autem benedicat, oſtendit jam nunc, quod fides ſola juſtificet. Et poſtea: Apud homines juſti forſan videri queant legi deditis, quales Phariſæi juſtificantes ſeipſos coram hominibus. Quia igitur lex ob difficultatem operum non juſtificabat, ſed maledictioni potiùs ſubjugabat, venit gratia facilem viam oſtendens, fidem videlicet per quam juſtificati benedicimur. Nilus in gnomis: Quantò plus in lege profeceris, tantò plus ad perfectionem tibi deeſſe intelliges. Bernhard. ſerm. 2. in vig. nat. col. 37. Propterea mandata ſua mandavit cuſtodiri nimis, ut videntes imperfectionem noſtram deficere & non poſſe implere, quod debet, confugiamus ad miſericordiam & dicamus, quoniam melior miſericordia tua ſuper vitas. Serm. 50. in Cant. col. 642. Caritas, quæ in lege jubetur, minimè in vita iſta ab aliquo hominum poteſt vel potuit adimpleri. Quis enim ſibi arrogare audeat, quod ſe Paulus ipſe fatetur non comprehendiſſe. Nec latuit Præceptorem præcepti pondus hominum excedere vires, &c. Serm. 73. ſuper Cant. Si iniquitates obſervaverit etiam electorum quis ſuſtinebit? Opus itaq; habent & Sancti pro peccatis orare, ut de miſericordia ſalvi fiant propria juſtitia non fidentes, omnes enim peccaverũt & egent miſericordia Dei. **Idem ſer. 50. in Cant. Eſt caritas in actu, eſt & in affectu. Et de illa quidẽ, quæ operis eſt, puto datam eſſe legem hominibus mandatumq; formatum, nam in affectu quis ita habet ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, iſta in præmium datur, cujus initium profectumq; vitam quoq; præſentem experiri divina poſſe gratia non negamus, ſed plane conſummationem defendimus futuræ felicitati. Quò ergò jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? aut ſi placet tibi de affectuali caritate datum fuiſſe mandatum, non inde contendo, dummodo acquieſcas & tu mihi, quod minimè in vita iſta ab aliquo hominum poſſit vel potuerit adimpleri.** Radulph. lib. 20. cap. 1. in Levit. Quis eſt, qui omnia, quæ præcepit Dominus, faciat? non ejus beatitudinis ſumus, nec ejus meriti, ut univerſis illis obtemperemus, non eſt enim homo ſuper terram, qui faciat bonum, & non peccet, Nec juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Ipſe Lombardus lib. 3. ſent. diſt. 27. lit. E. Dilectionis Dei modus inſinuatur, cùm dicitur: Ex toto corde, id eſt, ex toto intellectu, ex tota anima, id eſt, ex tota voluntate, ex tota mente, id eſt, memoria, ut omnes cogitationes & omnem vitam & omnem intellectum in illum conferas, à quo habet ea, quæ confers illi. Hæc dicens nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat, ſed quicquid venerit in animũ, illuc rapiatur quo dilectionis impetus currit. lit. F. Illud autem præceptum non penitùs impletur ab homine in hac mortali vita, ſed ex parte non ex toto, quia ex parte diligimus, ſicut ex parte cognoſcimus, in futuro autem implebitur ex toto. lit. G. Sed cur præcipitur homini iſta perfectio, cùm in hac vita eam nemo habeat? quia non rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur, &c. Ecce habes cur illud præceptum eſt, quod hîc penitus impleri non poteſt.

190. Pontificii autoritatem Concilii Tridentini ſecuti ſtatuunt, legem Dei in hac vita omninò impleri poſſe præſertim à renatis. Sic enim habet,

Pontificiorum ſententia de perfecta legis impletione.

Digitized by Google

habet Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Bellarm. 2. de Monach. c. 13. *Si lex non poſſet impleri, ſequeretur hominem nunquam peccare, non enim peccat, qui non facit, quod non poteſt. & Deus eſſet omninò Tyranno iniquior & crudelior, quippe qui tributum peteret, quod nemo ſolvere poſſet, & hoc peteret à ſuis amicis.* Ibid. *Patrum conſenſus eſt, nihil impoſſibile eſt nobis à Deo mandatum eſſe.* lib. 4. de Juſtific. cap. 19. *Legem Dei juſtis hominibus abſolutè eſſe poſſibilem fatentur omnes Catholici* (Romanenſes) *non quidem per ſolas vires liberi arbitrii, ut heretici nos dicere calumniantur; ſed per auxilium gratiæ Dei & Spiritum fidei & charitatis in ipſa juſtificatione nobis infuſum.* cap. 13. *Poteſt homo plus facere quàm Deus præcepit, igitur multò magis poteſt implere præceptum Dei* lib. 3. de Rom. Pontific. cap. 23. antith. 6. *Non timemus aſſerere poſſe hominem per gratiam Dei juſtificatum ejuſdem gratiæ adjutorio & legem implere & ea impletione vitam æternam promereri.* Corn. Janſenius ſcriptor alioqui modeſtus & eruditus cap. 81. Concord. Evang. ſententiam noſtram de impoſſibilitate legem implendi vocat *blaſphemam doctrinam & impiam in Deum blaſphemiam.*** Petrus à Soto in Methodo Confeſſ. Aon. 64. Dillingæ edita p. 77. *Adeo ſunt divina mandata dulcia, adeo ſuavia, maximè amanti & Naturæ humanæ cognata & congenita, ut difficilius multò ſit ea tranſgredi, quam obſervare. Quanto difficilius adulteria, homicidia, furta & ſimilia admittuntur, quam abſtineatur ab eis?* Iſidorus referente Socrate lib. 4. cap. 18. *per annos 40. peccatum vel in animo ſenſiſſe vel cupiditati vel iræ conſenſiſſe ultrò dejeravit.* Cenſ. Col. f. 49. *renatos in hac vita poſſe ſuis operibus legis perfectionem conſequi* f. 194. *legi plenè & abūdè à nobis ſatisfieri, ſiquēadmodū in nobis eſt, præſtiterimus.* Binsfeld. in lib. recept. concluſion. ſect. 4. p. 880. *Juſtus cum auxilio ſpeciali & adjutorio Dei poteſt diu imò uſque ad finem vitæ cavere omnia peccata mortalia & implere omnem legem obligantem ſub culpa mortali.* Petrus Cudſemius in viv. ſpecul. loc. 11. p. 105. *legem Dei & mandata Chriſti non modo eſſe factu non impoſſibilia, ſed volentibus & Deum diligentibus uſque adeo poſſibilia, ut ſint ipſis ſuavia & facilia, levia non gravia.*** Quinimò non ſolùm perfectè impleri legem à renatis poſſe confidenter aſſerunt, ſed etiam ſupererogationis opera (quæ rectiùs dicerentur opera ſuperarrogationis) ab iiſdem præſtari poſſe diſputant** Sotus in aſſert. Cathol. de Lege. p. 59. *Non tantùm homo in hac vita legem implere poteſt, ſed etiam plura, majora & ſanctiora opera, quaq; lex præſcribit præſtare. Supererogamus enim nonnihil his, ad quæ ex neceſſitate tenemur.*** Bellar. 4. de Juſtific. cap. 13. *Poteſt homo plus facere quàm Deus præcipiat, igitur multò magis poteſt implere præceptum.* Tilem. Smeling. de ſeptem Sacram. p. 304. *Quot Sanctorum millia fuiſſe putamus, qui non ſolùm præcepta Chriſti adimpleverunt, verùm etiam conſilia Evangelica obſervarunt, & multa ſupererogarunt, qui horribilia ſuſtinuerunt tormenta, multò plus ſatisfacientes, quàm debuerant pro peccatis ſuis.* **A Pontificiis non prorſus abludunt Photiniani & Arminiani. P. Bertius in præfat. tractatus Arminiani de vero & genuino ſenſu cap. 7. ad Rom. *Priſca Ecclesia quæſtionem de impoſſibilitate præſtandi legem inter capitales non cenſuit, quod vel ex Auguſtino patet, qui optat, ut Pelagius agnoſcat poſſe eam præſtari per gratiam Chriſti & pacem fore edicit. Ipſi Apoſtoli Chriſti in eo quidem occupati fuerunt, ut homines extra gratiam conſtitutos convincerent de impotentia præſtandi obœdientiam: at de regenitorum imperfectione & impotentia vix verba ab iis facta invenias, quinimò contrà illis crucifixionem carnis & concupiſcentiarum, mortificationem operum carnis, reſurrectionem in novam vitam, ambulationem ſecundum ſpiritum tribuunt, aperteque proteſtari non verentur, ipſos per fidem vincere mundum.* Sommerus Photinianus & Glirius in tract. de Juſtificat. quærit. *Hominis bona opera non poſſe ſiſti judicio Dei ſecundum legem propoſitam judicantis* (nam ipſi DEO ſe nemo comparare poteſt) *quæ ſcriptura unquam dixit?* Socinus part. 1. de Chriſto Servat. cap. 4. vocat. *Hyperbolicam noſtrorum hominum proportionem cum ſcribunt, juſtitiam noſtram perpetuò à perfectione Chriſti non minus quàm cœlum à terra diſtare.* Smalcius in refut. theſium Frantzii contra diſput. 6. de bonis operib. f. 176. duplicem ſtatuit perfectionem; aliam *abſolutiſſimam*, quando quis nunquam vel ſemel quidem peccat: alteram *comparatam*, quando quis in nullius peccati habitu hæſit, ac de priori dicit, *etiamſi difficillimum ſit propter carnis infirmitatem, ut homo ad eam re ipſa perveniat, non eſſe tamen prorſus impoſſibile.* Et poſtea: *Voluit Deus, ut homines ex hoc ipſo agnoſcerent ipſius ſummam clementiam & æquitatem, quod qui perfectiſſimam ab eis jure exigere poterat obœdientiam; tali tamen contentus ſit, quæ vires humanas non ſuperet.* Arminius in reſp. ad 31. artic. pag. 164. 165. *Non repugno iſti ſententiæ Auguſtini quâ ſtatuit hominem ſine peccato eſſe poſſe in hac vita.* reſp. ad 9. art. pag. 178. *Præſtatio legis ſecundum mentem poſtulantis eſt æſtimanda, qui cum aut rigidè velit in ſummo perfectionis gradu illam obſervari aut ſecundùm ἐπιείκειαν tantum, reſpondebitur bifariam ad quæſtionē, an fideles ſub gratia N. T. poſſint in hac vita legem Dei perfectè ſervare? nempe ſi poſtulet ſecundùm ἐπιείκειαν & vires, quas contulit, proportionata ſint poſtulato, non poſſe hominem talem legem Dei perfectè præſtare, ſi conſideretur ut præſtanda juxta rigorem. Si verò poſtulet ſecundùm ἐπιείκειαν & vires collatæ ſint proportionatæ, quod dicendum eſt, cum Evangelico fœdere poſtulet, reſpondendum eſt poſſe perfectè præſtari.* artic. perpend. p. 30. *Qui dicit regenitos poſſe per Chriſti gratiam legem perfectè præſtare in hac vitâ, ille non Pelagianus eſt, neque gratiæ Dei facit injuriam, neque juſtificationem ex operibus ſtabilit.* Vorſtius in Apol. exeg. pag. 111. *Obœdientia in lege DEI requiſita ſecundū quid & per accidens nobis eſt impoſſibilis, nempe quatenus extra gratiam Dei tum juſtificantem tùm regenerantem adhuc verſamur & quamdiu ita, prout jam corrupti ſumus, in nobis ipſis ſpectamur. Interea verum manet, Deum nihil omninò præcipere, quod non per illam integram ipſius Dei voluntatem eatenus ſaltem præſtare poſſimus, ut Deus ipſe gratioſè in hac obœdientia tandem acquieſcat.* p. 112. *Deus in nobis efficit, ut nimirum ſponte nobis deſimus, præcepta ipſius, per hanc ejuſdem gratiam præſtare & poſſimus & velimus, adeoque reipſa præſtemus, ita ſaltem ut Deus*

in hac præſtatione clementer acquieſcat. Venator in Declar. pag. 174. *Non credo Deum jure poſſe ab hominibus exigere quod à nativitate ipſi præſtare non potuerunt, atque ad hoc præſtandum vires dare non velle & quod tamen propterea velit eos condemnare, quod bonum impoſſibile non præſtiterint & peccatum inevitabile non omiſerint*"". Cæterùm ne Bellarm. conqueratur ſuæ fidei hominibus per calumniam tribui, quod per ſolas liberi arbitrii vires legis impletionem poſſibilem eſſe ſtatuant, proponimus ipſi diſputationes Scholaſticorum. Biel. in 2. ſent. diſt. 28. q. un. art. 3. *Homo per liberum arbitrium ex ſuis naturalibus poteſt divina præcepta, quoad actus ſubſtantiam implere, ſed non ad intentionem præcipientis, quæ eſt conſecutio ſalutis æternæ.* Idem 1. ſent. diſt. q. 2. art. 3. *Poteſt viator ex puris naturalibus Deum diligere, quia omni dictamini rectæ rationis voluntas ſe poteſt ex ſuis naturalibus conformare, ſed poteſt ratio oſtendere, quod hujusmodi objectum diligendum.* Hoc ipſum repetit 3. ſent. diſt. 27. q. un. art. 3. ubi ſecundum opinionem Scoti, Occami & Petri de Aliaco hanc format propoſitionem. *Viatoris voluntas humana ex ſuis naturalibus poteſt Deum diligere ſuper omnia.* Nicol. de Orbell. 2. ſent. diſt. 28. q. 2. *Mandata Dei non ſunt ſupra hominem, quia omni volenti ſe diſponere, Deus dat gratiam gratum facientem, per quam ille poteſt adimplere, non tantùm quantum ad genus operis, ſed etiam quantum ad intentionem præcipientis.* Nec improbari illud quibusdam Pontificiis oſtendit Johan. Cochl. in 18. art. Confeſſ. Auguſt. *Qui hominem propriis Naturæ viribus præcepta Dei quoad ſubſtantiam actus facere poſſe negant, videntur hominis Naturam (opus utique bonum & imaginem Dei) nimis deprimere atque à naturali bonitate ſua, quam à Deo habet, & qua ratio adoptima deprecatur, ut ait Ariſtoteles in Ethnicis, dejicere & ipſum Deum Opt. Max. ſummâ bonitate clementiâque & miſericordiâ privare, dum imputant ei, quod impoſuerit homini præcepta factu impoſſibilia. Sciunt namque omnes, quod Tyrannicum ſit potiùs quàm regium ſubditis impoſſibiles conſtituere leges & onera imponere ipſis importabilia.*

Argumenta adverſariorum. 191. Videamus Bellarmini aliorumque argumenta, quorum prima claſſis petita ex divinis literis."" Deut. 30. v. 11. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodiè, non ſupra te eſt &c.* V. Conzenus in cap. 10. Rom. Reſp. tum ex loci contextu tum ex Rom. 10. v. 5. 6. 7. 8. & 9. ſatis perſpicuum, Moſen ibi non loqui de lege, ſed de Evangelio, Deut. 30. hoc verbū dicitur non eſſe occultum, nec remotum, quod propter peccata expulſi pœnitere & ita pœnitentes reduci in patriam & recipi in gratiam debeant. Rom. 10. *quæ ex fide eſt juſtitia, ſic dicit &c. Prope eſt verbum in ore tuo & in corde tuo, hoc eſt, verbū fidei quod prædicamus.* Marc. 9. v. 23. *Credenti omnia poſſibilia.* Reſp. non agitur ibi de mandatis divinis ſed de miraculoſa ſanatione cujusdam obſeſſi, quem ſanari non poſſe exiſtimabant diſcipuli, quibus Chriſtus reſpondet. *Credenti me à patre veniſſe & à patre habere* talē omnimodam poteſtatē operandi quasvis ſanationes. Sed ſi vel maximè de lege exponatur tamen non aliter omnia poſſunt credentes niſi in Chriſto, qui ipſis factus eſt juſtitia. 1. Cor. 1. v. 30"".

1. Matth. 11. jugum meum ſuave. Matth. 11. v. 30. dicit Chriſtus, *jugum meum ſuave, & onus meum leve eſt.* Ergo mandata Dei non ſolùm ſunt poſſibilia, ſed etiam facilia. Reſp. 1. *Lex eſt jugum, quod portare nemo poteſt.* Actor. 15. v. 10. 2. dictum igitur Chriſti accipiendum de jugo crucis, non autem de jugo legis, quod ex collatione aliorum ſcripturæ locorum & ex circumſtantiis hujus ipſius loci colligere promtum eſt. Quemadmodum enim Matth. 16. v. 24. Chriſtus dicit: *Qui vult me ſequi, tollat crucem ſuam*, ita hoc loco promittit ad ſe venientibus requiem & refocillationem, ſed carni crucis jugum imponit, ne requiem illam promiſſam de carnis delitiis ac voluptatibus interpretemur. Jugum pro ſervitute & diſciplina ſeveriori in ſcripturis accipi uſitatiſſimum eſt, dicitur igitur crux à Chriſto nobis impoſita jugum & onus, quia carnem coërcet, regit atque intra limites continet. Jugum Chriſti dicitur, quia ipſe pro bona voluntate ſua illud imponit, & quia Chriſti exemplo illud portamus, qui in corpore ſuo jugum crucis ſanctificavit. Dicitur onus ἐλαφρὸν leve, quia Deus *non ſinit nos tentari ſupra vires.* 1. Cor. c. 10. verſ. 13. unde Apoſtolus vocat τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως. 2. Cor. cap. 4. v. 17. quæ verba ex hoc Chriſti dicto videntur tranſſumta: jugum dicitur χρηστὸν commodum & ſuave, quia Spiritus ſua gratia & conſolatione nobis adeſt in cruce, ut eam non ſolùm patienter feramus, ſed & *in paſſionibus gaudeamus.* Coloſſ. 1. v. 24. 3. Si vel maximè intelligatur jugum illud de doctrina Chriſti, nihil ex eo ſententiæ noſtræ decedit. Doctrina Chriſti eſt jugum ſuave, & onus leve, tùm reſpectu ad legem habito, quæ eſt *jugum oneris*, Eſa. cap. 9 verſ. 4. *& jugum importabile*, Actor. cap. 15. v. 10 cui Chriſtus noſtri loco ſeſe ſubjecit & à maledictione ejus nos liberavit: tùm ratione interioris renovationis per Spiritum ſanctum, quâ lex Dei in corde ſcribitur, ut ſpontaneam obœdientiam ei præſtemus. Chriſtus jugum legis, hoc eſt, maledictionem & rigorem ejus à credentibus ſuſtulit, ſed ne illa liberatio à jugo oneris legalis ita accipiatur, quaſi liberum ſit pro libidine carnis impoſterum quidvis agere, ideò mentionem facit ſui jugi, quod eſt nova obœdientia renatorum, quâ exuitur vetus homo, contrà verò novus induitur. Hoc ſuum jugum Chriſtus vocat ſuave & leve, quia credentes ambulant in operibus bonis non juxta rigorem legalem, ut vel perfecta legis obœdientia mereantur ſalutem, vel ſi quid deſit, damnentur ſed juxta ἐπιείκειαν Evangelicā, h. e. perfectam legis impletionem fide in Chriſto amplectuntur, & per Spiritum renovati delectantur lege Dei ſecundum interiorem hominem, quæ obœdientia licet rigori legis non omni ex parte ſatisfaciat, tamen placet DEO, quia ex fide & à dilectis filiis proficiſcitur, ac ſi quid vel imperfectè vel minùs fit, propter Chriſtum ipſis condonatur.

192. 2. *Mandata Dei gravia non ſunt*, 1. Johan. cap. 5. verſ. 3. E. *multò minùs impoſſibilia.* Reſp. Diverſo reſpectu mandata DEI ſunt gravia & non gravia. Gravia ſunt imò importabilia reſpectu perfectæ impletionis juxta rigorem legis à nobis præſtandæ, quâ ratione lex dicitur *jugum oneris*, Eſa. cap. 9. v. 4. Levia autem ſunt primò reſpectu imputationis, ſiquidem perfecta illa obœdientia, quam Chriſtus legi præſtitit per fidem credentibus imputatur, quam *2. Mandata Dei gravia non ſunt, 1. Johan. 5.*

impu-

imputationem non eſſe excludendam, patet ex 1. Johan. 3. v. 23. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti, & diligamus invicem*, & 1. Joh. 5. v. 3. poſtquam dixerat Apoſtolus mandata Dei non eſſe gravia, *αἰτιολογικῶς*, v. 4. ſubjungit, quoniam *omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. verſ. 5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam JESUS eſt CHRISTUS?* Secundò reſpectu inchoationis, quia Spiritus ſanctus renatos interiùs renovat, veram & ſeriam Dei dilectionē in illis accendit, per quam libero ſpiritu, non gravatim, nec coactè mandatis Dei obœdiunt, *hæc eſt charitas Dei*, (inquit Apoſtolus) *ut mandata ejus cuſtodiamus, & mandata ejus gravia non ſunt*. Hoc reſpectu *delectantur renati lege Dei*, Rom. c. 7. v. 22. *ſunt zelotæ bonorum operum*. Tit. cap. 2. verſ. 14. nimirum juxta interiorem hominem, interim tamen *vident aliam legem in membris repugnantem legi mentis ſuæ*, ideò obœdientiam ſuam non poſſunt in judicium Dei afferre tanquam perfectam legis impletionem, ſed defectus, infirmitates ac ſordes propter Chriſtum ſibi remitti petunt. Auguſt. 3. ad Bonif. cap. 7. *Gratia DEI tribuit in hac vita ſtudium præcepta ſervandi, & eadem, ſi quid in illis præceptis minùs ſervatur, ignoſcit.* In hac peccatorum remiſſione paratum habent pii remedium, per quam, quicquid non fit, ignoſcitur, & hoc potiſſimùm reſpectu mandata eis gravia non ſunt. Regerit Bellarm. 4. de Juſtif. c. 11. *Illa non-imputatio aut tollit obligationem legis, ita ut prævaricator non incurrat reatum, aut tollit reatum ex prævaricatione ortum. Si tollit obligationem, facit ut lex non ſit lex, & jugum non ſit jugum. Si permittit contrahere reatum & contractum poſtea ſolvit, tunc non facit jugum eſſe ſuave, & onus leve, imò oſtendit jugum eſſe duriſſimum & onus graviſſimum, quippe quod portari non poteſt. Certè ſi boves ſub jugo ad ſingulos paſſus caderent, etiamſi aratoris induſtria continuò reſurgerent, non tamen propterea eorum jugum diceretur ſuave, & onus leve.* Reſp. renati non à maledictione ſolùm, ſed & rigore legis per Chriſtum ſunt liberati, *non amplius ſunt ſub lege, ſed ſub gratia*, Rom. 6. verſ. 14. *nec tamen lex deſtruitur per fidem*, Rom. 3. v. 30. *ſed potiùs ſtabilitur*, quâ de re ſic habendum. Quamvia renatorum obœdientia non aſſequatur perfectionem in lege præſcriptam, tamen maledictionis ſuæ fulmen in eos actu non vibrat, ſiquidem per fidem ſunt in Chriſto, jam verò *nihil condemnationis eſt his qui ſunt in Chriſto Jeſu*, Roman. 8. v. 1. interim legi ipſi ex eo nihil decedit, quò minùs poſſet ad perfectiſſimâ obœdientiâ etiam renatos obligare & maledictioni eos ſubjicere, niſi eſſent renati, hoc eſt, niſi per fidem in Chriſto perfectam illam, quàm legi præſtitit, obœdientiam apprehenderent, *ac per legem Spiritus vitæ in Chriſto à lege peccati & mortis liberati eſſent*, Rom. cap. 8. v. 1. & 2. Quia verò ſunt in Chriſto, & quia ducuntur à Spiritu ſancto, ideò ipſis mandata DEI non ſunt gravia, quæ aliàs in ſe reſpectu carnis per peccatum corruptæ ſunt graviſſima, imò importabilia.

3. *Renati diligunt Deum & proximum*

193. 3. Per dilectionem implentur DEI mandata, Johan. cap. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.* Rom. cap. 13. verſ. 8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* Galat. c. 5. verſ. 14. *Omnis lex in uno ſermone impletur, Diliges proximum ſicut teipſum.* Atqui renati diligunt Deum & proximum. Ergò implent legem. Reſp. Non qualiſcunque & quantulacunque dilectio ſatisfacit legi, ſed talis, ac tanta, quæ normæ legis exactiſſimè congruit, nec ulla unquam laborat imperfectione aut prava quâdam concupiſcentiâ vitiatur. Chriſtus Naturam veræ ac ſeriæ dilectionis deſcribit, quòd ſermonem DEI, per quem non ſola lex, ſed & Evangelium intelliguntur, audiat, memori corde reponat, ac mandatis DEI obœdire ſtudeat. Paulus charitatem tanquam legis ſummam & ἀνακεφαλαίωσιν nobis commendat, quàm potiſſimum nobis deceat eſſe commendatam. Regerit Bellarm. 1. non negari à ſe dilectionem in hac vita imperfectam eſſe, cùm poſſit creſcere & major ſit futura in patria, id verò omninò negandum eſſe, quod in hac vita non poſſit eſſe tam perfecta, ut præcepto adimplendo ſufficiat, nam non poſſemus eſſe Chriſti diſcipuli & amici, niſi hoc præceptum dilectionis adimpleremus. Reſp. Ex loco Auguſtini ſuperius adducto, *Quamdiu caritas augeri poteſt, profectò illud, quod minùs eſt, quàm eſſe debet, ex vitio eſt, ex quo vitio non juſtificabitur corā Deo omnis vivens, propter quod vitium ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos fallimus.* Noſtra dilectio non efficit nos Chriſti diſcipulos & amicos, 1. Johan. 4. verſ. 10. *In hoc eſt caritas, non q. nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris.* Nunquam certè diligimus Deum, niſi priùs à Deo diligamur, qui per Spiritum ſanctum veram ſui dilectionem in cordibus noſtris operatur, quæ nos Chriſti diſcipulos & amicos eſſe demonſtrat, quæ verè placet Deo, quamvis ſit imperfecta & multis nævis contaminata. Joh. cap. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionem habueritis invicem.* 1. Johan. cap. 4. v. 19. *Nos diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 2. Deut. cap. 30. v. 6. prædicitur futurum, ut in Novo Teſtamento DEUS diligatur toto corde & tota anima, Reſp. ambiguitatem iſtius phraſeos ex toto corde paulò poſt explicatam dabimus.

4. *Homines quidam dicuntur perfecti.*

194. 4. *Scriptura docet homines eſſe perfectos in hac vita, utique ergò perfectè diligunt & legem implent, quia caritas eſt vinculum perfectionis.* Geneſ. cap. 6. v. 11. *Noë erat vir juſtus & perfectus.* Gen. cap. 17. v. 1. dicit Deus ad Abrahamum: *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Matth. cap. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ut Pater veſter, qui in cœlis eſt, perfectus eſt.* Matth. cap. 19. v. 21. *Si vis perfectus eſſe, abi vende, &c.* Philip. cap. 3. verſ. 15. *quotquot perfecti ſumus, hoc ſentiamus.* 1. Johan. cap. 4. v. 12. *Si diligamus nos alios, Deus in nobis habitat, & caritas ejus perfecta eſt in nobis.* Reſp. petitum eſt hoc argumentum ex Schola Pelagii, cui ſolidè reſpondetur ab Auguſtino in libro de perfectione juſtitiæ contra Cœleſtium ** lib. de perfect. juſtit. docet, *poſſe hominem dici juſtum, qui perfectioni juſtitiæ plurimum acceſſit, ut ei proximus fieret.* lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 13. *Sunt ergo in terra juſti, ſunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes, pii, miſericordes, temporalia mala omnia propter juſtitiam æquo animo tolerantes. Sed ſi verum eſt, imo quia verum*

 eſt,

eſt, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus: & Non juſtificabitur in conſpectu ſuo omnis vivens, non ſunt ſine peccato. nec quiſquam eorum tam arroganter inſanit, ut nō ſibi pro ſuis qualibuscunq́ peccatis Dominica oratione opus eſſe arbitretur. cap.16. *Huic* (Paulum dicit) *tanto viro perficiendo neceſſarium fuit, ut ab illo Angelus Satana non auferretur, à quo propterea colaphizabatur, ne magnitudine revelationum extolleretur, & audet quiſquam quenquam vel putare vel dicere poſitum ſub onere hujus vitæ ab omni omnino mundum eſſe peccato ſint licet homines tantâ excellentes juſtitia, ut ad eos de columna nubis loquatur Deus.* cap. præced.15. *Cum dicitur cujusq́ perfectio, quâ in re dicatur, vivendum eſt.* Et pòſt. *Poteſt fieri, ut jam ſit aliquis ſapientiæ perfectus auditor, cujus nondum ſit perfectus & doctor: poteſt perfectus eſſe juſtitiæ cognitor, nondum perfectus effector: poteſt perfectus eſſe, ut diligat inimicos, qui nondum eſt perfectus, ut ſufferat; & qui perfectus eſt in eo, quod omnes homines diligit, quippe qui etiam ad inimicorum dilectionem pervenerit: quæritur utrum jam ſit in ipſâ quoq́ dilectione perfectus, id eſt, utrum quos diligit, tantū diligat, quōadmodū illa incommutabilis regula veritatis diligendos eſſe præſcripſit. Cùm ergo legitur in Scripturis cujusq́ perfectio, quâ in re dicatur, non negligenter intuendum eſt, quoniam non ideo quisq́ prorſus ſine peccato eſſe intelligitur, quia in aliqua re dicitur eſſe perfectus, quanquam & in hoc poſſit ita dici, ut non quia jam non eſt quò proficiat, ſed quia ex maxima parte profecit hoc nomine dignus habeatur**.* Summa reſponſionis huc redit: 1. Quædam eſſe mandata exigentia perfectionem, ſed non quæritur, utrum præceptum ſit, ſed hoc ipſum quod præceptum eſſe conſtat, utrum in corpore mortis hujus impleri poſſit, ubi caro adverſus ſpiritum concupiſcit. Quædam teſtimonia ipſum finem, quò currendo tendatur commemorare, non enim rectè curritur, ſi quò currendum ſit, neſciatur, & tamen finis ille in hac vita, antequam conſummetur curſus, non apprehenditur. Quædam teſtimonia loqui de beneficiis ſpiritualibus inchoatis, quædam de conſummatis, quæ erunt tantùm in vita æterna. 2. Renati ideò dicuntur perfecti, quia quicquid adhæret imperfectionis & ſordium, tegitur oratione, Dimitte nobis debita noſtra. 3. Perfectus, integer, immaculatus, &c. ſignificat phraſi Scripturæ eum, qui habet bonam conſcientiam, h. i.e. qui caret criminibus damnabilibus & ipſa peccata venialia non negligit quotidiana oratione mundare. Hos fontes veræ ſolutionis monſtrat Auguſtinus, quos meritò opponimus Pontificiis, cùm non vereantur Pelagianorum argumenta jam olim exploſa poſtliminio in Eccleſiæ proſcenium adducere. Cæterum ut res ſit evidentior, proponimus hanc diſtinctionem. Perfectio alia eſt abſoluta, quam poſſumus vocare perfectionem graduum: alia verò reſpectiva & conditionata, quam docendi gratiâ vocabimus perfectionem partium. Abſoluta perfectio eſt, quæ ſummum illum obœdientiæ gradum, quem lex requirit, integrè præſtat. Talis perfectio fuit in Adamo ante lapſum, talis etiam in CHRISTO, qui integram ac numeris & gradibus omnibus abſolutam obœdientiam legi præſtitit. In renatis talis perfectio non eſt, niſi tantùm imputatione, quatenus perfecta illa Chriſti obœdientia per fidem ipſis imputatur. Coloſſ. cap. [illegible] verſ.28. *Ut præſtemus omnem hominem perfectum in Chriſto.* Coloſſ. cap. 2. verſ. 10. *In eo eſtis conſummati* πεπληρωμένοι. Hebr. cap. 10. verſ. 14. *Una oblatione conſummavit* τετελείωκεν *in ſempiternum ſanctificandos.* Perfectio conditionata eſt ſincera illa renatorum ſecundum totam legem obœdientia in hac vita inchoata, in æterna tandem vita conſummanda, ſive eſt ſerium ac ſincerum ſtudium obœdiendi Deo ſecundum omnia ejus præcepta, etſi aliquid deſit reſpectu graduum. Hanc perfectionem renatis tribui non diffitemur, de quâ rectè uſurpatur illud veterum. *Perfectionis pars eſt imperfectionem agnoſcere.* Philip. cap. 3. verſ. 12. *Non quod jam apprehenderim aut perfectus ſim, ſequor autem, ſi comprehendam in quo, & comprehenſus ſum à CHRISTO JESU.* verſ.13. *Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe, &c.* Dicitur autem hæc obœdientia renatorum perfecta, 1. ratione omnium mandatorum, ſiquidem omnibus & ſingulis Dei mandatis obœdire ſtudent renati, quamvis obœdientia ſit inchoata. Pſal. 119. verſ. 6. *Tunc pudore non afficiar, cùm reſpexero ad omnia præcepta tua.* 2. Ratione ſinceritatis, quâ vero & non ſimulato affectu, ſerio & non hypocritico ſtudio renati DEO obœdiunt ac pravis motibus reſiſtunt. Pſal. 119. verſ 34. *Toto corde exquiſivi mandata tua.* 3. Ratione probabilis & ſanctæ converſationis, quam ducunt ſine querela ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι τέκνα Θεοῦ ἀμώμητα ἐν μέσῳ γενεᾶς σκολιᾶς καὶ διεστραμμένης, ἐν οἷς φαίνεσθε ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ Philip. 2. v.15. Sic Noa dicitur vir juſtus & perfectus *in generationibus ſuis.* Geneſ. cap. 6. verſ. 9. 4. Ratione infirmorum, qui nondum pervenerunt ad illum cognitionis & obœdientiæ gradum. Eph. cap. 4. v.13. *Donec occurramus in unitatem fidei, &c. in virum perfectum,* v. 14. *ut jam non ſimus pueri.* Hebr. cap.5. verſ.13. *Qui lactis particeps parvulus eſt,* v. 14. *perfectorum autem eſt ſolidus cibus.* Abſoluta autem perfectio tùm cognitionis tùm obœdientiæ diſertis verbis denegatur renatis in hac vita. 1. Cor.13. v.10. Phil.3. v.12 Auguſt. lib.1. de grat. Chriſti contra Pelag. c. 49. ex Ambroſio. *Perfectos ſecum multos, ait Apoſtolus, in hoc adhuc mundo ſitos, qui ſi ad perfectionem veram reſpicias, perfecti eſſe non poterunt, quia ipſe dixit. Videmus nunc per ſpeculū in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Ita & immaculati ſunt in hoc mundo, & immaculati erunt in regno Dei, cùm utique ſi minutias excutias, immaculatus eſſe nemo poſſit, quia nemo ſine peccato eſt.* **Chryſoſt. homil.23. in Geneſ. *Perfectus* (Noa) *in generatione ſua, in tempore illo, in generatione illa perverſa, quæ adeò in malum declinavit, quod neque veſtigium veritatis præ ſe ferre voluit,* Habacuc querens impium abſorbere juſtum, ait *juſtiorem ſe ipſo abſorbere* צדיק ממנו cap.1. verſ.13. ubi *juſtum* non ut ſimpliciter juſtum laudat, ſed quatenus cum improbo comparetur. Ambroſ. lib. de Noe & arca cap.11. tom. 4. p.153. *Perpensè addidit,* in generatione iſta, *ut neque ſuperiores condemnaret, neque poſteriores* (fideles) *excluderet, rectèq́ diluvium factum aſtrueret interitu generationis ejus, quæ non haberet conſortium æquitatis.* DEUS ipſe exponit, qualem perfectionem intelligat. Deut. c.18. v 13.

Per-

perfectus eris cum Domino DEO tuo, videlicet ut ipſum ſolum audias, non præſtigiatores. 1. Reg. 11. v. 4. de Salomone dicitur, *quod cor ejus non fuerit perfectum cum Domino*, nimirum quia ivit poſt Deos gentilium. Joſ. 24. v. 14. *Servite Domino perfectè & verè, ac abjicite Deos alienos***.

5. Quidam dicuntur dilexiſſe Deum ex toto corde.

195. 5. Scriptura docet, quosdam ſervaſſe mandata ac præcipuè illud de dilectione ex toto corde, & de non concupiſcendo Pſal. 118. *In toto corde exquiſivi te*, & de eodem dicitur 3. Reg. 14. *Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui custodivit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens, quod placitum eſſet in conſpectu meo.* Act. 13. *Inveni David filium Jeſſe virum ſecundum cor meum, qui omnes voluntates meas faciet*, lib. 3. Regum cap. 15. *eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ excepto ſermone Uriæ.* Item de Joſia lib. 4. Regum cap. 23. *Similis non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in toto corde ſuo, in tota anima ſua, & in (tota) univerſa virtute ſua.* Item de Aſa & populo lib. 2. Paral. cap. 15. *In tota voluntate ſua quæſierunt Dominum & invenerunt eum.* Item de Joſua in cujus libro cap. 11. *Sicut præceperat Dominus Moſi ſervo ſuo, ita præcepit Moſes Joſuæ & ille univerſa complevit. Non præteriit de univerſis mandatis. Nec unum quidem verbum quod juſſerat Dominus Moſi*, Nec dubium, quin ſimilia dici poſſint de Abraham, de Moſe, de Samuele, de Elia, Eliſæo, Eſaia, Jeremia, aliisque prophetis. In T. N. legimus de Zacharia & uxore, Luc. 1. *Erant juſti ambo ante DEUM incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* De Apoſtolis dicit Dominus Johan. 17. *Sermonem tuum ſervaverunt. Eosdem vocat amicos*, Johan. 15. & tamen ibidem addit, *Solos amicos eſſe eos, qui præcepta cuſtodiunt*, Apoſtolus verò Paulus Rom. cap. 7. apertè demonſtrat, ſe non peccare, dum invitus concupiſcit, quia non ipſe opus illud facit, ac proinde ſe ſervare legem, quæ cùm jubet, non concupiſces, voluntati præcipit, non ſenſui, qui legis non eſt capax. Reſp. audimus denuò Pelagium redivivum, is enim teſte Auguſtino lib. de Nat. & grat. cap. 36. itidem longâ ſerie commemorabat eos, qui non modò non peccaſſe, ſed etiam juſtè vixiſſe referuntur, Abel, Enoch, Melchiſedech, Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, Jeſum Navæ, Phineem, Samuelem, Natham, Eliam, Eliſæum &c. reſpondet autem ibidem Auguſtinus: *Si omnes Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quid fuiſſe reſponſuros putamus, utrum hoc, quod iſte* (Pelagius) *dicit, aut quod Johannes Apoſtolus? Rogo vos, quantâlibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis ſi hoc interrogari potuiſſent, unâ voce clamaſſent, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus & veritas non eſt in nobis. An illud humilius reſponderent fortaſsè quàm veriùs? Sed huic jam placet, & rectè placet laudem humilitatis in parte non ponere falſitatis. Itaque hoc ſi verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis non eſſet.* Reſpondemus igitur in genere. Phraſis illa, *ex toto corde*, duplicem obtinet ſignificationem. 1. Exprimit perfectam illam obœdientiam à lege requiſitam, ut ſummo perfectionis gradu DEUM diligamus, eidemque numeris & gradibus omnibus abſolutam obœdientiam nullo pravæ concupiſcentiæ aut ullius alterius peccati nævo maculatam præſtemus. 2. notat ſinceram ac *ἀνυπόκριτον* obœdientiam, quâ ratione opponitur hypocriſi & externæ ſimulationi. Scriptura enim hoc modo hypocriſin deſcribit Pſal. 12. v. 3. *Corde & corde locuti ſunt*, 1. Paral. cap. 12. verſ. 33. *Parati erant ad pugnandum abſque corde & corde.* Hieronymus vertit *non in duplici corde*; id verſu 38. exponitur, *Expediti erant pugnandum corde perfecto.* Quoties igitur renati ex toto corde DEUM diligere & mandata ejus ſervare dicuntur, ſenſus eſt, quod DEUM diligant non ſimulatè, non hypocriticè, ſed verè & ex animo, corde integro & ſincero; interim tamen ſummum perfectionis gradum ſe non aſſequi fatentur, quotiescunque peccata ſua fatentur, eorumque remiſſionem fide quærunt; adde, quod ex parte adhuc carnales ſint, unde pravis concupiſcentiæ motibus illa DEI dilectio & mandatorum divinorum obœdientia ſæpiſſimè contaminatur. Putidum illud ſubterfugium, quòd pravæ carnis concupiſcentiæ non ſint peccata, ſuo loco pleniùs excuſſimus. Si Apoſtolus concupiſcentiæ malum à ſe planè removet, quomodo coſtare poterit, quod ſub finem capitis inquit. *Idem ego mente quidem ſervio legi Dei, carne vero legi peccati*, quæ verba irrefragabiliter evincunt, ipſum illum Apoſtolum, qui Spiritu & mente per Spiritum renovatâ ſervit legi Dei, carne ſuâ (quæ certè ipſius propria caro eſt) ſervire legi peccati, ac proinde legem Dei nondum perfectè implere. Pulcrè Auguſtinus de perfectione Juſt. reſp. 16. *Cùm eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur DEUS. Non enim caro ſine anima concupiſcit, quamvis caro concupiſcere dicatur, quia carnaliter anima concupiſcit.* **De perfect. juſt. *Idem quod dicit* (Job) *vias ejus cuſtodivi & non declinavi a mandatis ejus neque diſcedam*: qui locus objiciebatur à Pelagianis ad probandam perfectionem juſtitiæ in hac vita, reſpondet ille. *Cuſtodit vias Dei, qui non ſic exorbitat, ut eas relinquat, ſed in eis currendo proficit, & ſi aliquando, ut infirmus offendit aut titubat, proficit autem minuendo peccata, donec perveniat, ubi ſine peccato ſit, non enim aliter poteſt eo modo perficere, niſi cuſtodiendo vias ejus. Declinat autem à mandatis Domini atque diſcedit apoſtata, non ille, qui etiamſi habeat peccatum confligendi tamē cum eo perſeverantiam non relinquit, donec eò perveniat, ubi nulla cum morte contentio remanebit.* lib. 1. retract. cap. 19. *Meritò quæritur, utrum iſta perfectio ſic poſſit intelligi, ut tamen verum ſit, neminem jam utentem voluntatis arbitrio hîc vivere ſine peccato. A quo enim usque ad unum apicem lex perfici poteſt, niſi à quo fiunt univerſa divina mandata? Sed in iisdem mandatis eſt etiam quodcūq; jubemur dicere*, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, *quam orationem usque ad finem ſeculi tota dicit Eccleſia, Omnia ergo mandata facta deputantur; quando quicquid non fit, ignoſcitur***. Si concupiſcentiam illam carnis peccatum eſſe Apoſtolus negat, cur toties ac verbis tam diſertis peccatum appel-

appellat, cur tam miſerabiliter eo nomine conqueritur, cur ab illa peccati ſervitute ſe liberari tantoperè expetit? In ſpecie ad exempla à Bellarmino adducta reſpondemus hoc modo. 1. David erat vir ſecundum cor DEI, interim tamen *ab occultis ſuis delictis mundari expetit* Pſal. 19. verſ. 13. *Iniquitates ſuas haudquaquam obſervari petit.* Pſal. 130. verſ. 2. *& judicium DEI deprecatur.* Pſal. 143. verſ. 2. quinimò Sanctos omnes, ac proinde etiam ſeipſum peccatorum remiſſione indigere fatetur, Pſalm. 32. verſ. 6. Adde, quod manifeſta addatur exceptio 1. Reg. cap. 15. verſ. 5. *Non declinavit ab ullo eorum, quæ præceperat ei Deus cunctis diebus vitæ ſuæ, præterquam in ſermone* (negotio) *Vriæ.* **Confer 1. Reg. cap. 15. verſ. 1. 2. 3. cum 1. Reg. cap. 14. verſ. 21. 22. 23. & apparebit de converſatione religionis ab idololatria puræ eſſe ſermonem. Hieronymus de Davide loquens lib. 3. contra Pelagianos, diſputansque nullum fuiſſe ſine peccato. *Exempli gratia,* inquit, *uno tantum utamur teſtimonio. Inveni David filium Jeſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. David ſanctum eſſe non dubium eſt, & tamē qui electus eſt, ut omnes DEI voluntates faceret, aliqua feciſſe reprehenditur. Vtique poſſibile erat ei facere, qui ad hoc electus eſt, ut omnes DEI voluntates faceret. Nec DEVS in culpa eſt, qui prædixit eum cunctas ſuorum præceptorum facere voluntates, ſed ille, qui prædicta non fecit, neque enim dixit inveniſſe ſe virum, qui cunctas in perpetuum ſuæ juſſionis faceret voluntates***. 2. Joſias ex toto corde ad Dominum converſus, juxta omnem legem Moſis fecit, nimirum quia flagrantiſſimo pietatis ac religionis zelo accenſus idololatriam abrogavit & ardentiore cordis affectu, quàm ullus Rex alius, verum DEI cultum viciſſim inſtauravit. Pericope illa juxta univerſam legem Moſis, integritatem inſtaurati cultus potiſſimùm concernit, quod nihil quicquam eorum prætermiſerit, quæ de abrogatione idololatriæ & inſtauratione veri cultus in lege præſcripta erant, ut ex contextu manifeſtum: interim à perfecta & abſoluta legis impletione Joſiam adhuc abfuiſſe præter generalia dicta oſtendit lapſus ejus, quod Ægyptio Regi bellum movens non neceſſarium in eodem occubuerit. 3. De Aſa res expedita eſt, quamvis enim fecerit, quod rectum in oculis Domini, abrogatione cultuum idololatricorum, quo reſpectu dicitur in tota voluntate quæſiviſſe Dominum, tamen excelſa nondum ſuſtulit, nihilominus propter ſinceram & minimè hypocriticam obœdientiam dicitur cor ejus perfectum fuiſſe cum DEO omnibus diebus. 1. Reg. cap. 15. verſ. 14. quid quod à Propheta Domini hoc nomine repræhenditur. quòd *confiſus Regi Aram & non confiſus Jehovæ*, 2. Paralip. cap. 16. verſ. 7. quod Prophetam contra jus & æquum ex indignatione ponit in domo carceris verſ. 10. in infirmitate ſua non quærit Dominum, ſed Medicos verſ. 12. 4. Quòd Joſua dicitur nihil eorum omiſiſſe quæ præceperat Jehovah Moſi Joſ. cap. 11. verſ. 15. id de Cananæorum deletione ac terræ promiſſæ diſtributione potiſſimùm intelligendum eſſe contextus oſtendit, interim non negamus ipſum ex toto corde feciſſe juxta legem DEI etiam moralem, ſed ad ſummum perfectionis gradum ab omni peccati labe immunem aſpirare non potuit. **Certè Num. cap. 11. verſ. 27. à Moſe perverſus Joſuæ zelus repræhenditur. **Eodem pertinet exemplum Regis Ezechiæ, quod ſub finem hujus capitis 11. Bellarminus itidem adducit. *In veritate & corde perfecto is ambulavit coram DEO*, Eſai. cap. 38. verſ. 3. nimirum, quia non ſimulavit pietatem, ſed verè & ſincerè DEUM coluit, interim grato animo agnoſcit, quòd DEUS *poſt tergum omnia peccata ejus projecerit.* verſ. 17. propter quæ omnia ipſius oſſa conterebantur. verſ. 13. quid quòd ob theſauros Regis Babylonici legatis temerè oſtentatos à Propheta repræhenditur. Eſai. cap. 39. verſ. 5. & ſeqq. 5. de Zachariæ & Eliſabethæ exemplo ita loquitur Juſtinus in qq. & reſp. ad orth. q. 141. *Si unus Chriſtus divinam legem implevit, quomodo irreprehenſibiles in lege ambulaverunt Zacharias & Eliſabeth?* Reſpondet Juſtinus, *Aliud eſt eſſe irreprehenſibilem & aliud peccato immunem. Immunis namque peccato prorſus eſt irreprehenſibilis, irreprehenſibilis autem neceſſariò peccato immunis non eſt &c. unus Chriſtus peccati expers dicitur.* Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium cap. 48. *Dictum hoc eſt, quantum mihi videtur, ſecundum quandam inter homines converſationem probabilem atque laudabilem, quam nullus hominum juſte poſſet in accuſationis & criminationis querelam vocare, quam propterea in DEI conſpectu Zacharias & Eliſabeth ejus uxor habuiſſe referuntur, quia in ea homines nulla diſſimulatione fallebant, ſed ut apparebant hominibus, ita noti erant oculis DEI. Non autem dictum eſt hoc ſecundum perfectionem illam juſtitiæ, in qua verè atque omninò immaculati perfectique vivemus, nam & Apoſtolus Paulus dixit, ſecundum juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſe fuiſſe ſine querela, in qua lege etiam Zacharias ſine querela converſabatur. Sed hanc Apoſtolus juſtitiam in ſtercoribus & detrimentis deputavit in comparatione juſtitiæ quam ſperamus & quam nunc eſurire ac ſitire debemus, ut ea quandoque ſatiemur in ſpecie, quæ nunc eſt in fide, quamdiu juſtus ex fide vivit.* **Idem lib. de perfect. juſtit. *Ingredi ſine macula non abſurdè ille dicitur, non qui jam perfectus eſt, ſed qui ad ipſam perfectionem irreprehenſibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipſa peccata venialia non negligens mundare eleemoſynis.* Iterum. *Aliud eſt eſſe ſine peccato, quod de ſolo in hac vita unigenito dictum eſt, aliud eſt eſſe ſine querela, quod de multis juſtis etiam in hac vita dici poteſt. Quoniam eſt quidam modus bonæ vitæ, de quo in iſta humana converſione juſta querela eſſe non poſſit. Quis enim juſtè queritur de homine, qui nemini malè vult & quibus poteſt fideliter conſulit, nec contra cujuſquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, & tamen eo ipſo quod illud verum dicit,* Dimitte, ſicut & nos dimittimus, *ſine peccato ſe non eſſe declarat.* Iterum. *Illi v. in Apocalypſi propterea tales dicti ſunt, quod non ſit inventum in ore eorum mendacium, quia non dixerunt ſe non habere peccatum, quod ſi dicerent, ſeipſis deciperent, & veritas in eis non eſſet. Porro ſi veritas in eis non eſſet, inveniretur*

retur

retur in ore eorum mendacium. Quodſi propter invidiam cum eſſent ſine peccato, dicerent, ſe non eſſe ſine peccato, hoc ipſum eſſet mendacium, falſumque eſſet, quod dictum eſt, non eſt inventum in ore ipſorum mendacium. Ideo ergo ſine macula ſunt, quia ſicut ipſi dimiſerunt, ſic illi Deo dimittente mundati ſunt. Ibid. de Zach. & Eliſabetha. *Qui juſti ambo utiq; legerant inter ipſa mandata, quemadmodum ſua peccata mundarent. Nam Zacharias, quod de omni Sacerdote ex hominibus accepto in epiſtola ad Hebræos dicitur, etiam pro ſuis peccatis utique hoſtias offerebat.* lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 13. *Nam de Zacharia & Eliſabeth, qui nobis ſæpe in hujus quæſtionis diſputationibus objiciuntur, quid dicamus, niſi quod evidenter Scriptura teſtatur, eminenti juſtitia fuiſſe Zachariam in Principib. Sacerdotum ad offerenda V. T. Sacrificia? Legimus a. in Epiſtola, quæ ad Hebræos inſcribitur, ſolũ Chriſtũ eſſe Principẽ Sacerdotũ, qui non haberet neceſſitatẽ, ſicut illi, qui Sacerdotũ Prĩcipes dicebãtur, Sacrificium pro ſuis primũ offerre peccatis quotidie, deinde pro populo. In hoc enim numero Zacharias, in hoc Phinees, in hoc ipſe Aaron, à quo iſte ordo exorſus eſt, fuit & quicunq; alii in illo Sacerdotio laudabiliter, juſteq; vixerunt, qui tamẽ habebãt neceſſitatem ſacrificium primitus pro ſuis offerre peccatis, ſolo Chriſto exiſtente, cujus venturi figuram gerebant, qui hanc neceſſitatem Sacerdos incontaminabilis non haberet. Quid autem de Zacharia & Eliſabeth laudabile dictum eſt, quod non in eo comprehendatur, quod de ſe Apoſtolus cùm in Chriſtum nondum credidiſſet, profeſſus eſt? Dixit enim ſe ſecundum juſtitiam, quæ in lege eſt, fuiſſe ſine querela, hoc & de illis ita legitur:* Erant autem ambo juſti ante DEUM, *ergo quicquid in eis erat juſtitiæ, non erat ad homines ſimulatum, adeo dictum eſt ante DEUM.* Epiſtol. 95. expendit illud, quod Zacharias fuerit Sacerdos. Omnes autem Sacerdotes neceſſe habebant ex lege DEI primitùs pro peccatis ſuis offerre ſacrificium, Deinde pro populo: ſicut nunc per orationis ſacrificium convincimur non eſſe ſine peccato, quoniam juſſi ſumus dicere, Dimitte nobis debita noſtra, ita & tunc per ſacrificia victimarum animalium convincebantur Sacerdotes ſine peccato non eſſe, qui pro ſuis peccatis jubebantur offerre. Dicimus ergò, Zachariam & Eliſabetham coram DEO juſtos fuiſſe fide in CHRISTUM, per quem in ſacrificiis adumbratum remiſſionem peccatorum conſecuti ſunt, cujus beneficia in Cantico Zacharias celebrat *& ſcientiam ſalutis in remiſſione peccatorum* diſertè conſtituit. Luc. cap. 1. verſ. 77. hanc fidei juſtitiam demonſtrârunt bonis operibus, ſiquidem in omnibus DEI mandatis incedebant ſine querela, obœdientia ipſorum erat ſeria ac ſincera, non hypocritica, *ἄμεμπτοι* erant coram hominibus, ſed coram DEO peccatores, ſicut paulò pòſt commemoratur incredulitate Zachariam peccaſſe, in omnibus DEI mandatis incedebant ratione partium, quamvis ratione graduum perfectam obœdientiam illis nondum præſtarent. 6. Apoſtolus Paulus diſertè fatetur Roman. cap. 7. verſ. 7. legi de non concupiſcendo ſeſe nondum perfectam præſtare obœdientiam, cùm ſit *ſpiritualis.* verſ. 14. *ſe verò carnalem eſſe ac ſub peccato venundatum*, quia ſcilicet peccatum adhuc in carne habitet. verſ. 17. quo nomine ſe *ταλαίπωρον* eſſe pronunciat, & à corpore mortis hujus liberari deſiderat. v. 24. Juſtitiã fidei paſſim commendat, ſed operum juſtitiâ nos coram Dei judicio ſubſiſtere poſſe negat. 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus.*

196. Cap. 12. producit Bellarminus dicta Patrum, in quibus negant DEUM impoſſibile quippiam homini præcepiſſe. Reſp. Triplici reſpectu mandata DEI ſunt & dicuntur homini poſſibilia. *Dicta veterum.* 1. Reſpectu integritatis concreatæ. Legis doctrina ſolenniter per Moſen repetita eſt, ſed non à Moſe primum cœpit, verùm in ipſa creatione hominum mentibus inſita & inſculpta eſt; Hoc igitur ſenſu ac reſpectu non præcepit DEUS impoſſibilia, quia primos homines perfectis & integris viribus inſtruxit, quibus legem Dei tùm generalem tùm ſpecialem de non comedendo vetitæ arboris fructu implere poterant. 2. Reſpectu divinæ gratiæ. Hieron. lib. 2. Dial. adverſus Pelag. *Mandata DEI ſunt impoſſibilia Natura, ſed poſſibilia gratia.* Auguſt. de Spiritu & lit. c. 9. *Voluntas oſtenditur infirma per legem, ut ſanet gratia voluntatem & ſana voluntas impleat legem, non conſtituta ſub lege, nec indigens lege.* Per gratiam verò intelligenda eſt non tantum gratia renovationis, quâ conferuntur homini vires ad præſtandam legi divinæ obœdientiam, ſed etiam gratia remiſſionis, quâ adhærentes peccati ſordes non imputantur, & quicquid non fit vel minùs fit, propter Chriſtum ignoſcitur. Auguſtin. 1. retract. 19. *Omnia mandata DEI facta deputantur, quando quicquid non fit, ignoſcitur.* lib. 3. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 7. *Gratia DEI tribuit in hac vita ſtudium præcepta ſervandi & eadem, ſi quid in illis præceptis minùs ſervatur, ignoſcit.* lib. 19. de civit. Dei cap. 27. *Ipſa quoque noſtra juſtitia, quamvis vera ſit propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta eſt in hac vita, ut potiùs peccatorum remiſſione conſtet, quàm perfectione virtutum.* D. Lutherus in enarr. Pſal. 51. tom. 4. Lat. fol. 377. b. *Quid, inquies, an non Decalogus præſtari debet? Si autem præſtatur, an non ea juſtitia eſt. Reſpondeo, volumus Decalogum præſtare & ſervare ſed cùm larga, hoc eſt, Evangelica diſpenſatione ſeu diſtinctione, quia accepimus tantum primitias Spiritus & gemitus Spiritus in corde manent.* Item, *Caro noſtra cum ſuis libidinibus & concupiſcentiis, hoc eſt, tota arbor cum fructibus etiam manet. Hæc cauſa eſt, cur Decalogus nunquam poſſit plenè præſtari &c. facimus legem per Spiritum ſanctum & tamen manet verbum Miſerere, hoc eſt, nos manemus peccatores & opus habemus gratuita remiſſione peccatorum per Chriſti meritum.* 3. Reſpectu perfectionis in futura vita expectandæ. Auguſtinus de perfect. juſtit. contra cœleſtium reſp. 16. *in plenitudine caritatis præceptum illud implebitur; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cum eſt adhuc aliquid carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frenetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus &c. cur ergò non præciperetur homini iſta perfectio, quamvis eam in hac vita nemo habeat? non n. rectè curritur, ſi, quò currendum eſt, neſciatur. Quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?* De Spiritu & lit. cap. 36. *Præceptum*

illud dilectionis in illa vita complebimus, cùm *videbimus à facie ad faciem. Sed ideò nobis hoc etiam nunc præceptum eſt, ut admoneremur, quid fide expoſcere, quò ſpem præmittere & obliviſcendo, quæ retrò ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus*, lib. 1. contr. Julian. cap. 2. Baſilii dictum, quòd peccatum facilè poſſit ab hominis voluntate ſeparari, ut munda ſit per omnia, explicat hoc modo, *facile eſt non humanæ voluntati ſed Naturæ DEI, & quod ait munda per omnia, tunc fiet, quando in altera vita DEUS erit omnia in omnibus.* Bellarminus reponit ſuam cramben, hominem non poſſe quidem vivere abſque peccato, interimtamen perfectè implere poſſe præcepta, cum peccata venialia non ſint contra ſed præter mandata, de quo ſubterfugio, quid ſtatuendum ſit, diximus ſuperiùs.

197. **Stapletonus in promt. Catholico & morali Domin. de nuptiis Cananæis. *Locus tractandi contra hæreticos* (ex verbis Mariæ, Quodcunque dixerit vobis, facite) *integram & plenam omnium Chriſti mandatorum obſervationem, juxta egregium Beatæ Virginis documentum, quam illi hodiè blaſphemo ore impoſſibilē eſſe ajunt.* Reſp. quæ conſequentia? Miniſtri potuerunt explere mandata Chriſti in hauriendâ aqua. Ergò omnia DEI mandata etiam quæ intrinſecam & perpetuam perfectionem cordis requirunt, perfectiſſimè impleri à nobis poſſunt**. Bellarminus cap. 13. producit aliquot rationes, quibus evincere conatur legi divinæ perfectam obœdientiam à nobis præſtari poſſe, 1. *Poteſt homo plus facere, quàm DEUS præcipiat, igitur multò magis poteſt implere præceptum.* Reſp. Antecedēs ex Topica Pelagii petitum manifeſta falſitate laborat, ut in examine operum ſupererogationis oſtendetur. 2. *Si præcepta eſſent impoſſibilia, neminem obligarent, ac per hoc præcepta non eſſent, neque enim fingi poteſt, quomodo aliquis peccet in eo, quod vitari non poteſt.* Reſp. Diſtinguendum inter Naturam inſtitutam & deſtitutam, DEUS legem homini propoſuit in ſtatu innocentiæ, cùm viribus adhuc eſſet ſanis atque integris, per lapſum homo ſuâ culpâ in ἀδυναμίαν iſtam incidit, per quam rigori divinæ legis & juſtitiæ nihil decedit. Quid enim? num obligatio atque obœratio tollitur, ſi quando debitor ſuâ culpâ ad extremam paupertatis lineam redigitur? minimè verò, ſed creditori ſuum jus, quod dederat repetendi, manet ſalvum atque integrum; & ſi nemo in eo peccat, quod vitare non poteſt quid de peccato originali faciemus? Videmus infantes mori, mors peccati eſt ſtipendium, utique ergò infantes peccati ſunt obnoxii, quod ipſum tamen vitare non poſſunt. Num hoc judicium DEI injuſtum? abſit. Apud Anſhelmum l. 1. cur Deus homo c. 24. Baſo proponit quæſtionem. *Si non poteſt homo debitum reddere, quomodo injuſtus eſt, debitum non reddendo?* cui hoc modo reſpondet Anſhelmus. *Forſitan ſi nulla eſt in illo impotentiæ cauſa, aliquatenus excuſari poteſt, ſed ſi in ipſo impotentia eſt culpa, ſicut non levigat peccatum, ita non excuſat non reddentem debitum, ſicut ſi quis injungat ſervo ſuo aliquod opus, & ei præcipiat, ne dejiciat ſe in foveam, quam illi demonſtrat, unde nullatenus exire poſſit, non proptereà is a culpa liberabitur.* Idem de conc. virgin. cap. 28. *Deus rectè exigit à Natura quod ei dedit, & quod ſibi juſtè debetur, ſi quis vir & uxor ejus ad magnam dignitatem quandam vel poſſeſſionem nullo ſuo merito, ſed gratia ſola provecti ſimul crimen grave inexcuſabiliter committunt, & pro eo juſtè dejiciuntur & in ſervitutem rediguntur, quis dicet filios, quos poſt damnationem genuerunt, eidem non debere ſubjacere ſervituti?*

Rationes pro ſtabilienda perfecta legi impletione.

1 Poſſumus plus præſtare, quā Lex requirit.

2. Impoſſibilia neminem obligant.

198. 3. *Si lex eſſet impoſſibilis, ſequeretur DEUM omni Tyranno eſſe crudeliorem & ſtultiorem, quippè qui ab ipſis etiam amicis tributum exigeret, quod nemo ſolvere poſſet, & leges ferret, quas ſciret à nemine obſervandas.* Reſp. 1. Lex DEI pertinet ad omnes omninò homines etiam non renatos; Quare ſi connexum argumenti ſatis firmum, ſequetur, aut homines non renatos itidem implere poſſe legem, quibus non minùs quàm renatis proponitur, aut illorum reſpectu DEUM Tyrannum eſſe, quorum neutrum concedere poterit Bellarminus. 2. Legem ſuam non eo fine poſt lapſum repetivit DEUS, quaſi perfectè eam homines implere & vitam æternam promereri poſſent, ſed ut ex eo eſſet *cognitio peccati*, Rom. 3. v. 20. ut eſſet *pædagogus noſter ad Chriſtum*, Galat. 3. v. 29. ut extaret norma bonorum operum, in quibus renati perpetuò ambulare debent &c. 3. DEUS non ſolùm mortificat per legem, ſed etiam vivificat per Evangelium, non ſolùm oſtendit morbum per vocem legis, ſed etiam affert medicinam per vocem Evangelii, *infundit vulneribus noſtris oleum & vinū.* Luc. 10. verſ. 34. Auguſt. de Spiritu & lit. cap. 19. *Lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleretur. Neq; enim ſuo vitio lex nō implebatur, ſed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.* Si vel maximè doctrina Evangelii non fuiſſet ex immenſa DEI miſericordia hominibus poſt lapſum patefacta, per quam remiſſio peccatorum & Spiritus renovationis credentibus obtingit, ut mandatis Dei obœdire incipiant, nemo tamen Deum in jus vocare fuiſſet auſus, ſi per legem exigeret debitum, ab illis, qui ſuâ culpâ in paupertatem ac perſolvendi debiti ἀδυναμίαν inciderunt. ***Præcepit Deus impoſſibilia* 1. ob juſtitiæ ſuæ commendationem. 2. propter gloriæ Chriſti illuſtrationem. 3. propter noſtri humiliationem. 4. propter noſtri inſtitutionē ut ſciamus quales fuerimus, quod facere debeamus & quales futuri ſimus. 5. propter hypocritarū cōfuſionē.**

3. Deus foret Tyranno crudelior.

199. 4. *Chriſtus paſſus eſt, ut juſtificatio legis in nobis impleretur* Rom. 8. item docuit nos orare, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra* Matth. 6. ubi petimus, gratiam implendi præcepta, deniq; *Chriſtus factus eſt omnibus obœdientibus ſibi cauſa ſalutis æternæ* Hebr. 5. at ſi lex impleri non poteſt Chriſtus non obtinuit quod voluit, fruſtrà nos oramus quotidiè, & nemo ſalvari poterit, Nam ſi lex impleri non poteſt, juſtificatio legis nunquam impletur in nobis, nec fit Dei voluntas in terra, nec unquam verè obœdimus CHRISTO. Reſp. 1. Verè hic eſt finis miſſionis & paſſionis Chriſti, ut juſtificatio τὸ δικαίωμα legis in nobis impleretur, ſiquidem perfecta illa legis impletio, quam Chriſtus noſtri loco præſtitit, per fidem nobis imputatur, *Chriſtus eſt τέλος finis & impletio legis ad juſtitiam omni credenti* Roman. 10. v. 4. ideoque notanter dicit Apoſtolus τὸ δικαίωμα legis impleri non à nobis, noſtris viribus vel

4 Chriſtus paſſus, ut juſtificatio legis in nobis impleretur.

vel operibus, ſed in nobis, videlicet per imputationem, cui Spiritus renovationis individuo nexu conjunctus eſt, per quem lex Dei in corda noſtra ſcribitur, ut non *amplius ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulemus*. Rom. c. 8. v. 4. Tota ſcriptura dicit, Chriſtum pro peccatis noſtris & propter peccata noſtra mortuum eſſe, ut eorum remiſſio per fidem nobis contingeret; nuſpiam autem dicit, Chriſtum eſſe paſſum pro bonis operibus noſtris, ut tantam illis vim atque efficaciam impetraret, quâ coram Dei judicio ſubſiſtere poſſint. Ambroſ. in comm. Rom. 8. *Ideò dicit damnatum peccatum, ut impleretur in nobis juſtificatio legis data à Moſe. Sublati enim de conditione legis facti ſumus amici ejusdem, juſtificati enim amici legis ſunt. Quomodo autem impletur in nobis juſtificatio, niſi cùm datur remiſſio omnium peccatorum? ut ſublatis peccatis juſtificatus appareat mente ſerviens legi Dei.* 2. *Voluntas* quidem *DEI eſt ſanctificatio noſtra* 1. Theſſ. cap. 4. verſ. 3. interim & hæc Dei voluntas, ut *videns Filium & credens in eum, habeat vitam æternam* Johan. cap. 6. verſ. 40. Utrumque igitur petimus, ut juſtificatio nobis contingat per fidem in Chriſtum, & ut renovatio & ſanctificatio noſtra quotidiè creſcat, ideò in ipſa oratione Dominica peccatorum remiſſionem petimus, quâ certè non indigeremus, ſi voluntas Dei in lege patefacta perfectè à nobis impleretur. 3. Verè Chriſtus obœdientibus factus eſt αἴτιος ſalutis æternæ, Hebr. 5. verſ. 9. ſed notandum, quod dupliciter Chriſto obœdire dicimur. 1. Verâ in ipſum fide Roman. cap. 1. verſ. 5. εἰς ὑπακοὴν πίστεως Rom. 15. verſ. 18. *Non audeo quicquam loqui eorum, quæ per me effecit Chriſtus in obœdientiam gentium.* Hâc fidei obœdientiâ coram DEO juſti ſumus, ideò 1. Petr. cap. 1. verſ. 2. obœdientiæ conjungitur *aſperſio ſanguinis CHRISTI.* Deinde obœdire dicimur Chriſto in operibus bonis Actor. cap. 5. verſ. 29. *Obœdire oportet DEO magis quàm hominibus.* Rom. 6. verſ. 12. *Non regnet peccatum in corpore veſtro, ut obœdiatis concupiſcentiis ejus.* verſ. 16. *Cui exhibetis vos ſervos ad obœdiendum ſervi eſtis &c.* Hæc operum obœdientia in hac vita nondũ eſt numeris omnibus abſoluta & contaminata.

5. Fructus Spiritus S. non accuſantur à lege.

200. 5. Omnes verè juſtificati habent Spiritum S. qui parit ſuos fructus Gal. 5. enumeratos. Jam verò, qui hos fructus habet, non accuſatur à lege; quia *adverſus illos non eſt lex*, & hoc eſt quod Apoſtolus dicit, *Per legem Spiritus vitæ non liberari à lege peccati & mortis*, Rõ. 8. R. 1. in hac vita tantũ *primitias Spiritus accipimus*, Ro. 8. v. 23. 2. Operationes Spir. S. fiunt in *corpore peccati & mortis*, Rom. c. 7. v. 24. Ergo pro ratione inſtrumenti & modulo infirmitatis noſtræ perficiuntur. 3. Proinde indigemus *renovatione de die in diem.* 2 Cor. 4. v. 16. 4. Quamvis non ambulemus ſecundum carnem ſed ſecundum Spiritum, tamen ex parte adhuc *carnales ſumus, venundati ſub peccatum*, Rom. 7. v. 14. 5. Proinde licet ipſam, ut ita loquar, ſubſtantiam fructuum Spiritus lex non accuſet, tamen qualitatem h. e. imperfectionem eorundẽ, ut & peccatum in carne renatorũ adhuc habitans accuſat. 6. Ideò a. renati liberi ſunt ab accuſatione legis, quia per fidem ſunt in Chriſto. Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU*, non qui a inhærens vel actualis operũ juſtitia perfectiſſimè cum lege congruit. Ab accuſatione legis renatos immunes præſtat non inhærens juſtitia propria, ſed Chriſti juſtitia per fidem imputata. Ambroſ. in comm. *Lex Spiritus vitæ ipſo eſt & lex fidei. Nam & lex Moſis ſpiritualis eſt, quia prohibet peccare, non tamen vitæ, quia reis mortis peccata remittere nõ poteſt, ut vivificet morituros. Hæc verò quia & peccare non vult & à morte revocat, lex Spiritus vitæ appellatur, non per literam conſtans, ſed per Spiritum, quia corde creditur & Spiritus eſt, quod creditur. Hæc itaque lex in Chriſto Jeſu, hoc eſt, per fidem Chriſti liberat credentem à lege peccati & mortis. Lex peccati eſt, quam in membris dicit habitare. Lex verò mortis Moſis lex eſt, quia mortificat peccatores.* Hactenus Ambroſius. ** Pererius diſp. 17. in cap. 2. Rom. num. 103. pag. 361. tale argumentum texit. *Circumciſio prodeſt, ſi legem obſerves Rom. 2. v. 25. Atqui Abrahæ & aliis ſanctis V. T. profuit circumciſio.* Reſp. 1. Apoſtoli dictum eſt conditionale, quod nihil ponit. 2. ſancti imperfectionem operum ſuorum agnoſcunt perfectam obœdientiam habuerunt in Chriſto 3. obſervantia ergo legis, quæ in circumciſione requiritur non eſt cauſa ſalutis vel nota legis perfectæ impletæ, ſed indicium circumciſionis ſpiritualis rectè uſurpatæ cum ſpirituali cordis circumciſione conjunctæ **. Hujus loci eſt illud Sophiſma: *Opera Dei ſunt perfecta.* Deut. c. 32. verſ. 5. Sed obœdientia renatorum eſt opus Dei, ergò perfecta. Reſp. Quædam opera Deus immediatè per ſeipſum operatur, quæ certè perfectiſſima ſunt, quædam verò in renatis ac per renatos, qui nondum ſunt in hac vita penitus renovati, ſed ſub vetuſtate carnis ex parte adhuc conſtitui, in æterna demum vita perfectè conſummabitur, quod in hac vita Deus per renovationem operari incipit. Quid enim? Si omnia Dei opera ſtatim perfecta, ex ſemine non prius frutex, ſed perfecta ſtatim arbor naſcetur.

6. Renati ſunt ex Deo nati.

201. 6. Omnes juſtificati ſunt ex Deo nati, ſed qui *ex Deo natus eſt, non peccat, nec poteſt peccare*, 1. Joh. 3. v. 9. qui non peccat, legem implet. Reſp. 1. Aliud eſt peccare, aliud peccatum habere. Renati non peccant, hoc eſt, non indulgent concupiſcentiis carnis, nec patiuntur in corpore mortali peccatum regnare; interim tamen, *ſi dixerint, ſe peccatum non habere, mendaces erunt*, 1. Joh. 1. v. 8. 2. Quædam ſunt peccata ignorantiæ & infirmitatis, quædam verò malitiæ & contra conſcientiã. Renati non peccarunt, h. e. non indulgent ſceleribus contra conſcientiam, interim tamen à peccatis ignorantiæ & infirmitatis nondum ſunt immunes, Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadit juſtus, & reſurgit.* Pſ. 19. v. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* 3. Renatos non peccare intelligendum eſt cum reduplicatione, videlicet, quatenus ſunt renati, interim tamen illi ipſi renati adhuc circumgeſtant carnem, in qua habitat peccatum, quod ſingulis diebus, imò horis, quin & momentis eos ſolicitat ad actualia peccata, cujus concupiſcentiis ſi quando obſequuntur, eisque ſecurè indulgent, deſinunt eſſe in renatorum numero, donec verè ad DEUM viciſſim convertantur, Roman. cap. 8. verſ. 13. *Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini, ſi verò Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis.* Auguſt. tractat. 5. in Epiſt. Johann. diſputat: *Peccatum illud quod renatus non facit, eſſe violationem caritatis.*

Idem

Idem expoſit. in Epiſt. ad Galat. *Aliud eſt non peccare, aliud peccatum non habere. Nam in quo peccatum regnat, non peccat, id eſt, qui non obœdit deſideriis ejus. In quo autem non exiſtunt omnino iſta deſideria, non ſolùm non peccat, ſed etiam non habet peccatum. Quod etiamſi ex multis partibus in iſta vita poſſit effici, ex omni tamen parte nonniſi in reſurrectione carnis atq; ac commutatione ſperandum eſt*.

Quo fine propugnetur ἀδυναμία perfectè implendi legem.

202. Neque verò doctrina de impoſſibilitate legem implendi hoc fine traditur, ut ejus prætextu ſecuritas, ignavia, & affectata omiſſio vel alātur vel excuſentur, **quo inclinat Becanus tract. de Eccleſia q 3. concl. 2. nu. 6. ſcribens: *Doctrina de impoſſibili impletione legis repugnat ſanctitati & præbet occaſionem peccandi. Si enim præcepta Decalogi ſunt impoſſibilia, fruſtra de eorum obſervatione ſolicitus ſim, fruſtra caveam à furtis, homicidiis, adulteriis***. ſed 1. ut agnitâ virium noſtrarum ἀδυναμίᾳ & juſtitiæ noſtræ imperfectione confugiamus ad Chriſtum, qui nos *redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum* Galat. 3. verſ. 13. *Per quem Deus præſtitit, quod erat legi impoſſibile* Rom. 8. v. 3. *ut ſit finis legis ad juſtitiam omni credenti*, Rom. 10. verſ. 4. Hæc gloria perfectæ juſtitiæ ſoli Chriſto relinquenda eſt, qui eſt *ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν* Hebr. 7. verſ. 26. Illius juſtitiam qui ignorant ac repudiant ſuam *quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Rom. 10. verſ. 3. Primus igitur hujus doctrinæ uſus eſt in articulo juſtificationis, ne ſcilicet imperfectam illam & multis modis contaminatam, quam legi præſtamus, obœdientiam judicio DEI opponamus, ſed fide in Chriſtum nos juſtificari diſcamus. 2. Alter hujus doctrinæ uſus eſt in articulo de bonis operibus, ut diſcamus non poſſe naturalibus liberi arbitrii viribus ſinceram & veram obœdientiam legi debitam inchoari, ſed per Spiritum ſanctum *legem Dei in corda noſtra ſcribi* oportere, Jerem. cap. 31. verſ. 33. ut non externam tantùm qualemcunque, ſed etiam interiorem obœdientiam & quidem ſpontaneo Spiritu & ex animo præſtare incipiamus. Viciſſim, cùm à perfectione illa, quam lex requirit, inchoata obœdientia adhuc procul abſit, ideò de ea coram Dei judicio non poſſumus gloriari, ſed fateri cogimur *omnes noſtras juſtitias eſſe quaſi pannum mulieris menſtruatæ*, Eſa. 64. verſ. 6. *& cùm omnia fecerimus, nos tamen ſervos inutiles eſſe*, Luc. cap. 17. verſ. 10. Denique ut ſciamus inchoatam illam renatorum obœdientiam ideò DEO placere, quia proficiſcitur ex fide in Chriſtum per quam tegitur ejus imperfectio & adhærens vitium, non autem quia perfectè legi ſatisfacit.

Uſus legis triplex.

203. Quamvis verò legem DEI non poſſimus perfectè in hac vita implere & ex ea coram DEO juſtificari, uſus tamen ejus longè maximus eſt & digniſſimus, 1. Tim. cap. 1. verſ. 8. *καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται.* Sequemur autem vulgatam illam enumerationem in libris Eccleſiarum noſtrarum Symbolicis receptam, quâ triplex uſus legis ſtatuitur. 1. *πολιτικὸς* ſeu pædagogicus, ut regat *τὸ ἐπιθυμητικὸν* ac coerceat homines nondum renatos, ne in manifeſta ſcelera prorumpant, quibus ſocietas, honeſtas & tranquillitas humanæ vitæ turbetur, ſed in externo obſequio hoc legis freno contineantur. 1. Tim. cap. 1. verſ. 9. *Lex juſto non eſt poſita ſed injuſtis & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis & contaminatis, patricidis & matricidis, homicidis* verſ. 10. *fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris.* Quamvis enim externa illa nondum renatorum diſciplina, *cum non ſit ex fide, peccatum ſit*, Rom. cap. 14. verſ. 23. ac proinde perſonam non reddat Deo gratam & acceptam, cum *ſine fide impoſſibile ſit Deo placere*, Hebr. cap. 11. v. 6. Severè tamen à Deo flagitatur & exigitur, quin & corporalibus præmiis remuneratur, ut politica ſocietas conſervetur & homines de Chriſto doceri poſſint. **Hieron. in q. ad Algaſiam. 8. *Lex data eſt, ut peccatorum venena monſtret, & hominem malè libertate ſua abutentem, qui prius ferebatur improvidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineat & compoſitis doceat incedere greſſibus, ita ut ſerviamus in novitate ſpiritus & non in vetuſtate literæ.*** D. Lutherus in comm. 3. cap. Galat. tom. 4. latin. fol. 99. b. *Primus intellectus ſeu uſus Legis eſt, coercere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideo ordinavit DEUS Magiſtratus, Parentes, Præceptores, leges, vincula & omnes ordinationes civiles, ut ſi non poſſint amplius efficere, revinciant ſaltem Diabolo manus, ne pro libidine ſua ita ſæviat in ſuis. Sicut ergò hominibus obſeſſis, in quibus Diabolus potenter regnat, vincula & catena injiciuntur, ne quem lædant, ſic toti mundo, qui eſt obſeſſus à Diabolo & præceps fertur in omnia ſcelera, adeſt magiſtratus ſuis vinculis & catenis, hoc eſt, legibus cohibens manus & pedes, ne præceps ruat in omnis generis flagitia. Hæc civilis coertio ſummè neceſſaria eſt & à Deo inſtituta, cùm propter publicam pacem tùm propter omnes res conſervandas, maximè verò ne tumultibus & ſeditionibus ferocium hominum curſus Evangelii impediatur.* 2. *θεολογικὸς ἐλεγκτικός*, *ut peccatum arguat*, Oſeæ cap. 6. v. 6. lex vocatur dolabra, Rom. 3. verſ. 20. *Per legem eſt agnitio peccati*, Rom. cap. 4. v. 15. *Lex iram operatur.* Rom. cap. 5. verſ. 20. *Lex ſubintravit ut abundaret delictum*, Rom. cap. 7. verſ. 7. *Peccatum non cognovi, niſi per legem, nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret; non concupiſces*, Galat cap. 3. verſ. 19. *Lex propter transgreſſiones poſita eſt*, verſ. 22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccatum, &c.* de hoc legis uſu extant multa veterum dicta Ambroſ. comm. in 3. Rom. *Per legem peccati cognitio, per fidem autem abolitio, ideo ſequenda fides eſt*, in cap. 7. Rom. *Index peccati lex eſt, non genetrix, reos faciens peccatores.* **Idem lib. de fug. ſecul. cap. 7. *Lex factum damnat, non aufert malitiam.* Cyrill. lib. 8. in Joh. *Omnes ſub lege condemnantur propter peccatum.* Hieron. in Eccleſ. cap. 2. *Lex rigida, inbenigna, non parcens, peccatorum interficiens.* Chryſ. in c. 4. Rom. *Si ergo lex iram operatur, transgreſſionisq; reos facit manifeſtum eſt, quod & maledictioni faciat obnoxios. Tam qui maledictionis, ſupplicii, transgreſſionisq; rei ſunt, digni certè nõ ſunt, qui hereditatem capiant, ſed potius, qui & pœnas luant & ejiciantur***. in comm. Ep Rom. *καὶ αἱ κατηγορίαι καὶ οἱ ἔλεγχοι διὰ τοῦτο πάντες ἐγένοντο, ἵνα λαμπρῶς ἀνοιγῇ τῆς πίστεως ἡ θύρα* in 1 Ti. 1. *ἐὰν νομίμως χρῆται, αὐτὸν ὁ νόμος παραπέμπει πρὸς Χριστόν, ὅταν γὰρ αὐτὸς οὐκ ὢν δικαιῶσαι τὸν ἄνθρωπον μὴ δύνηται, τοῦτον παραπέμπει πρὸς τὸν δυνάμενον.* Aug.

1. Politicus

2. Theologicus ἐλεγκτικὸς

de

de pœnit.medic.cap.1. *Ad hoc data lex eſt, ut ſuperbo infirmitatem ſuam notam faceret infirmo pœnitentiam ſuaderet. Ad hoc data lex eſt, ut vulnera oſtenderet peccatorum, quæ gratia benedictione ſanaret. Ad hoc data lex eſt, ut diceremus etiam in convalle plorationis, video aliam legem in membris meis &c. & ſuccurret nobis ex audiente Deo, qui erigit eliſos & ſolvit compeditos, illuminat cæcos gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Idem de actis cum Felice Manich. l.2.c.11. *Data eſt lex ſuperbis hominibus & viribus ſuis totum attribuentibus, ut cùm implere nō poſſent legem datā, prævaricatores invenirentur & facti reî ſub lege miſericordiam peterent à Deo conditore.* Idem Epiſt. 157. ad Optatum: *Danda fuerat lex, quæ manifeſtiùs ſibi ipſum oſtenderet hominem; ne ſuperbus animus humanus à ſeipſo ſe poſſe eſſe juſtum putaret, & ignorans Dei juſtitiam, id eſt, quæ homini ex Deo eſt, & ſuam volens conſtituere, id eſt, quaſi ſuis viribus partam juſtitiæ Dei ſubjectus non fieret. Oportebat itaque ut addito mandato, cujus vox eſt non concupiſces ſuperbo peccatori etiam prævaricationis crimen accederet, atque ita gratia medicinam non ſanata per legem, ſed convicta infirmitas quæreret.* Epiſt. 200. ad Aſellicum: *Utilitas legis eſt, ut hominem de ſua infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt, implorare compellat.* De Spiritu & lit. cap.9. *Per legem oſtendit Deus homini infirmitatem ſuam, ut ad ejus miſericordiam per fidem confugiens ſanaretur.* cap.13. *Lege operum dicit Deus, fac quod jubeo, lege fidei dicitur Deo, da quod jubes, ideò enim jubet lex, ut admoneat, quid faciat fides, &c.* cap.17. *Velamen poſitum eſt in lectione V.T. donec ad Chriſtum tranſeatur & auferatur velamē, id eſt, tranſeatur ad gratiam & intelligatur ab ipſo nobis eſſe juſtificationem, quâ facimus quod jubet, qui propterea jubet, ut in nobis deficientes ad illum confugiamus.* In Pſ. 83. *Data eſt lex hominibus, non quæ ſalvaret eos jam, ſed per quam cognoſcerent, in qua ægritudine jacebant &c. Data eſt lex ut ægrum de morbo convinceret, qui ſibi ſanus videbatur, ut peccata demonſtrarentur, non ut auferrentur.* Bernh. ſerm.2. in vig. nat. col.37. *Propterea mandata ſua mandavit cuſtodiri nimis, ut videntes imperfectionem noſtram deficere & non poſſe implere quod debet, confugiamus ad miſericordiam, & dicamus, quoniam melior miſericordia tua ſuper vitas.* Serm. 50. in Cant. col. 642. *DEUS mandando impoſſibilia non prævaricatores homines fecit, ſed humiles, ut omne os obſtruatur & ſubditus fiat omnis mundus coram Deo, quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram ipſo. Accipientes quippe mandatum & ſentientes defectum clamabimus in cœlum, & miſerebitur noſtri Deus, &c.* De hoc uſu legis ſæpiſſimè D. Luther. tom.4. latin. p.101. præſertim in comm. Epiſt. ad Gal. c. 3. *Lex oſtendit hominem ſibi ipſi quod ſit peccator,* Ergò *reus mortis & dignus æternâ irâ. Ad quid prodeſt iſta humiliatio, contuſio & contritio per iſtum malleum, legem ſcilicet? Ad hoc prodeſt ut gratiæ pateat ad nos aditus. Sic ergò lex miniſtra & præparatrix eſt ad gratiam,* pag. 110. *Lex eſt carcer Spiritualis & verè infernus, quia cùm revelat peccatum, minatur mortem & æternam Dei iram, homo non poteſt effugere nec conſolationem invenire, &c. Hoc ſuum officium lex exequitur,* non externa tantùm ſed interiora peccata imo abſconditam Naturæ pravitatem accuſando, peccati atrocitatem manifeſtando, contritionem operando, & ſuis verberibus ad Chriſtum compellendo, uti paſſim D. Luthec. docec. 3. Tertius legis uſus eſt *θεολογικὸς διδακτικός*, quo inſtruit renatos, quæ ſint verè bona opera, in quibus ambulare debeant, ac DEO placere poſſint. Quemadmodum enim equus indomitus fœno coërcetur & conſtringitur, domitus verò equus eodem freno dirigitur, ut intra metas recti itineris juxta arbitriū ſeſſoris retineatur: ita lege Dei intractabiles homines coercentur, regenerati verò ea diriguntur & retinentur intra metas eorum operum, in quibus juxta Dei voluntatem debent ambulare, qua ſimilitudine Cyrillus utitur, qui lib.3. contra Julian. f. 53. *Quemadmodum ait, equis conducunt frena, ut bene currant & ornamenta ſunt, & ſicut navibus gubernacula, per quæ ad rectum ſcopum contendant, ita & hominibus lex utilis eſt.* Eze. 20. v.19. *In præceptis meis ambulate.* Jerem.31. v.33. *Scribam legem in corda eorum, &c.* Rom.3. v.30. *Num legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtabilimus.* Rom.3. v.8. *Qui proximum diligit, legem implevit.* Primum legis uſum tantùm ad non renatos pertinere volunt, quod intelligendum cum reſtrictione illa, quatenꝰ credētes ſunt renati ac renovati: cùm enim renati itidem ex parte adhuc carnales ſint, ideò ipſis quoque frenum legis neceſſarium eſt, ut caro cum ſuis concupiſcentiis coerceatur, ne in externa delicta prorumpat & Spiritum ſeſſorem excutiat. D. Lutherus in cap.3. Gal. tom. 4. latin. p.114. *Propter carnem adhuc opus eſt renatis pædagogo, qui fortem aſinum exerceat & vexet, ut hâc Pædagogiâ minuantur peccata, & Chriſto via paretur. Chriſtus enim ut ſemel ſecundum tempus corporaliter venit, totam legem abrogavit, peccatum abolevit, mortem & infernum deſtruxit, ita ſpiritualiter ſine intermiſſione ad nos venit & iſta perpetuò in nobis extinguit atque occidit.*

3 Theologicus didaſcalicus.

204. Triplex iſte legis uſus liquidè oſtendit, repudiandum eſſe Antinomorum furorem, qui legem Dei moralem ex Eccleſia proſcribendam & eliminandam cenſent, quibus opponimus hunc Syllogiſmum: Quicquid à DEO ipſo ſolenniter promulgatum, à Prophetis & Apoſtolis, imò Chriſto ipſo repetitum atque auditoribus inculcatum & cujus tractatio non ſolùm utilis, ſed & neceſſaria eſt, illud ex Eccleſiæ pomœriis neutiquam proſcribendum. Lex Moralis 1. ab ipſo Deo in monte Sinai ſolenniter promulgata, Exod. 20. 2. ab omnibus Prophetis repetita, quippè qui præter explicationem promiſſionis gratiæ fuerunt etiam interpretes legis, quod ἰωδυλον. 3. à Chriſto ipſo & Apoſtolis in Nov. Teſtam. auditoribus inculcata Matth. cap. 5. verſ.17. *Non veni ſolvere legem, ſed implere.* Rom. cap.3. verſ.30. *Legem non deſtruimus per fidem, ſed ſtabilimus.* 4. utilitatem habet cum quadam neceſſitate conjunctam, ſiquidem non renatos in externa diſciplina coercet, accuſando peccatum ad Chriſtum nos compellit, renatis normam bonorum operum præſcribit, carnis vetuſtatem in eis arguit, imperfectionem & immunditiem inchoatæ ipſorum obœdientiæ adhærentem accuſat, ne vel ad arcanos, raptus, vel ad carnis licentiam, vel ad ἐθελοθρησκεία, vel ad juſtitiæ propriæ perſuaſionem ferantur.

Antinomorum error impugnatur.

Breviter

Breviter dicendo, niſi doctrina legis pura, integra atque illibata in Eccleſia conſervetur, nec articulo de juſtificatione, nec doctrinæ de bonis operibus, nec orthodoxiæ de peccato & libero arbitrio ſua conſtabit puritas & integritas.

Argumenta Antinomorum. 205. Quæ firmanda errori ſuo fulcra adhibent Antinomi, facili negotio ſubruuntur. *1. Juſto non eſt lex poſita*, 1. Tim. 1. v. 9. Renati ſunt juſti. Reſp. Nec omnes, qui in externo Eccleſiæ conſortio ſunt, renati & renovati ſunt, nec illi, qui renati & renovati ſunt, ab omni carnis vetuſtate liberati ſunt. Juſtis non eſt lex poſita, quatenus à maledictione legis per fidem in Chriſtum liberi ſunt & ex fide ſpontaneam legi obœdientiam præſtare incipiunt, interim illi ipſi juſti ſunt ex parte *adhûc carnales & ſub peccatum venundati*, Rom. 7. v. 14 ideò indigent legis ſpeculo, in quo peccati ſordes ipſis adhûc adhærentes conſpiciantur, & norma in bonis operibus ſectanda præſcribatur. Juſtis igitur non eſt lex poſita ratione primi uſus, quatenus Spiritus ſancti ductu ſpontaneam legi obœdientiam præſtant, nec legis verberibus indigent. Deinde reſpectu condemnationis, quo ſenſu quidam ſtatuunt ab Apoſtolo dictum *νόμος οὐ κεῖται δικαίῳ*, non *ἀντίθεται*, quę loquendi formula uſurpari videtur hoc ſenſu, Matth. 3. ſecuris ad radicem arboris poſita eſt Bernh. Ep. 11. *Aptè non dicitur: Juſti non habent legem, aut juſti ſunt ſine lege, ſed juſtis non eſt lex poſita, hoc eſt, non tanquam invitis impoſita ſed voluntariis, eò liberaliter data, quo ſuaviter inſpirata, unde & pulcrè Dominus: Tollite jugum meum ſuper vos, ac ſi diceret; nō impono invitis, ſed vos tollite ſi vultis, alioqnin non requiem ſed laborem invenietis animabus veſtris.* 2. *Renati non ſunt ſub lege*, Rom. 6. v. 14. *Liberati ſunt à lege*, Galat. 4. v. 5. Ergò non indigent doctrina legis. Reſp. Non ſunt ſub lege, quoad maledictionem ac condemnationem legis, Rom. 8. v. 1. *Nulla eſt condemnatio his, qui ſunt in Chriſto.* Deinde quoad rigorem legis, cui gratia opponitur, interim tamen *libertatem illam non debent dare in occaſionem carnis, ſed per charitatem ſervire invicem.* Gal. 5. v. 13. Jam verò *omnis lex in uno ſermone impletur, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* v. 14. Ergò ab obœdientia legi præſtanda nnn ſunt liberi. 3. *Renati aguntur Dei Spiritu*. Rom. 8. v. 14. Ergò non indigent calcari legis. Reſp. Renovatio Spiritus non tollit in renatis omnem vetuſtatem carnis, ſed manent vetus & novus homo, exterior & interior, caro & Spiritus. Caro igitur freno & calcari legis indiget, freno quidem, ne ruat in externa delicta, calcari autem, ut ad ſerviendum & obſequendum ſpiritui extimuletur. Quid quod Spiritus ſanctus regit quidem & agit renatos, non tamen immediatè, ſed utitur verbo tanquam organo, ideò ex lege bonorum operum norma petenda eſt, in quibus renati ambulent, quò pertinet integer Pſalmus 119. 4. Si renati adhuc ſub lege eſſent, ipſorum opera non Evangelio, ſed legi accenſenda forent. Reſp. Bona opera renatorum pertinent ad legem ratione objecti, quia lex eſt norma & regula iſtorum operum, ad Evangelium ratione efficientis, quia per Evangelii prædicationem datur Spiritus renovationis, cujus fructus ſunt bona renatorum opera, Gal. 5. v. 22. Ex his reliqua facilè dijudicari poſſunt.

206. Quæ de uſu legis dicta ſunt, latiùs diduci & explicari poſſunt hoc modo: 1. Lex eſt ſpeculum juſtitiæ, ſanctitatis & perfectionis divinæ; id ſic declaro. *Uſus legis latiùs exponitur.* Deus Pater ab æterno genuit Filium, in quo plenè & perfectè relucet ipſius imago. Coloſſ. c. 1. v. 15. *Filius eſt imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis creaturæ*, Hebr. cap. 1. verſ. 3. eſt *ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ*, quod breviter ſic effertur: Filius Dei eſt imago Patris ſubſtantialis, ergò ut Pater eſt ętern9, omnipotēs, juſt9, perfectus; ita quoq; Filius eſt æternus, omnipotens, juſtus, perfectus nimirum, quia eſt ſubſtantialis & perfecta Patris imago. Quamvis verò ab æterno Deus Pater hanc ſui imaginem, Filium dico, genuerit, tamen ex *ὑπερβολῇ ἀγαθότητος* ſuæ voluit etiam aliā ſui imaginem extare, non quidem ſubſtantialem, ſed accidentalem, hominem igitur (ut & Angelos) *creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, Geneſ. 1. v. 27. quæ juxta interpretationem Apoſtoli definienda eſt juſtitia & ſanctitate vera Epheſ. cap. 4. v. 24. Propter hanc Dei imaginem in ſe relucentem homo conformis erat Creatori ſuo. Sicut Deus eſt juſtus, bonus, ſanctus, miſericors: ita quoque homo ad Dei imaginem creatus erat juſtus, bonus, ſanctus, miſericors, Nec tamen eo perfectionis gradu homo erat juſtus, bonus, ſanctus, miſericors, quo Deus, ſiquidem non erat ſubſtantialis Dei imago, ſed creatus ad Dei imaginem; poterat igitur illam Dei in ſe relucentem imaginem amittere, quia erat in ipſo accidens, ſicut etiam per lapſum proh dolor eam amiſit, tenuib9 ſaltem reliquiis adhuc reſiduis. Deus igitur aliam ſuæ juſtitiæ & ſanctitatis imaginem nobis propoſuit in ipſa lege, quales enim in lege nos eſſe vult, ab omni ſcilicet peccati labe immunes, contrà verò luce juſtitiæ & ſanctitatis radiantes, talis ipſe eſt, ſed modo longè perfectiori, imò planè ſingulari, cùm illa Dei imago in lege propoſita, ne quidem dignitatem ejus imaginis, quæ in primo homine fulgebat, aſſequatur, ſiquidem imago Dei in primo homine fulgens erat viva & interior, ſed imago illa DEI, quæ in lege proponitur, eſt exterior & literarum apicibus *ἐκτυπωμένη*. Quare cùm ex lege ad inſtaurationem imaginis divinæ in ſemetipſo ſuis viribus homo non poſſit aſpirare, ideò miſit Deus Filium ſuum in mundum, qui cum ratione divinæ Naturæ ſit lubſtantialis Dei Patris imago, in aſſumta carne ſua imaginem Dei perfectiſſimo modo relucentem exhiberet, eandemque per fidem & Spiritum renovationis in nobis inſtauraret, Is non ſolùm purus, ſanctus, ab omni ingenita peccati labe immunis inde à primo conceptionis momento fuit, ſed & perfectam obœdientiam legi præſtitit, quam per fidem nobis donat, & per Spiritum ſanctum imaginem Dei in nobis reparare incipit, perfectè autem in vita æterna eam in nobis conſummabit. 2. Lex eſt ſpeculum primævæ hominis juſtitiæ. Quales enim Deus in lege nos eſſe vult, talis erat primus homo in concreata ſua integritate & juſtitia. Quicquid exteriùs in lege nobis præſcribitur, id in corde hominis interiùs vivis literis ſcriptum erat. Jubet lex, ut Deum ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligamus, talis dilectio fulgebat in corde primi hominis, nulla, ne minima quidem, pravarum concupiſcentiarum vel inordinati amoris fuligine contaminata, hinc propter

qua-

Digitized by Google

qualeſcunque divinæ imaginis in homine reliquias *opus legis in cordibus gentilium ſcriptum eſſe* pronunciat Apoſtolus Rom.c.2.verſ.15. Atqui cum lex Dei cordi primi hominis inſcripta atque inſculpta fuerit, quare ſpecialem illam de non comedendo vetitæ arboris fructu legem DEUS ipſi prohibuit? Reſp. Ad exercitium obœdientiæ ſummo Creatori debitæ proponebatur, ſiquidem imago illa Dei, ad quā primus homo conditus erat, complectebatur non ſolùm juſtitiæ & ſanctitatis veritatem, ſed etiam arbitrii libertatem, illam igitur in externo quodam objecto exerceri oportuit. Athanaſ. ſerm. de incarn. verbi pag. 39. *DEUS ad ſuam ipſius imaginem hominum genus effiguravit, dedit q; illis ſuæ rationis dotem, ut veluti umbras quaſdam ac lineamenta* (σκιάς τινάς) *rationis poſſidentes rationalesque effecti perſeverare poſſent, in beatitudine viventes veram & revera Sanctiorum in Paradiſo vitam. Animadvertens rurſum arbitrium defectumq; hominis.* (Legendum potiùs delectum δυναμένην ἀμφοτερίζειν) *utroque vergere* (εἰς ἀμφότερα νεύειν, *maturè hanc gratiam quam ipſi dederat, legis & loci præſidio communitam voluit.* 3. Lex eſt ſpeculum corruptionis per lapſum protoplaſtων in Naturā humanam introductæ. *Per unius obœdientiam peccatores conſtituti ſunt multi,* Roman. 5. v.19. hoc eſt, primus homo debitum obœdientiæ tributum DEO denegans ac datam legem transgrediens peccatum in mundum introduxit, cujus ratione *Natura omnes homines ſunt filii iræ,* Eph. 2.verſ.3. *Venundati ſub peccatum,* Rom.7.v.14. à quo ne ipſi quidem renati in hac vita penitus liberantur: quamvis enim *delectentur lege Dei ſecundum interiorem hominem* per Spiritum renuvatum Rom. 7. v.22. *Vident tamen aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis & captivantem eos in lege peccati, quæ eſt in membris ipſorum,* verſ.23. Propter illud ἀντιστρατεύειν ſemper nitimur in vetitum. Lex jubet, ut Deum ex toto corde diligamus, ipſi confidamus, eumque timeamus, ſed homines Natura fugiunt Deum, verâ in ipſum fiduciâ ac timore deſtituti. Lex jubet, ut proximum diligamus, tanquam nos ipſos, ſed homines naturâ propenſi ſunt ad quærendum ſuum commodum & ſuum honorem. Lex prohibet, ne concupiſcamus, *ſed ex corde hominis* tanquam ex venenato fonte *exurgunt pravæ concupiſcentiæ, quæ ipſum coinquinant* Matth. 15. v. 19. 4. Lex eſt ſpeculum perfectiſſimæ illius quam Chriſtus Mediator noſtri loco præſtitit, obœdientiæ. Chriſtus non ſolùm natus eſt Sanctus, Luc.1.v.36. ſed & toto ſuæ in his terris converſationis tempore ſanctis operibus vitā tranſegit, perfectiſſimam ac numeris omnibus abſolutiſſimam legi obœdientiam præſtans, adeò ut ne quidem *jota unum aut unus apex præterierit, quem non impleverit,* Matth. cap.5.verſ.18. hinc verè dicere poteſt, Matth. cap.11.v.28. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Sancta Chriſti vita eſt perfectiſſima pietatis & virtutum omnium regula, quicquid exterius lex præſcribit, id in Chriſti corde interiùs fulſit, omnes ipſius actiones, omnes ſermones exactiſſimè congruerunt cum norma divinæ legis, ſiquidem *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* Eſa.53. verſ.22. 1.Petr.cap.2.verſ.22. 5. Lex eſt ſpeculum vitæ piæ & ſanctæ à renatis ducendæ. Chriſtus donat credentibus ſuam juſtitiam, quæ per fidem ipſis imputatur, huic juſtificationis & regenerationis beneficio nexu individuo conjuncta eſt renovatio, per quam credentes ſpiritu mentis ſuæ ad imaginem Dei reformari incipiunt, ut ſint *zelotæ bonorum operum* Tit.2.v.14. Deoque *ſerviant in juſtitia & ſanctitate* Luc.1.v.75. horū operum hujus juſtitiæ & ſanctitatis, cui renati ſtudere debent, perfectiſſima norma in lege divina proponitur, adeò ut novis mandatis ac novâ Evangelica lege ipſis minime opus ſit, Pſ. 19. verſ.8. *Lex Jehovæ perfecta eſt.* Deut.4.2.c.12,32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facias, non addas quicquam nec detrahas.* inde Epheſ.2. v.10. dicitur, *Deus præparaſſe illa opera, in quibus ipſi ambulare debent.* Quæ de conſiliis perfectionis in nova lege à Chriſto additis diſputantur, ſolido deſtituuntur fundamento, ut ſuo loco apparebit. Non opponit Chriſtus explicationem ſuam Matth 5. doctrinæ Moſaicæ, ſed corruptelæ Phariſaicæ, non legi Propheticæ, ſed gloſſæ erroneæ ac hæreticæ. 6. Lex eſt ſpeculum perfectionis in vita æterna expectandæ. Renati in hac quidem vita incipiunt legi divinæ ſinceram obœdientiam præſtare, ſed hæc ipſorum obœdientia non eſt modis omnibus perfecta, in futura autem vita numeris omnibus abſoluta erit. Quemadmodum in vita æterna ipſorum corpora erunt σύμμορφα glorioſo Chriſti corpori Philip.3. v.21. ita quoq; ſpiritu mentis ſuæ plenè & perfectè erunt renovati, ab omni vetuſtate carnis exuti, ad imaginem Dei perfectè reformati. 1.Joh.3. v.2. *cùm apparuerit, ſimiles ei erimus,* quâ de re pulcerrimè ſcribit Nazianz. orat.4. de Theol. μηκέτι πολλὰ ὄντες ὥσπερ νῦν τοῖς κινήμασι, καὶ τοῖς πάθεσιν, οὐδὲν ὅλως Θεοῦ ἢ ὀλίγον ἐν ἡμῖν αὐτοῖς φέροντες ἀλλ᾽ ὅλοι θεοειδεῖς, ὅλου Θεοῦ χωρητικοὶ καὶ μόνου, τοῦτο γὰρ ἡ τελείωσις πρὸς ἣν σπεύδομεν. *Non amplius multa exiſtentes ut nunc, variis animorum motibus & affectibus jactati, nihil omninò Dei aut parùm in nobis habentes, ſed toti Deo ſimiles & conformes, totius ac ſolius Dei capaces futuri ſumus, hæc enim eſt perfectio ad quam tendimus.* Hinc Auguſtinus toties repetit præceptum de dilectione in futura demum vita perfectè impletum iri, ubi nulla ampliùs erit concupiſcentia refrenanda.

207. Omninò autem hæc obœdientia Legi debita in hac vita à renatis eſt inchoanda, ſiquidem Scriptura verè credentes ac renatos hoc modo deſcribit, quod caveant externos lapſus & peccata contra conſcientiam, quod ambulent in bonis operibus & præſtent externam obœdientiam legi congruentem, quod per Spiritum ſanctum inchoentur in eis novi motus in corde, mente, voluntate, & omnibus membris juxta ſingula præcepta, quod Spiritu, id eſt novis illis viribus à Spiritu ſancto donatis repugnent pravis concupiſcentiis ac carnem ſuam mortificent; ſed quia in hiſce omnibus non tantum præſtant, quantum lex exigit, ideò agnoſcunt immunditiē ac infirmitatem ſibi ſuiſque operibus adhærentem. ſtatuunt fide, non autem ſuis operibus ſe coram DEO juſtos eſſe, petunt peccata ſua tegi, ſeque Spiritu Sancto regi, & prælucente hac fide & vero DEI timore bona operantur. Huc pertinet obſervatio D. Lutheri, quòd lege DEI νομίμως hoc modo utamur, ſi diebus ſingulis expendamus 1. quid in ea à nobis requiratur. 2. ſi gratias Deo agamus, quod

Obœdiendum ipſi legi.

Filium Redemtorem miſit, qui à maledicto legis nos liberavit. 3. Si peccatorum, quibus legem transgreſſi ſumus confeſſionem ſubjiciamus, eorumque condonationem per Chriſtum ſperemus. 4. Si addamus precationem, ut Spiritu ſuo in operibus bonis ferventes nos faciat ac legem ſuam in cor noſtrum ſcribat. κιλιύσματα illa, quæ ad obœdientiam legi præſtandam nos invitare debeant, hoc ordine enumerat D. Chemn. de Lege c. 8. pag. 255. 1. Vera fides cupit à peccatis liberari, erit igitur indefeſſa hortatrix ad vitanda peccata & præſtanda bona opera. 2. Cum fide datur Spiritus ſanctus, qui nos impellit ad bonum, cavendum igitur, ne hunc hoſpitem contriſtemus vel excutiamus. 3. Dilectio DEI tot beneficiis erga nos declarata à nobis impetrare debet, ut DEUM diligamus & mandata ejus cuſtodiamus; amantis enim natura eſt amato obſequi. 4. Ex timore filiali ſolicitè cavendum, ne DEUM benignum illum Patrem offendamus. Atqui ut dilectio proponit ſibi DEI beneficia, promiſſiones & eſempla præmiorum, quibus interior homo blandè invitetur ad obœdientiam præſtandam: ita timor filialis proponit ſibi DEI iram comminationes & exempla pœnarum, quibus exterior homo coerceatur ac refrenetur. Media, quibus ad ſinceram obœdieotiam deducimur, ſuot, auditus ac meditatio verbi, ſeriæ preces, fuga occaſionum peccandi &c. Pſalm. 1. verſ. 2. *Beatus qui in lege Domini meditabitur die ac nocte.* Pſalm. 119. verſ. 11. *In corde meo abſcondi eloquium tuum, ne peccem tibi.* Deuter. cap. 6. verſ. 6. *Verba quæ præcipio tibi, erunt in corde tuo.* verſ. 7. *Repetes ea filiis tuis, loqueris de eis, quando ſedebis in domo tua, quando ambulabis per viam, quando jacebis in lecto & quando ſurges.* v. 8. *ligabis ea in ſignum in manu tua &c.*

Definitio legis moralis. 208. Atque hæc dicta ſint de Lege Morali, quam ſi quis exactè definire velit, reſpiciat potiſſimùm ad hæc membra. 1. Quòd ſit doctrina cœleſtis & divina, non in monte Sinai primùm tradita, ſed in creatione patefacta, poſtea verò ſolenniter repetita, ac per Prophetas & Apoſtolos declarata. 2. Quòd ſit æterna & immota juſtitiæ regula, nulli mutationi vel abolitioni obnoxia, quâ ratione non ab humanis ſolùm legibus, ſed & Ceremonialibus ac Forenſibus Moſaicis diſtinguitur. 3. Quòd ooo ſolùm externorum operum regula ſit, ſed & cogitationum, imò totiùs Naturæ integritatem, hoc eſt, perfectam, interiorem & exteriorem obœdientiam requirat. 4. Quòd promittat quidem benedictiooem & vitam, hoc eſt, corporalia & ſpiritualia, hujus & æternæ vitæ præmia, ſed ſub conditione perfectæ obœdientiæ. 5. Quòd propter Naturæ corruptionem per peccatum introductam nemo hominum perfectam illam obœdientiam in hac vita Legi præſtare poſſit, unde promiſſiones Legis nobis redduntur inutiles. 6. Quod reſpectu corruptę Naturæ ſit judicium univerſale accuſans & condemnans homines, ideoq; compellat nos ad Chriſtum, qui eſt finis Legis ad juſtitiam omni credeuti. 7. Quòd ſi norma bonorum operum, in quibus renati ambulare debent. Hæc omnia vel certè potiora complectitur Philippea definitio: *Lex moralis eſt æterna & immota ſapientia & regula juſtitiæ in DEO, diſcernens recta & non recta, & patefacta eſt hominibus in creatione, & poſtea ſæpe repetita & declarata voce divinâ, ut ſciamus quod ſit Deus & qualis ſit, obligans omnes creaturas rationales & poſtulans, ut omnes ſint conformes DEO, ac damnans & deſtruens omnes non conformes, niſi fiat remiſſio & reconciliatio propter Filium Mediatorem,* cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſecula, AMEN.

DE

DE LEGIBVS CEREMONIALIBVS ET FORENSIBVS.

I.

Connexio cum præcedentibus.

EXplicationi legis moralis convenienti ordine ſuccedit διάταξις legum Ceremonialium & Forenſium, quæ nihil aliud ſunt, quàm ſpeciales legis moralis appendices, rivuli ex fonte εὐσχημοσύνης & æquitatis deducti; ſpecialia διατάγματα Eccleſiam & Politiam Judaicam peculiariter concernentia, numero ſatis multa, adeò ut Rabini in libro Makoth cap. quod incipit: Hi ſunt flagellandi &c. tot mandata jubentia recenſeant, quot exiſtimant in corpore humano eſſe membra, hoc eſt 248. ac tot mandata prohibentia, quot ſunt in quolibet anno dies, hoc eſt, 365. Leges Ceremoniales ſunt exercitia primæ tabulæ, quia determinant cultum Dei in prima tabula præſcriptum per externas circumſtantias. Leges forenſes ſunt exercitia ſecundæ tabulæ, quia itidem juſtitiam erga homines exercendam & in ſecunda tabula præſcriptam per externas circumſtantias determinant.

Diſcrimen Legum Ceremonialium ac Forenſium à morali.

2. Utræque tum Ceremoniales tum Forenſes Leges à morali multis modis differunt, præſertim verò *patefactione, obligatione, duratione & fine.* Primo enim reſpectu patefactionis talis eis intercedit differentia. Lex moralis in prima ſtatim creatione mentibus hominum fuit inſita & inſculpta, ac per Moſen tantùm repetita: ſed Ceremoniales & Forenſes leges Moſis demum tempore natæ ac promulgatæ ſunt. Præcepta legis moralis data fuerunt primo loco ac tempore & modo ſolenniori, quorum repetitionem inter multa prodigia factam ſecuta demum eſt Ceremonialium & Forenſium promulgatio. Decalogum, legis moralis ſummam, dedit Deus immediatè toti populo Deut. c. 5. v. 22. *Verba hæc locutus eſt Jehovah ad omnem congregationem veſtram in ipſo monte è medio ignis, nubis & caliginis voce magnâ & non addidit*: ſed reliquæ leges populo ad tabernacula ſua reverſo demum Moſi ac per Moſen populo traditæ ſunt Deut. 5. v. 30. *Vade, dic illis revertimini ad tabernacula veſtra.* v. 31. *Tu verò hic ſta mecum, ut dicam tibi omnia præcepta & ſtatuta & judicia, quæ docebis illos.* Præcepta Decalogi fuerunt ab ipſo Deo tabulis lapideis inſcripta Deut. 5. v. 22. *Verba hæc ſcripſit Jehovah in tabulis lapideis & dedit ea mihi*, Exod. 32. v. 16. *tabulæ erant opus Dei, Scriptura quoque erat Dei Scriptura, ſculpta ſuper tabulas*: ſed reliquæ leges à Moſe ſunt conſcriptæ Deut. 31. v. 9. *ſcripſit Moſe legem iſtam*, ubi tamen monendum, quod ipſe quoque Decalogus tabulis poſterioribus à Moſe videri poſſit inſcriptus Exod. 34. v. 28. *Fuit Moſes cum Jehovah quadraginta dies & quadraginta noctes & ſcripſit in tabulis verba fœderis, decem verba.* Tabulæ fœderis Decalogum complectentes in arcam fuerunt repoſitæ Exod. 25. v. 16. *Pones in arca teſtimonium, quod tibi dabo.* Exod. 40. v. 20. *Tulit Moſes & poſuit teſtimonium in arca ipſa.* Deut. 10. v. 5. 1. Reg. 8. v. 9. Hebr. 9. v. 4. Sed Deuteronomium complectens reliquas leges à Moſe conſcriptas commendatum fuit Sacerdotum ac Regis cuſtodiæ Deut. 17. v. 18. *Cum ſederit Rex ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi literatim legem hanc in libro* (Münſt. deſcribet ſibi exemplar legis hujus in volumine. Vulg. ſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus) *à conſpectu Sacerdotum Levitarum* v. 19. *& erit apud illum, & leget in eo.* Deut. 31. v. 9. *Scripſit Moſes legem iſtam, & dedit eam Sacerdotibus filiis Levi portantibus arcam fœderis & omnibus ſenioribus Iſrael.*

1 Reſpectu patefactionis.

2. Reſpectu obligationis.

3. Deinde reſpectu obligationis tale animadvertitur inter legem moralem & reliquas tùm Ceremoniales tùm forenſes diſcrimen, quod illa eſt univerſalis regula ac norma, omnes omninò homines, imò & ipſos Angelos obligans. Præſcribit enim regulam conformitatis illius, quæ debet eſſe inter Deum archetypum & creaturam rationalem ad imaginem Dei conditam, ideò ab initio mundi etiam ante Moſen ſemper ſonuit in Eccleſia; hæ verò ſunt ſpeciales conſtitutiones Iſraeliticum populum ſolummodò obligantes; Lex enim eos tantùm obligat, quibus lata eſt, at leges Ceremoniales & forenſes Iſraelitis tantùm latæ ſunt, unde toties in earum promulgatione repetitur, *obſervabitis hæc in generationibus veſtris, in manſionibus veſtris &c.* Ergò Iſraelitas tantùm obligant, ac proinde ſtante adhuc politiâ Judaicâ, cùm terminus durationis iſtarum legum adhuc vigeret, gentibus converſis non ſunt impoſitæ, quod manifeſtum argumentum eſt, legibus illis ſolummodò Iſraelitas obligatos ac obſtrictos fuiſſe. Hûc referendum, quòd lex moralis interiorem & exteriorem, hoc eſt, numeris omnibus perfectam obœdientiam; adeoq; totius naturæ integritatem requirit, *eſt enim ſpiritualis.* Rom. 7. v. 14. Sed Ceremoniales & forenſes leges externæ obœdientiæ pædagogiâ ſunt contentæ, cùm externa tantùm officia deſcribant.

3 Reſpectu durationis

4. Ex hoc ſecundo diſcriminis membro naſcitur tertium in durationis diverſitate poſitum. Lex moralis eſt æterna & immota regula, non in prima tantum creatione mentibus hominum inſita, & ad finem uſque mundi duratura, ſed etiam ante jacta mundi fundamenta ab æterno in mente divina exiſtens & in omnem æternitatem immobilis ac immutabilis permanſura, ut oſtendimus §. 14. proximè præcedentis Tractatus. Sed Ceremoniales ac forenſes leges tantùm ad tempus Veteris Teſtamenti pertinent, proinde promulgato novo fœdere antiquatæ ſunt, ut ex Jer. 31. v. 31. colligit Epiſtola ad Hebræos cap. 8. v. 13. *dicendo novum antiquavit prius. Quodan-*

tem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. Inde eſt, quòd Ceremonialia moralibus neutiquam præferenda, ſed longiſſimè potiùs poſtponenda, ſecus quàm Phariſæi hypocritæ ſtatuebant, quibus Propheticum illud dictum Chriſtus oppoſuit: *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Oſeæ cap. 6. verſ. 7. Matth. c. 9. v. 13. cap. 12. v. 7.

4 Reſpectu finium.

5. Denique finium diverſorum reſpectu Legibus illis non mediocris intercedit differentia. Legis moralis qui ſint fines, expoſitum dedimus ſuperiùs, qui verò Ceremonialium ac forenſium legum fines ſint, paulò poſt expoſitum dabimus. Συλλήβδην dicendo utræque tum Ceremoniales tum Forenſes propter politiam Judaicam divinitùs ſunt promulgatæ, ut eam certis conſtitutionū Eccleſiaſticarum & Forenſium vinculis continerent, & à reliquis gentium politiis ſecernerent.

Cauſa politia Judaica divinitùs conſtituta.

Cæterùm quatuor potiſſimùm cauſæ ſunt, propter quas politia Judaica fuit eo modo conſtituta. 1. ut eſſet officina divinarum patefactionum, hoc eſt, ut certus eſſet populus, cui Deus edito verbo & additis ingentibus miraculis ſeſe patefaceret. Pſ. 76. v. 2. *Notus in Judea Deus, in Iſraël magnum nomen ejus,* verſ. 3. *in Salem eſt tabernaculum ejus & habitatio ejus in Sion,* quò alludit Eſaias cap. 31. v. 9. *Dixit Jehovah, cujus ignis eſt in Sion & focus in Jeruſalem.* 2. ut eſſet Academia & Schola, h. e. certa ſedes doctrinæ, ex qua omnes homines veram Dei cognitionem & rationem veri cultus divini peterent. Pſal. 122. verſ. 3. *Jeruſalem ædificata eſt, ut civitas in hunc finem, ut ibi conveniatur ſimul.* verſ. 4. *illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini, ut ibi prædicaretur teſtimonium ſive verbum Domini Iſraeli.* Pſ. 147. v. 19. *annunciat verbum ſuum Jacob, ſtatuta ſua & judicia Iſraeli.* v. 20. *non fecit taliter omni nationi & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Hujus loci eſt obſervatio illa, quòd Jeruſalem in medio ferè τῆς οἰκουμένης ſita fuerit, ut ex hoc centro in omnē mundi habitabilis circumferentiam odor cœleſtis doctrinæ ſpargeretur. 3. ut eſſet Bibliotheca, in qua Moſis ac Prophetarum ſcripta conſervarentur ac ad poſteritatem transmitterentur. Rom. 3. v. 2. *Iſraelitis τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ fuerunt concredita.* Auguſt. lib. 12. contra Fauſtum c. 23. *Quid eſt gens Judæa, niſi quadā ſcriniaria Chriſtianorum. bajulant Legem & Prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ?* 4. ut eſſet hoſpitium Chriſti naſcentis, docentis & redemtionis officium exequentis. Gen. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec legislator de medio populi ejus, donec veniat Siloh* Rom. 9. v. 4. *Iſraelitarum ſunt αἱ ἐπαγγελίαι.* v. 5. *ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem.* Joh. 4. v. 22. *Salus eſt ex Judæis* Bernh. ſerm. 6 de nativ. col. 51. *Impia Synagoga Chriſtum Dei Filium nobis peperit officio quidem matris, ſed non matris affectu.*

κριτήρια ex quibus manifeſtū fiat, quæ præcepta ad legem moralem, quæ ad Ceremoniales & Forenſes pertineant

6. Quare cùm Lex moralis tanto à reliquis ſecernatur diſcrimine, accuratè obſervandum erit, quæ mandata ad legem moralem pertiueant, quæ verò ſint tantùm Ceremonialia & Forenſia. Traduntur autem duo potiſſimùm κριτήρια, quibus deprehendi ac inveſtigari iſtud poſſit. Prius eſt lumen Naturæ in notitiis nobiſcum natis adhuc reliquum. Quæcunque enim conveniunt cum notitiis naturalibus in creatione mentibus hominum inſitis & poſt lapſum κατὰ μέρος adhuc reliquis, ea pertinent ad legem moralem. Sic honor parentum à ſanioribus Ethnicis comprobatur & cum ipſa Naturæ lege congruit, Noti ſunt Euripidis verſiculi:

ὅςις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
Ὅδ' ἐςὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

Quisquis in vita ſua parentes colit, Hic & vivus & defunctus Diis carus eſt. E. præceptum de honore parentum eſt morale. Poſteriùs κριτήριον eſt lumen gratiæ in explicatione Moſis ac Prophetarum, præſertim verò Chriſti & Apoſtolorum in N. T. propoſitum. Cùm enim notitiæ naturales per peccatum valdè obſcuratæ ſint, ideò lumen Naturæ ad dijudicationem hujus rei non ſatis clarum, ſed accedat oportet lumen gratiæ in concionibus Prophetarum & Apoſtolorum nobis accenſum, ideò additur hæc regula: Quæ Moſes & Prophetæ oſtendunt, pertinere non tantùm ad Iſraelitas, ſed ad omnes gentes, ea ſunt legis moralis præcepta. Sic leges de reverentia ſanguinis in conjugiis obſervandas, ad legem moralem pertinere colligitur ex eo, quod Moſes disertè addit Lev. 18. v. 24. propter transgreſſionem iſtarum legum Cananæos à DEO puniendos. Ita quoque quando Prophetæ ex lege contra vitia inter gentes uſitata concionantur, tum certum eſt mandata illa prohibentia pertinere ad Decalogum. In N. T. clarior lux hujus notitiæ per Chriſtum & Apoſtolos tradita eſt; quæcunque enim in N. T. quod ad omnes gentes pertinet, repetuntur & præcipiuntur, illa ad legem moralem pertinent & omnes homines obligant: ubi tamen hæc exceptio obſervanda eſt, quòd abſtinentiam à ſanguine & ſuffocato, Itemque circumciſionis ritum in primo Eccleſiæ N. T. germine Apoſtoli obſervarint ac obſervari juſſerint Act. 15, 29. c. 16. v. 3. c. 21. v. 26. non quòd ad legem moralem, & ad omnes omninò omnium temporum & locorum Chriſtianos ea pertinere exiſtimaverint, ſed ut Synagoga Judaica cum honore ſepeliretur, neve intempeſtivo Chriſtianæ libertatis uſu infirmis ſcandalum præberetur, hoc eſt, ne animi Judæorum ad Chriſtum converſorum abalienarentur ac vinculum concordiæ inter converſos ex Judæis & gentibus diſrumperetur. Lyranus in c. 15. Act. *Suffocatum & ſanguis erat quidem licitus cibus, ſed propter amicabilem ſocietatem ſcriptum fuit gentilibus, ut abſtinerent à talibus, ſicut frequenter contingit, quod aliquis abſtinet à cibo, quem ſcit abominabilem ſocio ſuo.* Procedente autem tempore ceſſante causâ ceſſavit effectus, manifeſtata Evangelicæ doctrinæ veritate.

Legum Ceremonialium ἐτυμολογία.

7. Atque hæc dicta ſint de Legibus Ceremonialibus & Forenſibus conjunctim ſumtis, reſtat ut de utriusque ſigillatim agamus. Ceremoniales leges ab objecto ſeu materia circam quam illud nominis ſunt ſortitæ, agunt enim de Ceremoniis ſive ritibus Eccleſiaſticis in externo DEI cultu obſervandis. Ceremoniarum appellatio unde originem ducat, cognoſci poteſt ex Valerio Maximo, qui lib. 1. memorabil. cap. 1. exempl. 10. ſic ſcribit: *Urbe (Roma) à Gallis capta cùm Flamen Quirinalis, Virginesq; Veſtales ſacra onere partito ferrent, easq; pontem ſublicium tranſgreſſas & clivum, qui ducit ad Janiculum deſcendere incipientes, L. Albanius plauſtro conjugem & liberos vehēs aſpexiſſet, propior publicæ religioni, quā privatæ caritati, ſuis ut plauſtro deſcenderent, imperavit, atq; in id Virgines & ſacra impoſita omiſſo*

cæpto

cæpto itinere Cerete oppidum pervexit, ubi enim ſumma veneratione recepta gratâ memoriâ, adhoc uſq; tempus hoſpitale humanitatem teſtantur, inde enim inſtitutum eſt ſacra ceremonias vocari, quia Ceretani ea infracto Reipub. ſtatu, perinde ac florente coluerũt. Dionyſ. Gothofredus in Notis ad Feſtum p. 1710. monet, *Cerus veterum linguâ idem fuiſſe quod ſanctus.* Quidam malunt ſcribere Cerimoniæ, quod cum Etymologia Valerii Maximi non congruit. Hebræis uſitatum eſt leges Ceremoniales vocare חֻקִּים *Chükkim.* & in regimine חֻקֵּי *chukke*, in forma fœminina חֻקּוֹת *chukkóth*, (præſertim ſi conjungatur vocabulum משפטים Miſchpatim, quo conſtitutiones politicæ denotantur) à radice חָקַק *chakak*, conſtituit rei alicujus formam, impreſſit imaginem, quia Ceremoniæ Leviticæ fuerunt typicæ, Chriſtum & beneficia ejus potiſſimùm adumbrantes. Per מְחוֹקְקִים *Mechokkim*, Gen. 49. v. 10. intelligitur ſacrum & auguſtum illud collegium LXX ſeniorum ex ſtirpe Regia oriundorum Græcis συνέδριον & corruptâ voce סַנְהֶדְרִין *Sanhedrin*, Rabinis *domus magni conſilii* dictum, qui poſt regiæ gubernationis formam tàm in captivitate Babylonica, quàm poſt illam uſque ad Herodis tempora ſummum obtinuerunt in populo Iſraëlitico autoritatis & imperii gradum. Vocabulum חֻקִּים *Chükkim*, Septuaginta reddiderunt per τὰ δικαιώματα *juſtificationes*, Exod. 15. verſ. 25. Deut. 4. verſ. 1. &c. non quòd Ceremoniarum iſtarum obſervatio fuerit Iſraelitarum coram Deo juſtitia, ſed quia typi & umbræ fuerunt Chriſti & beneficiorum ipſius, qui *factus eſt nobis à Deo juſtitia* 1. Corinth. 1. verſ. ult. Quandoque generali appellatione dicuntur προςάγματα conſtitutiones, ordinationes Levit. 26. verſ. 46. Deut. 12. verſ. 1. &c. Item νόμιμον ſtatutum legale vel legitimum, Exod. 28. verſ. 43. Levit. 3. verſ. 17. νόμος lex Exod. 12. verſ. 43. Num. 9. verſ. 3. Joſ. 24. verſ 25. &c. ἐντολὴ præceptum Deut. 16. v. 12. &c. D. Luth. vertit, Satzungen / Kirchenrechte / Rom. 9. v. 4. λατρείας nomine denotari videntor, ut etiam Hebr. 9. v. 1. cùm fuerint externa divini cultus exercitia.

Diviſiones legum ceremonialium.

8. Παχυλῶς igitur καὶ ὡς ἐν τύπῳ εἰπεῖν Leges ceremoniales ſunt conſtitutiones divinæ de ritib. Eccleſiaſticis populo Iſraëlitico per Moſen traditæ, quæ hoc modo poſſunt diſtingui, ut dicantur quædam continere ritus Eccleſiaſticos in publico externi cultus exercitio obſervandos, cujuſmodi ſunt totus ille apparatus & ornatus Levitici Sacerdotii, tabernaculum cum ſuis partibus & vaſis &c. Quædam verò præſcribunt privatas quaſdam obſervantias in cibo, veſtitu, variisque lotionibus. Prior ſpecies Ceremonialium legum agit vel de perſonis vel de rebus, vel de locis, vel de temporib. ſacris. Perſonæ ſacræ in V. T. erant 1. ſummus Sacerdos. 2. Sacerdotes reliqui. 3. Levitæ. Sacerdotes 1. eligebantur coram toto populo. 2. aſpergebantur aquâ expiationis, radebantur eorum pili & corpora lavabantur. 3. induebantur ſpecialibus veſtimentis. 4. conſecrabantur per unctionem. 5. offerebantur pro eis ſacrificia. 6. ad miniſterium applicabantur. Summi Sacerdotis veſtes erant. 1. veſtis linea. 2. tunica hyacinthina cum tintinnabulis. 3. ſuperhumerale. 4. Rationale ſive pectorale. 5. Balthena. 6. Tiara. 7. Lamina aurea in fronte. 8. Fœminalia linea. Sacerdotes minores, ex his tantùm quatuor habebant, tunicam lineam, fœminalia, baltheum & tiaram. Summus Pontifex ungebatur in capite, reliquis minoribus Sacerdotibus ſolæ manus ungebantur. Levitæ non ungebantur. Officia Sacerdotum erant 1. docere ac de lege reſpondere. 2. orare. 3. ſacrificare. 4. Benedicere. 5. Dijudicare lepram. 6. Purgare. Res ſacræ erant vel Sacramenta vel Sacrificia, quæ differunt ut λῆψις καὶ δόσις. Sacramenta in Veteri Teſtamento fuerunt duo, videlicet, Circumciſio Abrahæ tradita, Gen. 17. & Agnus Paſchalis Exod. 12. de his ſuo loco agetur plenius. Sacrificiorum ſpecies variæ erãt, de quibus paulò pòſt videbimus. Ad res ſacras non incommodè referuntur etiam vaſa ac utenſilia ſacra. Locorum ſacrorum nomine intelligo Tabernaculum fœderis cum omnibus ſuis partibus, cui poſtea ſucceſſerunt duo templa, prius à Salomone, poſterius à Zorobabel extructum. Tempora ſacra comprehendunt Feſta ac ſolennitates, quæ ſunt vel hebdomaticæ, ut Sabbathum Exod. 20. v. 10. Levit. 23. v. 3. vel menſtruæ, ut Neomeniæ Num. 10. v. 10. 2. Reg. 23. v. 4. vel denique anniverſariæ, eæque vel ſingulis annis recurrentes, vel aliquot annis exactis obſervari juſſæ. Priores ſunt vel primariæ, ut Feſtum Paſchatos, Pentecoſtes & Scenopegiorum. Exod. 23. v. 14. cap. 34. v. 23. Deut. 16. v. 1. 10. 13. à quo Feſtum Collectæ quidam diſtinguunt: vel ſecundariæ, ut Feſtum Tubarum Levit. 23. verſ. 24. & expiationis Levit. 23. v. 17. Poſteriores ſunt Anni Sabbatharii Levit. 25. verſ. 4. & Jubilæi Levit. 25. v. 13. quorum illi ſeptimo, hi verò quinquageſimo quoque anno celebrabantur. Ad privatas conſtitutiones refero diſcrimen animalium Levit. 11. v. 2. immunditiem Leviticam, quæ contrahebatur ex attactu puerperæ Levit. 12. v. 4. lepræ Levit. 14. v. 46. aut fluxus tàm naturalis quàm morbifici Levit. 15. c. integro, varias lotiones mundities iſti oppoſitas, ordinationes de cibo Levit. 17. v. 12. de veſtitu Deut. 22. v. 11. & 12. de aratione v. 10. de ſatione v. 9. de aucupio v. 6. &c.

Collatio inter ſummum Sacerdotem V. T & Chriſtum

9. Summi Sacerdotis conſecratio, ejuſdemque ornatus & officium deſcribuntur Exod. 28. & 29. Levit. 8. quem fuiſſe typum Chriſti, qui eſt unicus N. T. ſummus Sacerdos, Epiſtola ad Hebræos luculenter docet. Convenientia typi cum antitypo conſiſtit in hiſce potiſsimum membris. Sicut ſummi Sacerdotis officium erat orare pro populo, ſacrificia offerre & nomina Filiorum Iſraël in pectorali coram Domino portare: ita *Chriſtus in diebus carnis ſuæ precationes & ſupplicationes cum clamore valido & lachrymis obtulit pro nobis* Hebr. 5. v. 7. *ingreſſus eſt in cœlum, ut appareat in conſpectu Dei pro nobis* Hebr. 9. v. 24. Siquidem *ad dextram Dei ſedens interpellat pro nobis.* Rom. 8. v. 34. cùm prius in ara crucis ſeipſum pro nobis tradidiſſet *oblationem ac victimam Deo in odorem ſuavitatis* Epheſ. 2. v. 2. Idem etiam ſpirituales Iſraëlitas velut in corde ſuo geſtat ac humeris ſuis ſuſtinet. Splendidus ſummi Sacerdotis veſtitus ex auro hyacintho, purpura &c. denotat gloriam & majeſtatem Chriſti, ejuſdemque ſpiritualem ornatum in virtutibus & egregiis Spiritus S. donis Pſ. 45. v. 8. *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*, v. 9. *Myrrha, aloe & caſia omnia veſti-*

menta tua. In pectorali ſummi Sacerdotis erant Urim & Thumim, quod vertunt *doctrinam & veritatem, illuminationes & perfectiones*, cujus pectoralis uſus erat, ut Sacerdotes tunicam Ephod induti, ac Dominum interrogantes reſponſa per illud acciperent. Nuſpiam v. exprimitur, an vox quædam audita, vel an viſio quædam Sacerdoti pectorale geſtanti exhibita, vel an interná Spiritus illuminatione Sacerdos de Dei voluntate admonitus fuerit, unde quidam ſtatuunt, quoties Deus voluerit Sacerdoti de re dubia quærenti affirmatè reſpondere, tùm gemmas illas fulgorem admodum clarum emiſiſſe. (Quidam Rabini putant, fuiſſe ſcriptum quoddam divinum aut nomina quædam ſacra: Alii putant fuiſſe lucidiſſimos lapides, in quibus Summus Sacerdos vidit judicium filiorum Iſraël perfectè, alii aliud de his abſtruſis rebus ſentiunt, referente Münſtero in cap. 28. Ex.** Vide omnino quoq; *Paulum Fagiũ* in paraph. Chaldaica Exodi. 28. Schind. in rad. אור. *Rabini ſentiunt, fuiſſe quandam Scripturam pectorali duplo inſertam vel nominis* יהוה *vel rei alterius. R. D. Kimhi in 2. Sam. 25. ſentit ſummum Sacerdotem hoc pectorali indutum S. Sancto occupatum fuiſſe & hoc ſuggerente reſpondiſſe ad interrogata.*** Joſephus lib. 3. antiq. c. 9. hac de re ſic ſcribit: *Ex lapillis, quos Pontifex in humeris geſtabat, micabat alter, quoties litatum eſſet, is qui dextrum humerum occupabat, tantam fulgorem emmittebat, ut procul etiam innuentibus conſpiceretur.* R. D. Kimhi in cap. 20. Jud. annotat hunc fuiſſe morem interrogandi Deum. *Qui volebat de publico vel alioqui de gravi negotio percontari, veniebat ad Sacerdotẽ, is indutꝰ Ephod ſtabat corã arca Domini. In Ephod, ſive in pectorali erãt incluſi duodecim lapides precioſi, in quibus nomina duodecim tribuũ erant inſcripta, addebanturq; nomina Abrahami, Iſaaci & Iacobi, atque ita in illis lapidibus erant omnia elementa Alphabeti. Interrogantem oportuit faciem obvertere ad Sacerdotem & interrogare, non quidem tàm apertè, ut vox audiretur, nec ita obſcurè, at tantùm in anima cogitaret, quæ peteret, ſed eo modo ut Hanna legitur precata in primo Samuelis libro, ubi dicitur, tantùm labia moviſſe, nec dixiſſe quicquam quod audiri potuit. Deinde Sacerdoti hoc pacto reddebatur oraculum. Spiritus S. vi litera quadam in pectorali eminebant, idque vel loco vel fulgore, in quibus Sacerdos oraculum & voluntatem Dei legebat, atque hæc illa ſunt Urim & Thumim, quæ Sacerdos in pectorali gerebat.* (Hactenus Kimhi.) Hæc non incommodè ad Chriſtum referri poſſunt, qui conſilium Dei de ſalute noſtra nobis revelavit Joh. 1. v. 18. qui non exteriùs ſolùm perfectiſſimam cœleſtis doctrinæ veritatem in verbo nobis offert, ſed etiam interiùs Spiritu ſancto corda noſtra illuminat, ut verè ab ipſo illuminatio & perfectio deſcendat. Quemadmodum in ora ſacerdotalis pallii erant tintinnabula aurea, quorum ſonus audiebatur, quando Sacerdos ingrediebatur & egrediebatur ſanctuario in conſpectu Domini: ita Chriſtus in diebus carnis ſuæ famam doctrinæ & miraculorum ſuorum longè lateque ſparſit, quin & ſonum Apoſtolicæ prædicationis in omnem terram exire fecit Pſ. 19. v. 5. Quemadmodum laminæ aureæ, quam in fronte geſtabat ſummus ſacerdos, inſculpta erant hæc verba; Sanctitas Domini: *ita Chriſtus eſt ſanctus ſanctorũ* Dan. 9 v. 24. *qui ſeipſum ſanctificavit pro nobis*, Joh. 17. v. 19. ideo etiam cruci affixus titulus, hunc eſſe Nazarenum peculiariter Domino conſecratum, teſtatus eſt. Tunica byſſina inconſutilis, candidiſſima innocentiam Chriſti, Cidaris Regiam ipſius dignitatem, cingulum ipſius alacritatẽ ad officii ſibi demandati partes exequẽdas denotabat. Summus Sacerdos oleo ſacro ſuper caput effuſo ungebatur & conſecrabatur: ita *Chriſtus ũctus eſt oleo lætitiæ*, h. e. Spiritu S. *præ conſortibus ſuis* Pſ. 45. v. 8. ſiquidem *Spiritum S. non ad menſurã accepit*, Joh. 3. v. 34. Summo Sacerdoti non licebat niſi virginem ducere, Lev. 21 v. 13. ſic Eccleſia & quævis fidelis anima tanquam ſpiritualis Chriſti ſponſa debet eſſe virgo, nõ adhæreat per ſpiritualem fornicationem Diabolo, 2. Cor. 11. v. 2. *Deſpondi vos uni viro, ut virginem caſtam Chriſto adducerem.* Qui deformi aliquo corporis vitio laborabat, non poterat fungi Sacerdotio Lev. 21. v. 17. In Chriſto ſummo N. T. Sacerdote non eſt inventa ulla peccati macula Eſa. 53. v. 9. 1. Pet. 2. v. 22. Reliqua comparationis membra privatæ piè eruditorum inveſtigationi ac meditationi relinquimus. De veſtibus ſummi Sacerdotis videatur Iſidorus Hiſpalenſis c. 54. in Exod. Rupertus lib. 4. de Trin. c. 23. Gregor. 28. moral. c. 9. de gemmis in pectorali videatur Epiph. lib. de duod. lapidibus Aaronis, Franc. Rucus de gemmis &c.

Vrim & Thumim.

10. Sed enim Chriſtus longè meliores ſortitus eſt λειτουργίας, quantò & melioris Teſtamẽti mediator eſt, quã V. T. Sacerdotes Heb. 8. v. 6. ideò differẽtia utriusq; Sacerdotii itidẽ annotãda. Sacerdotes V. T. fuerunt φιλοὶ ἄνθρωποι ex hominibus aſſumti Hebr. 5. v. 1. *& peccati infirmitate circumdati* v. 2. unde neceſſe habebant etiam *pro ſuis peccatis offerre victimas* v. 3. ſed Chriſtus ἀρχιερεὺς noſter eſt ἀπάτωρ ſecundùm humanitatem, ἀμήτωρ ſecundum divinitatem, ἀγενεαλόγητος, *nec initium dierum nec vitæ finem habens, aſſimilatus autem Dei Filio manet Sacerdos in perpetuũ*, Hebr. 7. v. 3. eſt ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν v. 26. Sacerdotes V. T. eligebantur ex tribu Levi juxta Aaronis ordinem, Hebr. 7. v. 5. ſed Chriſtus ex regia tribu Juda ortus, in qua nihil de Sacerdotio Moſes locutus eſt v. 14. ideoque appellatus eſt à Deo Pontifex *ſecundùm ordinem Melchiſedec* Pſ. 110. v. 4. Hebr. 5. v. 10. *Hic Melchiſedec fuit Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui ipſi Abrahæ ex cæde regreſſo benedixit* Heb. 7. v. 1. *atque ab eodem decimas accepit*, v. 2. *huic aſſimilatur Chriſtus Rex juſtitiæ & pacis* v. 3. *major omnibus Leviticis Sacerdotibus*, v. 10. nec ſocium, nec ſucceſſorem habens, quemadmodum aliàs V. T. Pontifices, quorum plures fiebant, eò quod morte prohiberentur permanere, v. 23. *hic autem eò quod manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*, v. 24. *qui in ſempiternum ſedet ad dextram Dei*, Hebr. 10. v. 12. *de cetero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ipſius*, v. 13 Sacerdotes V. T. ſine jurejurando conſtituti ſunt: hic autem cum jurejurando per eum qui dixit ad illum, *Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Heb. 7. v. 21. *Lex homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes, ſermo autem jurisjurandi poſt legem, Filium in æternum perfectum*, v. 28. *Illi ſerviebant exemplari & um-*

Diſcrimen inter ſummum Sacerdotem V. T. & Chriſtum.

bra

bræ rerum cœleſtium, Hebr. 8. v. 5. *hic verò Novi & melioris Teſtamenti mediator eſt ac Sacerdos*, verſ. 6. *Illi quotannis ingrediebantur in ſanctum Sanctorum manufactum*, Hebr. cap. 9. v. 7. *Sed Chriſtus non in manufacta ſancta introivit, ſed in ipſum cœlum*. v. 24. *nec ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrabat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno*, v. 25. *ſed ſemel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit*, v. 26. *Illi quotidie miniſtrabant, & eaſdem ſæpe hoſtias offerebant, quæ nunquam poterant auferre peccata*. Hebr. 10. v. 11. *hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam*, v. 12. *unâ oblatione conſummavit in æternum ſanctificandos*, v. 14. *Illi per ſanguinem hircorum & vitulorum: hic verò per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta æternâ redemtione inventa*, Heb. 9. v. 12.

Quomodo Sacramenta V. T. pertineant ad leges Ceremoniales.

11. Sacramenta V. T. ad leges Ceremon. ab omnibus interpretibus referuntur, quod ipſum tamen non caret difficultate, ſiquidem Sacramenta propriè loquendo ſunt ſigilla Evangelicarum promiſſionum, quo reſpectu ad Evangelium potiùs quàm ad legem pertinent. Præterea ſi Sacramenta ad leges Ceremoniales abſolutè referenda, conſequens erit, Chriſtum inſtitutione novorum Sacramentorum novas etiam leges tradidiſſe. Scholaſtici quidem diſputant, Sacramenta V. T. non contuliſſe gratiam, cùm impoſuerit ea Dominus in onus & ſervitutem, quod Thom. p. 3. q. 62. art. 6. ſic probare conatur, *quia Sacramenta veteris legis non habuerunt virtutem quandam ex paſſione Chriſti, quam ſignabant tantùm*. Biel. 4. ſent. diſt. 1. q. 3. utitur hoc argumento, *Omnis gratia eſt juſtificativa ejus, cui confertur, ſed ex Sacramentis veteris legis nemo juſtificatur*, inde in Concilio Florentino Anno 1439. ſub Eugenio Papa decretum. *Sacramenta antiquæ legis non cauſabant gratiam, ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant*, quam ſententiam amplectitur etiam Concilium Trident. ſeſſ. 7. Can. 2. atque ejus hyperaſpiſtes Bell. l. 2. de Sacram. c. 13. ſtante hac hypotheſi facilè poſſet aſſignari ratio, quare V. T. Sacramenta ad leges Ceremoniales referantur, ſed falſitatem iſtius pronunciati demonſtrabimus ſuo loco; certè annexa erat circumciſioni hæc promiſſio verè Evangelica, *Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui*, Geneſ. 17. v. 7. quæ juxta interpretationem Levit. 26. v. 12. Jer. 31. v. 2. Matth. 22. v. 32. & alibi paſſim traditam ſpondet Dei gratiã, præſentiam & inhabitationem ſpecialem, adeoq; ipſam vitam ęternam, inde circumciſionem Apoſtolus vocat σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Rom. 4. v. 11. Ergo V. T. Sacramenta non poſſunt nec debent haberi pro onere quodam ſervili carnalis exercitii ergò Iſraelitis impoſito. Sic ergo habendum. Si per Ceremonias in genere intelliguntur quicunque ritus externi in oculos incurrentes, concedimus Sacramenta ad leges Ceremoniales referri poſſe, quippe quæ in N. T. ratione externi Elementi unà cum reliquis Leviticis Ceremoniis ſunt ſublata ſurrogatis in eorum locum aliis. Sin verò Ceremoniarum nomine in ſpecie intelliguntur legales Conſtitutiones de talibus ritibus, qui tantummodò erant commonefactiones de peccato, non autem remedium contra peccatum; qui tantummodò nervi erant publicorum congreſſuum, non autem medium per quod in fœdus gratiæ Iſraelitæ recipiebantur; qui tantummodò erant typi beneficiorum Chriſti, non autem organa μεταδοτικά, negamus Sacramenta V. T. ad leges Ceremoniales referenda eſſe, cùm ex inſtituto Dei ac ſuâ naturâ fuerint Evangelicæ promiſſionis ſigilla, peccati remedia, ac beneficiorum Chriſti organa, quâ de re in loco de Sacramentis dicetur pleniùs, ubi tractabitur etiam illa quæſtio, an præter circumciſionem & Agnum paſchalem alia quædam, utpote ſacrificia, purgationes Leviticæ, eſus mannæ, aquæ ex petra eruptio & potus &c. fuerint V. T. Sacramenta.

Diviſio ſacrificiorũ.

12. Sacrificiorum ſpecies erant variæ, quæ ut rectiùs percipiantur, diſtinctiones eorum enumerabimus. Sumuntur autem differentiæ ſacrificiorum 1. ex cauſa efficiente. Offerebantur enim vel à ſummo Pontifice, vel à minoribus Sacerdotibus. Ubi obſervandum nos agere de ſacrificiis certâ lege Moſaicâ præſcriptis ac determinatis. Quamvis enim ante Moyſen miniſterium ſacrificiorum nondum erat ad certam quandam tribum, certasq; perſonas reſtrictum, ſed ſingulis Patriarchis ſacrificare licitum; tamen poſt Moſen conſtituta Eccleſiæ Iſraëliticæ Hierarchiâ certæ cuidam tribui certisque perſonis cultus iſte divinus fuit demandatus. Summus Sacerdos quotannis ſemel duntaxat ſanctum ſanctorum ingrediebatur & quidem ſolus. Huic adjuncti erant Sacerdotes minores, qui & ipſi ſua offerebant ſacrificia, aliaque ſacra publica peragebant, non quidem in ipſo ſancto ſanctorum, ſed in ſecunda tabernaculi parte. His viciſſim inſerviebant Levitæ, non quidem in ſacrificando, ſed ante tabernaculum excubando & partes officii ſibi demandati exequendo. Hæc divina conſtitutio, quâ nemini præterquam Sacerdotibus ſacrificare licitum erat, tàm ſanctè & religioſè obſervabatur, ut mortis reatum transgreſſor ejusdem incurreret. Num. 3. v. 10. *Externus ſanè qui acceſſerit, moriatur*. 2. Ex cauſa materiali. Offerebantur enim in ſacrificiis vel animalia vel fructus. Animalia vel quadrupeda vel volatilia. Illa vel majora, ut de genere boum, videl. vitulus, juvencus, bos, vacca; vel minora, ut de genere caprarum, videl. hircus & hædus; vel oviũ, ut agnus & aries. De volatiliũ genere offerebantur colũba & turtur. Fructꝰ ſive terra naſcentia offerebantur vel liquida, ut vinũ & oleum; vel arida, ut thus, ſal, granum, fructus, panis, idemq; coctus vel in clibano, vel in ſartagine, vel in craticula, ſimila, &c. 3. Ex cauſa formali. Singulis n. ſacrificiis ſui ritus ſuæq; ſolennitates erant præſcriptæ, quas ex Levitico petere licebit. Sic holocauſtum incendebatur totũ: In ſacrificio pacificorũ adeps ſolùm cremebatur in odorẽ ſuavitatis Deo; pectus & armus cedebant Sacerdotibus, reliquæ carnes edebantur à privatis &c. 4. Ex cauſa finali. Sic holocauſtũ accendebatur ad reverentiam divinæ Majeſtatis, vel ut Philo loquitur, honorandi ac propitiandi Dei gratiâ. Hoſtia ꝓ peccato vel delicto offerebatur ꝓ remiſſione peccati. Sacrificium pacificorum offerebatur, vel ad gratias ꝓ beneficiis acceptis peragendas, vel ex voto ꝓ beneficiis impetrandis facto. Suidas univerſa ſacrificia diſtinguit. 1. in δωροφορικὰ, quę munus aliquod offerunt Deo. 2. in ἀπολυτρωτικὰ, quæ redimunt. 3. in διαλλακτικὰ, quæ placant ſive reconciliant. 4. in ἀποπληρωτικὰ, quæ vota explent. Vulgariter dividitur ſacrificium in ἱλαστικὸν & εὐχαριστικόν.

Ex cauſa efficiente. *Ex cauſa materiali.* *Ex cauſa formali.* *Ex cauſa finali.*

In illo typus proponebatur unici ſacrificii propitiatorii in ara crucis à Chriſto offerendi; in hoc *Ex objecto* verò populus Iſraeliticus ſuam obœdientiam ac gratitudinem DEO probabat. 5. Ex objecto. Alia hoſtia offerebatur pro Sacerdotibus iisdemque vel conſecrandis vel propitiandis, alia pro Principib. alia pro tota multitudine, alia pro pri- *Ex ſubjecto* vata perſona. 6. Ex ſubjecto. Aliud ſacrificium offerebatur in ſancto ſanctorum, alia in ſecunda tabernaculi parte. Item quædam mactabantur in latere altaris Aquilonari, quæ ſanctiſſima dicebantur, quædam in quovis loco atrii mactabantur, quæ ſancta vulgaria dicebantur. 7. Ex *Ex adjunctis.* adjunctis. Sic dignitatis ratione primum locum tenebat holocauſtum, quod totum comburebatur & nihil ex eo reliquum manebat præter pellem. Secundum locum hoſtia pro peccato, quæ comedebatur ſolùm in atrio à Sacerdotibus & quidem ipſo ſacrificii die. Tertium locum obtinebant hoſtiæ pacificæ, quæ comedebantur ipſo ſacrificii die non tamen ubique, ſed tantùm in Hieruſalem. Quartum locum hoſtiæ pacificæ ex voto, quæ poterant etiam comedi ſequenti die. Ratione temporis, aliud erat juge ſacrificium, aliud interpolatis vicibus offerebatur.

13. ** Gualterus Levitica Sacrificia ita recenſet: *Sacrificium aliud eſt ἱλαστικὸν propitiatorium aliud εὐχαριστικὸν gratiarũ actionis. Propitiatoriũ vel univerſale eſt vel particulare. Univerſale διαλλακτικὸν eſt omnium peccatorum ſeu quo omnium peccatorum in Chriſto expiatio ſignificabatur vid. holocauſtum majorum & minorum pecudum Græcis ὁλόκαυστον vel ὁλοκαύτωμα Hebræis* עֹלָה *aſcenſio à rad.* עָלָה *aſcendit. Vel quod totum ſuper altare aſcenderet ſeu imponeretur qua ſententia R. D. Kimchi placet vel quod totum in fumum aſcenderet & abiret vel quod prima ſacrificii ſpecies fuerit ſanctiſſima omnium. ideoque aſcendat id eſt, ſuperet excellentiâ ſuâ reliqua omnia. Particulare eſt certorum peccatorum aliàs ἀπολυτρωτικὸν dictum, & id quidẽ duplex. Unũ quod pro peccato, alterum quod pro delicto dicitur. Sacrificium pro peccato θυσίαν περὶ ἁμαρτίας LXX. Lutherus* Sündopffer/ *Hebræis* חַטָּאָה *vocant à rad.* חָטָא *peccavit. Expiabantur hoc ſacrificii genere peccata ἀκουσίως & ex errore aut ignorantia commiſſa. Sacrificium pro delicto LXX. vocant θυσίαν περὶ πλημμελείας Luth.* Schuldopffer/ *Hebræis* אשם *id eſt, delictum, culpa, reatus, à rad.* אשם *deliquit ignominioſe. Erat ſacrificium pro delicto, quo peccatum ἑκουσίως à ſciente & volente & re deliberata admiſſum oblato ariete expiabatur. Sacrificium εὐχαριστικὸν duplex eſt. Simplex & mixtũ. Simplex uno offerendarum rerum genere conſtabat, & rurſum erat duplex. Sacrificium pacificorum & Mincha ſiu oblatio. Sacrificium ſeu hoſtiam pacificorũ LXX. θυσίαν σωτηρίου Luth.* Danckopffer *Hebræi* זבח שלמים *erat vel ſpontaneum quod ex animi devotione nulla urgente neceſſitate offerebatur, nunc votivum quod reddebatur ex pacto, i. e. quod quis in periculis & neceſſitatibus conſtitutus Deo ſe in Eccleſia oblaturum ſi liberaretur promiſerat. Mincha ſeu oblatio LXX. dicitur δῶρον & θυσία Luth.* Speisopffer *rad.* נחה *ab offerendo, munus enim DEO offerebant honorarium de frugibus terræ, ut autorem coram Deum eſſe teſtificarentur & aliquam gratitudinis ſignificationem exhiberent. Mixtum ſacrificium Eucharisticum LXX. vocant θυσίαν αἰνέσεως ſacrificium Laudis. Luth.* Lobopffer *Hebræi* תודה *conſtabat ex diverſis rerum generibus nempe ex animalibus & terræ fructibus offerebaturq; Deo ad declarandam pro acceptis beneficiis gratitudinem.* in c. 12. Marc. ** Enumerabimus nos hoc ordine. Primum erat Holocauſtum *Enumeratio ſacrificiorum Leviticorum. 1 Holocauſtum.* עֹלָה Oláh, ab elevando vel aſcendendo, quia elevabatur ſuper altare & odor ejus in altum aſcendebat coram Domino: LXX. vertunt ὁλοκαύτωμα & ὁλοκαύτωσιν, eò quod totum cremabatur, D. Luth. vertit ein Brandopffer/ quo reſpectu dicitur etiam אִשָּׁה Iſhah, Levit. 1. v. 9. & alibi paſſim, q. d. Sacrificium igni deſtinatum, quidam vertunt ignitam. Pſ. 50. v. 20. vocatur כָּלִיל Calil, conſummatum, abſolutum, quia totum fuit igne abſumtum. LXX. vertunt quandoque ὁλοκάρπωμα, ὁλοκάρπωσιν & in genere θυσίαν. Fuit autem ſacrificium tale, in quo tota hoſtia propitiandi & honorandi Dei gratiâ igne in altari conſumebatur, nec quicquam de ea reliquum manebat, præter pellem, quæ cedebat Sacerdoti: fiebat vel ex quadrupedibus, iisdemque vel majoribus, ut bove & vitulo, vel minoribus ut ariete, capro, hirco, vel ex avibus ut turture & columbis. Erat typus veri & unici illius propitiatorii ſacrificii, quod Chriſtus in ara crucis exaltatus & caritatis igne ſuccenſus *Patri ſuo cœleſti obtulit in odorem ſuavitatis*, Epheſ. 5. v. 2. Hujus ſacrificii ſpecies erant עֹלָה תָּמִיד Oláh thamid, ὁλοκαύτωσις ἐνδελεχισμοῦ, ὁλοκαύτωμα ἐνδελεχισμοῦ juge ſacrificium, quod ſingulis diebus mane & veſperi erat offerendum, cujus materia erant agni anniculi immaculati, ſimila & oleum. Item holocauſtum Sabbathi, quod duplo plus offerebat, quàm juge ſacrificium. Holocauſtum Neomeniæ, in quo offerebantur duo juvenci, aries unus, agni anniculi immaculati ſeptem, tres decimæ Ephah ſimilæ oleo permiſtæ &c. ſignificabat autem juge illud ſacrificium, quod fructus ſacrificii à Chriſto agno illo Dei in ara crucis oblati duret in perpetuum. Hebr. 13. v. 8. *Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem etiam in ſeculum.* Apoc. 13. verſ. 8. agnus occiſus eſt ab origine mundi. 2. *2. Oblatio pro peccato* Oblatio pro peccato קָרְבָּן עַל חַטָּאָה Korbhán al chattaáh, θυσία περὶ τῆς ἁμαρτίας, ſacrificium pro peccato ſcilicet per ignorantiam commiſſo ein Sündopffer. Offerebatur autem pro peccato vel Pontificis, vel Principis, vel totius populi vel privati alicujus hominis. Pro peccato Pontificis & Populi offerebatur vitulus; pro peccato Principis hircus; pro peccato privati, ſi in re lauta erat, capra ſive ovis; ſi mediocris fortunæ erat, duo turtures vel duo pulli columbarum; ſin pauper erat, decima pars Ephah ſimilæ. Vide Levit. 4. & 5. cap. 3. Oblatio pro delicto אָשָׁם Aſám, *3. Oblatio pro delicto.* θυσία περὶ τῆς πλημμελείας, ein Schuldopffer/ ſacrificium pro delicto ſc. eo, quod ex προαιρέσει ac malitia commiſſum eſt, cujus materia erat aries integer. Vide Levit. 6. verſ. 6. & cap. 7. v. 1. & ſeqq. 4. Sacrificium conſecrationis, quo ſacer- *4. Sacrificium conſecrationis* dotes inaugurabantur ac conſecrabantur, in quo offerebatur vitulus pro peccato, aries in holocauſtum & aries impletionum. Vide Exod. 29. & Levitic. cap. 8. dicitur עֹלַת מִלֻּאִים Oláh milluim ὁλοκαύτωμα τελειώσεως Leviticorum cap. 8. verſ. 27. 5. Sacrificium purgationis *5. Sacrificium purgationis.* טָהֳרָה tahoráh, quod ſpectabat immunditiem vel puerperæ, pro qua exactis purificationis

diebus

Digitized by Google

diebus offerebatur agnus anniculus in holocauſtum & pullus columbæ aut turtur in oblationem pro peccato. Sin verò pauperior agnum offerre non poterat, accipiebat duos turtures aut duos pullos columbæ Levitic. 12. v. 6. & 8. vel leproſi, pro quo peractis mundationis ritibus offerrebātur duo agni immaculati, & agna una annicula immaculata, & tres decimæ ſimilæ pro Minchah mixta oleo & ſextarius olei: Sin verò pauperior erat, agnus unus in hoſtiam pro delicto & decima pars ſimilæ, duo turtures aut duo pulli columbarum Levit. 14. v. 10. 21. 22. vel viri ſeminiflui, pro quo exactis diebus ſeptem & veſtimentis priùs lotis duo turtures aut duo pulli columbini offerebantur, Levit. 15. v. 14. vel mulieris menſtruato ſanguine naturaliter aut morbificè effluente contaminatæ, pro quo itidem duo turtures aut duo pulli columbini offerebantur, Levit. 15. v. 29.

6. Sacrificium expiationis. 6. Sacrificium expiationis in quo כִּפֶּר Cippér, expiabat Summus Pontifex 1. ſeipſum cum tota ſua domo per oblationem vituli & arietis, antequam ingrediebatur Sanctuarium. 2. tabernaculum teſtimonii per aſperſionem ſanguinis hirci. 3. altare thymiamatis per ſanguinem hirci & per ſanguinem juvenci. 4. Totam Eccleſiam Iſraeliticam per hircum in deſertum emiſſum, cui iniquitatès filiorum Iſrael imponebantur. Vide Lev. 16.

7. Sacrificium Minchah. 7. Sacrificium מִנְחָה Minchah, quod in genere ſignificat quodlibet donum ſeu donarium, honoris causâ alicui oblatum eò, quod ſenſim & cum pompa quadam porrectur, in ſpecie autem uſurpatur de ſacrificio cibario, farreo vel adoreo. LXX. vocant θυσίαν δῶρον, ein Speisopffer/ offerebatur autem ad declarandam gratitudinem pro victu & vitæ ſuſtentatione, ideò tantum ex terræ frugibus ejus materia petebatur. Levit. 2. quinque ejus ſpecies commemorantur. Prima erat farina ſimilæ ſuperfuſo oleo & thure ſuperpoſito. Secunda ſpecies erat vel placenta ſimilaginea azyma mixta oleo vel cruſtula ſimilaginea azyma uncta oleo utraque cocta in clibano. Tertia ſpecies erat ſimila azyma mixta oleo & cocta in furcipe, poſtea in particulas fracta ſuperfuſo oleo. Quarta ſpecies erat ſimila azyma in cacabo & oleo cocta. Quinta ſpecies erant ſpicæ de primitiis frugum ad ignem toſtæ & comuſæ oleo & thure ſuper his poſitis.

8. Sacrificium pacificorum. 8. זֶבַח שְׁלָמִים Tzæbhách Schelamim ſacrificium pacificorum θυσία σωτηρίου, quod duplex fuiſſe ex ca. 7. Levitici apparet. Prius erat gratitudinis pro beneficio divinitùs collato, poſterius voti ſpontanei pro pace & ſalute conſequenda. Ritus hujus ſacrificii deſcribuntur Levit. 7. & c. 10. nimirum offerendum erat animal mundum, cujus adeps ſolùm cremabatur, pectus & armus cedebant Sacerdoti, reliquæ carnes comedebantur à privatis nulla immundicie Levitica contaminatis, quicquid die tertiâ ſupererat, igni comburebatur.

9. Oblatio primitiarum. 9. Oblatio primitiarum, h. e. eorum, quæ primùm ſive ex hominibus, ſive ex animalibus, ſive ex terræ ſemine orta erant. Ceterùm duplex erat primitiarum oblatio, quædam ex legis præſcripto offerebantur Exod. 22. Num. 5. quædam verò ex voto ſpontaneo Num. 18. Quin & certæ ſpecies primitiarum definitæ erant DEI præſcripto, quas ad hæc ſumma capita revocabimus. Primitiarum enim nomine cenſentur, primò hominum primogenita, quæ certo precio, videlicet quinque ſiclis redimenda erant. Ac notanter dicit Dominus, ſeſe tribum Leviticam loco primogeniturum ex hominibus in miniſterium elegiſſe, quem typum ad Chriſtum unicum N. T. Ἁγιασίᾳ non incommodè referemus, *qui ſeipſum pro nobis ſanctificavit*, Joh. 17. v. 19. cum aliàs non minùs quàm primogenitis Ægyptiacis ab Angelo percuſſore nobis metuendum eſſet; in cujus liberationis memoriam primogenita hominum Deo erant ſacra. Primogenita animalium immundorum pecunia redimebantur; primogenitum aſini redimendum erat ove, vel occidendum, ſed mundorum animalium primogenita offerebantur in ſacrificium. Num. 18. v. 15. & ſeqq. offerebantur autem die octavo. Ex. 22. v. 30. *Septem dies pecus erit cum matre ſua, die autem octavo dabis mihi*, (adumbrabatur hoc ſtatuto æterni illius Sabbathi feſtivitas, ad quam priusquàm perveniamus, Eccleſiæ matris uberibus in hac vita nos ali oportet.) Secundò novalia ſeu primitiæ novarum frugum terrâ naſcentium. Deut. 26. v. 2. & ſeqq. Tertio Manipuli ſpicarum, qui offerendi erant die Paſchatos altero Levit. 23. v. 10. & ſeqq. Quartò grana de ſpicis adhuc virentibus excuſſa ac nondum molæ ſubjecta Levit. 2. v. 14. & ſeqq. Quintò duo panes fermentati ex duabus decimis ſimilæ fermentatæ in feſto Pentecoſtes, Levit. 23. v. 16. & ſeq. Sextò placentæ ſive pulmenta & cibi, Num. 15. verſ. 19. & ſeqq.

10. Oblatio decimarũ. 10. Oblatio decimarum, hoc eſt, partis decimæ omnium fructuum tùm ex terra, tum ex pecudibus collectorum; decimæ iſtæ partim offerebantur Deo per ſacrificia, partim verò cedebant in uſum Sacerdotum, Exod. 22. Levitic. 27.

11. Agnus paſchalis. 11. Addunt quidam Agnum paſchalem, quem ſimul ſacrificium & ſacramentum fuiſſe contendunt, quâ de re ſuo loco pleniùs diſpicietur.

12. Vacca ruffa. 12. Annumerant etiam ritum vaccæ ruffæ extra caſtra mactandæ ac comburendæ, cujus cineres ſervabantur in uſum aquæ mundationis Numer. 19. ſed an hic ritus fuerit ſacrificium propriè dictum, dubitari haud abs re poterit, cùm potiùs actus præparatorius & miniſterialis fuerit mundationis Leviticæ ceremoniis inſerviens.

Quinq; requiſita cujusq; ſacrificii. 14. Porrò ſi accuratiùs penſitemus Leviticum illum ſacrificiorum cultum per Moſen conſtitutum, apparebit cujuslibet veri ſacrificii quinque eſſe προσκείμενα. 1. Certa res in eo offerenda. 2. Certus offerendi ritus. 3. Certa perſona, per quam illi ritus adminiſtrentur. 4. Certus locus huic actioni definitus. 5. Certus finis, propter quem oblatio illa ſuſcipienda, atque hæc omnia & ſingula non privato hominum arbitrio erant relicta, ſed divinitùs conſtituta & definita. Ac de Leviticis quidem Ceremoniis res expedita eſt, enumerata eorum προσκείμενα omnia ac ſingula divinitùs præſcripta eſſe, ſed de Abelis, Noachi, ac reliquorum ante Moſen Patriarcharum ſacrificiis quidam dubitant, fuerit ne de illis offerendis divinum quoddam mandatum ipſis datum, cùm tale κατὰ ῥητὸν in libro Geneſeos non videatur expreſſum. *An Abelus Noahus & reliqui Patriarchæ habuerint divinum mandatũ de ſacrificando.* ** Inde Bellarminus lib. 2. de Sacramen. in gen. cap. 31. *Placuiſſe DEO cultum Abelis, qui obtulit de adipibus gregis ſui & cultum Jacobi, qui erexit lapidem in titulum, licet cultus illos DEUS non præcepiſſet.* Idem repetit Salmeron. diſputat. 8. in 1. Timoth. cap. 2. circa finem.**. Sed enim quamvis Moſes tot ſeculorum hiſtorias admi-

admirandâ brevitate complexus revelationis il-
lius ac mandati de ſacrificiis offerendis divinitus
promulgati expreſſam mentionem non faciat,
abſit tamen, ut ſtatuamus ſanctiſſimos illos Patri-
archas ſuo duntaxat arbitrio ac privata intentio-
ne ſacrificandi ritum excogitaſſe. Primò enim hi-
ſtoria Eccleſiæ omnium temporum teſtatur ἐθε-
λοθρησκείας DEO ſemper fuiſſe inviſas ac adver-
ſas, ecquis ergo credat in primo illo primæ Eccle-
ſiæ flore eas ipſi placuiſſe? Deut. c. 4. v. 2. cap. 12.
v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facias, non
addas quicquam nec detrahas*. verſ. 8. *non facietis
ſinguli, quod vobis rectum videtur*. Num. 15. v. 39.
*Non ſequantur cogitationes ſuas & oculos, poſt
quæ ſoletis fornicari, ſed magis memores præcepto-
rum Dei faciant ea*. Eſ. 1, 12. *Quis hæc requiſivit de
manibus veſtris?* Eſa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 9.
Fruſtra colunt me docentes mandata hominũ, &c.
Id ipſum comprobant Exempla μοσχολατρείας
Aaronicæ, Theraphim Michæ ac vitulorum Je-
roboami. Deinde omnes ſacræ hiſtoriæ teſta-
2. tum faciunt, quòd miſericors Deus per ſuperab-
undantem ſuam gratiam ſemper juxta verbum
conſtituerit aliquod externum & viſibile gratiæ
ſuæ ſignum, ut homines externo opere & ſigno
admoniti certiùs ſtatuerent, Deum ipſis favere
ac propitium eſſe. E. & Patriarchæ habuerunt
tale ſignum divinitùs conſtitutum, quod eſt ar-
gumentum B. Luth. in cap. 4. Geneſeos. Tertiò
3. quemcunque Deus probat cultum & reſpicit, ille
ipſe Deum autorem habeat neceſſe eſt. Sacri-
ficia Patriarcharum Deus probavit & reſpexit. E.
Sacrificia Patriarcharum Deum autorem ac in-
ſtitutorem habent. Major probatur aphoriſmis
illis Apoſtolicis Rom. 14. v. 23. *Quicquid non
fit ex fide, peccatum eſt*. Hebr. 11. v. 6. *ſine fide im-
poſſibile eſt, Deo placere*. Jam verò fides & ver-
bum tùm mandati tùm promiſſionis habent ſe
correlatè, proinde quicquid fit abſque verbo,
non poteſt fieri ex fide, & per conſequens DEO
placere nequit. Minoris veritas eſt indubitata.
Geneſ. 4. v. 4. *reſpexit DEUS ad Abel & Sacri-
ficium ejus*. Chaldaica paraphraſis habet, quòd
Deus Abelis munus ſuſceperit cum beneplacito,
ejus divinæ εὐδοκίας externum aliquod ac viſi-
bile ſignum fuiſſe rectè colligit Auguſtin. 15. de
civ. Dei cap. 7. quale verò illud fuerit, patet ex
aliorum ſacrificiis, quæ flamma cœlitus delapſa
ſunt abſumta, utpote Abrahæ Geneſ. 15. verſ. 17.
Aaronis, Levit. 9. v. 24. Eliæ, 1. Reg. 18. v. 38. &
Salomonis, 2. Paral. 7. v. 1. Hinc referente Hie-
ronymo in traditionibus Hebraicis Theodotion
verba Moſis ſic reddidit. *Et inflammavit* (ἐνε-
πύρισεν) *Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificia
ejus*. Geneſ. cap. 8. v. 21. De Noahi ſacrificio
dicitur, quod *odoratus fuerit Dominus odorem ſua-
vitatis*, vel ut Chaldæus habet, quòd Dominus
cum beneplacito acceperit oblationem ejus. I-
dem judicium eſto de aliorum Patriarcharum Sa-
4. crificiis. Quartò ex eo quòd Geneſ. c. 7. v. 2.
Noahus jubetur ex mundis animalib. ſeptem, ex
immundis verò bina tantùm in arcam recipere,
rectiſſimè colligunt Ambroſ. lib. de Noah & arca
c. 22. Chryſoſt. hom 24. in Gen. & Theodor. vo-
luntatem Dei de ſacrificandi ritu ea hoc manda-
to ipſi innotuiſſe. τὰς μὲν τρεῖς συζυγίας φυλαχθῆ-
ναι προσέταξε εἰς τὴν αὔξησιν τοῦ γένους, τὸ δὲ ἓν πε-
5. ριττὸν εἰς θυσίαν. Quintò quæcunque Sacrificia
ex fide offeruntur, ea divinam inſtitutionem ha-
beant neceſſe eſt. Atqui Patriarcharum ſacrifi-
cia ea fide ſunt oblata. Ergo habuerunt divinam
inſtitutionem. Majoris veritas patet, *quia fides
eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei*,
Rom. 10. v. 17. Vera fides non poteſt niſi ex ver-
bo oriri, in quo voluntatem ſuam DEUS revela-
vit, ἐθελοθρησκείαι non poſſunt conſcientias cer-
tas & tranſquillas relinquere quòd Deo proben-
tur, ſemper enim cogitat mens hominis, quis
ſcit an hoc placeat Deo? Proinde ut ex fide ali-
quid fiat, neceſſe eſt adeſſe ac prælucere nobis Dei
verbum, deinde requiritur, ut in Chriſtum quis
credat, quòd per & propter ipſum Deo placeat.
Minoris veritas eſt ἔγγραφος. Hebr. 11. v. 4. *Fide
majoris pretii ſacrificium Deo obtulit Abel, quàm
Cain, per quàm teſtimonium conſecutus eſt, quod
eſſet juſtus, teſtimonium perhibente de ipſius donis
DEO*. **Adam in illa ſumma conſternatione ne
quidem paſſerculũ fuiſſet ſacrificare auſus, niſi ex-
preſſum ut docendi, ita ſacrificandi munus acce-
piſſet Gen. 7. v. 2. mentio fit *mundi & immundi
animalis* Gen. 14. v. 20. extat mentio decimarum,
quæ dabantur Sacerdotibus ex bello. Gen. 27.
v. 15. ſingularia & elegantiora indigitantur ve-
ſtimenta, quæ ſolis ſacerdotibus geſtanda erant.
Patriarchæ dignitatem ſacerdotalem primogeni-
tis deſcrebant Gen. 49. v. 3. Adam ea eſu pro-
hibiti pomi expertus fuerat ingentem cladem,
quis ergo credat, ipſum in ea conſternatione pri-
vato arbitrio ſacrificia offerre auſum fuiſſe? Sicut
Jacob accipit expreſſum mandatum de altari ex-
truendo & conſeq. de ſacrificando Ge. 35, 1. Deus
loquitur ad Jacob: *Surge aſcẽde in Bethel, mane ibi
facque altare Deo, qui apparuit tibi*: ita etiã reliqui
patriarchæ ante Jacobum non abſque mandato
altaria extruxerunt & ſacrificarunt. Deus quan-
do ea pellibus veſtes primis parentibus paravit,
ſacrificare eos docuit, neque enim exiſtimandum
quod de corporis tegumento tantũ ſolicitus fue-
rit neglecto peccati remedio.** Id ipſum patet ex
eo, quòd Patriarcharum ſacrificia DEO fuerint
probata & accepta, cujus rei cauſam Chryſ. in c. 8
Geneſ. rectè refert ad fidem in promiſſum Meſ-
ſiam, cujus ſacrificium ἱλαστικὸν in ara crucis offe-
rendum V. T. ſacrificia præfigurabant. Deni- 6.
que ratio humana nullam invenire vel excogita-
re potuit ἀναλογίαν inter Deum, qui eſt ſpiritus;
& inter externum ſacrificiorum ritum;

Non bove mactato cœleſtia Numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt & ſine teſte fide,

ait Poeta. Gentilium ſacrificia quod attinet,
ea non tam ipſimet incorporei Dei placandi cau-
ſâ excogitârunt, quàm ex prava quadam κακο-
ζηλίᾳ ab Iſraelitico populo mutuati ſunt. Qua-
re cùm ratio humana nullam inveniat ἀναλογίαν
inter DEUM ſpiritualem & inter ſacrificia car-
nalia, inter DEUM ſummè miſericordem & in-
ter cruentam victimarum mactationem, relin-
quitur divinitùs patefactum ac mandatum fuiſſe
ſacrificiorum ritum, nimirum ut typus unici ſa-
crificii propitiatorii in ara crucis offerendi
in eis proponeretur, quod ipſum etiam mani-
feſtè comprobat ſacrificandi ritum divinitùs
mandatum eſſe, ſiquidem tam non potuerunt
Patriarchæ illum typum in ſacrificiis inveni-
re, quàm ipſam de Meſſia promiſſionem ſuo
arbitrio excogitare, quòd diligenter obſervari
velim.

Cer-

Locus ſacrificiorū. 15. Certum igitur ſit, omnia omninò fidelium V. T. ſacrificia divinitùs inſtituta ac certo mandati verbo conſtituta fuiſſe. Deus eſt, qui non tantùm per Moſen certos ſacrificiorum ritus ac circumſtantias præſcripſit, ſed etiam Patriarchis ante Moſen eadem revelavit. Idem etiam certum aſſignavit ſacrificiis locum, videlicet Tabernaculum & poſtea templum Hieroſolymitanum, Deut. 12. verſ. 5. *Locum, quem elegerit Jehovah DEUS veſter de cunctis tribubus veſtris, ut ponat nomen ſuum ibi, ut habitet ipſe, requiretis & venietis illuc.* verſ. 6. *& adducetis eò holocauſta veſtra & ſacrificia veſtra & decimas veſtras & oblationem manus veſtræ & vota veſtra & ſpontanea veſtra & primogenita boum veſtrorum & ovium veſtrarum.* Levit. 17. v. 9. *Quicunque ad oſtium tabernaculi Eccleſiæ non adduxerit ſacrificium ſuum Jehovæ, excidetur vir ille è populo ſuo:* quâ in parte non ſolùm obœdientiam populi Iſraelitici Deus exerceri & probari voluit, ſed & Christum Hieroſolymis ſacrificium ſuum ἱλαςικὸν oblaturum eſſe præfiguravit. Quinimò Tabernaculum & Hieroſolymitanum templum fuerunt typus Eccleſiæ, in qua ſola viget fructus paſſiõis Chriſti, & in qua ſola Deo grata ſacrificia Euchariſtica offerri poſſunt. (**Ex 1. Sam. 9. 12. c. 16. v. 5. quin & c. 7. v. 17. colligitur quidẽ prophetas peculiari Dei inſtinctu etiam alibi quàm coram tabernaculo & in altari Moſaico ſacrificia offerri curaſſe, quæ tamen fuerunt duntaxat Euchariſtica ſacrificia.**) Deſtructo igitur templo Hieroſolymitano ſi typica illa ſacrificia adhuc offerantur, non minùs imò graviùs peccatur, quàm ab Iſraelitis in excelſis ſub arboribus & lucis ſacrificia ſua offerentibus, idololatrias hoc nomine toties accuſatis. **Quæritur hic 1. *Quid ſtatuendum de ſacrificiis poſt captiv. Babylonicam oblatis?* Prohibet Deus alieno igne ſacrificare Lev. 9. v. 24. c. 10. v. 1. Num. 3. v. 4. c. 26. v. 61. &c. Adrichomius in deſcript. Hieroſol. cap. 88. refert, *ignem tempore Aaronis demiſſum in altari holocauſti nutritum fuiſſe* (quod etiam colligitur ex Lev. 6. v. 8.) *uſque ad tempus captivitatis Babylonicæ, ſed tum in caverna putei abſconditum & tandem ibi nil niſi aquam repertam juxta* 2. Maccab. 1. v. 19. verum ex v. ſeqq. 21. & 22. non malè licet colligere, etiam poſt ſolutam captivitatem Babylonicam à Deo novum ignem fuiſſe cælitus indultum Judęis ex ſervitute reverſis abſque dubio propter ardentiſſimas à Nehemia adhibitas preces Adrichomius in theatro putat, aquam in ignẽ fuiſſe divinitus mutatam. Frantz. 2. Q. *An in ſtatu innocentiæ futura fuiſſent ſacrificia?* N. quia ſunt typi ſacrificii per Meſſiam in ara crucis præſtandi, ſed ſi homo non fuiſſet lapſus, Chriſtus non fuiſſet venturus. Idem colligitur ex capitibus doctrinæ, quæ Adamus debuit ſuis poſteris proponere. Gregor. de Valent. lib. 1. de ſacrif. Miſſæ cap. 4. *Si hoc non eſt perpetuum conſilium Dei, ut lex quæcunq;, quam ipſe ſancit hominibus, annexum ſacerdotium adeoq; ſacrificium habeat, non rectè concluſiſſet Apoſtolus, legẽ Leviticam idcircò translatam eſſe, quoniam ejus eſt translatum Sacerdotium & Sacerdotio alicujus legis translato neceſſe eſt ut legis translatio fiat.* Reſponderi n. poſſet legem ſine Sacerdotio potuiſſe manere. Itaque cùm ad illud concludendum generalem illam propoſitionem ſumit, translato n. Sacerdotio, neceſſe eſt, ut legis trãslatio fiat, tacitè propoſitionem alterã ponit, decretum Dei videlicèt hoc eſſe, ut ipſius lex nulla ſine ſacerdotio, adeoque ſine ſacrificio conſiſtat, &c. Bellarm. lib. de Miſſa cap. 20. *Sacrificium cum ipſa religione natum fuit.* At nullo ſcripturæ veſtigio id probari poteſt**.

16. Finis ſacrificiorum principalis fuit commonefactio de futuro ſacrificio Meſſiæ in ara crucis offerendo, quò reſpicit D. Johannes Baptiſta, quando Chriſtum vocat *agnum DEI, qui tollit peccata mundi* Joh. 1. v. 29. & 39. oſtendens reliquos agnos juxta legem Ceremonialem oblatos reverâ non fuiſſe tales, qui potuerint auferre peccata, ſed tantùm typos ſeu figuras fuiſſe, hunc v. Jeſum eſſe veram illam victimam, cujus oblatio ſit vera peccatorum coram Deo expiatio, ad quam victimam omnia reliqua ſacrificia, tanquam umbræ ad corpus reſpexerint. **Heſychius in Lev. l. 4. c. 14. *Ex utroq; genere agnum & agnellum propterea ſacrificium offerri præcepit Deus, ut oſtenderet, quia Chriſtus pro nobis occiſus ſimul maſculum fœminamque ſalvabit.*** Quanquam verò non tantùm agni, ſed etiam alia animalia in ſacrificiis offerebantur, tamen agni potiſſimum appellatio Chriſto tribuitur, quia mactatio agni paſchalis erat maximè illuſtris figura victimæ Filii Dei, & juge ſacrificium, quod manè & veſperi offerebatur, erat agnus immaculatus; adde, quod agnus ſuis proprietatibus innocentiam, manſuetudinem & voluntariam Chriſti obœdientiam aptiſſimè delineârit, unde & Eſaias tali comparatione utitur Eſ. 53. v. 6. *Sicut agnus ad victimam ductus obmuteſcit.* Propter principalem iſtum ſacrificiorum finem *Abel fide majorem ſive pretioſiorem hoſtiam obtuliſſe dicitur* Hebr. 11. v. 4. nimirum, quia in typo ſacrificii reſpiciebat futurum Chriſti ſacrificium, ex quo ſolo peccatorum remiſſionem ſperebat & conſequebatur, ac proinde agnus DEI dicitur *occiſus ab origine mundi* Apoc. 13. v. 8. non ſolùm ratione divini decreti & præſcientiæ, ſed etiam ratione promiſſionis, ratione typi in ſacrificiis, & ratione efficaciæ, eſt enim *agnus, qui tollit peccata mundi*, hoc eſt, ad totum mundum, ad omnes homines, qui ullo unquam tempore in mundo vixerunt, pertinent beneficia hujus agni. *Finis ſacrificiorum principalis.*

17. Minùs principales ſacrificiorum fines ſunt complures: Primò fuerunt nervi ac vincula publicorum congreſſuum 1. Cor. cap 10. v. 18. *Videte Iſrael ſecundum carnem, nonnè qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris?* Deinde profecerunt ad conſervationem Miniſterii Levitici, ſiquidem Sacerdotes ex ſacrificiis, primogenitis & decimis ſe ſuosque ſuſtentabant. Deut. 18. v. 1. *Non erit Sacerdotibus, Levitis & toti tribui Levi portio & hæreditas cum reliquo Iſraele, oblationes ignitas Jehovæ & hæreditatem ejus comedent.* v. 3. *iſtud erit jus Sacerdotum è populo; è ſacrificantibus ſacrificium ſive bovem ſive agnum dabit Sacerdoti armum & maxillas & ventriculum* v. 4. *primitias frumenti tui, vini tui, & olei tui, & primitias velleris ovium tuarum dabis illi* v. 5. *ipſum n. elegit Jehovah Deus tuus è cunctis tribubus tuis, ut ſtet ad miniſtrandum nomini Jehovæ &c.* Tertiò fuerunt quaſi objectum & materia quædam, circa quam populus Iſraeliticus ſuam DEO probaret obœdientiam ac gratitudinem, inde toties repetitur gravis illa obteſtatio. *Cuſtodite legem meam, & ſtatuta & judicia mea.* Quartò obtinuerunt *Minùs principales.*

vicem

vicem φραγμοῦ, ut loquitur Apoſtolus Epheſ. 2. v. 14. quo populus Iſraeliticus à reliquis gentibus ſecernebatur. Deut. 12. verſ. 30. *Non inquires de Diis gentium dicendo: Quomodo colebant gentes illæ Deos ſuos, ſic & ego faciam.* verſ. 31. *Non facies ſic Jehova Deo tuo.* verſ. 32. *Quicquid ego præcipio tibi, hoc facias* Juſtin. in Dial. cum Tryph. p. 183. *Deus ad populum illum* (Iſraeliticum) *ſe accommodans hoſtias offerre tanquam nomini ſuo præcepit, ut ne ſimulacra coleretis.* Idem in reſp. ad q. 99. p. 352. *Sanguinem irrationalium animalium ita accepit Deus, quaſi animam ipſe ſuam obtuliſſet, qui ſacrificium exhibuit*, id poſtea probat ex Levitic. 17. Denique præbuerunt multas utiles commonefactiones. Sic pectus & armus dexter dabatur Sacerdotibus ad ſignificandum, quòd Miniſtro Eccleſiæ neceſſaria ſit ſapientia cordis ad inſtituendum populum & fortitudo ad tolerãdas injurias. **Auguſt. 20. de Civit. Dei cap. 26. *Hoſtia illa veteris legis, quæ de pecoribus immaculatis ac ſine ullo prorſus vitio jubebantur offerri, ſignificabant homines ſanctos, qualis ſolus inventus eſt Chriſtus ſine ullo omnino peccato. Proinde quia poſt judicium cùm fuerint etiam igni mundati, qui ejuſmodi mundatione ſunt digni in omnibus ſanctis nullum invenietur omnino peccatum, atq; ita ſeipſos offerent in juſtitia,* quò hoſtiæ *omnimodo immaculata ac ſine ullo vitio ſint futuræ***. Variæ ſacrificiorum ſpecies multa & varia Chriſti beneficia præfigurabant, potiſſimùm verò multiplex illa varietas & crebra ſacrificiorum repetitio ſignificabat non pecudum ſanguine expiari peccata, ſed aliud perfectius ſacrificium requiri Hebr. cap. 10. verſ. 4. Exod cap. 23. verſ. 18. prohibitum erat, ne fermento in ſacrificiis uterentur, quod erat ſymbolum puritatis & admonitio de extirpando malitiæ fermento 1. Cor. 5. verſ. 7. Nullum offerebatur ſacrificium ſine ſale Levit. 2. v. 13. ut in operibus prudentiam adhiberi doceamur, Hugo in Levit. *Sicut ſal cibum gratum & acceptum facit, ita diſcretio, quæ ſalis nomine ſignificatur noſtrum ſacrificium.* Quin & Chriſtus ſale adumbratus dici poteſt, is enim facit nos Deo gratos & acceptos, præſervat animas noſtras a ſpirituali putredine &c. De pacis ſymbolo exponit Chriſtus Marc. 9. v. 50. Sicut apud Veteres κοινωνία ἁλῶν καὶ τραπέζης celebratur. Renes cum reticulo jecoris cremari jubentur, ut ſignificetur concupiſcentias carnales igne Spiritus ſancti mortificandas eſſe. Circa præceptum de interdicto eſu ſanguinis notandũ, quòd peccata graviora dicuntur ſanguines Pſ. 51. v. 16. Eſa. 1. verſ. 15. Ergò prohibitio ſanguinum fuit ſymbolum delictorum fugiendorum. Thomas 1. 2. q. 102. art. 3. *Adeps & ſanguis non veniebat in uſum Sacerdotum & offerentium, quia hoc erat idololatris propriũ, ac prohibebatur eſus ſanguinis hoc fine, ut horrerent humani ſanguinis effuſionem, eſus adipis prohibebatur ad vitandam laſciviam, præterea quia ſanguis maximè neceſſarius ad vitam, adeps verò abundantiam nutrimenti demonſtrat, ſignificabatur, quod a Deo nobis ſit vita & omnis boni ſufficientia, quin & figurabatur effuſio ſanguinis Chriſti & pinguedo caritatis ejus, per quam ſe obtulit* DEO *pro nobis.* Gloſſa in cap. 1. Levit. *Vitulum* DEO *offerimus cùm carnis ſuperbiam vincimus; Agnum, cùm irrationabiles motus corrigimus; hœdum, cùm laſciviam ſuperamus; turturem, dum caſtitatem ſervamus; panes azymos, cùm in azymis ſinceritatis epulamur.* Tales ſignificationes excogitari poſſunt complures, ſi Leviticorum ſacrificiorum ritus cum unico propitiatorio Chriſti ſacrificio, ejuſdemque variis beneficiis vel cum eucharíſticis ac ſpiritualibus Chriſtianorum ſacrificiis (quę ſunt miniſterium Evangelii Rom. cap. 15. verſ. 16 converſio gentium Philip. cap. 2. verſ. 17. preces Apocal. cap. 5. verſ. 8. Pſal. 51. verſ. 19. gratiarum actio Hebr. cap. 13. verſ. 15. beneficentia Philip. cap. 4. verſ. 18. Heb cap. 13. verſ. 6. mortificatio veteris hominis Roman. cap. 12. verſ. 1. Martyrium Philip. cap. 2. verſ. 17. 2. Tim. cap. 4. verſ. 6. & in genere totus Chriſtianorum ſpiritualis cultus 1. Pet. 2. v. 5.) invicem pia dexteritate conferamus.

18. Ad res ſacras referenda etiam eſt ſacrata tabernaculi ac templi ſupellex, quam generali appellatione vocare poſſumus כלי מקדש Celé Mikdáſch, *vaſa ac utenſilia ſacra.* Ratione ſubjecti diſtingui poſſunt in ea, quæ in tabernaculo fuêre olim poſita & ex eo in templum Salomonis tranſlata ſunt: & in ea quæ prioribus a Salomone ſuperaddita & in templum collocata. Tabernaculum & templum in tres partes erant diſtincta. Una vocabatur Sanctum ſanctorum, quæ ſolus Pontifex ſemel in anno ingrediebatur. Altera Sanctum, quo Sacerdotes quotidie ingrediebantur. Tertiò, Atrium, locus populi. Contenta in Sancto ſanctorum Ep. ad Hebr. c. 9. v. 4. & 5. hoc ordine enumerat: 1. Thuribulum aureum, cujus uſus fuit in offerendo incenſo, quando ſummus Pontifex quotannis ſemel in feſto expiationis Sanctum ſanctorum ingrediebatur Lev. 16. v. 12. Impletus fuit hic typus à Chriſto, qui in ara crucis *cum clamore valido cum lachrymis & precibus ſeipſum Patri cœleſti obtulit ac per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta ſanctorum* Heb. 9. v. 12. nam per odorem incenſi ac thymiama preces denotari patet ex Pſ. 51. v. 19. Apoc. 8. v. 3. quò referendum, quod Chriſtus, antequam in ara crucis ſeſe in ſacrificium offerret, priùs ardentiſſimis precibus diſcipulos ſuos & omnes credentes Patri cœleſti commendaverit. Job. 17. 2. Arca fœderis, facta ex lignis Sittim, laminis aureis intus ac foris obducta tota, coronâ aureâ ſuperius in circuitu & quatuor annulis in lateribus ornata, cujus ſtructura uberiùs deſcribitur Exo. 25. v. 10. & ſeqq. Per hanc arcam fœderis denotatur Chriſtus N. T. Mediator; ſicut arca ex auro & ligno ita Chriſtus ex divina & humana natura perſonaliter unitis conſtat. Ligna Sittim interprete R. D. Kimhi erant ſpecies cedri optima, corruptioni minimè obnoxia; ita Chriſti humana Natura non vidit corruptionem Pſ. 16. v. 10. Act. 2. v. 31. Arca in quatuor angulis habebat annulos ſive circulos, quibus vectes immiſſi erant, per quos arca deportabatur: ita Chriſtus per miniſterium & prædicationem Apoſtolorũ in omnes mundi partes ad omnes gentes fuit portatus, Pſ. 19. v. 5. Rom. 10, 18. Corona aurea denotat cœleſtem illam gloriam & decorem, quo coronatus eſt Chriſtus ſecundum humanam naturã Pſ. 8, 6. **Cyrill. Alex. l. 4. in Joh. c. 28. Hil. in Pſ. 131. *Humanitatẽ Chriſti in arca fœderis adumbratã fuiſſe docent. 1. Arca Teſtamenti erat de lignis Setim, i.e. cedrinis quæ dicuntur imputribilia & ſumma Chriſti ſanctitate declarant, cujus videlicet humanitas nulli vel minima peccati corruptioni fuit ſubjecta.*

Utenſilia ſacra.

Thuribulum aureum.

Arca fœderis.

2. Arca

2. Arca fœderis erat deaurata intus & foris ſeu laminis aureis cooperta. Sic Chriſtus totꝰ aureꝰ, ſummique valoris ac precij, & quatenus Deus & quatenus homo eſt. Præterea tam divinitas quam humanitas fulgebant ardentiſſima caritatis auro 3. Erat in arca propitiatorium, quod erat opertorium quoddam aureum ipſiꝰ arcæ, in quo etiam Chriſtus exprimitur Rom. 3. v. 25. *cum per eum Deus fiat nobis propitius. 4. Super propitiatorium erant duo Cherubim ſeſe invicem reſpicentia converſis vultibus in propitiatorium, hoc eſt, duo Teſtamenta, quæ ſibi invicem concinnunt, cùm ad Chriſtum reſpiciunt. 5. Erat intra arcam virga Aaron quæ ſignificabat Chriſti poteſtatem tàm Regalem quam Pontificiã cum virga erat ſimul manna, quia dulcedo mannæ ſeveritatem virgæ temperat. Erant in arca tabulæ legis, quæ ſignificant Chriſti ſapientiam.* Coloſſ. 2. v. 3. *in eiſdem ſignificatur quod Chriſtus perfectè legem impleverit.* Blaſius de Vicg. in comm. cap. 11. Apoc. p. 467. Arca aurea, typus Chriſti. 1. ratione continentium ſive ambientium. Aurum & ligna Sittim Div. & hum. Natura. Annuli quatuor miniſterium verbi. Corona Chriſti gloria. 2. ratione contentorum. 3. ratione operientium. Cherubin duo Teſtamenta. Propitiatorium Chriſti meritum. 4. ratione conſequentiũ. 1. Sam. 4. jubilabãt Iſraëlitę, cùm arca deportaretur ad ipſos, ſic in Chriſti incarnatione lætitia.** Non deſunt, qui arcam fœderis de Eccleſia interpretantur, quæ interitui non eſt obnoxia, cujus rei typus in lignis Sittim propoſitus; induta eſt Chriſti juſtitiã, velut auro puriſſimo, ornata variis Spiritus ſancti donis, certo loco non eſt affixa, ſed in hoc quidem mundo ambulatoria, ſicut ara erat portatilis; denique eſt cuſtos ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, ſicut arca tabularum legis D. Pelarg. in cap. 2. Exod. ex Gregorii Paſtorali. **Et ſanè tota ſupellex ſacra in tabernaculo poteſt conſiderari ut typus vitę æternæ, 1. *Arca fœderis* eſt S. Trinitas. In arca erãt tabulæ legis, manna, baculus Aaronis, in cœlo Deus ponitur, qui nos ſanctiſſimis ſuis ll. gubernat; Filius verum & cœleſte manna. Spiritus ſanctus per baculum miniſterii nos ducens. 2. *Propitiatorium* eſt Salvatoris bonitas. Rom. 3. qui gratiam Dei ſuâ morte promeritus. 3. *Cherubin* ſunt Angelorũ ſocietas, erimus ἰσάγγελοι. Matthæi 22. 4. *Altare* eſt devotionis ſanctitas, erimꝰ Sacerdotes Dei Apoc. 1. offerentes vitulos labiorum. 5. *Candelabrum* eſt beatæ viſionis claritas 1. Cor. 13. Exhilarabit nos triplex viſio, corporalis, quâ Chriſti humanitatem, ſpiritualis quâ Angelorum ſubtilitatem, intellectualis quâ S. Trinitatem videbimus. 6. *Menſa* eſt beatæ fruitionis ſatietas, apponetur fructus de arbore vitæ. 7. *Ligna Sittim* imputribilia eſt in omnibus indefectibilis æternitas. Septima illa dies nullam habebit veſperam. Apoc. 22.** 3. Urna aurea continens particulam mannæ, quam juſſu Dei Moſes in tabernaculo poſuit. Hanc quidam ſtatuunt in ipſa arca fœderis unà cum tabulis Moſaicis reconditã fuiſſe, moti verbis Apoſtoli, qui dicit ἐν ᾗ, quod referunt ad proximè præcedens membrum de arca fœderis. Sed cùm in arca fœderis nihil aliud fuiſſe dicatur, quàm duæ tabulę lapideæ 1. Reg. 8. v. 9. & 2. Paral. 5. v. 10. quam excluſivam non eſſe temerè prætermittendam apparet, cumque de ſolis Decalogi tabulis in arcam reponendis mandatum acceperit Moyſes Deut. 10. v. 5. quod fideliter exequitur Exod. 40. v. 20. Deniq; cùm de urna aurea mannam continente nullum extet aliud præceptum, quàm quod coram Domino in cuſtodiam reponi debeat Exod. 16. v. 33. Ideoque non in ipſam teſtimonii arcam, ſed coram teſtimonio, id eſt, coram arca fœderis repoſita dicatur v. 34. ideò alii ſtatuunt, in arca fœderis nihil aliud fuiſſe quàm Decalogi tabulas, ſed virgam Aaronis & urnam cũ manna in tabernaculo prope arcam fuiſſe repoſita. Proinde in verbis Epiſtolæ ad Hebræos vel ſynecdoche ſtatuenda erit, vel relativum ᾗ ad remotius videl. ad σκηνὴν, non autem ad propinquius κιβωτὸν referendum. Porrò manna illud in urna repoſitum typũ fuiſſe Chriſti manifeſtè patet ex Joh. 6. v. 49. Manna datum erat de cœlo. Chriſti divina generatio ἄῤῥητος, quin & temporalis nativitas præter rerũ ſeriem facta, eſt *Dominus de cœlo* 1. Cor. 15. v. 48. Manna ſignificat donum præparatum, ſic Chriſtus ab æterno nobis prædeſtinatus eſt Mediator. Manna fuit argumentum divinæ gratiæ, ita quoque Chriſtus ex immenſa Dei dilectione nobis datus; Manna fuit minutum quid, ita Chriſtus in diebus carnis ſuæ fuit humilis & abjectus. Manna fuit coloris candidi, ſic Chriſtus eſt candidus & immaculatus, *non fuit dolus in ore ejus inventus.* Manna fuit ſaporis mellei, ita Chriſtus piis eſt mel in corde, in ore melos, in corde jubilus. Manna tempore famis dabatur in cibum, ſic Chriſtus ſpiritualis eſt animæ noſtræ paſtus. Omnes Iſraëlitæ eundem cibum comederunt, ſic Chriſtus omnibus credentibus æqualiter datur &c. Quidam conferunt Manna cum Evangelio, quod eſt myſterium cœleſte divinitùs revelatũ, donum Dei inſigne, coram oculis hominũ carnalium & juſtitiariorum minutum, cibus animæ ſuaviſſimus, omnibus æqualiter Dei gratiam offerens &c. quâ ratione urna aurea mannam aſſervans denotare poterit Chriſtum, in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi Coloſ. 2. v. 3. à quo manna doctrinæ Evangelicæ ad nus deſcendit. 4. Virga Aaronis quę fronduerat, hoc eſt, miraculosè gemmas, flores & amygdalas maturas unâ nocte produxerat, in teſtimonium, quòd ipſi & poſteritati ejus ſummum ſacerdótium debeatur, quo fine etiam coram teſtimonio, hoc eſt, coram arca fœderis Dei mandato repoſita fuit. Nũ. 17. v. 10. Aaronem fuiſſe Chriſti typum ex Epiſtola ad Hebræos manifeſtum eſt. proinde virga Aaronis arida miraculosè efforeſcens ac fructus proferens depingit Chriſtum, qui ex arida Jeſſæ ſtirpis radice effloruit Eſa. 11. v. 1. qui in cruce tanquam teſta exaruit Pſal. 22. v. 16. ſed in reſurrectione ſua iterum floruit, ac dulciſſimos fructus in uſum noſtrũ protulit. 5. Tabulæ Teſtamenti, hoc eſt, duæ tabulæ Moſis lapideæ, quibus Decalogus inſcriptus erat, hæ in ipſa arca repoſitæ fuerunt; quo denotatur, in Chriſto eſſe omnes theſauros divinæ ſapientiæ reconditos: quid enim tabulæ legis aliud continent, quàm Dei ſapientiam decem verbis comprehenſam? Itemq; Chriſtum eſſe legis perfectionem Rom. 10. v. 4. qui numeris omnibus abſolutam obœdientiam legi præſtitit; ſicut tabulæ legis in media arca fuerunt repoſitæ, ita Chriſtus de ſeipſo teſtatur Pſal. 40. v. 9. *Lex tua in medio viſcerum meorum eſt*; idem etiam Spiritu ſuo legem ſcribit in corda credentium Jer. 31. v. 33. 6. Duo Cherubim ex ligno olivarum in figu-

Vrna aurea.

Manna.

Virga Aaronis.

Tabulæ Decalogi.

Duo Cherubim. figura impuberum puerorum facti & laminis aureis tecti, ſuper utramq; arcæ extremitatem poſiti, expandentes alas ſuper propitiatorium, atq; in illud verſis ad ſeſe vultibus reſpicientes. Hi Cherubim denotant Vetus ac Novum Teſtamentũ, quæ ſe mutuò interpretantur ac reſpiciunt unicum Mediatorem Chriſtum. In Veteri Teſtamento Novum latet, in Novo Vetus patet; In veteri novitas eſt, in novitate vetuſtas. Si fœderalis arca typus Eccleſiæ intelligitur, per Cherubim alas ſuas ſuper arcam expandentes denotari poteſt, Eccleſiam Angelorum cuſtodiâ & protectione gaudere. 7. Propitiatorium כַּפֹּרֶת Cappereth, *tectorium, operculum* quod fuit tabula ſolidè aurea, tegumenti ſive operculi inſtar arcæ ſuperimpoſita: fuit etiam tanquam pavimentum ſeu pedamentum, ſuper quo Cherubim fixi ſteterunt, ex eo locutus eſt Dominus ad Iſraelitas è medio duorum Cherubim, LXX. verterunt ἱλαςήριον, quia DEus ibi loquens populo ſuo propitiabatur; vocatur etiam oraculum, quia ex eo loco ſacra dabantur reſponſa, erat enim *arca fœderis propitiatorio tecta velut lectica quadam, quâ ſedebat, loquebaturque Dominus, & regebat verbo populum ſuum, exponens percontantibus per oracula voluntatem ſuam*, ut ſcribit Forſterus in verbo כפר Caphár, inde Hebræi etiamnum majeſtatem vocant שכינה Schechináh, eò quod habitaret ſuper arcam & ibi orantes exaudiret. Fuiſſe autem propitiatorium Chriſti typum diſertis verbis docet Apoſtolus Roman. 3. v. 25. *Propoſuit Deus Chriſtum ἱλαςήριον per fidem in ſanguine ejus*. Hebr. 4. v. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ*. Quemadmodum propitiatoriũ tegebat arcam, in qua repoſitæ erant Decalogi tabulæ, ita Chriſtus ſuo merito tegit peccata noſtra contra legem DEI commiſſa; per Chriſtum DEO reconciliamur, ut lex non ampliùs nos damnet propter peccata, quò reſpicit David Pſ. 32. v. 1. beatum pronuncians eum, cujus peccatum tectum eſt, cujus peccata Chriſtus verum illud propitiatorium tegit, eódem reſpiciunt omnes Sancti, quotieſcunq; petunt, DEUM ſibi propitium eſſe. Quemadmodum DEus promiſerat ſe præſentem fore apud propitiatorium, ita in Chriſto DEus inveniri, agnoſci & invocari vult, *in quo habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter* Coloſſ. 2. v. 9. Quemadmodum DEus locutus eſt ad Iſraelitas ex propitiatorio, ita Filius DEI, *qui eſt in ſinu Patris*, voluntatem DEI de ſalute noſtra nobis revelavit Johan. 1. v. 18. Propitiatorium arcam fœderis tegebat, ita Chriſtus umbrâ alarum ſuarum Eccleſiam complectitur &c. Vide Cyrill. de incarnat. unigen. cap. 3. Gregor. in Ezech. hom. 6.

Candelabrum aureum. 19. Contenta in ſecunda tabernaculi parte, quæ vocabatur Sanctum, Epiſtola ad Hebræos cap. 9. v. 2. recenſet hoc ordine: 1. Candelabrum aureum in parte Tabernaculi Auſtrali poſitum, tribus calamis ſive ramis ex utraque parte egredientibus & ſic in univerſum ſeptem ramis (Irenæus lib. 2. cap. 41. calamiſcos vocat,) exornatũ, quia in haſtilis ſive ſtipitis ſummitate itidem erat ramus ſeu ſcyphus; ſingulis hiſce ſeptem ramis ſphærulæ ac lilia addita erant, imponebantur etiam illis ſeptem lucernæ, noctu ac interdiu jugiter lucentes & Sanctum ſanctorum illuminantes, addita erant candelabro emunctoria & vaſcula, in quib. ea, quæ emuncta erant, extinguebantur. Vide Exod. 25. v. 31. & ſeqq. Rabini dicunt hujus candelabri lampadibus ſeptem Planetas fuiſſe denotatos, ſed ad Chriſtum rectius hæc figura refertur, is ſeipſum vocat lucem mundi Joh. 8. v. 12. is ſeptiformi S. S. gratiâ inſtructus totam illuſtrat Eccleſiam Eſ. 11. v. 2. is eſt, qui Apoc. 1. v. 13. hoc modo deſcribitur, quòd *ambulet in medio ſeptem candelabrorum aureorum*, i.e. Eccleſiarum Aſiaticarum, *ante cujus thronum ſunt ſeptem lampades ardentes, quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei* Apoc. 4. v. 5. nec incommodè rami ex baſi hujus candelabri progredientes referuntur ad Apoſtolos & fideles ipſorum ſucceſſores, quos itidem Chriſtus vocat mundi lucem Matth. 5. v. 14. nimirum ratione doctrinæ, quæ eſt vera lux animarum; hi rami ex baſi progredientes, i.e. miniſtri Eccleſiæ unicè debent Chriſtum reſpicere, verâ cœleſtis doctrinæ prædicatione & ſancto vitæ exemplo in Eccleſia lucere ac ne lux divini verbi paulatim extinguatur, diligenter cavere &c. Vide Greg. hom. 6. in Ezech. Bernh. in ſententiis &c. 2. Menſa ex lignis Sittim facta & aureis laminis obducta, coronâ aureâ in circuitu ornata, *Menſa aurea.* vectib. deportationis gratiâ inſtructa, in ſeptentrionali parte Tabernaculi poſita; ſupra quam ponebantur varia vaſorum genera ex auro puriſſimo facta, videlicet magnæ & latæ ſcutellæ, cochlearia formam manus concavæ habentia & dimidiatæ fiſtulæ ac cyathi, quorum omnium uſum Rabini dicunt fuiſſe eum, quòd ſuſtentârint panes facierum. Moſes dicit eorum uſum in libaminibus & ſacrificiis fuiſſe. Vide Exod. 25. v. 23. & ſeqq. Per hanc menſam denotatur miniſterium Evangelii, per quod regitur Eccleſia, in ea ſunt varia vaſa, hoc eſt, credentibus diverſimodè dona Spiritus diſtribuuntur: ſedulò autem curent verè pii, ut ſint *vaſa aurea*. 2. Tim. 2. v. 22. *emundata* ab omnibus ſcelerum ſordibus & in domo Dei fulgentia. Rupertus lib. 4. de Trin. & ejus operibus cap. 6. exponit de menſa cœnæ Dominicæ. 3. Panes propoſitionis Hebr. panes facierũ *Panes propoſitionis.* LXX. vocant ἄρτους τῶν προσώπων & ἄρτους τῆς προθέσεως ex ſimila tritici puriſſima cocti & coram facie Domini, qui ſuper arcam fœderis habitabat, menſæ impoſiti. ſingulis autem Sabbathis mutabantur, ac recentes in menſa ponebantur ſeni ac ſeni. Panibus imponebatur thus, nec licebat de illis edere, niſi ſolis Sacerdotibus Exod. 25. v. 30. Levit. 24. verſ. 5. & ſeqq. Matth. 12. verſ. 4. Chriſtus eſt *panis vitæ* Johan. 6. v. 49. qui per miniſterium duodecim Apoſtolorum in cibum animæ credentibus offertur, de eo non comedunt niſi ſoli Sacerdotes ſpirituales, id eſt, omnes verè renati, quos Chriſtus *fecit Patri ſuo Reges & Sacerdotes* Apoc. 1. verſ. 6. thus panibus impoſitum denotat preces, quæ cum vera in Chriſtum fide ſemper debent eſſe conjunctæ. Sabbatho mutabantur panes propoſitionis, hoc eſt, Chriſtus verbi prædicatione & uſu Sacramentorum in præſentis vitæ curriculo ſeſe nobis communicat, ſed quando in æterna vita *Sabbathum ex Sabbatho erit*, Eſai. 66. verſ. 23. tunc fidei ſuccedet viſio, non amplius *ex parte cognoſcemus, ſed à facie ad faciem videbimus*. 1. Corinth. 13. verſ. 12. 4. Hûc referendum eſt altare thymiamatis, quod erat directè contra arcam, factum *Altare thymiamatis.* ex lignis Sittim, auro puro tectum & coronâ aureâ in circuitu ornatum &c. ſuper quod adolebatur ſuffimentum aromatum ſingulis

diebus

Digitized by Google

diebus manè & veſperi. Exod. 30. v. 1. & ſeqq. Denotabat hoc itidem Chriſtum, quia nulla eſt grata Deo, niſi Chriſtus Filius ara, huic imponendum eſt ſpirituale incenſum, hoc eſt, preces noſtræ Chriſti merito niti debent, neque enim aliter placent Deo, quàm ſi ex fide proficiſcantur. Pſal. 141. v. 2. *Sit oratio mea ſicut ſuffimentum in conſpectu tuo: munus manuum mearum ut ſacrificium veſpertinum.* Præter hoc altare thymiamatis aureum quidam adhuc alia tria numerant. utpotè 1. terreum extra tabernaculum Exod. 20. v. 24. 2. ligneum portatile ſub dio. Exod. 27. v. 1. 3. æneum in atrio tabernaculi. Exod. 40. v. 6. ſed rectiùs ſtatuitur præter illud altare thymiamatis aureum unicum tantùm fuiſſe altare, io quo holocauſta & ſacrificia offerebantur, quod modò terreum, modò ligneum, modò æneum appellatur, ſiquidem ex lignis Sittim ſactum erat concavum, ac æreis laminis in lateribus opertum, poſtea terrâ superingeſtâ replebatur, hujus altaris locus fuit atrium tabernaculi, uſus verò holocauſtorum & ſacrificiorum oblatio.

Altare in atrio poſitum. 20. In atrio igitur ſive tertiâ parte tabernaculi poſitum erat 1. altare illud quadrilaterum, cujus ſtructuram modò expoſuimus, quod per inſertos vectes erat portatile, variis æreis vaſis & receptaculis ad ſacrificia peragenda, ligna c[illegible]oneuda & cineres removendos neceſſariis in[illegible]ructum, ex cujus quatuor angulis ſurſum egrediebantur totidem cornua ſive columnulæ [illegible] in cornuum figuram contortæ ornatus causâ additæ, quibus victimas alligatas fuiſſe ex Pſal. 118. v. 27. colliguot; aſylum eadem fontibus præbuiſſe patet ex 1. Reg. 1. v. 50. cap. 2. v. 28. Tantæ magnitudinis ac tanti ponderis altare de loco in locum transferri non potuiſſet, niſi concavitas ejus terra ingeſtâ priùs fuiſſet liberata, quoties verò tabernaculum itidem figebatur, denuò implebatur terrâ, ſuper quam cremebantur holocauſta & reliqua ſacrificia. ** *Altare terreum humanitatem Chriſti adumbravit, qui conceptus eſt de SS. & natus ex Maria Virgine: altare hoc non erat depolitis lapidibus ſed terrà informi, cum in Chriſto nec forma, nec decor ſit inventus* Eſaiæ 53. v. 2. *non etiam erat de lapidibus exciſis, ſiquidem in Daniele de Chriſto dicitur* cap. 2. v. 4. *quod ſit lapis ſine manibus hominum exciſus.* Ambroſins 1. de SS. cap. 9. interpretatur *altare de lignis Sittim* crucem Chriſti, in qua ſe *Deo patri obtulit in odorem fragrantiæ* Epheſ. 5. ** Et in cujus nomine preces noſtræ Deo offerendæ ſunt, ut fiant ſacrificium ipſi gratum & acceptum, propter quem ſolum Euchariſtica ooſtra & ſpiritualia ſacrificia Deo probantur; terra ingeſta denotat humanam Chriſti naturam, quam hoc fine aſſumſit, ut in ea & per eam ſacrificium expiationis Patri ſuo cœleſti offerret. Cornua altaris in quatuor angulis prominentia denotant virtutem ſacrificii à Chriſto in ara crucis oblati per Evangelii prædicationem in quatuor mundi aogulos deferendam eſſe

Labrum æneum. Gregorius Homil. 22. in Ezech. 2. labrum æneum cum baſi ſua, in quo purâ aquâ repleto Sacerdotes manus & pedes abluebant in ſanctum tabernaculi ingreſſuri, aut in atrio ſacrificaturi. Exod. 38. v. 8. Quidam vertunt *concham* in Hebræo eſt הַכִּיוֹר haccijód, à radice כיור Cor, *excidit*, Græci vertunt λουτῆρα *lavacrum* ratione finis ſive uſus, cùm in Hebræo nomen habeat à figura caveæ ſeu foſſæ. Dicitur ibidem eſſe factum במראת הצבאת Bemaróth Hatzebeóth, quod variè reddiderunt Interpretes. Onkelos ſic vertit, *ex ſpeculis mulierum, quæ veniebant, ut orarent in oſtio tabernaculi.* Idem ferè ſentit Kimchi. *Vocantur autem ſpecula illa, ex quibus conflatum lavacrum illud aneum, ſpecula mulierum, quòd hæ peculiariter pro capitum ſuorum compoſitione illis uti ſolebant, mulieres verò, quæ a ſe ſeculi vanitatem rejecerant & ſoli Deo placere ſtudebant, adportabant hujuſmodi ſpecula & in miniſterium Domini offerebant & per ſingulos dies certo tempore veniebant ad tabernaculum, Dominum adoratura.* Hæc ex Rab. A-ben Ezra Munſterus, cujus ſententiam probat Schindlerus in Lexico pag. 1675. ſed Forſterus reddidit *in viſionibus*, hoc eſt, in conſpectu ſeu è regione mulierum excubantium, quam ſententiam D. Lutheri verſio approbat. Significatum autem fuit, renatos ſpirituali mundiciei ſtudere debere, ut ſpiritualia ipſorum ſacrificia Deo ſint grata Johan. 13. v. 10. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* 2. Corinth. 7. v. 1. *has igitur promiſſiones habentes mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* ** Tertia illa templi pars vocabatur atrium Judæorum, baſilica & ſanctum ſeculare nec non porticus Salomonis, per 14. gradus aſcendentes ſuſcipiens. Ante hoc atrium cancello ſeptum poſita erat tabula literis Græcis & Latinis hanc legem inciſam continens. *Omnis alienigena tranſiens in locum ſanctum moritur.* Erat in eo altare holòcauſti æneum, in quo perpetuus ignis alebatur Exod. 38. v. 1. Levit. 6. v. 12. 2. Paral. 4 v. 1. duæ columnæ æreæ mira pulcritudine, quarum utraque alta erat cubitos octodecim & dicebantur *Iachim & Boas* 3. Regum 7. v. 15. 2. Paral. 3. v. 17. concha ærea vas magnæ capacitatis aquâ plenum 3. Regû 7. v. 28. 2. Paral. 4. v. 6. mare æneum labium ſeu labrum dictum duodecim bobus ſuſtentatum 3. Regû 7. v. 23. 2. Paral. 4. v. 2. Exod. 30. v. 17. porta nova Jerem. 26. v. 11. cap. 36. v. 10. exedìæ, quæ erant domus laterales in quibus Sacerdotes ſanctuarium ingreſſuri profana veſtimenta exuebant & ſanctificatis ſe ornabant, ibidemque ſacris peractis reponebant & in his hoſtiarum pacificarum partes comedebantur Jerem. 25. v. 2. & 4. 1. Paral. 24. v. 28. porticus Salomonis 3. Regum 6. v. 3. Joh. 10. v. 23. Quarta pars erat *atrium gentium*: quod & *veſtibulum exterius* appellabatur ad quod etiam non niſi per gradus aſcendebatur, Dio expoſitum & quatuor portis munitum & circumquaque porticibus concluſum, latum in circuitu ſtadia quatuor hoc & gentes & Judæi immundi poterant aggredi. In hac parte poſitum erat Gazophylacium *Carbona* dictum Marc. 7. v. 11. *horologium Achaz* Eſa. 38. v. 8. 4. Reg. 4. v. 11. portæ fuerunt ſecundùm quatuor mundi plagas, Aquilonaris, Auſtralis, Orientalis, Occidentalis 2. Paral. 26. v. 17. turres buccinatorum Numer. 13. v. 1. thronus Salomonis 2. Paral. 9. v. 17. 3. Reg. 10. v. 18. **

21. Suppellex templi à Salomone extructi ferè eadem eſt, niſi quòd templum illud non ſolùm columnis & mari fuſili, ſed etiam variis ſculpturis & picturis ornatius & auguſtius fuit, quàm

Digitized by Google

Loca ſacra

Tabernaculum, quâ de re videatur 1. Reg. 6. v. 7. 2. Paral. 4. Tranſitum igitur faciemus ad tertiam Legum Ceremonialium claſſem, quæ agit de ſacris locis, quorum nomine intelligimus Tabernaculum cum omnibus ſuis partibus, cui poſtea ſucceſſit templum à Salomone extructum. Tabernaculum (quod Exod. cap. 33. v. 2. vocatur *tabernaculum congregationis*, quia ad verbum audiendum & ſacrificia offerenda populus in illud confluebat) diſtinctum erat in tres partes. Prima vocabatur *ſanctum Sanctorum*, ſive domus interior, quæ erat intimum tabernaculi penetrale ſive ſacrarium auguſtiſſimum, habens in longitudine ac latitudine cubitos 20. in altitudine 120. quò Sacerdos ſemel in anno ingrediebatur. Altera erat *ſanctum*, ſive domus exterior, quò Sacerdotes ſingulis diebus ingrediebantur; in longitudine complectens cubitos 40. in latitudine 20. in altitudine 120. Tertia *atrium* locus populi, quò conveniebant preces, & Sacrificia ſua peracturi. Habuit autem tabernaculum quatuor tegumenta. 1. Cortinas ſericas, quæ intrinſecus illud contegebant & picturis præſertim Cherubinis variegatæ illud ornabant. 2. Pelles ex caprarum pilis. 3. Pelles arietum rubricatas. 4. Saga cilicina ex pellibus taxorum imbrem non tranſmittentia, ut non ſolùm interiùs affabrè ornatum, ſed & exteriùs contra tempeſtatum injurias munitum eſſet. Denotatur autem Eccleſiæ protectio, ejuſdemque ſplendor, & membrorum *συνάφεια*, &c. Tres iſtæ tabernaculi partes ſingulæ invicem diſterminabantur quodam velo ex hyacintho & purpura, cocco bis tincto & byſſo retorta facta, latera ejuſdem aſſeribus cedrinis compaginata erant, quorum omnium deſcriptionem vide Exod. 26. & 27. ** Auguſt. 15. de civ. Dei cap. 20. *Quoniam lex denario numero prædicatur profectò numerus undenarius, quoniam transgreditur denarium, transgreſſionem legis, ac per hoc peccatum ſignificat. Hinc eſt, quod in tabernaculo teſtimonii quod erat in itinere populi Dei, velut templum deambulatorium, undecim vela cilicina fieri præcepta ſunt. In cilicio quippe recordando eſt peccatorum propter hædos ad ſiniſtram futuros, quia confidentes in cilicio proſternimur tanquam dicentes, quod in Pſalmo ſcriptum eſt* : Peccatum meum ante me eſt ſemper. Moſes accepit tentorium & extendit illud extra caſtra, procul à caſtris, appellavitque illud Exod. 3. v. 7. אהל מועל *tabernaculum congregationis*. Targum מִשְׁכַּן בֵּית־אוּלְפָנָא *tabernaculum domus doctrinæ*. LXX. *σκηνὴ τ͂ μαρτυρίου tabernaculum teſtimonii* & ita citat Stephanus Actor. 7. ut ſit מועד idem quod עדות *teſtimonium*, radicibus עוד & יעד quoad ſignificationem permutatis, ſicut dicitur Numer. 9. v. 14. לְאֹהֶל הָעֵדוּת *ad tentorium teſtimonii*, quod ibi eſſet arca, quæ אֲרוֹן עדות *arca teſtimonii* vocabatur ob עדות *teſtimonium*, id eſt, legem, cujus tabulæ in ea erant repoſitæ.** Per *vela* autem ſignificabatur obſcuritas ceremoniarum Vet. Teſtam. diſcrimen item Judæorum ac gentilium &c. Ad eandem ferè formam extructum etiam fuit templum Salomonis, itidem in tres partes diviſum videlicet in *ſanctum ſanctorum* ſive oraculum, in *atrium Sacerdotum* ſive interius atrium, & in *atrium populi*, quod etiam porticus & baſilica dicitur, & templi nomine in Nov. Teſtam. ſæpius intelligitur. Statuitur autem inter tabernaculum & templum hæc differentia, quòd Tabernaculum erat portatile, ſed templum in uno loco fixum. Denotat autem tum tabernaculum tum templum Chriſtum ipſum, cui placuit aſſumtâ carne inter nos *ἐσκήνωσε*, Johan. 1. v. 14. qui corpus ſuum vocat *templum*, Johan. 2. v. 19. quippe *in quo tota plenitudo Deitatis habitat corporaliter*, Coloſſ. 2. v. 9. *Quemadmodum gloria Domini tabernaculum & templum olim implebat*, Exod. 40. v. 34. 1. Regum 8. v. 10. Secundariò & minùs principaliter per tabernaculum & templum Hieroſolymitanum denotatur Eccleſia militans & triumphans, Galat. 4. v. 25. cui præſentiâ gratiæ & gloriæ Deus adeſt. Quemadmodum enim tabernaculum erat portatile, ita Eccleſiæ in hoc mundo eſt ambulatoria. Templum Salomonis erat fixum, ita quoque triumphans Eccleſia erat immutabilis. In erectione templi nec malleus nec ſecuris audiebatur: ſic per verbum & crucem in hac vita præparantur renati, tanquam vivi lapides in cœleſtem Hieroſolymam inferendi. Unum tantum erat tabernaculum, templum unum: ſic una eſt in his terris vera Eccleſia, in qua ſola grati Deo cultus præſtari poſſunt. In tabernaculo dabantur reſponſa divina, ita in Eccleſia per verbum Deus nobiſcum loquitur.

Tempora ſacra.

22. Ad tempora ſacra pertinent feſtivitates ac ſolennitates, quarum erant in populo Judaico complures, quæ in memoriam alicujus beneficii vel præteriti commemorati vel futuri præfigurati inſtitutæ erant omnes, utpote hebdomaticæ, menſtruæ & anniverſariæ, Thom. 1. 2. quæſt. 100. artic. 5. ** Quæ ſingulis menſibus feſta à Judæis celebrentur commemorat Gualtperius in notis ad cap. 7. Johan. pag. 264. & Cramerus in principio hortuli animæ. ** De Sabbatho dictum eſt in tractat. de Lege Morali. In Neomeniis gratias agebant pro beneficiis exacto menſe ſibi præſtitis. Paſchatis feſtum quotannis celebrabatur die 14. menſis primi in memoriam beneficii illius, quod Dominus per Ægyptum tranſiens & Ægyptiorum primogenita interimens Iſraelitis pepercerit, eoſdemque ex ſervitute Ægypti liberaverit, ac in typum ſpiritualis illius liberationis, quam habemus per Chriſtum ex captivitate & regno Satanæ Deuter. 16. v. 16. *vocatur ſolennitas infermentatorum*, quia toto paſchalis feſtivitatis tempore azymis veſcebantur.

Feſtũ Paſchatos.

Pẽtecoſtes.

Pentecoſtes feſtum quinquageſimo à Paſchate die celebrabant, primitias & ſacrificia Deo offerentes, in memoriam beneficii illius, quòd Deus legem ſuam populo Iſraelitico ſolenniter promulgaverit, & in typum propagationis Evangelii in totum orbem, ad quam Spiritu ſancto deſuper effuſo Apoſtoli in prima Nov. Teſtam. Pentecoſte erant inſtruendi. Deuter. 16. v. 16. vocatur *ſolennitas hebdomadum*, quia à feſto oblationis primitiarum ſeptem hebdomadæ integræ numerandæ erant uſque ad Pentecoſtes feſtum.

Propitiationis.

Feſtum propitiationis ſive expiationis die decimo menſis ſeptimi celebrandum erat, in quo jejuniis ſeſe affligebant, quâ Pædagogiâ externa ad veram peccatorum agnitionem ac ſeriam contritionem invitabantur, offerebant etiam holocauſta, quibus Deum ſibi redderent propitium; ſignificabat hoc feſtum paſſionem & mortem Filii Dei, quæ fuit gratiſſi-

Templum Salomonis

Tubarum.

tiſſimum illud ἱλαστικὸν quo Deo ſumus reconciliati. Paraſceve hujus feſti propitiationis erat feſtum Tubarum, primâ die menſis ſeptimi celebrandum; in eo audiebatur clangor tubarum, ut ad inſtantem propitiationis feſtivitatem animi Israelitarum excitarentur; præfiguratum fuit hoc feſto miniſterium Johannis Baptiſtæ, *qui viam Domino præparavit*, Lucæ 1. v. 76. & prædicatione pœnitentiæ *vocem ſuam quaſi tubam exaltavit*, Eſaiæ 58. v. 1. Quemadmodum autem feſtum tubarum paraſceve fuit ad feſtum propitiationis, ita immediatè ei annexum fuit feſtum Tabernaculorum ſive ſcenopegiorum decimoquinto die menſis ſeptimi celebrandum, quo in tabernaculis ex virentibus frondibus extructis habitabant in memoriam beneficii illius, quòd Deus Iſraëlitas ex Ægypto per deſertum ductos habitare fecerit in amœniſſima ac fertiliſſima terra Canaan, & in typum beatiſſimæ ac æterniſſimæ illius habitationis, quam in æternis tabernaculis pii expectant. Feſtum Collectæ, quod quidam enumeratis ſolennitatibus accenſent, erat pars feſti tabernaculorum, octavo ejus die celebrandum, primus enim & octavus dies in ſolennioribus illis feſtis erant celebriores intermediis. Vide cap. 23. Exod. & Levitici, in quibus feſtivitates illæ populi Judaici enumerantur. Tria igitur ſolenniora erant Iſraëlitarum feſta, videlicet Paſchatos, Pentecoſtes & Tabernaculorum, quibus omnes maſculi ex Dei præcepto Hieroſolymam peregrinabantur, ſua ſecum donaria ad miniſterii conſervationem offerentes, Exod. 23. v. 14. Deuter. 6. v. 16. Cauſæ hujus divinæ conſtitutionis erant, 1. ut divinorum beneficiorum memoria annuis iſtis peregrinationibus refricaretur. 2. ut populi conjunctio in cultu & religione conſervaretur. 3. ut ex mutuo illo conventu & alloquio charitas inter tribus Iſraëliticas magis coaleſceret. 4. ut oblationibus illis donorum & ſacrificiorum miniſterium conſervaretur. 5. ut ſuam erga Deum fidem & obœdientiam exercerent. Cogebantur enim Iſraëlitæ omnia ſua domi vacua & incuſtodita relinquere Exod. 34. v. 24. Hûc referendi ſunt primò Anni Sabbatharii ſeptimo quoque anno celebrati, de quibus Exod. 23. v. 11. Levit. 25. v. 3. ſex annis colebunt agros & vineas, ac colligebant fructus ejus, ſeptimo autem anno Sabbathum quietis erat, quo à cultura agrorum & vinearum in honorem Dei & proximi commodum quieſcebatur, quæcunque enim ſponte proveniebant, omnibus communia erant. Cauſæ hujus inſtituti fuere potiſſimum tres, 1. Typica, ſiquidem hæc quies terræ figura erat æternæ illius & beatiſſimæ quietis, quâ ab omni manuum labore liberati ac liberi Sabbathum ex Sabbatho celebrabimus, in qua peccatorum noſtrorum Deus non recordabitur amplius, ſicut in anno Sabbathario non licebat debita à creditoribus exigere, Deuter. 55. v. 2. in qua ad plenam ac perfectam liberationem demum aſpirabimus, ſicut ſervi Hebræi in anno Sabbathario manumittebantur, verſ. 12. 2. moralis, debuit enim hæc externa Pædagogia ipſis eſſe exercitium fiduciæ & obœdientiæ erga Deum, qui promiſerat ſe benedicturum ſexti anni frugibus, ut agri & vineæ eo anno trium annorum fruges ferant, uti etiam caritatis erga proximum. 3. Oeconomica. Ut enim ſequentium annorum ſeges fertilior eſſet, quies aliqua terræ concedenda erat.

Taberna-culorum.

Collecta.

Cauſa finales profectionis annuæ ad urbē Hieroſolymā.

Anni Sabbatharii.

Anni Jubilæi.

Secundò anni Jubilæi ſive buccinæ, Jobel enim buccinam ſignificat, item anni libertatis, qui exactis ſepties ſeptem annis, hoc eſt, quinquageſimo quoque anno celebrabantur hiſce ritibus. Decimâ die menſis ſeptimi tubâ clangebatur, ut admonerentur Iſraëlitæ annum Jubilæum adeſſe; remittebantur in hoc anno omnia debita, cuilibet contingebat hereditatis paternæ reſtitutio, ſervis manumiſſio. Talem Jubilæum in toto terrarum orbe ſalutari ſuo adventu & prædicatione Evangelii Mediator noſter Chriſtus inchoavit, ſiquidem *miſſus eſt, ut prædicaret captivis libertatem & vinctis apertionem carceris*, Eſaiæ 61. v. 2. *ut prædicaret annum beneplaciti Jehovæ*, verſ. 3. quisquis igitur Evangelium de Chriſto verâ fide amplectitur, illi contingit ſpiritualium debitorum remiſſio, ex ſervitute peccati & Satanæ liberatio, ac cœleſtis hereditatis reſtitutio. Hunc ſpiritualem Jubilæum adeſſe Johannes Baptiſta tubâ prædicationis ſuæ in exordio Nov. Teſtam. ſatis ſuperque teſtatum fecit. Sunt, qui collationem inſtituant inter vitam Chriſti in his terris & tempora corporis ejus myſtici, id eſt, Eccleſiæ in his terris militantis, hac quidem ratione, ut quot annos Chriſtus in diebus carnis ſuæ in hoc mundo exegit, totidem Jubilæos Eccleſiæ Chriſti in his terris militanti admetiantur, quâ de re videatur Nicolaus Cuſanus, Andreas Oſiander, Crentzheimius, Philippus Nicolai, aliique complures.

Privatæ quædam obſervantiæ.

Diſcrimen animaliū mundorū ac immūdorum.

23. Reſtant in Ceremonialium legum claſſe privatæ obſervantiæ in cibo, potu & reliquis privatæ converſationis partibus divinitùs in Vet. Teſtamento præſcriptæ. Pertinet igitur ad hanc claſſem 1. diſcrimen animalium mundorum ac immundorum Levit. 11. traditum & Deuter. 14. repetitum. (** Etiam ante Moſen diſcrimen animalium mundorum & immundorum in Eccleſia notum fuiſſe colligitur ex Geneſ. 7. v. 2. Ceterum *duplex* eſt *mundicies* animalium, *alia reſpectu ſacrificii*, de quibus agitur Levit. 1. 3. 4. 5. *alia reſpectu ciborum*, de quibus agitur Levit. 1. Quædam enim animalia licebat comedere & offerre Domino ut boves; oves, hircos. Quorundam uſus in cibo fuit conceſſus, ſed non in ſacrificiis, ut cervi, hinnuli. Nonnulla reſpectu utriusque pro immundis ſunt reputata, ut ſus, equus, aſinus, canis. **) Generales regulæ erant. 1. Quæcunque animalia ruminant, vel bifidas ungulas non habent, prohibita eſſe, hoc eſt, ipſorum eſu Iſraëlitis interdictum. 2. Quæcunq; piſcium genera pinnulas & ſquamas habebant, munda erant: immunda contra alterutro horum carentia. 3. Aves quadrupedes immundæ habebantur, nimirum ſi pedes ita juncti erant corpori, ut ſaltare non poſſent, ſed ſerpere tantùm cogerentur. Item genera vulturum & corvorum ac in univerſum avium rapacium & infauſtarum, immunda erant. 4. Reptilia pleraque omnia prohibita erant. Hæ regulæ adductis variis animalium ſpeciebus declarantur & ſuis exceptionibus limitantur Levit cap. 11. & Deuter. cap. 14. In explicatione nominum, quibus animalia prohibita in ſpecie appellantur, ne ipſi quidem Rabini inter ſe conſentiunt, quâ de re videatur

Münſterus in cap. 11. Levit. Ratio harum prohibitionum fuit potiſſimùm triplex: 1. Typica, ſignificabatur enim coram DEO genus humanum per peccatum adeò corruptum & contaminatum eſſe, ut multis DEI creaturis ſuo genere bonis uti non poſſit. Item renatos veræ ac ſpiritualis munditiei ſtudioſos eſſe debere. D. Lutherus talem contexit allegoriam, quòd ungulæ bifidæ denotent Spiritum prudentiæ & diſcretionis in dijudicandis rebus ſpiritualibus neceſſarium, ruminatio autem ſtudium ac diligentem repetitionem verbi cœleſtis. Iræneus lib. 5. adverſ. hæreſ. cap. 11. *Qui abjiciunt Spiritus conſilium, carnis autem voluptatibus ſerviunt & irrationabiliter vivunt, Hos Apoſtolus vocat carnales, &c. Prædixit figuraliter hæc omnia lex de animalibus delineans hominem, quæcunque duplicem ungulam habent & ruminant, mundum nuncians, quæcunque autem aut utrumque vel alterum horum non habent, velut immunda ſegregans. Qui ſunt ergò mundi? qui in Patrem & Filium per fidem firmiter ſiciunt, hæc eſt infirmitas eorum, quæ duplici ſunt ungula & eloquia Dei meditantur die ac nocte, uti quibus bonis adornentur, hæc eſt enim ruminantium virtus. Immunda quæ neque duplicem ungulam habent nec ruminant, refert ad Ethnicos, qui nec in Deum fidem habent, nec eloquia ejus meditantur. Quæ ruminant quidem, non habent ungulam duplicem ad Judæos, qui eloquia Dei in ore habent, ſed ſtabilitatem radicis ſuæ non infigunt in Patre & Filio. Quæ duplicem ungulam habent, non autem ruminant ad hæreticos & hypocritas, qui dicunt ſe credere in Patrem & Filium, ſed eloquia Dei non meditantur nec operibus juſtitiæ ſunt adornati.* Lactant. lib. 4. divin. Inſtit. cap. 17. *A carne ſuilla Deus Judæos abſtinere juſſit, id potiſſimùm intelligens, ut ſe à peccatis atque immunditiis abſtinerent, Eſt enim lutulentum hoc animal ac immundum, nec unquam cœlum aſpicit, ſed in terra toto & corpore & ore projectum ventri ſemper & pabulo ſervit. nec ullum alium, dum vivit, præſtare uſum poteſt, ſicut cætera animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuviis ſuis exhibent, vel copiâ lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus invigilant. Interdixit ergò ne porcina carne uterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur, ne ventri ac voluptatibus ſervientes ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe ingurgitat cœno, vel ne terrenis ſerviant ſimulachris, ac ſe luto inquinent, luto enim ſe oblinunt, qui Deos, id eſt, qui lutum terramque venerantur, ſic univerſa præcepta Judaicæ legis ad exhibendam juſtitiam ſpectant, quoniam per ambagem data ſunt, ut per carnalium figuram ſpiritualia naſcerentur.* Hactenus Lactantius. Sic rapacium animalium prohibitio debuit eſſe dehortatio à rapinis & injuſtitia. Ita Euſebius lib. 8. de præparatione Evang. cap. 3. *Moſes ſub hoc de eſculentis ænigmate populum Iſraeliticum duræ cervicis & effrenem ea docere voluit, quæ ad juſtitiam & pietatem pertinerent. Nam animalia & volucres raptu & morticinio viventes, non alio nomine edere vetuit, quàm quòd hujus legis ſymbolo eos à ſpoliis & cæde deterreret. Suillâ verò carne veſci prohibuit, quo Judæos admonuit, cùm ſus ſit amica luto & locis uliginoſis in quibus ſe volutat & oblectat, ut ea, quæ externè corpus, intus verò animam coinquinarent, ſedulò caverent, & ſobriè non ut ſues in crapula & ſagina viverent.* 2. Legalis voluit enim Deus hac conſtitutione populum Judaicum à gentibus diſcernere uſque ad Nov. Teſtam. tempora in quo ſublatum eſt illud ciborū diſcrimen, ita ut *mundis omnia munda ſint* Tit. cap. 1. v. 15. adeoque illi, qui jubent à quibuſdam cibis abſtinere, diſcrimine eorum poſtliminiò in Eccleſiam introducto, Dæmoniorum doctrinam ſpargere dicantur 1. Tim. 4. v. 1. quod enim Apoſtoli in Synodo Hieroſolymitana à ſuffocato & ſanguine abſtinere jubent Actor. 15. v. 20. illud χρονικὸν erat, certis quibusdam de cauſis ſæpiùs expoſitis ad tempus ſaltem conſtitutum. Juſtin. in Dial. cum Tryphone pag. 183. *A cibis quibuſdam ut abſtineretis, Deus vobis mandavit, ut etiam inter edendum ac bibendum ob oculos vobis verſaretur. Deus promtis admodum & proclivibus ad deficiendum à notione ejus.* in qq. & reſp. ad Orthod. quæſt 35. *Deus ſicuti rebus aliis omnibus, ita etiam cibis ſumendis Judæos ſub jugo ſervitutis Legis eſſe voluit.* Ibidem: *In Ægypto omnia animalia (ſue exceptâ) divinitate erant donata, quare animantium alias mundas, alias appellavit immundas, & mundas illis, ut in ſacrificiis mactarent, permiſit; immundis autem ut ne in cibis uterentur, edixit, utroque modo illa indigna eſſe oſtendens appellatione & honore Dei & per mactationem in ſacris & per uſum in cibis, atque item per id quod impura vocentur.* 3. Phyſica, ſiquidem plerorumque iſtorum animalium prohibitorum eſus valetudini parùm congruus eſt, præſertim in regionibus illis calidioribus, quas Iſraelitæ inhabitabant; proinde hiſce conſtitutionibus demonſtravit Deus, ſe eſſe Medicum populi ſui. Exod. 15. verſ. ult. qui non ſolùm animas, ſed & corpora ipſorum ſibi curæ eſſe patiatur. Langius lib. 1. Epiſt. 42. ex Juſtino aſſerit, *ob Elephantiaſin olim peculiare Ægypti malum Judæos ſuilla carnis eſu ſibi temperare juſſos.* Idem tamen Epiſt. 61. negat ſuillæ eſum ut inſalubrem à Moſe prohibitū fuiſſe, cùm omnium eſculentorum validiſſimè nutriat, ſi modò concocta fuerit, propter magnam quam cum hominis carne obtinet, affinitatem. Rabini ſtatuunt, ſingulas animalium, piſcium & avium ſpecies prohibitas Moſi in monte oſtenſas eſſe, cùm ſcriptura dicat: Hoc animal comeditis &c. cauſam hujus delectus eſſe dicunt, *quod animalia immunda ab homine eſitata generent putrefactionem & varias ægritudines, remorentur hominem in ſervitio DEI, utpote quæ ad opus bonum pigrum ac tædioſum efficiunt, vim digeſtivam debilitant, & totum corpus in dyſcraſiam quandam diſſolvunt, ut anima nihil præclari agere valeat, haud ſecùs quàm ſi lucernam ſplendidam ponas in deformi lampade.*

24. Secundo loco hûc referenda immundities vel impuritas Levitica, quæ variis modis contrahi poterat, utpote ex contactu puerperæ, leproſi, patientis fluxū, animalis immundi, morticinii, &c. cui oppoſitæ erant variæ lotiones, ac mundationes per ſacrificia alioſvé ritus perficiendæ. Ubi obſervandum immundities illas per ſe & ſuâ naturâ non fuiſſe peccata coram DEO, nec quenquam in conſcientia ſua fuiſſe illis abſolutè & ſimpliciter pollutum, ſed *Immunditiesb Levitica.*

fuiſſe

fuiſſe Leviticas immundities, h. e. fuerunt peccata ſecundùm quid, ratione ſc. transgreſſionis legis Ceremonialis. Etenim quia non moralem tantùm legem Deus in monte Sinai populo Iſraëlitico promulgavit, ſed & Ceremoniales iſtas leges eidem præſcripſit, quas non minus quàm illam obſervari voluit, ideò ratione hujus νομοθεσίας tali quodam contactu in lege prohibito immundities contrahebatur. Sacrificia & reliqui ritus mundationi iſtarum immunditierum oppoſiti ſanctificabant inquinatos *ad emundationem carnis* Hebr. 9. v. 13. atque itidem non habebant ex ſeſe, vel ex opere operato, vel ex dignitate perſonæ hanc vim, ut peccata coram Deo expiarent, ſiquidem hypocriticam illam perſuaſionem Prophetæ ſæpiuſculè improbant, Pſ. 50. v. 9. *Non accipiam è domo tua juvencum, nec de ſeptis tuis hircos*: v. 10. *quoniam mea eſt omnis beſtia ſylvæ*: v. 13. *nunquid comedam carnem taurorum, & ſanguinem hircorum bibam?* Eſa. 1. v. 11. *Ad quid mihi multitudo victimarum veſtrarum dicit Iehovah? ſatur ſum, holocauſtum arietum & adipem bubulum, & ſanguinem vitulorum & agnorum nolui*. v. 13. *ne addatis offerre ſacrificium mendax, ſuffimentum abominatio eſt mihi*. Jer. 6. v. 2. *Holocauſtomata veſtra mihi non placent, nec ſacrificia veſtra dulcia ſunt mihi*. Oſeæ 6. verſ. 6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium*. Amos 5. v. 22. *Si obtuleritis mihi holocauſta & munera veſtra, non acceptabo; nec pacifica pinguium veſtrorum reſpiciam*. Mich. 6. v. 6. *Num placabo Deum holocauſtis & vitulis anniculis?* v. 7. *nunquid valent Iehovah millia arietum, aut decem millia torrentium olei?* quinimò Epiſtola ad Hebræos cap. 10. v. 4. diſertè dicit, *impoſſibile fuiſſe ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, ſed ſacrificiis aliiſvé ritibus vis illa mundandi ac purgandi tribuitur τυπικῶς, quatenus præfigurabant unicũ illud propitiatoriũ ſacrificiũ in ara crucis à Chriſto N. T. Sacerdote cœleſti Patri oblatum, quo perfecti ſunt omnes, qui ſanctificãtur. Heb. 8. v. 4. *Sacerdotes V. T. deſerviũt exemplari & umbræ rerũ cœleſtiũ*. Heb. c. 10. v. 1. *Lex umbrã tantum habuit futurorũ bonorũ, non ipſam rerũ imaginem per ſingulos annos eiſdẽ ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, nunquã poteſt accedentes perfectos facere*, v. 2. *alioquin ceſſaſſent offerri*. Proinde ut im̃undities ipſæ erant Leviticæ, interiorem peccati im̃unditiem arguentes, ita mundationũ ritus illis oppoſiti itidem erãt typici, unicã illam peccati emundationem, quę per Chriſti ſanguinẽ nobis contingit, adumbrantes. Lev. 12. Puerpera jubetur haberi im̃unda, ut de propagatione peccati originalis per carnalem generationẽ admoneamur. Duplum tempus im̃unditiei editâ in lucem ſemellâ obſervandũ admonebat peccatum per fœminã in mundũ introductũ. Ad mũdationem puerperæ offerebatur agnus in holocauſtũ, & pullus columbæ ſive turtur in ſacrificiũ, ut ſignificetur Chriſtũ agnũ illũ Dei, Joh. 1. v. 29. in ara crucis oblatũ eſſe ad im̃unditiem peccati originalis abluendã, cujus beneficii fruct⁹ in nos redundat per veram pœnitentiã, in qua gemim⁹ inſtar turturis Eſa. 38. v. 14. & verâ fide in foraminia petræ, i. e. Chriſti vulnera inſtar columbę nos abſcondimus Cant. 2. v. 14. Levit. c. 13. Leproſus jubetur haberi im̃undus, ut de peccati lepra admoneamur, quæ verè coram DEO nos im̃undos reddit. cap. 14. expiationis ſive mundationis ritus deſcribuntur, afferendæ erant duæ aves mundę, quarũ una mactabatur ſuper vaſe fictili, in quo erat aqua pura ſanguinem deſtillantem excipiens; ex altera adhuc viva una cum ligno cedrino, filo coccineo & hyſſopo fiebat aſperſorium, quo in ſanguinem avis mactatæ tincto aſpergebatur ſepties leproſus, hæc omnia transferri poſſunt ad noſtrã corã Deo expiationem. Chriſti n. ſanguine per miniſteriũ verbi aſpergimur, ut à peccati lepra mundemur Pſ. 51. v. 9. *Aſperges me hyſſopo & mundabor*; hyſſopus herba eſt humilis & abjecta; tale quoq; eſt miniſteriũ verbi corã oculis hominũ; avis mactata notat Chriſtũ ſecundùm humanam naturã mortuũ, cujus ſanguis à peccatis nos mundat; avis viva denotat eundem Chriſtum ex mortuis reſuſcitatũ, qui beneficia mortis ſuę per miniſterimu verbi & Sacramentorum tanquam ſalutare aſperſorium applicat. Lepra domus itidem denotat peccati corruptionem in nos traductam, cùm tamen primus generis noſtri parens fuerit ſanctum & mundum Dei habitaculũ: ** Ad ſanationem leproſi requirebatur. 1. *Ad Sacerdotem acceſſio*. Sic requiritur ut ad Chriſtum Medicum & Sacerdotem noſtrum accedamus. Leproſus adducebatur ab aliis הוּבָא in Hophal: ſic ad Chriſtum propriis viribus non poſſumus accedere. Sacerdos è caſtris exibat. Orig. homil. 8. in Levit. *Semper ad illum, qui non poteſt introire in caſtra, exit ille, qui poteſt exire extra caſtra, qui dicit ego exivi à Deo & veni in hũc mundum*. Sacerdos conſiderabat, an lepra eſſet ſanata, Chriſtus non ſolum conſiderat, ſed & ipſe nos ſanat. 2. *Leproſi mundatio*, quæ eſt typus juſtificationis. Ad illam requirebantur ſex. 1. ſanguis avis mundæ, duæ enim aves mactabantur, altera in ejus ſanguinem tincta dimittebatur libera. Quidam per avem mactandam intelligunt carnem mortificandam Gal. 5. per liberã Spiritum pennis orationis & devotionis in cœlum evolantem, ſed ſanctificatio ad quam pertinet mortificatio ſequitur juſtificationem. Origenes putat idem innui quod duobus hircis, ut ſenſus ſit, animam noſtram in ſanguine Chriſti tinctam dimitti liberam Pſal. 124. Theodoret. q. 19. in Levit. *Dominus Chriſtus pro humanitate lepra inquinata crucifixus eſt, carne quidem perferente mortem, divinitate autem humanitatis paſſionem ſibi accommodante*. Act. 20. ſanguis DEI. 2. Cedrus, quę eſt imputreſcibilis nec à vermibus eroditur quidam eò accommodant, quod juſtificatis non noceat vermis conſcientiæ. Origenes intelligit lignũ crucis. Theodoretus divinitatem. Poteſt intelligi Chriſtus qui ſe viridi ligno comparat Luc. 23. v. 3. Coccus. Orig. intelligit Chriſti ſanguinem, Theodoretus humanitatem, quę inſtar fili contorti anima & corpore conſtat. Intelligi poteſt pœnitentia & agnitio peccatorũ quæ ſunt inſtar coccini Eſa. 1. Color coccineus elui nequit, ſic peccata noſtra non niſi Chriſti ſanguine & fide quæ colore rubro ſanguinis Chriſti tincta, nos cũ Chriſto cõjungit. 4. Hyſſopus eſt herba humilis, calida, odorata & habet vim expellẽdi malos humores. Intelligitur miniſteriũ ꝙ eſt corã oculis hominũ humile, ſed efficax per SS. ſuavẽ prębẽs cõſcientiis odorẽ 2 Cor. 2. expellit ſordes peccatorũ abſolutione. 5. Vas teſtaceum. Quò referunt illud 2. Cor. 4. Poteſt accom̃odari ad media terrena, concionis, baptiſterii, altaris &c. in quib⁹ Chriſti ſanguine aſpergimur. Referre poteſt ad exinanitionem Chriſti,

in qua noſtram fragilitatem ſuſcepit. 6. Aqua profluens: hæc notat Baptiſmum Eph. 5. huic mixtus ſanguis Chriſti efficit fluentum purpurans. Chriſtus cedrus Miniſterio hyſſopi cocco fidei junctus in Baptiſmi aqua nos ſanguine ſuo abluit. Aſperſio fit ſepties, ſic Chriſtus ſepties fudit ſanguinem poteſt etiam numerus ſeptenarius referri ad perfectionem. Item ad iterationem per totam vitam. 3. *Mundatis purgatio* per quam denotatur renovatio, ibi eſt, 1. Veſtimentorum & corporis lotio, denotantur lachrymæ pœnitentes ob interna & externa peccata profuſæ. 2. Pilorum evulſio, denotatur veteris Adami mortificatio. 3. In caſtra intromiſſio. Sic per Baptiſmum purgati intromittimur in Eccleſiam. 4. *Purgationis perfectio*, ad quam pertinet. 1. Dici ſeptimæ expectatio denotatur dies noviſſimus, Jubilæus, quietis dies. 2. repetita purgatio. Sic per areſactionem mundabimur ab omni peccati labe. 5. *Purgati in tabernaculum intromiſſio.* Sic à peccatis mundi in æterna tabernacula &c.** Lev. 15. Fluxum patiens & menſtruata pro immundis haberi jubentur, quo ipſo etiã interna im̃unditie s denotabatur, per quam & propter quam ipſa etiam opera noſtra bona contaminantur. Eſa. 64. v. 6. *Omnes noſtræ juſtitiæ tanquam pannus mulieris menſtruatæ*, placent autem opera renatorum Deo per Chriſtum, qui eſt noſtra ſanctificatio. Qui tangebat corpus hominis mortui, immundus habebatur, Num. 19. v. 13. ut ſignificaretur, eos qui in peccatis contra conſcientiam vivunt, & ſpiritualiter curã Deo mortui ſunt, Deo abominabiles eſſe, ac proinde conſortio eorum etiam alios pollui. Per vaccam ruffam immaculatam igni combuſtam, ex cujus cineribus parabatur aqua luſtralis. Num. 19. v. 1. & ſeqq. Denotatur Chriſtus Agnus ille Dei immaculatus, qui in ara crucis caritatis igne conſumtus eſt, cujus ſanguis credentes ab omni peccato emundat.

25. Deniq; hûc referendæ ordinationes in cibo, veſtitu & operis œconomicis obſervandæ. Sic 1. Lev. 17. v. 10. & alibi paſſim ſeverè prohibetur eſus ſanguinis cujuscunq; animalis, v. 11. additur ratio, *quia anima carnis eſt in ſanguine, & quia datus ſuper altare ad expiandum animas.* ** Ut reverentia haberetur non ſolum vitæ autori, cui ſanguis offerendus: ſed & honor tribueretur aliquis ſanguini Mediatoris, quo noſtra perficienda erat expiatio.** Iſraëlitæ erant populus duræ cervicis & ad crudelitatem pronus, proinde eſu ſanguinis interdicebatur, ne ſanguine animalium veſcendo humani ſanguinis effundendi redderentur cupidi: quò pertinet, quòd dicitur *anima carnis*, id eſt, vita animantis *eſſe in ſanguine*, nimirum quia ſanguis eſt proximum animæ inſtrumentũ, *amicus naturæ ſilius*, ut Avicenna loquitur. Juſtin. in qq. & reſp. ad Orthod. q. 145. *Si per quæ caro, per eadem & ſanguis conſiſtit, quare Deus carnis animantium eſum permiſit, carnis autem in ſanguine uſum interdixit? ut eã quoq; re Deus nos a ferarum immanitate & ſimilitudine ſecerneret, quæ in laniatu carnium ſanguinem quoq; eorum lambunt, quorum vorant carnes.* Præterea ſanguis mundorum animalium offerebatur in ſacrificiis ſuper altare, proinde in honorem ſacrificiorum ab eſu ſanguinis Iſraëlitas ſibi temperare Deus voluit. Moraliter hac lege prohibita intelligitur omnis crudelitas, & omnis ejuſdem ſignificatio, typicè verò ſanguinis Chriſti profanatio Heb. 10. v. 29. 2. Lev. 17. v. 15. eſus morticini ac laniati prohibetur, ut ab operibus mortuis abſtinendũ eſſe ſignificetur, ſubeſt etiã ratio Medica, quòd talis cibus valetudini parùm congruat. 3. Deut. 22. v. 6 prohibetur in aucupio mater cum pullis nido eximi ad vitandã crudelitatis ſpeciem, ad conſervandam avium propagationem, ad deteſtationem maleficorum, qui matre & pullis ſimul captis abutebantur, ad ſignificandam ſolius Chriſti in horto captivationem diſcipulis liberè fugientibus, &c. 4. Lev. 19. v. 19 Deut. 22. v. 9. prohibetur vinea diverſis ſeminũ ſpeciebus conſeri, itemq; veſtis diverſarum ſpecierum ex lana & lino fieri, aut bove & aſino ſimul arari, ut Samaritaniſmus & omnis in diverſis religionibus Syncretiſmus Deo diſplicere ſignificetur.** Calvin. comm. in pentat. edit. Anno 95. p. 176. ſic accommodat, *ne ſemina diverſarum religionum in agro Dei qui eſt Eccleſia miſceantur.* Conrad. Pelican. in comm. *Agrum nẽ mixtim ſerendũ allegoricum videtur eſſe contra hypocriſin in verbis & factis & iniquitatem quamcunq;, ſicut & de veſte mixtim contexta ex lana & lino Doctrinam falſam vera non miſcendam vitam ſecularem religioſo habitu non vendicandam.* f. 146.** 5. Num. 15. v. 38. Deut. 22. v. 9. jubentur ſibi fimbrias facere ex filis hyacinthini coloris, eaſdemq; quatuor angulis veſtium appendere, ut admonerentur præceptorum Dei, Deut. 6. v. 6. *Erunt verba hæc, quæ præcipio tibi hodie in corde tuo, v. 7. & repetes ea filiis tuis & loqueris de eis, quando ſedebis in domo tua, & quando ambulabis per viam, & quando jacebis in lecto, & quando ſurges, v. 8. Scribas quoq; illa in poſtibus domus tuæ, & in portis tuis.* Weidnerus converſus Judæus in locis præcipuis fid. Chriſt. tract. 1. p. 141. *Fimbriæ illæ quatuor erant filorum ſed duplicatorũ, in ſuperiori quidem ſui parte tres nodos habentes, in inferiori v. duos. Per quatuor fila quatuor anni tempora deſignantur, per filorum verò duplicitatem dies & nox, ut quatuor anni temporibus, imo toto anno nocte quoq; & die mandatorũ Dei memores eſſent. Nam per tres nodos ſuperiores Trinitas perſonarũ, per duos v. inferiores duo deſignantur Teſtamenta, Lex ſc. Moſis & Evangelium.* Hæc Weidnerus. 6. Exod. 23. v. 19. c. 34. v. 26. Deut. 14. v. 21. *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*, ratio præcepti 1. Moralis, foret ſignũ crudelitatis, hædulum vixdum in lucem editũ à matre abripere. Thom. 1. 2. q. 102. art. 6. *Qui exercetur in affectu miſericordiæ erga animalia, magis diſponitur ex hoc ad miſericordiæ affectum erga homines.* 2. Phyſica, talis cibꝰ corpori humano minùs eſt ſalubris. 3. Allegorica. Chriſtus non eſt in prima infantia ab Herode interfectus, ſed in ætate virili, fidem infirmam non abjicit Deus gravioribus tentationibus & nobis igitur convenit, *infirmum in fide ſuſcipere*, Rom. 14. v. 1. ita Cajetanus h. l. 7. Lev. 19. v. 23. præputia arborum recens plantatarũ, id eſt, trium annorum fructus abjiciendi erant, ut prima noſtra nativitas ſecundum carnem peccato corã Deo contaminata ſignificaretur. Gregorius. *Ligna pomifera ſunt opera virtutibus fœcunda, præputia auferimus, cùm de inchoationis infirmitate ſuſpecti primordia operum noſtrorum nõ approbamus.* Lyranus duas tradit hujus præcepti cauſas: 1. *Quia arbores ſunt minùs utiles, quandò nimis citò faciunt fructum. 2. Quia idololatræ tales*

fructus

Eſu ſanguinis.

fructus reputabant Diis gratos & eos idolis offerebant. 8. Lev. 19. v. 27. prohibentur Iſraëlitæ *comam capitis in circuitum tondere & barbæ extremitatem diſſipare.* v. 28. *inciſionem pro mortuo in carne facere, &c.* admonebantur hac lege 1. ne ſeſe conformes redderent idololatris, qui in honorem fictitiorum Deorum talia faciebant. Baruch. 6. 1. Reg. 18. v. 2. ne in cultu corporis mollitiem ac levitatem ſectarentur, neve amicorum mortem immoderatiùs lugerent. Atq; hæ erant potiores conſtitutiones in cibo, veſtitu & œconomicis operis obſervandę, quas ad leges forenſes potius quam Ceremoniales pertinere non nemini videtur.

26. Ex his facili negotio colliguntur fines legum ceremonialium. Primus ac præcipuus finis erat ſignificatio & adumbratio beneficiorum Chriſti, Col. 2. v. 16. Hebr. 8. v. 4. c. 10. v. 1. quò pertinet divinum reſponſum Moyſi datū Exod. 25. v. 40. *vide ut facias juxta ſimilitudinem & exemplar tibi in monte oſtenſū*, Epiſtola ad Hebręos vertit παραβολὴν c. 10. v. 1. ** Auguſt. 18. de Civ. Dei cap. 11. *Moſes Chriſtum prophetavit per figuras obſervationum carnalium in tabernaculo & Sacerdotio & ſacrificiis aliisq́; myſticis plurimisq́; mandatis.* ** Juſtin. in Dial. cū Trypbon. p. 177. *Perpetuum vos ſervare Sabbathum vult lex nova.* p. 178. *h. e. ſymbolū ſignumq́; panis azymi & ſinceri, ut ne veteris malitioſi fermenti peragatis opera &c.* p. 202. *etiam alia omnia à Moſe ordinata enumerans oſtendere poſſem, figuras & notas & denunciationes eorum eſſe, quæ Chriſto eventura erant, & quæ Chriſtus ipſe erat facturus.* Hieron. ad Paulin. *In promtu eſt Leviticus liber, in quo ſingula ſacrificia imò ſingulæ penè ſyllabæ & veſtes Aaron, & totus ordo Leviticus cæleſtia ſpirant Sacramenta*, Auguſt. 7. de Civ. Dei c. 32. *Per ſacra, ſacerdotia, tabernaculū ſive templum, altaria, ſacrificia, ceremonias, dies feſtos &c. ea ſignificata & pronunciata ſunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Chriſto & impleta credimus & impleri cernimus & implenda.* ** Idem L. 10. de civit. Dei c. 4. *Quæcunq; in miniſterio tabernaculi ſive templi multis modis de Sacrificiis legūtur divinitus eſſe præcepta, ad dilectionem Dei & proximi ſignificandam referuntur.* ** Nec ſolùm adumbrabantur in Leviticis illis Ceremoniis Chriſti beneficia, ſed & credentibus per Sacramentorum & ſacrificiorū uſum applicabantur. Sic quando animalia ad ſacrificiorū uſum mactabantur, figura proponebatur mortis Chriſti, qui eſt unica illa Deo grata victima, quem in typis Sacrificiorum depictum Iſraëlitæ verâ fide intuebantur & peccatorum remiſſionem coram Deo impetrabant. Minùs principales & ſecundarii legum ceremonialium fines conſtitui poſſunt multiplices pro diverſitate ac varietate iſtorum rituum. 1. erant nervi publicorum congreſſuum & vincula conſociantia hunc populum, cùm pleræque illæ Leviticæ Ceremoniæ in publico divini cultus exercitio adminiſtratæ fuerint. 2. erant notæ profeſſionis, ſigna & diſtinctiones politiæ Moſaicæ ab omnibus aliis gentibus, ſiquidem his Ceremoniis velut ſepto ac maceriâ diſtincti fuerunt Iſraelitæ ab idololatricis aliorum populorum cultibus Deut. 4. v. 8. Epheſ. 2. verſ. 14. 3. erant commonefactiones de peccato, Hebr. 10. v. 3. quòd in variis illis immunditiei Leviticæ ſpeciebus & variis animalibus in uſum ſacrificiorum mactatis manifeſtè patet. 4. erant exercitia obœdientiæ erga Deum, ſiquidem obſervatione horum rituum divinitùs præſcriptâ teſtabantur Iſraelitæ, ſe agnoſcere & colere verum Deum, qui per Moſen unà cum promiſſione de venturo Meſſia leges illas promulgaverat. 5. erant externa Pædagogia, quâ coërcebantur, ne imitarentur gentilium idololatriam. Deut. 12. v. 30. ideò Juſtin. in Tryphone p. 227. dicit hæc injuncta eſſe Judæis διὰ τὸ σκληροκάρδιον αὐτῶν καὶ τὸ εὐχερὲς πρὸς εἰδωλολατρείαν *propter duritiem cordis ipſorum ac proclivitatem ad idololatriam.* Iren. lib. 4. cap. 28. *Deus nullius horum indigus erat, eſt enim ſemper plenus omnibꝰ bonis, omnemq́; odorem ſuavitatis & omnes ſuaveolentium vaporationes habens in ſe etiam antequam Moſes eſſet: facilem autem ad idola reverti populum erudiebat per multas advocationes &c. per ea quæ erant ſecunda ad prima advocans; hoc eſt, per typica ad vera, & per temporalia ad æterna, & per carnalia ad ſpiritualia, & per terrena ad cæleſtia.* Tertull. lib. 2. adverſ. Marcion. cap. 18. *Sacrificiorum onera & operationum & oblationū negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia ſibi propriè deſideraverit &c. ſed illam Dei induſtriā ſentiat, quâ populum pronum in idololatriam & transgreſſionem ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit aſtringere, quibus ſuperſtitio ſeculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, ſibi jubens fieri q. deſiderante ne ſimulachris faciendis delinqueret.* 6. Erant adminicula conſervandi Miniſterü, per quorundam enim ſacrificiorum carnes uti & decimas primogenitorum redemtiones ac primitiarum oblationes proſpiciebatur Levitis & familiis ipſorum de neceſſaria ſuſtentatione.

Fines legū Ceremonialium.

27. Neque verò Ceremoniales illas conſtitutiones voluit Deus eſſe perpetui temporis, ſed uſque ad N. T. ſtatum durare, in quo eas abrogatas eſſe ex ſequentibus fundamentis conſtat. 1. Pſal. 110. v. 4. promittitur *Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech*, ex quo Epiſtola ad Hebræos c. 7. v. 11. ita colligit, *ſi conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat, quid adhûc neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem & non ſecundùm ordinem Aaron dici?* v. 12. *tranſlato enim Sacerdotio neceſſe eſt ut legis tranſlatio fiat.* Si in N. T. cujus ſummus Sacerdos Chriſtus eſt, Ceremoniæ Leviticæ adhuc obſervari deberent, utique Chriſtus eſſet non minùs Sacerdos ſecundum ordinem Aaronis quàm V. T. Pontifices. Conſequens repugnat vaticinio Pſalmi. Ergo & antecedens falſum eſt. 2. Dan. 9. v. 27. *Meſſias confirmabit pactum* (puta novum illud Jerem. c. 31. v. 32. promiſſum) *multis hebdomadâ unâ & in dimidio hebdomadis ceſſare faciet hoſtiam & ſacrificium.* Præcipua pars Levitici cultus in ſacrificiis poſita fuit. Jam verò per Meſſiam illa prædicantur abroganda, Ergo idem de reliquis Ceremoniis Leviticis intelligendum. 3. Quæcunque certi cujuſdam temporis limitibus circumſcribuntur, ea non ſunt perpetui temporis. Jam verò conſtitutiones Leviticæ certi temporis limitibus circūſcribuntur, ſiquidem in promulgationibus earū ſæpiuſculè additur, *obſervabitis hæc in generationibus veſtris* לְדֹרֹתֵיכֶם ledorothêichem Geneſ. 17. v. 7. *ſtatuam pactum meum inter te & ſemē tuum poſt te in generationibus ſuis*, ubi aſſcripſit

Leges Ceremoniales ſunt abrogatæ.

D. Lutherus in marg. So lang ihr Ding weret/ denn Moſes hiermit deutet/ daß ihr Ding ſol endlich auffhören/ vnd ein anders kommen. Hebr. 9. v.10. *Diſcrimen ciborum, variæ illæ lotiones & juſtitia carnis uſq; ad tempus correctionis διορθώσεως ſunt impoſita.* Matth. 11. v. 12. *Omnes Prophetæ & lex uſq; ad Iohannem prophetarunt.* Quemadmodum Prophetæ verbis, ita lex Ceremonialis typis de Chriſto prophetavit, quare uti per adventum Meſſiæ, quem Johannes digito monſtravit, Prophetarum vaticinia ſunt completa, ita quoq; legis typi abrogati. 5. Act. 15. v. 6. propter quæſtionem illam de obſervatione circumciſionis & reliquarũ legum Moſaicarum gentibus imponenda convocatur ab Apoſtolis Synodus Hieroſolymitana & Spiritu ſancto autore ſtatuitur gentib. converſis leges illas haudquaquam imponendas eſſe; quâ verò de cauſa ſanguinis & ſuffocati eſus ad tempus ibidem prohibitus fuerit, expoſitũ eſt ſuperius. 6. Act. 10. v. 11. viſione cœleſti admonetur Petrus in N. T. ſublatum eſſe ciborum diſcrimen, quod denuò in gratiam Judęorum converſorum obſervans Gal. 2. v. 13. reprehenditur à Paulo Gal. 4. v. 10. *Dies obſervatis & menſes & & tempora & annos.* v. 11. *vereor ne fruſtra in vobis laboraverim.* Galat. 5. v. 2. *Ego Paulus dico vobis, ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Coloſſ. 2. v. 16. *Nemo vos judicet in cibo aut in potu aut in parte dies feſti aut neomeniæ aut Sabbatorum.* Si diſcrimen ciborum ac dierum, uti & circumciſionis neceſſitas in V. T. ſublata eſt, ſublatæ erunt etiam reliquæ leges Ceremoniales propter eandem omnium rationem & *ὁμογένειαν*, ſiquidem partes homogeneæ eandem habent naturam & definitionem cum toto. 7. Veniente corpore ceſſat umbra, ſive umbratilis primorum lineamentorum deſcriptio, præſente antitypo ceſſat typus. Atqui Ceremoniæ Leviticę fuerunt umbræ & typi beneficiorum Chriſti, ergo in adventu & per adventum ejus ſunt abrogatæ. Aſſumtio conſtat ex manifeſtis ſcripturæ dictis Exod. 25. v. 40. *Vide ut omnia facias juxta ſimilitudinem in monte tibi oſtenſam*, quod dictum Epiſtola ad Hebręos cap. 25. v. 5. eò accommodat, ſignificari eo, quod V. T. Sacerdotes ſervierint, *ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων* Coloſſ. 2. v. 17. *Neomenia & Sabbatha fuerunt umbra futurorum, corpus autem Chriſti* Heb. 9. v. 9. Priũs tabernaculum erat *παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα parabola temporis inſtantis.* Heb. 10. v. 1. *Lex umbram habuit futurorum bonorum, non autem ipſam rerum imaginem.* 8. Deniq; manifeſtum abrogationis harum Ceremoniarum teſtimoniũ eſt deſtructio templi Hieroſolymitani. Cùm enim Deut. 12. v. 5. ſacrificiis aliiſq; ritibus Leviticus certus locus ab ipſo Deo fuerit deſignatus ac determinatus, utique deſtructio tabernaculi & templi ſacrificiorum & aliarum Ceremoniarum Leviticarum abrogationem evidenter arguit. Iren. lib. 4. c. 7. *Quemadmodum ſtipula & ſarmenta non propter ſe principaliter facta ſunt, ſed propter creſcentem in eis fructum, quo maturo facto & ablato derelinquuntur & è medio auferuntur, quæ jam non ſunt utilia ad fructificationem: ſic & Hieroſolyma quæ jugum in ſe ſervitutis portaverat, in quo domitus eſt homo, qui antea nõ ſubjiciebatur Deo, cùm mors regnabat, & domitus habilis factus eſt ad libertatem, adveniente fructu libertatis & aucto & demeſſo & in horreum apportatis ab ea his, qui fructificare poſſunt, & in omni mundo diſſeminatis &c. meritò derelicta eſt & de medio ablata.*

28. Prava igitur *κακοζηλία* eſt, quòd Romana Eccleſia ad imitationem cultus Levitici congeriem theatricarũ Ceremoniarum inſtituit, cùm tamen cultus N. T. potiſſimùm debeat eſſe ſpiritualis & internus Joh. 4. v. 23. videas in ea externum ſacrificium Miſſaticum, aquam luſtralem, varia ſacerdotalium veſtium genera, lampadas jugiter lucentes, &c. quæ omnia ad imitationem Levitici cultus excogitata eſſe res ipſa oſtendit & Rationale divinorum officiorum uti & Polydorus Virgilius non omninò diffitentur. Gravius hallucinantur Judæi Ceremoniarum iſtarum Leviticarum uſum adhuc hodie ſub N. T. neceſſarium eſſe diſputantes; nituntur potiſſimum illis ſcripturæ locis, quæ has Ceremonias legales vocant ſtatutum perpetuum. Geneſ. 17. v. 7. de circumciſione dicitur: *ſtatuam pactum meum inter me & te, fœdere ſempiterno*, De Sabbatho Exod. 31. v. 16. *Cuſtodient Sabbathum pacto ſempiterno:* De Paſchate Exod. 12. v. 14. *celebrabitis cultu ſempiterno*, idem de reliquis Levitici Sacerdotii partibus dicitur Exod. 40. v. 13. Reſp. vox עוֹלָם Olám, ſeculum ſive æternitas non ſemper accipitur de infinita æternitate ac abſoluta perpetuitate, ſed quodcunq; longioris temporis ſpacium exprimit, cujus duratio eſt abſcondita, deſcendit enim à radice עָלַם alám, abſcondidit, ergo pro ſubjecta materia duratio illa intelligenda eſt. Exod. 21. v. 6. Deut. 15. v. 17. *Erit tibi ſervus* לְעוֹלָם lcolám, *in perpetuum*, ubi denotatur ambitus durationis vitæ vel potius, ſerviet uſque ad annos Jubilæi, ut in Midras Elle Haddecarim cap. 15. exponitur. 1. Reg. 1. v. 22. dicitur de Samuele, *Habitabit ibi in ſeculum per omnes vitæ dies*, vel uſq; in ſeculum Levitarum, quod 50. annis abſolvebatur, ut exponit Rab. Salomon. Jerem. 25. v. 9. Prior captivitas & everſio Hieroſolymæ dicitur *ſolitudo perpetua*, cùm tamen ibidem verſ. 11. ad 70. annos reſtringatur. Eccleſ. 3. verſ. 14. *Opera Dei perſeverant in ſeculum*, hoc eſt, habent determinatum ſuæ durationis ambitum. Eodem modo uſurpatur in dictis illis, videlicet non de abſoluta perpetuitate, ſed de longæva periodica tamen duratione, ideò notanter additur: *Statuã inter me & te pactum fœdere ſempiterno in generationibus veſtris.* Hieronym. in Epiſt. ad Galatas exiſtimat, vocabulum hoc ſi ſcribatur cum vau holem, notare abſolutam æternitatem, ſin verò abſque vau, finitum & determinatum tempus, ſed exempla oſtendunt, illud non eſſe perpetuum. **Iidem Judęi fabulantur de quodam fluvio Sabbathico, qui per tota hebdomada raptim fluens lapides trahat, Sabbatho autem quieſcat. Reſp. nugæ hæ ſunt, ubi enim ille uſpiam terrarũ fuit? licet mentionem ejus aliquam faciant Joſeph. & Plinius, neuter tamen cum altero conſentit. Et hodie argumentum iſtud tamdiu erit nullum, quamdiu vel guttulam fluvii iſtius Sabbatici nobis monſtraverint.**

29. Ac de legibus Ceremonialibus hæc dicta ſufficiant. Leges judiciales מִשְׁפָּטִים miſchpathim, *τὰ κρίματα* erãt conſtitutiones politicæ, ideò ſic appellatæ, quòd eſſent norma judiciorum in foro politico. D. Luth. vertit Rechte/ q. d. jura civilia, leges forenſes. 2. Paral. 34. v. 31. videntur appellari עֵדוּת Eduth, teſtimonia, cùm ibidem conjun-

conjungantur præcepta, ſtatuta & teſtimonia, id eſt, Leges Morales, Ceremoniales & Forenſes, ſiquidem hæ non minus quàm reliquæ fuerunt teſtimonia divinæ voluntatis, qualiter Iſraëlitarum politia conſtituenda ſit & judicia eorum exercenda. Exodi 15. v. 25. Deut. 4. v. 5. & dicuntur κρίσεις, ſiquidem fuerunt norma ac cynoſura τῶν κρίσεων. Exod. 21. v. 1. Num. 36. v. 13. &c. dicuntur δικαιώματα, quia fuerunt civilis juſtitiæ regula. Deſcribuntur hoc modo, quòd ſint præcepta Dei autoritate per Moſen tradita, de externa defenſione diſciplinæ, juxta totum Decalogum. Item Leges Forenſes fuerunt determinationes generalium præceptorum Decalogi ad certam ſpeciem externarum actionum, quibus civilis ſocietas in populo Iſraëlitico commodiſſimè gubernaretur.

Enumeratio.

30. Proponuntur hæ leges 21. 22. 23. capp. Exodi, & paſſim in Moſe repetuntur. Convenientiſſimè enumerari ac recenſeri poſſunt juxta ordinem præceptorũ Decalogi, cùm ſint ejuſdem appendices, ſecundæ cumprimis tabulæ obſervationem concernentes. Ad primum præceptum pertinet conſtitutio de pœna idololatrarum. Exod. 22. v. 20. *Immolans diis præterquam Iehovæ ſoli occidatur.* Deut. 13. v. 5. *Propheta vel ſomniator ille, qui locutus eſt aversionem contra Iehovam Deum veſtrum, interficietur* (l. Adriani 5. C. de hæreticis & Manichæis ſtatuitur, Manichæos de civitate eſſe pellendos & ultimo ſupplicio tradendos, l. ubicunque eodem. *Ubicunq; Manichæi inveniantur, capite damnandi ſunt.* l. Manichæi eodem. *Manichæi undiq; expelluntur & capite puniuntur, reliqui a. hæretici, hæreticus eſt omnis nõ orthodoxus & Græci ſeu Pagani & Iudæi & Samaritæ prohibentur Magiſtratum gerere & dignitatem habere, aut jus dicere, &c.*) v. 6. *ſi incitaverit te frater tuus, aut filius tuus, aut uxor ſinus tui clam dicendo: Eamus & colamus Deos alienos,* v. 9. *occidendo occides illum,* v. 10. *lapidibus eum lapidabis,* v. 12. & ſeqq. urbes idololatricæ dirui & omnis earum ſupellex igne cremari jubetur. Ad ſecundum pręceptum pertinet conſtitutio de pœnis maleficarũ ſive ſagarũ & quorumvis facinoroſorum, incantationibus, aliiſvé Diabolicis artibus deditorũ Exod. 22. v. 18. *Maleficam non ſines vivere* (l. multi C. de Maleficis & Mathematicis. *Multi magicis artibus uti elemẽta turbare, vitam inſontiũ labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quiſq; ſuos conficiat malis artibus inimicos, hos quoniam Naturæ peregrini ſunt, feralis peſtis abſumat*) Lev. 20. v. 27 *Vir ſive mulier, in quibus fuerit Pythonis vel aruſpicum ſpiritus, morietur.* Item de pœna blaſphemię Lev. 24. v. 15. *Quicunq; maledixerit Deo ſuo, portabit iniquitatem ſuã,* v. 16. *Qui expreſſerit nomen Iehova, moriendo morietur, lapidando lapidabunt eum.* Ad tertiũ præceptũ pertinet conſtitutio de pœna mortis, Sabbathi violatoribus irroganda. Exod. 35. v. 2. de Sabbatho ſeptimi anni Exod. 23. v. 10. Lev. 25. v. 4. *Sex annis ſeres terrã & coagregabis fructus ejus. In ſeptimo verò relinquos eam atq; deſeres & comedent pauperes populi tui, reſiduum autem eorum comedet beſtia agri. Sic facies vinea tua & oliveto tuo* (cauſas hujus conſtitutionis expoſuimus theſ. 22.)

31. Ad quartum præceptum varii pertinent tituli, utpote 1. de manumiſſione ſervorũ ac ſervarum. Exod. 21. v. 2. *Si emeris ſervũ Hebræũ, ſex annis ſerviet tibi, at ſeptimo egredietur liber gratis.* v. 3. *ſi cum corpore ſuo ingreſſus fuerit, cum corpore ſuo egredietur; ſi v. maritus mulieris erit, egredietur & uxor ejus cum ipſo.* v. 4. *ſi herus ejus dederit ei uxorem & pepererit ei filios vel filias, uxor & filii ejus erunt heri ipſius, ipſe verò egredietur cũ corpore ſuo.* v. 5. *Quod ſi dicendo dixerit ſervus, Diligo herum meum, uxorem meam & filios meos, non egrediar liber.* v. 6. *tũc adducet eum herus ſuus ad judices & adducet eũ præterea ad oſtium vel ad poſtem, perforabitq; herus ejus aurẽ ejus ſubulâ & ſerviet ei in ſeculũ.* (uſq; ad annũ jubilæũ) v. 7. *Cùm vendiderit quis filiam ſuã in ancillam, non egredietur, quemadmodũ egredi ſolent ſervi,* v. 8. *ſi diſplicuerit hero ſuo, qui ſibi deſponſavit eam, redimere faciet eam, populo alieno eam vendendi non habebit poteſtatẽ, cum ſpreverit eam.* v. 9. *q; ſi filio ſuo deſpõderit eam, ſecundùm morem filiarũ faciet ei.* v. 10. *ſi aliã acceperit illi, alimentũ ejus operimentũ ejus & tempus ejus nõ diminuet.* v. 11. *Et ſi tria hæc non fecerit illi, egredietur gratis abſq; argento.* Lev. 25. v. 39 *ſi attenuatus fuerit frater tuus, ut vendat ſe tibi, nõ uteris operâ ejus tanquã ſervi operâ.* v. 40. *tanquã mercenarius erit tecũ, uſq; ad annũ Iubil. ſerviet tibi.* v. 41. *egredietur a. ipſo & liberi ejus cũ ipſo & revertetur ad familiã ſuam &c.* (nimirũ obſervatâ limitatione Exod. 21. tradita) v. 46. *ſervos & ancillas ex gentibus itéq; ex incolis emtos jure hereditario poſſidebitis in perpetuũ.* v. 47. *Si quis ex Iſraelitis vendiderat ſe peregrino,* v. 49. *Proximus agnatus eum redimere tenebatur.* Deut. 15. v. 13. *Si ſervũ vel ancillam Hebræam anno ſeptimo liberum dimittis, nõ dimittes eum vacuũ.* v. 14. *ſed onerando onerabis eum de pecudibus tuis, & de area tua, de torculari tuo, &c.* (Apparet ex his legib⁹ duo ſervorum genera apud Hebræos fuiſſe, unũ ex peregrinis & extraneis, alterũ ex gente propria, quãdo vel ex iniquitate, puta furto, vel ex adverſitate, puta debito, vel paupertate in ſervitutem redigebantur. Servorũ, qui genere erãt Iſraëlitæ, tolerabilior erat conditio, quàm extraneorũ in memoriã ſervitutis Ægyptiacæ.) 2. de pœna injurię & contumeliæ parentib⁹ illatę Exod. 21. v. 15. *Qui percuſſerit Patrem ſuum, aut matrem ſuam, morte moriatur.* (l. Pompeja 1. ff. de lege Pompeja de parricidiis, in parricidas ſtatuitur pœna, quæ eſt legis Corneliæ de Sicariis. l. pœna. 9. tit. eod. *Pœna parricidii more majorũ hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur, cum cane, gallo gallinaceo, & vipera & ſimia, deinde in mare profundũ culeus jactatur, hoc ita, ſi mare proximũ ſit, alioquin beſtiis objicitur, ſecundũ D. Hadriani conſtitutionẽ.* Idem ſtatuitur l. ſi quis C. de his qui parentes vel liberos occiderunt) Lev. 20. v. 9. *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri ſuæ, moriendo morietur.* 3. de pœna contumacis filii Deut. 21. v. 18. *Cùm quis habuerit filiũ contumacem,* v. 19. *adducat eum ad ſeniores urbis,* v. 21. *& lapidabunt eum omnes homines urbis illius.* (Pulcrè Orig. hom. 11. in Levit. *Si dehonoraveris patrem carnalem, hujus contumelia ad patrem ſpiritus cedit, & ſi injuriam feceris matri carnali, ad illam matrem Ieruſalem cœleſtem redundat injuria.*) 4. De cauſis matrimonialibus, utpote quomodo ducenda captiva. Deut. 21. v. 11. *Cùm inter captivas videris mulierem pulcram & amaveris eam, & acceperis eam in uxorem.* v. 12. *introduces eam in domum tuam, & radet caput ſuũ ac præcidet ungues ſuos.* v. 13. *deponetq; veſtimentum*

capti-

captivitatis ſuæ à ſe & manebit in domo tua ac flebit patrem ſuum & matrem ſuam menſem integrum, & poſteà ingredieris ad eam & eris maritus ejus. v. 14. *ſi non complacuerit tibi in ea, dimittes eam animæ ſuæ, nec vendendo eam vendes.* (ut libido viri hac ratione refrenetur, ita Philo lib. de caritate, pag. 481. Veteres ἀλληγορικῶς referunt ad Philoſophiam ſub fidei Chriſtianæ obſequiũ revocandam. Hieron. ad Pammach. *Anima ſpiritualiter Chriſto ſocianda induenda eſt lugubribꝰ pœnitentiæ veſtibus, radenda eſt à peccatorum ſordibus per novaculam divinæ legis, abſtrahenda à complexu mundi, &c.*) quibus ritibus vir Zelotypꝰ uxoris caſtitatem explorare poſſit, Num. 5. v. 12. & ſeqq. quòd Iſraëlitæ Cananæis gentibus non debeant affinitate jungi aut filias ſuas ipſis elocare. Deut. 7. v. 3. quòd filius uxoris dilectæ non debeat præferri filio uxoris exoſę ſive minùs dilectæ primo loco in torum maritalem aſcitæ Deut. 21. v. 15. quòd repudiata non poſſit priori marito iterum conjungi, Deut. 24. v. 1. & ſeqq. (ut à temeraria divortiorum licentia revocarentur; neque enim licebat repudiatam in torum iterum aſciſcere, ſi vel maximè divortii pœnitudo eos cęperat) quòd novis conjugibus primo anno dabatur immũnitas à publicis muneribus & profectione in bellum. Deut. 24. v. 5. (moralis ratio erat, ut animi in amore conjugali magis confirmarentur, typicè ſignificatur, eos qui non ita pridem converſi ſunt, blandiis fovendos eſſe) quòd viduam fratris defuncti abſque liberis ſuperſtes frater vel proximus agnatus ducere cogebatur Deut. 25. v. 5. & ſeqq. qui hoc facere recuſabat in ejus faciem cognata vidua publicæ ignominiæ conteſtandæ ergò ſpuebat & calceũ ei detrahebat verſ. 9 (At quomodo hæc lex non pugnat cum ea, quæ nuditatem uxoris fratris retegere prohibet Lev. 18. v. 16. Reſp. quidam *fratris* nomine proximus intelligunt cognatos, eos ſcil. quibus uxor demortui nubere non prohibeatur in Catalogo Luc. 18. tradito, quidam verò diſtinguunt inter uxorem fratris adhuc vivi, & uxorem fratris demortui, de illa Levit. 18. de hac verò hoc in loco agi ſtatuentes) Cauſa legis primaria fuit conſervatio & diſtinctio familiarum; ſecundaria, ut proſpiceretur viduis & concordia inter fratres aleretur. Auguſt. 32. contra Fauſtum c. 10. allegoricè transfert ad miniſtros Eccleſiæ, qui Chriſto pro nobis mortuo ſemen ſuſcitant, quando ſpirituales filios ipſi generant, cujus etiam nomen & hæreditatem acquirunt. Poteſt etiam talis allegoria conſtitui. *Adamus fuit Dei Filius ab ipſo in eum finem creatus, ut Deo plures filios procrearet, qui unà cum ipſo cæleſtem hereditatem adirent. At hic ipſe Adamus Deo Patri ſuo ſpiritualiter mortuus nullum reliquit heredem. Succeſſit igitur alter Adamus frater Ieſus Chriſtus, qui æterno & indiſſolubili fœdere ſibi junctâ carne noſtrâ per verbum & Sacramenta Deo Patri gignit filios, ſicq; Adami ſemen multiplicat.* Polycarpus Leiſerus in cap. 38. Geneſeos p. 67.)

32. Ad quintum præceptum pertinent conſtitutiones 1. de homicidio voluntario & fortuito. Inſtitutæ enim erant civitates refugii, ad quas fortuiti homicidii autores poterant confugere Exod. 21. v. 13. Num. 35. v. 9. Deut. 19. verſ. 2. & ſeqq. (In hoc homicidii genere dicitur Deus in manum occiſoris tradere interfectum ſive providentiâ ſingulari, ſive permiſſione. *In uno igitur eodemq; facto, & Deus de occulta æquitate laudatur & homo de propria iniquitate punitur.* Auguſt. q. 79. in Exod. Porro quinque illas refugii civitates non abſurdè referunt Veteres ad quinque Chriſti vulnera, in quibus peccator pœnitens refugium invenit, qui per peccatum animæ ſuæ mortem intulerat: quò etiam pertinet, quod poſt mortem ſummi Sacerdotis fortuiti homicidii autori in patriam terram redire licebat, ſiquidem Chriſtus unicus N. T. ſummus Sacerdos ſuâ morte peperit nobis reditum ad cœleſtem patriam. Conſentit huic divinæ conſtitutioni l. fideli C. de his qui ad Eccleſiam confugiunt,) ſed voluntarii homicidii rei ab altari ad ſupplicia erant rapiendi Exod. 21. v. 14. 2. de ritibus, quibus expianda erat terra, in qua inveniebatur cadaver hominis interfecti, cujus occiſor ignoratur Deut. 21. verſ. 1. & ſeqq. (Veteres hos ritus ad Chriſtum transferũt, in quo eſt peccatorum noſtrorum expiatio, is nunquam traxit jugum peccati, crucifixus eſt Hieroſolymæ, in cujus circuitu ager ſterilis atque aſper.) 3. de jure belli, quod ad bella non cogebatur procedere, qui novam ædificaverat domum nec dum eam dedicaverat; qui vineam plantaverat, nec dum eam fecerat communem; qui mulierem ſibi deſponderat, nec dum eam domum duxerat; qui timidus ac mollis erat corde Deut. 20. v. 5. 6. 7. 8. (militiæ ſpiritualis impedimentum eſt nimium rerum terreſtrium ſtudium) quòd omnes maſculi expugnatæ urbis gladio interficiendi, verſ. 14. 4. De pœnis homicidii ac cujuſcunq; læſionis corpori proximi illatæ Exod. 21. v. 18. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis proximũ ſuum lapide vel pugno & non fuerit mortuus, ſed jacuerit in lectulo.* verſ. 9. *Si ſurrexerit & ambulaverit foris, licet ſuper baculum ſuum, tum innocens erit, qui percuſſit,* (in foro politico ab ordinaria homicidii pœna abſolvebatur, quia ex alia potius cauſa quàm percuſſione mors inſecuta videtur) *ita tamen ut operas ejus & impenſas in Medicos reſtituat.* v. 20. *Qui percuſſerit ſervum vel ancillam ut moriantur ſub manu ejus, vindicando vindicabitur.* v. 21. *Sin autem uno die vel duobus ſupervixerit, non ſubjacebit pœnæ, quia pecunia ejus eſt* (quia ſervum & ancillam pro pecunia ſua emit. l. ſi virgis C. de emend. ſerv. *ſi virgis aut loris Dominus ſervum afflixerit, aut cuſtodiæ cauſa in vincula conjecerit, dierum diſtinctione ſive interpretatione depulſa nullum criminis metum ſervo mortuo ſuſtineat, Nec verò immoderatè ſuo jure utatur, ſed tunc reus homicidii ſit, ſi voluntate eum ictus fuſtis aut lapidis ceciderit, vel certè telo uſus lethale ei vulnus inflixerit, aut ſuſpendi laqueo præceperit, vel juſſione tetra præcipitandum eſſe mandaverit, &c.*) v. 22. *Cum rixati fuerint viri & percuſſerit quis mulierem prægnantem, ita ut abortivum quid faciat, nec tamen fuerit mors, ſubjacebit mulctæ, quantum maritus mulieris expetierit & arbitri judicaverint.* v. 23. *quod ſi mors fuerit, reddet animam pro anima* (ex hac lege deducunt diſtinctionem inter fœtum adhuc informem & formatum, qui enim fœtum jamdum animatum ac formatum interficit, eum ordinariæ homicidii pœnæ ſubjectum eſſe JCti plerique ſtatuunt, ſecuti Carolinam & Electoralem conſtitutionem) v. 24. proponitur generalis lex: oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu &c. v. 26. *Si percuſſerit quis*

oculum

oculum ſervi ſui aut ancillæ & luſcos eos fecerit, dimittet liberos pro oculo. v. 27. *Si dentem excuſſerit ſervo vel ancillæ, ſimiliter dimittet eos liberos* (hac æquitate domini continebantur in officio, ne nimiùm ſævirent in mancipia, neque enim jus vitæ & necis ipſis in ſervos competebat, quod perperam uſitatum erat Romanis) v. 28. *Si bos cornu petierit virum aut mulierem, ita ut moriatur, lapidibus ille bos obruetur, & non comedentur carnes ejus* (ut appareat quàm abominabile ſit Deo homicidium) *Sed dominus bovis innocens erit.* v. 29. *Sed ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiuſtertius & conteſtati ſunt Dominum ejus* (hoc eſt, ſi dominus bovis ſeriò fuit admonitus, ut bovem cornu petere ſolitum recluderet) *nec cuſtodierit eum dominus, occiderit autē bos ille virum vel mulierem, tunc bos ille lapidabitur, quin & dominus ejus morietur.* v. 30. *Si precium redemtionis pro vita ſua redimenda ei fuerit impoſitum, dabit quicquid fuerit poſtulatus.* (l. nihil intereſt 12. ff. ad legem Cornel. de Sicar. *Nihil intereſt occidat quis, an cauſam mortis præbeat*) v. 31. *ſi filiū vel filiam* (i. e. perſonas juniores ac innuptas) *bos cornu petierit, ſimili ſententiæ ſubjacebit.* v. 32. *Si ſervum vel ancillam invaſerit, triginta ſiclos argenti dominus bovis domino ſervi vel ancillæ ejus dabit, bos verò lapidabitur.* 5. De operibus miſericordiæ & dilectionis peregrino, viduæ, pupillo, adeoque ipſis hoſtibus præſtandæ. Exod. 22. v. 21. *Peregrino nō inferes vim, nec opprimes eum.* v. 22. *Nullam viduam aut pupillum affligetis.* Exod. 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui aut aſino ejus erranti, reducendo reduces illum.* v. 5. *Si videris aſinum odio habentis te decumbentem ſub onere ſuo, auxiliaberis illi &c.* (Hæc tamen rectiùs ad legem moralem, quàm forenſes referuntur.)

33. Ad ſextum præceptum pertinent conſtitutiones de pœnis ſtupri, adulterii ac nefandarum libidinum. Exod. 22. v. 16. Deut. 22. v. 28. *Cùm ſeduxerit quis virginem, quæ non eſt deſponſata, & coierit cum ea dotando dotabit eam ſibi in uxorem* (hoc eſt, non exigat à patre puellæ dotem, ſed de ſuo conſtituat ei dotem, ac nihilominùs in uxorem eam habeat) v. 17. *Si pater virginis renuendo renuerit eam ſtupratori dare, argentum appendet ei juxta dotem virginum* (tantum pecuniæ dabit, quantum ejuſmodi virgini pro dote dari ſolet, videlicet quinquaginta ſiclos.) Exod. 22. v. 19. *Qui concubuerit cum animali, moriendo morietur.* (Nefandum hoc crimen beſtialitatem vocare ſolent) Deut. 22. v. 20. *Si quis uxorem ducat, in qua non inveniat virginitatem* v. 21. *tunc educent puellam ad oſtium domus patris ſui & lapidabunt eam homines urbis ejus lapidibus ac morietur.* (Lyranus, ſigna virginitatis expanſis veſtimentis in judicium producta parabolicè explicat de virginitate per teſtes comprobata. Pleriq; de ſignis hymenis uſque ad maritalem torum integrè ſervati accipiunt. Fallopius, Columbus & alii membranam illam, quam interſeptū & clauſtrum virginale vocant, deſcribunt, ſed Oribaſius lib. 24. Collectaneorum medic. & Laurentius lib. 7. Anatom. c. 12. q. 13. diſertè negant. Videatur Pinei liber de notis virginitatis & Cypræus lib. de ſponſal. c. 13.) v. 22. *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterq; morietur, adulter & adultera.* (Capitalem hujus criminis pœnam comprobat itidem lex Julia & Conſtitutio Carolina) verſ. 23. *Si puellam virginem ſibi quis deſponderit, & invenerit eam aliquis in civitate* (non in loco ſolitario, ubi poſſit aliorum defenſionem implorare) *& concubuerit cum ea, educet utrumq; extra portam civitatis illius & lapidibus obruentur, puella quia non clamavit, cùm tamen eſſet in civitate, vir autem quia humiliavit, h.e. adulterio polluit uxorem proximi ſui* (ſponſa coram Deo eſt uxor, ſiquidem non concubitus ſed conſenſus facit nuptias) v. 25. *Si vero in agro adortus fuerit aliquis puellam alteri deſponſatam & apprehendens eam concubuerit cum ea, ipſe morietur ſolus, puella verò non erit rea mortis* (*quippe eui ſtuprū violenter illatum eſſe præſumitur.*) Item de pœna impudici contactus Deut. 25. v. 11. *Cùm rixati fuerint viri & acceſſerit uxor unius ut eruat virum ſuum è manu percutientis ipſum & immiſerit manum ſuam, apprehenderitq; verenda ejus* v. 12. *tunc abſcindes manum illius* (caſta Deus mens eſt, omniſque impudicitiæ vindex ſeveriſſimus) Deuter. 23. v. 18. *Non adduces mercedem meretricis & precium canis in domum Iehova Dei tui.*

34. Ad ſeptimum præceptum pertinent variæ conſtitutiones, utpotè 1. de plagii pœnâ Exod. 21. v. 16. Deuter. 24. v. 7. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, & inventus fuerit in manu ejus, moriendo moriatur.* (l. ſi liberum 1. ff. de lege Fabia de plagiariis. *Si liberū hominem emtor ſciens emerit, capitale crimen adverſus eum ex Lege Fabia de plagio naſcitur, quo venditor quoque fit obnoxius, ſi ſciens liberum eſſe vendiderit.* l. quoniam ſervos 7. C. ad legem Fabiam de plagiariis. *Quoniam ſervos à plagiariis alienari ex urbe ſignificas atque ita interdum ingenuos homines eorum ſcelere aſportari ſolere praſcribis, horum tibi delictorum licentiæ majori ſeveritate occurrendum eſſe decernimus. Ac propterea ſi quem in hujuſmodi facinore deprehenderis, capite eum plecti non dubitabis*) 2. De pœnis ſimplicis furti Exod. 22. v. 1. *Si quis furatus fuerit bovem aut ovē & occiderit* (ita ut domino reddere non poſſit) *vel vendiderit, quinq; boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove.* (Hugo Cardinalis hāc diverſæ diſpoſitionis rationem tradit, quòd quinque ſint bovis utilitates, paſcit, arat, vitulus triturat, nos calciat, armat: quatuor verò ovis: lactat, paſcit, veſtit, immolatur: rectiùs ad furti gradus ratio diverſitatis revocatur) v. 2. *Si fur effringens domum ſive ſuffodiens inventus fuerit noctu & accepto vulnere mortuus fuerit, percuſſor nō erit reus ſanguinis* (legibus 12. Tabularum permiſſum erat furem nocturnum occidere, diurnū etiam ſi telo ſe defendiſſet.) *Sin verò orto Sole hoc fecerit paterfamiliàs, morti erit obnoxius* (velut alii reddunt, ſanguines ipſi, h.e. cogetur à Magiſtratu expectare ſententiā pro effuſo ſanguine) v. 3. *fur autem reddendo red* [illegible] tuplū ſc. aut quadruplum) *ſi non habuer* [illegible] *quod reddat, vendatur pro furto ſuo.* v. 4. *ſi inventum fuerit apud eū, quod furatus eſt, vivens, ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis duplum reſtituet.* 3. De pauperie, quam quadrupes fecerit. Exod. 21. v. 35. *Si percuſſerit bos alicujus domini bovem proximi ſui, ita ut moriatur, vendent bovem vivum & divident precium, cadaver etiam mortui bovis divident.* v. 36. *Si vero notū fuerit domino bovis corrupta, quod bos cornu petere ſolitus ab heri & nudiuſtertius & non cuſtodivit eum dominus, reddet bovem vivum domino interemti bovis, & eadaver bovis occiſi integrū accipiet.* Exod. 22. v. 5. *Si quis dimiſerit jumen-*

tum ſuum, ut depaſcatur aliena, videlicet agrum vel vineam proximi, quicquid optimum habuerit in agro ſuo vel in vinea pro damni aſtimatione reddet. (Confer lib. 9. ff. tit. 1. Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur) 4. De damno dato, Exod. 21. v. 33. *Si quis aperuerit ciſternam vel puteum, nec vicißim eum operuerit, cecideritq; bos aut aſinus in eum,* v. 34. *reddet dominus ciſternæ pretium jumentorum, quod autem mortuum eſt, ipſius erit.* Exod. 22. v. 6. *Si egreſſus ignis corripuerit ſpinas* (hoc eſt, ſi quis ad ſpinetum propè agrum ignem accenderit, igniſque corripuerit ſpinas) *& comprehenderit vicinos acervos frugum ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit.* 5 De depoſito, Exod. 22. v. 7. *Si quis dederit proximo ſuo argentum vel vaſa* (id eſt, quamcunque ſupellectilem) *in cuſtodiam & ab eo, qui rem depoſitam cuſtodiendam ſuſceperit, furto ablata fuerint, ſi inventus fuerit fur, duplum reddet,* v. 8. *ſi non inventus fuerit fur, tunc adducetur dominus domus ad Deos ſive Iudices* (qui exactè inquirent) *an non extenderit manum in rem proximi.* v. 10. *Si quis commendaverit proximo ſuo aſinum, bovem, ovem vel quodcunq; aliud animal ad cuſtodiendum, & mortuum fuerit aut confractum aut ab hoſtib9 adductum nemine vidente.* v. 11. *juramentum erit in medio an non miſerit manum ſuam in rem proximi.* v. 12. *ſi furto ablatum fuerit, reddet Domino ejus.* v. 13. *ſi diſcerptum a beſtia, deferat ad ipſum particulam puta aliquam, quæ teſtetur a fera dilaniatum eſſe illud animal, & non reſtituet.* 6. De admiſſo. Exod. 22. v. 9. *Super omni prævaricatione tam in bove, quam in aſino & ove ac veſtimẽto & quicquid damni inferri poteſt,* (h. e. ſuper omni re amiſſa) *ad Deos utriuſq; cauſa perveniet, & quem illi condimnaverint, duplũ reſtituet proximo ſuo.* 7. De commodato & conducto Exod. 22. v. 14. *Qui à proximo ſuo jumentum aut pecus aliquod commodato acceperit, & mortuũ fuerit aut confractum domino ejus abſente, tũc qui accepit, reddere cogetur.* v. 15. *ſi vero dominus præſens fuerit, non reſtituet, conductum venit pro mercede operis ſui* (ſi periit domino præſente, judicatur caſu potius quàm conductoris culpâ periiſſe) 8. De mutuo & uſuris Exod. 22. v. 25. Lev. 25. v. 36. *ſi pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor nec uſurã ſuper eum pones.* Deut. 23. v. 19. *Non fœneraberis fratri tuo fœnus pecuniæ, fœnus cibi, fœnus cujuſcunq; rei quæ fœnori dari ſolet.* v. 20. *Extraneo fœneraberis, at fratri tuo nõ fœneraberis* (eraot enim gentes Caoanææ, in quarum medio habitabant Iſraelitæ, exitio devotæ, ergò ut eas delere ita quoque uſuris opprimere licitum erat. Ambroſ. lib. de Tobia c. 15. *Ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere, ubi jus belli, ibi etiam jus uſuræ*) 9. De pignoribus. Exod. 22. v. 26. *ſi pignus a proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddes ei.* v. 27. *quia ipſum ſolum eſt operimentum ejus, indumentũ carnis ejus, nec habet in quo dormiat.* Deut. 24. v. 6. *non accipiet quis pro pignore metam & catillũ* (εὐπεδ ὀχμὰς intelliguntur omnia inſtrumẽta, quorum uſus in exercendis operis mechanicis ad victũ comparandũ neceſſariis. Conjũge l. obligatione. l. vel qui in uſum ff. de pignoribus) Deut. 24. v. 10. *Cum mutuaveris proximo tuo mutuum, non ingredieris domum ejus, ut capias pignus ejus.* v. 11. *foris ſubſiſtes & vir cui mutuaveris, efferet ad te pignus foras* (ne excuſſã omni ſupellectile pro creditoris libidine pignus exigatur) v. 12. *ſi vir pauper fuerit, non dormiet cum pignore ejus &c.*

35. Ad octavum mandatum pertinet conſtitutio 1. de repudiando unius teſtimonio in judiciis Deut. 17. v. 6. *In ore duorum vel trium teſtium interficietur qui morituras eſt, non autem interficietur in ore teſtis unius.* Deut. 19. v. 15. *Non ſtabit teſtis unus contra quenquam in quacunque iniquitate & in quocunq; peccato, in quocunq; inquam peccato quod peccaverit, in ore duorũ teſtium aut in ore trium ſtabit verbum.* 2. De pœna falſi teſtimonii. Deut. 19. v. 16. *Cum ſteterit teſtis mendax contra aliquem, ut teſtificetur contra eum verbum perverſum.* v. 17. *tunc ſtabunt duo illi homines, quibus eſt lis coram Iehovah coram Sacerdotibus & judicibus, qui fuerint in diebus illis.* v. 18. *& inquirent judices diligenter, & ſi teſtis ille eſt teſtis mendax mendacium teſtificatus eſt contra fratrem ſuum.* v. 19. *facietis ei quemadmodum cogitavit facere fratri ſuo* v. 21. *nec parcet oculus tuus, animam pro anima &c.* 3. De pœna calumniæ & falſæ accuſationis. Deut. 22. v. 13. *Cum acceperit quis uxorem & ingreſſus fuerit ad eam, atq; odio habuerit eam.* v. 14. *& imponit ei opprobrium verborum & educit adverſus eam nomen malum,* i. e. ſi infamiã violatæ ante nuptias pudicitiæ eam gravat. v. 15. *tunc parentes illius puellæ ſigna virginitatis* (linteamina ſanguine rupti hycmenis tincta) *afferẽt ad Magiſtratus.* v. 18. *tunc apprehendent ſeniores civitatis virum illum & flagellabunt illum.* v. 19. *& mulctabunt eum centum ſiclis argenti, quos dabit patri puellæ, quia diffamavit eam, & non poterit eam dimittere omnibus diebus vitæ ſuæ* (hæc tamẽ ad moralem legẽ magis pertinere videntur.)

36. Hac ratione juxta Decalogi præcepta leges forenſes enumerari ac recenſeri poſſunt, ubi tamen monendum eſt, quaſdam generales eſſe, quæ non poſſunt commodè ad ſpeciale aliquod Decalogi præceptum referri, utporè 1. de illis, qui ab honoribus & muneribus publicis arcendi Deut. 23. v. 1. *Non ingredietur, qui contuſione fractos aut abſciſſos habet teſticulos, in congregationem Domini,* h. e. non committatur ei publicum aliquod officium, ita enim commodiſſimè accipitur ingreſſus in congregationem Domini, ſiquidem cultui divino intereſſe ipſis licitum erat. Eſa. 56. verſ. 4. *Sic dicit Dominus Eunuchis, Qui ſervaverint Sabbatha mea, & elegerint quæ volui, apprehenderintq; fœdus meum.* verſ. 5. *dabo eis in domo mea & intra muros meos locum & nomen melius quam filiis & filiabus* (Finis hujus legis erat. impi ohare morem gentilium, quo mares caſtrati gynæceis cuſtodiendis & publicis muneribus præficiebantur, quin & exſecti ut plurimùm ſunt effœminati, quibus Magiſtratum committi non congruebat) Deut. 23. v. 2. *Non ingredietur ſpurius congregationem Domini, uſq; ad decimam generationem non ingredietur congregationem Domini* (Finis legis erat deteſtatio ſcortationis, per quam ipſi ſoboli maxima infertur injuria. Diſpenſationem quandam in hac lege uſitatam fuiſſe, docet exemplum Jephteh Judic. 11. v. 11.) Deut. 23. v. 3. *Non ingredietur Ammonita & Moabita congregationem Domini, etiam generatione undecima non ingredietur congregationem Domini uſque in ſeculum.* v. 4. *eo quod non exceperint vos cum pane & aqua in via, poſtquam egreſſi eſtis ex Ægypto, & quod mercede*

adver-

Digitized by Google

adverſus te conduxerit Bileam &c. (advenis & peregrinis non fuiſſe interdictum, quò minus Eccleſiæ Iſraëliticæ per Sacramentum Circumciſionis conjuncti publicis ſacris intereſſent, evidenter patet ex cap. 12. Exod. 48. proinde per τὸ ingredi congregationem Domini non poteſt intelligi publicis intereſſe ſacris, ſed publicum in politia gerere officium. Duarenus lib. 4. de ſacris Eccleſ. miniſteriis cap. 5. accipit de jure connubiorum, quòd prohibitum fuerit Ammonitis & Moabitis, quò minùs Iſraëliticas fœminas matrimonio ſibi jungerẽt, ſed prior explicatio textui magis congruit, ſiquidem Booz Ruth Moabitidem uxorem ducit Ruth 4. v. 13.) Deut. 23. v. 7. *Idumæi & Ægyptii generatione tertia poterant Domini congregationem ingredi*, id eſt, publicis officiis præfici. 2. De removendo ſuſpenſi cadavere è conſpectu hominum ante Solis occaſum Deut. 21. v. 12. 13. (propter reſurrectionis ſpem & hominis dignitatem Apoſtolus Gal. 3. v. 13. ad Chriſtum refert, qui noſtri loco factus eſt κατάρα in ligno. Vide Jul. Clarum lib. 5. ſent. q. 100.)

Diſtinctio legum forenſium.

37. Atque hæ ſunt leges forenſes potiores, quas ſi quis diligenter expendat, pleraſque ſatis ſeveras & in pœnis irrogandis acres fuiſſe deprehendet, fuit enim populus Iſraëliticus σκληροτράχηλ☉ *dura cervicis populus*, Actor. 7. verſ. 51. de quo paſſim conqueritur Deus per Moſen Exod. 32. verſ. 9. Deut. 9. verſ. 13. *Vidi populum hunc, & ecce populus dura cervicis eſt.* cap. 33. verſ. 3. *non aſcendam in medio ſui, nam populus dura cervicis es, ne forte conſumam te in via.* Propter hanc σκληροκαρδίαν permittebantur Iſraëlitis divortia ad præcavendũ majus malum, teſte Chriſto Matth. 19. v. 8. Inde promanavit diſtinctio Dn. Lutheri, quòd quædam forenſes leges præcipiant id, quod per ſe & ſuo genere bonum, quædam verò ad præcavendum majus malum id quod per ſe & ſuo genere non-bonum permittant. Etliche ſind Lehrgeſetze/ etliche Wehrgeſetze/ quò pertinet conſideratio illa, quòd Moſes in populo Dei duplicem quaſi ſuſtinuerit perſonam, videlicet Prophetici Doctoris & politici Legislatoris, ipſi ut Doctori Prophetico probè conſtabat, divortia & polygamiam primævæ conjugii inſtitutioni repugnare docente Chriſto Matth. 19. v. 6. nihilò tamen minùs permiſit contumaci populo divortia ad majus malum avertendum, ne γυναικοφόνοι illi fierent γυναικοφόνοι, hoc diſcrimen cùm non obſervaretur à Phariſæis, qui Legem illam de divortiis hoc modo interpretabantur, ac ſi per ſe & coram Deo bonum eſſet libellum repudii uxoribus dare, graviter eo nomine à Chriſto reprehenduntur, qui ipſorum ἐνετείλατο commutat in ἐπέτρεψεν Matthæi 19. v. 8. quinimò ipſimet Prophetæ temeratiam illam divortiorum licentiam ex lege morali reprehenderunt ac improbarunt Malach. 2. v. 14. & ſeqq.

38. D. Chemnitius talem proponit legum forenſium diviſionem 1. Quædam ordinant œconomicam ſocietatem, ut leges de ſervis, de conjugiis, de parentibus & liberis. 2. Quædam ordinant politicam ſocietatem inter cives, ut de Magiſtratibus, de ordine judiciorum, de contractibus, de diſtinctione dominiorum, de diſtributione hæreditatum, de pœnis. Erant autem pœnæ vel capitales, vel damni, vel talionis, vel ignominiæ, ut domus diſcalceati, vel flagellationis, vel ſervitutis, vel exilii, nec tamen relegabantur extra terram promiſſionis, ne inciderent in idololatriam. 3. Quædam loquuntur de extraneis, ut de legibus militiæ, de advenis &c. Hęc diviſio ſatis plana & perſpicua eſt, interim tamen quia legum forenſium finis primarius erat externæ diſciplinæ juxta ſingula Decalogi præcepta conſervatio & politiæ Judaicæ conſtitutio, ideò commodiſſimum videtur, in enumeratione legum forenſium ſequi ordinem præceptorum Decalogi. Sunt qui jura forenſia ad tria in univerſum capita revocant, videl. ad perſonas, res & actiones, cùm in illis omne jus conſiſtere dicatur §. omne autem 14. Inſtit. de jure Nat.

Leges forenſes abrogata ſint in N. T.

39. Porrò cùm forenſes leges ad conſtituendam regendamq; politiam Judaicam unicè pertinuerint, facilè apparet eas in N. T. abrogatas eſſe, id quod ſequentibus confirmamus argumentis. 1. Cujuſcunque legis obſervationi certus terminus præfigitur, ea non eſt perpetua & immutabilis, ſed termino præfixo accedente abrogata judicatur. Atqui legum forenſium obſervationi certus terminus à Deo ipſo præfixus eſt. Gen. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neq;* מְחֹקֵק mechokék *Legislator de femore ejus, donec veniat Siloh ſive Meſſias*; conjungitur ibi ſceptrum & Legislator ac durationi utriuſque certum tempus pręfigitur, videl. adventus Meſſiæ, proinde adventu Meſſiæ ipſa politia Judaica cum ſuis Legib⁹ abrogata eſt. Merc. in Geneſ. p. 731. מְחֹקֵק mechokék *eſt ſcriba, Legislator, rector, ſic dictus quòd leges & jura præſcribat & inſculpat ac incidat in æs aut lapides memoriæ causâ, in N. T. vocatur γραμματεὺς, qui de jure forenſi ex Moſis lege reſpondet.* ** Chriſtus Matthæi 19. v. 7. legem illam forenſem, quæ de libello divortii Deut. 24. v. 1. extat, abrogans ll. judiciales Moſaicas in N. T. ceſſaſſe, non obſcurè innuit, quemadmodum etiam Apoſtolus Eph. 2. v. 14. 15. Chriſtum maceriæ interſtitium diruiſſe & legem mandatorum in decretis ſitam abrogaſſe teſtatur. Quicquid ergo ad interſtitiũ maceriæ pertinet & complexu legis mandatorum in decretis ſitæ continetur, eſt à Chriſto abrogatũ & per conſequens in N. T. non amplius obligat. Atqui leges forenſes Moſaicæ pertinent ad interſtitium maceriæ &c. Galat. 3. v. 28. *non eſt Iudæus nec Græcus, non ſervus nec liber ſed omnes unum eſtis in Chriſto.* Atqui leges forenſes faciunt diſcrimen inter Judęos & Græcos, inter ſervos & liberos. Qualis fuit obligatio legis Ceremonialis talis etiam fuit obligatio legis judicialis. Atqui obligatio legis Ceremonialis fuit temporaria, ut ſuperiùs oſtenſum. Ergò. Propoſitio probatur. 1. quia tam Ceremoniæ quam ſtatuta judicialia pertinebant ad interſtitium maceriæ quod nunc eſt dirutum. 2. ſicut templũ Judaicum, ita quoq; politia Judaica, ad quam pertinebant leges forenſes eſt deſtructa. 3. Utraq; lex pertinebat ad V. T. quod eſt *antiquatum*. Hebr. 8. v. 13. 4. Neutra eſt vel à Deo tabulis lapideis hominumq; cordibus inſcripta vel in arcam fœderis repoſita. 5. Quædam etiam leges judiciales ad partem aliquam Sacerdotii Aaronici manifeſtum habebant reſpectum. Quod fuit accommodatum ad certas loci, temporis, cauſarum & perſonarum circumſtantias, illud non obligat ſimpliciter, ſed potius ceſſantibus illis circumſtantiis ſimul

ipſum ceſſat. Lex forenſis Moſaica fuit accommodata ad certas loci, temporis, cauſarum & perſonarũ circumſtantias. Ergò.** 2. Quodcunque non obligavit gentes ad Deum converſas Vet. Teſt. tempore, illud multò minùs eaſdem obligabit in Nov. Teſt. Atqui ſtante adhuc politiâ Judaicâ Vet. Teſt. tempore leges forenſes non ſunt converſis gentibus impoſitæ, ſed patrias avitaſque leges retinere ipſis integrum fuit, uti docent exempla Jobi, Jethronis, Reginæ Sabææ, Nabuchodonoſoris, Ninivitarum, Cyri, Darii &c. Joſephus Ægyptum, Daniel Perſicum Regnum gubernavit non introductis forenſibus illis legibus. E. multò minùs Chriſtianos ex gentibus converſos in N. Teſt. obligabunt. ** Lex obligat tantum eos quibus eſt lata. Lex forenſis Moſaica tantum Judæis eſt lata. Ergo eos duntaxat obligat.** 3. Publicum & manifeſtum abrogationis iſtarum legum teſtimonium eſt politiæ Judaicæ deſtructio. Sublatâ politiâ tolluntur etiam leges iſtius politiæ. innotuit 20. de elect. Atqui tempore Nov. Teſt. ſublata eſt politia Judaica, ſiquidem toto illo tempore, quod expugnationem Hieroſolymæ & Judæorum diſperſionem ſecutum eſt, nec Reges, nec Duces, nec Synedrion habuerunt, ac verè completum eſt vaticinium Oſeæ 3. verſ. 4. *Diebus multis manebunt filii Iſrael abſque Rege & abſque Principe, ſine ullo ſacrificio, ſine altari, ſine Ephod & Theraphim.* Ergò Nov. Teſt. tempore ſublatæ ſunt leges forenſes Judaicam politiam concernentes. Non eſt, quòd propoſitioni obvertatur, in Imperio Romano leges quaſdam ex Athenienſium & aliorum politiis deſumtas obſervari, illæ enim obſervantur, non quatenus ſunt Athenienſium propriæ, ſed quatenus à Magiſtratu Romano in noſtram Rempublicam introductæ & Romani Imperii jure donatæ ſunt; at de forenſibus legibus Moſaicis idem oſtendi nequit, quòd itidem à Chriſto vel Apoſtolis in N. Teſt. poſtliminiò in Eccleſiam ſint revocatæ & obſervari juſſæ. 4. Cuicunque Magiſtratui obœdire tenemur, ejus legibus quoq; nos ſubjectos eſſe convenit. Atqui tenemur etiam Ethnico Magiſtratui, modò legitimus ſit, obœdire. Rom. 13. verſ. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem poteſtates ſunt, à Deo ordinatæ ſunt.* verſ. 5. *ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* 1. Pet. 2. verſ. 13. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti* verſ. 14. *ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis.* Manifeſtum eſt Apoſtolos loqui de obœdientia Magiſtratui etiam Ethnico neutiquam denegandâ, alium enim Chriſtiani eo tempore nondum habebant. Ergò legibus civilibus Magiſtratus, quantumvis Ethnici, Chriſtianos ſubjectos eſſe convenit, & per conſequens ad leges forenſes Moſaicas, quæ cum legibus civilibus Romanorum aliorúmve populorum non omni ex parte congruunt, non ſunt ſimpliciter aſtricti. ** Si illis etiam Magiſtratibus tenemur nos ſubjicere, qui legibus aliis quã Moſaicis Remp. adminiſtrant, certum eſt leges Moſaicas non ſimpliciter omnes obligare. Sed verùm prius. 1. quia Evangelium non abolet politias. 2. Judæi in captivitate Babylonica etiam ante Chriſti adventum Magiſtratus Babylonici ll. ſubjectos eſſe oportebat. Jerem. 27. v. 8. 12. quantò magis igitur nos præſentium Magiſtratuum legibus ſubjectos eſſe decet? 3. Idem docent Apoſtoli Roman. 13. 1. Pet. 2. ** 5. Quod gentibus Apoſtolorum tempore ad Chriſtum converſis impoſitũ non eſt, illud multò minùs nobis impoſitũ erit, ratio conſequentiæ eſt evidens, quia cum honore ſepelienda erat Synagoga & politia Judaica; proinde ſi Apoſtolis expediens fuiſſet viſum, leges forenſes Moſaicas in Nov. Teſt. obſervari, utique eaſdem illis ipſis, quas prædicatione Evangelii ex gentibus ad Chriſtum converterant, impoſuiſſent. Atqui jugum forenſium legum non eſt impoſitum gentibus Apoſtolorum tempore ad Chriſtum converſis, quod teſtantur exempla Centurionis Matth. 8. verſ. 13. militum Romanorum Luc. 3. verſ. 14. Cornelii Act. 10. verſ. 1. Sergii proconſulis Actor. 13. verſ. 12. hi certè omnes ex præſcripto juris Romani Magiſtratum ſuum adminiſtrârunt ac vitam inſtituerunt, neque tamen hoc nomine à CHRISTO vel Johanne Baptiſta, vel Apoſtolis reprehenſi leguntur, nec ullum dari poteſt contrarium exemplum. Ergò jugum forenſium Moſaicarum legum nec nobis erit impoſitum. 6. Qui privilegiis cujuſdam politiæ gaudere cupit, ejuſdem leges ut approbet neceſſe eſt. D. Paulus privilegiis politiæ Romanæ uſus eſt, Actor. 22. verſ. 25. *Num hominem Romanum nondum convictum licet vobis flagellare?* Actor. 25. verſ. 10. *Ad tribunal Cæſaris ſto, ubi me oportet judicari.* Ergò approbavit leges Romanas, quæ tamen Moſaicis non ſunt omni ex parte conformes. 7. Regnum Chriſti non eſt externum, mundanum & politicum, proinde non indiget, quatenus tale, forenſibus legibus, nec politias abrogat, nec cives ab obœdientia Magiſtrat⁹ liberat, ſed eſt ſpirituale, internũ ac cœleſte regnum, cujus typus fuit externa politia Judaica forenſibus legibus devincta & conſociata; Chriſto igitur ad regnum ſuũ exaltato, typicum illud meritò ceſſat. ** Quemadmodũ tamẽ veterũ aliquot Rerũpubl. leges Hiſtoriæ & exempli formãdi cauſa ab eruditis aſpiciuntur, ita ex divinæ quoque politiæ forenſibus ll. admixtas morales rationes gubernatores & multa ſalutaria ſtatuta conjectando colligere & invenire poſſe docet D. Luth. exemplis aliquot in tract. de rectè docendo Moſe. **

40. Improbandus igitur Carolſtadii error, quem Anabaptiſtæ Monaſterienſes poſtea ſunt ſecuti, qui ſtrenuè pugnârunt, jus Romanum ex Chriſtianis Rebuspublicis exterminandũ ac ſecundùm leges Moſaicas in cauſis civilibus pronunciandũ eſſe, quib⁹ acriter ſe oppoſuit D. Lutherus, ut ex Tom. 1. Operum apparet. ** Vide de hac quæſtione plura apud Lutherum Tom. 2. Germ. Jen. f. 480. & ſeqq. Lobechium Diſp. 18. in Aug. Confeſſ. de Magiſtr. th. 33. & ſeqq. Henricus Stephan⁹ in libro de hac quæſt. pecul. edito contendit, *in omnes Reſpubl. debere Hebræorum ll. tanquam ab ipſo Deo profectas & per conſequens omnium optimas reduci.* At quod iſti populo optimum, non ſtatim abſolutè eſt optimum.** Nec defuerunt fanatici alii errorem illũ propugnare auſi, ut apparet ex Diſputatione Bernhardi Textoris An. 92. editâ, quâ de re videatur Tractatus Wilhelmi Zepperi de legibus Moſaicis, uti etiam præfatio Calvini JCti in Themide Hebræo-Romana. Sanè ipſe Calv. lib. 4. Inſtit. c. 20. ſect. 14. Antitheſis

diſertè

diſertè ſcribit: *Sunt qui rectè compoſitã eſſe Rempublicam negant, qui neglectis Moſis politicis, communibꝰ gentium legibus regitur, quæ ſententia quã periculoſa ſit & turbulenta, viderint alii, mihi falſam eſſe ac ſtolidã demõſtrâſſe ſatis erit.* ** Sect. 16. *Quod jactatur à quibuſdam, fieri contumeliam legi Dei per Moſen lata, cùm abrogatâ illâ novæ aliæ præferuntur, vaniſſimum eſt. Neq; n. aliæ illi præferuntur, dum magis probantur, non ſimplice collatione, ſed temporum, loci, gentis conditione, aut illa abrogatur quæ lata nobis nunquam fuit, ſiquidem non eam Dominus per manum Moſis tradidit, quæ in gentes omnes promulgaretur & ubiq; vigeret, ſed cùm Judaicam gentem in fidem, patrociniũ & clientelam ſuam ſuſcepiſſet, illi etiam peculiariter legiſlator eſſe voluit, ac q; ſapientis legiſlatoris erat, ſingularem quandam ejus rationem in ferendis legibus habuit.* ** Eodem ſenſu ſcribit Bucanus Inſtit. Theol. loc. 19. p. 186. *Nulla Reſpublica tenetur recipere leges politicas gentis Iſraëliticæ.* Diſtinctiùs illud ipſum proponit Perkinſus in Anatom. conſc. p. 26. *Juridiciales leges Moſis ſunt duorum generum, quædam ſunt æquitatis ſeu juris particularis, quædam juris communis. Leges juris particularis ſunt, quæ juſtitiam præſcribunt particularem ſtatum ſive conditionem Reipublicæ Judaicæ, ejusq; circumſtantias, tempus, locum, perſonas, res, actiones &c. ſpectantem, harum nulla nos obligat. Leges juris ſeu æquitatis communis ſunt, quæ ſecundum legem ſive inſtinctum Naturæ omnibus hominibus communem ſiunt & ſanciuntur, & hæ quoad ſuam ſubſtantiam non ſolùm Judæorum conſcientias, ſed etiam gentilium obligant. Legem juridicialem eſſe legem juris ſeu æquitatis communis inde agnoſcitur, ſi alterutrum horum duorum in ea reperiatur. 1. Si viri prudentes non inter Judæos tantùm, ſed inter alias quoq; gentes eam ipſam naturali ratione atque conſcientiâ æquam judicaverint, juſtamq; ac neceſſariam, ſimulq; judiciũ iſtud ſuum ſtabiliverint, tales Rebus ſuis publicis leges ferendo, quæ quoad ſubſtantiam cum plurimis legibus judicialibus Judæorum populo latis eædem ſint, id verò inter alios Impp. Romani excellentiſſimè præſtiterunt. Deinde lex judicialis communem illam æquitatem obtinet, ſi explanationi & confirmationi præcepti alicujus Decalogi aut ſi defenſioni & conſervationi vel familiæ vel Reipublicæ vel etiam Eccleſiæ directè inſerviat.* Hæc Perkinſus. ** Aretius p. 1. probl. 54. *Sicut exhibito corpore meritò ceſſabant umbræ Ceremoniales: ita quoque ll. forenſes abrogatæ quæ propriè Rempub. Judaicam ſpectabant.* Idem ſtatuunt *Muſculus* in locis p. 302. tit. de abrog. leg. Moſaic. *P. Martyr* in locis ſect. 17. fol. 715. **

41. Videamus Judæorum & Judaizantium, qui legum forenſium Moſaicarum obſervationem moroſius urgent, fundamenta. 1. *Autor legum forenſium Deus eſt ſapientiſſimus, idemq; immutabilis. Ergò novit optimè, quibus legibus politia ſint regenda, eaſdemq; obſervari voluit immotè.* Reſp. Reſpectu Judaicę politię ſapientiſſimo Dei conſilio forenſes illę leges promulgatę ſunt, ac in eadem obſervari debuerunt immotè: atqui reliquis gentibus non ſunt promulgatæ, quin & certum durationis tempus à Deo ipſo legibus hiſce præſtitutum eſt. Proinde cùm nobis non ſint latæ, cumque durationis terminus effluxerit, non eſt, quòd earum abrog..ione divinæ ſapientiæ quicquam detrahi metuamus. Promulgato novo fœdere omninò antiquari debuit vetus. Jerem. 31. v. 31. *Ecce dies venient & faciam fœdus novum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris.* Hebr. 8. v. 13. *Dicendo novum, antiquavit prius, quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Accuratè igitur hoc loco notandum, leges Romanas non ideò præferri forenſibus Moſaicis, quaſi ſimpliciter & abſolutè loquendo Legumlatores Romani ſapientiores fuerint ipſo Moſe, ſed quia nobis & noſtris politiis illæ non ſunt promulgatæ, præferuntur igitur Moſaicis Romanæ non ſimplici collatione, ſed temporum, loci & gentis conditione. Ariſt. 2. polit. cap. 4. requirit, ut Legiſlator accuratè perpendat locum & homines, cum ſit hominum inter ſe admirabilis diſſimilitudo; variaque pro locorũ diverſitate Natura. l. quod ſi 31. §. qui mancipia, ff. de ædilitio edicto. Bodinus 5. de Repub. cap. 1. 2. *Non legitur in N. T. forenſes leges Moſaicas à Chriſto vel Apoſtolis abrogatas, aliasve in illorum locum ſurrogatas eſſe.* Reſp. ſufficit non eſſe poſtliminii jure in noſtras politias à Chriſto vel Apoſtolis revocatas, ſublata enim politiâ Judaicâ, ipſæ quoque leges ejus ſublatæ judicantur. Quamvis verò Chriſtus & Apoſtoli non tulerint novas leges in ſpecie, tamen ratione generis promulgationem earũ Magiſtratui tradunt, eandemque confirmant, quando Magiſtratui debitum pręſtare obſequium jubent, cujus obſequii pars eſt non poſtrema, legibus Magiſtratꝰ ſeſe obſequentem præſtare Matthæi 22. v. 21. Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. 3. *Chriſtus diſertè pronunciat, ſe non veniſſe ut legem ſolveret.* Matth. 5. v. 17. *Ergò approbat leges Moſaicas.* Reſp. loquitur Chriſtus de lege morali, quę non eſt ad tempus data, ſed eſt æterna ſapientia & regula juſtitię in Deo, quam Chriſtus non abrogavit, ſed perfectiſſimè implevit, quinimò ad obœdientiam illius donatâ ſuâ juſtitiâ & Sp. ſancto credentes renovat. Porrò de lege morali Chriſto ibi ſermonem eſſe, circumſtantiæ textus evidenter oſtendunt, quòd verò Moſaicas forenſes attinet, de illis pronunciat Apoſtolus Epheſ. 2. v. 15. *quòd Chriſtus legem mandatorum in decretis evacuaverit* καταργήσας: quid quod eo ipſo in loco v. 31. libellum repudii Chriſtus improbat, qui tamen lege Moſaica erat permiſſus Matth. 19. verſ. 8. Hujus loci eſt obſervatio illa; quòd quædam leges forenſes ad partem quandã legis Ceremonialis ſuum habuerint reſpectũ, & ſuã ex ea dependentiam. Verbi gratia: Qui homicidium commiſerat fortuitum, cogebatur in civitate refugii ſe continere uſq; ad mortem ſumi Sacerdotis, quia verò Leviticum Sacerdotium per adventũ Meſſiæ, qui eſt unicus N. T. ſummus Sacerdos, abrogatum eſt, ipſam quoq; legem illam forenſem abrogatam eſſe evincitur, proinde verba Chriſti non poſſunt ad leges forenſes Moſaicas referri. 4. Joh. 8. v. 6. *non abrogat Chriſtus legem de pœna adulteræ.* Reſp. imò verò eo in loco legẽ Moſis nec abrogat, nec approbat, ſed ad Scribas & Phariſæos dicit v. 7. *Quisquis veſtrùm ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat*, ad mulierem verò adulterã dicit v. 11. *ſi nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo.* Sanè non haberi in omnibus exemplaribus hanc pericopen fatetur Hieron. Dial. 2. adv. Pelad. Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Nonnus, Paraphraſis Syriaca, eã prætermittũt, ſed Auguſtinus lib. 2. de

adulterinis conjugiis ad Pollent. ſtatuit verè à Johanne conſcriptam eſſe hanc hiſtoriam, *ſed curatum à crudelibus maritis, ut expungeretur, quò adulteras uxores occidere ſibimetipſis liberum eſſet relictum.* Sed enim non inviti acceptamus hanc pericopen, ex qua tamen evinci nequit, vel forenſes leges Moſaicas à Chriſto comprobatas, vel adulterii pœnas politicas ab ipſo ſublatas eſſe, ſiquidem id ſolùm oſtendere voluit, ſe non veniſſe eo fine in hunc mundum, ut pœnas civiles irrogaret, vel politici muneris partes ſibi ſumeret, quo reſpectu in cauſa dividendæ hereditatis partes judicis ſibi delatas ſumere itidem recuſabat. Luc.12.v.14. 5. *Magiſtratus non poterit eſſe certus, quòd judicium juxta leges Romanas latum Deo placeat, cùm deſtituatur verbo.* Reſp. imò verò Deus ipſe jubet obœdire Magiſtratui, concedit igitur eidem poteſtatem ferendarum legum, quæ non pugnent cum lege morali vel rectâ ratione, ſed ſint appẽdices legis moralis cum honeſtate congruentes, ad cujuſvis Reip. ſalutẽ & incolumitatem accommodatæ. 6. 1.Cor.6. v.1. *Corinthii reprehenduntur, quòd coram Ethnicis Magiſtratibus litigent, improbantur igitur Ethnici Magiſtratus, leges & judicia.* Reſp. diſtinguendum inter rem & rei modum ac cauſam. Non ſimpliciter improbat Apoſtolus quòd judicium ſuarũ controverſiarũ deferrẽt ad Magiſtratũ Ethnicũ, cujus imperio ſubjecti erant Corinthii, cum diſertè præcipiat Magiſtratibꝰ obœdire, qui eo tempore non erant alii quã Ethnici, ſed perverſum illum modum improbat, quòd ex φιλονεικίᾳ quacunq; de cauſa coram Ethnicis Magiſtratibus magno cum offendiculo acerbè litigare non erubeſcerent, cùm ſcandali avertendi & publicę tranquillitatis cauſã injurię condonari vel certè per arbitros Chriſtianos componi potuiſſent ac debuiſſent.

Lex moralis in N. T. non eſt abrogata.

42. Certum igitur eſto, leges forenſes Moſaicas non minùs quàm Ceremoniales in N.T. abrogatas eſſe, ſed lex moralis, cujus ſuῶa in Decalogo proponitur, neutiquam per adventũ Chriſti antiquata, ſiquidem 1. eſt æterna & iῶota ſapientia ac regula juſtitiæ in Deo. Baruch.3.c.39. *Hic liber mandatorum Dei & lex, quæ eſt in æternum.* 2. mentibus hominũ in prima creatione eſt inſita & inſculpta, cujus tenues quædã reliquię ac ſcintillulæ etiamnũ poſt lapſũ deprehenduntur. Rom.2.v.14. *Ethnici ſibi ipſis lex ſunt, qui oſtendunt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis.* 3. in Paradiſo ſtatim primis hominibus patefacta ac repetita eſt, etenim lex illa primordialis de nõ comedendo vetitæ arboris fructu ſanctiſſimæ illiꝰ Deo creatori debitę obœdientię, dilectionis & timoris exercitium præſcribebat. Eccl.17.v.9. *legem vitæ tradidit* (Deus primis hominibus) *hereditariam.* 4. ab initio mundi etiã ante Moſen vox ejus ſemper ſonuit in Eccleſia, ut oſtendimus in tractatu præcedente. 5. in ipſa promulgatione per Moſen à ceremonialibus & forenſibus eſt diſtincta, ut oſtendimus ſuperiùs ſect.2. 6. Chriſtus diſertè teſtatur ſe non veniſſe, ut legem ſolveret Matth.5.v.17. tantùm igitur abeſt, ut Chriſti adventus legem moralem ſuſtulerit, ut manifeſtum potiùs teſtimoniũ ſit perpetuitatis illius, quam legi morali aſſignavimus. Neceſſarium erat ad juſtificationem & ſalutem noſtrã, Chriſtũ noſtri loco legi ſe ſubjicere, eidemq; perfectam obœdientiã præſtare, ergo lex moralis eſt æterna & immota. 7. Prophetæ in V.T. & Apoſtoli in N. vocem legis moralis in ſuis ad gentes concionibus diſertè repetũt, reipſã igitur oſtendunt, normam legis moralis ad omnes homines pertinere. 8. Credentes per Spiritum ſanctum renovantur, ut incipiant etiam in hac vita legi morali obœdientiam præſtare, quæ in æterna demum vita conſummata erit ac perfecta. Roman.3.v.3. *Deus miſſo Filio ſuo, de peccato damnavit peccatum.* verſ.4. *Ut juſtificatio legis in nobis impleretur.*

An aliquo ſaltem modo abrogata.

43. Sunt, qui ſtatuunt legem moralem quod ad obœdientiam attinet, perpetuam & iῶotam eſſe, interim tamen triplici ratione abrogatam dici poſſe. 1. Quoad juſtificationem quia lex moralis non minùs ad juſtificationem nobis invalida atque inutilis, quàm Ceremoniales & Forenſes Galat.3.v.21. *non eſt data lex, quæ poſſit vivificare.* 2. Quoad maledictionem, *quia nulla eſt condemnatio his qui ſunt in Chriſto*, Rom.8. verſ.1. 3. Quoad rigorem exactionis, quia renatorum opera placent Deo, licet exactiſſimo legis rigori non ſatisfaciant. Gal.5.v.18. *Si Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Hæc quidem verè dicuntur, quòd juſtificatio noſtra non pendeat ex operibus legis moralis, quòd credentes non ſint ſub maledicto, quòd opera piorum placeant Deo, licet ſint immunda & imperfecta, ſed num propter has cauſas & propter hos reſpectus abrogatio quædam legi morali ſit tribuenda, diſpiciendum erit. Quod ad juſtificationem & vitam hominibus poſt lapſum lex invalida eſt, illud nullam affert legi mutationem vel abrogationem, ſed in nobis grandem mutationem factam eſſe arguit, ideò enim ex lege non poteſt ſperari juſtificatio & ſalus, quia per carnem infirmatur Rom.8.v.3. Pari ratione, quòd credentes in Chriſtum non ſunt actu obnoxii maledicto legis, ex eo itidem nulla poteſt mutatio vel abrogatio legi tribui, ſiquidem proprietatem & efficaciã ſuam accuſandi, maledicendi & damnandi vox legis obtinet perpetuam, quòd hanc vim ſuam actu non exerit adverſus credentes, ex accidenti provenit, nimirum quia ſcutum divinæ gratiæ ac pallium juſtitiæ Chriſti eos tegit. Idem judicium ſit de rigore exactionis, qui legi manet perpetuus ac inviolatus, quem ipſi etiam credentes & ipſorum opera experiri cogerentur, niſi credentes eſſent, h. e. niſi per fidem in Chriſtum Deo reconciliati eſſent propter quem etiam opera ipſorum, licet multis modis immunda & imperfecta ſint, Deo placent. Rectè igitur monet D. Chemn. loco de lege p.48. ſcripturam non dicere, quòd lex moralis ſit mortua, abrogata vel evacuata, ſed nos dici mortuos, & abrogatos legi, ut ſignificet fieri mutationem non in regula illa juſtitiæ in Deo, ſed in nobis Rom.3. v.31. *Legem non καταργοῦμεν abrogamus per fidem, ſed nos κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντες* Rom.7 v.6. Lex non ceſſat accuſare, maledicere, iram operari, *ſed lex Spiritus vitæ in Chriſto Jeſu ἠλευθέρωσε liberavit nos à lege peccati & mortis*, Rom.8.v.2. Lex non eſt mortua, imò in ſe ac per ſe eſt *ſermo vivus* Actor.7.v.38. ſed nos ἐθανατώθημεν *mortui ſumus legi* Rom.c.7.v.4. Gal.2.v.19. Legis vox perpetua eſt. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in hoc libro, ut faciat ea, ſed Chriſtus nos redemit ἐξηγόρασεν à maledicto legis* Gal.3.v.13.

44. Porrò

Quis uſus ll. Ceremonialiũ & Forenſium in N.T.

44. Porrò quamvis leges Ceremoniales & forenſes in N. Teſt. abrogatæ ſint, non tamen nullus earum eſt uſus. Quemadmodum enim vaticinia Prophetarum de adventu Chriſti, licet impleta ſint, magno nihilominus cum fructu in Eccleſia leguntur: ita quoq; Leviticæ illæ Ceremoniæ licet abrogatæ ſint, nihilò tamen minùs utiliter inveſtigatur & cognoſcitur, quomodo in illis Chriſtus cum omnibus ſuis beneficiis fuerit præfiguratus. Joh. 5 v. 46. dicit Salvator: *Si Moſi crederetis, crederetis etiam mihi, de me n. ille ſcripſit*, intellige non tantùm expreſſis vaticiniorum dictis, ſed & obſcuris Ceremoniarum typis, quam rem latè tractant Origenes, Cyrillus & Radulphus in Leviticum, Bertborius in allegoriis, Ludovic. Carbonis in tractatu de Chriſto abſcondito. D. Pelargus in Exodum, Leviticũ, Numeros, Deuteronomium. Bacmeiſterus in libro de typis V. Teſt. aliiq́ue complures. Judiciales leges ita ſunt abrogatæ, ut Chriſtiano Magiſtratui liberum ſit, quaſcunque cum ſtatu illius politiæ, cui præeſt, congruere animadvertit, eaſdem obſervare atque obſervandas proponere. Adde, quòd utrarumque tum Ceremonialiũ tum Forenſium genus ſive morale perpetuum ſit, quod in illis eſt εὐσχημοσύνη Eccleſiaſtica, in his juſtitia politica. quæ non minus in N. quàm in V. Teſt. nobis eſſe debent commendata. Atque hęc dicta ſint de lege morali, ceremonialibus & forenſibus, Chriſto Jeſu qui eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti ſit laus, honor & gloria in ſeculum, Amen.

DE EVANGELIO.

I.

Connexio cum loco præcedente

Fidelis noſter ἀρχιποιμὴν Chriſtus Jeſus duabus virgis ſive baculis gregem ſuum ſe regere profitetur, Zachar. 11. v. 7. Prior paſtoralis baculus vocatur נֹעַם noam, jucundus ſive amœnus, per quem denotatur doctrina Evangelii, quæ contritis cordibus peccatorum remiſſionem annunciando ſuaviſſima amœnitate eadem perfundit Eſa. cap. 61. v. 1. & 2. poſterior appellatur baculus חֹבְלִים Chobhelim, LXX. reddiderunt σχοίνισμα, ſignificat enim חָבַל Chabhàl, fune conſtringere & colligare, quod cùm dolorem & moleſtiam afferat, ideò חֵבֶל Chæbhæl, uſurpatur pro dolore, ad quam ſignificationem in Germanica hujus loci verſione D. Luth. reſpexit. Ergo per baculum חֹבְלִים Chobhelim, conſtringentium ſive dolorum denotatur doctrina legis, quæ duris obœdientiæ frenis ac vinculis homines conſtringit, & manifeſtando peccati atrocitatem ingentes in corde hominum dolores excitat Rom. 4. v. 14. Geminus iſte ἀρχιποιμένος noſtri baculus indicio eſt, utrumque doctrinæ cœleſtis caput legem ſcil. & Evangelium in Eccleſia docendum, urgendum & inculcandum eſſe; quod manifeſtò Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum, imò ipſius Chriſti in terra verſantis exemplo comprobatur, cùm ad unum omnes in miniſterii partib. rectè obeundis ita ſe geſſerint, ut vulneribus animarum ſanandis *vinum* legis & *oleum* Evangelii adhibuerint Luc. 10. v. 34.

2. Sanè ſi inconcreata integritate primus generis noſtri parens perſtitiſſet, unum doctrinæ cœleſtis genus (legem intellige) ad ſalutem ipſi fuiſſet ſufficientiſſimum; ſiquidem perfectam & numeris omnibus abſolutam obœdientiam legi præſtando vitæ æternæ brabeum acquirere potuiſſet: ſed poſtea quam in peccatum prolapſus in miſerã implendæ legis ἀδυναμίαν incidit, alio ad vitam ac ſalutem adminiculo, Evangelii ſc. promiſſionibus indiget, quod vel ex eo patere poteſt, quòd miſertus Adami ac noſtrum omnium Deus ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens protevangelium de ſemine mulieris caput infernalis ſerpentis contrituro ſtatim poſt lapſũ in Paradiſo revelaverit; ex eo tempore in Eccleſia ſemper conjuncta fuit legis & Evangelii prædicatio, quam utriuſque doctrinæ conjunctionem ipſius Dei προτευαγγελίζοντος exemplum comprobavit. Convenienti igitur ordine legis divinę explicationi ſuccedit doctrina Evangelii; ſiquidem quos malleus legis contrivit, quos tonitru legis exterruit, eos Evangelii prædicatio velut ſuaviſſimum balſamum ſanat & exhilarat: Quam legis rigor ſeverè exigit obœdientiam, eam à Chriſto noſtri loco præſtitam eſſe Evangelium nunciat. Tranſibimus igitur à Moſe ad Chriſtũ; à monte Sinai ad montem Sion, à morbi indicio ad ejuſdem remedium.

3. Quòd Chriſtus & Apoſtoli primariam illam doctrinæ ſuæ partem de gratuita peccatorũ remiſſione & miſericordia cœleſtis Patris Evangelium vocarunt, eâ in parte Græcam V. Teſt. interpretationem, quę omnium manibus tum temporis ferebatur, ſecuti ſunt. *Evangelii ἐτυμολογία.* Pſal. 40. v. 8. dicit Meſſias: *Ecce venio, in capite libri de me ſcriptum.* v. 10. εὐηγγελισάμην δικαιοσύνην ἐν ἐκκλησίᾳ, quem locum Epiſt. ad Hebr. c. 10. v. 5. diſertè ad Chriſtũ refert. Pſal. 68. v. 12. δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει, hunc Pſalm. D. Apoſt. Eph. c. 4. v. 8. & ſeqq. ad Chriſti regnum accommodat; Utiq; ergò propria ipſius doctrina eſt Evangelium. Pſ. 96. v. 2. εὐαγγελίζεσθε ἡμέραν ἐξ ἡμέρας τὸ σωτήριον αὐτοῦ, Evangelium eſt novum illud N. Teſt. canticum de ſalutari Domini. Eſa. 40. v. 9. ἐπ' ὄρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι ὁ εὐαγγελιζόμενος; quem locum de Chriſto intelligendum eſſe circumſtantiæ textus oſtendũt. Eſa. 41. v. 27. in vulgata verſione habetur verbum Evangelizandi, ſed in Gręco eſt παρακαλέσω εἰς ὁδόν. Eſ. 52, 7. ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τοῦ εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά. Nah. 1, 15. ἰδοὺ ἐπὶ τὰ ὄρη οἱ πόδες εὐαγγελιζομένου &c. hoſce textus de prædicatione gratię in N. T. accipit D. Apoſt. Rõ. 10. v. 15. Eſa. 60. v. 6.

τὸ σωτήριον ὑμῶν εὐαγγελιζόντων Eſa.61.v.1. εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με; quem locū de miniſterio ſuo Chriſtus interpretatur Matt.11.v.6. Luc.4.v.18. Quidā diſtinguūt inter ἐπαγγελίαν, quam vocant promiſſionem de Chriſto exhibēdo & εὐαγγέλιον, quod vocant nuncium de Chriſto exhibito: ſed diſcrimen hoc non eſt perpetuum, ac non de ipſa re, quæ utrobiq; eadem eſt, ſed de patefactionis modo accipiendum.

Definitio nominis. 4. Porrò εὐαγγέλιον ſive εὐαγγελία ex vi nominis eſt bonum nuncium. Auguſt. lib. 2. contra Fauſt. c.6. *Certe omnes qui Græcè vel tenuiter noverunt, Evangelium bonum nuncium aut bonā annunciationem interpretantur.* Idem 18. de C.D. c.35. *Evangelium eſt bona annunciatio.* **Suidas εὐαγγέλιον τὸ κάλλιστα διαγγέλλον. Judęi hanc vocem ridēt & Evangeliū per contmetū dici volūt, q. און גליון mendaciū ſeu iniquitatem voluminis. Vide Guid. Fabric. in Lexico SyroChaldaico in rad. גלא** Chemnit. Theolog. incomparabilis, triplicem hujus vocabuli uſū ex Gręcis ſcriptoribus annotat parte 2. loc. p.555. *ὁμωνυμία.* primò ſumitur pro ipſa fauſta aññunciatione de re bona & lęta, Ariſtoph. in Pluto. ἀναδῆσαι βούλομαι εὐαγγέλια σὲ ἐπαγγείλαντα. Secundò pro munere ſive præmio, quod datur læta nuncianti. Hom. Odyſſ. ξ. εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω. Cic. lib. 2. Epiſt. ad At. Epiſt. 8 *O ſuaves tuas Epiſtolas, quib. Evangelia deberi fateor!* Tertiò pro ſacrificiis & ſupplicationibus, quæ decernebantur pro nuncio rei benè geſtæ. Plut. in Phocione. εὐαγγέλια θύειν; ** Imò eædem ſignificationes occurrunt in ſacris literis. Prima invenitur 2.Sam.4.v.4.c.18.v.27. Eſa.61. v.1.& 2. Secunda extat apud LXX. 2.Sam.4.v.10 & 18.v.22. Tertia eſt apud D. Paul. Rom.15.v.16 ubi ſeipſum appellat λειτουργὸν χριστοῦ ἱερουργοῦντα τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ.** LXX. Interpp. uſurpant vocem εὐαγγελίζειν loco בשר Biſſer, anounciavit carnea, mollia & læta, ac ſemper uſurpatur in bonam partem de læto bonæ rei nuncio. Semel tantùm in malam partem videtur uſurpari, 1.Sam.4. v.17. de eo, qui mortem liberorū parenti Eli nūnciabat, quod ipſum tamen à quibusdā hac ratione explicatur, licet parenti triſte fuerit de morte filiorum nunciū, tamen populo Dei fuiſſe gratiſſimum, quòd à peſſimis illis Sacerdotii ſtrumis fuerit liberat⁹. ** Videtur enim Spir. S. hoc verbo uſus propter ſalutarem & lætū eventū, qui captam arcam & interfectos filios Eli ſecutus eſt, ut Deum de more res ſalutares ſine magnis motib. moliri non ſolere ſignificetur. Quidam recurrūt ad myſterium, quòd verè fuerit bonum nunciū, arcam Teſt. legem Dei & cultum veri Dei tranſlata eſſe ad allophilos, Synagogâ deſtitutâ & mortuo V.T. ſacerdotio. Poteſt etiam referri ad fūdamentū Evangelii q̃ eſt incarnatio Filii Dei.** Significationes illę, ad quas exprimēdas בשר Biſsér, & εὐαγγελίζειν in ſcripturis adhibentur, ad qualitatem doctrinę Evangelicę pulcerrimè adhiberi poſſunt. In genere בִשר hiſſer, ſignificat carnea & mollia annunciavit, vel carni annunciavit lęta, ut ita conditio hujus doctrinæ indicetur, quòd bona ſua ultrò omnib. offerat ac lætiſſimo nūcio eos exhilaret; ſimulq; auditorū ſors exprimatur, quòd ſint caro & multis infirmitatib. obnoxii, ut proinde hanc ſalutem divinitùs oblatam neutiq̃ negligere debeant. In ſpecie uſurpantur hæ voces, 1. quando hoſtes, à quib. magnum & anceps iñuncbat periculum, fugati, & pax reſtituta nunciantur 1.Sam.31,9. 2.Sam.1,20. 2.Sam.18,19. Sic Evangelium annunciat, Chriſtū nos *liberáſſe è manu inimicorum noſtrorū*, Luc.1,74. *Eripuiſſe nos ex poteſtate tenebrarum*, Col.1,13. *Expoliaſſe Principatus & poteſtates, ac triumphū de illis egiſſe*, Col.2,15. inde Pſ.68,12.&13. hęc duo conjungūtur, *Dominus dat verbum, Evangelizantium exercitum numeroſum, & habitatrix domus dividit ſpolia.* Vide Chryſ. hom.1. in Matt.2. quando nunciatur alicui natus filius Jer.20,15. ſic in Evangelio nunciatur *puer nobis natus, & filius nobis datus*, Eſa.9,6. *Qui dederit poteſtatem filios Dei fieri omnibus, qui fide eum recipiunt*, Joh.1,12. *Vita per ipſum nobis contingat* ἐξοδοποιία Gal.3,5. 3. quando captivis nunciatur liberatio, lugentib. cōſolatio, Eſa.61,1. ſic in Evangelio nunciatur, Chriſtum nos *vinctos eduxiſſe è lacu in quo non erat aqua*, Zach.9,11. hinc lætiſsima illa acclamatio, Eſ.40. v.1. *Conſolamini, conſolamini populum meum, dicit Deus veſter, loquimini ad cor Jeruſalem & prædicate illi, quòd completa ſit militia ejus.* 4. quando obſidionis ſolutio nunciatur 2.Reg.c.7,9. ſic in Evangelio prædicatur liberatio ex infernali carcere & poteſtate Satanæ. 5. quando hoſtis exitium ac interitus nunciatur, 2.Sam.4:v.10. ſic in Evangelio lætiſsimum illud prædicatur nuncium, quòd Chriſtus ſit mors noſtræ morti & peſtis inferno Oſe.13.v.14.

6. Propria & genuina hujus vocabuli ſignificatio ea eſt, quando uſurpatur ꝓ doctrina de gratuita peccatorū per fidem in Chriſtum remiſsione: quò pertinent omnia Scripturę dicta, in quib. Evangelii appellatio huic doctrinæ cœleſtis generi tribuitur. Matt.11,5. *Pauperib. Evangelium nunciatur, &c.* 2. huic ſignificationi affinis eſt ea, quâ de publico exhibiti Meſsiæ præconio ac ſoleoni N.T. promulgatione uſurpatur Marc.1.v.1. *Initiū Evangelij Jeſu Chriſti*; ubi oſtenditur, publici illius de exhibito Meſsia præconii initium cœpiſſe in p̃dicatione Joannis; cujus loci eſt obſervatio illa, q̃ doctrina de venturo Meſsia in V.T. vocatur ἐπαγγελία, ſed p̃dicatio N.T. de exhibito Meſsia εὐαγγέλιον. Rō.1,2. ꝓnunciat Apoſt. ſe eſſe *ſegregatum ad Evangelium prædicandū, q̃ per Prophetas priùs promiſſum* ὃ προεπηγγείλατο ὁ θεὸς διὰ τῶν προφητῶν. 3. Uſurpatur vox Evangelii γενικῶς de toto N.T. miniſterio, q̃ non ſolùm doctrinam gratię, ſed & legis cōplectitur. Marc.16. v.15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, quod Matt.28,19. in genere dictū eſſe exponitur, *Docete omnes gentes.* Monendum tamen, haud incōmodè Synecdochē ſtatui in illis pronūciatis, quę totum docendi miniſteriū Evangelii appellatione exprimunt, ut ex parte digniori & potiori totū intelligatur. 4. Deniq; tribuitur hæc appellatio Hiſtoricis Evangeliſtar. Scriptis, quib. nativitatem, vitam, doctrinam, miracula, paſsionem & reſurrect. Chriſti exponunt, quo ſenſu quidam accipiunt locū 2 Cor.8,18. *cujus laus eſt in Evangelio,* de Evangelicâ hiſtoria per Luc. conſcripta eum intelligentes, q̃ cum juſſu Apoſtoli Pauli cōſignatam ex Dorotheo Cyri Epiſcopo referat Niceph. l.2. Hiſt. c.43. ideò pleriq; veteres ſtatuunt Apoſtolum eò reſpicere, quando dicit *ſecundùm Evangelium meū*, Rō.16,25. 2. Tim.2,8. Referri hîc poteſt uſitata illa ſignificatio, quâ per Evangelii vocē intelligitur pericope & particula quædam Hiſtoriæ de Chriſto, quæ dieb. feſtis ac Dominicalibus pro concione explicari ſolet.

7.Ce-

Quando γενικῶς vel εἰδικῶς vox Evangelii uſurpetur.

7. Ceterùm an in genere pro toto cœleſtis doctrinæ ſyſtemate, an verò in ſpecie & propriè pro doctrina gratiæ vox Evangelii uſurpetur, ex circumſtantiis cujusq; loci facilè intelligitur. 1. Ubicunq; Evangelio opponitur doctrina legis, vel effectus quidam ex lege ortus, puta contritio, ira, dolor, &c. ibi certum eſt Evangelii appellatione doctrinam gratiæ intelligi, Marc. 1. v. 15. *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio.* 2. Ubicunque ſubjectum ſeu materia Evangelii ſtatuitur Chriſtus cum beneficiis ſuis, quæ ſunt gratuita peccatorum condonatio, cum cœleſti Patre reconciliatio, υἱοθεσία; ibi itidem vox Evangelii propriè & in ſpecie accipitur, prout à lege diſtinguitur, Eſa. 61. v. 1. *Ad Evangelizandum manſuetis miſit me, ut alligarem contritos corde, ut prædicarem captivis libertatem.* 3. Ubicunq; objectum Evangelii ſtatuuntur homines, peccati agnitione ac ſenſu iræ divinæ contriti, ibi itidem vox Evangelii pro doctrina gratiæ accipienda. Matth. 11. v. 5. *Pauperibus prædicatur Evangelium*, nimirum illis, qui ſpiritu ſunt pauperes Matth. 5. v. 3. 4. Ubicunq; effectus Evangelii ſtatuitur vita & ſalus æterna, ibi certum eſt Evangelii appellatione prædicationem gratiæ intelligi, ſiquidem juſtitia & ſalus non contingit nobis ex lege, ſed ex Evangelio propriè ſic dicto; non ex operibus, ſed ex fide; non ex merito, ſed ex gratuito Dei dono. Rom. 1. v. 16. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* 5. Ubicunque relatum Evangelii ſtatuitur fides, ibi itidem voce Evangelii doctrinam gratiæ denotari judicandum, ſiquidem *lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo, vivet in eis.* Gal. 3. v. 12. ſic Marc. 1. v. 15. *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio.*

Evangelii ſynonyma.

8. Appellationes ſynonymas, quæ in Scripturis ſacris Evangelii doctrinæ tribuuntur, pulcerrimo ordine digeſſit D. Chemn. in haſce claſſes: 1. quædam ſunt generales, utpote quando appellatur lex, verbum, teſtimonium, præceptum, doctrina, mandatum, veritas, via veritatis. 2. quædam ſunt quaſi notatio periphraſis, aut explicatio vocabuli Evangelii, ut quòd vocatur bonum Dei verbum, bona doctrina, ſanus ſermo, ſana doctrina, κήρυγμα. 3. quædam petitę ſunt ex cauſa efficiente, utpote quæ loquuntur de autore Evangelii, quando vocatur ſermo Dei, verbum Dei, Evangelium Dei, Evangelium Chriſti, teſtimonium Dei, teſtimonium Chriſti, teſtimonium Spiritus, doctrina Spiritus, ſermo quem miſit Deus, ſapientia Dei, myſterium Chriſti, beneplacitum voluntatis Dei, &c. quò pertinent appellationes ex cauſa inſtrumentali ſive miniſteriali deſumtæ, utpote quando vocatur Evangelium Apoſtolorum, doctrina Apoſtolorum. 4. quædam ſubjectū ſeu materiam Evangelii monſtrant & deſcribunt, ut quòd vocatur promiſſio, Evangelium Chriſti, verbum Chriſti, doctrina Salvatoris, Evangelium regni, ſcientia ſalutis, promiſſio vitæ æternæ. 5. quædam ab affectibus Evangelii ſunt deſumtæ, quando vocatur ſermo vitæ, verbum gratiæ, Evangelium ſalutis, Evangelium pacis, lex libertatis, Evangeliū gloriæ beati Dei, Evangelium regni: vocat enim nos ad regnum gratiæ, exhibet bona ejus regni & transfert in regnum gloriæ. 6. quædā ab objecto petitæ ſunt, quando vocatur verbum fidei, auditus ſeu prædicatio fidei, lex fidei. 7. quædam appellationes ſunt metaphoricæ, ut quando dicitur bonus odor, bonum ſemen, vinum novum, ſibilus, fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ac ſincerum, lux, cibus, paſcua, aqua refectionis, menſa, calix exuberans, virga, baculus, &c. ** Sic Evangeliū confertur fonti. 1. reſpectu neceſſitatis. 2. reſpectu utilitatis. 3. reſpectu puritatis. 4. ratione ſuavitatis. 5. ratione communitatis. Pſal. 84. ** Hiſce addenda. 8. claſſis appellationū ex adjunctis petita, ut quando vocatur Evangelium æternū, arcanum voluntatis divinæ beneplacitum, myſterium, &c. Itemq; 9. ex accidentariis effectibus & adjunctis petita, utpotè quando vocatur ſermo crucis, offendiculū crucis, ſtultitia Dei, ſtultitia prædicationis, odor mortis &c. Ea enim nō per ſe, ſed ex accidenti huic doctrinæ conveniūt. Ad has claſſes referri poſſunt omnes, quæ uſpiam in Scripturis Evangelio tribuuntur appellationes. Quædam enim ſunt propriæ, quædam figuratæ. Utræq; petuntur vel ex cauſis, vel effectis, vel ſubjectis, vel adjunctis.

Summa Evangelii ex V. T.

9. Ad definitionem Evangelii in Scripturis traditam pertinent non ſolùm Epitheta ſive appellationes, quæ huic doctrinæ tribuuntur, ſed etiam ſummæ Evangelicæ brevibus ſententiis comprehenſæ, ut & integræ deſcriptiones, quarum potiores recenſebimus, cùm genuinam Evangelii naturam pulcerrimè exprimant. Obſervandum igitur Evangelium in V. Teſt. hoc modo deſcribi; quòd ſit concio Dei lætiſſima de *ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, cujus calcaneo idem ſit inſidiaturus*, h. e. de Meſſiæ paſſione & morte, per quam potentia Diaboli iterum conculcanda, & regnum ejus deſtruendum. Geneſ. 3. v. 15. quòd ſit promiſſio de Meſſia ex ſemine Abrahæ naſcituro, *in quo benedicenda ſint omnes gentes*, ita ut fides in hanc promiſſionem ipſis imputetur ad juſtitiam. Gen. 12. v. 2. cap. 15. v. 6. cap. 22. v. 18. (ad Iſaacum illa promiſſio repetitur, Geneſ. 26 v. 4. ad Jacobum Geneſ. 28, v. 14.) quod ſit concio de Meſſia *ex tribu Iuda naſcituro, qui futurus ſit Siloh virginis filius*, vel ut alii vertunt, fauſtus ac proſper, *cui gentes per fidem adhærebunt*, Geneſ. 49. v. 10. quòd ſit *promiſſio de tali quodam Propheta, qui Moſi futurus ſit ſimilis, qui ex populo Iſraelitico oriundus ſit, qui nomine Dei ad homines locuturus, qui ab omnibus cum fidei obœdientia audiendus ſit* Num. 24. v. 17. Deut. 18, v. 18. & 19. quòd ſit promiſſio de Filio Dei in plenitudine temporis ex Davidis ſemine veram humanam Naturam aſſumturo, qui pro peccatis humani generis moriturus ſit, ex morte tamen reſurrecturus, in cœlum aſcenſurus, & ad dextrā Patris collocandus, qui futurus ſit Rex, Sacerdos, Sponſus Eccleſiæ &c. quæ omnia ex repetitione promiſsionis Davidi traditæ, 2. Reg. 7. 1. Paral. 22. & ex ejusdem illuſtratione in Pſalmis ex Spiritus ſancti inſtinctu editâ manifeſtè colliguntur, Pſal. 2. 8. 22. 45. 68. 89. 110. quòd ſit concio de Meſsia, qui futurus ſit *Immanuel*, DEUS & HOMO, *Filius virginis*, Eſa. 7. v. 14. pro peccatis totius humani generis in ara crucis immolandus, Eſa. 43. v. 24. cap. 53. v. 4. & ſeqq. cujus ſalutari agnitione juſtificemur, Eſ. 53. v. 11. quòd ſit concio *de germine Davidis ſuſcitando, qui vocandus ſit Iehovah juſtitia noſtra*, Jerem. 23. v. 5. cap. 33. v. 15. quòd ſit doctrina de paſsione & morte Meſsiæ, per quam *finienda prævaricatio, conſummandum peccatum, expianda iniquitas & æterna juſtitia adducenda.* Daniel. 9. v. 24. quòd ſit lætiſsimum

nun-

nuncium *de morte per Meſſia mortem vincenda ac inferno deſtruendo*, Oſe.13.v.14. de Meſſia *in Bethlehem naſcituro, qui futurus ſit dominator populi, cujus egreſſus à diebus ſeculi*, hoc eſt, qui ſit Θεάνθρωπος, Mich.5.v.2. propter quem *peccata noſtra projiciantur in profundum maris*, cap.7. v.19. unde etiam vocatur *deſiderium gentium* Hagg.2. v.8. quòd ſit lætiſſima concio de Rege, qui ad *nos veniat Iuſtus & Salvator*, Zach.9.v.9. quòd in eo propoſitus ſit *fons patens in expiationem peccati & in aſperſionem*, Zach 13.v.1. quòd ſit concio univerſalis ad omnes gentes pertinens, Malach.1.v.11. de Mediatore Novi Teſtamenti, cap.3.v.1. de *Sole juſtitiæ, ſub cujus alis ſit ſalus*, cap.4.v.2.&c.

Ex N. T. 10. In Novo Teſtamento plures & illuſtriores extant Evangelii deſcriptiones, utpotè quòd ſit doctrina de Filio Dei in plenitudine temporis ex Maria virgine nato, qui ſit Jeſus & *Salvator, cùm ſervet populum ſuum à peccatis ipſorum*, Matthæi 1.v.21. quòd ſit lætiſſimum nuncium pauperibus, hoc eſt, Spiritu contritis prædicandum, propter quos Dei Filius in mundum venerit, ut ad pœnitentiam eos vocaret Matth.9.v.13. Marci 2.v.18. Matth.11.v.5. Luc.5.v.32. cap.7.v.22. quòd ſit ſuaviſsima Chriſti vox, *quâ omnes laborantes & oneratos benevolè ad ſe invitat, ac requiē animarum ipſis promittit*, Matth.11.v.28.29. q̀ ſit prædicatio de paſsione, morte & ſepultura Chriſti in toto mundo annuncianda, Matth.26.v.13. Marc.14.v.9. quòd ſit *prædicatio omni creaturæ annuncianda, cui quicunque crediderit, ſalvus ſit futurus*, Marc.16.v.16. quòd ſit lætiſsimum de Chriſto Salvatore nobis nato nuncium, ad omnes omninò homines pertinens, Luc.2.v.10.11, quòd ſit doctrina ex ſinu patris cœleſtis per Filiū revelata, quæ *nobis monſtret agnum Dei tollentem peccata mundi, qui ſit plenus gratiæ & veritatis, ex cujus plenitudine omnes accipiamus gratiam pro gratia, propter quam contingat nobis ἐξουσία, credentibus ſcil. in nomen ejus*. Joh.1.v.12.14.16.18. 29.36. quòd ſit lætiſsima prædicatio de dilectione cœleſtis Patris, quâ *motus Filium ſuum in hunc mundum miſit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed per fidem habeat vitā æternam*, Joh.3.v.16. 18.36. quòd ſit ſalutaris Chriſti ſermo, *cui quisquis credat, habeat vitam æternam, & in condemnationem non veniat, ſed tranſiverit à morte in vitam*. Job.5.v.24. quòd ſit manifeſtatio voluntatis divinæ, qua omnibus in Chriſtum credentibus vita æterna & reſurrectio ad vitam promittitur. Joh.6.v.40. quòd ſit ſermo Chriſti, quem, *quisquis ſervaverit, mortem non viſurus ſit in æternum* Joh.8.v.51. quòd ſit prædicatio de Chriſto, qui *eſt reſurrectio & vita, in quem quisquis credit, etiamſi mortuus fuerit, vivat, & omnis qui vivit & credit in eum non moriturus ſit in æternum* Joh.11. v.25.26. quòd ſit promiſsio de vita æterna per veram cœleſtis Patris & Filii ejus Jeſu Chriſti cognitionem obtinenda, Johan.17.v.3. quòd ſit prædicatio Apoſtolorum in literas eo fine redacta, ut *credamus Ieſum eſſe Chriſtum, & ut credentes vitam habeamus per nomen ipſius*. Johan.20.v.31.

11. In concionib. & ſcriptis Apoſtolorū extant ſequentes Evangelii definitiones, quòd ſit *concio de regno Dei & nomine Ieſu Chriſti* Act.8.v.12. quòd ſit ſermo *quem miſit Deus filiis Iſrael, annūcians pacem per Ieſum Chriſtum, qui ſit omniū Dominus, cui teſtimoniū ferant omnes Prophetæ, quòd remiſſionem peccatorum accepturus ſit per nomen ejus, quisquis crediderit in eum* Act.10.v.36.43. quòd ſit bonum nuncium de impletione promiſſionis ad Patres factæ per exhibitum & reſuſcitatum Jeſum Chriſtum, ac de remiſsione peccatorum, liberatione à maledicto legis Moſaicæ, & vita æterna per fidem in ipſum conſequenda Act. 13.v.32.33.38.46. quòd ſit *doctrina à Deo per Prophetas in Scripturis tradita & antè promiſſa de Filio Dei, qui natus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem, declaratus autem Dei Filius cum potentia ſecundūm Spirit. ſanctificationis per reſurrectionem ex mortuis, quæ* (doctrina) *ſit potentia Dei ad ſalutem omni credenti* Rō.1.v.2.3.4.16. quòd ſit *lex* ſive doctrina *fidei, in qua juſtitia Dei absq; lege manifeſtetur Legis & Prophetarum teſtimonio comprobata, juſtitia inquam Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes qui credunt*. Rō.3.v.21.22.27. quòd ſit *verbum fidei, ſonus in omnem terrā propagatus de Chriſto, qui eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti* Rō.10.v.4.8.18. quòd ſit *præconium Ieſu Chriſti ac revelatio myſterii æternis temporib. taciti, manifeſtati v. tempore Apoſtolor. & per Scripturas Propheticas, juxta delegationē æterni Dei in obœdientiā fidei in omnes gentes patefacti* Rō.16.v.25 26. quòd ſit *teſtimonium Chriſti, ſermo crucis, ſtulta prædicatio de Chriſto crucifixo, quòd ſit factus nobis à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redēptio ſalvos faciens omnes credentes & omnem carnis gloriationem excludens* 1.Cor.1.v.6.18.21.29.30. q̀ ſit *teſtimonium Dei, prædicatio non in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritualis potentiæ, ſapientia Dei in myſterio latens, abſcondita illa ſapientia, quā præfinivit Deus ante ſecula de Ieſu Chriſto crucifixo* 1.Cor.2.v.1.2.4.7. q̀ ſit lætum nuncium de Chriſto, qui *mortuus eſt pro peccatis noſtris, ſecundū Scripturas, ſepultus & tertio die reſuſcitatus ſecundùm Scripturas*, quod ſi verâ fide acceptetur & in eo perſeveretur, ſalutem afferat 1.Cor.15.v.1.2.3.4. quòd ſit prędicatio Apoſtolorum de Chriſto Jeſu Dei Filio, in *quo omnes divinæ promiſſiones ſint ναὶ ἢ, ἀμὴν ad Dei gloriā* 2.Cor.1.v.19.20. quòd ſit *odor cognitionis divinæ manifeſtè per Apoſtolos in omni loco, credentib. quidem odor vitæ ad vitā & ſalutem, incredulis v. odor mortis ad mortem* 2.Cor.2.v.14.15.16. quòd ſit *miniſterium N. Teſt. non literæ occidentis, ſed Spiritus vivificantis & juſtitiæ in gloria, per quod retecta facie gloria Domini velut in ſpeculo manifeſtetur: ut in eandem imaginem transformemur ex gloria in gloriam ſicut à Domini Spiritu* 2.Cor.3.v.6.9.18. quòd ſit prædicatio de Chriſto Jeſu afferens lucē cordibus ad *illuminationem cognitionis gloriæ Dei in facie Ieſu Chriſti* 2.Cor.4.v.5.6. quòd ſit *miniſterium ſive ſermo reconciliationis, quem Apoſtoli Chriſti nomine legatione fungentes annunciant, q̀ per Chriſti mortem mundus ſit Deo reconciliatus, ac pro Chriſto rogant, ut reconciliemur Deo, h.e. ut fide oblata in Evangelio beneficia recipiamus* 2.Cor.5. v.18.19.20. quòd ſit *doctrina ab Apoſtolis in gentes prædicata per revelationem Ieſu Chriſti ipſis manifeſtata, quòd Chriſtus ſeipſum dederit pro peccatis noſtris, ut eriperet nos ex præſenti ſeculo malo juxta voluntatem Dei*. Gal.1.v.4.11.12.16. quòd ſit *veritas*, i.e. certa & vera doctrina, cujus ſumma, *nō juſtificari hominem ex operibus legis niſi per fidem Ieſu Chriſti, qui dilexit nos & tradidit ſemetipſū pro nobis* Gal.2.v.14.16.20. q̀ ſit p̄dicatio fidei de *ſemine*

Abraha

Abrahæ, in quo benedicantur omnes gentes, i. e. de Chriſto, qui redemit nos à maledicto legis, dum pro nobis factus eſt maledictum, Gal. 3. v. 2. 8. 13. quòd ſit manifeſtatio myſterii voluntatis Dei juxta beneplacitũ ipſius, quod propoſuit in ſeipſo, quòd ſit verbum veritatis manifeſtans decretũ voluntatis divinæ, quòd elegerit nos Deus in Chriſto ante jacta mũdi fundamenta ac prædeſtinârit nos εἰς υἱοθεσίαν per Chriſtum, Eph. 1. v. 4. 5. 9. 11. 13. quòd ſit nuncium pacis per Chriſtum allatum, per quẽ habemus acceſſum ad Patrem facti conceives ſanctorũ ac domeſtici Dei, Eph. 2. v. 17. 18. 19. quòd ſit revelatio myſterii Chriſti Apoſtolis & Prophetis ejus per Spirit. facta, prædicatio inperveſtigabilium divitiarum Chriſti, per quam nota fit in Eccleſia πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ, Eph. 3. v. 4. 5. 8. 10. quòd ſit verax ſermo de ſpe in cœlis nobis repoſita per Patrem cœleſtem, qui idoneos nos fecit ad participationem ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos ex poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnũ dilecti Filii ſui, per quem habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionẽ peccatorum Col. 1. v. 5. 12. 13. 14. quòd ſit ſermo certus ac dignus, quem modis omnib. amplectamur, cujus ſumma, quod Chriſtus Ieſus venit in mundum, ut peccatores ſalvos faceret 1. Tim. 1. v. 15. quòd ſit teſtimonium de Chriſto, ſive doctrina de gratia Dei nobis per Chriſtum donata ante tempora æterna, quæ palam facta per apparitionem Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui mortem abolevit, vitam autem in lucem produxit ac immortalitatem. 2. Tim. 1. v. 8 9, 10. quòd ſit prædicatio Apoſtolis in N T. commiſſa ſecundùm delegationem Servatoris noſtri Dei de ſpe vitæ æternæ, quã promiſit ὁ ἀψευδὴς Deus ante tempora æterna. Tit. 1. v. 2. 3. quòd ſit doctrina Servatoris noſtri Ieſu Chr. qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret ſibi populũ περιούσιον, zelotem bonor. operum Tit. 2. v. 9. 14. quòd ſit indubitatus ſermo de bonitate & philãthropia Dei, quâ nos ſalvos fecit per Chriſtum, cujus gratiâ juſtificati hæredes efficimur juxta ſpem vitæ æternæ, Tit. 3. v. 4. 5. 6. 7. 8. quòd ſit bonũ Dei verbum, per quod guſtamus donum cœleſte ac virtutes futuri ſeculi & participes reddimur Spir. S. Heb. 6. v. 4. 5. quòd ſit verbum ab Apoſtolis prædicatum per Spir. S. emiſſum è cœlo annuncians credentibus finem fidei ipſorũ ſalutem animarum propter Chriſtum 1. Pet. 1. v. 8. 9. 12. quòd ſit doctrina per Apoſtolos prædicata de promiſſione vitæ æternæ propter Chriſtum, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris 1. Joh. 2. v. 2. 24. 25. quòd ſit præceptũ Dei, ut credamus nomini Filii ejus Ieſu Chriſti, quod qui ſervat in Deo manet & Deus in ipſo 1. Joh. 3. v. 23. 24. quòd ſit teſtimoniũ Apoſtolor. de Filio Dei, quem Pater miſit Servatorẽ mundi, quem quiſquis fuerit confeſſus, quòd ſit Dei Filius, in eo manet Deus & ipſe in Deo 1. Joh. 4. v. 14. 15. quòd ſit teſtimoniũ Dei, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo, videl. quod vitã æternam nobis dederit Deus, & hæc vita ſit in Filio ejus, ut proinde quiſquis habet Filium, habeat vitã, ac quiſquis credit in nomine Filii, ſciat ſe habere vitam æternã 1. Johan. 5. v. 9. 11. 12. 13. quòd ſit ſermo Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti, quod ipſe nos dilexerit & laverit nos a peccatis noſtris per ſanguinem ſuum & fecerit nos Reges & Sacerdotes Deo ac Patri ſuo Apoc. 1. v. 2. 5. 6.

Parabolicæ ac typicæ Evangelii deſcriptiones

12. Referendæ etiam ad hunc locũ parabolicę ac typicæ Evangelii deſcriptiones, quib. lautiſſimo convivio, feſtivitati nuptiali, aliiſq; rebus lętiſſimis cõfertur. Pſ. 23. v. 1. Dominus paſtor meus, nihil mihi deerit, v. 2. in loco paſcuæ me collocavit; ad aquas refectionis me deduxit, v. 4. virga tua & baculus tuus ipſa me conſolati ſunt v. 5. paraſti in cõſpectu meo menſam, impinguaſti oleo caput meum, calix meus inebrians eſt. Eſa. 25, 6. Faciet Iehovah exercituũ omnib. populis convivium pinguium, convivium defæcatorum, pinguium medullatorũ & defæcator. purgatorum. Matt. 22, 2. Simile eſt regnum cœlorũ cuidam Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, v. 4. & per ſervos vocatis nunciari curat. Ecce prandiũ meum paravi, tauri mei & altilia mactata ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias Luc. 14. 16. Regnũ Dei confertur homini, qui inſtituit cœnã magnã & vocavit multos, v. 17. ac miſit ſervũ ſuũ horâ cœnæ ut dicerent invitatis: Venite, quia jam parata ſunt omnia. Luc. 15, 20. & ſeq proponitur typus Evangelii in receptione filii perditi, cui pater obviam occurrit, irruit in collũ ejus, ipſum deoſculatur, induit ſtolâ novâ, convivium ipſi parat &c.

Quæ ſit genuina & propria Evangelii doctrina.

13. Ex his Evangelii deſcriptionib. vel ab ipſo Deo immediatè, vel per Prophetas & Apoſtolos traditis facilè colligi poteſt, quænam ſit genuina & propria Evangelii doctrina, videl. gratuita promiſſio remiſſionis peccatorum, juſtitiæ & vitę æternæ propter Chriſtum in V. Teſt. promiſſum, in Novo autem exhibitum, qui pro peccatis noſtris in ara crucis ſatisfecit ac perfectam juſtitiam nobis promeruit, quam per fidem nobis donat & applicat. Pertinent igitur ad Evangelii doctrinam omnia illa Spiritus ſancti pronunciata, ſive in Vet. ſive in Novo Teſt. occurrant. 1. quæ loquuntur de gratia & miſericordia Dei; ſiquidem ex lege & operibus nemini poſt lapſum ſperanda Dei gratia, ſed in ſolo Chriſto, ex cujus plenitudine accepimus gratiam pro gratia Joh. 1. v. 16. hic eſt dilectus Dei Filius, in quo & nos cari Deo reddimur. Eph. 1. v. 6. 2. Quæ de Chriſti Redemtoris ac Mediatoris perſona ac ſalutari officio & beneficiis loquuntur; ſiquidem Lex noſtram exigit ſolutionem & obœdientiam. Chriſtum verò ejusque beneficia ignorat. Anshelm. præfat. in Matth. Materia Evangelii ſunt ſeptem beneficia. Primum beneficium eſt, quòd Chriſtus factus eſt Homo, ſecundum Baptiſmus, tertium paſſio, quartum quòd ſpoliavit infernum, quintum quòd ſurrexit, ſextum quòd cœlos aſcendit, ſeptimum ſecundus adventus, in quo remunerabit ſuos. 3. Quæ de fide, per quam beneficiorum Chriſti participes reddimur, agunt; ſiquidem Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit eo homo, vivet in eis, Galat. 3. v. 1. 12. 4. Quæ de Sacramentis, eorumque fine & uſu loquuntur; ſiquidem Sacramenta ſunt Evangelicarum promiſſionum ſigilla, fidei excitandæ, augendæ & confirmandæ media divinitùs inſtituta. Roman. 4. v. 11. circumciſio vocatur σφραγὶς δικαιοσύνης τῆς πίστεως.

Quænam ſint Evangelii beneficia.

14. Ceterùm ut beneficia Chriſti verbo Evangelii oblata rectiùs agnoſcamus & expendamus obſervandum eſt, ea eſſe partim privativa, partim poſitiva. Privativa τῇ τῶν κακῶν ἀφαιρέσει, poſitiva τῇ τῶν ἀγαθῶν θέσει conſtant. Nos hac enumeratione utemur, ut dicamus Chriſti beneficia hęc eſſe. 1. Peccatorum noſtrorum in ſe ſuſceptionem; ſiquidem conjecit Deus in ipſum iniquitates omnium noſtrûm, Eſ. 53. v. 6. Ipſe eſt agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. 1. v. 29. 36. Fecit enim DEUS pro nobis peccatum. 2. Corinth. 5. v. 21. 2. Pœnarum peccatis noſtris debitarum perſolutionem; ſiquidem nos fecimus Chriſtum ſervire

in

Digitized by Google

in peccatis noſtris, laborare ipſum fecimus in iniquitatibus noſtris Eſa.43.v.24. *Ipſe vulneratus eſt propter peccata noſtra, attritus propter iniquitates noſtras, caſtigatio pacis noſtræ ſuper ipſum.* Eſa.53. v.5. *quæ non rapuit, ipſe exolvit.* Pſal.69.v.5. 3. Perfectã legis impletionem noſtri loco præſtitam; ſiquidem Chriſtus eo fine in mundum venit, *ut Legem impleret* Matth.5.v.17. *Ipſe eſt τέλ@ impletio Legis ad juſtitiam omni credenti*, Roman.10.v.4. 4. A maledictione Legis liberationem. Rom.8.v.1. *Nulla eſt condemnatio his, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Gal.3.v.13. *Chriſtus redemit nos à maledictione Legis factus pro nobis maledictum.* 5. Noſtram cum DEO reconciliationem. 2.Cor.5.v.18. *Deus reconciliavit nos ſibi per Jeſum Chriſtum.* verſ.19. *nempe quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibiipſi, non imputando eis peccata ipſorum.* Coloſſ.1.v.19. *Placuit DEO Patri*, v.20. *ut per Chriſtum reconciliaret ſibi omnia, pacificatis per ſanguinem crucis ejus, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* 5. Ex captivitate & regno Satanę aſſertionem. Matth.20. v.28. *Filius Dei venit, ut daret animam ſuam redemtionem pro multis.* Col.1.v.13. *Liberavit nos Deus è poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnũ Filii ſui.* 6. In filios Dei adoptionem. Joh.1.v.12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus* Eph 1.v.5. *Prædeſtinavit nos Deus, ut adoptaret in filios per Jeſum Chriſtum in ſeſe.* 7. Spiritus ſancti donationem. Joh 7.v.38. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* v.39. *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in ipſum.* Galat.4.v.6. *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* 8. Beatam æternæ vitæ poſſeſſionem. Rom.5.v.21. *Gratia regnat per juſtitiam ad vitam æternam, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Galat.5 v.5. *Spiritu ex fide* (in Chriſtum) *ſpem juſtitiæ expectamus.* Quamvis verò hæc omnia pertineant ad Chriſti beneficia in verbo Evangelii oblata, neceſſariò tamen diſtinguendum eſt beneficium juſtificationis & gratiæ, à beneficio renovationis & doni per gratiam; utrumque ſanè propter Chriſtum & à Chriſto nobis contingit, interim tamen per renovationem & donum per gratiam non juſtificamur coram Deo, ſed per ſolam in Chriſtum fidem, cujus conſequens eſt interior illa renovatio, quâ de re in articulo Juſtificationis plenius dicetur.

Quod Evangelium propriè ſit concio de gratuita peccatorũ remiſſione propter Chriſtum.

15. Quia verò articulo Juſtificationis ſua non poteſt conſtare integritas ac ὀρθοδοξία, niſi propria Evangelii doctrina à lege exactè diſcernatur, ideò uberiùs demonſtrandum & confirmandum, Evangelium propriè loquendo eſſe lætiſſimam concionem de gratuita peccatorum remiſſione, juſtitia & vita æterna credentibus in Chriſtum promiſſa, **idque probamus 1. ab etymologia. εὐαγγέλιον eſt *bonum & lætum nuncium* ab εὖ & ἄγγελ@ vel ἀγγελία. בְּשׂוֹרָה LXX. vertunt εὐαγγέλιον. 2. à variis Evangelii appellationibus, vocatur enim *bonũ Dei verbum promiſſio, ſcientia ſalutis, ſermo gratiæ, promiſſio vitæ* &c. 3. à prima concione Evangelica Nov. Teſt. Luc. 2. v.10. *Gaudium magnum* non eſt concio iræ vel pœnitentiæ. At Evangelium eſt annunciatio gaudii magni. 4. à concione Johannitica Marc. 1. v.15. ubi 1. pœnitentia vel contritio ab Evangelio diſtinguitur. 2. objectũ fidei proprium dicitur Evangelium 5. ex vaticinio Eſa.61. v.1. quod repetitur Luc.4.v.18. 6. à promiſſione Rom.1. v.1. ubi Evangelium dicitur ante promiſſum per Prophetas Fulgent. lib.1. ad Mon. pag.53. *Promiſſi largitas ſemper lætificat.* pag.54. *Neque enim dicendum eſt, bonitatis largitate promiſſum, quod intendat iniquitatis merito ſeveritas inferendum.* Et curſum. *Prædixit & promiſit præmium quo fruentur juſti, non autem promiſit & prædixit ſupplicium, quo punientur injuſti.* 7. ex revelatione juſtitiæ divinæ ſine lege Roman.1.v.17. cap.3. v.21. Vide *D. Garthii* diſput. de diſcr. legis & Evangelii habitam Tubingę Anno 602. & inſertam tom.2. diſp. D. Gerlachii. Meiſnerum part.2. ſobr. Phil. ſect.1. cap.2. quæſt.18.** Eſtque Evangelium talis concio, ſive in Novo ſive in Vet. Teſtam. proponatur; contà verò dicimus erroneum eſſe, definire legem Veteris, Evangelium verò Nov. Teſtam. libris, quod ex his patere poteſt fundamentis. 1. D. Apoſtolus aſſerit Rom.1. v.17. *Juſtitiam Dei per Evangelium patefieri ex fide in fidem.* & Rom.3. v.21. *Abſque lege juſtitiam Dei manifeſtari, Legis & Prophetarum teſtimonio comprobatam.* verſ.22. *Juſtitiam inquam Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes credentes.* Diſertè Apoſtolus docet, juſtitiam fidei, quæ eſt Dei, id eſt, coram Deo valens juſtitia, revelari in Evangelio abſque lege; finge Evangelium accipi pro Novi Teſtamenti libris, legem pro Veteris Teſtamenti ſcriptis, conſequens erit, juſtitiam fidei non tradi in Veter. Teſtamenti libris, cujus contrarium in hoc ipſo loco evidenter tradit Apoſtolus: conſequens item erit pios ſub Vet. Teſtament. aliâ ratione quàm per fidem in Chriſtum fuiſſe ſalvatos, cujus contrarium aſſeritur Actor.15.v.11. 2. Objectum fidei ſalvificæ proprium & adæquatum eſt Chriſtus in officio Redemtionis; eum enim fides intuetur, ejusque beneficia ſibi applicat, Joh.3.v.16. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*, id, quod in Scripturis ſacris ſæpiſſimè repetitur. Atqui eadem fides ſalvifica propriè reſpicit doctrinam Evangelii, Marc.1.v.14. *Agite pœnitentiam & credite Evangelio*: ubi pœnitentiæ vox μετανοῶ accipitur pro contritione, priore ſcil. parte pœnitentiæ ex prædicatione legis orta, ut docet membrum poſterius; vox Evangelii propriè accipitur pro concione de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum credentibus promiſſa, ut docet membrum prius. Ergò propria Evangelii doctrina, ſubjectum & materia (ut ſic loquar) Evangelii eſt Chriſtus in officio Redemtionis. 3. Ubicunque Evangelium deſcribitur, per lætũ quoddam nuncium definitur, ut oſtendunt omnia dicta ſuperiùs adducta, præſertim illud Eſa.61. v.1. & 2. *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxit me Jehovah, ad evangelizandum pauperibus miſit me, ad alligandum contritos corde, ut prædicarem captivis libertatem & vinctis apertionem, ut prædicarem annum beneplaciti Jehovæ*, quod Chriſtus Luc.4. v.21. in Synagoga Nazarethana docens ad ſeipſum accommodat. Itemque illud Angeli Luc.2.v.10. *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis Salvator.* Jam verò doctrina legis, quæ in Novo Teſtamento non minùs repetitur, quàm doctrina Evangelii, non exhilarat, ſed potiùs terret. Roman.4. v.15. *Lex iram operatur.* Ergò non omnia, quæ in Novo Teſtamento proponuntur,

per-

Digitized by Google

pertineat ad doctrioam Evangelii propriè ſic dictam. 4. Paulus Rom. 1. v. 2. dicit, ſe annunciare Evangelium ὃ προεπηγγείλατο, *quod antè promiſit Deus per Prophetas ſuos in Scripturis ſacris de Filio ſuo*; ex quo loco evidenter patet; propriam Evangelii doctrinam eſſe concionem de Chriſto & ipſius beneficiis; ſi accipere velis Evangelium pro toto illo doctrinæ cœleſtis ſyſtemate, quod prædicarunt & literis in N. Teſt. conſignârunt Apoſtoli, conſequens fuerit; etiam legem priùs promiſſam per Prophetas, quod abſonũ. Evangelii propria eſt læta illa promiſſio de Meſſia in V. Teſt. tradita, non autem legis, ut docet oppoſitio Gal. 3. v. 18. 5. Evangelium dicitur *Verbum fidei*, Rom. 10. v. 8. 1. Tim. 4. v. 6. *auditus* ſeu *prædicatio fidei*, Galat. 3. v. 2. *Lex* ſive *doctrina fidei* Roman. 3. v. 27. nimirum, quia promiſſio in Evangelio oblata non niſi fide apprehenditur. Jam verò *Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo, vivet in eis*, Roman. 10. v. 5. Galat. 3. v. 12. Ergò lex requirens opera non pertinet ad Evangelium propriè dictum. Viciſſim fides reſpicit Evangelium. Fides reſpicit promiſsionem gratiæ non legem factorum Rom. 3. v. 27. *Excluſa eſt gloriatio non per legem operum, ſed fidei.* Ergò non lex factorum, ſed promiſſio gratiæ propriè pertinet ad Evangelium. 6. Credere & operari ſibi invicem opponuntur Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, verſ. 5. *Ei qui non operatur, ſed credit in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ejus ad juſtitiam.* Jam verò Evangelium eſt verbum fidei. Ergò non eſt doctrina operum. 7. Gratia & opera ſibi invicem opponuntur Roman. 11. v. 6. Si *per gratiam jam non ex operibus, quandoquidem gratia jam non eſt gratia. Sin ex operibus jam non ex gratia, quandoquidem opus jam non eſt opus.* Atqui Evangelium eſt *Sermo gratiæ* Actor. 20. v. 24. *Verbum gratiæ* Lucæ 4. v. 22. Ergò propriè loquendo non eſt doctrina operum. 8. Propria doctrina Chriſti eſt etiam propria doctrina Evangelii, quò pertinent omnia dicta, quæ teſtantur Chriſtum ad evangelizandum eſſe miſſum. Jam verò doctrina læta & conſolatoria de gratuita peccatorum remiſſiooe eſt illa doctrina, cujus causâ potiſſimùm Chriſtus in mundum venit, quam ex arcano cœleſtis Patris ſinu protulit. Eſaiæ 61. v. 1. Lucæ 4. v. 18. *Ad evangelizandum miſit me, ut prædicarem captivis liberationem &c.* Pſal. 45. v. 3. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.* Eſa. 50. v. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam dicere in tempore ſitibundo verbum.* Ergò doctrina læta & conſolatoria eſt propriè Evangelii doctrina. 9. Evangelium eſt *promiſſio vitæ, quæ eſt in Chriſto* 2. Tim. 1. v. 1. *Promiſſio vitæ æternæ.* 1. Johan. 2. v. 25. *Promiſſio ex qua hereditas* Galat. 3. v. 18. Jam verò *promiſſio non eſt facta per legem* Roman. 4. v. 13. E. lex ſive operum doctrina propriè non pertinet ad Evangelium. Item Evangelium eſt promiſſio benedictionis ex fide in ſemeo Abrahæ, quod eſt Chriſtus Galat. 3. v. 8. jam verò ex lege non eſt benedictio, ſed Lex *maledictum pronunciat omnem, qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis* Deuter. 27. v. 26. Galat. 3. v. 10. Evangelium eſt verbum vitę; Lex non poteſt vivificare. Evangelium eſt promiſſio hæreditatis; ex lege non eſt hæreditas. Ex Evangelio juſtificamur; ſed ex operibus legis nõ juſtificatur omois caro. Ergò lex ſive operũ doctrina propriè non pertinet ad Evangelium.

16. *Teſtimonia veterũ* Referenda hûc veterum dicta, quibus propriam Evangelii doctrinam deſcribunt; ac genuinam ejus Naturam eſplicant. Ignat. ad Philadelph. circa finem. *Præcipuum quippiam habet Evangelium, videlicet præſentiam adventus Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, paſſionem, ſed & ipſam reſurrectionem.* Euſebius lib. 1. de præpar. Evangel. cap. 1. *Evangelium dicimus, quod æternorum atque incorruptibilium bonorum, quæ certè ſuprema & maxima ſunt, ex antiquiſſimis prædicta temporibus, nuper verò ſplendore ſui orbem illuſtrantia, cunctis hominib. annunciat, quod non cæcas caducasq; hujus ſeculi divitias, nec brevem hãc calamitoſamq; vitam, nec inſtabilia corporis commoda, ſed animarum ſummam propriamq; nobis affert felicitatem.* **Ambroſius lib. 9. Epiſt. 22. *ideò lex ſeveritatem gladii habet, tanquam pædagogus baculum, ut imperfectæ plebis infirmitatem pœna ſaltem denunciatione deterreat. Evangelium autem indulgentiam habet, quâ peccata donantur, jure ergò ait Paulus, quod litera occidit, Spiritus a. vivificat.*** Idem in cap. 1. Rom. *Evangelium eſt bonum nuncium, quo peccatores ad indulgentiã vocantur.* Chryſoſt. hom. 1. in Matt. *Evangelium annunciat pœnarum ſublationem, veniam peccatorum, ſatisfactionem, juſtitiam, redemtionem, adoptionem filiorum & cœlerum hereditatem, nec non cum Filio Dei cognationem.* hom. 8. in Matth. *Evangelium eſt bonum nuncium, quando hominibus annunciatur & promittitur beatitudo cœleſtis, peccatorum remiſſio, adoptio filiorum, mortuorum reſurrectio, immortalitas vitæ, hereditas regni cœleſtis, poſſeſſio gloriæ ſempiternæ, ſocietas angelorum.* **Idem in 2. Cor. 3. *In Lege qui peccatum habet, punitur, hic autem qui habet peccata, accedens baptizatur & fit juſtus. Iuſtus autem factus vivit, liberatus à morte peccati. Lex ſi prehenderit homicidam, tollit è vivis. Gratia ſi acceperit homicidam, illuminat & vivificat.*** Philippus Preſbyter, S. Hieronymi auditor, in cap. 42. Jobi: *Dulcis & ſuavis ſermo Evangelii, ſicut imber placidus, & ros cum ſilentio in animas deſcendit.* Auguſt. in Ench. c. 46. *Quicquid in V. T. peccatorũ remiſſionem noſtram coram Deo juſtificationem, illuminationem & regenerationem pollicetur, hoc totum quoque ad Chriſtum & Evangelium pertinet.* **Hieron. in c. 3. Eccleſ. *Lex quippe rigida, inbenigna, non parcens, peccantem interficit, Evangelii gratia miſeretur & ad pœnitentiam provocat.* Bernh. ſer. 30. in Cant. *Non ſicut gratia, ita & lex, quia diſſimili vultu ad omnem conſcientiam ſe offerunt ſuavitas hujus & auſteritas illius. Quis ſanè, ex æquo reſpiciat condemnantem & conſolantem, repoſcentẽ & ignoſcentem, plectentem & amplectentem? non pari profectò acceptabitur voto umbra & lux, ira & pax, judicium & miſericordia, figura & veritas, virga & hereditas ſtrenuum & oſculum.*** Primaſ. in cap. 1. Rom. *Evangelium bona annunciatio dicitur, & quod majus bonum, quàm natum & paſſum reſurrexiſſe Chriſtum pro nobis?* Carolus Magnus libro 4. de Imagin. cap. 10. *Evangelium eſt bonum nuncium, & revera bonum nuncium, quoniam qui id ſuſcipiunt, filii Dei vocantur, eſt n. amnis quadrifluus ab uno ineffabili Paradiſi fonte progreſſus, & in quatuor amnes inſigniter derivatus, & ad arentia corda irriganda ſalubriter tranſmiſſus. Eſt via quæ ducit ad vitã, eſt lux à tenebris*

vitiorum reducens & inoffenſo calle greſſus mortalium ad cœleſtia dirigens : eſt urbis florentiſſimæ munimentum, in quo firmiter ſtare præſtantiſſimũ vitæ emolumentum, à quo recedere periculoſiſſimũ detrimentum, ſunt fluenta veritatis, quæ fallere fallique neſciunt, &c. Rabanus lib. 8. in Eccleſiaſt. cap. 7. *Miſericordia, id eſt, gratia Chriſti per prædicationem Evangelii animarum curat vulnera, & mitigat æſtum carnalis concupiſcentiæ.* Theodor. in cap. 1. Roman. *Evangelium eſt prædicatio annuncians Dei reconciliationem, Diaboli diſſolutionem, peccatorum remiſſionem, mortis ceſſationem, à morte reſurrectionem, vitam æternam & regnum cœlorum.* Theophyl. præfat. in Matth. *Evangelium dicitur, eò quod nunciet nobis res proſperas & benè ſe habentes, hoc eſt, bona, nempè remiſſionem peccatorum, juſtitiam, reditum in cœlos, adoptionem in filios Dei, nunciat autem, quòd facile & gratis hæc acceperimus, neque noſtro labore aſſecuti ſimus hæc bona, neque ea ex noſtris acceperimus operibus bonis, ſed gratis ex miſericordia Dei nos talia bona conſecutos.* Gloſſ. ordin. in cap. 1. Actor. *Evangelium eſt bona annunciatio, in qua annunciatur requies poſt laborem, regnum poſt ſervitium, vita poſt mortem.*

An in Evangelio novæ præcepta tradita. 17. Stare igitur hac in parte non poſſumus à Scholaſticis, qui ſtatuunt in Evangelio, quod vocant novam legem, tradita eſſe perfectiora, ſeveriora & excellentiora præcepta, quæ factoribus afferant veram coram Deo juſtitiam, quæve promiſſionem habeant ſalutis & vitæ æternæ; ut hac ratione Evangelium à lege differat, tempore, præceptis, promiſſis & Sacramentis : veterem legem dicunt eſſe timoris, novam amoris: Chriſti beneficium per Evangelii prædicationem nobis oblatum in eo ſolummodo conſiſtere ſtatuunt, quòd infundat nobis habitum gratiæ, per quam præcepta Evangelica implere & vitam æternam promereri poſsimus. Sic Bonaventura, Biel. & alii in 3. ſent. diſt. 40. *Lex nova convenit vivificare tripliciter, primò formaliter ratione gratiæ ſacramentalis, ſecundò affectu ratione amoris ſpiritualis, ad quem excitant promiſſa, tertiò exercitio ratione multiplicis bonæ operationis tàm præceptorum, quàm conſiliorum. In lege autem veteri promiſſa erant temporalia, præcepta exterius regulantia, Sacramenta figuralia, & ſic promiſſa non excitabant ad amorem ſpiritualem, præcepta non dirigebant ad juſtitiam interiorem, Sacramenta nõ adjuvabant ad faciliorem Legis impletionem & ita non vivificabant, quia ibi erat oſtenſio culpæ & non erat adjutorium gratiæ, & per conſequens dabatur occaſio concupiſcentiæ.* Hæc illi, quos ſequitur Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 21. *Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum eſſe, ut Redemtorem, cui fidant; non etiam ut Legislatorem, cui obœdiant, anathema ſit.* Cenſura Colonienſis p. 204. ſcribit : *Evangelii propriam doctrinam eſſe, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Salmeron. tom. 4. commentar. p. 20. *Totius Evangelii ſumma eſt, verbum illud, Pœnitentiam agite.* Barradius tom. 1. comment. in Concord. Evang. lib. 2. cap. 20. pag. 73. *Si Moſes Legislator fuit, cur Meſſiæ Legislatoris nomen detrahetur? multò quidem major fuit Meſſiæ etiam ex hac parte honor, quàm Moſis. Moſes enim acceptam à Deo interventu Angelorum legem uni tantùm populo tradidit: at Meſſias à ſe conditam legem non uni populo, ſed univerſo orbi tradidit.*

Argumenta Bellarmini pro parte affirmante. 18. Nobiscum Bellarmino res erit, is libr. 4. de juſtif. cap. 2. ſe probaturum eſſe ſcribit, in Evangelio contineri doctrinam operum & leges varias, ejusque promiſsiones requirere conditionem legis implendæ: quod uti obtineat, ſubjungit: *Evangelium duobus modis accipi poſſe, 1. pro doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, & in libris Evangeliſtarum aliisque Apoſtolorum ſcriptis continetur. 2. pro gratia N. Teſtamenti, quæ & lex ſcripta in corde, & Spiritus vivificans & lex fidei dici ſolet, quamvis nomen Evangelii non videatur in Scripturis uſquam accipi, niſi priore modo, id eſt, pro doctrina.* Reſp. Evangelium non ſolùm generaliter accipitur pro univerſa doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli in N. Teſt. prædicârunt, ſed etiam ſpecialiter & propriè pro læto nuncio de gratuita remiſsione peccatorum & vitæ æternæ hereditate propter Chriſtum Mediatorem, quòd non ſolùm ipſa vis vocabuli, ſed etiam deſcriptiones Evangelii & argumenta noſtra ſuperiùs allata evidenter comprobant. Porrò quod ad alteram ſignificationem Evangelii attinet, quâ juxta Bellarmini ſententiam accipiatur de infuſo gratiæ habitu, de ea non admodum ſoliciti ſumus, cùm ipſemet fateatur, nuſpiam in ſcripturis ſacris Evangelium eo ſenſu accipi. Certum quidem eſt, beneficium Chriſti in Evangelio oblatum non tantùm eſſe remiſsionem peccatorum, ſed & donationem Spiritus ſancti, per quem credentes renovantur, *& lex Dei in corda ipſorum ſcribitur* Jerem. 31. v. 33. quò reſpicit Apoſtolus Galat. 3. v. 2. *Ex auditu fidei Spiritum accipi* confirmans: interim tamen ipſum Evangelium non dicitur interior illa hominis renovatio, ſed effectus renovationis à cauſa principali & inſtrumẽtali, puta à Spiritu ſancto per Evangelii verbum nos regenerante & renovante perpetuò diſtinguitur.

19. His ita præmiſsis ſubjungit Bellarminus: *Nos contendimus, Evangelio contineri illa omnia, quæ adverſarii ſoli legi tribuunt, quæ ſunt præcipuè tria, leges propriè dictæ, comminationes & promiſſiones cum conditione obœdientiæ, quod poſtea ſigillatim confirmat.* Reſp. Omnia Bellarmini argumenta procedunt ex falſa illa hypotheſi, quòd Evangelium nuſpiam in Scripturis aliter accipiatur, niſi pro tota illa doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli in N. Teſt. prædicarunt, quæque in libris Evangeliſtarum aliisque Apoſtolorum ſcriptis contineatur, cujus hypotheſeos falſitatem ſuperiùs luculentè oſtendimus: poſſemus igitur uberiori ad argumenta illa reſponſione ſuperſedere, cùm nihil aliud probent, quàm in N. Teſt. ſcriptis, in concionibus Chriſti & Apoſtolorum leges, comminationes, & promiſsiones cum obœdientiæ conditione contineri, quod haud inviti largimur; ex eo tamen ſententiæ noſtræ nihil decadit, quin propria Evangelii doctrina ſit gratuita promiſsio remiſsionis peccatorum & vitæ æternæ propter Chriſtum fide apprehenſum. Videamus tamen quid Bellar. afferat. *Quod attinet* (inquit) *leges propriè dictas, id probamus ex cap. 5. Matth. ubi Dominus confirmat, explicat, & perficit legem Moſis de homicidio, adulterio, perjurio & ſimilibus rebus. Nam quòd revera Dominus eam legem, ut à ſe explicatam ſervari velit, perſpicuum eſt. 1. Ex modo loquendi, Ego dico vobis, quæ verba legislatorem propriè decent, 2. Ex eo, quod Dominus ait, ſe non veniſſe ut le-* *An in Evangelio contineantur leges.*

gem

gem ſolveret, ſed impleret. Si enim nulla eſſet in Evangelio legis obligatio, ſuſtuliſſet Dominus legem veterem etiam quoad præcepta moralia. 3. *quia* Matthæi 7. *dicitur, quòd Chriſtus docuerit ſicut habens poteſtatem, id eſt, ſicut legislator, qui ex autoritate leges interpretatur, vel mutat, vel addit, non ſicut Legisperitus, qui ſolùm ex ſcientia legem explicat.* 4. *Ex eo quòd concludit: Si quis ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Non igitur Dominus ſolùm explicat legem veterem, ſed etiam jubet eam ſervari.* 5. *Si lex vetus moralis ad Chriſtianos non pertineret, quare Dominus eam exponeret & perficeret?* Reſp. 1. Contra Antinomos hæc rectè proferuntur & urgentur, noſtræ autem cauſæ nihil officiunt, quis enim noſtrûm negat, legem moralem à Chriſto & Apoſtolis in N. Teſt. explicari, repeti & urgeri, ac proinde à miniſtris N. Teſt. itidem explicandam, repetendam & urgendam eſſe? quis noſtrûm unquam aſſeruit, legem moralem ad Chriſtianos non pertinere? 2. Chriſtus & Apoſtoli prædicârunt non ſolùm Evangelium propriè ſic dictum de gratuita peccatorum propter Chriſtum Mediatorem condonatione ac de publico exhibiti Meſſiæ præconio, quæ pars miniſterii ipſorum fuit præcipua; ſed & legis miniſterio uſi ſunt, variis omninò de cauſis, cūprimis ut legis moralis doctrina à corruptelis Phariſaicis vindicata priſtino ſuo nitori reſtitueretur, ut ad peccati agnitionem & deſideriū gratiæ homines vel ſecuri, vel propriè juſtitię perſuaſione turgidi perducerentur, ut norma bonorum operum renatis proponeretur; *neque enim lex per fidem deſtruitur, ſed potius ſtabilitur* Roman. 3. v. 20. ut à calumniis Phariſæorum ac Pſeudoapoſtolorum, quibus Chriſtus & Apoſtoli gravabantur, ſe liberarent, ac ſi freſſent adverſarii & deſtructores totius legis, & afferrent doctrinam toto genere cum lege pugnantem, imò totam religioſæ pietatis formam ex lege & Prophetis conſtitutam directè evertentem, ut perverſæ Evangelii interpretationi obviam iretur, ac ſi per illud carnalis quædam licentia pro libitu vivendi fuerit introducta, debitum obœdientiæ legi præſtandæ ſublatum, ac ſententia Dei in lege morali expreſſa mutata, &c. Has judico præcipuas eſſe cauſas, propter quas in principio ſtatim miniſterii Chriſtus diſcipulis & auditoribus ſuis legem proponere voluit, cujus exemplum Apoſtoli fideliter ſunt ſecuti. 3. Pervertitur igitur quæſtionis ſtatus, neque enim de eo controvertitur, an Chriſtus & Apoſtoli in miniſterio ſuo unà cum Evangelii doctrina etiam legem propoſuerint; ſed id unicè quæritur, quæ ſit genuina ac propria Evangelii doctrina. Chriſtus non ſolùm miſſus erat hoc fine, ut fieret hoſtia pro peccatis, impleret legem ſuâ obœdientiâ & ſatisfactione, atque alias officii Sacerdotalis partes perageret, ſed etiam ut Propheticum munus obiret, fungeretur miniſterio docendi ac corruptelas cœleſtis doctrinæ tolleret. Ergo ut miniſtris Eccleſiæ formam docendi perfectam proponeret, Legis & Evangelii doctrinâ conjungere voluit, imò debuit, cùm *per legem ſit peccati cognitio.* Roman. 3. v. 20. cap. 7. v. 7. quo nondum cognito medicina non admodum curatur, *ſanat* Chriſtus per Evangelium, *ſed contritos corde* Luc. 4. v. 18. *prædicat remiſſionem* ſed *captivis*, hoc eſt, captivitatem ſpiritualem agnoſcentibus, Eſa. 61. v. 2. *reficit*, ſed *oneratos*, Mstth. 11. v. 27. *Evangelium prædicat*, ſed *pauperibus*, Matth. 11. v. 4. Jam verò illa cordis contritio ac ſpiritualis captivitatis, oneris & paupertatis cognitio non eſt niſi ex lege, quam proinde Chriſtus & Apoſtoli in miniſterio ſuo neutiquam neglexerunt; interim propria Chriſti & Evangelii doctrina manet lætum illud nuncium de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum Mediatorem credentibus in ipſum promiſſa, quemadmodum etiam eo fine potiſſimùm Chriſtus in mundum venit, ut pro peccatis mundi in ara crucis ſatisfaceret. 4. Non inviti igitur fatemur, Chriſtum Matth. 5. interpretari, repetere, explicare & urgere legem; ſed perficiendi terminus ambiguus eſt: Si enim hoc ſenſu accipitur, quòd Chriſtus tradat ibidem perfectiorem quandam legem, ac præſcribat perfectiora quædam opera, quàm quæ in lege morali erant mandata, quod ex illo loco Scholaſtici exſculpere conantur, negamus hoc ſenſu Chriſtum perficere legem; idquod ipſe Bellarminus quodammodo agnoſcit, ſic enim ſcribit libr. 3. de Laicis cap. 13. *Dominus qui dicit, audiſtis, quia dictum eſt antiquis, oculum pro oculo, &c, non reprehendit legem veterem, nec prohibet Magiſtratum infligentem pœnam talionis, ſed reprehendit pravam Phariſæorum interpretationem & prohibet privatis hominibus deſiderium vindictæ, &c.* libr. 2. de Monachis cap. 9. concedit, *verba Chriſti de prabenda percutienti maxilla altera, præceptum continere, quod tamen intelligendum ſit de præparatione animi*, & cum in eodem capite argumenta ex Scripturis colligat, pro aſſertione Conſiliorum Evangelicorum, prætermittit hanc Chriſti concionem. Omnium maniſeſtiſſimè hoc agnoſcit lib. 4. de juſtif. cap. 3. ubi concionem Chriſti *non legi morali, ſed corruptelis Phariſæorum oppoſitam eſſe ſcribit.* Sin verò perficiendi vox opponatur corruptelis Phariſaicis, à quibus legem moralem Chriſtus vindicavit & priſtinæ perfectioni eam reſtituit, concedimus hoc ſenſu ipſum perficere legem. 5. Chriſtus ſuum illud *Ego dico*, ſæpius repetit, tum quia erat verus Legis Dominus, qui cum Patre & Spiritu ſancto eam in monte Sinai promulgaverat, tū quia hanc ſuam authenticam legis explicationem Phariſaicis corruptelis cum autoritate oppoſuit; neutiquam verò novam & perfectiorem legem à ſe tradi, ſignificare voluit. 6. Phraſin illam, quòd Chriſtus docuerit tanquam habens *ἐξουσίαν*, pulcerrimè exponit D. Chemnit. in Harmon. Evangel. cap. 37. ſenſum ſcilicet ejus eſſe, quòd *Chriſtus in docendo peculiarem & eximiam quandam autoritatem ac majeſtatem præ ſe tulerit, quia non ut interpres vel alieno nomine, ſed ut Dominus propriâ autoritate ex ſuo nomine docebat: Ego dico vobis, quia miram quandam vim & ἐνέργειαν habebat ejus ſermo, Spiritu ſancto per verbum ejus corda auditorum ad pœnitentiam & fidem permovente, quia peculiari gratia magno zelo, & libertate docebat, quia doctrinam ſuam miraculis confirmabat, &c.* nec ad ſolam legis repetitionem, ſed etiam ad propriam Chriſti doctrinam, videlicet ad concionem Evangelii hæc verba referenda eſſe disertè oſtenditur. Marc. 1. verſ. 22. Luc. 4. verſ. 32.

20. Alterus quod in Evangelio contineri Bellarminus aſſerit, ſunt comminationes & terrores; *quæ* (inquit) *major comminatio excogitari poteſt,* *An comminationes & terrores in*

Evangelio comminationes continentur.

poteſt, quàm illa Dominico ore prolata? Matth.5. *Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Matth.7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Similes comminationes habentur paſſim in Evangelio.* Vidit Bellarmin. reſponderi poſſe ac debere, has comminationes in N. Teſt. libris propoſitas ad legem pertinere, ſicut contrà promiſſiones remiſſionis peccatorum, quæ in Prophetis leguntur, ad Evangelium referendæ ſunt, ideò huic noſtræ reſponſioni obvertit ſequentia membra. 1. *Satius eſt corrigere definitionem illam, quòd Evangelium ſit verbum lætum & conſolatorium, quàm dicere maximam partem ſermonum Chriſti non eſſe verba Chriſti, ſed Moſis, & Chriſtum in Evangelio nihil minùs quàm Evangelium prædicare.* 2. Apoſtolus Paul. Rom.1.cap. *Ipſi Evangelio tribuit officium terrendi, cùm revelatio iræ Dei tribuatur Evangelio, ſiquidem in Evangelio revelatur juſtitia Dei ex fide, ut juſtificati evadant iram Dei, quã idem Evangelium omnibus impiis imminere teſtatur, unde* cap.2. idem Apoſtolus ait: *In die, cùm judicabit Dominus occulta hominũ ſecundum Evangelium meum.* 3. Petrus *in die Pentecoſtes accepto Spiritu S. Evangelium prædicabat.* Act.2. *Interim ex ejus prædicatione auditores territi ſunt & compuncti corde.* 4. Paulus *etiam cùm Evangeliũ prædicaret, homines terrefaciebat.* Actor.24. *Felix cum Druſilla audiens diſſerentem Apoſtolum de juſtitia & caſtitate & judicio futuro, tremefactus eſt.* Jacob. in c.5. Epiſt. *Divites plorare jubet; Iudas de adventu Chriſti ad judicium ſcribit:* Apoc.14. *Vox Evangelii eſt: Timete Dominum, & date illi honorem. At hi omnes prædicarunt Evangelium,* ex quo concludit Bellarm. *Cùm Chriſtus & omnes Apoſtoli evangelizando terreant, & in Symbolo Apoſtolico, quod Evangelii ſummam continet, ſit etiam articulus de futuro judicio, falſum eſt, quòd ſit proprium legis officium terrere, neq; hoc ad Evangeliũ pertinere.* Reſp.1. Nemo noſtrûm negat, Chriſtum & Apoſtolos in concionib. ſuis comminationes propoſuiſſe; ſed an hæ pertineant ad Evangelii doctrinam propriè ſic dictam, id verò eſt, quod diſertè negamus. Frivolum eſt, quòd urgetur, hac ratione maximam partem ſermonum Chriſti ad legem Moſis pertinere; quia reſpectu temporis & auditorum tàm Evangelicas quàm legales conciones Chriſtus propoſuit, neque hac in parte tàm ad numerum, quàm ad temporis & auditorum conditionem reſpiciendum eſt. Voluit Chriſtus initium prædicationis ſuæ facere ab explicatione legis propter cauſas ſuperiùs aſſignatas, præſertim verò, ut conſolatio Evangelii in animis auditorum locum inveniret, poſtea ſæpiſſimè conſolationes verè Evangelicas auditoribus ſuis propoſuit. Pari ratione, quoties Chriſto res fuit cum impœnitentibus & ſecuris, vel etiam cum Phariſæis aliisvè perſuaſione juſtitiæ propriæ faſcinatis, legem eis inculcavit, ut ad peccati agnitionem eos perduceret: ſed quoties cum conſcientiis peccatorum ſenſu territis ipſi agendum fuit, Evangelii conſolationem iiſdem propoſuit, ut ex Evangelica Hiſtoria paſſim conſpicitur. 2. Iram Dei in Evangelio revelari Paulus non ſolùm nuſpiam dicit, ſed etiam contradicit, legi naturali & morali hoc tribuit, ut capitis primi & ſecundi Epiſt. Rom. διεξόδως evidenter oſtendit. Rom.1.v.18. *Revelatur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem hominum.* v.19. *quia quod notum eſt de Deo, manifeſtum eſt in illis,* nimirum per legem Naturæ. Rom.2.v.12. *Quicunq; ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt, quicunq; in lege peccaverunt, per legem peribunt.* Roman.4.v.15. *Lex iram operatur;* de Evangelio contra pronunciat, quod illud ſit *priùs annunciatum per Prophetas in Scripturis ſacris.* Rom.1.v.2. quòd ſit *potentia Dei ad ſalutem omni credenti,* v.16. quòd in eo *ſine lege juſtitia Dei manifeſtetur Legis & Prophetarum teſtimonio comprobata, &c.* Rom.3.v.21. quo ſenſu ac reſpectu Evangelium dici poſſit concio pœnitentiæ, quâ incredulitas accuſetur, ſuo loco expoſitum & expeditum dabitur. 3. Petrus Act.2. denunciat Iſraelitis Dei iram & judicium ex eo, qd crucifixerint Chriſtum Dei Filium, quod erat peccatum longè maximũ & graviſſimum: jam verò *per legem eſt peccati agnitio,* Rom.3.v.20. *interemiſtis Chriſtum,* dicit Petrus, v.23. διὰ χειρῶν ἀνόμων; jam verò ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία 1.Joh.3.v.4. cujus ἐπίγνωσις non eſt niſi ex lege; inde ergò eſt, quòd auditores Petri cordibus compunguntur, quibus ita compunctis promiſſionem Evangelicam de gratuita peccatorum remiſſione proponit. v.38. 4. Paulus non ſolùm ex Evangelio fidem, quæ eſt in Chriſtum, docuit, ſed etiam ex lege de juſtitia, caſtitate & futuro judicio diſſeruit, normam pietatis & ſanctæ converſationis Felici proponens, ne exiſtimaret per Evangelium dari libertatem carnis. Idem judicium eſto de concionibus Jacobi, Judæ & Johannis; utrumque doctrinæ cœleſtis caput, tàm legem, quàm Evangelium propriè dictum auditorib. ſuis propoſuerunt, quinimò proponere debuerunt, lex ſine Evangelio vel hypocritas facit vel deſperabundos; Evangelium ſine lege ſecuritatem carnalem alit, ac proinde quamvis lex & Evangelium accuratè ſint diſtinguenda, tamen in ipſa praxi, in vera ſcil. pœnitentia, & pœnitentiæ prædicatione ſunt arctiſſimè connexa, imò *quavis Mathematicâ conjunctione vicinora,* ut rectè ſcribit D. Luth. in 3. c. Galat. Angelus in Apocalypſi c.14.v.6. non terret, ſed habet εὐαγγέλιον αἰώνιον εὐαγγελίσαι τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, annunciat lætam horam judicii, non extremi illius, ſed quo Deus Antichriſtum revelatum judicaturus. 5. Articulus de extremo judicio terrorem incutit impœnitentibus & incredulis, ſed efficaciſſimam conſolationem præbet verè piis & in Chriſtum credentibus, *qui non judicabuntur* ſevero ſcil. & damnatorio judicii rigore Joh.3.v.18. nec *in judicium veniunt,* Joh.5.v.24. cùm Chriſtus eos *à futura ira liberaverit,* 1. Theſſ.1.v.10. His igitur erit dies ἀπολυτρώσεως Luc.21.v.28. dies ἀναψύξεως Act.3.v.19. dies ἀποκαταστάσεως v.20. qui ad cœleſtes nuptias Agni ipſos transferet. Apoc.19.v.6. quo reſpectu ad Evangelium hic articulus pertinet; impiis verò & incredulis erit dies iræ & ultionis dies judicii & damnationis, in quo execratio legis, cui obnoxii ſunt, ſuum ſortietur effectum.

21. Antequam Bellarminus deſcendat ad tertium, quod in Evangelio contineri aſſerit, videl. conditionales promiſſiones, reſpondere priùs conatur argumento. Si comminationes pertinent ad Evangelium, quare dicitur lætum nuncium? *Nomen Evangelii* inquit, *impoſitum eſt ad ſignificandum officium unum, idq; potiſſimum Apoſtolicæ prædicationis, ſed non propterea ſequitur,*

non

Digitized by Google

non eſſe etiam alia officia Evangelii, quamvis eo nomine non explicetur, quomodo clavis dicitur, quia claudit & tamen etiam aperit, & lingua dicitur inſtrumentum lingendi, quod eſt tamen inſtrumentum etiam loquendi. Reſp. Cùm vox Evangelii γενικῶς uſurpatur pro univerſa Chriſti & Apoſtolorum prędicatione, certum eſt à potiori doctrinæ parte, videl. promiſſiooe gratiæ denominationem fieri; oſtendimus autem ſuperiùs Evangelium propriè & εἰδικῶς pro læta concione de gratuita peccatorum propter Chriſtum mediatorem condonatione accipi, id quod non ex ſola nominis interpretatione, ſed ex ſpeciali Propheticæ & Apoſtolicæ ſcripturæ accommodatione, adeoque ex realibus fundamentis confirmatum dedimus; Quamvis igiruc etymologiæ totam rei naturam non ſemper exprimant, illud tamen in hoc exemplo fieri reliqua argumenta comprobant, cùm terribilis illa concio iræ divinæ nuſpiā diſtinctè & ſeorſim ſumta Evangelium dicatur. ** Diſſimilitudo etiam eſt in exemplis. Nam inſtrumentum aperiendi & claudendi ubique dicitur clavis, ſive claudat, ſive aperiat, neque datur aliquod diſtinctum nomen, quo appellctur inſtrumentum aperiendi. At præter Evangelium datur aliquod peculiare vocabulum, quo notatur triſtis concio iræ & pœnitentiæ, nimirum legis vocabulum. Meiſner. part. 2. ſobr. Phil. ſect. 1. cap. 2. q. 18. ** Quæ de incredulitatis per Evangelium accuſatione, itemq; de diſcrimine Vet. ac Nov. Teſt. Bellarminus ſubjungit, ſuum habebunt inferiùs locum.

An promiſſiones conditionales in Evangelio contineantur.

22. Accedimus igitur ad tertium, quod in Evangelio contineri, probace nititur Bellarminus, videl. conditionales promiſſiones. *Veniamus* (inquit) *ad tertium diſcrimen, quod eſt hujus loci maximè proprium. Igitur promiſſiones Evangelicas conditionales eſſe, non abſolutas, probatur primò* ex cap. 5. Matth. *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorū. Hæc certè promiſſio eſt Evangelica, cùm regnum cœlorum requirat, & tamen requirit conditionem juſtitiæ non imputatitiæ, ſed actualis & operoſæ, quæ in perfecta mandatorum operatione conſiſtit, ut oppoſitio ibidem docet.* Reſp. Argumentum Bellarmini pcocedit ex falſa hypotheſi, ſcil. ubicunque promittitur vita æterna, ibi proponi Evangelicam promiſſionem, quia etiā lex promittit vitam ætecnā, additâ tamen conditione de perfecta impletione; *Propoſuit tibi vitā & mortem,* Deut. 30. v. 15. *Hoc fac & vives,* Luc. 10 v. 28. *faciens ea homo vivet in eis,* Gal. 3. v. 13. Porcò quod ad dictum Matt. 5. attinet, illud manifeſtum eſt opponi Phariſaicę juſtitiæ, quæ non erat abundans, ſufficiens & perfecta; Chriſtus igitur abundantiorem & perfectiocem requirit juſtitiā, quæ eſt juſtitia fidei, quam Bellarminus hoc loco imputatitiam, alibi verò putativam juſtitiam pec calumniam vocat. Phariſæi *ſectantes legem juſtitiæ fidei juſtitiæ non erant ſubjecti* Rom. 10. v. 3. videbant ad juſtitiam & vitam æternam opus eſſe impletione legis, animadvertebant autem impoſſibile eſſe, minutiſſima quæque in lege, ut de interioribus motib. in mente, voluntate & corde, de nævis quibusdam in geſtibus in verbulo aliquo, ex toto corde & omnibus viribus perfectâ conformitate implere, fingebant igitur talem diſtinctionem, quod quædā mandata legis ſint magna, quædam verò minima, ac licet quis in mandatis de interiorib. motib. ſeu affectib. cordis legi perfectè non ſatisfaciat, ſi modò καθ᾽ δύναμιν mandata magna de operib. externis ſervet, eum eſſe coram Deo juſtum, & regnum cœlorum hac juſtitiâ promereri poſſe; quam fuiſſe Phariſæorum doctrinam ex concione illa evidenter apparet: huic verò Chriſtus magnâ aſſeveratione ſuā opponit reſponſionem & pronunciat, per imperfectam illam juſtitiam, quæ tantùm particulam quandam legis de externis operibus utcunq; implet; neminem poſſe ingredi regnum cœlorum; requirit igitur à ſuis perfectiorem & abundantiorem, h. e. abundantiſſimam, pleniſſimā & perfectiſſimam legis impletionem, quam cùm in ſe non inveniant, ſide quærant & apprehendant in Chriſto, *qui eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti.* Rom. 10. v. 4. Ex hac fidei juſtitia oritur in renatis operum juſtitia, quæ itidem multis modis perfectior eſt in renatis, quàm externa illa Phariſaica juſtitia, cùm procedat ex renovatione Spiritus & conjunctam habeat interiorem obœdientiam cordis, cùm ſit ſpontanea & voluntaria non mercenaria, cùm reſpiciat totā legem, non tantùm particulam quandam legis, cùm ex ſincero corde, non autem hypocritico, ex ſincera Dei dilectione procedat, & ſolam Dei gloriam, non autem proprium commodum vel honorem quærat. E. juſtitia fidei & juſtitia operum in renatis perfectior eſt & abundantior, quàm Phariſaica juſtitia; interim tamē cùm renatis licet *mente ſerviant legi Dei,* tamen *carne ſerviant legi peccati* Roman. 7. v. 25. cùm ipſis renatorum operibus imperfectiones & ſordes adhæreant, ideò per & propter opera ſua, quia imperfecta ſunt & immunda, non poſſunt ingredi regnum cœlorum, ac proinde in hac quæſtione, ut ingredi poſſint regnum cœlorum, non ad juſtitiam carnis Phariſaicam, nec ad ſpiritualem ſuam imperfectam obœdientiam, ſed ad perfectiſſimam Chriſti juſtitiam fide confugiunt. Hactenus doctiſſimus Chemn. in c. 51. Harm. Evangel. p. 337. ex quibus evidentet apparet pronunciatum Chriſti Bellarmino non ſolùm non ſuffragari, ſed & fortiſſimè adverſari: ipſe enim itidē diſputat, peccata quædam eſſe naturâ ſuâ venialia, peccata quædā fieri præter legem, nō contra legem, concupiſcentiam interiorem non eſſe peccatum, mandatum dilectionis oſtendere tantùm finem, ad quē contendere debeamus, non autem ad perfectam impletionem obligare, opera renatorum eſſe perfecta & vitæ æternæ meritoria &c. perinde ut olim Phariſæi genuinam doctrinam legis diſtinctione inter magna ac minima mandata pervertebāt. Requirit omninò Chriſtus perfectiorem juſtitiā à ſuis, quàm erat Phariſaica, ut poſſint ingredi regnum cœlorum, ea verò eſt juſtitia fidei, ut ſuo loco latiùs demonſtrabitur; quin & perfectiorem operum juſtitiam à renatis requirit, quàm erat Phariſaica, ex quo tamen nondum ſequitur, quòd per ac propter eam poſſint ingredi regnum cœlorum.

Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Luc. 10 Hoc fac & vives.

23. Pergit Bellarm. & ſecundum probationis fundamentum quærit in dictis Chriſti Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Luc. 10. *Hoc fac & vives. Hæ ſunt apertiſſimæ promiſſiones vitæ æternæ & tamen apertiſſimam exigunt obœdientiæ conditionem.* Nevè obverti poſſit, Chriſtum hæc dixiſſe ironicè, ut ſignificaret, fieri non poſſe, ut quis mandata divina cuſtodiat, regerit Bel-

[illegible] quatuor membra. 1. *Si ironica eſſet re-ſ[illegible] ad Legiſperitos vel Pha-r[illegible]; plura vero Chriſtus eodem modo e[illegible] ironice, ſed propriè & ſerio al-l[illegible]. Si[illegible] vos amici mei [illegible], ſi feceritis, quæ præcipio vobis, ſi dimiſe-ritis hominibus peccata eorum, etiam Pater veſter cœleſtis dimittet vobis.* 2. *Is, cui Dominus dixit, ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, non erat Scri-ba nec Phariſæus, ſed dives adoleſcens, nec venit ut Chriſtum tentaret, ſed ut viam ſalutis addiſceret.* 3. *Is, cui Dominus dixit, fac hoc & vives, Legiſpe-ritus erat & Dominum tentaturus acceſſit, ſed ten-tatio illa non erat ad fallendum, ſed ad inquiren-dum, quid Dominus de via ſalutis doceret.* 4. *Chri-ſtus etiam ſubdole & fallaciter tentatus non ironicè ſed propriè reſpondebat.* Reſp. 1. De loco Matt. 19. agetur in ſeqq. quando ſupererogationis opera conſideranda erunt: hac vice monemus, nullum eſſe hujus argumenti nexum. Chriſtus non lo-cutus eſt ironice, ſed ſerio & propriè. Ergò pro-priam Evangelii doctrinam propoſuit; imò ve-rò legem ac perfectam legis impletionem urgere voluit, ut auditores illos a falſa juſtitiæ propriæ opinione, qua faſcinati erant, ad peccati & ἀδυ-ναμίας cognitionem abduceret, ac demonſtra-tione morbi deſiderium Medici in eis excitaret. 2. Adoleſcentem illum, qui Matth. 19. Chriſtum compellat, opinione juſtitiæ propriæ ac perfe-ctæ impletionis legis inflatum fuiſſe, ex textu e-videnter apparet, dicit enim verſic. *Omnia hæc ſervavi a juventute mea*. Luc. 18. v. 20. vocatur ἄρχων, quæ appellatio Nicodemo Phariſæo tri-buitur Joh. 3. v. 1. apparet igitur hunc adoleſcen-tem in ſchola Phariſæorum inſtitutum externâ qualicunque obœdientia legis divinæ impletio-nem definiſſe, unde quæſtionem ſuam hoc mo-do format. *Quid boni faciam, ut hereditem vi-tam æternam?* nimirum per opera ſua ſalvari cu-pit, ideo etiam Chriſtus hoc potiſſimum agit, ut ipſum convincat, quòd nec Deum nec homines perfectè diligat, cum propter ſpeciale Dei man-datum nolit omnia deſerere, & pauperibus bona ſua erogare. 3. Legiſperitum illum, cujus men-tio fit Luc 10. fuiſſe propriæ juſtitiæ perſuaſio-ne turgidum, ex textu itidem apparet; quærit e-nim verſ. 25. *Quid faciendo vitam æternam poſſi-debo?* q.d. prædicas diſcipulos tuos beatos, quia te videant & audiant; atqui & ego meique Col-legæ vitam æternam ſperamus, Deus legem no-bis dedit per Moſen, ut per eam nobis monſtra-ret viam ad vitam æternam, nec dubitamus, quin per obſervationem legis vitam æternam adituri ſumus, aut num perfectiorem & compendioſio-rem viam docere potes? Chriſtus igitur remittit eum ad legem, *quid ſcriptum eſt in lege?* dicit ver-ſic. 26. cumque νομικός legis ſummam recitaret, ſubjungit Chriſtus verſ. 28. *rectè reſpondiſti, hoc fac & vives*, q.d. non poterunt meliora ac præ-ſtantiora opera inveniri, quàm quæ in Lege ſunt præcepta, ſed non ſufficit legis cognitio, ſed re-quiritur etiam obſervatio, nec ſufficit qualiscun-que obœdientia, ſed requiritur perfecta & nu-meris omnibus abſoluta, quam huic Legiſperi-to, qui *ſeipſum volebat juſtificare* verſ. 29. hoc eſt, *confidebat in ſe, quod eſſet juſtus* Luc. 18, 9. deeſſe, Chriſtus evidenter ex eo probat, quod ne qui-dem adhuc noverit, quis ſit proximus, nedum ut eum diligendo perfectè legem impleverit, quin & in parabola corruptionem naturæ noſtræ per peccatum introductam, legis ad juſtifica-tionem ἀδυναμίαν, ac cœleſtis Samaritani be-neficium ipſi proponit, ut ad veram ſalutis vi-am deducat. 4. Sic ergò Chriſtus pro diverſi-tate percunctatorum ac auditorum diverſa de-dit reſponſa. Quando eum acceſſerunt homi-nes opinione juſtitiæ propriæ faſcinati, quærен-tes quid faciendo ac quibus operibus vitam æ-ternam ſibi comparare deberent, ibi ad legem eos remiſit, cùm non ſit ſanctior ac perfectior o-perum regula, quam doctrina legis, cui perfe-ctam obœdientiam præſtando vita æterna omni-nò acquiri poteſt, nec tamen propterea Chri-ſtus affirmat, vel iſtum juvenem vel hunc Le-giſperitum vel alios ejuſmodi homines perfectè legem impleviſſe vel implere poſſe, ſed hoc po-tius agit, ut ipſos convincat, quod legem per-fectè implere non poſſint. Quando verò acceſ-ſerunt eum homines peccatorum ſenſu territi ac contriti, non ad legem eos remiſit, ſed conſola-tiones vere Evangelicas ipſis propoſuit, Hiſto-riâ Evangelicâ paſſim id comprobante; tales ſi-quidem morbum ſuum agnoſcebant, Medicum deſiderabant, conſolationem quærebant, reli-quis ſpirituali quadam phreneſi ſeſe ſanos eſſe ſomniantibus. 5. Proindè planè nihil ad rem facit, quod Bellarminus dicit, ***Chriſtum non reddidiſſe malum pro bono, ideoque non ironicè, ſed propriè reſpondiſſe***; abſit enim, ut hoc ſenſu ironicam, hoc eſt, ſubdolam ac fallacem reſpon-ſionem Chriſto tribuamus, neque id D. Luthe-ro in cap. 3. Galat. commendanti in mentem ve-nit, ſed idem dicit, quod anteà latè oſtendi-mus, videlicet Chriſtum ad legem illos, qui pro-priè juſtitiæ opinione faſcinati erant, revoca-re voluiſſe, ut ad peccati ac ἀδυναμίας ſuæ agni-tionem eos perduceret. 6. Quo verò ſenſu ac reſpectu conditionem bonorum operum & no-væ obœdientiæ ab Apoſtolis adeoque ab om-nibus renatis Chriſtus exigat, paulò pòſt expe-ditum dabitur.

24. Tertium fundamentum, quo Bellarmi-nus probare nititur, promiſſiones Evangelicas eſſe conditionales, petit ex doctrina Apoſtolo-rum, qui paſſim conditiones operum inculcant. Roman. 8. *Si Spiritu actiones carnis mortifica-veritis, vivetis; cohæredes Chriſti ſumus, ſi tamen compatimur.* 2. Timoth. 2. *Si commortui ſumus, & convivemus; ſi ſuſtinebimus, etiam unà re-gnabimus.* Jacob. cap. 2. *Si tamen legem perfici-tis legalem.* 2. Petr. cap. 1. *Sic enim abun-danter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum.* 1. Johan. 1. *Si confiteamur peccata no-ſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis pec-cata noſtra* Apocal. 3. *Qui vicerit, dabo ei ſe-dere mecum in throno meo.* Reſp. Dicta hæc non ſunt unius generis, cùm quædam exigant pœnitentiam, quædam præſcribant novam ob-œdientiam, quædam concionentur de cruce perpetuo piorum hoſpite ac comite. In genere dicimus, in his & ſimilibus pronunciatis requi-ri à renatis mortificationem veteris hominis, ſtudium novę obœdientiæ ac patientiam in cru-ce, non tanquam talem quandam conditionem ac cauſam, propter quam juſtitia, ſalus & vita æ-terna contingat, cùm per fidem ex gratia Chriſti juſtitia nobis imputetur, cùmque vita æterna ſit gratuitum Dei donum, non autem operum no-ſtro-

Rom. 8. Si Spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. 2 Tim. 2 Si commortui ſumus & convivemus &c.

Google

ſtrorum meritum, denique cùm hæc dicta proponantur renatis, h.e. illis, qui per veram in Chriſtum fidem juſtificati ac hæredes vitæ æternæ ſcripti ſunt; ſed hæ conditiones ideò adduntur, ut exprimatur 1. quibus demùm ipſo actu plena vitæ æternæ poſſeſſio contingat, ſc. illis qui in vinea Domini laboraverint, qui perſeveraverint, qui vicerint &c. Matth. 10. v. 22. *Qui perſeveraverit, ſalvus erit.* Apoc. 3. v. 5. *Qui vicerit, induetur veſtimentis albis* &c. 2. Quo fine nobis conferatur juſtitia, vita æterna & Spiritus S. donatio per veram in Chriſtum fidem, videlicet ut impoſterum Deo gratos nos exhibeamus, non amplius vivamus ſecundùm carnem, ſed in novitate Spiritus. Luc. 1. v. 74. *Ideò fecit Deus redemtionem, ut liberati de manu inimicorum noſtrorum ſerviremus ipſi in ſanctitate & juſtitia,* Tit. 3. v. 14. *Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum περιούσιον ζηλωτὴν τῶν ἔργων.* 3. In quibus operibus noſtram Deo probare debeamus ac poſſimus obœdientiam, ut non ſolùm dicamur, ſed & verè ſimus Dei filii. Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos veſtros* v. 45. *ut ſitis filii Patris veſtri cœleſtis.* Jac. 2. v. 8. *Si legem perficitis regalem ſecundum Scripturam, Dilige proximum tuum ſicut teipſum, benefacitis.* 4. Quâ viâ poſt impetratam peccatorum remiſſionem incedendum ſit ad propoſitum vitæ æternæ brabeum contendentibus 1. Cor. 9. v. 24. *Sic currite ut comprehendatis.* 2. Tim. 4. v. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* 5. Quod cum exceptione crucis promiſſiones præmiorum corporalium & ſpiritualium, temporalium & æternorum ſint intelligendæ, ac quòd crucem tandem conſecutura ſit gloria, Act. 14. v. 22. *per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum cœlorum.* Rom. 8. v. 17. *coheredes ſumus, ſi tamen una patimur.* 6. Quod remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna nequaquam contingat ſecuris, impœnitentibus, in peccatis contra conſcientiam pergentibus, ſed illis, q. peccata ſua agnoſcunt, ſeriò dolent, fide Chriſtum amplectuntur, & fidem per opera demonſtrant. 1. Joh. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata.* 7. Quibus indiciis externis interior fides ac inhabitatio S. S. manifeſtetur, Joh. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionem habueritis invicem.* Joh. 15. v. 10. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* 1. Joh. 2. v. 3. *In hoc ſcimus, quod cognovimus eum, ſi mandata ejus ſervemus.* 8. Denique hæ conditiones ideò adduntur, quia renati peccata contra conſcientiam excidunt Dei gratiâ, excutiunt Spiritum S. amittunt fidem ac ſalutem æternam. Ezech. 18. v. 24. *Si averſus fuerit juſtus a juſtitia ſua, nunquid vivet?* Rom. 8. v. 13. *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini.* Breviter, quibus argumentis ac cauſis probatur operum neceſſitas in renatis, propter eaſdem etiam conditionales iſtæ particulæ adduntur, quâ de re in tract. de bonis operibus latè diſputabitur.

25. Quartum probationis membrum petit Bellarm. ex doctrina Prophetica. *Promiſſionibus Propheticis de remiſſione peccatorum adduntur conditiones pœnitentiæ & obedientiæ erga Dei mãdata.* Ezech. 18. *Si impius averterit ſe ab impietate ſua & fecerit juſtitiam & judicium, vitâ vivet.* Reſp. Evangelium docet vitam æternam eſſe gratuitum Dei donum, per & propter Chriſtum credentibus contingens, ut ſuo loco latè demõſtrabitur, ergò promiſſio ejus à pœnitentia & facienda juſtitia tanquam à conditione quadam meritoria pendere nequit. Deſcribitur autem vera ad Deum converſio, cujus præcipua pars eſt fides in Chriſtum à ſuis fructibus & conſequentibus, quæ ſunt averſio ab impietate & obœdientia erga Dei mantata, ſicut hæc conjunguntur in Scripturis, declinare à malo & facere bonum, odiſſe peccata & ſectari juſtitiam, exuere veterem hominem & induere novum, deponere opera tenebrarum & induere arma lucis, & ab his fructibus tam non poteſt vera ad Deum converſio ſeparari quàm ab igne calor, à Sole ſplendor, nec tamen illis fructibus meritum aliquod remiſſionis peccatorum vel vitæ æternæ aſcribi poteſt, cùm per fidem in Chriſtum hæc unicè contingant.

Ezech. 18. Si impius averterit ſe ab impietate ſua &c. vitâ vivet.

26. Quintum argumentum Bellarminus petit ex ipſamet noſtrûm conceſſione. *Fidem* (inquit) *in promiſſionibus Evangelicis requiri non negant adverſarii, ex quo ſequitur primò falſum eſſe, quòd promiſſiones Evangelii negantur eſſe conditionales, cùm aliqua in illis conditio ſc. fides requiratur: ſecũdo falſum eſſe, quod non requiratur conditio legis implendæ, nam quibus verbis Scriptura docet requiri conditionem fidei ad ſalutem, iiſdem, vel etiam clarioribus docet requiri conditionem legis implendæ, ut patet ex adductis locis.* Reſp. 1. Quando Evangelicas promiſſiones conditionales eſſe negam9, non quamvis conditionem, ſed in ſpecie conditionem noſtrorum meritorum excludimus, ut hac ratione conditionale opponatur gratuitò. Negat quidem Bellarminus hæc ſibi invicem opponi, cùm ipſa etiam obœdientia legis ſit donum Dei, ut hac ratione Deus det gratiam pro gratia, hoc eſt, gratiam indulgentiæ pro gratia pœnitentiæ, gratiam vitæ æternæ pro gratia meritorum; ſed accuratè notandum, nos non ſimpliciter opponere gratuitũ & conditionale, ſed certo reſpectu, videl. in articulo juſtificationis. Quamvis enim fides & opera per ſe abſolutè & ſimpliciter non ſint oppoſita, ſed ſubordinata, ſiquidem reſpectum cauſæ & effectus invicem obtinent, fides exerit ſe per opera dilectionis & opera de fide teſtimoniũ ferũt: tamẽ in actu Juſtificationis diſertæ ſunt oppoſitiones Apoſtolicæ; credenti, non operanti; ex Evangelio, non ex lege; ex gratia, non ex operibus; ex Deo, non ex nobis &c. quâ de re ſuo loco. 2. Alia igitur eſt conditio fidei à conditione operum: illa non opponitur gratuito dono, quemadmodum apprehenſio, quæ fit per mendici manum, non opponitur liberalitati donantis; hæc verò eidem disertè opponitur Rom. 11. v. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Id quod ab aliis ſic exprimitur. Particula Si, aut eſt αἰτιολογικὴ aut συλλογιστικὴ, id eſt, deſignat cauſam vel conſequentiam. In concionibus legalibus, ſi feceris hoc, vives, particula Si, eſt αἰτιολογικὴ, ſiquidem obœdientia eſt cauſa, propter quam ſervantibus legem datur vita æterna; ſed in evangelicis promiſſionibus, ſi credideris, ſalvus eris, particula Si, eſt συλλογιστικὴ, denotatur enim modus applicationis divinitùs conſtitutus, ſoli fidei competens. 3. Depravatio igitur eſt dicti pulcerrimi, quod pro gratia meritorum det DEUS vitæ æternæ gratiam, pro gratia pœnitentiæ gratiam indulgentiæ,

Quo pacto fides requiratur in promiſſionibus Evangelicis.

neque enim contextui, nec analogiæ fidei hæc explicatio congruit. Senſus dicti eſt, quòd propter illam gratiam, quâ Pater Filium ſub lege pro nobis factum diligit & acceptat, nos etiam ſibi gratos & acceptos reddat Rom. 5. v. 15. Epheſ. 1. v. 6. Chriſtus ſuâ obœdientiâ & paſſione acquiſivit nobis gratiam Patris, ac propter illam gratiam etiam nos credentes in gratia ſumus. Pœnitentibus datur quidem remiſſio peccatorum, & ex fide benè operantibus vita æterna, interim nec pœnitentia noſtra meritum eſt remiſſionis, nec opera noſtra vitæ æternæ.

An Evangelium requirat conditionem obœdientiæ.

27. Affine eſt huic argumento Bellarmini illud, quod in præcedente cap. 1. libri 4. de Juſtificatione producit hoc ſchemate indutum. *Si Evangelium nullam requirit conditionem obœdientiæ, ſed eſt ſolâ fide contentum, certè qui nihil boni faceret, conſentaneè ad Evangelium viveret.* Reſp. 1. Plus ſubſumit conſequens, quàm antecedens permittit. Quamvis enim Evangelium annunciet gratuitam peccatorum remiſſionem propter Chriſtum, & hoc reſpectu nullam requirat operum conditionem, videlicet tanquam meritum & cauſam remiſſionis peccatorum, ex eo tamen non poteſt nec debet inferri, cum conſentaneè ad Evangelium vivere, qui nihil boni faciat, cùm per *verbum Evangelii* non ſolùm *detur* peccatorum remiſſio credentibus, ſed etiam *SS.* Galat. 3. v. 2. *qui legẽ Dei ſcribit in corda noſtra* Jer. 31. v. 31. & ad omnis generis bona opera *impellit* Rom. 8. v. 14. ut hac ratione lex & Evangelium in praxi ſint conjunctiſſima. 2. Quid, quod illa ipſa fides per Evangelii prædicationem in cordibus accenſa, quamvis in negotio juſtificationis unicè reſpiciat Chriſtum ac gratuitam peccatorum remiſſionem impetret, ejus tamen proprietatis eſt ac Naturæ, ut per dilectionem & alios fructus Spiritus efficax ſit. Galat. 5. v. 6. nec cum peccatis contra conſcientiam ſtare poſsit. 3. Proinde quando quæritur, quis vivat conſentaneè Evangelio, non ampliùs de juſtificatione, ſed de vita ac moribus hominis per fidem in Chriſtum juſtificati quæſtio eſt, quo reſpectu is demum conſentaneè Evangelio vivere dicitur, qui fidem per opera exerit, cùm fides ex Evangelii prædicatione orta per opera ſit efficax. Phil. 1. v. 27. *tantùm Evangelio Chriſti* ἀξίως πολιτεύεσθε (*dignè converſimini*) μιᾷ ψυχῇ συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου. 4. Eandem objectionem formabant Pſeudoapoſtoli contra D. Paulum, cui reſpondet Rom. 3. v. 30. *Num legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtabilimus.* Idem ſibi reſponſum ſtatuat Bellarminus. Num opera deſtruimus per Evangelium? abſit, ſed opera ſtabilimus, nimirum, quia per Evangelium datur fides & Spiritus ſanctus, ut in operibus bonis credentes ambulent & fructus juſtitiæ Deo gratos proferant. Pulcrè Anſhelm. in cap. 3 Rom. *Per legem cognitio peccati. per fidem impetratio gratiæ contra peccatum. per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio, per juſtitiæ dilectionem legis operatio: ac per hoc lex non deſtruitur per fidem, ſed ſtabilitur, quia fides impetrat gratiam. quâ lex impleatur, gratia ſanat voluntatem, quâ juſtitia liberè diligatur.*

An Evangelium & fidem & opera requirat.

28. Regerit Bellarminus. *Evangelium requirit fidem; Fides requirit opera. Ergo & Evangelium requirit opera, ſi non immediatè, tamen mediatè.* Reſp. 1. Utraq; præmiſſarum laborat ambiguitate. Evangeliũ requirit fidem, non eo modo, quo lex requirit opera, per viam coactionis; ſed eſt efficax organum, per quod Spiritus S. in cordibus hominum fidem accendit. Lex requirit opera, ſed non dat vires ad faciendum; Evangeliũ requirit fidem, ſed dat vires credendi, quo ſenſu dicitur verbum fidei, auditus ac prædicatio fidei. Quemadmodum igitur perpetuus eſt nexus relati & correlati, ita quoq; dici poteſt ab Evangelio requiri fidem tanquam correlatum, cùm fides ſit organum illud, quo beneficia Chriſti in verbo Evangelii oblata apprehendimus. Fides requirit opera, h. e. vera fides per opera ſeſe exerit & inſtar generoſæ ac fertilis arboris bonos fructus profert, quibus ſe Deo gratam & hominibus officioſam probet. 2. Quamvis igitur ſano ſenſu dici poſsit, fidem ex Evangelio ortam requirere opera, tamen ex eo nec poteſt nec debet inferri, quod vel Evangelium vel fides ex Evangelio orta ad juſtificationem promerendam vel efficiendam opera requirat, cùm non requirantur ut cauſa vel meritum juſtificationis, ſed ut ejusdem conſequens ac effectum. Quò pertinet quòd vulgò dicitur, fidem habere duplicem ἐνέργειαν, formalem unam, quâ in Evangelio intuetur & apprehendit Chriſtum cum omnibus ſuis beneficiis & hactenus juſtificat: effectivam alteram, quâ ſe exerit per bona opera, quorum regula & norma eſt lex divina. 3. Ex ambiguis præmiſsis ambigua oritur concluſio. Evangelium n. requirere opera, intelligi poteſt duobus modis; primò ꝙ ſit doctrina ac regula bonorũ operum, ꝙ nova ac perfectiora opera requirat, quàm in lege præſcripta habentur, ꝙ per viam coactionis opera exigat, quo ſenſu propoſitionem illam repudiamus. Secundò ꝙ beneficium Evangelii ſit non tantùm remiſsio peccatorum, ſed etiam renovatio, per quam præparamur ad opera bona, quòd fides per Evangelium accenſa neceſſariò ſe exerat per bona opera, quòd ab illis, qui Evangelio credunt, opera requirantur, quo ſenſu propoſitionem illam toleramus expoſitâ priùs, quâ laborat, ἀκυρολογίᾳ.

Cauſa principalis Evangelii.

29. Demonſtravimus hactenus propriam Evangelii doctrinam eſſe lętum nuncium de gratuita peccatorum remiſsione propter Chriſtum, ex quo facilè colligitur, quodnam ſit Legis & Evangelii diſcrimen, & num Evangelium propriè loquendo ſit prædicatio pœnitentiæ? Antequam verò ad quæſtionum illarum ἐπίλυσιν deſcendamus, præſtat genuinam Evangelii naturam juxta Methodi leges uberiori διεξοδικῶς prius declarare. Ergò ut à cauſa efficiente initium faciamus, dicimus ἀρχικὸν αἴτιον Evangelii eſſe totam ſacroſanctam Trinitatem, tum ratione decreti, tum etiam ratione patefactionis. Quod ad priùs attinet, dicimus, Deum Patrem cum Filio & Spiritu ſancto æternum ab æterno feciſſe decretum, ut in remedium lapſus Adamici ac peccati, cuius πρόγνωσις, omniſcium Deum fugere haudquaquam potuit, ſecunda perſona Trinitatis Dei Filius in plenitudine temporis veram humanam naturam aſſumeret, ac in ea patiendo & moriendo pro peccatis hominum ſatisfaceret, ac totius humani generis redemtionem perficeret, quæ Filii Mediatoris beneficia per verbum Evangelii hominibus ſint annuncianda & per veram in ipſum fidem

cre-

credentiboa conferenda ad ſalutem & vitam æternam. Reſpectu hujus decreti Evangelium dicitur *myſterium æternis temporibus tacitum* Roman.16.v.25. *myſterium abſconditum à ſeculis in Deo* Eph. 3. v. 9. *myſterium abſconditum à ſeculis & generationibus* Coloſſ. 1. v.26. *propoſitum & gratia quæ data eſt nobis in Chriſto ante tempora ſecularia* 2.Tim.1.v.9. *Spes vitæ æternæ, quam promiſit Deus ὁ ἀψευδὴς ante tempora ſecularia* Tit.1. v.2. *Evangelium æternum* Apoc.14.v.6.

Cauſa impulſiva interna decreti Evangelici.

προηγούμενον αἴτιον hujus decreti Evangelici eſt immenſa Dei miſericordia, interceſſio Filii Dei & promiſſio ſatisfactionis io tempore præſtandæ, quâ in parte admirandum juſtitiæ & miſericordiæ divinę temperamentum conſiderandum eſt; Dilectionis eſt, quod Filius conſtitutus Mediator, idem tamen Deo nos dicitur reconciliâſſe, quod mentis noſtræ imbecillitas non poteſt plenè comprehendete. Leo ſerm. 1. de jejun. decim. menſ. *In Dei operibus atque judiciis nihil vacat à veritate juſtitiæ, nihil à miſeratione clementia.*

Externa.

Προκαταρκτικὸν αἴτιον eſt miſeria humani generia, in quam Diaboli fraude præcipitatum æternæ morti totum fuiſſet obnoxium, niſi Evangelicum illud decretum fuiſſet factum, & poſt lapſum hominii revelatum, quâ in parte iterum conſiderandnm eſt mirabile zeli & benignitatis divinæ temperamentum. Quia n. homo miſera Dei creatura nequiter à Diabolo deceptus erat, ideò Deus juſtiſſimo contra Diabolum zelo exarſit, hominii verò benignum ac benevolum ſeſe exhibuit Eſa. 59. v.16. *vidit Jehovah, quòd non eſſet vir & admiratus eſt, quòd non eſſet, qui intercederet, itaque ſalutem fecit ipſi brachium ejus & juſtitia ejus ipſa confirmavit eum.* v.17. *& induit ſeſe juſtitiâ ut loricâ & galeâ ſalutis in capite ejus, induit ſeſe veſtimento ultionis & tanquam pallio zeli.* verſ. 18. *quaſi propter retributionet, quaſi ad reddendam vindictam hoſtibus ſuis.* v. 20. *veniet ad Sion redemtor &c.* Eſa. 9. v. 7. *Zelus Jehovæ exercituum faciet illud.*

Manifeſtatio Evangelii eſt opus totius S. S. Trinitatis.

30. Quod ad manifeſtationem Evangelii attinet, ea itidem toti ſacroſanctæ Trinitati rectè tribuitur. Quamvia enim Filius Dei, utpotè qui ſolus in perſonæ unitatem humanam Naturam aſſumturus & in ea redemtionis opus abſoluturus erat, ab initio cooſtitutus fuerit Evangelici decreti interpres & nuncius, (ipſe eoim eſt, qui primam promiſſionem Evangelicam de *ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis* in Paradiſo propoſuit Geneſ. 3. verſ. 15. unde Chaldæus Paraphraſtes verſic. 8. dicit, *Et audierunt vocem Meimera τοῦ λόγου* ſecundæ perſonæ Trinitatis: ipſe eſt, qui Abrahamo & reliquis Patriarchis apparena promiſſionem de Meſſia repetivit, unde vocatur Λόγος Johan. 1. verſ. 1. cujus appellationis ratio inter reliquas ea eſt, *quia Deum nemo vidit unquam, Filius, qui eſt in Sinu Patris, ipſe enarravit nobis* Johan. 1. v. 18. Pulcrè Irenæus lib. 4. cap. 14. verbum Revelavit, hoc loco & alibi de Chriſto uſurpatum expendit, ſcribens: *Non ſolum in futurum dictum eſt, quaſi tunc inciperet verbum manifeſtare Patrem, cùm de Maria natus, ſed communiter per totum tempus poſitum eſt. Ab initio enim aſſiſtens Filius ſuo plaſmati revelat omnibus Patrem, quibus vult & quando vult, & quemadmodum vult Pater & propter hoc in omnibus & per omnia unus Deus Pater, & unum verbũ & unus Filius & unus Spiritus & una fides & ſalus omnibus credentibus in eum.* Nazianz. orat. 2. de Filio: Inter cauſas reliquas, cur Filius dicatur Λόγος, etiam hanc affert, ὅτι τὸ ἐξαγγελτικόν: interim tamen ab hoc manifeſtationia opere nec Pater, nec Spirit. S. removendus eſt, cùm *opera Trinitatis ad extra ſint indiviſa*, cùm *Pater ſit in Filio, & Filius in patre* Joh.14,11. cùm *ſermo quem locutus eſt Filius, non ſit ejus, ſed Patris, qui ipſum miſit* v. 24. cùm *Filius Dei non à ſeipſo loquatur, ſed Pater in ipſo manens opera faciat & loquatur*, v. 10. denique cùm *Spiritus ſanctus per os Prophetarum*, qui promiſſiones Evangelicas repetiverunt, *ſit locutus* Luc. 1. v. 70. cùm *Spiritus Chriſti in Prophetis prænunciavit Chriſti paſſiones* 1.Pet.1.v.11.

An Filius ſit συναίτιος Evangelii?

31. Quamvis igitur Deus Pater per Filium in Spiritu ſancto Evangelium manifeſtaverit, abſit tamen ut cum Bucano io locis cap 20. pag. 189. aſſeramus, συναίτιον Evangelii eſſe Filium Dei; imò verò non συναίτιον ſed unà cum Patre & Spiritu S. κύριον αἴτιον eſt hujus revelationis. *Id quod in divinis agit, eſt una communis tribus Deitas*, ut habet regula Nazianz. orat. 2. de Theol. quæ extructa eſt ex dicto Chriſti Joh. 5. verſ. 19. *Quæcunque Pater facit ταῦτα καὶ ὁμοίως facit Filius.* Ut Patris & Filii una eſt eſſentia, ita quoq; una agendi via ac poteotia, quam in operibus ad extra exerunt æqualiter & indiviſè, ſervato tamen ordine & diſcrimine perſonarum. Et quam nobis Bucanus dabit rationem, quòd Filium Dei hujus manifeſtationis συναίτιον conſtituat, cùm tamen Spir. ſancti non faciat diſtinctam mentionem, quem itidem ex ſuis hypotheſibus debuiſſet ſtatuere συναίτιον hujus operis? neque enim obverti poteſt, quòd de Filio Dei in carne manifeſtato, ſive quod idem eſt, de Chriſto ſecundùm humanam naturam conſiderato loquatur; hoc enim reſpectu in ſequenti ſtatim quæſtione Chriſtum ad cauſam organicam ſive ad eos, per quos Evangelium mundo patefactũ eſt, refert, quod tolerabilius eſt priore, ſiquidem Deus locutus nobis dicitur in Filio, Hebr. 1. v.1. interim tamen dextrè accipiendum cùm Chriſtus homo non ſit ἄλλος à Chriſto Deo, ſed una eademque perſona, cumque in manifeſtatione Evangelii Chriſtus non agat ut homo tantùm, ſed ſecundùm utramque Naturam.

Cauſa organica Evangelii.

32. Ad organica igitur αἴτια referimus, 1. Patriarchas V. T. Quis n. dubitet, promiſſionem Evangelicam de ſemine mulieris ab Adamo poſteris traditam ac repetitam eſſe? idem eſto judicium de Abele, Noacho, Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, qui quoties altare Deo extruxiſſe & in eo Deo ſacrificaſſe dicũtur, fide reſpexerunt in promiſſum Meſſiam, & promiſſionem de ſemine, in quo benedicendæ ſint omnes gentes, auditoribus ſuis propoſuerunt. 2. Prophetas & Sacerdotes V. T. quorũ illi promiſſionem de Meſſia unà cum doctrina legis expoſuerint & clariorem reddiderunt, hi v. in ſacrificiis eandem quaſi deſcripſerunt. 3. Angelum Domini, qui Chriſto nato Paſtorib' Bethlehemiticis evangelizabat, Luc. 2. v. 10. *annuncio vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi.* 4. Johan. Baptiſtam, qui Chriſtum digito oſtendens, *agnum DEI* ipſum vocabat Johan. 1. verſ. 19. & 36. breviſſimâ hac ſententiâ ſummam Evangelii complexus, 5. Apoſtolua qui ex mandato Chriſti *prædicarunt Evangelium omni creaturæ*

Marc.

Marc.16.verſ.15. *ita ut fructificaverit Evangelii prædicatio in toto mundo* Coloſſ.1.v.6.& 23. 6. Omnes fideles verbi miniſtros & Evangelii præcones, præſertim verò B. Lutherum, per quem noviſſimis hiſce temporibus Evangelii doctrinā Deus repurgavit, & priſtino Apoſtolico nitori clementiſſimè reſtituit. Quare non dubitamus ad eum referre vaticinium Apoc.14.verſ.6. *Vidi angelum volantem per mediū cœli habentem æternum Evangelium ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram & ſuper omnem gentem & tribum & linguam & populum. v.7. dicens magnâ voce, Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum qui fecit cœlum & terram & mare &c.* cujus vaticinii explicationem & accommodationem tradit Func. in Apocal. & Matheſ. in concion. de vita Luth.

Organum apprehendens.

33. ὄργανον ἀντιληπτικὸν Evangelicarum promiſſionum ſtatuitur fides. Notandum verò fidem habere duplicem ad Evangeliū reſpectū, 1. effectus, ſiquidem per vocē Evangelii Spir.S. accendit fidem in cordibus hominum. Rom.10. v.17. *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbū Dei.* Quemadmodum in prima creatione ex verbo Dei oriebatur lux, ita in ἀνακτίσει ac reparatione hominis ex luce Evangelii oritur in cordibus lux fidei. 2. Cor. 4. v. 6. *Deus qui juſſit ex tenebris lucem ſplendeſcere, idem illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.* 2. Organi, ſiquidem bona in Evangelio oblata per fidē apprehendimus ac nobis applicamus, ut ſit perpetua relatio inter organum offerens, & organum apprehendens, inter donum ejuſdemq́ue acceptationem, inter promiſſionem gratię & fiducialem apprehenſionem. Hebr. 4. v. 2. *non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei*; ideò mandato de prædicatione Evangelii immediatè ſubjungitur Marc. 16.verſ.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

Tempus manifeſtationis Evangelii.

34. Quia verò non in Novo ſolùm T. per filium Dei in carne manifeſtatum, per Johannem Baptiſtam & Apoſtolos, ſed etiam in Veteri per eundem filium Dei nondum incarnatum, per Patriarchas & Prophetas Evangelium prædicatum eſt, ex eo facilè colligitur, quo tempore cœperit manifeſtatio Evangelii, nimirū ſtatim poſt lapſum. Poſtquam enim fraudibus Sathanicis illectus & propriâ cupiditate inductus primus homo mandatum creatoris ſui tranſgreſſus, æternæ mortis nexibus implicitus erat, Filius Dei ex arcana majeſtatis ſede prodiens decretum Evangelicum de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis manifeſtavit, ex quo veluti fonte promanant omnes, quotquot in Propheticis & Apoſtolicis concionibus & ſcriptis reperitæ extant gratiæ conciones, ac de Chriſti beneficiis promiſſiones, quæ nihil aliud ſunt, quàm uberiores πρωτευαγγελίου iſtius explicationes & illuſtriores declarationes. ** Photiniani ſtatuunt Deum in V.T. nunquam revelaſſe vel promiſiſſe vitam æt. Sed ejuſdem revelationem & promiſſionem tantūmodò hominibus N. T. per Chriſtū inſinuandā reſervaſſe. Catech. Racov. p.231. Schmaltz. cōtra Frantz. p.220. Contra notandū. 1. quod primis parentibus ſervantibꝰ legem primævam de arbore vetita revelata fuerit & promiſſa in illo ipſo præcepto vita æterna. Quia n. legem illam violantibus vitæ æternæ contrarium ſcil. mors æterna denunciabatur, ideò negari nequit, ſervantibus illam legem v. æt. promiſſam, niſi quis negare velit, ex prohibitione de non dicendo falſo teſtimonio colligi poſſe præceptum de veritate dicenda. 2. quod in protevangelio de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis promiſsio v. æt. contineatur, quia pars ſerpentini capitis præcipua fuit mors æterna, ubi ergo promittitur mortis æternæ deſtructio, ibi v. æt. beneficium ſperari jubetur. 3. quod ex his principiis prodierint illę conſolationes Propheticæ de Meſsia. Eſ. 29. v. 26. *perdet mortem in ſempiternū.* Oſeæ 13. v. 14. *ero mors tua, ô mors, &c.* 4. quod Chriſtus ad legendas Scripturas Judæos remittēs Joh. 5. v. 39. teſtatur, *v. æt. in illis habere.* Quomodo potuiſſet ipſos pro accipienda v. æt. remittere ad teſtimonia Scripturæ veteris, ſi illa nihil habuiſſet de v. æt. in Chriſto promiſſa. 5. quod Paulus Act. 24. v. 14. coram Felice teſtetur, *quod ita colat Deum patrium credens omnibus, quæ in lege & Prophetis ſcripta ſunt & ſpem habens in Deum fore, quam & ii ipſi expectant reſurrectionem mortuorum juſtorum ſimul & injuſtorum.* Ergo Judæi manentes hoſtes Chriſtianorum expectant reſurrectioonem promiſſam in lege & Prophetis. 6. Ezech. 18. expreſsè promittitur vita piis, utique æterna, quia mors temporalis omnibus communis. Regerunt: *Iſraelitas ſperaſſe v. æt. licet nunquam ipſis fuerit promiſſa.* Reſp. quomodo ſperaſſent, niſi credidiſſent? quomodo credidiſſent, de quo non audiviſſent? quomodo audiviſſent, niſi prædicatum ipſis fuiſſet? quomodo verò prædicaſſent ipſis aliqui, niſi ad hoc ipſum prędicandum à Deo miſsi. Rom. 10. ** Eſt qui ſtatuit, Evangelium etiam in ſtatu innocentiæ ante lapſum fuiſſe, duobus potiſsimùm uſus argumentis, 1. quia fuit ibi idem planè Evangelium de gratia Dei, ſed adhuc abſconditum & nondum revelatum. 2. quia primi homines circa arborem ſcientiæ boni & mali omnia læta de propitio Deo, de gaudiis Paradiſi, de vita audituri fuiſſent. Hæc quidem rectiſsimè dicuntur interim tamen diſtinguendum eſt inter decretum Evangelicum ejuſdemq́; manifeſtationem; decretum quidem æternum eſt, ante jacta mundi fundamenta factum, ſed manifeſtatio poſt lapſum demùm contigit. Obſervandum etiam quòd Evangelium non in genere tantùm per lætum nuncium ſit definiendum, ſed addenda etiam differentia ſpecifica, quòd Evangelium ſit lætum nuncium de Chriſto Mediatore pro peccatis noſtris mortuo, per quem & propter quem remiſsio peccatorum credentibus contingat. Ex quo facilè intelligi poteſt, an dicendum ſit, Evangelium propriè & ſpecificè ſic dictum, etiam ante lapſum in ſtatu innocentiæ fuiſſe editum.

Vnum idemque Evangelium eſſe in V. & N. T.

35. Ex eo tempore, quo per Filium Dei prima promiſsio Evangelica in Paradiſo manifeſtata eſt, ſemper ſonuit vox Evangelii in Eccleſ. per Patriarchas ac Prophetas repetita ac declarata, proinde unum & idem eſt Evangelium, quod non in N. demū T. natum vel editum, ſed jam inde à primis lapſi generis humani temporibꝰ promulgatum, quo gratia Dei, remiſsio peccatorum & ſalus una atque eadem omnibus ſanctis annun-

annunciata ac oblata fuit, quod probant. 1. Summæ Evangelicæ ex Moſe & Prophetis ſuperiùs adductæ; quæcunque enim in Scriptis V. T. de perſona, officio, paſſione, reſurrectione, aliisvè operibus ac beneficiis Meſſiæ vaticinia extant, nihil aliud ſunt, quàm primæ illius Evangelicæ concionis per Filium DEI in Paradiſo revelatæ illuſtriores repetitiones & declarationes. ** Judæi *Gen. 3. de nudo ſerpente* accipiunt, ſed contrarium oſtenſum fuit in loco de pecc. orig. §. 8. *Locum quidem Gen. 4. v. 1.* Luther⁹ rectè ſic vertit. *Adepta ſum virum Iehovam*, quam verſionē etiam Conr. Pellicanus Hebraicè doctiſſimus agnovit & ex Cabaliſtis confirmavit. Sed Calvinus pronunciat, hoc eſſe nimis ſubtile, quem ſequitur Paræus, propterea quod את ſæpe ſit nota ablativi caſus Gen. 5. v. 22. cap. 6. v. 9. c. 12. v. 15. Exod. 1. v. 1. &c. Item Piſcator, Tremelli⁹ Reſp. 1. negari nequit, particulam את cōmuniter eſſe notam accuſativi, ergo noſtra interpretatio fluit ex uſitata ſignificatione & proprietate vocabuli. 2. Particula את aut eſt *δεικτικὴ ἐμφατικὴ* & cum verbis activis ſive tranſitivis conſtructa eſt articulus accuſativi caſus, cum paſſivis verò & intranſitivis nominativi caſus, aut eſt ꝑpoſitio CUM. Atqui hîc non eſt præpoſitio CUM. Ergò eſt *δεικτικὸν ἐμφατικὸν* & quidem articulus accuſativi. Aſſumtum patet ex phraſi linguæ Hebrææ, quæ nunquam & nuſpiam hanc formulam *σὺν Θεῷ* cum Deo, per Deum, Deo fortunante effert per את יהוה ſed per has באלהים ביהוה Pſ. 60 v. ult. Pſal. 108. v. ult. Jerem. 3. v. 23. Hoſ. 1. v. 7. Eſa. 45. v. 17. Deut. 33. v. penult. 3. ordinaria ſignificatio particulæ את tantiſper valere debet, donec neceſſitas extraordinariæ ſignificationis demonſtretur. 4. Novies hæc particula reperitur in eodem hoc & antecedente & ſequente verſiculo, ubi octies ſignificat indubitatò articulum accuſativi, conſtructa quippe cum verbis activis, quî ergo tam citò tam inſolentem ſignificationem cum verbo activo aſſumeret? v. ſeq. eadem appoſitionis ratio occurrit *τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἄβελ*. Confer Gen. 3. v. ult. cap. 4. v. 1. & 2. 5. Jonathan paraph. Chald. non ſolum articulum accuſativi perſpicuè expreſſit, ſed etiam ad *Angelum Iehovæ*, id eſt, Meſſiam accommodavit is enim eſt *Angelus fœderis* Eſa. 63. v. 9. Malach. 3. verſ. 1. Verba ſic habent. *Et Adam cognovit Hevam uxorem ſuam, quæ erat deſiderans illius Angeli & concepit & peperit Cainum & dixit, adepta ſum viro τὸν Angelum illum Iehovæ.* 6. Conſuetudo eſt linguæ Hebraicæ appoſitionem in accuſativo exprimere, per את inter duo nomina poſitum. Gen. 4. v. 2. Jer. 17. v. 13. Gen. 26. v. 34. Ezech. 4. v. 1. 1. Reg. 11. v. 23. 1. Sam. 15. v. 4. & 18. Gen. 22. v. 2. 2. Sam. 3. v. 14. &c. 7. abſq; urgente cauſa Judaicum ſenſum non debemus amplecti ac deſerere eum, qui Chriſti gloriam illuſtrat. Fr. Jun. & Tremellius dicunt eſſe ellipſin literę מ ideò reddūt à Jehova produceūt duo exempla Gen. 44. v. 4. & Deut. 34. v. 1. Reſp. cur deſerunt ordinariam vocis ſignificationem & quærunt ellipſin? adde quod in illis exemplis nulla ellipſis. Hebræi enim dicunt exiit urbem, id eſt, ex urbe. In loco altero poteſt את rectè ſic verti, ut maneat articulus accuſativi. Paræus. 1. producit aliquot loca, in quibus את eſt nota ablativi. Reſp. manet interim, quod propria & ordinaria ſignificatio ſit eſſe notam accuſativi. Monſtretur igitur neceſſitas diſcedendi ab ea. Nos verò oſtendimus, nō poſſe hîc accipi pro CUM; 2. Argumentum ducit ex v. 25. *poſuit mihi Deus ſemen aliud.* Reſp. ex litera ſumenda eſt interpretatio, potuit Eva hîc exprimere deſiderium Meſſiæ & poſtea celebrare Dei bonitatem adde quod Eva hic non reſpiciat ad nativitatem Cain; ſed mentionem faciat occiſi Abelis 3. *ſciebat Eva Cainum ſemen eſſe viri, quare non credebat ſemen eſſe virginis.* Reſp. ſciebat Eva ſemen mulieris fore Meſſiam, cumque ipſa à ſerpente eſſet ſeducta & in actu judiciario ſerpenti oppoſita, putabat ſe in individuo matrem futurā, nihilominùs & hoc ſciebat, Meſſiam contritorem ſerpentis fore verum Jehovam, quare virginitatis nulla hîc fuit apud Evam conſideratio. Lutherus primùm vertit: *Acquiſivi virum Domini*, ut oſtendunt editiones in parva Germanica Geneſi quæ extat tom 4. Jen. Germ. ad annum 1528. Ich habe uberkommen den Mann des HErrn. Sed tamen in marginalib. eodem anno ejuſdem tomi ſuper parvam Geneſin nihilominùs orthodoxè docet, Evam tunc non aliter putâſſe, quā hoc fore illud ſemen, quod dixerat Dominus contriturum caput &c. Eandem verſionem retinuit in poſtrema editione completā anno 1542. tandem tamen, ut patet ex tractatu ſuper poſtrema verba Davidis tom. 8. Jen. Germ. f. 157. b. mutavit etiam verba Ich habe bekom̄en den Mañ des Herrn adductis hujus ſuæ verſionis rationibus graviſſimis.** 2. Totum Sacerdotium Leviticum & totus cultus Leviticus, cujus præcipuæ partes fuerunt ritus ſacrificiorum, ſpectabant Chriſtum, ejuſdemque beneficia adumbrabant. Quia mors peccatori debita derivabatur in animal ſacrificandum, erat quaſi viſibilis commonefactio, non poſſe noſtris viribus peccatum & mortem aboleri, ſed opus eſſe aliâ victimâ, quæ pro peccatis noſtris Deo offeratur; Hûc reſpicit Baptiſta, quando Chriſtum vocat *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi*, Johan. 1. verſ. 29. 3. Chriſtus disertè pronunciat Johan. 8. verſ. 56. *Abraham exultavit, ut videret diem meum, & gavisus eſt*, nimirum, quia illuſtris repetitio Evangelicæ promiſſionis ad Abrahamum facta eſt, & promiſſio de Meſſia ad ipſius familiam reſtricta. Joh. 5. v. 46. aſſerit *Moſen de ſe ſcripſiſſe*, non ſolùm diſertis vaticiniis, ſed etiam typorum umbris. Luc. 24. v. 27. in genere oſtendit, non Moſen ſolùm, ſed etiam omnes Prophetas de ſe ſcripſiſſe. 4. Apoſtoli in genere pronunciant Act. 15. v. 11. *Credimus per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvari, quemadmodum & Patres noſtri*; ergo unum idemque fuit Evangelium, gratiam Dei in Chriſto Mediatore quærendam eſſe docens, quo omnes ſancti quibuslibet temporibus ab initio mundi juſtificati ſunt & ſalvati. 5. Petrus παῤῥησίᾳ teſtatur Act. 4. v. 12. *Non eſſe in alio quoquam ſalutem, quam in Chriſto, nec aliud nomen ſub cœlo datum eſſe hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, & Actor. 10. v. 43. *Chriſto teſtimonium dari ab omnibus Prophetis, quod remiſſionem peccatorum accipiant per nomen ejus omnes qui credunt in ipſum.* Ergo pii veteris Teſtamenti non aliâ ratione quàm fide in Chriſtum per verbum Evangelii prædicatum ſunt ſalvati, *de qua ſalute in Chriſto promiſſa inquiſiverunt & ſcrutati ſunt Prophetæ.* 1. Pet. 1. v. 10. eidemque luculentum dederunt teſtimonium. 6. Paulus

Rom.

Rom. 3. v. 21. *Aſſerit juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes credentes teſtimonium dari a lege & Prophetis*, Rom. 4. verſ. 2. & ſeqq. *Abrahamum non ex operibus, ſed fide in Chriſtum juſtificatum eſſe confirmat.* Idem judicium eſt de reliquis V. T. electis: *neque enim propter Abrahamum hoc tantùm ſcriptum, ſed & propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui excitavit Chriſtum in mortuis.* verſ. 23. & 24. proinde univerſalis regula eſt; omnes electos, uno eodemque modo juſtificari & ſalvari. Hebr. 11. v. 4. & ſeqq. oſtenditur omnes ſanctos ab initio mundi *per fidem juſtitiæ heredes factos*, cujus fidei varia exercitia deſcribuntur. Hebr. 13. v. 18. *Ieſus Chriſtus heri & hodie idem eſt & in ſecula.* E. idem fuit Mediator, per quem pii temporibus V. T. quæ heſternæ diei comparantur, non minùs ſalvati ſunt, quàm pii ſub N. T. 7. Johannes *Evangelium* vocat *æternum* Apoc. 14. v. 6. ac proinde non cœpit demum in N. T. *agnum Dei ab origine mundi occiſum* aſſerit Apoc. 13. v. 8. non quidem actu ſed efficaciâ; profuit enim paſſio Chriſti antequam fuit.

36. Idipſum doctiſſ. D. Chemn. parte 2. locor. p. 579. in ſpecie probat, quadruplicem temporum ſeriem continens, quibus maximè illuſtres Evangelii repetitiones factæ & deſcriptæ ſunt. 1. à lapſu Adæ uſque ad diluvium, 2. à diluvio uſque ad Moſen. 3. à Moſe uſque ad Prophetas. 4. à Prophetis uſque ad Chriſtum. Singulis illis temporibus Evangelicam promiſſionem de ſemine mulieris repetitam & ſubinde clariùs expoſitam eſſe, eruditè & copioſè ibidem oſtendit. Ex quo irrefragabiliter colligitur, unam & eandem eſſe Evangelii doctrinam, cujus agnitione & fide ſancti omnibus temporibus ſalvati ſunt. Valeat proinde commentum illud (cujus veſti-

Antitheſis

gia tamen in antiquiſſimis ſcriptoribus Eccleſiaſticis occurrunt) quod homines ante Moſen ſola lege naturæ juſtificati & ſalvati ſint, poſt Moſen ſola lege Moſis, in N. T. lege Evangelicâ, quam opinionem in Pelagio toties ab Auguſtino damnatam & refutatam ſuam fecerunt Scholaſtici; ex quibus etiam hoc adhæſit Romanenſibus ut perfectiora opera in Evangelio Chriſtianis tempore N. T. præſcripta ac tradita eſſe pugnent, quibus coram Deo juſtificentur & ſalventur, cum politiæ Judaicæ civibus opera in lege Moſaica præſcripta ad juſtitiam & ſalutem ſufficerint. Valeat inſuper falſa iſta aſſertio, quod ad legem pertineat, quicquid in Moſe & Prophetarum ſcriptis, ad Evangelium verò quicquid in N. T. libris deſcriptum extat, quem errorem ſuperiùs in Bellarmin. notavimus, qui lib. 4. de juſtif. c. 2. magna confidentia aſſerit nomen Evangelii nuſpiam aliter accipi, quàm pro doctrina in Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis contenta.

37. Cæterum ut aſſertio noſtra de uno eodemque Evangelio omnibus mundi temporibus prædicato evidentior ſit & adverſus argumentorum contrariorum inſultus muniatur, hæc duo membra obſervare convenit. 1. Evang. vocem dupliciter accipi, primò pro doctrina de promiſſione gratiæ & remiſſionis peccatorum propter Chriſtum gratis dandæ; ſecundò pro publico de exhibito Meſſia præconio, quod cùm in N. demùm Teſtamento cœperit, manifeſtum eſt Evangelium in priore ſignificatione hoc loco accipiendum eſſe. Inde eſt, quòd doctrina de futuro Meſſiæ adventu in ſcripturis vocari ſolet *promiſſio* Rom. 15. v. 8. Galat. 3. v. 16. ſiquidem quæ in N. T. per Chriſti adventum ſunt completa, ea in V. T. fuerunt promiſſa. Quando verò in N. T. doctrina Evangelii vocatur promiſſio 2. Tim. 1. v. 1. Galat. 3. v. 14. non ad Chriſtum, ſed ad futura æternæ vitæ bona, quæ per Chriſtum expectamus, potiſſimùm habetur reſpectus. 2. Evangelicam promiſſionem ſubinde clariùs expoſitam & illuſtratam eſſe, donec tandem plena lux in N. Teſt. oriretur. Eſaias certè tantam cognitionis lucem habuit, quantam in nemine Anteceſſorum animadvertere poſſumus. Quinimò reſpectu ad lucem N. T. habito doctrina de Meſſia in V. T. confertur nocti & tenebris, nimirum καλὰ σύγκειται Rom. 13. v. 12. fuit enim figuris & umbris tecta, quarum involucris remotis clariſſimum cognitionis jubar in N. T. effulſit, quod proinde diei comparatur. Quemadmodum igitur die appropinquãte paulatim diſpelluntur tenebræ ac in aurora cœlum magis magiſque incipit albeſcere, donec Luciferum ſequatur Solis ſplendor, ita quoque in V. T. ſubinde clariùs revelatum eſt Evangelium, quò magis N. T. dies appropinquaret.

38. His exactè obſervatis facilè apparebit, quid argumentis adverſæ partis reſpondendum ſit. 1. *Lex per Moſen data, gratia autem & veritas per Chriſtum nobis contigiſſe dicitur*, Joh. 1. v. 17. *Ergo Moſes ſolam legem, Chriſtus ſolum Evangelium docuit.* Reſp. non hoc accipiendum eſt excluſivè, quaſi ſolam legem Moſes docuerit, ſed antitheſis inſtituitur inter Miniſterium Moſis & beneficium Chriſti. Moſes tradit quidem præcepta & promittit vitam, ſed ſub conditione perfectæ obœdientiæ, quam cùm propter naturæ corruptionem præſtare non poſſimus, ideò opus fuit, alio Mediatore videlicet Chriſto, qui miniſterium mortis & condemnationis auferret, contra verò gratiam & veritatem daret, per quam quid inelligendum ſit, luculenter oſtendit Chemnitius Harm. Evang. cap. 20. pag. 61. Diſtinguendum igitur inter Moſen Doctorem & Legiſlatorem ſive pacti Legalis Mediatorem. Moſes ut doctor de Chriſto prædicavit & ſcripſit, ſed ut Legiſlator & veteris pacti Mediator legem tantùm dedit, per quam non contingit nobis Dei gratia & vita, cùm deſit nobis perfecta ejus impletio, ſed per Chriſtum, qui non ſolùm prædicavit Evangelium, ſed & bona in Evangelio oblata ſua paſſione nobis promeruit. Quidam diſtinguunt inter principale ac minùs principale Moſis & Chriſti officium. Principale (dicunt) Moſis officium fuit legem promulgare, interim & Evangelium docuit licet obſcurius: Chriſti præcipuum munus erat promulgare Evangelium, licet interim & legem doceret, ſed non principaliter: ſed antitheſis hujus dicti plura comprehendit. 2. Paulus dicit Rom. 1. v. 2. *Evangelium eſſe priùs promiſſum per Prophetas. E. non eſt per ipſos prædicatum, ſed tantùm annunciatum.* Reſp. Evangelii nomine intelligitur publicum de exhibito Meſſia præconium, quod in N. T. demum prædicari cœpit. Marc. 1. verſ. 1. *Initium Evangelii Ieſu Chriſti*, v. 2. *ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta, &c.* interim doctrina de gratia Dei & peccatorum remiſſione propter Meſſiam in V. T. promiſſum, in N. exhibitum,

1. Johan. 1. Lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum nobis contigit.

2. Rom. 1. Evangelium priùs promiſſum per Prophetas.

ſubſtantiâ, utrobique una eſt & eadem. Modus patefactionis ac reſpectus temporis non mutant rem ipſam. 3. Rom. 16. v. 25. *Evangelium dicitur myſterium æternis temporibus tacitum*, v. 26. *manifeſtatum autem nunc*, h. e. tempore N. T. *ergo ſub V. T. fuit ignotum*. Reſp. ibidem diſertè additur, quòd manifeſtatū ſit Evangelium διὰ γραφῶν προφητικῶν, ergo etiam olim innotuit, licet minùs clarè ac paucioribus; tantam ac tam clarā, non autem totam Evangelii manifeſtationem V. T. Apoſtolus derogat; quò referendus eſt, Epheſ. 3. v. 5. *myſterium Chriſti* ſive Evangelium ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη, *ut nunc revelatum eſt*, de gradibus igitur cognitionis ac latitudine prædicationis Apoſtolus agit.

3 Rom. 16. Evangelium eſt myſterium æternis temporibus tacitum.

4 Patres V. T. expectarunt adventum Meſſiæ.

4. *Patres V. T. expectarunt promiſſum Meſſiæ adventum. Ergo tantùm ſpes, non autem fides ipſis tribuenda, vel certè ipſorum fides diverſa fuerit à noſtra.* Reſp. fides complectitur notitiam & fiducialem apprehenſionem. Reſpectu notitiæ diverſitas quædam inter fidem piorum in V. T. & noſtram fortè conſtitui poteſt, reſpexerunt enim in Meſſiam promiſſum, nondum autem exhibitum, quem nos ſcimus & credimus in N. T. eſſe exhibitum; ſed fiducialis apprehenſio utrobique eadem eſt: Abraham non minùs fructum & efficaciam meriti Chriſti fide participavit, quàm latro in cruce Chriſtum præſentem intuitus; quid quòd expectatio adventus Meſſiæ diſertè dicitur fides Roman. 13. v. 11. Iren. lib. 4. cap. 38. *Una & eadem eſt Abrahæ & noſtra fides, illo quidem credente, futuris quaſi jam factis propter repromiſſionem Dei, nobis quoque ſimiliter per fidem ſpeculantibus eam quæ eſt in regno hereditatem propter repromiſſionem Dei.*

39. Maneat ergo firmum & fixum, unum idemque eſſe Evangelium, quod jam inde à primis lapſi humani generis temporibus in Eccleſia ſonuit, quod comprobant tot vaticinia de Chriſto in V. T. edita; ſiquidem Chriſtus eſt veluti nucleus Evangelii, imo totiùs ſcripturæ ſacræ. Rom. 4. v. 24. *Scriptum eſt non ſolùm propter Abrahamū, ſed etiā propter nos, quibus imputabitur credentibus in eū, qui ſuſcitavit Chriſtum à mortuis* v. 25. *qui traditus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*, inde dicitur *Evangelium de Filio Dei*. Rom. 1. v. 3. *Evangelium Chriſti*, Marc. 1. v. 6. *teſtimoniū Chriſti*, 1. Cor. 1. v. 6. *myſterium Chriſti*, Epheſ. 3. v. 5. *verbū crucis*, hoc eſt, de Chriſto crucifixo, 1. Corinth. 1. verſ. 18. Quamvis verò omnia omninò Chriſti beneficia ad Evangelium pertineant, ut non minùs renovatio & donatio Spiritus ſancti ſit Chriſti beneficium in Evangelio nobis oblatum, quàm regeneratio & peccatorum remiſſio, idem tamen Evangelium oſtendit juſtificationem non eſſe quærendam in beneficio renovationis, quæ in hac vita nunquam eſt perfecta, ſed in gratuita peccatorum remiſſione & juſtitiæ Chriſti imputatione, qua de re ſuo loco plura.

Forma Evangelii conſiſtit in promiſſionibus, quæ ſunt

40. Forma Evangelii conſiſtit in promiſſionibus, quæ reſpectu qualitatis ſunt & dicuntur gratuitæ, reſpectu quantitatis Univerſales. Gratuitas eſſe Evangelii promiſſiones docet Apoſtolus, quando nos *gratis* δωρεὰν *per Dei gratiam juſtificari* pronunciat Rom. 3. v. 24. Juſtificamur enim ex Evangelio, non ex lege; jam verò juſtificamur gratis, ergo promiſſiones Evangelii ſunt gratuitæ. Gratuitæ autem dicuntur non reſpectu Chriſti, cui carè conſtiterūt beneficia in Evangelio oblata; ſiquidem *non auro vel argento, ſed precioſo ſuo ſanguine nos redemit* 1. Cor. 6. v. 20. 1. Pet. 1. v. 19. *& dedit animam ſuam* λύτρον *pro multis*, Matth. 20. v. 28. ſed reſpectu noſtri, quippe nullum hic intercedit meritum noſtrum, propter quod peccatorum remiſſio & reconciliatio cum Deo nobis contingat. Eſa. 52. v. 3. *gratis venundati eſtis & abſque argento redimemini.* Huc referenda dicta omnia, quæ teſtantur, in Evangelio offerri nobis Dei gratiam, *ſi enim ex gratia, jam non ex operibus* Rom. 11. v. 6. quâ ratione diſtinguuntur Evangelicæ promiſſiones à legalibus; ſiquidem lex non minùs quàm Evangelium promiſſiones continet: ſed legales illæ promiſſiones noſtram requirunt operū obœdientiam, eandemque perfectam, quam cùm nemo hominum præſtare poſſit, ideò promiſſiones legis nobis redduntur inutiles Rom. 8. v. 3. & quia legalia promiſſa acquirere non poſſumus, ideò κατ' ἐξοχὴν Evangelio tribuitur promiſſionis appellatio Rom. 4. v. 13. Galat. 3. v. 18.

Gratuitæ &

Univerſales

41. Univerſalitatem Evangelicarum promiſſionum comprobant omnia dicta, quæ teſtantur Deum velle omnes homines ſalvos fieri, contrà verò nolle peccatoris mortem. Ezech. 18. v. 32. cap. 33. v. 11. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Pet. 3. v. 9. Chriſtum pro omnium hominum peccatis ſatisfeciſſe, Johan. 3. v. 16. 1. Joh. 2. v. 2. per verbum Evangelii omnes ad Chriſti regnum vocari. Matth. 11. v. 28. cap. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. &c. quorum teſtimoniorum Solis radio Scriptam Univerſalitatem à corruptelis eorum, qui abſolutum quoddam reprobationis decretum fingunt, & occultam in Deo voluntatem revelatæ contradictoriam ſtatuunt, in tractatu de Prædeſtinatione vindicavimus. Nimirùm ut Romanenſes conditionem & meritum noſtrorum operum in ipſis Evangelicis promiſſionibus urgentes ac gratuitas eas eſſe negantes ex una parte; ita quoque Calviniani abſolutum reprobationis decretum urgentes & univerſalitatem promiſsionum Evangelicarum negantes ex parte altera fundamentum conſolationis noſtræ ſubruunt & certitudinem ſalutis labefactant; utriſque opponendum eſt aureum Apoſtoli dictum Rom. 4. v. 16. *ideò ex fide, ut ſecundùm gratiam, ut firma ſit promiſſio omni ſemini, non ſi ſolùm quod ex lege, ſed etiam quod eſt ex fide Abrahæ.* Proinde cùm duo potiſsimùm ſint, quæ peccatorem ſenſu iræ divinæ oppreſſum vehementer crucient & ad deſperationem ſolicitent, videlicet indignitas & particularitas, ideò priori ſpectro opponenda eſt gratiæ promiſsio, poſteriori verò Univerſalitatis aſſertio, ut oſtendimus in Enchiridio conſolatorio morti ac tentationibus in agone mortis opponendo.

An conditio fidei tollat gratiam & Univerſalitatem promiſſionum Evangelicarum

42. Conditio fidei, quam Evangelicæ promiſsiones requirunt nec gratuito nec univerſalitati quicquam derogat. Prius ſic demonſtramus. Gratuitum eſt, quicquid præter imò contra alterius meritum ex gratia ipſi offertur & donatur. Promiſsiones Evangelicæ præter imò contra meritum ex gratia pœnitentibus offerunt bona cœleſtia. Utique ergo ſunt gratuitæ. Quamvis verò bona in Evangelio oblata fide recipiantur, ac non niſi fide recipi poſsint, ex eo tamen non deſinunt eſſe gratuitæ, duplici ratione; primò quia illa ipſa fides eſt donum Dei, non opus no-

ſtrum, ſiquidem Spirit. ſanctus per verbum Evangelii accendit in cordibus noſtris fidem: deinde, quia fides nõ concurrit ut meritum quoddam, cujus dignitatem Deus reſpiciat, ſed tantum ut organum, ut mendica manus, quæ ſi vel maximè divitis eleemoſynam recipiat, non tamen ex eo eleemoſyna deſinit eſſe gratuita. Proinde non omnem conditionem, ſed tantùm operum & meritorum noſtrorum conditionem mentio gratuiti excludit. Auguſt. de verb. Apoſt. ſerm. 15. *Si gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. Pro nihilo inquit, ſalvos faciet eos. Quid eſt, pro nihilo ſalvos facies? nihil in eis invenis unde ſalves, & tamen ſalvas, Gratis das, gratis ſalvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua conſequantur merita tua. Prorſus gratis das, gratis ſalvas, quia nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes.*

43. De poſteriore ſic habendum. Univerſalitas Evangelicarum promiſſionum opponitur abſoluti decreti reprobatorii architectis, qui ex intentione & conſilio Dei tantùm ad paucos quoſdam abſoluto decreto electos promiſſiones Evangelicas pertinere ſtatuunt; interim non introducenda eſt talis quædam indeterminata & abſoluta earum Univerſalitas, quæ conditionem fidei excludat: Quemadmodum enim Deus vult omnes homines ſalvos fieri non abſolutè & ſimpliciter, ſed hoc ordine, ut pœnitentiam agant, & in Chriſtum credant, eos qui in impœnitentia & incredulitate perſeverant, vult damnari Marc. 16. v. 16. ita quoque promiſſiones Evangelicæ ſunt univerſales, non abſolutè & modis omnibus indeterminatè, ſed ſub conditione fidei. At inquis, architecti abſoluti decreti itidem ſtatuunt, reſpectu credentium Univerſales eſſe Evangelii promiſſiones, nulla igitur hac de re ampliùs reliqua erit controverſia? Reſp. imò verò maxima. Illi enim ſtatuunt Deum abſoluto quodam decreto quibuſdam denegare fidem, ac proinde ad illos Evangelicas promiſſiones non pertinere, ſi vel maximè exteriùs eis offerantur: nos contrà ſtatuimus, Deum ſeriò velle, ut omnes veniant ad agnitionem veritatis, quo fine Evangelii verbum omnibus offerat, per quod fidem in ipſorum cordibus accendere & ſalutis participes eos facere ex animo cupiat, cùm tamen ipſi contumaciter Spiritui S. reſiſtendo operationem ejus impediant, ac ſeipſos hac ratione vitâ æternâ indignos judicent. Ergò quòd non omnes actu participes fiunt beneficiorum, quæ in verbo Evangelii hominibus offeruntur, id univerſalitati Evangelicarum promiſſionum nihil quicquam derogat; ex accidenti enim id demum contingit, nec quantitatem ipſarum promiſſionum ulla ex parte reſtringit.

Ad quos pertineant Evangelii bona.

44. Quamvis igitur Evangelii concio ſit univerſalis, attamen illi tantùm bonorum in Evangelio promiſſorum & oblatorum redduntur actu participes, qui in Chriſtum credunt, cujus fidei anteambulo eſt ſeria contritio, pediſſequa verò bona opera. Proinde ſacrilegium quoddam committunt, qui nullo peccatorum ſenſu ac odio ducti, ſed in illis ſecurè pergentes nihilò tamen minùs ad ſeſe promiſſiones Evangelicas pertinere perſuaſum habent, de quibus non immeritò quis pronunciaret, quòd in teſtimonium ipſis Evangelium prædicetur. Turpiſſimus iſte Evangelii abuſus poſtremis hiſce mundi temporibus proh dolor ita invaluit, ut omnis ferè ſpes remedii ſit ſublata, cum tamen toties ſcriptura pronunciet non niſi ad illos, qui veram agunt pœnitentiam, qui ſeriò dolent propter peccata & anxiè quærunt à peccatis liberari, Evangelicæ conciones pertineant. Matth. 9. v. 12. Marc. 2. v. 17. Luc. 5. v. 31. *Non indigent, qui ſani ſunt, Medico, ſed qui male habent; non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Matth. 11. v. 4. *Pauperibus prædicatur Evangelium.* v. 27. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Ideò Johannes Baptiſta, Chriſtus & Apoſtoli pœnitentiæ concionem prædicationi Evangelii ſemper præmittunt. Non intrat Chriſtus in corda hominum per Evangelii gratiam, niſi Johannes ipſi priùs viam paret per pœnitentiam: non infundit Deus miſericordiæ oleum niſi iu vas contritum.

Effectus & bona Evangelii.

45. Effectus & bona, quæ Evangelium offert, & credentibus affert, varia ſunt & multiplicia, omnia tamen divina & maximi æſtimanda. Relevat enim nobis conſilium Dei de ſalute noſtra, Matth. 11. v. 24. unde vocatur *revelatio myſterii* Rom. 16. v. 25. affert fidem, eamque excitat & confirmat Roman. 10. v. 17. unde vocatur *verbum fidei* 1. Timoth. 4. v. 6. affert gratiam Dei & reconciliationem cum Deo Johan. 1. v. 17. unde vocatur *verbum gratiæ*, Luc. 4. verſ. 22. regenerationem Jacob. 1. verſ. 18. unde vocatur *bonum ſemen* Matth. 13. v. 37. remiſſionem peccatorum Luc. 1. v. 77. unde vocatur *bonum Dei verbum* Hebr. 6. v. 5. juſtitiam in Dei judicio conſiſtentem Rom. 4. v. 5. impletionem legis Moſaicæ Rom. to. v. 4. conſortium divinæ Naturæ 1. Pet. 1. v. 4. *υἱοθεσίαν* Johan. 1. v. 12. ſanationem à morbis ſpiritualibus Matth. 9. v. 12. unde vocatur *ſermo ſanus* Tit. 2. v. 8. ſpiritualem vitam Joh. 15. v. 5. unde vocatur *verbum vitæ*, Philip. 2. verſ. 16. gaudium & pacem conſcientiæ, Actor. 13. verſ. 48. unde vocatur *Evangelium pacis* Epheſ. 6. v. 15. conſolationem in omnibus tentationibus & perſecutionibus 2. Theſſ. 2. v. 16. liberationem à jure peccati & mortis, à maledicto legis Rom. 8. v. 2. donationem Spiritus ſancti Galat. 3. v. 2. unde vocatur *miniſterium Spiritus* 2. Corinth. 3. v. 8. fiduciam in invocatione Galat. 4. v. 6. novam obœdientiam Deo gratam Galat. 3. v. 5. hæreditatem vitæ & ſalutis æternæ Joh. 3. v. 36. unde vocatur *Evangelium ſalutis*, Epheſ. 1. v. 13. quæ omnia ſuperius theſi 14. ad τὴν τῶν κακῶν ἀφαίρεσιν καὶ τὴν τῶν ἐνεργημάτων θείων revocata, variis Chriſti & Apoſtolorum dictis uberiùs illuſtrari & explicari poſſunt.

Accidentarii effectus Evangelii.

46. Accidentarii effectus Evangelii ſunt, 1. quòd confeſſoribus ſuis crucem afferat, Marc. 8. v. 35. *Qui perdiderit animam ſuam propter me & Evangelium, ſalvam faciet eam.* Marc. 10. v. 29. *Qui reliquerit domum, fratres &c. propter me & Evangelium.* Phil. 1. v. 27. συναθλοῦντες τῇ πίστει τοῦ εὐαγγελίου. Philem. v. 13. *ut mihi miniſtraret in vinculis Evangelii.* 1. Pet. 2. v. 20. *ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia.* v. 21. *in hoc enim vocati eſtis*; 2. Quòd hæc doctrina mundum offendat, ſiquidem *prædicat Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam* 1. Corinth. 1. verſ. 23. inde coram mundo habetur pro *ſtulta prædicatione* v. 21. *eſt enim ſa-*

pientia

pientia Dei in myſterio abſcondita quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit 1.Cor.2.v.7.& 8. *quam animalis homo non percipit nec poteſt intelligere* v.14. 3. Quòd tuba ſeditionum & cauſa calamitatum in mundo proclamatur 1.Cor.4.v.11. *uſque in hanc horam* v.13. *blaſphemamur*, ὡς περικαθάρματα τοῦ κόσμου ἐγενήθημεν πάντων περίψημα ἕως ἄρτι. 4. Quòd ſit occaſio excœcationis impiis & incredulis 2.Cor. 4. v. 3. *Si opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis quidem qui pereunt eſt opertum.* verſ.4. *in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti.* 1. Petr. 2. v. 8. *Chriſtus* (per Evangelium prædicatus) *eſt lapis offenſionis & petra ſcandali his qui offendunt verbo non credentes.* 5. Quòd incredulis occaſio ſit majoris damnationis Matth.11. v.21. *Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die judicii quàm vobis.* 2. Theſſ. 1. v. 7. *revelabitur Dominus Ieſus de cælo.* v. 8. *in flamma ignis, dans vindictam iis qui non noverunt Deum, & qui non obœdierunt Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Quo modo ſalutares & divini effectus Evangelio tribuantur.

47. Porrò ſalutares iſti Evangelii effectus, quod afferat reconciliationem cum Deo, remiſſionem peccatorum, juſtitiam, pacem conſcientiæ & vitam æternam, non niſi organicæ cauſæ reſpectu Evangelio tribuuntur, ſiquidem efficacia hujus doctrinæ pendet ab operatione Spiritus ſancti, qui per verbum Evangelii in cordibus hominum efficax eſt; quemadmodum enim manna decidebat cum rore Exod. 16. ita cum manna doctrinæ Evangelicæ conjunctus eſt ros divinæ gratiæ & Spiritus efficaciæ Eſa. 55. v. 10. inde eſt, quòd Evangelium dicitur *potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Rom. 1. v. 16. *verbum crucis*, hoc eſt, Evangelium de Chriſto crucifixo *illis, qui ſalvi fiunt, eſt Dei virtus* 1. Cor. 1. v. 18. eodem ſenſu ac reſpectu vocatur *ſceptrum potentiæ* divinæ Pſal. 110. v. 2. Siquidem eſt vivum & efficax divinæ potentiæ inſtrumentum, per quod regnum gratiæ in cordibus credentium Chriſtus adminiſtrat, quâ de re annotabo pulcerrimam comparationem D. Brentii in Confeſſ. Witenbergenſi cap. de Evangelio p. 407. *Cùm dicimus, Evangelium eſſe jucundam annunciationem de Filio Dei, non loquimur de literis & ſyllabis, quibus verba Evangelii vel in papyro continentur, vel voce recitantur extra proprium, legitimum & ordinarium ſuum uſum. Etſi enim Evangelium idcircò literis mandatum eſt, ut ex iis tanquam ex penu ſuo tempore ad ſuum uſum depromatur, tamen per ſe extra ſuum officium nec eſt triſte nec jucundum, nec occidit nec vivificat, ſed loquimur de annunciatione Evangelii, ut eſt in proprio, legitimo & ordinario ſuo officio ac uſu, in quem divinitùs eſt inſtituta. In hiſtoria Eſther extat edictum, ut ſiquis vel vir vel mulier non vocatus intraverit atrium Regis interius, ſtatim interficiatur, niſi fortè Rex aureum ſceptrum pro ſigno clementiæ ei porrexerit: hoc ſceptrum etſi erat ex auro architectatum, tamen per ſe vel in abaco collocatum, vel in ciſta incluſum nullam cuiquam afferebat vitæ ſalutem, ſed ſi Rex ipſum manu apprehenderet & intranti porrigeret, tum erat in ſuo legitimo uſu & attactum ſervabat incolumem, ne à Satellitibus Regis interficeretur. Sic & de Evangelio ſentiendum eſt, quòd cùm literis tantùm continetur, vel etiam voce pronunciatur vel annunciatur vel etiã cogitatur legitimâ ſuâ ordinatione, tunc eſt verè cæleſte organum, quo Spiritus ſanctus omnem ſalutem in electis ſuis operatur, adeoq́; verè eſt ſceptrum illud, de quo Pſalmus canit: Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, quo domineris in medio inimicorum tuorum.* Hactenus Brentius.

An Evangelium Johannis collo geſtandum.

48. Superſtitioſum igitur eſt & juſtâ reprehenſione dignum, quòd literarum characteribus Hiſtoriam Evangelicam, præſertim verò caput primum Johannis, continentibus mirifica quædam vis alexicaca fugandi Dœmones, prohibendi fulmina & ſanandi morbos, præter imò contra legitimum Evangelii uſum divinitùs conſtitutum in Papatu tribuitur, inde eſt, quòd caput primum Johannis minutiſſimis literarum apicibus deſcriptum è collo appenſum geſtant, quâ de re ſic ſcribit Salmeron. Tom. 4. commentar. p. 614. *Conſuetudo eſt Chriſtianis, geſtare appenſum è collo Evangelium, aut alias res ſacras ſive reliquias, nec error eſt, ſi ex reverentia Sanctorum deferantur cum ſpe, quòd fortè DEUS miſerebitur. Hinc legimus in Beata Cæcilia laudem, Codicem Evangelicum ſemper in ſinu eam geſtâſſe, & Conſtantinum Imperatorem Chriſti clavum diademate circumtuliſſe, & Apoſtolum Barnabam curâſſe ægrotos Evangelii ſcripti attactu &c.* Atqui non propter corporis, ſed animæ ſanitatẽ verbum vitæ nobis datum eſt ac revelatum. Indulſerunt hac in parte quidam veterum populo, ut à ligaturis ethnicis eum abſtraherent. Auguſt. tract. 7. in Johan. *Cùm caput tibi dolet, laudamus ſi Evangelium ad caput tibi poſueris & non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta eſt infirmitas hominum & ita plangendi ſunt homines, qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus, quando videmus hominem in lectulo ſuo conſtitutum jactari febribus & doloribus, nec alicubi ſpem poſuiſſe, niſi ut ſibi Evangelium ad caput poneret, non quia ad hoc factum eſt, ſed quia prælatum eſt Evangelium ligaturis. Si ergò ad caput ponitur, ut quieſcat dolor capitis, ad cor non ponitur, ut ſanetur à peccatis? fiat ergò. Quid fiat? ponatur ad cor, ſanetur cor, bonum eſt. Bonum eſt, ut de ſalute corporis non ſatagas, niſi ut à Deo illam petas. Si ſcit tibi prodeſſe, dabit illam tibi; ſi non tibi dederit, non tibi proderit habere illam &c.* Chryſoſtomus ſuperſtitionem hanc acriùs inſectatur in cap. 22. Matth. imperf. oper. homil. 43. *Nonnè Evangelium quotidiè in Eccleſia legitur & ab omnibus auditur? cui ergò poſita in auribus Evangelia nihil proſunt, quomodo poſſunt circum colla ſuſpenſa ſalvare? deinde ubi eſt virtus Evangelii, in figuris literarum an in intellectu ſenſuum? Si in figuris, benè circa collum ſuſpendis, ſi in intellectu, ergò melius in corde poſita ſunt, quàm circa collum ſuſpenſa.* Idem homil. 43. in 1. Cor. reprehendit, quod ſcripta Evangelia juxta lectos ſuſpendebant.

Efficacia Spiritus non eſt ſeparanda à verbo Evangelii.

49. Viciſſim etiam cavenda eſt nefaria diſtractio efficaciæ Spiritus ab Evangelii verbo, quam committunt Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ & Svenckfeldiſtæ, immediatos afflatus ac raptus expectantes & per Evangelium à Spiritu ſancto fidem accendi negantes, quibus oppoſitus eſt articulus quintus Auguſtanæ Confeſſionis, cujus verba ſic habent. *Ut fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium docendi Evangelii & porrigendi Sacramenta. Nam per verbum & Sacramenta, tanquam per inſtrumenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit, ubi & quando viſum eſt Deo,*

in iis, qui audiunt Evangelium &c. Damnant Anabaptiſtas & alios, qui ſentiunt Spiritum ſanctum contingere ſine verbo externo hominibus per ipſorum præparationes & opera. Ad horum caſtra proximè accedunt, qui propter falſam illam de abſoluto reprobationis decreto hypotheſin, itidem Spiritus ſancti operationem ab externo verbi miniſterio ſeparant. Calv. lib. 4. Inſtit. c. 16. §. 19. *In multorum vocatione Deus uſus eſt interiore modo, quos Spiritus S. illuminatione nullâ intercedente prædicatione verbi ſui cognitione donavit.* Grynæus diſput. Heidelb. Ann. 84. theſ. 6. *Miniſterio externo ejus cohoneſtandi ergo phraſi ſacramentali effectum miniſterii interni tribuitur.* Beza. part. 2. reſp. ad acta colloq. Momp. pag. 116. *In regeneratione hominis valdè fallitur, & in Deum ipſum injurius eſt, quisquis aut hominibus, per quorum os Deus loquitur, vel ipſi externo Dei verbo, vel ſignis ſacramentalibus Deum exiſtimat vel tantillum divinæ illius ſuæ virtutis hominibus renovandis & æternâ vitâ in Chriſto ſervandis tribuere.* Hæc illi contra clariſſima Scripturæ dicta Evangelium *eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti* Rom. 1. v. 16. *Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Rom. 10. v. 17. *Attende tibi & doctrinæ, inſiſte illis, hæc enim faciens teipſum ſalvabis & eos qui te audiunt* 1. Tim. 4. v. 16.

Finis Evangelii

50. Finis Evangelii duplex eſt, Ultimus & principalis Dei gloria, Intermedius & ſecundarius credentium ſalus. Prius ſic oſtendimus. In Evangelio revelatur 1. πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ Epheſ. 3. v. 10. *abſcondita* illa *Dei ſapientia* Pſ. 51. verſ. 8. quòd noverit ex immenſa ſapientia remedium invenire humano generi in peccatum & mortem prolapſo. Pulcerrimè Anshelmus lib. 2. Cur Deus Homo c. 18. *Debitum* (primi hominis) *tantum erat, ut illud cùm non deberet ſolvere niſi homo, non poſſet niſi Deus, ita ut idem eſſet homo, qui Deus, unde neceſſe erat, ut Deus aſſumeret hominem in unitatem perſonæ, quatenus qui in Natura ſolvere debebat & non poterat, in perſona eſſet, qui poſſit:* De hac miranda Dei ſapientia in Evangelio refulgente Iſtè tractat Leo in ſuis ſermonibus in natalem Domini ſerm. 8. ſic ſcribit. *In communi totius humani generis ſtrage unum ſolum fuit remedium ſub divinæ rationis occulto, quod poſſet ſubvenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam originalis prævaricationis alienus atque innocens naſceretur, qui cæteris exemplo prodeſſet & merito, ſed quia hoc naturalis non ſinebat, nec poterat vitiatæ radicis ſine ſemine eſſe propago, Dominus David factus eſt Filius David & de promiſſi generis fructu proles eſt orta ſine vitioſis unam perſonam gemina conveniente Naturâ, ut eodem conceptu, eodemq́; partu gigneretur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui vera ineſſet divinitas ad miracula operum & vera humanitas ad tolerantiam paſſionum.* 2. Revelatur etiam in Evangelio immenſa ac ineffabilis Dei miſericordia πλοῦτος τῆς χάριτος αὐτοῦ, ut loquitur Apoſtolus Eph. 1. v. 7. *Scientia ſalutis in remiſſione peccatorum conſiſtens data eſt nobis per viſcera miſericordiæ divinæ,* Luc. 1. v. 78. Quæ enim major potuit eſſe dilectio, quàm quòd Filium ſuum unigenitum pro ingratiſſimis ac perditiſſimis ſervis Deus in mortem tradidit? Joh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Rom. 5. v. 8. *Commendat caritatem ſuam in nos Deus, quod cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* 1. Joh. 4. v. 9. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Venit ad ægrotos Medicus, ad captivos Redemtor, ad mortuos vita, ad damnatos ſalus, quæ poterat eſſe major Dei miſericordia? 3. Revelatur in Evangelio divina juſtitia, Rom. 1. v. 17. *Juſtitia Dei in Evangelio revelatur ex fide in fidem.* Rom. 3. v. 21. *Nunc ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtimonio legis & Prophetarum comprobata.* Per peccatum hominis offenſum erat infinitum bonum ac violatum juſtitiæ divinæ decretum: Jam verò impoſſibile erat decretum illud enervari aut aboleri, conſtitutum igitur per infinitũ bonum ſatisfaciendum eſſe & infinitam Dei iram placandam, ut hac ratione infinitæ Dei juſtitiæ per æquivalens precium ſatisfieret. Atque hoc eſt mirabile illud divinæ juſtitiæ ac miſericordiæ temperamentum, quod in Evangelio nobis manifeſtatur. Homo peccaverat, homo igitur ſatisfacere debebat, ſed non poterat. Deus ſatisfacere poterat, ſed non debebat; Deus igitur Homo factus eſt, ut ſatisfactio eſſet plena & ſufficiens, quia à Deo, eademq́ue homini ſalutaris, quia ab homine profecta. 4. Revelatur inſuper in Evangelio divina virtus ac potentia 1. Corinth. 1. v. 24. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem & ſapientiam.* Eſa. 53. v. 1. *Quis credit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?* Relucet autem in hoc myſterio divina potentia non ſolùm in perſonali duarum Naturarum unione propter ſalutem humani generis in Chriſto facta, quid enim Deo ſublimius, quid homini vilius? invenit tamen divina potentia modum, quo hæ duæ Naturæ unirentur; ſed etiam in ipſa Euangelii prædicatione, quòd cõtra omnes portas inferorum doctrinam illam Deus conſervat, quòd per contemtos homines eandem ſpargit, quòd omnis hominum conatus ad illam opprimendam ſpectans reddatur inanis atque irritus. 5. Revelatur denique in Euangelio Dei veritas, ſiquidem publicum illud exhibiti Meſſiæ in N. T. præconium *antea promiſſum eſt per Prophetas in Scripturis ſacris* Rom. 1. v. 2. ad haſce V. T. promiſſiones reſpicit Zacharias Luc. 1. v. 68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemtionem plebi ſuæ,* v. 70. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus.* Rom. 15. v. 8. *Chriſtus miniſter fuit circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum.*

51. Quare cùm in Euangelio reveletur Dei ſapientia, miſericordia, juſtitia, potentia ac veritas, utique finis Euangelii erit Dei gloria, ſiquidem gloria Dei conſiſtit in eo, ut verè à nobis agnoſcatur, ac nomen ejus prædicetur; jam verò nomen Dei eſt ipſe Deus, Pſal. 48. v. 11. *Secundum nomen tuum Deus, ſit laus tua uſque ad fines terræ,* utique ergò verè Deus agnoſcitur, ac nomen ejus glorificatur, ſi divinam ipſius ſapientiã, miſericordiam, juſtitiam, potentiam ac veritatem, quæ ſunt ipſa Dei eſſentia, in verbo Euangelii relucentem agnoſcamus & prædicemus. Epheſ. 1. v. 6. & 12. *Prædeſtinavit & vocavit nos Deus ad ſalutem in laudem gloriæ ipſius.* Secundarius & intermedius Euangelii finis eſt ſalus noſtra, ad quam cum per legem non poſſemus aſpirare, miſertus noſtri Deus arcanum illud conſilium ſalu-

tis

tis in Evangelio nobis revelavit, Actor. 20. v. 27. quòd per Chriſtum *nobis contingat remiſſio peccatorum & ab omnibus, quibus non poteramus in lege Moſis juſtificari*, Actor. 13. v. 38. *in hunc* (Mediatorē Chriſtū) *qui credit, juſtificatur* v. 39 cujus fidei *finis eſt ſalus animarum* 1. Pet. 1. v. 9.

Evangelium à lege diſcernere utile ac neceſſarium eſt.

52. His ita ordine expoſitis deſcendimus ad explicandum Legis & Evangelii diſcrimē, quod ex ſuperioribus facili negotio colligi poteſt. Ne quis verò exiſtimet inanem aut non neceſſariam ſumi operam in diſcrimine hoc explicando, obſervanda erunt B. Lutheri verba in cap. 2. Galat. tom. 4. Lat. f. 39. *Qui benè novit diſcernere Legem ab Evangelio, is gratias agat Deo & ſciat ſe eſſe Theologum. Ego certè in tentatione nondum novi, ut debebam. Tam diligenter diſtinguas juſtitiam Evangelii à juſtitia Legis, quàm diligenter diſtinguis cœlum à terra, lucem à tenebris, diem à nocte, atque utinam adhuc longiùs eas diſtinguere poſſimus.* Vide eundem Tom. 5. Latin. fol. 472. & alibi paſſim. Cauſæ propter quas diſcrimen illud accuratè conſtituendum & arctè tenendum, ſunt complures. 1. Articulo Juſtificationis ſua non conſtabit, imò nec conſtare poterit integritas neglecto harum doctrinarum diſcrimine, id quod Eccleſiaſtica ſuperiorum temporum Hiſtoria plus ſatis comprobat. 2. Beneficia Chriſti non mediocriter obſcurantur, niſi doctrina Evangelii à lege accuratis limitibus ſecernatur. 3. Confuſio Legis & Evangelii neceſſariò ſecum affert perturbationes conſcientiarum, ſiquidem in magnis & ſeriis conſcientiæ pavoribus nulla ſuperſtes manet vera ac ſolida conſolatio, ſi gratuitæ promiſſiones Evangelii adulterentur. Quare cùm totius doctrinæ Chriſtianæ hęc duo præcipua conſtituantur capita, ad quæ reliqua omnia certo modo ac ordine referri poſſunt, haud immeritò inter virtutes, quas in fideli Eccleſiæ miniſtro requirit, Apoſtolus, primum locum tribuit artificio τοῦ ὀρθοτομεῖν *rectè ſecandi ſermonem veritatis* 2. Tim. 2. v. 15. Metaphoram ſtatuunt ductam ab officio Sacerdotum Leviticorum in V. T. quorum erat carnes ſacrificiorū rectè ſecare ac dividere. Quidam exiſtimant metaphoram ductam à ſtructoribus conviviorum, quia miniſtri Eccleſiæ in Novo Teſtamento ſunt velut ſtructores quidam ſpiritualis convivii. Eſa. 25. v. 6.

Convenientia Legis & Evangelii.

53. Ipſa quoque harum doctrinarum cognatio, quam in quibuſdam partibus, cumprimis verò in praxi ſpirituali invicem obtinent & mutuas operas tradunt, de diſcrimine, quod ipſis intercedit, cogit nos eſſe ſolicitos. Abſit enim, ut ſtatuamus hoſtilem quandam contrarietatem ac capitalem pugnam his doctrinis intercedere, quam tamen Admonitio Neoſtadienſis Confeſſioni noſtrarum Eccleſiarum affricare conatur, quin potiùs cum Apoſtolo dicimus. *Num legem deſtruimus per fidem? abſit; ſed legem ſtabilimus.* Rom. 3. verſ. 30. *Nam lex eſt adverſus promiſſa Dei? abſit.* Gal. 3. v. 21. Iren. lib. 3. cap. 12. p. 194. *Omnes qui ſunt mala ſententia, moti ab ea legislatione, quæ eſt ſecundùm Moſen, diſſimilem eam & contrariam Evangelii doctrinæ arbitrantes, jam non ſunt converſi, ut differentiam utriuſque Teſtamenti inquirerent cauſas.* Juſtin. in qq. & reſp. ad orthod. q. 104. p. 356. *Gratia non eſt ſecundùm legem, nec adverſus legem, ſed ſupra legem & pro lege. Supra legem quidem, quoniam gratia: pro lege autem, quia per pœnitentiam peccatores adducit ad indulgentiam & beneficium Legis.* Ergò non adverſa, ſed diverſa, non contradictoriè oppoſita, ſed ſubordinata ſunt hæc duo doctrinarum genera, cùm in mutuo uſu non ſolùm amicè conſpirent, ſed etiam in quibuſdam capitibus conveniant; ſiquidem intercedit eis communio. 1. appellationis, Evangelium enim vocatur Lex, Eſa. 2. v. 3. Mich. 4. v. 2. Rom. 3. v. 27. Roman. 8. v. 2. ubi tamen obſervandum legis vocabulum non ἰδικῶς accipi, ſed γενικῶς, Itemque hanc nominis communicationem non eſſe reciprocam ſeu antiſtropham, cùm legis doctrinæ nuſpiam Evangelii appellatio tribuatur. 2. generis, utrumque enim tàm Lex quàm Evangelium eſt cœleſtia doctrina. 3. cauſæ efficientis, unus & idem autor eſt Legis ac Evangelii, proinde ſi Lex & Evangelium ſibi invicem contrarientur, Deus ipſe ſibi foret contrarius, cùm in utroque doctrinæ genere voluntas Dei manifeſtetur. 4. finis ultimi, Utraque enim doctrina tàm Legis quàm Evangelii eſt doctrina ſalutis, quamvis enim ἀδυναμίαν hac in parte Legi tribuat Apoſtolus Rom. 8. v. 3. illud tamen ex accidenti contingit, ratione ſcilicet carnis noſtræ, quæ peccati labe infecta ac debilitata conditioni perfectæ impletionis, quæ legi addita eſt, impotens facta, ut ibidem Apoſtolus loquitur; illud proinde tanquam accidentarium legis Naturæ nihil derogat, quæ per ſe eſt *ſancta & bona*, imò *verbum vitæ* Rom. 7. v. 12. Act. 7. v. 38.

Diſcrimen Legis & Evangelii.

54. Quamvis verò Lex & Evangelium in aſſignatis hiſce capitibus conveniant, & in ipſo uſu mutuas ſibi operas tradant, tamen in illa ipſa conjunctione utriuſque diſcrimen manet integrum ac inviolatum. Diſcriminis illius capita non eodem ordine ac numero recenſentur. Cyrillus in caput primum Johannis decem ſtatuit diaſtemata, alii pauciora, alii plura, ſed ad quinque membra revocari poſſe videntur omnia. Statuimus igitur Legem ab Evangelio differre. 1. Origine & Modo patefactionis. Lex naturâ quodammodo nota eſt, cùm mentibus hominum in prima creatione ſit inſita, nec per lapſum prorſus extincta, Rom. 2. v. 15. *Gentes oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Sed Evangelium eſt myſterium humanæ rationi planè abſconditum, per Filium *ex ſinu æterni Patris* prolatum & nobis *revelatum* Joh. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam, Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit nobis.* unde Rom. 16. v. 26. Coloſſ. 1. v. 26. Epheſ. 3. v. 9. & alibi paſſim doctrina Evangelii vocatur *myſterium æternis temporibus tacitum, ſed per Filium demùm in plenitudine temporis revelatum.* 2. Materiâ vel argumento. Lex eſt doctrina operum, præſcribit enim ac præcipit, quales nos eſſe, quid facere, quid omittere oporteat. Galat. 3. v. 12. *Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, vivet in eis.* Evangelium verò eſt doctrina fidei, proponit enim Chriſtum Mediatorem ac per ipſum annunciat remiſſionem peccatorum, juſtitiam & ſalutem, unde Evangelium dicitur *Lex fidei*, Rom. 3. v. 21. *auditus fidei* Galat. 3. v. 2. hinc promanavit πολυθρύλλητον illud Auguſtini: *Fides impetrat, quod lex imperat. Lex jubet magis, quàm juvat. Lege operum dicit Deus, fac quod jubeo; Lege fidei dicitur Deo; da quod jubes &c.* de Spiritu & litera c. 13. de grat. & lib. arbitr. cap. 16. in Enchirid. ad Laurent. cap. 117.

homil. 29. in Johannem. Eodem ſenſu ſcribit Haymo in cap. 3. Galat. *Lex non eſt ex fide. Fides eſt ea credere & ſperare, quæ non videntur: Lex ergò non complebatur fide ſed opere, Evangelium verò completur fide magis quam operibus, quia ſola fides ſalvat.* Huc referendum eſt dictum Lutheri tom. 1. Latin. fol. 388. *Lex docet, quid debeas & quo careas, Chriſtus dat, quod facias & habeas.* 3. Formâ. Legis promiſſiones ſunt conditionales, requirunt enim perfectam obœdientiam, exigunt conditionem perfectæ impletionis tanquam cauſam. Levit. 18. v. 5. Ezech. 18. verſ. 11. *Qui fecerit hæc, vivet in eis.* Sed promiſſiones Euangelii ſunt gratuitæ, & ut ita loquar, ſunt donativæ, unde vocatur *verbum gratiæ Dei* Act. 20. verſ. 24. *ideò ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio* Rom. 4. verſ. 16. 4. Effectô. Lex peccatum arguit ac terret hominem. Rom. 3. verſ. 20. *Per legem cognitio peccati.* Rom. 4. v. 15. *Lex iram operatur.* Evangelium verò peccatorum remiſſionem nunciat & vivificâ conſolatione erigit. Eſa. 61. verſ. 2. *Dominus miſit me ad prædicandam captivis liberationem &c.* unde vocatur *verbum ſalutis, Evangelium pacis, verbum bonum.* Ambroſ. in cap. 3. ad Rom. *Per legem peccati cognitio, per fidem abolitio.* in cap. 7. Rom. *Index peccati lex eſt, non genitrix nos faciens peccatores.* Beda in Pſal. 83. *Benedictionem dabit Legiſlator*, id eſt, *Dominus qui dedit legem deprimentem dabit & gratiam ſublevantem.* Anſh. in c. 3. poſterioris ad Corinth. *Diſtinguitur lex à gratia, eò, quod ſub illa eliduntur elati; ſub iſta eriguntur eliſi.* Unde D. Lutherus eleganter dicit, *Utramq; doctrinam Legis & Evangelii verſari circa peccatum, ſed diverſimodè. Lex oſtendit, accuſat, imputat, damnat peccatum: Evangelium verò remittit, tegit, non imputat peccatum, quia oſtendit agnum Dei tollentem peccata mũdi.* ** Ad hæc legis concio nec vires implendi eam homini tribuit, nec mentes illorum mutat Deut. 29. v. 4. *Audiviſtis & vidiſtis, ſed Deus non dedit vobis cor intelligens.* Evangelii promiſſiones credentibus ſubminiſtrant SS., qui ſimul dat quamque Euangeliũ requirit fidem Ier. 31. v. 33. Gal. 3. v. 2. Cyrill. Alex. in cap. 40. Eſai, *Moleſta & oneroſa erat lex omnibus docens typos, non immittens in mentem & cor rerum neceſſariarum inſtitutionem auditoribus, ſed velut externam cognitionis ſpeciem tanquam in ſola litera, idq; ne vix tradidit. At Salvatoris & Evangelica prædicatio loquitur Spiritu ſancto, cujusque cogitationis profunditatem patefaciente & ſpiritnales meditationes ac contemplationes immittente & ſanctorum ſermones infigente & in penitiſſimis quaſi animi penetralibus inflammante.* ** 5. Objectis. Lex proponenda eſt impiis, ſecuris & præfractis peccatoribus, pertinet enim ad veterem hominem. 1. Tim. 1. v. 9. *Juſto non eſt lex poſita, ſed injuſtis &c.* Evangelium verò contritis cordibus & conſcientiis ſenſu peccati territis annunciandum. Matth. 11. v. 3. *Pauperibus prædicatur Evangelium.* Luc. 4. verſ. 18. *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde.*

55. Ad hæc quinque capita referri poſſunt reliquæ omnes, quæ ab aliis aſſignantur, differentiæ, quarum quædam ad diſcrimen Veteris & Novi Teſtamenti propriè pertinent, ut ſuo loco videbimus. Sic quod quidam Legem ab Evangelio etiam hoc modo differre dicunt, quòd patefactionis ordine Lex præcedat, Evangelium verò ſequatur: quòd miniſter legis fuerit Moſes, Euangelii verò Chriſtus, quòd lex promulgata ſit inter tonitrua & fulgura ac terribilibus miraculis confirmata: Euangelium verò gratioſis & ſalutiferis miraculis obſignatum ſit, id ad Veteris ac Novi Teſtamenti diſcrimen pertinet, & ad primum Legis & Euangelii diſcrimen, videlicet ad originem & modum patefactionis referri poteſt. Quòd ſtatuunt Legem requirere juſtitiam propriam, Euangelium verò offerre alienam: Legem debiti ſummam flagitare, Euangelium ejuſdem remiſſionem annunciare: Legem eſſe doctrinam de faciendo, Euangelium verò doctrinam de credendo, id ad ſecundum ac tertium diſcriminis membrum pertinet. Quòd ſtatuunt, Legem indicare morbum, Euangelium verò eundem ſanare; in Lege revelari iram Dei ſuper omnem hominem, in Euangelio verò ſine Lege revelari juſtitiam Dei ex fide in fidem; Legem docere bona opera, ſed vires præſtandi nequaquam ſuppeditare; Euangelium verò donare Spiritum ſanctum, qui Naturam renovet & legem Dei cordibus inſcribat; Legem eſſe miniſterium mortis, Euangelium verò Spiritus &c. hæc & ſimilia ad quartum diſcriminis membrũ rectè referuntur. Quamvis verò Legis & Evangelii diſcrimen ubique ſit retinendum, cumprimis tamen illud obſervandum erit. 1. In articulo Juſtificationis, ſiquidem juſtificatio noſtra non eſt ex lege, cui propter carnis noſtræ corruptionem & infirmitatem ἀδυναμία quædam, accidentaria tamen, hac in parte tribuitur Rom. 8. v. 3. ſed ex Euangelio, in quo *juſtitia Dei ſine lege revelatur*, Rom. 3. v. 21. *quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Rom. 1. v. 16. Monendi igitur imò urgendi ſunt homines ad opera juxta legis normam præſtanda, ſed in theatrum juſtificationis noſtræ coram Deo non ſunt inferenda, ibi enim perpetua eſt oppoſitio inter operari & credere, inter gratiam & opera, inter Legem & Euangelium. 2. In uſu clavium Eccleſiaſticarum. Impœnitentibus & ſecuris non eſt annuncianda peccatorum remiſſio, ſed potiùs Dei ira ex lege Rom. 2. v. 9. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum.* 1. Tim. 1. v. 9. *Lex poſita eſt injuſtis, impiis, ſceleratis &c.* quos accuſationis & damnationis ſuæ pondere premit. Contritis cordibus non ſunt legales comminationes exaſperandæ, ſed potiùs Euangelicæ conſolationis oleum inſtillandum Eſa. 66. v. 1. *Quis eſt locus quietis meæ?* v. 2. *reſpiciam ad pauperem & contritum Spiritu & trementem ſermones meos.* Matth. 11. v. 3. *Pauperibus Evangelium prædicatur.* Quia verò in uno eodemque homine manet quodammodo vetuſtas carnis cum novitate Spiritus, ideò rectè dicit D. Luther. in cap. 3. Galat. in praxi ita conjuncta eſſe legem & Evangelium ut nulla Mathematica conjunctio dari poſſit, quæ ſit huic ſimilis.

Ubi cumprimis diſcrimen Legis & Evangelii obſervandum.

56. Ex his judicium fieri poteſt de Dictis veterum, quibus Legis & Euangelii differentiam revocant ad hæc capita, ut dicant, hæc duo doctrinarum genera differre, 1. ut figura & veritas, promiſſio & complementum differunt. Juſtinus in quæſt. orthod. ὁ νόμος εὐαγγέλιον προκαταγγελλόμενον, τὸ δ᾽ εὐαγγέλιον νόμος πεπληρωμένος.

Dicta veterum de diſcrimine Legis & Evangelii.

Ambroſ.

Ambroſ. in cap.3. Galat. *Ideò longè poſt promiſſionem data eſt lex, ut ipſa diſtinctione aliud lex, aliud promiſſio videretur.* Idem 1.officior.cap.48. *Hic umbra, hic imago, illic veritas. Umbra in lege, imago in Evangelio, veritas in cœleſtibus.* Epiph. lib.1.tom.1. *Figura in lege fuerunt, veritas autem in Evangelio. Illic enim circumciſio fuit carnalis, quæ inſervivit tempori uſque ad magnam circumciſionem, hoc eſt Baptiſmum, qui circumcidit nos à peccatis & obſignat nos in nomen Dei: Erat illic Sabbathum detinens nos in magnum Sabbathum, hoc eſt requiem Chriſti, ut in Chriſto Sabbathum agamus à peccatis. Et erat illic agnus irrationalis, qui ſacrificabatur deducens nos ad magnum agnũ ac cœleſtem pro nobis ac toto mundo mactatum.* Cyrillus libr.1. in Johan.cap.21. *Lex ducebat in tabernaculum, quod verarum rerum erat figura. Salvator* (ſeu Evangelium) *nos in ipſum adduxit Cœlum & tabernaculum verum, quod Deus non homo condidit.* Beda lib.1.in Johan.cap.1. *Quod lex & Prophetæ futurum prænunciarunt, hoc redditum atque completum in Evangelio monſtratur.* Potho lib.2. de ſtatu domus DEI: *Umbra eſt in lege, imago in Evangelio, veritas in cœlo. Domus Dei quæ in umbra legis ædificatur, imperfecta eſt, quia nihil ad perfectum lex ducit. Domus Dei, quæ in imagine conſtruitur, in luce eſt. Domus Dei, quæ in veritate conſiſtit, tota lux eſt.* 2. Cauſâ miniſteriali. Ambroſius in 1. Roman. *Quantùm diſtat Dominus à ſervo, tantùm diſtat Evangelium à lege, non quod mala ſit lex, ſed quia melius Evangelium.* 3. Amplitudine miniſterii prædicationis. Euſebius lib.1. demonſtrat. cap.6. *Lex Moſis ad certum erat alligata locum, Evangelium verò condonata libertate in uno quoque loco Deum adorare & colere præcepit.* 4. Univerſalitate ſubjecti. Euſebius ibid. *Lex Moſis ab uno genere hominum incipiens omnium primum Iudæorum genus ad unius Dei agnitionem cultumque vocabat: Evangelium autem omnibus hominib. & qua ubique terrarum ſunt gentibus ſublimiùs provectam Dei cognitionem apportat.* 5. Severitate & lenitate Chromat. in cap.5. Matth. *In lege eſt ſeveritas, in Evangelio gratia, illic terror incredulis incutitur, hic credentib. benedictionum munus infunditur.* 6. Effectuum diverſitate Cyrill. lib.2. in Joh. cap.53. *Moſes lege orbem terrarum damnat: Filius à maledictione legis orbem liberat, & miſericordiæ cumulo ægritudinem mundi curat.* ** Chryſoſt. in 2.Cor.3. *In lege, qui peccatum habet, punitur: hic autem qui habet peccata accedens baptizatur & fit juſtus. Iuſtus autem factus vivit liberatus à morte peccati. Lex ſi prehenderit homicidam, tollit è vivis. Gratia ſi acceperit homicidam, illuminat & vivificat.* Ambroſ. lib.9. Epiſt.22. *Ideò lex ſeveritatem gladii habet tanquam pædagogus baculum, ut imperfectæ plebis infirmitatem pœna ſaltem denunciatione deterreat. Evangelium autem indulgentiã habeat, quâ peccata damnantur. Iure ergò Paulus ait. Quod litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Hieron. in cap.3. Eccleſ. *Lex quippe rigida, inhumana, non parcens, peccantem interficit. Evangelii gratia miſeretur & ad pœnitentiam provocat.* Haymo in Cant. Cantic. *In lege nulla reſervatur pœnitentia, ſed præcipitur, ut qui peccat, occidatur. Evangeliũ autẽ dicit, nolo mortem peccatoris.* ** Theodor. q.43. in Deut. *Lex eos, qui peccant, condemnat: gratia autem eos ſuſcipiens per fidem juſtificat & peccatorum remiſſionem donat.* Primaſius in cap.2. Rom. *Lex auditores facit, gratia factores.* Bernhr. ſerm.30. in Cant. *Quis ſanè ex æquo reſpiciat condemnantem & conſolantem, percutientem & ignoſcentem, plectentem & amplectentem. Non parì profectò accepti abitur voto umbra & lux, ira & pax, judicium & miſericordia, figura & veritas, virga & hæreditas, frenum & oſculum.* 7. Bonorum, quę largitur & doctrinæ perſpicuitate ac perfectione. Cyrill. lib.1. in Johan. cap.21. *Lex gratiam dabat, boni à malo diſcretionem, veriq; Dei cognitionem docens & ab idolorum cultu revocans, non tamen perfectè, ſed pædagogicè ac inutiliter. Unigeniti autem veritas ſeu gratia non figuris neque umbris, ſed apertè atq; liquidè nobis bona largitur, doctrinaq; ſuâ ad perfectam fidei cognitionem deducit.* Ibidem: *Lex dabat Spiritũ ſervitutis ad formidinem, Chriſtus Spiritum adoptionis in libertatem.* Hieron. lib.1. Dial. adverſ. Pelag. *hæc omnia ſic effers: Aliud eſt damnare legem, quod Manichæus facit, aliud legi præferre Evangelium, quod Apoſtolorum eſt doctrina, in illa umbra, in hac veritatem eſſe dicimus, in illa ſervi, in hoc præſens Dominus loquitur, ibi promittitur, hic impletur; ibi initia, hic perfectio eſt, in illa operum fundamenta jaciuntur, hic fides & gratia culmen imponitur.*

57. De his & ſimilibus veterum pronunciatis obſervandum, 1. quòd legis nomine intelligant non ſolùm moralem legem, ſed in genere omnes leges Moſaicas, etiam Ceremoniales & Forenſes; nomine Evangelii intelligunt publicum exhibiti Meſſiæ præconium; ſed quando proprium legis & Evangelii diſcrimen quæritur propriè de lege morali agitur & nomine Evangelii concio gratiæ intelligitur. 2. quòd pleraque differentię capita propriè ad Vet. ac Nov. Teſtamenti diſcrimen pertineant, quâ de re ſuo loco. 3. quòd hujus loci propria ſint pronunciata ea, quibus effectuum diverſitate legem ab Evangelio differre tradunt. 4. quòd diſſimilia in ſcriptis veterum occurrant Dicta, quorum quædam admodum commodâ interpretatione egent. Sic nova in Evangelio à Chriſto præcepta tradi quãdoque pronunciant. Iren. lib.4. c.27. dicit, *Chriſtum legem extendere ac dilatare, non ſolùm vetita à lege, ſed & concupiſcentias eorum prohibere; &c. Pro eo, quod eſt non mœchaberis, non concupiſcere præcepit, pro eo quod eſt non occides, ne iraſci quidem, pro eo quod eſt decimare, omnia quæ ſunt pauperibus dare.* Tertull. lib.4. adverſ. Marc. *Novam planè patientiam docet Chriſtus etiam vicem injuriæ cohibens, permiſſam à Creatore oculum exigente pro oculo & dentem pro dente, contra ipſe alteram ampliùs maxillam offerri jubens & ſuper tunicam pallio quoque cedi, planè hæc Chriſtus adjecit, ut ſupplementa diſciplinæ Creatoris.* Hilarius in 5.c. Matth. *Amari lex proximum exigebat, erga inimicum licentiam odii dabat, diligi verò inimicos fidei præceptis & petulantes humanarũ mentium motus publica caritatis frangit affectu, non ſolùm iram ab ultione depellens, ſed & in amorem mitigans injurioſi.* Euſeb. lib.1. demõſtr. Evang. c.6. *Moſes quidem illorum temporum hominibus quaſi iis qui cædibus inquinari ſoliti eſſent, non occidere imperabat. Ego autem iis, qui hoc ipſum antea didicerint & primo illi præcepto ſatisfecerint, alterum perfectius impono, atq; ut ne ira quidem perturbatione vincantur, præcipio &c. Moſes quidem adulteris diſſolutiſq; hominib. legem poſuit nõ mœchari,*

In Legione De Dictis veterum.

maribus non miſceri, voluptates præter Naturam non ſectari, & ſupplicium mortis iis, qui non obtemperaſſent, adjunxit: Ego autem meos volo ne intueri quidem mulierem cum petulanti cupiditate. Chryſoſt. in Matth. hom. 16. *Non ideò veterem legem deſiit in regnũ inducere, quia mala ſit, ſed quia perfectiorum utique mandatorum tempus advenerit. Si verò ad comparationem legis novæ vetus imperfecta monſtratur, ne hoc quidem illam malam eſſe convincit, &c. Cùm oſtendiſſet, quia meritò à nobis ſupra priſtinæ juſtitiæ menſuram requirat, incipit recentis legis ordinare præcepta non ſimpliciter ſed per comparationem legis antiquæ.*

Scholaſticorum ſententia de diſcrimine V. & N. Teſt.

58. Has incommodas veterum locutiones ſecuti Scholaſtici diſputant legem veterem imperfecta tradere præcepta de externis tantùm operibus ex timore præſtandis & habere promiſſiones tantùm corporales vel temporales; in nova verò lege tradita eſſe perfectiora, excellentiora & ſeveriora præcepta, quæ factoribus afferant juſtitiam abundantem ſupra Phariſæorum & Scribarum juſtitiam, quæque habent promiſſionem ſalutis & vitæ æternæ, ut hac ratione lex & Evangelium differant, 1. tempore, 2. præceptis, 3. promiſſis, 4. Sacramentis. Lombard. 3. ſent. diſt. 40. lit. A. *Præcepto non mœchandi ſit ſuperadditio in Evangelio, ubi omnis concupiſcentia mœchandi prohibetur. Quod lex dicitur comprimere manum & non animum, dicitur de lege ſecundùm Ceremonialia non Moralia, vel quia in lege non eſt generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiſcentiæ.* lit. B. *Diſtat Evangelii litera à legis litera, quia diverſa ſunt promiſſa, ibi terrena, hic cœleſtia promittuntur. Diverſa etiam Sacramenta, quia illa tantùm ſignificabant, hæc conferũt gratiam. Præcepta etiam diverſa quantum ad Ceremonialia, nam quantum ad Moralia ſunt eadem, ſed pleniùs in Evangelio continentur.* Thom. Aquin. in cap. 5. Matth. *Hic novæ legis explanationem continetur, quæ etiam in opere interiori conſiſtit. Ego autem dico vobis, id eſt, ad hoc mandatum, quod ſolùm putatis in actu eſſe ſervandum, addo & explano eſſe ſervandum in voluntate.* Idem 1. 2. q. 91. art. 5. *Lex vetus & nova differunt ut perfectum & imperfectum. 1. Lex vetus directè ordinabat ad bonum ſenſile & terrenum, lex nova ad bonum intelligibile & cœleſte. 2. Lex vetus cohibet manum, lex nova animum, id eſt, interiores affectus. 3. Lex vetus inducit ad obſervantiam mandatorum per timorem pœnarum; lex nova facit hoc per amorem, qui infunditur cordibus per gratiam Chriſti.* Scotus 3. ſent. diſt. 40. *Lex nova continet omnia Moralia, quæ lex vetus, & addit alia vel ſaltem addit aliquam explicationem aliquorum, ad quæ fortè ipſi non tenebantur & quantũ ad hoc eſt gravior.* Idem ibidem: *Dubium eſt, utrum Iudæi tenebantur ad præcepta moralia omnia & eodem modo explicata ſicut nos tenemur modo, quia ſi ipſi non tenebantur ad præcepta illa, niſi ſicut Iudæi interpretabantur, tunc licuit diligere amicum & odio habere inimicum & uxoribus dare libellum repudii, ſic enim docuerunt Phariſæi ſimplices in populo.*** Antoninꝰ part. 1. tit. 15. cap. un. §. 3. *Alio modo lex nova eſt alia à veteri, quia lex vetus eſt pædagogus puerorum & lex nova eſt lex perfectionis, quia lex dilectionis. Et omnes differentiæ, quas ponunt doctores inter legem veterem & novam hoc oſtendunt, quod differunt ſicut perfectum & imperfectum.*** Biel. 3. ſent. diſt. 40. q. un. *Lex nova diſtat à veteri per præcepta, Sacramenta & promiſſa. Probatur quantum ad præcepta, quia licet eadem Moralia, tamen Ceremonialia & Iudicialia, ſunt revocata in lege nova. Quantum ad Sacramenta, quia ibi tantùm unicum ſcil. circumciſio, vel ut alii duo, Matrimonium & Circumciſio, quæ tamen non tantam contulerunt gratiam, quantam Sacramenta novæ legis. Quantum ad promiſſa, quia æterna bona in nova lege manifeſtè promittuntur, in veteri non niſi ſub quibuſdam figuris.* art. 3. dub. 2. ex Bonaventura dicit *legi novæ convenire vivificare tripliciter, formaliter ratione gratiæ Sacramentalis, affectu ratione amoris ſpiritualis, ad quē excitant promiſſa, exercitio ratione multiplicitatis bonæ operationis tam præceptorum quàm conſiliorum; In lege autem veteri promiſſa erant temporalia, præcepta exterius regulantia, Sacramenta figuralia.*

59. Horum veſtigiis inſiſtens Bellarm. lib. 4. de Juſtif. cap. 3. & 4. octo tradit legis & Evangelii diſcrimina, quæ antequam in ſpecie excutiantur, duo obſervanda erunt, 1. quòd ne in unico quidem membro promiſſionis gratuitæ de Chriſto & ejus beneficiis ac de reconciliatione noſtra cũ Deo mentionem faciat. 2. quòd Evangelium accipiat pro tota doctrina, quam Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, ut ex capite ſecundò præcedenti apertè colligitur, quam generalem Evangelii ſignificationem ut ſuo loco non negamus, ita non eſſe propriam & ſpecificam dicimus, idque ſuperius evicimus. Primum igitur legis & Evangelii hoc eſſe diſcrimen Bellarminus aſſerit, quod eſt inter doctrinam inchoatam & perfectam. *Cùm enim tria contineat utriuſque Teſtamenti Scriptura, Myſteria, promiſſiones & præcepta, id eſt, res credendas, ſperandas & faciendas, quibus fides, ſpes & charitas reſpondent, in omnibus tribus longè præſtat doctrina Evangelica & Apoſtolica doctrinæ legis & Prophetarum. Quod attinet ad myſteria fidei doctrina V. Teſt. unitatem Dei manifeſtè docet. Trinitatem perſonarum & incarnationem verbi non niſi obſcurè & imperfectè, ut ea potiùs adumbret quàm exprimat, doctrina verò Teſtamenti novi hæc omnia perſpicuè tradit & explicat.* Reſp. perfectio doctrinæ æſtimatur vel ex reipſa, vel ex docendi modo. Quòd ad rem ipſam ſive myſteria fidei attinet, doctrina V. Teſt. nequaquam eſt imperfecta, ſiquidem eoſdem fundamentales fidei articulos tradit, quos Chriſtus & Apoſtoli in N. Teſt. repetunt. Quod ad docendi modum attinet, fatemur quędam fidei myſteria clariùs & dilucidiùs in Nov. Teſt. expreſſa eſſe, quàm in veteri, ſed hoc perfectioni reali nihil quicquam derogat, cùm ad perſpicuitatem potiùs pertineat quàm ad perfectionem, ad modum cognitionis potiùs, quàm ad res ipſas cognoſcendas. Rectè igitur dicit Auguſtinus 16. de civit. Dei cap. 26. *Teſtamentum vetus eſt occultatio novi, novum eſt revelatio veteris.* Idem lib. de Catech. rudib. cap. 4. & alibi paſſim repetit. *In veteri novum latet, in novo vetus patet,* quò pertinet quod crebris D. Lutherum ſermonibus dicunt uſurpare ſolitum: *Novum Teſtamentum ſibi videri Solem, à quo Luna Teſtamenti veteris illuſtretur.*

Bellarmini ſententia de diſcrimine V. & N. T.

60. Procedit Bellarminus ad promiſſionum diverſitatem oſtendendam. *Lex & Prophetæ pollicentur expreſsè bona temporalia, figuratè regnum cœlorum. Chriſtus & Apoſtoli manifeſtè regnũ cœlorũ & vitã æternam pollicentur, bona temporalia*

An diverſa promiſſiones in V. & N. T.

adji-

adjicienda eſſe dicunt & ideò non eſſe ſolicitè & anxiè requirenda. Et quoniam promiſſionibus adjungi ſolent etiam mina, Lex & Propheta comminantur temporalia mala, Chriſtus & Apoſtoli mortem ſempiternam. Reſp. 1. ambiguitas eſt in vocabulo regni cœlorum: vel enim intelligitur de vita æterna, cujus promiſſiones in Vet. Teſt. extare nullâ veritatis ſpecie negari poteſt, vel de ſpirituali Chriſti regno ſecundùm veritatem & complementum in V. Teſt. prænunciato ac præfigurato, in Novo autem conſummato & ſine involucris figurarum exhibito, quo ſenſu Auguſt. ſcribit libr. 19. contra Fauſtum cap. ult. *Teſtimoniis vita aterna & reſurrectionis mortuorum abundat ſcriptura ſacra, ſed nomen hoc regnum cœlorum de nullo inde mihi libro occurrit, hoc enim propriè pertinet ad revelationem N. Teſt.* & lib. 18. de civ. Dei cap. 11. *Vetus teſtamentum terrenas habuit promiſſiones, ſed per Ieſum Chriſtum futurum erat Nov. Teſtam. quo regnum cœlorum promitteretur.* Fatemur igitur in Vet. Teſtamento datas promiſſiones de futuro Chriſti adventu & ſpirituali ejusdem regno, easq; promiſſionib. terrenis & corporalibus figuris ac umbris potiſſimũ involutas, figuratas & adumbratas eſſe, in N. Teſtam. promiſſionum illarum complementum annunciari, nimirùm de Chriſto exhibito, de regno cœlorum quod appropinquavit absque involucris & umbris, ſed ex eo non debet inferri, in V. Teſtam. non fuiſſe datas promiſſiones de vita æterna. 2. Legem & Prophetas minari temporalia mala, Chriſtum & Apoſtolos mortem ſempiternam, nequaquam intelligendum eſt excluſivè, cùm in lege & Prophetis extent non ſolùm promiſſiones vitæ, ſed & comminationes mortis æternæ. Deut. 30. v. 15. *Propoſui tibi hodie vitam & bonum, mortem & malum.* Lev. 18. v. 5. *Cuſtodite ſtatuta mea & judicia mea, qua faciens homo vivet in eis,* quas promiſſiones iisque oppoſitas comminationes non ad hujus tantùm vitæ præmia, ſed & ad vitam æternam pertinere, patet ex hiſtoria Luc. 10. ibi enim quæſitus à Legisperito Chriſtus, quid faciendo vitam ęternam poſſidere poſſit, ad legem eum revocat verſ. 26. *in lege quid ſcriptum, quomodo legis?* ac recitatâ legis ſummâ ſubjicit verſ. 28. *Hoc fac & vives.* Sic Gal. 3. v. 12. *Lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo, vivet in eis,* ubi ex antecedentibus & conſequentibus patet de juſtificatione & ſic de modo perveniendi ad vitam æternam agi. Rom. 2. & 3. Apoſtolus ex voce legis omnes arguit eſſe peccatores verſ. 19. *ſcimus, quòd quæcunque lex dicit, iis qui ſunt in lege dicit, ut omne os obſtruatur & obnoxius fiat totus mundus Deo.* 3. Fatetur ipſe Bellarminus legem promittere obœdientibus regnum cœlorum & vitam æternam (licet addat figuratè) utique ergò à contrario ſenſu minatur inobœdientibus æternam damnationem. 4. Si ex lege, id eſt ex Vet. Teſtam. (hoc enim ſenſu Bellarminus vocabulum Legis uſurpat) removentur comminationes æternæ, utique etiam ex eo removendæ erunt promiſſiones Evangelicę de gratia Dei, de remiſſione peccatorum, de reconciliatione cum Deo, &c. cujus contrarium oſtendimus ſuperiùs: hac vice unicum illud repetimus Rom. 3. v. 21. *Iuſtitia fidei comprobata eſt teſtimonio Legis & Prophetarum.* 5. In Prophetis æternæ mortis comminationes extare manifeſtum eſt Jerem. 31. v. 30. *Vnusquisq; propter iniquitatem ſuam morietur.* Ezech. 18. v. 4. *Anima qua peccaverit, ipſa morietur.* Ezech. 33. v. 9. 13. 18. *Propter iniquitatem ſuam morietur,* quibus in locis vocabulum mortis nõ ſolùm de temporali morte, quæ piis & impiis, credentibus & incredulis communis eſt, ſed etiam, imò potiſsimum de æterna morte accipiendum eſt, perinde ut in comminatione illa præcepto de non comedendo arboris vetitæ fructu addita accipitur, Geneſ. 2. verſ. 17. *Quacunque die ex hac arbore comederis, morte morieris.* Adde fidei analogiam, quæ oſtendit impietatem non ſolùm temporalibus, ſed & æternis ſuppliciis à Deo vindicari. 6. Pari ratione unà cum promiſsionib. æternis in N. Teſt. dantur etiã promiſsiones corporales & temporales, quæ tamen cum exceptione crucis ſunt intelligendæ. Marc. 10. v. 29. *Nemo eſt, qui reliquerit domũ, aut fratres, aut ſorores, aut Patrem aut Matrem, aut filios, aut agros propter me & Evangeliũ.* v. 30. *Qui non accipiat centies nunc in hoc ſeculo domos & fratres & ſorores & matres & filios & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam.* 1. Tim. 4. v. 3. *Pietas habet præmia præſentis & futura vita.* 1. Pet. 3. v. 11. *Qui vult vitam diligere & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo.* v. 13. *Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis.*

Anno và mandata in N. Teſt. tradita.

61. Accedit tandem Bellarminus ad membrum tertium, videl. leges & mandata, quorum alia Ceremonialia, alia judicialia, alia moralia erant in Vet. Teſt. *In novo* (inquit) *pro Ceremoniis illis Moſaicis, qua propemodum infinita erant, inſtituit Chriſtus Sacramenta numero pauciſſima, obſervatione facillima, ſignificatione præſtantiſſima, quibus ſocietatem novi populi colligavit.* Auguſt. Epiſt. 118. *Iudiciales leges Chriſtus in Evangelio nõ tulit, ſed ferendas reliquit iis, qui variis in locis Reſpubl. gerentes pro rerum, perſonarum & temporum diverſitate inſtituendas eſſe judicaverint. Morales leges qua perpetua ſunt, eaſdem ferè habent lex & Evangelium, ſed in hoc præſtat Evangeliũ legi, quòd quadam graviora, qua à Iudais propter infirmitatem ipſorum in lege non exigebantur, à Chriſtianis in Evangelio exiguntur, ut patet de libello repudii & polygamia, quadam etiam expreſſiùs leguntur in Evangelio, qua obſcuriùs habebantur in lege.* Concludit igitur, *non omnia, ſed ferè omnia, qua ad mores pertinent Evangelium cum lege habere communia,* quo fine analyſin inſtituit ſermonis Domini in monte habiti, quem corruptelis Phariſaicis; non autem legi morali oppoſitum eſſe dicit, interim tamen conſilia quædam perfectionis legi à Chriſto addita eſſe ſubjicit. Reſp. 1. In Nov. Teſtam. Ceremoniales & Judiciales leges Moſaicas abrogatas eſſe itidem docemus. 2. Leges Morales, in lege & Evangelio, hoc eſt, in Vet. & Nov. Teſtam. non ferè ſed verè eaſdem eſſe dicimus; quicquid enim in V. vel in N. Teſtam. doctrinam operũ proponit, explicat & urget, ad legem pertinet. 3. de libello repudii & polygamia in tractatu de conjugio dicetur. Chriſtus libellũ repudii & polygamiã in N. Teſt. abrogans non promulgat novas leges, ſed ad primævam conjugii inſtitutionem nos revocat. 4. Si Evangelium accipiatur in propria ſignificatione pro concione gratiæ ac gratuita promiſsione remiſsionis peccatorum propter Chriſtum, inſidiosè dicitur, Evangelium eaſdem habere cum Moſe leges morales: Id enim ſi hoc modo intelligatur, quòd

Evan-

Evangelium requirat bona opera ad ipſum juſtificationis actum atq; eo fine renatos hortetur ad novam obœdientiam, ut per eam mereantur vitam æternam, falſum eſt: Sin verò accipiatur hoc ſenſu, quòd Evangelii beneficium ſit non ſolùm remiſſio peccatorum, ſed etiam renovatio, per quam Spiritus ſanctus reliquias peccati expurgare & legi divinæ nos conformare incipit, verum eſt. 5. Sermonis Domini quem in exordio prædicationis ſuæ habet, ſolidam & accuratam explicationem tradit D. Chemnit. in aurea Evangelicæ Hiſtoriæ Harmonia, ad quam lectorem remittimus, interim magnoperè commendamus, quòd agnoſcit Bellarminus, concionem Chriſti non eſſe oppoſitam legi morali, ſed corruptelis Phariſaicis, quâ in parte non ſolùm à multis Patribus, ſed etiam à Scholaſticis & pleriſque Scriptoribus Pontificiis diſcedit, quod ſi in aliis controverſiis faceret, ac cœleſtem veritatem in ſcripturis patefactam humanæ autoritati prçferret, benè haberet. 6. de conſiliis perfectionis ſuus erit poſtea diſſerendi locus.

a Lex venit ſola, Evangelium cum gratia.

62. Alterum legis & Evangelii diſcrimen deducit Bellarminus ex annexis. *Lex* (ait) *per Moſen data eſt, qui fuit tantùm Legislator, Evangelium per Chriſtum, qui fuit non ſolùm Legislator, ſed etiam Redemtor. Proinde lex venit ſola, Evangelium vero non ſolum, ſed cum gratia.* Reſp. 1. per gratiam intelligit Bellarminus gratiam benè operandi & legis ipſius implendæ, hoc eſt, donum per gratiam, cùm in articulo Juſtificationis gratia ſignificet gratuitam DEI miſericordiam, quâ credentibus in Chriſtum remittit peccata, ut ſuo loco demonſtrabimus. 2. Proinde primaria illa hujus vocabuli ſignificatio non erat omittenda, ſed utrumque beneficium Evangelii conjungendum, videlicet gratia & donum per gratiam, ſiquidem per Evangelium non ſolùm datur peccatorum remiſſio, ſed etiam Spiritus ſanctus Naturam incipiens renovare & legi nos conformare. 3. Ergò ſi lex propriè accipiatur pro doctrina operum, Evangelium pro gratuita promiſſione de remiſſione peccatorum, agnoſcimus hoc diſcrimen, quòd lex ſolummodò imperet & flagitet, interim non conferat vires præſtandi, Evangelium verò conferat credentibus Spiritum ſanctum per quem ad omnis generis bona opera impelluntur. Galat. 3. v. 2. *hoc ſolùm à vobis volo diſcere, ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei*, hoc eſt, ex Evangelio, quâ de re in pluribus locis, præſertim verò in libro de Spiritu & litera copioſè tractat Auguſtinus. 4. Quamvis verò illud donum per gratiam, hoc eſt, renovatio Spiritus non minùs ſit Evangelii beneficium, quàm gratia, hoc eſt, gratuita peccatorum propter Chriſtum remiſſio, interim tamen renovatio illa à peccatorum remiſſione & juſtitiæ Chriſti imputatione in articulo Juſtificationis accuratè diſtinguenda eſt, cùm non inchoatâ & imperfectâ illa renovatione, quæ eſt Juſtificationis conſequens, ſed fide in Chriſtum juſtificemur. 5. Sin vocabulo legis accipiatur doctrina Vet. Teſtamenti in ſcriptis Moſaicis & Propheticis comprehenſa, neutiquam gratiæ beneficium ab ea ſeparandum, ſiquidem concio gratiæ de remiſſione peccatorum propter Chriſtum Mediatorem non minùs ſonuit in Veteri quàm in Novo Teſtamento per quam non minùs tempore Veteris quàm Novi Teſtamenti omnes ſancti ſunt juſtificati & ſalvati. Actor. 15. v. 11. *per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti credimus ſalvari* καθ' ὃν τρόπον *quemadmodum & Patres noſtri.* Roman. 4. v. 13. *Non per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus, ut heres eſſet mundi, ſed per juſtitiam fidei* Hebr. 13. v. 8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem etiam in ſecula.* Apoc. 13. v. 8. *Agnus Dei occiſus eſt ab origine mundi.* 6. An & quatenus Chriſtus ſit Legislator, paulò pòſt expeditum dabimus.

Minus principales Legis & Evangelii differētia.

63. Ex his primariis & præcipuis differentiæ inter legem & Evangelium capitibus alia quædam tanquam ex fontibus derivat Bellarminus. *Tertium enim diſcrimen legis & Evangelii ſtatuit, quòd lex Moſis uni tantùm genti data fuit, lex Chriſti omnibus gentibus. Quartum, quod lex umbrã & figuras rerum futurarum magnâ ex parte complectitur; Evangelium ipſum corpus & veritatem exhibet. Quintum, quod lex Moſis advemente Chriſti lege mutanda erat, Chriſti autem legi nulla ſuccedere debet lex alia.* Reſp. Si per legem intelligitur doctrina Vet. Teſtam. per Evangelium doctrina Nov. Teſtament. quo ſenſu hæc Bellarminus accipit, tolerabiliter ea dicuntur; nos autem quærimus hoc loco de diſcrimine inter legem propriè acceptam pro doctrina operum & inter Evangelium itidem propriè acceptum doctrina fidei. Monendum etiam, legem Moſis datam quidem fuiſſe uni tantùm genti ac plenitudinem gentium Nov. demum Teſtament. tempore intraſſe, nihilò tamen minùs fores Eccleſiæ omnibus etiam in Vet. Teſtam. apertas fuiſſe, quod innumera proſelytorũ exempla comprobant. Legem veterem habuiſſe figuras & umbras rerum futurarum ac Chriſti adventu abrogatam eſſe, accipiendum de legib. Ceremonialibus, non autem morali, quæ eſt perpetua. *Sextum diſcrimen Bellarminus hoc ſtatuit, quòd *lex Moyſis non habeat vim juſtificandi, Evangelium vero eam habeat, cùm det gràtiam implendi legem*. Reſp. non ideò ex Evangelio eſt juſtificatio, quia dat gratiam implendi legem, ſed quia eſt prædicatio fidei, per quam Chriſti beneficia in hac concione gratiæ oblata ad noſtram juſtificationem amplectimur. Sanè donum per gratiam, hoc eſt, renovatio per quam benè operamur, itidem Evangelii beneficium eſt, interim à peccatorum remiſſione, in qua noſtra conſiſtit juſtificatio, & quam donum renovationis, ſive gratia caritatis demum ſequitur, accuratè diſtinguenda eſt, ut ſuo loco pleniùs docebimus. Quòd Bellarminus negat legi Moſis uſpiam opponi doctrinam Evangelii, falſum eſt (nimirum ſi per legem doctrina operum, per Evangelium concio gratiæ intelligatur) disertè enim Apoſtolus aſſerit, *Iuſtitiam Dei ex fide in fidem revelari in Evangelio ſine lege.* Roman. 1. v. 17. cap. 3. v. 21. 22. & in articulo Juſtificationis perpetua eſt oppoſitio inter legem & Evangelium, opera & fidem, meritum & gratiam, operari & credere. Septimum diſcrimen Bellarmino eſt, quòd *Lex Moſis ſit lex timoris & ſervitutis; Evangelium vero lex amoris & libertatis, ſiquidem legis mandata ſine gratia reos conſtituunt homines, Chriſtus autem dedit Spiritum, per quem in corde diffuſa eſt charitas.* Octavum denique diſcrimen hoc eſt, quòd *lex Moſis graviſſima & importabilis erat, Evangelium Chriſti jugum ſuave.* **Salmer. tom. 1. p. 421. quòd nova lex (doctrina Chri-

Chriſti propria) non Chriſto vivente, ſed demùm poſt mortem ejus cœperit obligare; Greg. de Valent. tres eâ de re opiniones refert, quod lex Evangeliea cœperit obligare vel in die Pentecoſtes ſecundùm Capreolum, vel in puncto reſurrectionis Chriſti ſecundùm Scotum, vel in puncto mortis Dominicæ poſtquam dictum, conſummatum eſt, quam ſententiã ceteris præfert**. Reſp. Eſt ſanè beneficium Evangelii, quòd Spiritus S. in regeneratioue datus ad ſpontaneam ac voluntariam obœdientiam nos impellit, quòd Filius nos liberat, ut non ampliùs ſimus *ſervi peccati* Joh. 8. v. 36. quòd *caritas Dei diffunditur in corda noſtra per Spiritum S.* Rom. 5, 5. quòd *mandata Dei non* ampliùs *ſint gravia & moleſta* 1. Joh. 5, 3. interim boc conſequens Juſtificationis cum ipſo cjus actu non eſt confundendum, quâ de re ſuo loco.

An Chriſtus ſit novus legiſlator?

64. Occaſione ſecundi diſcriminis, quod Moſen tantùm Legislatorem, Chriſtum v. Legislatorem & Redemtorem fuiſſe ſtatuit, inquirendum reſtat, An & quo ſenſu Chriſtus fuerit ac dici poſſit Legislator? **Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 21. *Si quis dixerit C. I. à Deo hominib. datũ eſſe, ut redemtorem, cui fidant, non ẽt ut legislatorem cui obœdiant, anathema ſit*. Barrad. lib. 2. comm. in Conc. Evang. cap. 10. *Si Moſes legislator fuit, cur Meſſiæ legislatoris nomen detrahetur? multò quidem fuit major Meſſiæ etiam hac in parte honor quàm Moſis. Moſes enim acceptam à Deo interventu Angelorum legem uni tantum populo tradidit: at Meſſias à ſe conditam legem non uni populo ſed univerſo orbi tradidit.*** Certum eſt, Filium Dei unà cum Patre & Spiritu ſancto legem cordihus hominum in prima creatiooe indidiſſe, mandatum de non comedendo vetitæ arboris fructu cdidiſſe, ac ſolenoi lcgis promulgationi in monte Sinai adfuiſſe: certum & hoc eſt, Chriſtum in miniſterio prędicationis ſuæ non ſolùm Evangelium de gratuita peccatorum remiſſione, ſed etiam legem auditoribus ſuis propoſuiſſe, eandem à corruptelis Phariſaicis vindicaſſe & priſtino nitori reſtituiſſe, verùm de eo non quærunt Pontificii, quando Chriſtum Legislatorem fuiſſe pugnant, ſed ideò & hoc reſpectu id nominis ipſi competere ſtatuunt, quod oovas quasdam leges promulgaverit, ac legem Moſaicam perfectiorem reddiderit; contrarium verò oſtendimus his fundamentis 1. Joh. 1. v. 17. *Lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Chriſtum nobis facta eſt.* Diſtinguitur hîc inter miniſterium Moſis & officium Chriſti. Moſes tradit quidem præcepta & addit promiſſionem vitæ, ſed ſub conditione perfcctæ impletionis, proinde cùm Natura noſtra per peccatum corrupta non habeat facultatem perfectæ obœdieutiæ præſtandæ, neque Moſes eam conferat, inde *lex iram operatur* Rom. 4. v. 15. & *eſt miniſterium mortis* 2. Cor. 3. v. 7. opus igitur fuit alio Mediatore, Chriſto ſc. per quem gratia & veritas nobis contingeret, ia ſiquidem doctrinam gratiæ & veritatis, h. e. Evangelium protulit, nec prædicata ſolummodò per Chriſtum gratia & veritas, ſed etiam ἐγένετο facta eſt, quia paſſione ſua cœleſtia bona promeruit & acquiſivit, ipſe etiam gratiam & veritatem fidelib. per Evangelium gratiæ revera diſtribuit & communicat. Hæc D. Chem. lib. 2. Harm. Evang. c. 20. pag. 61. Finge Chriſtum fuiſſe in officio Mediatoris novum Legislatorẽ, peribit oppoſitio ab Evangeliſta vel Baptiſta in hoc dicto tradita. 2. Perfecto nihil poteſt addi. Lex eſt perfectiſſima bonorum operum regula, cùm requirat dilectionem Dei ex toto corde, totius Naturæ integritatem, omnium actionum verborũ & cogitationum cũ norma juſtitię conformitatem. E. legi nihil fuit à Chriſto additum: Auguſt. l. 17. contra Fauſt. c. ult. *Lex Dei tàm perfectè commendatur, ut nihil ei addendũ minuendũvè ſit.* Nec obſtat, quòd Heb. 7. v. 19. *lex nihil ad perfectum adduxiſſe* dicitur. Neq; enim verborũ iſtorũ ſenſus is eſt, quòd lex moralis non ſit perfectè ac ſufficienter in Scripris Moſis tradita, ſed partim eò reſpicit Apoſtolus, quòd lca etſi per ſe ſancta ac perfecta ſit, ac p̃cipiat opera tam pia & juſta, ut non poſſint juſtiora ac magis pia pręſcribi, tamen præcipiendo nõ afferat vires ca faciendi; partim verò & maximè omniũ eo in loco ad legem Ceremonialem reſpicitur, ſiquidem refellitur ibidem Judaica illa perſuaſio, quòd ſanguine taurorum & hircorum peccata noſtra coram Deo fuerint expiata. 3. Omnis Legislator eſt miniſter peccati, quatenus ſc. ponit occaſionẽ peccati per legem Rom. 7. v. 7. *Num lex peccatũ eſt? abſit, ſed peccatum non cognovi, niſi per legem*, v. 8. *occaſione a. acceptâ peccatum per mandatũ operatũ eſt in me omnem concupiſcentiam, ſine lege n. peccatum erat mortuum*, v. 11. *peccatũ occaſione acceptâ per mandatum ſeduxit me & per illud occidit &c.* Sed Chriſtus non fuit miniſter peccati. Gal. 2, 17: *Si quærentes juſtificari in Chriſto, inventi ſumus & ipſi peccatores, nunquid Chriſtus miniſter peccati eſt? abſit*: Solus v. Moſes eſt miniſter peccati, quia quærentes ex lege juſtificari, inventi ſumus peccatores. Ergò Moſes non a. Chriſtus in officio Mediatoris eſt Legislator. 4. Chriſtus eo fine in mundũ venit, ut *a maledictione & condemnatione Legis nos* liberaret, Gal. 3. v. 13. c. 4. v. 5. ut *non amplius eſſemus ſub lege, ſed ſub gratia*, Rom. 6. v. 14. Ergò non veoit, ut novas leges promulgaret: 5. Chriſtus in officio Mediatoris eſt τέλος *finis*, & impletio *legis ad juſtitiam omni credenti*. Matth. 5. v. 17. Rom. 10. v. 4. perſolvit debitum perfectiſſimæ obœdientiæ à oobis per legem exactum. Ergò hactenus non eſt legislator, quippe cujus eſt exigere obœdientiã & legis impletionẽ. 6. Chriſtus *non venit, ut judicet mundum* Joh. 3. v. 17. ant ut accuſet apud Patrem cùm jam antè *Moſes accuſet* Joh. 5. v. 45. Ergò non venit, ut novas leges ferret, ſiquidem omnis legislator perfectam requirit obœdientiam, quam ubi non invenit, juſtam dcounciat & infligit transgreſſionis poenam.

65. Videamus quid roboris inſit argumentis, quibus Chriſtum novum νομοθέτα coostituunt. 1. Præcipuũ aſſertionis robur petunt ex c. 5. Matth. ubi videntur perfectiora pręſcribi opera, quam quæ in lege Moſis fuerunt requiſita. Reſponſ. 1. Agnoſcit ipſe Bellarm. lib. 4. de Juſtif. cap. 3. Chriſtum eo in loco corruptelas Phariſaicas, quibus legem Domini depravabant, removere & veram legis ſententiam explicare. *Depravabant* (ait) *Scribæ & Phariſæi præcepta graviſſima de homicidio & adulterio, docentes in ejuſmodi præceptis actum externum eſſe ſolùm prohibitum, non autem internum, niſi ſignis exterioribus proderetur, in quo errore fuit Ioſephus* lib 12. antiq. cap. 13. & *David Kimchi in comment.* Pſalm. 66. v. 17. *adverſus ejuſmodi corruptelas declarat Dominus, legem, non occides, non ſolum manum,*

Argumenta eorum, qui Chriſtum ſtatuunt novum Legislatorẽ. 1. Ex c. 5. Matth.

ſed

Digitized by Google

ſed etiam linguam & animum cohibere, & legem, non mœchaberis, extendi uſq; ad concupiſcentiam in ipſa mente conceptam. Phariſæi repudiabant legem de repudio, quod enim ob infirmitatem eorum hominum lex impunitũ dimiſerat, ipſi ut rem abſolutè juſtam proponebant. Dominus autẽ docuit, nõ licere uxorem dimittere, niſi cauſâ fornicationis & legem de libello repudii penitùs abrogavit. Phariſæi docebant, non eſſe pejerandum, tamen frequentare juramenta etiam levi de cauſa nullum peccatũ eſſe ducebant. Contrà Dominus jubet, non eſſe jurandum omninò, ſcilicet niſi ſubſit jurandi neceſſitas. Corrumpebant Phariſæi legem illam talionis, oculũ pro oculo, dentem pro dente. Nam enim nõ animadverterent eam legem conſtitutam fuiſſe ad juſtitiam conſervandam, non ad appetitũ vindictæ ſaturandum, docebant licitum eſſe vindictam appetere. Dominus igitur monet, non eſſe appetendam vindictã. nec malum pro malo reddendum, ſed potiùs paratũ eſſe debere hominem probum ſi opus ſit, percutienti maxillam unam præbere etiã alteram. Deniq; pervertebant Phariſæi primarium dilectionis præceptum. Quoniam enim lex juſſerat, ut hoſtes ſuos occiderent, non odii cauſâ, ſed zelo juſtitiæ, quâ juſta bella interdum etiam à piis Regibus indicuntur, illi generale præceptum tradebant, diligẽdos eſſe amicos, odio habendos inimicos. Dominus ergò graviſſimè admonet, diligendos eſſe inimicos, benefaciendũ his qui nos oderunt, orandum pro perſequentibus & calumniantibus. Hæc omnia Bellarminus rectiſſimè. Et poſtea cap. 4. ſub finem. *Quæ videntur in Evangelio eſſe graviſſima de dilectione inimicorum & de concupiſcentiâ cohibendâ, inveniuntur in lege vetere. Itaque non ait Dominus, Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Legis & Prophetarum, ſed plus quam Scribarum & Phariſæorum, ut videlicet ſignificaret, ſe non tam addere velle ad onera præceptorũ legis, quàm tollere de medio corruptelas Scribarum & Phariſæorum.* 2. Idipſum immotè comprobat D. Chemnitius lib. 2. Harmon. Evang. cap. 51. p. 341. hoc argumento. Illa quæ Chriſtus hoc loco doctrinæ, quam vocat veterum, tanquam ſupplementum apponit, extant in lege divina in Veteri Teſtamento, ut de ira & ſignis iræ. Gen. 4. v. 6. *Quare iratus es & concidit vultus tuus?* Pſal. 112. verſ. ult. *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet.* Lev. 19. verſ. 17. & 18. *Non oderis fratrem in corde tuo, nec memor eris injuriæ.* De concupiſcẽtia uxoris proximi in ipſo Decalogo extat præceptum, Non concupiſces, & Job. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*, cap. 24. v. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginem.* Jerem. 5. v. 8. *Unusquisq; ad uxorẽ proximi ſui hinniebat.* Prov. 6. v. 25. *Ne concupiſcas pulcritudinem mulieris extraneæ, ne capiaris palpebris ejus.* Certum igitur eſt, hanc ſuam explicationem Chriſtum non opponere ipſi veteri legi, ſed pravis Phariſæorum interpretationibus, quas præſcriptione temporis & titulo antiquitatis ſine argumentis & probationibus populo venditabant. Et quia antè mentionem fecerat mandatorum, quæ à Phariſæis minima vocabantur, jam explicat, quæ illa ſint. Iren. lib. 4. cap. 26. in princ. *Conſummata vitæ præcepta in utroque Teſtamento, cùm ſint eadem, eundem oſtenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utriſq; præceptis ſed eminentiora & ſumma, ſine quibus ſalvari non poteſt, in utroq; eadem ſuaſit.*

66. Alterum aſſertionis argumentum petitur ex appellationibus, quæ Chriſto & doctrinæ *2. Ex appellationibus Chriſto datis.*
ejus tribuuntur. Chriſtus enim dicitur *Rex, Judex, Legifer noſter* Eſa. 33. v. 22. *Rex Regum.* Apoc. 19. v. 16. *Dux.* Mich. 5. v. 2. *Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. v. 5. Doctrina ejus dicitur *Lex* Eſa. 2. v. 3. Ergò CHRISTUS tulit novas leges. Reſp. 1. Chriſtus eſt unus cum Patre & Spiritu ſancto Deus, qui legem moralem hominum mentibus inſculpſit, eamque ſolenniter in monte Sinai repetivit, quo ſenſu legiſlatorem dici poſſe non negamus: quæritur autem hoc loco, an Chriſtus ut Mediator ideò in mundum venerit, ut novas leges promulgaret? quod negamus. 2. Chriſtus dicitur Rex Eccleſiæ ſuæ, non quòd novas leges promulget, ſed quia per publicum verbi miniſterium colligit ſibi regnum gratiæ, cujus cives regit per verbum & Spiritum ſanctum, defendit eos contra Satanam & omnes hoſtes, ac tandem in regnum gloriæ transferet. 3. Vox Legis ſumitur generaliter pro doctrina, תּוֹרָה thorah enim eſt à radice ירה Jaráh ſparſit, docuit, ut ſuperiùs oſtendimus. Sic ergò Evangelium dicitur lex fidei, i. e. doctrina fidei, *auditus fidei*, ut exponitur Galat. 3. verſ. 2. *verbum fidei*, Rom. 10. v. 8.

67. Tertiò, *Chriſtus jubetur audiri ut Moſes,* *3 Excellentione Chriſti cum Moſe.*
cui dicitur ſimilis Deut. 18. v. 15. *confertur etiam cum Moſe ut Legiſlator cum Legiſlatore* Heb. 2. v. 2. c. 3. v. 2. & ſeq. *Ergò Chriſtus non minùs quàm Moſes eſt Legiſlator.* Reſp. 1. Phraſis illa excitabit Dominus Prophetam ſimilem tui non hoc vult, quod Chriſtus itidem futurus ſit Legiſlator ſicut Moſes, ſed oſtendit, Chriſtum ſimili autoritate, veritate, fidelitate & gloriâ futurum Prophetam ac Doctorem ab omnibus audiendum. Sicut Moſes populum liberavit de ſervitute corporali, ſic Propheta ibidem promiſſus liberavit nos à ſervitute peccati. Auguſt. tract. 51. in Joh. *Excitabo Prophetam ſimilem tui ad formam carnis non ad eminentiam majeſtatis.* 2. Epiſtola ad Hebræos confert Chriſtum cum Moſe, non ut legiſlatorem cum novo legiſlatore propriè ſic dicto, ſed ut Dominum cum ſervo, filium in domo cum ejuſdem famulo, ut ex textu evidenter conſpicitur Hebr. 2. v. 2. *Si is qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus & omnis prævaricatio & inobœdientia accepit juſtam mercedis retributionem.* verſ. 3. *quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem* (per Evangelium oblatam, quod propterea dicitur verbum ſalutis) *quæ cùm initiũ accepiſſet enarrari per Dominum* (cujus propria doctrina fuit ſermo gratiæ) *ab eis, qui audierunt in nos confirmata eſt.* Hebr. 3. verſ. 1. *Conſiderate Apoſtolum & ἀρχιερέα confeſſionis noſtræ Ieſum.* verſ. 2. *qui fidelis eſt, qui fecit* (conſtituit) *ipſum, ſicut & Moſes in omni domo ejus,* verſ. 3. *amplioris enim gloriæ iſte præ Moſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem domus habet, qui fabricavit illam,* verſ. 5. *& Moſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus.* verſ. 6. *Chriſtus verò tanquam filius in domo ſuâ.* 3. Rom. 1. v. 5. cap. 16. v. 26. 1. Pet. 1. verſ. 2. nominatur *obœdientia fidei* 1. Joh. 3. v. 23. dicitur ἐντολὴ *mandatum Dei, ut credamus in nomen Filii ejus*, hoc ſanè reſpectu Chriſtus dici poſſet Legiſlator, licet impropriè. 4. Chriſtus ut Propheta & Doctor Eccleſiæ nõ Evangelium ſolùm, ſed & Legem docuit, quo reſpectu itidem Legiſlator, hoc eſt, Legis doctor dici poſſet,

cui

cui obœdientia debetur tantò major, quò ipſe omnibus Eccleſiæ Doctoribus eſt præſtantior. Hebr. 13. v. 17.

4. Ex promulgatione novi mandati. 68. Quartò Johan. 13. v. 34. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. Ergò Chriſtus novas dedit leges.* Reſp. 1. Novum quandoque notat idem quod aliud Exod. 1. v. 8. Eſth. 8. v. 5. &c. in qua ſignificatione ſi vocem novi accipiamus, ſenſus erit, dedi vobis mandatum de fugienda ambitione & ſectanda humilitate, huic ſubjicio aliud mandatum de mutua dilectione. 2. Dilectionis mandatum abſolutè & ſimpliciter novum non eſſe, diſertè docet Johannes Apoſtolus 1. Epiſt. 2. v. 7. *Cariſſimi non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio, mandatũ vetus eſt verbum quod audiſtis* 2. Johan. v. 5. *Nunc rogo te domina non tanquam mãdatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus invicem.* 3. Idem docet fidei analogia, ſiquidem dilectionis mandatum eſt totius legis ſumma Matth. 22. v. 36. & ſeq. *Non adulterabis, non occides &c. & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur* (ἀνακεφαλαιοῦται) *diliges proximum tuum ſicut teipſum* Rom. 13. v. 9. quomodo igitur mandatum fraternæ dilectionis abſolutè & ſimpliciter erit novum? 4. Proinde κατά τι & certo reſpectu novum dicitur (quemadmodum etiam Evangelium dicitur *vinum novum* Marc. 2. verſ. 22.) Novum eſt, quia repetitione novâ confirmatum. Novum eſt, quia præcepto & novo illo ac ſingulari Chriſti pro nobis morientis exemplo nobis commendatum. Novum eſt, quia novo modo traditum, videlicet à multiplici Ceremonialium legum gravamine liberatum, & ἐπιεικείᾳ Evangelicâ mitigatum. Novum eſt, quia proponitur homini novo, qui per Spiritus S. gratiam renovatus in novitate vitæ ambulat, & ex animo proximum diligit. Irenæus lib. 4. c. 25. p. 250. *Chriſtus aliud majus præcepto dilectionis non detulit, ſed hoc ipſum renovavit diſcipulis ſuis, jubens eos Deum diligere ex toto corde & cæteros quemadmodum ſe.* Auguſtin. tractat 65. in Johan. *Cur novum appellatur à Domino, quod tam vetus eſſe convincitur? an ideò mandatum novum, quia exuto vetere induit nos hominem novum? innovat quippe audientem vel potius obœdientem non omnis ſed iſta dilectio, quam Dominus mandat, & ut a carnali dilectione diſtingueret, addit: ſicut dilexi vos.*

5. Ex mentione peculiaris legis Chriſti. 69. Quintò 1. Cor. 9. v. 21. *mentio fit cujuſdam legis Chriſti.* Gal. 6. v. 2. *Alter alterius onera portate, & ſic implebitis legẽ Chriſti. E. alias Chriſtus tradidit leges quàm Moſes.* Reſ. mandatum dilectionis ad legem moralem pertinere dubium eſſe nequit, dicitur a. lex Chriſti, quia non niſi per Spiritum Chriſti rectè intelligitur & præſtatur, quia novo modo à Chriſto tradita, quia ex omni legum Moſaicarum cumulo ſelecta eſt ac repetita abrogatis Ceremoniarum involucris, quibus in V. T. erat circumdatum &c. Ambr. in comment. 1. Cor. 9. *Hoc dicit, quia cum in lege Chriſti eſt, in lege Dei eſt, quia quod Chriſti eſt, Dei eſt, & quod Dei eſt, Chriſti eſt.* in comment. Gal. 6. *Lex Chriſti omnes vult ſalvos fieri, ac per hoc qui fratri peccanti conſulit, ut redeat ad propoſitum, implet voluntatem Chriſti.*

6. Ex inſtitutione 70. Sextò *in Evangelio proponuntur mandata de uſu Baptiſmi & Cœnæ. E. Chriſtus eſt novus Legislator.* Reſp. 1. Mutatur quæſtionis ſtatus, neq; n. de inſtitutione Sacramentorum; ſed de legis moralis perfectione quæritur, 2. Sacramenta ex fine ſuo conſiderata ſunt ſalutaria media, quibus beneficia Chriſti omnibus offeruntur & credentibus applicantur, ſunt σφραγῖδες τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Rom. 4. v. 11. quo reſpectu omninò pertinent ad Evangelium. 3. Atque ut reipſa intelligeretur non in noſtrum onus, ſed potius in commodum noſtrum ſpectare ceremoniarum illarum inſtitutionem, ideò duo tantùm Sacramenta, loco multiplicium V. T. ceremoniarum Chriſtus inſtituit, quâ de re pulcerrimè dicit Auguſtinus Pſ. 73. *Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt pauciora, faciliora, ſalubriora, feliciora.* Ep. 118. ad Jan. *Sacramenta numero pauciſſima, obſervatione faciliima, ſignificatione præſtantiſſima, Chriſtus inſtituit, quibus ſocietatem novi populi colligavit.* 4. λῆψις illa quam in Sacramentorum actione Chriſtus inſtituit, ſalutaris quædam receptio potius æſtimanda, quàm operoſa actio. Act. 2. v. 38. βαπτισθήτω *baptizetur*, baptizari ſe permittat *unusquisque veſtrûm in remiſſionem peccatorum.* 5. Cùm inſtitutio Sacramentorum illi conveniat, qui poteſt dare gratiam Sacramentorum, h. e. ſoli Deo, ideò in uſu Sacramentorum probamus Chriſto noſtram obœdientiam ipſi ut vero cum Patre & Spiritu ſancto debitam, quam in primo Decalogi præcepto in genere à nobis requirit.

Sacramentorum

71. Pontificium hunc errorem de novis legibus à Chriſto promulgatis cupidè amplectuntur Photiniani, Mahometiſmo viam non obſcurè ſternentes, cum in Alcorano itidem dicatur: *Moſen tuliſſe legem minùs perfectam, perfectiorem tuliſſe Chriſtum, perfectiſſimam tuliſſe Mahometum* Azoara. 12. Diſertè enim aſſerunt in Catecheſi Racovienſi pag. 164. *non ideò veniſſe Chriſtum, ut pro nobis legem impleret, ſed ut nova præcepta legi adderet.* ** Vide etiam Socin in l. quod Evang. ſc. Phot. adjung. debeant. Vorſtius in Conſ. p. 29. Photinianiſmo viâ ſternens, ad quæſtionem quid ſignificat illud ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις. Reſpond. *Dictum eſt antiquis videlicet in lege Moſis, non dictum eſt ab antiquis videlicet Rabinis. Nam Chriſtus hoc loco ſua præcepta etiam ipſi legi non autem Phariſæorum tantùm commentis opponit.* Ibid. *In V. T. licita erant divortia etiam extra caſum adulterii, in N. Teſt. prohibita ſunt, quippe in quo major ſanctimonia ac caritatis perfectio requiritur.* Ib. *in V. T. licitum erat facile jurare in votis & promiſſionibus vindictam adverſus proximum expetere, extraneos & hoſtes populi odiſſe &c. in N. T. iſta non licent.* Huic accedũt Arminiani Armin. diſp. de Legis & Evang comp. theſ. 6. *Tertia differentia legis & Evangelii conſiſtit in materia mandatorum. Mandata enim legis pleraque carnalia fuerunt. Evangelium verò eſt ſpiritnale mandata continens ſpiritualia.* Sim. Epiſcopius diſp. de conven. & diſcr. V. & N. T. th. 20. *Secunda pacti veteris & novi differentia conſiſtit in ſpeciali præceptorum materia.* ** Præcepta verò illa nova Photiniani in Catech. pag. 207. ſtatuunt duplicia, ita ut *quædam pertineant ad mores, quædam ad Ceremonias.* Ad mores pertinere dicunt hæc tria; *Seipſum abnegare, crucem Chriſti ſuſcipere & Chriſtum ſequi*; atqui hæc omnia pertinent ad obœdientiam primo præce-

Photinianorum error de perfectioribus mandatis in N. T. traditis.

pto de diligẽdo Deo ſuper omnia debitam, quod ipſum p.208. agnoſcunt, ubi τὸ ſequi Chriſtum referũt ad dilectionem Dei & proximi. Seipſum abnegare eſt vitioſis carnis ſuæ cupiditatibus reſiſtere, crucem ſuſcipere, & adverſa patienter ferre, Chriſtum ſequi eſt vitam Chriſti imitari, hæc omnia certè ad timorẽ & dilectionem Dei pertinẽt, ut in loco de Lege oſtenſũ fuit. Ad Ceremonias dicunt pertinere cœnam Domini p.215. Baptiſmi nullam mentionem faciunt, eũ quippe negant eſſe ordinarium ac perpetuum N.T. Sacramentum, quâ de re quid ſtatuendum ſit, ex illis quæ paulò antè dicta ſunt, manifeſtum evadit.

Quid additum putent primo præcepto.

72. Sed enim ut diſtinctiùs oſtendant, quid per Chriſtum Legi Moſaicæ additum ſit, percurrunt ſingula præcepta, quæ eo ordine enumerãt, ut præceptum de ſculptilibus à primo ſejungant. Primo præcepto dicunt Chriſtum duo addidiſſe, primò *certam precandi formã in oratione Dominica præſcriptam* p.164. Reſ. Non inſtituit Chriſtus novum Dei cultum in lege Moſaica nondũ expreſſum ac in V.T. nondum uſitatum, ſed certã precandi formam præſcribendo noſtram voluit ſublevare infirmitatẽ. Pſaltes Regius varias precandi formulas tradidit, ecquis verò per id Legi divinæ quippiam ab ipſo additum eſſe dicet?** Et ante natum Chriſtum extiterunt in Eccleſiâ certę formulæ precandi Deum pręſcriptæ à SS. Pſalm. quoſdam, qui in Pſalterio continentur, longè ante Davidem ſcriptos & à Patriarchis acceptos oſtendit Hilar. in præfat. Pſ. & colligitur ex ipſa Scriptura Ex.15. Deut.32. 1. Sam.2. Item 1. Reg. 4.32. Eſ.38. Jon.2. Abac.3. In Pſalmis petitorius utrumq; continetur & à Deo petitur tum quod ſpectat ad promovendam Dei gloriã, tum quod requiritur ad ſublevandã noſtram neceſſitatẽ, quæ ſũt duo Orationis Dominicæ, principalia capita. Nulla melior explicatio Orationis Dominici, quàm liber Pſ. nec Pſalmor. melior epitome, quã Oratio Dominica. ** Nec ad formulã illã à Chriſto pręſcriptã, quã meritò quis dixerit Orationẽ orationum, ita ſumus aſtricti, ut aliis in precibus ad Deũ faciendis uti verbis nullatenus nobis liceat. Alterum, quod primo præcepto additum eſſe dicunt, in eo conſiſtit, ut *Chriſtum pro vero Deo, hoc eſt, pro tali, qui divinum in nos imperium habet, agnoſcamus, adoremus & invocemus* p.170. Reſp. De vera Chriſti Deitate ſuo loco uberiùs contra θεομάχους illos actum fuit, eademque non ex Novo ſolùm, ſed & Veteri Teſtamento comprobata; fatemur quidem in N. T. plura ac magis perſpicua de vera Filii Deitate extare teſtimonia, interim tamen V. T. illis planè deſtitui disertè negamus.

Quid ſecundo.

73. Secundo præcepto additum à Chriſto dicunt, *ut non ſolùm nullum habeamus idolis honorẽ, ſed nec eo in loco inveniamur, ubi ſunt idola* p.185. Reſ. Idola ſunt nõ ſolũ exteriora, lapides & ligna quibus honor ſoli Deo debitus impẽditur, ſed etiam interiora, videlicet omne illud, quicquid ſupra Deum diligitur, timetur & honoratur: quod ſi ergò nolunt eo in loco inveniri, ubi idola eriguntur, exeant mundo, ut carcinomatis iſtis Eccleſia liberetur. Chriſtus ipſe in templo Hieroſolymitano docuit, quod horribili Judæorum idololatriâ erat conſpurcatum. D. Apoſtolus Act. 28.v.11. *vehitur in navi, cui erat inſigne Caſtor & Pollux pro Diis à gentilibus habiti*, Idem 1. Cor.8. v.4. *Idolum nihil eſſe in mundo* pronunciat, h. e. negat idolo eum contaminari, qui pro idolo id nec habet nec colit. Eodem ſenſu idolothytum aliquid eſſe negat 1. Cor.10.v.19. hoc eſt, illis qui pro idolo non habent nec agnoſcunt, quod gentilibus eſt idolũ, veſci permittit idolothytis, h.e. illis quæ gentiles idolis ſuis obtulerant, modò infirmorum offendiculum abſit 1. Cor.10.v.27. Hoc n. eſt, quod idola non ſolùm corde ſed & loco ſugere jubet, videlicet infirmorum ſcandalũ, quod ex intẽpeſtivo rei per ſe adiaphoræ uſu oboriri poterat, jam v. ſcandalum dare pugnat cum dilectione proximi, quæ totius legis eſt ſumma & epitome. Quid quod idola gentilium in V.T. juſſa ſunt confringi & everti Deut.7.v.5. quomodo igitur licitum fuerit eo in loco inveniri, ubi idola fuerũt honorata?** Diſtinguendũ igitur inter cohabitatiões inter improbos, quę fiũt ſine metu ſeductionis, ac ſine ſuſpicione colluſionis tãtũ neceſſitatis causâ, ita ut noſtrũ diſceſſũ apertè teſtificemur: & inter cohabitationes, quæ fiũt citra neceſſitatẽ cum colluſione non obſcura ſine contradictionis teſtificatione. Priores cohabitationes nuſpiam nec in N. nec in V. T. per generalem aliquam pręceptionẽ ſunt prohibitæ & pertinet huc exemplum Naaman 2 Reg.5.19. poſteriores nihil differũt ab ipſa idololatria, quò pertinet præceptum Ex.23.v.13. *In omnibus, quæ dixi vobis, cauti eritis, neque nomen Deorum alienorũ memorabitis, non audietur in ore tuo.***

74. Tertio præcepto à Chriſto additum eſſe dicunt, *quod nec in rebus veris liceat jurare, niſi Dei gloria ad juramentum nos cogat* p.186. Reſp. De juramentis in explicatione ſecundi præcepti latè dictum fuit; temeraria juramenta nõ in Novo ſolùm, ſed etiam Veteri Teſtamento prohibita fuiſſe, oſtendit Chriſtus Matth.5.v.34. Phariſaicas hujus doctrinæ corruptelas removens: nec ſolùm pro Dei gloria, ſed etiam pro ſalute proximi jurare in N. T. licitum eſſe oſtendit Epiſtola ad Heb c.6.v.16. *Homines per majorem ſe jurant & omnis controverſia eorum finis ad conſummationem eſt juramentum.* Nimirum ſovent Photiniani Phariſaicam illam depravationẽ, quia Lev. 19.v.12. prohibentur Iſraelitæ *jurare in nomine Dei ad mendacium*, ideò perjuria tantùm ipſis fuiſſe prohibita, contrà v. licitum, imò Dei cultũ fuiſſe, in familiari ſermone & publicis commerciis pro re levi & vana juramento per nomẽ Dei uti, modò non fieret ad mendacium, ſed temeraria illa & futilia juramenta in V. T. itidem prohibita fuiſſe, non ſolum finis legis probat, ſed & diſerta in Scripturis tradita explicatio confirmat. Ex.20.v.7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, i.e. ſanctiſſimum Dei nomen in tanta apud te ſit reverentia, ut non ſolùm non ad mendacium, ſed ne ad vanum quidem eo utaris Eccl. 23.v.9. *Juramento ne aſſuefacias os tuum*, v.10. *nec ad eam conſuetudinem nomen ſancti ſæpè adhibeas*, v.11. *ſicut n. ſervus crebro vapulans non caret vibicibus: ita qui jurat atque aſſiduè Dei nomen uſurpat, non facile culpâ carebit.* v.12. *Vir crebrò jurans replebitur ſcelere, neque a domo ejus flagellũ recedet*, v.14 *ac ne temere quidẽ uſus jurejurando innocens judicabitur, nam domus ejus crebris incurſionibus appetetur.* v.17. *Os tuum jurandi intemperantiæ ne aſſuefacias, ex ea enim peccandi occaſio exiſtit.* c.27.v.10. *Oratio hominis crebrò jurantis horrorem incutit & aures obtundit talium contentio.* Oſe.4.v.15. *Ne juretis, vivit Jehovah,*

Quid tertio.

quod

quod de juramentis temerariis intelligendum, cùm ſancti viri in re gravi & ſeria hac formulâ ſæpiſſimè fuerint uſi.

Quid quarto. 75. Quartum præceptum dicunt *non additione ſuppletum, ſed planè abrogatum eſſe* pag. 189. Reſ. Falſum igitur eſt, quod dicunt, ſingulis præceptis à Chriſto aliquid additum eſſe, ſiquidem abrogatio non eſt additio. Falſum etiam illud, quòd præceptum de Sabbatho planè abrogatum eſſe dicunt, diſtinguendum n. erat inter Morale & Ceremoniale hujus præcepti, quorum illud eſt perpetuum, hoc v. χρονικὸν in N. T. abrogatum, de tota hac re uberius diſputatum fuit ſuo loco.

Quid quinto. 76. Videamus, quænam ſecundæ Decalogi tabulæ in N. T. addita eſſe ſtatuant. Quinto præcepto ea addita eſſe dicunt, *quæ in N. T. de officio Magiſtratus ac ſubditorum, Dominorum & ſervorum, mariti & uxoris extant*, p. 192. Reſ. Imò verò eædem præcepti de honorandis parentibus explicationes in V. T. traduntur. Neq; enim decem illis verbis & paucisſimis ſyllabis æſtimandus eſt Decalogus, quibus Ex. 20. & Deut. 5. deſcriptus extat, ſed intelligendus eſt juxta interpretationem Moſis & Prophetarum. Patris appellatio tribuitur illis, qui in Magiſtratu conſtituti ſunt Gen. 4. v. 43. 1. Reg. 24. v. 12. Eſdr. 1. v. 5. ut & heris ſive Dominis 2. Reg. 5. v. 13. Jud. 6. v. 11. ergò præceptum de honorandis parentibus Magiſtratus & Dominos complectitur. Viciſſim jubemur honorare non ſolùm parentes, ſed & Magiſtratus, Dominos, ſeniores &c. Levit. 19. v. 32. Prov. 24. v. 21. Ecclef. 33. v. 25. ex quo iterum ſequitur, quòd præceptum de honorandis parentibus Magiſtratus & Dominos complectatur. Officia mariti & uxoris ad ſextum præceptum pertinent, etenim cum in eo violatio conjugii divinitùs prohibeatur, dubium nullum, quin ex antitheſi poſtuletur, ut in cohabitatione conjugali ordo ipſius voluntate inſtitutus ſervetur. Breviter, nulla proferri poterit pars officii Magiſtratus & ſubditorum, Dominorum & ſervorum, mariti & uxoris, cujus non poſſint evidentia oſtendi in Veteri Teſtamento fundamenta.

Quid ſexto. 77. Sexto præcepto de non occidendo addita dicunt hæc duo, primò, *quod nec iraſcendum ſit fratri nec verbis aſperis ipſemet lædendus ſit* p. 196. deinde *quòd omnis vindicta non ſolùm per nos ipſos, ſed etiam per Magiſtratum ſit prohibita* p. 197. Reſp. prius non minus in V. T. fuit prohibitum, quàm in Novo. Lev. 19. v. 17. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo*, v. 18. *non ulciſceris te, nec reſervabis odium contra filios populi tui*, Gen. 4. v. 6. *Quare iratus es & concidit vultus tuus?* Pſal. 37. v. 8. *Deſine ab ira & miſſum fac furorem* Prov. 27. v. 3. *Crudelitas eſt in ira, & impetus in furore.* Eccl. 7. v. 10. *Ne feſtines in Spiritu tuo ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtultorum requieſcit*, c. 11. v. 10. *aufer iram à corde tuo & remove malitiam à carne tua.* ** Pſ. 4. v. 5. *Iraſcimini & nolite peccare* Prov. 22. v. 24. *Ne ſias amicus iracundo & cum viro furibundo ne eas.* Cōjunge generalem clauſulam Deut. 27. v. 26. *Maledictus.* Huc pertinet præceptum de pecoribus inimici reducendis Ex. 23. v. 4. Deut. 22. v. 1. Neque uſpiam in V. T. extat, quod Chriſtus inquit dictum fuiſſe antiquis. *Inimicū odio habebis.* *Oſtorod.* in Inſtit. c. 27. part. 1. *proximum* interpretatur Iſraëlitam, ſed ineptiſſimè cùm Deus toties in V. T. eandem caritatem extra extraneum & erga domeſticū commendet. Lev. 19. v. 33. ** Poſterius videl. Magiſtratus defenſionem & vindictam implorare non minùs in N. T. licitum, quàm in Veteri. Rom. 13. v. 3. *Magiſtratus non ſunt terrori bonis operibus ſed malis. Vis a. non timere poteſtatem? quod bonum eſt facito & feres laudem ab ipſa.* v. 4. *Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Quod ſi feceris quod malum eſt, time, non enim geris gladiū fruſtra. Dei enim miniſter eſt ultor ad iram ei, qui quod malum eſt, fecerit.* 1. Petr. 2. v. 13. *Subditi eſtote omni humanæ ordinationi propter Dominum, ſive Regi ut præcellenti*, v. 4. *ſive præſidibus ab ipſo miſſis tum ad ultionem maleficorum, tum ad laudem rectè agentiū.* ** Rom. 12. v. 18. 19. præcipitur, *ut ſi fieri poteſt, quēadmodū in vobis eſt, cum omnibus hominibus in pace vivamus, non noſmetipſos ulciſcentes.* Si ergo fieri non poteſt, utiq; malum pro malo legitimo Magiſtratu interveniente viciſſim reddi poteſt, tùm extraneo, tùm fratri. Ac quod in N. T. lex de necandis homicidis non ſit abrogata, colligitur ex Matth. 26. v. 25. Ap. 13. v. 10. ** Diſtinguendum igitur omninò inter *vindictam publicam* & *privatam*, quarum illa non ſolùm licita ſed & neceſſaria, hæc verò prohibita & damnata tùm in Veteri tùm etiam in N. T. Lev. 19. v. 18. *Ne quæras ultionem &c.* Prov. 24. v. 19. *ne dicas, ſicut fecit mihi, ſic faciam ei.* Matth. 5. v. 39. *Ne reſiſtas malo.* Rom. 12. v. 17. *non vindicantes voſmetipſos*, v. 19. *reddentes malum pro malo.*

Quid ſeptimo. 78. Septimo præcepto de adulterio non committendo addita dicunt tria. Primò *ne quidem aſpiciendam eſſe mulierem ad concupiſcendum eam* p. 99. Reſp. imò verò illicita mulieris concupiſcentia peculiari præcepto Decalogi diſertè prohibita eſt. *Non concupiſces uxorem proximi tui.* Ex. 20. v. 17. Deut. 5. v. 21. cujus præcepti talis traditur explicatio Jobi 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* c. 24. v. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginē.* Prov. 6. v. 25. *Ne concupiſces pulcritudinē mulieris adulteræ in corde tuo, neque capiat te ſplendoribus ſuis.* c. 23. v. 31. *ne intuearis vinum, quod rubrum ſit*, v. 33. *oculi tui videbunt extraneas.* Jer. 5. v. 8. *unusquisque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Ezech. 6. v. 9. *mentio ſit oculorum fornicantium.* c. 23. v. 16. *inſanivit ſuper eos concupiſcentiā oculorū.* ** Ez. 16. v. 15. objicit Dominus Synagogæ, quod expoſuerit fornicationem *ſuam omni tranſeunti ut ejus fieret.* c. 23. v. 26. *adamavit Synagoga filios Ægypti, propterea quod eorum caro fuerit tanquā aſinorum & fluxus copioſus tanquam equorū.* Quāvis verò Spiritus S. potiſſimum de idololatria & ſpirituali fornicatione loquatur, tamē niſi corā Deo deſiderium erga alium & aliā verè pro fornicatione & adulterio haberetur, tropis hiſce Propheta uſus non fuiſſet. Mal. 2. v. 15. monentur Sacerdotes multa repudia uxorum facientes ut cohibeant ſe in Spiritu ſuo h. e. cohibeant affectus & cupiditates, ne amorem in alias à conjugibus ſuis transferāt. Sicut in homicidio iram, ita in adulterio concupiſcentiā præcipuū illud eſſe dicit Servator noſter quod pœnā meretur. ** Libidinoſus igitur aſpectus, quo cor interiùs titillatur & prava cupiditate accenditur, vel quo cor libidine æſtuans oculis ſeſe prodit & concupiſcētiam oculorum quærit, ut ex ea libido magis paſcatur & inflammetur, non minùs in V. quàm in N. T. prohibitus eſt. Alterum quod præcepto de non mœchando à Chriſto additum eſſe exiſtimant, illud eſt, *quod ſi quis uxorem dimittit & dimiſſam ducit adulterium committat* p. 199. Reſp.

Chriſtus non promulgat legem novam, ſed ad primævam conjugii inſtitutionem nos revocat, & Phariſæorum corruptelas tanquam ſcorias legi divinæ additas expurgat. Quia Moſes legi forẽſi ſeu judiciali propter σκληροκαρδίαν Iſraëlitarũ ad evitanda majora mala permiſerat repudiũ Deut.24.v.1.Mat.19.v.8. Inde Phariſei ſtatuebãt quacunq; de cauſa licitum eſſe dare libellum repudii, idq; bonâ conſcientiâ etiã coram Deo fieri; Chriſtus v. oſtendit ea inſtitutione & ordinatione Dei conjugium eſſe indiſſolubilem copulã Gen.2.v.24. ſolam a. fornicationis cauſam excipit, quia illa directè pugnat cum naturâ conjugii, contra ſubſtantialia matrimonii & contra fidem conjugalem, ideò vinculum conjugii ſolvit. Vide D. Chemn. l.2. Harm. Ev. c. 51. pericopa 3. p. 357. Tertium hujus præcepti ſupplementum in eo conſtituũt, *quòd omnis ſcortatio & impuritas, quin & obſcœna verba in N.T. ſint prohibita.* p. 200. Reſp. Ergone adulterium tantùm in V.T. ꝓhibitum fuit, ſcortatione & impuritate interim conceſsâ? nimis craſſus & pluſquam Phariſaicus hic eſt error. Explicatio hujus præcepti in Moſe & Prophetis ſatis conſpicua & diſerta extat Deut. 23.v.17. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator in filiis Iſrael.* Lev.19 v.29. *Ne proſtituas filiã, ne contaminetur terra.*** Eccl.12.v.1. *Lætare juvenis in adoleſcentia tua & exhilaret te cor tuũ in diebus juventutis tuæ & ambula in viis cordis tui & ſecundum aſpectum oculorum tuorum, ſed ſcito quod propter omnia hæc adducet te Deus in judicium, ubi dicitur omnes ſermones, geſtus, facta ſub conviviis* & in omni alia lætitia, ſi pugnẽt cum pietate & honeſtate, judicii divini ſeveritatem mereri. Deut.22.v.5. præcipitur ne mulieris veſtimentis uti viro liceat ** quo pertinent pœnæ ſcortatoribus conſtitutæ Eaod. 22. v. 16. Deut.22. & divinitùs irrogatæ Gen.19.v.34. Nũ. 25. Jud. 20. &c. Synecdochica igitur eſt locutio, quâ mœchias appellatione omnis impuritas & immunditiesin operibus, verbis & geſtibus prohibetur; Quod ſi turpes, laſcivi & obſcœni geſtꝰ prohibentur multò magis verba obſcœna prohibita intelliguntur; ſi interior cordis concupiſcentia hoc præcepto prohibetur, multò magis verborum immundicies. Prov.5 v.20. *Ne amplexeris alienam, cur foveris in ſinu aliena?* c.7. v.13. *occurrit mulier ornatu meretricio, deoſculatur juvenem & procaci vultu blanditur.* Eccl.26.v. 12. *fornicatio mulieris in oculis & palpebris agnoſcitur, &c.*

Quid octavo. 79. Octavo præcepto de non ſurando additũ eſſe dicunt *Præceptũ de avaritia cavenda* p. 203. Reſp. interpretatio hujus præcepti tradita eſt in ipſo Decalogo, *Non concupiſces domum proximi tui*, ex qua liquidò conſpicitur non externum tãtùm furtum in eo prohiberi, ſed ipſam mali radicem avaritiam in corde hærentem accuſari, ideò tali verbo Legiſlator uſus eſt, quod ſignificat clãcularium machinationem, quæ conſcientiam alterius vitat & fugit, ut interiora etiã præcepta cõprehendi intelligãtur, quod ipſum interpretatio Prophetarum diſertè oſtendit Pſ.62.v.11. *Si affluũt divitiæ, nolite cor apponere.* Ea.18.v.21. tales perſonæ eligãtur in magiſtratus, *qui oderint avaritiam.* Pſ.119.v.36. *Inclina cor meum ad teſtimonia tua & non ad avaritiam.* Prov.1 v.19. *ſemita lucro inhiantis* conferuntur *inſidiatori ſanguinis.* c.15.v.27. *turbat domũ ſuã qui ſectatur avaritiã.* c.28.v.16. *Qui odio habet avaritiam prolongabit dies.* Eſ.56.v.11. *univerſi in viam ſuã reverſi ſunt, quisq; ad avaritiam ſuam.* c.57.v.17. *propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum & percuſſi eum.* Jer.6.v.13. c.8 v.10. *à parvo eorum uſq; ad magnũ omnes ſectantur avaritiam.* c.22.v.17. *nõ ſunt oculi tui & cor tuum, niſi ad avaritiam tuam.* Ez. 22.v.13. *Percuſſi manum meam propter avaritiã tuam.* c.33, v.31. *Poſt avaritiam ſuam cor eorũ ambulat.* Mich.2.v.1. *Væ excogitantibus malã in cubilibus ſuis ut mane faciant illam.* v.2. *Concupierũt agros & violenter tulerũt:* Certum igitur eſt avaritiã συνεκδοχικῶς furti nomine in hoc præcepto prohiberi, ideò verò delicti externi craſſioris nomine interiora prohibentur, ut quo loco in judicio Dei cenſeantur, ex eo intelligatur, ut ſuo loco monuimus.** Neq; etiam ſunt contrariæ, ſed diverſæ virtutes, ſtudium laboris, ſtudium αὐταρκείας & ſtudium liberalitatis. Photiniani diſſerũt de ſecundo & tertio, de primo autẽ planẽ tacẽt. Luxuriam quandam veteribus ob amplas promiſſiones corporales conceſſã fuiſſe, modò operum Domini non oblivíſcerentur, falſum eſſe, convincitur ex Deut.21.v.20. Eſ.5.v.22.**

80. Nnno præcepto de non proferendo falſo teſtimonio hoc dicunt additum eſſe, *quod omne mendacium etiam ex levitate profectum in N. T. ſit prohibitum* p.205. Reſp. Verba hujus præcepti deſumuntur ex ordine judiciorum divinitùs inſtituto, interim ſub una ſpecie expreſsè nominata comprehenditur in genere omnis mendacii deteſtatio, quod Moſis & Prophetarum ἐξήγησις manifeſtum facit. Pſ.5.v.7. *Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ.* Sap.1.v.11. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ecc.7.v.13. *Ne confles mendaciũ adverſus fratrem tuum,* v.14. *ne velis uti ullo mendacio.* c.4.v.30. *Ne contradicas veritati ulla in re.* Quid nono **Ex.23. v. 1. Non aſſumes rumorem falſi mendacii. v.7. â ſermone falſo recedes. Levit.19.v.11. Nec mentiamini quiſque in proximum ſuum. Pſa.15.v.2. in hoc monte ſancto habitabit, qui loquitur veritatem in corde ſuo. Adverſus obtrectatores & calumniatores ibidẽ.v.3.** Mendaciũ illud, quod ex ſola mentiendi libidine proficiſcitur, pugnat contra veracitatẽ, ſi vel maximè nullum videatur proximo afferre nocumẽtum, prohibitum igitur erit divinâ lege Aug. l. de mend. ad conſ. *Mẽdacia ſi non habent quẽ decipiãt, ipſa ſibi ipſis mentiuntur, & qui ex levitate mentiũtur, illud lucrãtur, ut nec vera dicẽtibus fides habeatur.*

Quid decimo. 81. Decimo præcepto de non concupiſcendo additum eſſe dicunt, *quòd corde non ſit adhærendũ illis, quæ concupiſcimus, etiamſi de impletione concupiſcentiæ non cogitemus* p.206. Reſ. non actualem ſolùm, id eſt, affectatam & pleno conſenſu deliberatam, ſed omnem omnino vitioſam concupiſcentiam etiam originalem, adeoq; primos ejuſdem motus etiam involuntarios lege divinâ prohibitos eſſe, docet Chriſtus Mat.5.v.28. & Apoſtolus Rom.7.v.14. quam interpretationem non addunt legi, ſed contra Phariſaicas ejus corruptelas ex ipſo textu deducunt. לֹא תַחְמֹד dicit Moſes Deut.c.5.v.21. Vox אָוֶן Aven ſignificat inquietudinem, quæ affert moleſtiam ac ſæpiùs accipitur pro originali concupiſcentia, quæ pravos affectus perpetuò gignit Pſ.119.v.133. Prov.6.v. 18. &c. accuſatur igitur cordis malum, quod ratio humana non habet, nec agnoſcit pro peccato Rom.7.v.7. *concupiſcentiam neſciebam niſi lex dixiſſet, non concupiſces*, Hanc eſſe veram hujus præcepti de non concupiſcendo explicationem

docent

docent ipſe Moſes & Prophetæ Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. *Omne figmentum cogitationum cordis tantūmodo malum omni die.* Pſ. 19. v. 13. *delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me* (nimirum quia nobis non advertentibus pravæ cogitationes & ſuggeſtiones in corde noſtro oriuntur, ideò delictorū numerum nemo intelligit) Pſ. 32. v. 6. *pro peccatorum remiſſione orabit ad te omnis ſanctus* (quamvis ſancti reſiſtant pravis concupiſcentiis, per ſpiritum eas mortificando, tamen coguntur peccatorū ſuorum remiſſionem à Deo quotidie efflagitare propter interiora illa peccata) Pſ. 90. v. 8. *abſconditū noſtrum collocas in lumine vultus tui.* Jer. 17. v. 9. *Pravum cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet?* Peccatum originale in omnes Adæ poſteros propagatum, eſſe verè & propriè dictum peccatum, oſtendimus ſuo loco, utique igitur in præcepto aliquo legis, quæ eſt perfecta juſtitiæ & integritatis norma, manifeſtabitur & accuſabitur. Quod ſi primi & involuntarii motꝰ concupiſcentiæ præcepto divino accuſantur, quātò magis eo prohibitum intelligitur, ne corde adhæreamus illis, quæ illicitè concupiſcimus Pſal. 62. v. 11. *Si affluunt divitiæ, nolite cor apponere.* Prov. 6. v. 18. *Cor quod molitur cogitationes iniquas, odit Dominus.* c. 15. v. 26. *abominatio Jehovæ ſunt cogitationes mali.* Eſa. 1. v. 6. *auferte malum cogitationum veſtrarum.*

De conſiliis Evangelicis.

82. Atq; hæc dicta ſint de ſupplementis, quæ per Evangelium legi morali à Chriſto addita eſſe, Photiniani ſtatuunt, videamus conſilia Evangelica perfectionis dicta, quæ itidem in Evangelio demum à Chriſto edita ac legi divinæ ſuper addita eſſe, Scholaſtici & Pontificii diſputant. **Opinio de illis conſiliis originē duxit ex Phariſaiſmo, quia Phariſæi ultra & præter legem opera quędam ſupererogationis ſeſe præſtare poſſe exiſtimabant, ut ex Joſepho & Epiphanio colligitur, inde apud Rabinos uſitata eſt diſtinctio inter חיוב debitū & רְבִית לְתוֹרָה *auctarium legis.* **Certum eſt apud Pontificios, hominem renatum nō ſolum divinæ legi perfectam obœdientiam præſtare poſſe, ſed etiam abundantiorem juſtitiam conſequi, quàm quæ in lege præſcripta eſt nimirum per opera ſupererogationis Evangelica, quę ita vocant, conſilia implendo. Et rectè quidem opera illa dicuntur *ſupererogationis*, quia ingens pecuniæ ſumma illis erogata eſt, qui opera illa aliis vendiderunt rectiùs a. diceretur opera *ſuperarrogationis*, quòd ſit evidens arrogantia, ſibi tale quippiam tribuere ac polliceri. Audiamus hac de re Bellarminum, is lib. 2. de Monach. c. 7. Conſilium perfectionis definit, *quod ſit opus bonum à Chriſto nobis non imperatum, ſed demonſtratum, non mandatum ſed commendatum; differt à præcepto ex parte materiæ, ex parte ſubjecti, ex parte formæ & ex parte finis. Ex parte materiæ, quia materia præcepti eſt facilior, conſilii difficilior: materia præcepti bona eſt, conſilii melior & perfectior. Ex parte ſubjecti, quòd præceptum commune ſit omnium, conſilium non item. Ex parte formæ quòd præceptum vi ſuâ obliget, conſiliū in arbitrio hominis ſit poſitum. Ex parte finis, quòd præceptum obſervatum habet præmium non obſervatum habet pœnam, conſilium a. ſi non ſervetur, nullam habet pœnam & ſi ſervetur majus habet præmium.* c. 8. addit, *Multa eſſe verè & propriè dicta conſilia Evangelica, ſed præcipuè tria, Continentiā Obœdientiam & Paupertatem.* Deſumta hæc ſunt ex Schol. Th. 1. 2. q. 108. art. 4. *Præceptum importat neceſſitatem, conſilium, optionem. Præcepta nova legis dantur de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum finē æternæ beatitudinis, conſilia ſunt de illis, per quæ melius & expeditiùs homo finem conſequi poteſt. Homo conſtitutus eſt inter bona ſpiritualia & res hujus mundi; præcepti eſt, ut in rebus hujus mundi ultimum finem conſtituat, conſilii eſt, ut totaliter ea bona abdicet. Bona autem hujus mundi, quæ pertinent ad uſum vitæ humanæ, conſiſtunt in tribus: ſcilicet in divitiis exteriorum bonorum, in deliciis carnis, in honoribus. Divitiæ abdicantur per paupertatem, deliciæ carnis per caſtitatem, ſuperbia vitæ per obœdientiæ ſervitutem.* Atq; hæc tria vocant ſubſtantialia perfectionis; aliàs præter illa tria plura conſilia Evangelica numerant, utpote non vindicare ſeipſum, injurias patienter ferre, eleemoſynam largiorem dare, non jurare, peccati occaſionem vitare, intentionem in bonis operibus rectè formare, facere quod docetur, de victu ſolicitum non eſſe, fratrem corripere: Alii aliter numerant.

Refellitur opinio de Evangelicis conſiliis.

83. Quòd attinet conſilia Evangelica, quæ ex ſermone Chriſti in monte habito colliguntur, ea non ſunt legis moralis ſupplementa, quorum obſervatio arbitrio hominis ſit relicta, nec ad omnes ſpectet, ſed ſunt explicationes legis, Phariſęorum corruptelis oppoſitæ, omnibus omninò verè Chriſtianis propoſitæ. De cœlibatus conſilio agetur ſuo loco: hîc in genere dicimus cum Dn. Chemnitio parte 2. locorum de diſcr. præcept. & conſil. c. 1. p. 280. *Si doctrina de externis illis exercitiis hoc modo traderetur, quod per ſe non ſint cultus vel merita, multo minùs ſupra præcepta ſeu perfectio quædam, ſed pro diverſitate donorum ſuſcipi, ut liberius & expeditius iis, quæ ad veram pietatem pertinent, vacari poſſit, utcunq; tolerari poſſet, ſed Pontificii intra terminos illos non conſiſtunt, ſed pugnāt pro perfectione & ſupererogatione meritorum in talibus operibus; ſtatuunt illos, qui obſervant Evangelica conſilia, plura acquirere merita, quàm quæ ſibi ipſis ſint neceſſaria, ideò aliis ad peccatorum remiſſionē & vitæ æternæ meritū ea applicari poſſe.* Patet hoc ex Salmer. tom. 7. p. 97. in c. 10. Luc. *Opera quædam* (inquit) *neceſſaria ſunt ad ſalutem, quædam verò conſilii & perfectionis ſunt, ad quæ præſtāda nemo obligatur, erogat ergo qui ſibi credita talēta diſtribuit, ſupererogat, qui amplius, quam accepit, impendit, qui præceptis Chriſti adjungit Eccleſiæ mandata, & illa pro tempore & loco & perſonarum ratione conſtituit, quomodo meliùs ſerventur divina et Evāgelica decreta præſcriptaque à Domino adjungit conſilia, qui ſcripturis adhibet Catholicas & doctas expoſitiones & qui ſine ſumtu Evangelium ponit cum Paulo.*

84. Multis igitur modis opinio illa de conſiliis improbanda eſt, cùm fingat 1. In obſervatione legis juſtitiam coram Deo, & meritum vitæ æternæ quærendum, cùm Apoſtolus diſertè pronunciet Gal. 3. v. 21. *non eſſe datam legem, quæ poſſit vivificare.* 2. Legi divinæ non ſolùm ſatisfieri poſſe, ſed & plura, præſtantiora ac ſublimiora opera præſtari, quàm quæ in lege requiruntur, cū perfectiſſimum opus videlicet dilectio Dei ex toto corde in lege præſcribatur. Deut. 6. v. 5. Mat. 22. v. 33. 3. Poſſe in hâc vitâ ad plenam perfectionem aſpirari, cùm ipſemet Apoſtolus *perfectum ſe eſſe* neget Phil. 3. v. 12. 4. Perfectionem quærendam eſſe potiùs in traditionibus hominum, quàm in præceptis Dei, cùm *fruſtra colatur Deus hominū man-*

Digitized by Google

mandatis Mat.15.v.9. 5. Poſſe hominem plura acquirere merita, quàm ipſi ad ſalutem neceſſaria ſint, & illa quæ ſuperſunt, aliis erogari & applicari poſſe, cùm *omnes ſancti pro peccatorum remiſſione petere cogantur* Pſ.32.v.6. 6. Opera non præcepta eſſe præſtantiora, quàm quæ in lege requirantur, cùm lex ſit perfecta bonorum operũ norma. 7. Illa, quæ de fugienda privata vindicta, de dilectione inimicorum, de cavendis temerariis juramentis &c. in concione Chriſti traduntur, liberè obſervari vel violari poſſe, cùm ſint mandata omnes omnino obligantia. 8. Poſſe nos ipſos non ſolùm pro noſtris, ſed etiam pro aliorum peccatis ſatisfacere, *cùm ſolus Filii Dei ſanguis emundet nos ab omnibus peccatis*, 1. Joh.1.v.7

1. *Non poſſumus ad perfectam Dei dilectionem aſſurgere.* 85. Videamus exceptiones Bellarmini, quas l.2. de Monach.c.13. argumẽtis noſtris opponit. 1. Deus jubet ſe diligi ex toto corde, ex tota anima, & omnibus viribus, unde nihil ſupereſt non debitum quod erogemus. Auguſt. l.1. de doctr. Chriſt.c.22. *cùm ait, toto corde, totâ mente, totâ animâ, nullam vitæ noſtræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & q. locum dare, ut aliâ re frui velit, ſed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Excipit Bellarm. 1. *illa omnia diligere corde, diligere animâ, diligere mente eſſe idem quod verè & ſincerè diligere;* 2. *præceptum dilectionis eſſe affirmativum, ideò obligare quando neceſſitas gloriæ divinæ requirit, alio a. tempore ſi fieret, opus eſſet conſilii & ſupererogationis;* 3. *præcepto hoc indicari finem, quò contendere debeamus, ideò licet non diligamus omnibus caritatis gradibus, tamen non eſſe prævaricatores;* 4. *Etiamſi non poſſimus addere huic præcepto, quatenus indicat finem, tamẽ poſſe aliquid addi, quatenus indicat medium;* 5. *Illud ſolum præcipi, ut præcipuo amore Deum amemus, nihilque ei in amore anteponamus vel æquemus, nõ autem nihil corde agamus, niſi Deum diligere, idque ſumma amoris vehementia.* Hæc Bellarm. quæ in tractatu de peccatis actual. th. 44. & in tractatu de lege Dei th.181. excuſſimus, hac vice illud ſolùm monemus, reſponſiones Bellarmini ſibi invicem adverſari. Si n. diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & ex omnibus viribus requirit tantùm ſeriam & ſinceram, non a. numeris & gradibus omnibus abſolutam dilectionem, utiq, præceptum dilectionis non indicat finem ſed tantùm medium. Viciſſim ſi præceptum hoc indicat finem, h. e. ſummũ illum dilectionis gradum, ad quem in hac vita aſpirare debemus, in futura poſſumus, utiq; phraſes illæ diligere ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus non ſolùm ſeriam & ſinceram, ſed & omnibus gradibus ac numeris perfectam dilectionem requirunt. De tota hac re alibi plura diximus.

2. *In bonis operibus ſemper aliquid deeſt.* 86. 2. In operibus bonis ſemper aliquid deeſt, ergo nunquam implemus legem, multò minùs opera ſupererogationis præſtamus. Probatur antecedens, quia Paulus ad Rom.7. dicit: *Se mente ſervire legi Dei, carne a. legi peccati.* Job c.9. *Verebatur omnia opera ſua.* Eſ.c.64. vocat *pannũ menſtruatæ omnes juſtitias noſtras.* David clamat Pſ.142. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Excipit Bellarm. in genere, *Si nullo modo legem ſervare poſſemus, mentiretur Johannes, cum ait: Mandata ejus gravia non ſunt* 1. Epiſt.5. & *Dominus cùm ait Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata, juvenem illum non docuiſſet, ſed deluſiſſet, ac ſi dixiſſet, ſi vis in cœlum aſcendere, fac tibi remigium alarum, & vola per aerem, imò ſequeretur hominem non peccare, non n. peccat, qui non facit quod non poteſt, & Deus eſſet omnino Tyranno crudelior & iniquior, quippe qui tributum peteret, quod nemo poſſet ſolvere, & hoc ab amicis ſuis peteret, adde quod omnes Patres dicant, impium eſſe aſſerere, quod Deus aliquid impoſſibile præceperit.* Reſp. Explicationem Dicti 1. Joh. 5. quære in ſuperiori tractatu de lege morali th. 190. de loco Matth. 19. egimus ſuperiùs th. 23. & paulò pòſt latiùs de eo tractabimus. Comparationem Dei cum exactore Tyrannico excuſſimus in tractatu de Lege Morali th. 196. Quo ſenſu veteres negent, Deum impoſſibile aliquid præcepiſſe, expoſuimus in eodem tractatu th. 194. In ſpecie Bellarminus ad ſingula Dicta reſpondet: 1. *Paulum Rom.7. loqui de motibus concupiſcentiæ involuntariis, qui non ſunt peccata, ſed pœna.* Reſp. hac de re egimus in tract. de peccatis actualibus th. 36. & ſeqq. 2. *Jobum fuiſſe veritum opera ſua, quia metuebat, ne aliquid in eis imperfectionis miſceret. Illi autem propriè metuunt, qui vident poſſe vitari malum quod metuunt.* 3. *Eſaiam loqui in perſona graviſſimorum peccatorum, qui opera ſua bona inquinabant admixtionem mortalium criminum.* 4. *Davidem hoc tantùm velle, neminem poſſe juſtificari, ſi comparetur cum Deo, cujus comparatione omnis hominum & Angelorum juſtitia videatur injuſtitia.* Reſp. Exceptiones illas omnes excuſſimus in tractatu de lege morali th. 182.

87. 3. Chriſtus Lucæ 17. v.10. commentum de operibus ſupererogationis prorſus excludit. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere, fecimus.* Excipit. Bellarm. 1. *Chriſtum loqui de illis, quæ præcepta ſunt nobis, non a. de conſiliis Evangelicis.* 2. *Chriſtum non vocare nos inutiles ſervos, ſed jubere ut ex humilitate nos tales profiteamur.* 3. *Servum quicquid eſt, Domini eſſe & quicquid agit, in lucro Domini cedere, at non inde ſequi ex debito eum facere, quicquid facit. quid n. ſi vellet ſibi de ſomno conceſſo aliquid ſubtrahere, ut pro Domino ſuo aliquid agat, nonne plus faciet, quàm tenetur.* Reſp. locus integer ſic habet. *Quis veſtrûm* (ait Chriſtus) *habens ſervum arantem aut paſcentem, regreſſo illi ab agro dicit ſtatim, prodi & accumbe?* v.8. *& non potius dicit ei, para quod cœnem & præcinctus miniſtra mihi, uſque dum edero & bibero, poſt hæc edito & bibito tu.* v.9. *nunquid gratiam habet ſervo illi, quia fecit quæ ei imperavit?* v.10. *ſic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Chriſtus in præcedentibus multa bona opera à ſuis requiſiverat, ut ſint liberales in pauperes, ut ſint voluptatum contemtores, ut ſolicitè vitent ſcandala, ut ſint faciles in condonandis offenſis; fieri igitur poterat, ut ſi quis unum vel plura horum perfeciſſet, ſibi perſuaderet, ſe jam officio ſuo planè defunctum eſſe, jamque velle ſe quieti dedere, neque quicquam ulterius operari: alius poſſet ſibi in his operibus placere, ſe efferre ac jactare, ac ſi multa coràm Deo per hanc obœdientiam promeritus eſſet; utriſque Chriſtus hac ſervi parabolâ occurrit.

3. *Luc 17. Cùm omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus.*

Domi-

Digitized by Google

Dominus quiſpiam terrenus ſervo ex diurno agri labore domum reverſo non concedit ſtatim quietem, ſed novum ab ipſo exigit ſervitiũ, quod quamvis ſedulò præſtet, nullam tamen ipſi hoc nomine habet vel etiam debet gratiam. Sic omnes Chriſtiani, ſunt Dei ſervi jure creationis, conſervationis, redemtionis & ſanctificationis, tenentur ergo Deo ſervire per totam vitam, uſque ad ultimam mortis horam, exerceant ſe in operibus divinitùs mandatis, interim ſtatuant omnia illa jam ante eſſe debita, ideoq; illis nequaquam DEUM obſtrictum reddi, cum multis modis ipſi potiùs DEO ſint obſtricti. Vide Harm. D. Polyc. c.124. hinc facilè apparet, quid de Bellarmini exceptionibus ſit judicandum, 1. Chriſtus nequaquam aſſerit, nos omnia omninò in ſummo perfectionis gradu facere, quæ præcepta ſunt nobis, ut proinde ad conſilia Evangelica nobis ſit reſpiciendum; ſed hyputheticè dicit, ſi feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis: atqui in hac vita nunquam aſſurgimus ad illam perfectionem, ut omnia Dei mandata nos impleviſſe gloriari poſſemus, cur enim opus foret peccatorum remiſſionem quotidiè efflagitare? 2. Nec verò hypocriticam humilitatem præſcribit Chriſtus, quâ ore quidem profiteamur, nos eſſe ſervos inutiles, interim in corde ſtatuamus, nos operibus noſtris vitam æternam promeritos eſſe. Abſit hæc hypocriſis à piis mentibus, quam contextus loci evidenter refellit. Servo illi, qui imperata Domini totis viribus exequitur, nulla debetur gratia: ita quoque ſi omnia, quæcunque Deus à nobis exigit, inter quæ facilè primum ac præcipuum eſt, Deum ex toto corde diligere, ſi unquam omnia illa fecerimus, non autem tantùm facere tentaverimus vel inceperimus; item cùm fecerimus omnia tàm interna quàm externa opera, ne ullo quidem prætermiſſo, non eùm fecerimus aliqua vel plurima, ſed omnia omninò, quid tùm agendum? dicamus, ſervi inutiles ſumus, id eſt agnoſcamus toto corde & ingenuè confiteamur, nobis nullam deberi gratiam, quicquid enim fecimus, id jure à nobis Deus exigere potuit, ad illud etiam jam ante obligati ſumus. Dedit Deus animam, dedit corpus, dedit facultates. Ergo omnia illa cum omnibus viribus in ſervitiũ Dei impendere debemꝰ. Et cùm nõ omnia, quæ præcepta ſunt nobis, faciamus, ea verò quæ præſtamus, non eo perfectionis & puritatis gradu præſtemus, qui in lege præſcribitur, ideò non ſolùm ſervos, ſed etiam inutiles ſervos nos agnoſcamus, cum quibus ſi Deus velit in judicium intrare, non poſſemus conſiſtere. Pſ. 143. verſ. 2. ideò poſſet in æternos cruciatus & tenebras exteriores nos jure abjicere, Matth. 25. verſ. 30. ubi idem vocabulum habetur ἀχρεῖος δοῦλος, tales omninò ſumus, ſi ex nobis & noſtris viribus ac meritis conſideremur, ſed in Chriſto ſumus adoptati in Dei filios & vitæ æternæ heredes ſcribimur. Concil. Milevit. Can. 6. *Placuit, quod ſanctus Johannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, quisquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem debere dici nos non habere peccatum, non quia veritas eſt, anathema ſit.* Idipſum ad detorſionem illam Pelagianam, quàm Bellarminus amplectitur, accomodari debet. Verè pii non ſolùm humiliter ſed etiam veraciter confitentur, ſe coram Deo inutiles eſſe ſervos, non ſolùm quia Deo ex ipſorum operibus nihil commodi accedit, ſed etiam quia in multis deficiunt, & in judicio Dei ſuis operibus conſiſtere non poſſunt. Hieron. Epiſt. 66. ad Cteſiph. contra Pelagianos: *Cùm me putavero ad calcem perveniſſe virtutum, tunc habebo principium. Principium enim ſapientiæ timor Domini, qui expellitur atque deſtruitur caritate. Hæc hominibus ſola perfectio, ſi imperfectos ſe eſſe noverint. Et vos, inquit, cùm omnia feceritis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus. Si inutilis eſt, qui fecit omnia, quid de illo dicendum eſt, qui explere non potuit: unde & Apoſt. ex parte accepiſſe & ex parte ſe comprehendiſſe dicit & nec dum eſſe perfectum.* Ambr. l. 8. in Luc. c. 17. *Si tu non ſolùm non dicis ſervo aranti, aut oves paſcenti tranſi, recumbe, ſed exigis ab eo aliud miniſterium & gratias ei non agis: ita nec in te patitur Dominus unius uſum eſſe operis aut laboris, quia dum vivimus, debemus ſemper operari. Ergo agnoſce, te eſſe ſervum plurimis obſequiis defœneratum. Non te præferas, quia filius DEI diceris: agnoſcenda gratia, ſed non ignoranda natura. Neque te jactes quod benè ſerviſti, quod facere debuiſti,* &c. Beda in cap. 17. Lucæ. *Si homo ab homine ſervo non uniforme ſed multiplex miniſterium exigit, nec tamen ei gratiam habet, quantò magis vos qui ſine me nihil poteſtis facere? non temporum longitudine laborum præmia penſare debetis, ſed amore & famulatu ſpontaneo novis ſemper ſtudiis augere priora. Itaque dicite, ſervi inutiles ſumus, ſervi quidem, quia precio empti eſtis: inutiles verò, quia Dominus bonorum veſtrorum non indiget. Si autem inutilis eſt, qui fecit omnia, quid de illo dicendum, qui explere quæ præcepta ſunt vel infirmitate non potuit, vel quod pejus eſt, ſuperbiâ deſpexit?* &c. *Hæc eſt igitur in hominibus ſola fides perfectio, ſi omnibus quæ præcepta ſunt, impletis, imperfectos eſſe ſe noverint, & quamdiu peregrinantur à Domino, ſemper ineſſe ſibi mala quæ defleant, ſemper meminerint deeſſe bona, ad quæ gratia ejus juvante proficiant.* Bernh. ſerm. de tripl. cuſtodia col. 356. *Hæc operum diligentia ſervandorum initia noſtræ converſationis exercet, dum adhuc quidem modicum, ſed tamen jam lumen eſt in nobis, niſi forte magnum ſe putant habere lumen, quibus veritas ait: cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, quia ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere, fecimus. Sed hoc, inquies, propter humilitatem monuit eſſe dicendum. Planè propter humilitatem, ſed nunquid contra veritatem?* 3. Diſparitas obligationis eſt inter ſervum hominis & ſervum DEI. Homo homini ſerviens non omne ipſi debet, quicquid eſt & quicquid poteſt, ſed certos officii limites præſcriptos habet: nos verò quicquid ſumus, quicquid poſſumus, totum DEO debemus, quippe à quo omnes animæ vires, omniaq; corporis membra, omnia actionum bonarum principia ad nos promanant. Bernhardus ſerm. de verb. Orig. *Etſi proximo fortè videtur quis reddere pluſquàm debet, Deo tamen nunquam totum reddit, quod debet.* Philoſophus ex Naturæ lumine cognovit, parentibus non poſſe reddi precium æquivalens, quantò minùs homo creatura DEI poteſt facere opera quædam non antè ipſi debita.

4. Debemꝰ animas ponere pro fratribus.

88. 4. Chriſtus dicit Joh. 13. v. 34. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis vos invicem, ſicut ego dilexi vos.* At Chriſtus ſic dilexit nos, ut ſit pro nobis mortuus, Ergò & *nos debemus pro fratribus animas ponere*, ut concludit Johannes 1. Epiſt. 3. v. 16. at hæc eſt ſumma caritas, cui nihil addi poteſt, *majorem enim caritatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis* Johan. 15. verſ. 13. Ergò nullus remanet locus conſiliis & operibus ſupererogationis. Excipit Bellarminus, *Non tenemur animas ponere pro fratribus, niſi quando id neceſſarium eſt ad eorum ſalutem æternam, ſi ergò id facimus, cùm non eſt neceſſarium ſed utile tantùm, opus conſilii & ſupererogationis faciemus. & ſimiliter ſi proximo benefaciam, quando non eſt in extrema & gravi neceſſitate conſtitutus, opus facio ſupererogationis.* Reſp. Animam ponere pro fratribus, aut exigit DEI gloria & proximi ſalus, aut non exigit. Priori caſu tenemur lege, ut ipſam quoque vitam pro fratre negligamus, quia quicquid utilitatis à nobis ad proximum redit, ad illud lege obligati ſumus, cùm juſſi ſimus diligere proximum ſicut nos ipſos. Poſteriori caſu non ſolùm non tenemur animam pro fratre ponere, ſed etiam temerarium eſt tale quid ſuſcipere & vitæ ſuæ prodigum inveniri. Quicquid proximo à nobis benefit, ex dilectione proficiſci debet, ſi quis enim omnes facultates ſuas pauperibus diſtribueret, caritate interim deſtitutus, nihil prodeſſet, 1. Cor. cap. 13. v. 3. jam verò dilectio proximi non qualiscunque ſed ſeria, ſincera & perfecta in lege præſcribitur.

5. Nihil addendum præceptis divinis.

89. 5. *Jubet Deus nihil addi præceptis* Deut. 4. v. 2. *Ergò conſilia malè adduntur.* Excipit Bellarm. *nihil addendum eſſe præcepto quod ipſum corrumpat, non autem aliquid quod ipſum perficiat, jam verò conſilia non corrumpi, ſed perfici præcepta.* Reſp. Abolitio non eſt additio, ergò per prohibitionem additionis non poteſt intelligi prohibitio corruptionis. Deus non ſolùm opera legi contraria, ſed & ἐθελοθρησκείας cultus proprio arbitrio excogitatos ἀνομίας loco habet, ut alibi oſtenſum fuit. Referenda hûc eſt regula de vera præceptorum divinorum expoſitione ſuperiùs tradita & apprimè obſervanda. Ubicunque peccatum aliquod prohibetur ibi ſimul mandata eſt virtus peccato illi oppoſita, omnesq; vitutes ejusdem generis cum omnibus cauſis, occaſionibus & adjumentis. Conſilia igitur perfectionis quatenus continent aliquod auxilium & adminiculum ad virtutis profectum neceſſarium, ſimiliter erunt lege præſcripta, quatenus verò præſcribunt externa quædam exercitia pro diverſitate donorum ſuſcipienda, ut liberiùs & expeditiùs iis, quæ ad veram pietatem pertinent, vacari poſſit, non tradunt novos cultus vel merita, multò minùs majorem quandam perfectionem, quàm in lege requiritur, ſed adiaphora quędam exercitia præſcribunt libero Spiritu obſervanda, quæ ſi quis transgreſſus fuerit, non peccat 1. Cor. 7. v. 35. *Non hæc dico, ut laqueum vobis injiciam, ſed ut adhæreatis Domino ſine diſtractione.* v. 28. *Si acceperis uxorem, non peccâſti, & ſi nupſerit virgo, non peccavit.* 1. Tim. 4. v. 8. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas vero habet promiſſionem præſentis & futuræ vitæ.*

6. Non poſſumus tantum facere quantum debemus.

90. 6. *Ita ſumus Deo obligati, ut non poſſimus unquam facere, quantum debemꝰ, ergò nunquam ſupererogamus.* Antecedens patet, nam quicquid habemus boni, ab illo habemus: ergò omnia noſtra ſunt ei debita, & ſi millies pro Deo vitam ponemus, nunquam tamen reddemus ei aliquid æquale. Excipit Bellarminus, *potuiſſe Deum à nobis exigere quicquid poſſumus, non tamen voluiſſe, impoſuit enim nobis jugum ſuave & onus leve. Si conſideremus beneficia Dei nobis collata, non poſſumus plus facere quàm debemus, imò nec quantum debemus, ſed ſi conſideremus legem à Deo nobis impoſitam, poſſumus plus facere quàm revera tenemur facere.* Reſ. Exceptio Bellarmini nititur hac hypotheſi, quod Decalogus non requirat majorem & perfectiorem obœdientiam, quàm qualem in hac vita corrupta noſtra Natura præſtare poteſt, proinde Deum jure dominii potuiſſe quidem ad impoſſibilia nos obligare, ſed quæ ipſius eſt bonitas, præcepta, quæ ad promerendam ſalutem neceſſaria ſunt, propoſuiſſe ſub tali menſura ac moderatione, ut nullius quantumvis infirmi vires excederet, ut omnes qui anniti velint, vitam æternam per præcepta conſequi poſſent: ſi qui verò reperiantur alacriores, qui ultra illos terminos, quibus obſervatio legis ad ſalutem neceſſaria limitata eſt, progredi cupiant, illis conſilia perfectionis præſcribi & peculiares prærogativas in vita æterna decerni. Sed hæc imaginatio repugnat fini, propter quem legis ſuę ſolennem repetitionem poſt lapſum Deus inſtituit, ut ſuo loco oſtendimus. Naturalia eſſe immutabilia docent JCti, jam verò obligatio illa, quæ naſcitur ex beneficiis à Deo in nos collatis, eſt juris naturalis, proinde eſt immutabilis, ac proinde lex moralis non tollit vel minuit obligationem illam, cùm ſit eadem cum jure Naturæ, ſed obligationem illam declarat & manifeſtam facit.

91. Argumenta reliqua, quæ Bellarminus nobis tribuit, minoris ſunt momenti, in quorum tamen explicatione ſibi non ſatisfacit, multò minùs veritati. Adducit dictum Pſal. 119. v. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatâſti cor meum*, & addit col. 477. *certè qui currit, cùm ſolùm ambulare teneatur, plus facit, quàm ei imperatum ſit.* Atqui num & David implevit conſilia perfectionis, quorum promulgationem ad Novum Teſtamentum referunt & proinde Evangelica vocant? *Concedit, peccatis venialibus nos in hac vita aut nunquam aut rarò carere, illis interim non obſtantibus & juſtos eſſe & ſupererogationis opera nos facere poſſe.* col. 479. Atqui ſi peccata venialia ſunt peccata, erunt ἀνομία & transgreſſio legis, ſi quotidiè legem transgredimur, quomodò non ſolùm legem perfectè implemus, ſed & opera ſupererogationis præſtamus? Peccata illa, quorum remiſſionem quotidie ex præſcripto Chriſti petimus, ſunt & vocantur debita, ſi quotidie debita contrahimus, quomodo plus facere poſſumus, quàm debemus, cùm nunquam faciamus, quantum debemus? Aſſerit, *illam ſolummodo negligentiam à lege divina argui & maledici, quæ ſit gravis & ex fraude procedat*, col. 479. atqui judicium legis generale eſt: *Maledictus, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*; Expoſitio Chriſti diſerta eſt: *Non præteribit Iota unum aut unus apex de lege, donec omnia fiant.* Negat legem requirere omnes vires. col. 481. cùm tamen vox Legis diſertè jubeat Deum diligere ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus. Ac ne quid deſit abſurditatibus, ſtatuit *ab eo etiam Deum diligi ſuper omnia,*

qui

qui eum non tam ardenter amat, quàm fortaſſe poſſet, vel non faciat pro eo omnia quæ poſſet col. 482. cùm ſummus dilectionis gradus in lege divina manifeſtè ſit requiſitus.

Dicta Patrum. 92. Ex Patribus referenda hûc ea, quibus probant legem divinam eſſe perfectam omnium virtutum normam, eandem propter corruptionem Naturæ noſtræ in hac vita perfectè non poſſe impleri, fide coram Deo nos eſſe juſtos, operibus noſtris imperfectionem & infirmitates adhærere, peccati originalis reliquias in renatis hærere, renovationem in hac vita quotidie creſcere debere, nullam gloriandi coram Deo materiam nobis relictam eſſe &c. Iren. lib. 4. cap. 24. p. 250. *Filius Dei libertatem detulit his, qui legitimè & prono animo & toto corde Deo ſerviunt, contemtoribus autem & non ſubjectis Deo &c. fingentibus plus quam quæ dicta ſunt ſe obſervare, tanquam diligentiam ſuam ipſi etiam Deo præferentibus, intus autem plenis hypocriſi & cupiditate & omni malitia ſempiternam attulit perditionem.* Quid quod Thomas, Anshelmus & Gerſon in uſitata doctrina illorum temporum de Conſiliis quædam mitigarunt. Thomas ex collationibus Patrum citat dictum: Jejunia, vigiliæ, paupertas &c. non ſunt perfectio ſed perfectionis inſtrumenta, quia in ipſis non conſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa pervenitur ad finem. Anshelmus dicit unam ſolam veram religionem eſſe ſub uno ſupremo Abbate Chriſto, reliquas religiones vocat factitias, utpotè ab hominibus inſtitutas, ut remotis impedimentis veræ religioni vacari poſſit. Gerſon agnoſcit falſum eſſe, quod præcepta legis ordinata ſint ad virtutes ſub certa menſura & gradu, & quod ſupra eſt, ſub conſilio eſſe. Statuit autem conſilia verſari circa res, quæ ſunt inſtrumẽta promoventia, diſponentia & manuducentia, ut breviùs & faciliùs acquiratur perfectio.

Argumenta pro ſtabiliendis conſiliis Evangelicis. 93. Quibus verò argumentis conſilia Evangelica propugnat? Bellarm. lib. 2. de Monachis c. 9. 10. 11. & 12. quadruplicem ſtatuit argumentorum claſſem, primam deducit ex Scripturis, ſecundam ex primitivæ Eccleſiæ exemplis, tertiam ex teſtimoniis veterum, quartam ex rationibus. Quod ad primam claſſem ex dictis Scripturæ petitam attinet, fuit olim primum & potiſſimum fundamentum opinionis de conſiliis ſermo Domini in monte, cujus membra pleraq; finxerunt eſſe conſilia Evangelica, non autem mandata generalia; ſed Bellarminus ex cap. 5. Matthæi nullum producit argumentum, quin potiùs agnoſcit concionem Chriſti non ipſi legi morali, ſed Phariſaicæ legis depravationi oppoſitam eſſe. Alia

1. Eſ. 56. Sic dicit Dominus Eunuchis: Dabo eis nomen melius. igitur quærit in Scripturis ſubſidia. 1. Eſa. 56. v. 4. *Non dicat Eunuchus, ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint Sabbatha mea & elegerint quæ ego volui, & ſervaverint fœdus meum, dabo eis in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit.* Bellarminus notat, 1. hic *agi de continentibus voluntariis, non de abſciſſis vel ſic natis, cùm nulla ſit ratio, cur promittatur abſciſſis vel natis Eunuchis major gloria, quam ſit filiorum & filiarum DEI. 2. Continentiam hoc loco non imperari, ſed conſuli, cum electioni relinquatur. Qui elegerint quæ ego volui, i. e. qui tranſcendentes ea, quæ præcepi, accommodans me humanæ imbecillitati, ſponte ſua elegerint perfectiora, quæ ego cupio & vellem. 3. Continentiam verè meritoriam eſſe gloriæ ſingularis, cùm promittatur eis nomen æternum.* Reſp. Diſputatio de cœlibatu, an & quatenus conjugio præferendus ſit, ſuum alibi habebit locum, hac vice monemus 1. Argumentum eſſe à quæſtione alienum; quæritur enim de conſiliis Evangelicis in Novo demum Teſtamento à Chriſto editis ac promulgatis, cùm de Eunuchis Veteris Teſtamenti in allato dicto agatur. 2. Pervertitur verus dicti hujus ſcopus ac ſenſus. In V. T. magnæ felicitatis loco habebatur πολυτεκνία, contra verò opprobrium erat carere liberis Luc. 1. verſ. 25. Gloſſa ordinaria in Eſa. 56. allegat dictum quoddam: *Maledictus qui non reliquerit ſemen ſuper terram.* Rabini dicunt, *qui ſemen ex ſe non edit, habetur pro effuſore ſanguinum.* Quid, quod excluſi erant à publicis officiis. Deut. 23. v. 1. Prohibiti erant intrare Eccleſiam Domini ac propter promiſſionem: *ſemen tuum erit, ut ſtellæ cæli,* habebantur à numero filiorum Dei alieni. Propheta igitur proponit eis talem conſolationem, quòd ad fœdus gratiæ, à quo propter denegatam corporalem benedictionem excluſi videbantur, ipſis non minus pateat aditus quàm reliquis, modò adhæreant Domino: Eunuchi & ſteriles in populo Judaico contemtui habebantur, inde ejuſmodi cogitationibus ſe macerabant: Ecce ego lignum aridum, ſum inſtar arboris aridæ & infrugiferæ, non adhibeor ad publica munia, non gigno ſobolem, benedictio Abrahæ in me non cumpletur, nulla ſpes reſtat Meſſiæ ex genere meo naſcendi &c. vereor igitur, ne DEUS me tanquam inutile lignum abjiciat, nec inter heredes regni ſui ſcribat: his igitur dicit Dominus, *Qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum,* hoc eſt, qui veræ religioni & cultui divino ſeriò fuerint addicti, vitam ſuam ad legem & voluntatem meam conformaverint, nec vitâ impiâ fœdus meum violaverint, *illis dabo in domo mea & in muris meis locum & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit,* i. e. erunt mihi accepti & cari cives, quibus in Eccleſia & fœdere gratiæ dabo locum, quin & nomen melius præ illis, qui de carnali generatione præſumunt, ac propter nativitatem, externam ſpeciem & profeſſionem ſe eſſe Dei populum gloriantur, perinde ut Chriſtus dicit Matth. cap. 8. verſ. 11. *Multi ab oriente accumbent cum Abrahamo, filii autem regni ejicientur in tenebras;* & Johannes Baptiſta Matth. cap. 3. verſ. 9. *Ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abrahamum,* uti etiam Apoſtolus Roman. cap. 9. verſ. 7. *Non qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii.* 3. Hanc interpretationem confirmant antecedentia & conſequentia hujus loci. Præmittitur enim verſ. 3. conſolatio pro advenis ſive proſelytis, qui itidem prohibiti erant ingredi Eccleſiam Domini, id eſt, non committebantur eis publica officia, vereri igitur poterant, ne fortaſſè etiam ab aditu regni cœlorum excluderentur, cùm Abrahæ ſemini promiſſiones eſſent datæ, cumque inhumanius ab Iſraelitis tractarentur; illos igitur Propheta conſolatur his verbis: *Ne dicat filius advenæ, qui adhæret Domino,* id eſt, qui gentili impietate abjecta veram religionem amplectitur, & veræ pietati ſtudet; ne (inquam) advena dicat:

Sepa-

Separatione dividet me Dominus à populo ſuo, i.e. excluſus ero ab Eccleſia & communione cœleſtis regni. v. 5. *Filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum & diligant nomen ejus & ſint ei in ſervos &c. adducam in montem ſanctum meum, dabo illis locum in Eccleſia & lætificabo eos in domo orationis meæ.* Quemadmodum igitur advenis proponitur conſolatio, ita quoque Eunuchis, ac promittitur illis nomen melius, quàm reliquis, non propterea quia ſint advenæ vel Eunuchi, ſed ſi veræ pietati & ſanctitati ſtudeant. Hieron. in h.l. *Eunuchi, qui ſolliciti ſunt ad ea, quæ Dei ſunt, de quibus loquitur ſapientia: Eunuchus, qui non eſt operatus manu iniquitatem, nec cogitavit contra Dominum mala, talis accepturum ſe eſſe noverit in domo Domini, quæ eſt Eccleſia ejus, locum optimum.* Procopius h.l. *alienigenas primùm, deinde & Eunuchos conſolatur tanquam brevis jactura ſit, ſi ſanguinis nobilitate, prolisque fœcunditate deſtituantur, cùm divinorum bonorum perceptionem talia non impediant.* 4. In Bellarmini interpretatione multa deſiderari poſſunt. Negat de illis Eunuchis, qui tales ſunt vel ex utero matris nati, vel ex hominibus facti, locum hunc accipi poſſe, cùm nulla detur ratio, cur illis promittatur major gloria quàm ſit filiorum. Atqui rationem modò aſſignavimus, ſterilitas erat opprobrium in populo Iſraëlitico, inde ſteriles quantumvis pii contemtui erant expoſiti, conſolatione igitur erigendi erant. Gloſſ. ordin. & Lyranus non negant, de illis hoc dictum accipi poſſe, quamvis addant ad illos, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum ex parte referri poſſe. סָרִיסִים Sariſim, nomen peregrinum eſt, videlicet Ægyptium, quo is appellatus eſt, qui Regi à negotiis aulicis fuit, maximè autem curandis cubiculis, hinc vertitur *Eunuchus*, ſiquidem illi, qui Gynecæis præfuerunt, ut de fide continentiæ minùs ſuſpecti eſſent, caſtrabantur, nec tamen omnes illos ſpadones fuiſſe, ex Scripturis oſtendi poteſt. Quemadmodum igitur per advenam intelligitur is, qui Naturâ talis eſt, non voluntate, ita quoque per Eunuchum. Per *filios* & *filias* intelligit Bellarminus pios Iſraëlitas, ſed hoc non eſt perpetuum in Scripturis, ſæpiùs namque illi filiorum appellatione honorantur, qui ſecundùm carnem ſunt filii Abrahæ, quamvis ſint rebelles & inobœdientes. Gen. 6. v. 2. *Viderunt filii Dei filias hominum, quòd eſſent pulcræ & acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Eſ. 1. v. 4. *Væ filiis corruptoribus, dereliquerunt Jehovam.* Eſa. 30. v. 1. *Væ filiis declinantibus.* verſ. 9. *filii mendaces, qui noluerunt audire legem Jehovæ.* Matth. 8. v. 12. *filii regni ejicientur in tenebras exteriores* Luc. 18. v. 25. *Memento fili, quod accepiſti bona in vita tua.* Urget Bellarminus vocem *eligendi*, ex qua probare ſatagit non niſi de voluntaria continentia locum accipi poſſe, cùm electioni liberè relinquatur. Atqui infirmum hoc eſt fulcimentum, ſæpius enim jubemur eligere id, ad quod præcepto ſumus aſtricti. Joſ. 24. v. 15. *Si moleſtum eſt vobis ſervire Deo, eligite quos colatis.* Deut. 30. v. 19. *vitam & mortem propoſui tibi, eligas ergo vitam.* Pſal. 84. v. 11. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Pſ. 119. v. 30. *Viam veritatis elegi.* v. 173. *Mandata tua elegi &c.* Monet Bellarminus continentiam meritoriam eſſe ſingularis gloriæ, cùm promittatur ei æternum nomen. At ſi vel maximè Auguſtini interpretationem acceptemus, quòd in æterna quoq; vita futura ſit quædam prærogativa piorum cœlibum, qui ſe caſtrant propter regnum cœlorum, nondum tamen ex eo inferri poteſt aut debet, cœlibatum eſſe meritum vitæ æternæ, continentiam eſſe meritoriam ſingularis gloriæ, quod ipſi etiam Auguſtino improbatur, ſic enim ſcribit lib. de ſanct. virg. c. 40. *Etiam vos (virgines) gratiâ ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis extollatur.* cap. 48. *Etiam virginibus orandum eſt: Dimitte nobis debita noſtra, ut per hoc quod petunt, meminerint, quid ſint:* qua de re plura ſuo loco.

94. Secundum teſtimonium Scripturæ pro ſtabiliendis ſupererogationis operibus petit Bellarminus ex Sap. 3. v. 13. *Felix ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit torum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum & ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit contra Deum nequiſſima, dabitur enim ei fidei donum electum & ſors in templo Dei.* Per donum electum intelligit Bellarminus donum ſingulare, reſpondens ſpadonis voluntati. Reſp. 1. Liber ſapientiæ eſt extra Canonem. 2. Autor libri egerat de impia impiorum poſteritate, quod in illis qui progenerantur à parentibus impiis, præſertim extra conjugium, plerunq; peculiaria magnorum vitiorum ſemina inſint, ſterilem igitur hoc nomine prædicat felicem, ſicut aliàs dici ſolet, ἀπειρίαν eſſe bonum incognitum; deinde felices prædicat conjugatas, quæ non conſentiunt in cõcubitum illegitimum, ſed conjugalem caſtitatẽ fideliter ſervant, fore enim ut olim ſuæ caſtitatis præmia accipiant, cùm Deus ſanctorum hominum pietatem remunerabitur. Denique quia Eunuchi olim habebantur abſque benedictione, ideò addit, pro illis conſolationem, ſi non operentur per manus ſuas iniquitatem, nec cogitent adverſus Deum nequiſſima, fore ut detur illis fidei donum electum. Non ergò meritum aliquod cœlibatus deſcribit, ſed pietati & præmiis pietatis non obſtare cœlibatum oſtendit. 3. Hic igitur locus nequaquam ſtabilit meritum conſiliorum, ſed damnat illegitimas commixtiones; vere autem eſt dæmoniorum doctrina tales ſententias, in quibus inquinatio, impuritas, impudicitia damnatur, pro conjugio opponere. Hebr. 13. v. 4. vox ἀμίαντος de ipſo conjugio uſurpatur. 4. Adde quòd conſilia Evangelica N. T. propria non debeant ex V. T. probari.

2. Sap. 3. Felix ſterilis & incoinquinata &c.

95. Tertium teſtimonium habetur Matth. 13. v. 8 ubi Dominus comparat *regnum cœlorum*, id eſt, Eccleſiam *terræ bonæ, cujus una pars reddebat fructum centeſimum, alia ſexageſimum, alia triceſimum*, quod Cyprianus Auguſtinus & Hieronymus applicant ad conjugium, viduitatem & virginitatem. Si ergò continentia virginalis eſt magis meritoria, erit conſilium. Reſp. An & quatenus cœlibatus conjugio præferatur, ac quid de cœlibatu veteres ſenſerint, ſuo exponetur loco, hac vice reſpondemus. 1. Allegoriæ non præbent firma & apodictica argumenta, niſi applicatio ex ipſa Scriptura oſtendatur. 2. Sententia Chriſti generalis eſt de omnibus verbi auditoribus, quòd ſcilicet non fructificet æquali apud omnes ratione, alii enim pro ratione donorum, zeli & vocationis copioſiſſimum fructum afferunt, alii minus copioſum.

3. Matt. 13. Fructus alius centeſimus, alius ſexageſimus, alius triceſimus.

3. Res

3. Res ipſa non permittit, ut centeſimum fructum de virginitate, ſexageſimum de viduitate, triceſimum de conjugio accipiamus, quia dubium nullum, quin Patriarchæ in conjugio copioſiorem fructum attulerint, quàm multæ virgines, quæ tamen piè & caſtè vixerunt. 4. Scopus Chriſti in hac parabola non eſt, iſtos tres ſtatus conferre, ſicut 1. Cor. 7. ab Apoſtolo conferuntur, ſed oſtendere vult inter bonos verbi auditores, cujuscunque illi ſint ordinis, ſtatus & conditionis, alios aliis majores in pietatis ſtudio progreſſus facere, atque hinc etiam quosdam plus, quosdam minus ad Eccleſiæ ædificationem conferre. 5. De fructibus divini ſeminis, i. e. verbi cœleſtis propriè hîc agitur, jam verò virginitas, viduitas, conjugium propriè loquendo non ſunt fructus verbi, cùm verbum Dei omnes in aliquo horum ſtatuum inveniat. Gregor. homil. 17. in Ezech. *Fructum terra bona triginta affert, cùm mens perfectionem fidei, quæ eſt in Trinitate, conceperit: ſexaginta affert, cùm bonæ vitæ opera perfectè protulerit, centum verò affert, cùm ad æternæ vitæ contemplationem profecerit.* Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 144. *Illud, alius centum, alius ſexaginta, alius triginta, virginitatem & continentiam & matrimonium ſignificare poteſt. Poteſt etiam rurſum animæ inſtitutionem & corporis miniſterium & pecuniarum largitionem deſignare. Majus enim ac præſtantius eſt animæ ſalutem afferre, quàm per corpus miniſterium præſtare aut etiam pecunias largiri.* Hieron. refert ad tres illos vitæ ſtatus, ſed rationibus valdè infirmis adductus; ſic enim ſcribit Epiſt. 50. ad Pammach. Apolog. pro libris adverſus Jovinianum. *Triginta referuntur ad nuptias, quia & ipſa digitorum conjunctio q. molli oſculo ſe complexans & fœderans maritum pingit & conjugem. Sexaginta verò ad viduas, eò quod in anguſtia & tribulatione ſint poſitæ, unde & ſuperiori digito deprimuntur. Numerus centeſimus de ſiniſtra transfertur ad dextram & iiſdem quidē digitis, ſed non eadem manu, quibus in læva nuptiæ ſignificantur & viduæ, circulum faciens virginitatis exprimit coronam.* Ibidem addit, *Omnes penè Latinos & Græcos tractatores centeſimum numerum ad Martyres, ſexageſimum ad virgines, trigeſimum ad viduas referre,* juxta quorum ſententiam de bona terra & de patrisfamiliàs ſemine penitus excluduntur mariti & conjugatæ. ** Aug. de ſ. virg. cap 45. refert illam explicationem, qua per fructum centenum intelligitur virginitas ſed pro ſolita ſua modeſtia addit: *Quicquid ſignificet fœcunditatis illa diverſitas viderint qui hæc melius, quàm nos intelligunt, ſive virginalis vita in centeno fructu ſit, in ſexageno vidualis, in triceno autem conjugalis: ſive centena fertilitas Martyrio potius imputetur, ſexagena continentiæ, & tricena connubio: ſive virginitas accedente Martyrio centenum fructum impleat, ſola verò in ſexageno ſit, conjugati autem tricenū ferentes ad ſexagenum perveniant, ſi Martyres fuerint: ſive quod probabilius mihi videtur, quoniam divinæ gratiæ multa ſunt munera & eſt aliud alio majus ac melius, intelligendum eſt plura eſſe, quàm ut in tres differentias diſtribui poſſint, &c.***

† Matth. 19. *Quidam ſe caſtrant propter regnū cœlorum.*

96. Quartum teſtimonium habetur Matth. 19. v. 11. cùm Apoſtoli dixiſſent, *non expedit nubere*, reſpondet Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, v. 12. ſunt enim Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat.* Bellarm. monet 1. *non præceptum ſed conſilium hîc dari de continentia. 2. verborum Chriſti hunc eſſe ſenſum: verum dixiſtis quod nuptiæ non expediant, imò impediant potiùs, tamen hoc non intelligunt omnes. 3. Continentiam habere præmium in cœlo.* Reſp. 1. Rectè dicitur de cœlibatu non extare generale præceptum, ſed à perſonis idoneis continentiæ dono inſtructis hoc vitæ genus liberè eligi poſſe, quo ſenſu dicit Apoſt. 1. Cor. 7. v. 25 *de virginib. præceptum Domini non habeo, conſiliū autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino*, ſed per conſilium non intelligit Apoſtolus tale perfectionis conſilium, quod ſit ſupra Dei præcepta, & cujus obſervatione ſupererogationis opus præſtetur ac meritum quoddam aliis erogandum colligatur (hoc enim toti ſyſtemati doctrinæ Apoſtolicæ de Juſtificatione evidenter adverſatur) ſed in caſu dubio quid ſequendum & eligendum ſit, præſcribit, perinde ut Chriſtus hoc loco probat, ut qui poteſt capere capiat, hoc eſt, qui hoc dono à Deo inſtructus eſt, ut caſtè extra matrimonium ſine offendiculo vivere poſſit, is eo dono religioſè ad Eccleſiæ ædificationem utatur. Non ſancit univerſalem legem, ſed cuivis pro ratione donorum conſulit, ut eligat id, quod liberiori conſcientiâ ſe facere poſſe intelligit. In V. T. ſterilitas loco opprobrii habebatur, Chriſtus autem docet, non ſolùm liberum eſſe extra conjugium vivere, illis ſcilicet qui poſſunt capere & quibus datum eſt, ſed etiam quandoque utile, nimirum ſi id fiat, propter regnum cœlorum. Longè igitur alio ſenſu Bellarminus conſilii terminum accipit, quàm ab Apoſtolo uſurpatur. 2. Egregiè verò ſophiſticatur Bellarminus in perverſione hujus dicti, neque enim hoc vult Chriſtus, quòd non omnes intelligant, quantis moleſtiis liberi ſint, qui extra conjugium vivunt, cùm ipſi Apoſtoli paulò ante dixerint, ſi ad iſtum modum habet cauſa hominis cum uxore, non expedit matrimonium contrahere, cumque omnes gentilium libri pleni ſint deteſtationibus & obtrectationibus conjugii; ſed docet continentiam virginalem eſſe donum ſingulare, quod non ſit omnibus commune, ſic n. ſeipſum paulò pòſt exponit: *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*, non ſimpliciter negat, extra conjugium minori cum moleſtia vitā traduci poſſe, ſed poſt lapſum ita corruptam eſſe naturam humanam, ut non omnes ſint ad cœlibatum idonei, ſed iis tantùm quibus hoc cœlitùs peculiari privilegio datū eſt. χωρεῖν igitur hoc in loco non ſignificat idem quod intelligere, ſicut uſurpatur Joh. 8, 7. *Sermo meus ὀ χωρεῖ non habet locum in vobis*, nimirum propter incredulitatem, ſed capacem eſſe, ut ſit ſenſus, non omnibus peculiare illud continentiæ donum eſt datum. Hanc interpretationem evidenter comprobat Apoſtolus 1. Cor. 7, 7. *volo omnes eſſe ſicut meipſum, ſed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic*, ubi donum continentiæ virginalis refertur inter peculiaria illa & privata dona, de quib. non extat promiſſio, quod omnib. credentibus & petentib. Deus illa dare velit, ideò etiam illis qui uruntur, non ſuadet cœlibatum, ſed addit: *melius eſt nubere quam uri, ſi non continent, nubant: propter fornicationem habeat unusquisque uxorem ſuam.*

3. Ca-

3. Caſtrare ſe propter regnum cœlorum nequaquam ſignificat, cœlibatum hoc fine eligere, ut ſit ſatisfactio peccatorum maxima, & meritum vitæ æternæ, quæ opinio ex cœlibatu facit *doctrinam Dæmoniorum* 1. Timoth. 4. v. 1. ſed regnum cœlorum in ſcriptura ſignificat vel æternam beatitudinem vel miniſterium Evangelii & exercitia fidei, pœnitentiæ, pietatis, invocationis. Jam quid per regnum cœlorum in dicto Chriſti intelligendum ſit, exponit Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 32. *Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ domini ſunt, quomodo placeat Domino*, v. 33. *qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori*, hoc eſt, conjugium multa habet avocamenta, ideoque in perſonis idoneis continentiæ dono inſtructis cœlibatus commodior ad onera miniſterii & exercitia pietatis. *Conjugatus* (ait D. Lutherus) *in multa aliena à verbo negotia dividitur, non poteſt ſemper lectioni intendere, intereſſe communibus precibus, publicis congreſſibus &c. ſæpe a cogitationibus prima tabula diſtrahitur ad curas rei familiaris, cœlibes vero expeditius & liberius inſtare poſſunt verbo fidei & orationi die ac nocte*. Neque tamen abſolutè accipienda ſunt Apoſtoli verba, quaſi conjugati non poſſint curare ea quæ ſunt Domini; oſtendunt enim exempla Patriarcharum & Prophetarum, quòd non minùs quàm cœlibes ſoliciti fuerint de his quæ ſunt Domini: ſed comparatè, ut ipſe Apoſtolus ibidem exponit v. 26. *Exiſtimo hoc utile eſſe propter inſtantem neceſſitatem*. 4. Bellarminus hoc potiſſimum urget, quòd Veteres plerique regnum cœlorum de vita æterna accipiant, quod tamen ſententiam Pontificiorum de cœlibatu nondum comprobat. Vt n. prætermittamus querelam Eraſmi, quòd multi non propter regnum cœlorum, ſed propter cenſus Eccleſiaſticos pingues Præbendas & propter gloriam regnorum mundi ſeſe caſtrent, inſignis corruptela eſt dicti Chriſti, quòd caſtrare ſe propter regnum cœlorum ſit ſuſcipere cœlibatum hoc fine, ut plus ſupererogèt, quàm perfecta Legis obœdientia requirit, ut merita perfectionis ſibi & aliis cedant in remiſſionem peccatorum, ut ſatisfactionem pro peccatis præſtare & vitam æternam mereri poſſit, quod non ſolùm ſcripturæ, ſed ipſis etiam veteribus adverſatur, id verò volunt pii veteres, quando regnum cœlorum in dicto Chriſti accipiunt pro vita æterna. Regnum cœlorum ſive vita æterna communis erit omnibus ſanctis, & tamen ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita quoque in æterna vita futuram quandam prærogativam virginitatis præ conjugio, ſi enim donum præſtantius eſt, erit etiam præmium præſtantius. In quam ſententiam etiam D. Brentius exiſtimat, non incommodè Chriſti dictum accipi poſſe, cùm credentes totius pietatis & omnium actionum finem non conſtituant in hac tranſitoria vita, ſed reſpiciant ad futuram vitam, modò non aſſuatur, cœlibatum eſſe meritum vitæ æternæ, quod ipſum etiam Veteres improbant, ut ſuo loco pleniùs docebimus.

5. Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia.

97. Quintuin teſtimonium habetur in eodem capite 19. Matth. v. 21. ubi Chriſtus adoleſcenti dicit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo*. Bellarininus hoc ita explicat: *Si non es contentus vita æterna, ad quam per mandatorum obſervationem aſpirare potes, ſed deſideras excellentiorem gradum in vita æterna, vade, vende omnia.* Reſp. de paupertate Evangelica, itemque de abdicatione facultatum, quæ fit ſine vocatione & extra caſum neceſſitatis, latè tractat D. Chemnitius parte 2. locor. cap. de paupertate, qui de tota hac re lectorem pleniſſimè inſtruit, hac vice reſpondemus, juvenem hunc in Schola Phariſæorum inſtitutum eâ opinione fuiſſe faſcinatum, quòd externâ qualicunque obœdientia lex Dei impleri poſſit, unde gloriatur ſe à juventute omnia Dei mandata impleviſſe; quia verò erat adhuc juvenis nec ex contumacia, ſed ex ignorantia errabat, ideò amanter & placidè ipſum Chriſtus tractat, ac per indirectum ad veram erroris agnitionem & ſalutis viam ipſum adducere fatagit, quâ docendi ratione apud illos, qui ex errore inflati erant propriæ juſtitiæ opinione, Chriſtus ſæpiùs uſus eſt Luc. 10. v. 29. Marc. 12. v. 34. Ut ergò luculentâ experientiâ juvenis videat & agnoſcat, quàm falſò ſibi arroget perfectam legis impletionem, proponit illi notam, quâ ſe tentet & probet, quam procul adhuc abſit ab impletione mandatorum divinorum, de qua erat gloriatus. nimirum πειραςικὸν & ὑποθετικὸν eſt Chriſti reſponſum ad perſonam quærentis accommodatum. Si verum eſt, quòd gloriaris te ſervâſſe legem Dei à juventute, age vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Summa legis conſiſtit in dilectione Dei & proximi; jam verò dilectio Dei eſt, facere mandata ejus animo prompto ac parato, ut igitur teipſum probes, an ex toto corde DEUM diligas, en ego DEI filius ſpeciali mandato tibi injungo, ut propter DEUM facultates tuas relinquas, easque pauperibus diſtribuas, & Apoſtolorum exemplum ſecutus in Scholam meam te conferas, hâc nota agnoſces, an verè Deum & proximum diligas **Vade, ſequere me*, i.e. fias meus diſcipulus, & hinc inde annuncies regnum Dei, ſicut mei Apoſtoli omnia deſeruerunt, me ſecuti ſunt & regnum cœlorum aliis annunciarunt. Simile eſt huic, quod Luc. 9. v. 58. habetur de quodam ſpecialiter vocato, ut ſc. ſequatur & annunciet regnum Dei. Confirmatur hæc explicatio ex eo, quod Petrus ſubjicit. *Ecce nos te ſecuti ſumus***. Iren. lib. 4. cap. 26. circa finem: *Fortè non fecerat, nam utiq; non diceretur ei, cuſtodi præcepta, arguens Dominus cupiditatem ejus dixit ei, Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, &c.* Origenes ex Evangelio ſecundùm Hebræos locum illum ſic allegat: *Cùm juvenis audita ſententia Chriſti caput ſcalperet, dixit Chriſtus, quomodo feciſti legem & Prophetas, cùm ſcriptum ſit in lege, Diliges proximum tuum ſicut teipſum? Multi verò filii Abraham amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt multis bonis & non egreditur omninò aliquid ex eo ad eos*, & addit Origenes ſententiam eſſe: *Apparebit an impleveris mandatum dilectionis, ſi vendas omnia*. Hilar. in h. l. *Hunc ex lege inſolentem, ſolicitum de ſalute remiſit CHRISTUS ad legem, ut in ea ipſâ, in qua gloriaretur, intelligeret nihil ſe exinde recti operis feciſſe, verbis enim legis ei Dominus reſpondit, ſed adoleſcens tanquam populus inſolens & glorians in lege confidit, cui tamen obſecutus in nullo eſt*. Auguſt. lib. 13. conf. cap. 19. *Feci, ait adoleſcens, hæc omnia. Unde ergo tanta ſpina, ſi terra fructifera eſt? vade extirpa ſylvoſa dumeta avaritiæ, vende quæ poſſides, & imple te frugibus dando pauperibus & habebis theſaurum*

in cœ-

cœlo, *&c. ſed contriſtata eſt terra ſterilis, ſed ſpina ſuffocaverunt verbum.* Hieron. in cap. 19. Matth. & ex eo Thom. 2. 2. q. 189. art. 1. *Mentitur adoleſcens, ſi n. hoc quod poſitum eſt in mandatis, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, opere compleſſet, quomodo poſtea audiens, vade, vende qua habes, triſtis receſſit?* Ambroſ. lib. 8. in Luc. *Glorianti in lege quod à juventute ſua omnia cuſtodiviſſet, ut inanem jactantiam ejus exponeret, oſtendit ei adhuc deeſſe quod legis eſt, & ideò ad miſericordia præceptum triſtis inducitur, ut in eum naturalis quadam detur forma ſententia.* Quare ſi verba Chriſti, Vade, vende omnia, præſcribunt conſilium perfectionis, ſequetur. 1. Chriſtum approbâſſe hanc juvenis gloriationeio, quæ tamen erat falſiſſima, non ſolùm ex ſententia ſcripturæ, quæ docet, noo poſſe à nobis legem Dei in hac vita perfectè impleri, ſed etiam ex ipſa Pontificiorum ſententia, quippe qui concedunt ſine fide & agnitione Chriſti non poſſe impleri legem, quâ tamen Chriſti agnitione hic juvenis deſtituebatur. 2. Juvenem non peccâſſe huic mandato non obtemperando. Ita enim deſcribit conſilium ipſe Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 7. *Conſilium perfectionis eſt opus bonum à Chriſto non imperatum, ſed demonſtratum, non mandatum, ſed commendatum*; & paulò poſt: *Præceptum vi ſuâ obligat, conſilium in arbitrio hominis eſt poſitum.* Atqui graviſſimè peccavit hic juvenis verbis Chriſti non obtemperando, ut conſtat ex eo, quod poſt illius diſceſſum Chriſtus dicit: *quàm difficilè intrabit dives in regnum cœlorum.* Qui divitias magis amat quàm Chriſtum, graviſſimè peccat. Sed hic juvenis Chriſtum ſequi renuens, magis amavit divitias quàm Chriſtum ipſum. Ergò graviſſimè peccavit. 3. Vendere omnia, & pauperibus ea dare eſſe ſupra caritatem, cujus contrarium ſtatuit Apoſtolus. 1. Corinth. 13. v. 3. *Si omnia diſtribuam pauperibus, caritatem autem non habeam, nihil ſum.* Bellarminus huic explicationi noſtræ obvertit. 1. *Dominus intuitus hunc juvenem dilexit eum, jam verò CHRISTVS non diligit mendaces, Ergo verè implevit omnia mandata.* Reſp. Patres diſertè teſtantur hunc juvenem falsò de impletione mandatorum divinorum fuiſſe gloriatum, ab illis temerè hoc loco diſcedit Bellarmious, qui fateri cogitur, abſque fide & agnitione Chriſti non poſſe legem impleri. In argumento eſt fallacia cauſæ, non ideò hunc juvenem dilexit Chriſtus, quòd gloriationem ejus comprobaret, ſed quia ex ignorantia non ex malitia errabat & de via vitæ æternæ ſolicitus erat. 2. *Sicut ſervare mandata eſt medium ad vitam æternam omnibus hominibus: ita etiam vendere omnia eſt medium ad perfectionem omnibus hominibus.* Reſp. Lex Dei complectitur perfectam juſtitiæ regulam Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. ult. Prov. 30. v. 6. ſed ne ipſi quidem renati perfectam ei obœdientiam præſtant, vel ad perfectionem illam, quæ in plena mandatorum obſervatione conſiſtit, aſpirant, quantò minùs conſequi poterunt majorem perfectionem quàm quæ ad ſalutem eſt neceſſaria, ut Bellarminus loquitur, quâ de re plura ſuo loco. 3. *Petrus juvenem triſtem abiiſſe conſpicatus dicit: Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? cui interrogationi Chriſtus reſpondet: Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione ſedebitis, &c.* Ergo *præceptum de facultatum abdicatione non eſt ſpeciale.* Reſp. diſertè additur Marc. 10. v. 29. *propter Evangelium*, & Matth. 19. v. 29. *propter nomen meum*, illam igitur deſertionem Chriſtus probat, quando in perſecutione propter confeſſionem Evangelii eripiuntur facultates, vel quando Apoſtoli propter miniſterium peragrandi mundum & prædicandi Evangelium omnia relinquunt. Deſertioni facultatum additur ibidem deſertio uxoris, liberorum, parentum, &c. atqui deſertio uxoris, liberorum, parentum, &c. ſi fiat ſine vocatione noo eſt approbanda. Certum a. eſt, Petrum & Apoſtolos peculiarem habuiſſe vocationem; quid quòd promiſſio etiam hujus vitæ data eſt deſertioni illi, de quâ Chriſtus loquitur, recipiet centuplum in hac vita. Ergò non poteſt intelligi temeraria illa omnium abdicatio in perpetuum.

98. Sextum teſtimonium deducitur ex eòdem loco: *Dominus ad juvenem dicit: Sequere me, hac ſequela fuit conſilium, quia dicitur illi ſoli, qui vult perfectus eſſe & cui dictum eſt, vende qua habes.* Reſp. 1. hoc itidem fuit perſonale mandatum, quòd ſcilicet juvenis iſte relictis omnibus debeat Chriſtum ſequi, Apoſtolis ſociari, & in ſchola Chriſti ad Evangelii prædicationem præparari. Hoc ſenſu τὸ ſequi Chriſtum uſurpatur Matth. 9. v. 9. ubi Chriſtus videns Matthæum in telonio ſedentem, dicit ei, *ſequere me*, Matth. 19. v. 27. *nos relictis omnibus te ſecuti ſumus.* Marc. 9. v. 38. *Vidimus quendam ejicientem Dæmonia & non ſequitur nos.* Luc. 9. v. 59. *ſequere me*, & additur explicatio, *Vade & annuncia regnum Dei.* Hæc ſequela non eſt omnibus præſcripta; quod enim præcipitur adoleſcenti, id Luc. 9. v. 58. Scribæ prohibetur: & Marc. 5. v. 18. Dæmoniacus liberatus rogabat, ut eſſet cum Chriſto, ſed non admiſit eum, quin dicitur ei, *Vade in domum tuam.* Certum igitur eſt perſonalem vocationem deſcribi. Aug. 2. de conſ. Evang. cap. 63. *Sequere Dominum, ſi vis eſſe perfectus, eis ſociatus, inter quos loquitur ſapientiam ille, qui novit quid diſtribuat diei & noctis, ut noris & tu, ut fiant & tibi luminaria in firmamento.* 2. eſt autem adhuc alia quædam ſequela Chriſti, quam inſcitè Bellarmious cum priore confuodit, nimirum ea quæ omnibus omninò verè Chriſtianis neceſſaria eſt, quâ Chriſtum ſequimur credendo, piè vivendo & crucem patienter ferendo, de hac ſequela dicit Chriſtus Matth. 16. v. 24. & Luc. 9. v. 23. *Qui vult ad me venire, abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* 3. Bellarminus dicit, Chriſtum ſequi in hoc dicto accipi eodem de imitatione Chriſti, atqui omnibus piis ea neceſſaria eſt, nec conſulitur tantùm ſed præcipitur 1. Corinth. 11. v. 1. *Imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti.* Epheſ. 5. v. 1. *Eſtote imitatores Dei.* 1. Petr. 2. v. 21. *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, relinquens nobis exemplum ut ſequamur veſtigia ejus.* Auguſt. 8. de civitat. Dei cap. 17. *Summa religionis Chriſtiana eſt imitari eum quem colis.* Paulinus Epiſt. 2. ad Sulp. *Quantum ſit Chriſtum ſequi potes de Apoſtoli ſententia colligere, quâ ait: Qui dicit ſe Chriſtum ſequi, debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare. Quomodo autem ambulaverit Chriſtus, docet alius Magiſter: Qui peccatum, inquit, non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, qui cum*

6. Matth. 19. Sequere me.

maledicceretur, non maledixit: tradebat autem ſe ad mortem judicanti injuſtè. Sed & ipſius actione & preceptis ſcire poſſumus, quomodo ambulaverit, ut vitam ſuam nobis in formulam & ſpeculum vitæ proponeret. Bernhard. ſerm. 21. in Cant. Col. 550. *Volunt omnes Chriſto frui, at non imitari: non curant quærere, quem tamen deſiderant invenire, cupiunt conſequi, ſed non ſequi.* 4. abnegare ſeipſum non eſt accommodare ſe alterius judicio & voluntati, ex quo cœcam illam obœdientiam (ut in Regulis ordinis Jeſuitici vocatur) deducunt, ſed eſt renunciare proprio honori, proprio amori, propriæ voluntati, concupiſcentiis carnis reſiſtere, Spiritus impulſum ſequi, divinæ voluntati ſe reverenter ſubmittere. 5. Fatetur Bellarminus agi hic de obœdientia, quæ neceſſariò debetur Deo, cur ergo inter perfectionis conſilia eam refert? at deducitur (ait) ex hoc loco conſilium religioſæ obœdientiæ, cùm ſit alia Chriſti ſequela omnibus Chriſtianis communis, alia quæ ſolis illis conſulitur, qui volunt eſſe perfecti; ſed hac ratione petitur principium, quæritur enim, an præter generalem illam ſequelam detur ſpecialis in conſiliis Evangelicis poſita.

7. 1 Cor. 7 proponitur conſilium continentia.

99. Septimum teſtimonium petitur ex 1. Cor. 7. ubi multis modis proponitur conſilium continentiæ. *Bonum eſt homini mulierem non tangere. Bonum eſt homini ſic eſſe. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem, &c.* Reſp. D. Apoſtolus de ineundo conjugio vel ſervando cœlibatu aliquod præceptum, quod omnes obliget, ſe habere negat, pro conditione igitur & diverſitate perſonarum ac pro ratione temporum dicit dare ſe conſilium, ut quiſque eligat, quod ſibi juxta menſuram collati à Deo doni ad curſum pietatis & conſcientiæ tranquillitatem utile eſſe viderit, perinde ut Chriſtus dicit: Qui poteſt capere capiat. Nequaquam verò Apoſtoli inſtitutum eſt præſcribere opera ſupererogationis, quæ ſint Deo magis grata & vitæ æternæ meritoria, quam quæ fiunt juxta Decalogi normam, quæque propoſita ſint illis, qui contenti eſſe nolunt præceptorum obſervatione, ſed perfectiorem & abundantiorem juſtitiam deſiderant, quâ ratione conſilium ſuum præcepto Domini antetuliſſet, quod evidentiſſimis Apoſtoli pronunciatis disertè adverſatur, nec noſtris conjecturis liberum permiſit, quo reſpectu & ſenſu cœlibatum conjugio præferat, ſed mentem ſuam clariſſimè expoſuit v. 16. *Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem*, per quam Interpretes quidam intelligunt, quia in exordio naſcentis Eccleſiæ non inveniebantur tot Chriſtiani, cum quibus matrimonium contrahere poſſent, ideoque cogebantur cum infidelibus conjungi, ideò propter talem neceſſitatem potiùs ſuaderi cœlibatum; alii commodiùs referunt ad pericula illa ejectionum, proſcriptionum, ſpoliationum, vinculorum & omnis generis perſecutionum, quibus in tanto Ethnicorum & Judæorum odio Chriſtiani erant ſubjecti, in tali neceſſitate dicit cœlibatum expeditiorem eſſe ad ferenda onera exilii & perſecutionis. Deinde præfert cœlibatum propter moleſtias & difficultates conjugii verſ. 28. *tribulationem carnis patientur hujuſmodi, ego verò vobis parco.* Certum eſt in cohabitatione cum conjuge vel infideli vel non ſatis ſtudioſa pietatis, in educatione liberorum, in gubernatione familiæ, in paranda re familiari &c. multa obtingere, quæ ferenda, diſſimulanda & toleranda, à qua ſolicitudine & moleſtia cœlibes ſunt liberi. Denique quia cœlibes liberiùs & expeditiùs exercitiis pietatis ſine avocamentis hujus vitæ incumbere poſſunt, cùm conjugati in multa aliena negotia diſtrahantur verſ. 32. 34. 35. ideò etiam hoc ſenſu ac reſpectu cœlibatus conjugio ab Apoſtolo præfertur. Ex quibus omnibus apparet, quando Apoſtolus dicit, cœlibes beatiores eſſe ac meliùs facere quàm conjugatos, ipſum nequaquam hoc velle, quòd in articulo Juſtificationis ſint coram Deo acceptiores & magis mereantur vitam æternam, vel quod opus faciant meliùs ac præſtantiùs, quàm ſunt illa, quæ in lege præſcripta, ſed pro ratione temporum ac diverſitate perſonarum conſilium dat Corinthiis hoc nomine per literas ab ipſis compellatus. Bellarminus huic explicationi noſtræ ex ipſis textus viſceribus petitæ multa opponit. 1. *Apoſtolus hoc loco hortatur ad continentiam, eamque conjugio præfert.* Reſp. in illis, qui ſpeciali continentiæ dono ſunt inſtructi, v. 7. *Unuſquiſque proprium habet donum, alius ſic, alius verò ſic*, v. 17. *unicuique ſicut diviſit Dominus, unumquemque ſicut vocavit Dominus, ita ambulat.* Quòd ſi qui dono illo deſtituti πύρωσιν ſentiant, illos non hortatur ad cœlibatum, ſed *melius* illis eſſe dicit *nubere, quàm* extra conjugium *uri*, v. 9. Laudat igitur cœlibatum, ſed omnes indiſtinctè ad illum ſuſcipiendum nequaquam hortatur. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*, dicit v. 1. ſed ſtatim addit; *propter fornicationem habeat unuſquiſque uxorem ſuam & unaquæque habeat virum ſuum*, v. 2. *Volo omnes eſſe, ſicut meipſum* dicit v. 7. ſed ſtatim addit, *unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* *Bonum eſſe viduis & non nuptis, ſi ſic permanſerint* dicit v. 8. ſed ſtatim addit, *quòd ſi non continent ſe, nubant* v. 9. *Bonum eſſe virginibus ſic permanere* dicit v. 26. ſed ſtatim addit v. 28. *ſi nupſerit virgo, non peccavit. Mulierem innuptam cogitare* dicit *quæ ſunt Domini* v. 34. ſed ſtatim addit, *hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam* v. 35. apparet igitur Apoſtolum probare quidem cœlibatum, ſed nonniſi in perſonis idoneis, nec indiſtinctè ad illum quoſvis hortari. 2. *Si ita difficile eſt continere, Paulus ineptiſſimus, qui rem impoſſibilem tantoperè laudavit.* Reſp. quibuſdam non ſolùm difficilis, ſed etiam impoſſibilis eſt continentia, videlicet illis qui dono illo divinitùs non ſunt inſtructi; viciſſim quibuſdam non ſolùm poſſibilis, ſed & facilis eſt continentia, videlic. dono illo inſtructis. Proinde non omnibus indiſtinctè præſcribit Apoſtolus cœlibatum, ſed illos qui non continent matrimonium inire jubet v. 9. Cùm donum continentiæ non ſit omnibus ita commune, ut quicunque cœlibatum elegerit, illud obtinere poſſit, *at non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt*, dicit Chriſtus Matth. 19. v. 11. *Vnusquiſque donum ſuum habet ex Deo*, dicit Apoſtolus v. 7. 3. *Apoſtolus non ſolùm de illis loquitur, qui donum continentiæ habent, ſed abſolutè dicit, bonum eſſe homini mulierem non tangere, etſi omnes non habeant donum hoc, tamen omnes poſſunt habere ſi à Deo petant, & proinde omnibus poteſt convenire conſilium*

Pauli,

Pauli, cùm abſurdum ſit, de illis dari conſilium quæ non ſunt in noſtra poteſtate. Reſp. idem qui dixerat, bonum eſſe homini mulierem non tangere ſubjungit, illis qui uruntur, melius eſſe nubere quàm uri. Idem qui optaverat omnes eſſe ſicut ipſe erat, ſubjungit unumquemque proprium donum ex Deo habere. Conſilium illud de eligendo cœlibatu non pertinet abſolutè ad omnes, cùm manifeſtiſſimè quidam excipiantur, videlicet qui non continent, quibus non præſcribit Apoſtolus precum, laborum & jejuniorum exercitia, ſed conjugii remedium divinitùs inſtitutum. Quinimò ne ipſis quidem virginibus, hoc eſt illis qui dono continentiæ inſtructi caſtè extra conjugium vivere poſſunt, laqueum injicere vult Apoſtolus, ac præcepto quodam ad cœlibatum eos aſtringere, ſed disertè addit, præceptum Domini de illis haud extare, ideoque ne illos quidem peccare, ſi matrimonium ineant. Porrò quòd ad preces attinet, per quas ab omnibus, qui cælibatum eligant, donum continentiæ impetrari poſſe. Bellarminus ſtatuit, ſciendum, quòd dona Dei, quæ fidelibus largitur, ſint duplicia: quædam generalia omnibus piis communia & neceſſaria, qualia ſunt fides, ſpes, charitas, donatiu Spiritus ſancti, &c. de his loquuntur generales promiſſiones, quicquid petieritis, dabitur vobis: quædam v. ſunt peculiaria & privata de quibus non extat promiſſio, quòd Deus velit illa omnibus & ſingulis dare, cùm non ſint ad ſalutem omnibus neceſſaria, Rom. 12. v. 6. *Habemus dona ſecundum gratiam, quæ nobis data eſt differentia.* 1. Corinth. 12. v. 4. *diviſiones donorum ſunt*, inter hæc referendum eſt continentiæ donum, de quo nec mandatum, nec promiſſio extat, quòd Deus omnibus petentibus dare velit, quodque ad ſalutem non eſt ſimpliciter neceſſarium. 4. *Donum continentiæ conjugalis à Deo poteſt impetrari precibus. Ergo etiam continentia virginalis.* Reſp. eſt diſpar ratio: quisquis in matrimonio ægrotante vel abſente alterutro conjuge πύρωσιν ſentit, is à Deo ipſo ad continentiam ſe vocari ſtatuat, ideoque preces ejus niti poſſunt fundamento divinarum promiſſionum, vult enim Deus conjugium eſſe indiſſolubilem unius maris ac unius fœminæ conjunctionem, nuſpiam verò talis vocatio vel promiſſio extat, quâ omnibus, qui cœlibatum eligunt, continentiæ donum ſit promiſſum, quinimò illis, qui non continent, matrimonium ſuadet Apoſtolus, & addit generalem regulam, *Vnicuique ſicut diviſit dominus, unumquemque ſicut vocavit Dominus, ita ambulet.* 5. *Verba Dei, Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, & Apoſtoli, Bonum eſt homini mulierem non tangere*, hoc modo conciliat Bellarminus, *quòd Deus loquatur de bono ſpeciei, Apoſtolus de bono individui.* Item, *quòd Deus loquatur pro eo tempore quo mundus erat vacuus, Apoſtolus pro eo, quo mundus eſt plenus.* Item, *quòd Deus loquatur de bono quod refertur ad vitam temporalem, Apoſtolus de bono, quod referatur ad vitam æternam.* Reſp. rectè dicitur verba DEI accipienda eſſe de bono ſpeciei, verba Apoſtoli de bono individui, modò idipſum rectè explicetur, nimirum non de omnibus individuis, ſed de illis qui peculiari Dei dono à communi hominum conditione ſunt excepti, in reliquis ac per reliquos bonum ſpeciei conſervatur. Nec multiplicatio humani generis tollit bonum propagationis, bonum adjutorii, bonum Sacramenti, quæ ſunt tria conjugii bona, ad quæ acceſſit etiam illud, quòd poſt lapſum ſit infirmæ Naturæ, & ad peccatum pronæ remedium. Quo ſenſu concedi poſſit, bonum cœlibatus referri ad vitam æternam, ſuperiùs expoſitum eſt, & ſuo locò latius exponetur; certè pium conjugium, in quo uterque conjugium veræ & ſinceræ pietati ſtudet, eſt ſchola multarum virtutum fidei, ſpei, caritatis, patientiæ &c. nec ſolùm in adminiſtratione œconomiæ, in educatione liberorum, in paranda & conſervanda re familiari, ſed etiam in precibus & aliis pietatis exercitiis pii conjuges ſibi invicem adjumento eſſe poſſunt.

100. Octavum teſtimonium habetur 1. Cor. 9. ubi Apoſtolus oſtendit, *ſe plus feciſſe quam præceptum ſibi erat & propterea ſingularem gloriam apud Deum meruiſſe, cùm maluerit gratis Evangelium prædicare, & ſic facere opus ſupererogationis, quam ex Evangelio vivere.* Reſp. 1. Abſit hoc à Chriſti Apoſtolo, ut glorietur coram Dei judicio ſe plura & præſtantiora opera fuiſſe, quàm Deus in lege ſua præſcripſerit, ac propterea ſingularem gloriam apud Deum meruiſſe, quin potiùs *omnem gloriationem per legem fidei excluſam eſſe* dicit Rom. 3. v. 27. ne ipſi quidem Abrahæ gloriandi materiam relictam eſſe oſtendit Rom. 4. v. 2. *legem eſſe ſpiritualem, ſe v. carnalem, & ſub peccatum venundatum, in ſeſe habitare peccatum, legem in membris repugnare legi mentis &c.* conqueritur Rom. 7. v. 14. 17. 23. in teſtimonio bonæ conſcientiæ laudem juſtitiæ, quæ coram Deo valet ſe quærere negat. 1. Cor. 4. v. 4. in articulo Juſtificationis coram Dei judicio omnia ſua opera ſe exiſtimare ſtercora, ut inveniatur in Chriſto habens non ſuam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed quæ ex fide Chriſti eſt, disertè pronunciat Philip. 3. v. 8. & 9. quæ omnia quâ tandem ſpecie cum opinione de meritis ſupererogationis conciliari poſſunt? Ergò non exiſtimandum eſt, quod Apoſtolus hoc ſuum factum collocet ultra & ſupra mandata Dei, ſed recitatis mandatis ſuæ vocationis, quæ ſunt, non abuti ſuâ poteſtate, non remorari curſum Evangelii, non dare offendiculum Evangelio, omnia fieri omnibus, ut multi lucrifiant Chriſto &c. ſubjungit, ſe ideò non accepiſſe ſumtus à Corinthiis, ne contra vocationis ſuæ mandata ageret, accipiendo ſtipendium à Corinthiis offendiculum Evangelio dediſſet, quò minùs plures Chriſto lucrifierent. 2. Cor. 11. v. 12. *Hoc facio & faciam, ut occaſionem amputem illis qui quærunt occaſionem.* Liberum eſt miniſtris Eccleſiæ accipere ſtipendium vel non accipere, hâc ſuâ poteſtate Paulus uti noluit, non ut opus aliquod ſupererogationis faceret, qui coram Deo gloriari & ſingularem quandam in vita æterna gloriam promereri poſſet, (qualis enim hæc foret gloriatio de ſupererogatione; à Corinthiis, quibus miniſtrabat, non accipere ſumtus & *alias Eccleſias*, quibus tunc non prædicabat, *deprædari*, ut ipſe loquitur 2. Corinth. 11. v. 8.) ſed ne quod offendiculum daret profectui Evangelii, & ut Pſeudoapoſtolorum gloriationem excluderet. 2. Cor.

§ 1. Cor. 9. Apoſtolus plus fecit, quam præceptum ipſi erat.

11. verſ. 11. *Hoc facio, ut in quo glorianiur, inveniantur ſicut & nos.* 2. Cor. 12. v. 11. *Nihil minus fui ab illis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.* v. 13. *quid eſt enim, quod minus habuiſtis præ cæteris Eccleſiis, niſi quod ego ipſe non gravavi vos?* verſ. 14. *Ecce tertiò paratus ſum venire ad vos & non ero gravis vobis, non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos.* v. 16. *Eſto, ego vos non gravavi, ſed cùm eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* 1. Corinth. 9. v. 18. *Quæ eſt ergò merces mea, ut Evangelium prædicans ſine ſumtu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio,* verſ. 19. *cùm liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem.* Ambroſius in 2. Corinth. 11. *Duabus ex cauſſis oblatos ſumtus refutavit, ne & Pſeudoapoſtolis ſimilis inveniretur, qui non ad gloriam Dei, ſed ad ſuam utilitatem prædicabant, ut non occaſionem acciperent deprædandi. Alio enim non accipiente non poteſt alter multùm expetere & ne vigor Evangelicæ poteſtatis torpeſceret. Qui enim à peccantibus accipit, arguendi autoritatem amittit.* Et poſtea. *Sicut à Corinthiis accipiendum non erat, ne illis in ſcandalum proficeret, ſic igitur à Macedonibus accipiendum erat, ne benè ſeminantes fructum amitterent.* Huic explicationi obvertit Bellarminus 1. *Per gloriam, quam ſibi Apoſtolus tribuit, intelligi gloriationem coram Deo, non autem coram hominibus.* Reſp. Imò verò in articulo Juſtificationis omnis gloriatio coram Deo excluſa eſt Rom. 3. v. 27. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Eph. 2. v. 9. *Ne glorietur in conſpectu Dei omnis caro.* 1. Cor. 1. v. 29. alia v. eſt gloria bonæ conſcientiæ, de qua dicitur 2. Cor. 1. v. 12. *Gloriatio noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* & Act. 24. v. 16. *Studeo ſine offendiculo conſcientiam habere ad Deum & ad homines ſemper.* E. de gloriatione bonæ conſcientiæ loquitur Apoſtolus, non de gloriatione meritorum vel operum ſupererogationis 1. Corinth. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus.* 2. *Apoſtolus expectat mercedem à Deo pro hoc indebito opere.* Reſponſ. Eſt *merces ſecundum gratiam & eſt merces ſecundùm debitum* Romanor. 4. verſ. 4. largiſſimam omnino mercedem retribuet Deus Apoſtolo, nimirum ex gratia, non autem ex debito ac merito. 3. *Licitũ eſt miniſtro vivere ex ſumptibus populi, Ergò Paulus recuſando opus ſupererogationis præſtitit.* Reſp. Poſuiſſet hac ratione offendiculum Evangelio & occaſionem gloriandi Pſeudoapoſtolis dediſſet, poteſtate igitur ſuâ uti noluit, ſed ad ædificationem Eccleſiæ magis reſpexit. 1. Cor. 10. v. 33. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* 1. Corinth. 9. verſ. 12. *Non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia toleramus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.* verſ. 15. *Bonum eſt mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet.* Ambroſius in hunc locum. *Dum occultum prodidit ſenſum, oſtendit enim ſumtus ideò ſe nolle cùm liceret accipere, ne vigor Evangelicæ autoritatis torpeſceret. Pſeudoapoſtoli enim peccantibus blandiebantur volentes accipere; ita ut non ſibi viderentur peccare illis ſubjecti, ſed quoniã hæc res erat contra Evangelicã diſciplinam, hic non vult accipere, ut liberè arguat, ne ſit illorum numero inveniatur. Ut enim regula Chriſtiana jus maneret, licita illicita fecit, quia illi per licentiam offendebant.* 4. *Paulus non abſtinuit ab accipiendis ſumtibus propter Pſeudoapoſtolos, ſed ne gravaret populos.* Reſp. Subordinata non ſunt ſibi invicem opponenda, priùs diſertis verbis teſtatur 2. Cor. 11. v. 11. *Hoc facio ut amputem occaſionem illis qui quærunt occaſionem, ut in quo glorientur, inveniantur ſicut & nos.* 5. *Abuti eſt valde ut poteſtate offendiculum ponere Evangelio eſt retardare Evangelii curſum, utrumque Apoſtolus abſq; peccato facere potuiſſet, Ergo id cavendo opus ſupererogationis præſtitit.* Reſp. Imò verò quilibet tenetur Deo ſervire juxta omnes facultates & vires, quas Deus ipſi largitus eſt, Matth. 25. v. 14. Luc. 12. v. 48. ergò ſi cum offendiculo & retardatione curſus Evangelici Apoſtolus poteſtate ſuâ uſus eſſet, nondum ex omnibus viribus Deo ſervirſſet. Ambroſ. in 1. Cor. 9. *Oſtendit licere ſibi ſumtus accipere, ſed non expedire propter ſalutem fratrum ut corrigantur. Forma ergò vult eſſe cæteris, ut ubi vident non expedire, etiam licitis non utantur: ſi quo minus, de licito fient rei, quod ſic ſumunt, ut ad detrimentum proficiant.*

101. Nonum teſtimonium petitur ex Apoc. 14 ubi virgines ſingulare habent præmium. *Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt & ſequuntur agnum quocunque ierit.* Reſp. 1. Non ſoli cœlibes nomen Chriſti & Patris cœleſtis in frontibus ſcriptum gerunt, cùm omnes ſervi Dei eo ſignentur, Apoc. 7. v. 3. nec ſoli cœlibes emti ſunt de terra, ſed omnes pii caro precio emti ſunt 1. Cor. 6. v. 20. nec ſoli cœlibes ſed etiam pii conjugati ſtabunt aliquando in conſpectu Dei coram throno agni, E. canticum illud non ſolis virginibus ſed omnibus electis commune erit. 2. Appellatio virginum metaphorica eſt, quâ juxta uſitatam Scripturæ phraſin denotantur verè pii, quorum conſcientia non eſt commaculata vel idololatricâ doctrina, vel impiis cultibus vel peccatis contra conſcientiam, ſed caſtam ſervant Chriſto fidem à Diaboli, mundi & carnis adulterinis complexibus abſtinentes, Sic Eccleſia Iſraëlitica ſæpè vocatur virgo Eſ. 37. v. 22. c. 47. v. 1. Jerem. 18. v. 13. Amoſ. 5. v. 2. regnum cœlorum comparatur virginibus Mat. 25. v. 1. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto* dicit Apoſtolus 2. Cor. 11. v. 2. & in hoc ipſo c. 14. Ap. v. 8. virginibus opponuntur illi, qui cum meretrice Babylonica ſpiritualiter ſcortati ſunt. Sic Phariſæos & Scribas vocat Chriſtus *generationem adulteram* Mat. 12. v. 38. quod in Prophetis paſſim uſitatum. 3. Si per virgines hoc in loco intelliguntur cœlibes, ſequetur omnes illos, qui in conjugio vivunt, eſſe cum mulieribus inquinatos, ita enim poſtulat lex oppoſitionis. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt*; Atqui de conjugio diſertè hoc negatur Hebr. 13. v. 4. τίμιος ὁ γάμος καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. ** Bellarm. l. 2 de Monach. c. 6. *Calvinus dicit, nos pollutionem vocare conjugium, quod Deus inſtituit. Mendacium eſt, nos enim quod Deus inſtituit, vocamus Sacramentum & magnum Sacramentum cum Paulo, non pollutionem. At concupiſcentiam & membrorum inobœdientiam, quã Deus nõ inſtituit & ſine qua tamẽ non conſummatur conjugium, vocamus pollutionem & morbum, qui non peccatum ſit ſed ex peccato natus ſit* **. 4. Si quis cum Auguſtino & aliis veteribus hunc textum

9. Apoc. 14. *Virgines ſequuntur agnum, quocunque ierit.*

tum ad prærogativam doni virginitatis referre voluerit, modò non fiat cum contumelia conjugii, nec fabricetur inde meritum vitæ æternæ, non contendemus, ait Chemnitius parte 2. loc. p. 507. Bellarminus explicationi noſtræ hîc obvertit. *paucos quoſdam fuiſſe iſtos virgines comparatione facta cum numero illo Sanctorum, qui non poterat numerari.* Apoc. 7. *Ergò intelligendos eſſe cœlibes.* Reſp. ** Obſerva c. 7. eundem numerum adhiberi pro tota Eccleſia ſignificanda. ** Numerus certus pro incerto ponitur uſitatâ Scripturæ phraſi. Aſcribemus verba Franſciſci Lambert. qui in tract. de ſacro conjugio poſit. 5. in hunc locum ſic commentatur. *Qualitercunque prædicta intelligi oporteat ſcimus primum Apocalypſin myſteriis plenam eſſe, demum quæ ferè de iſtis dicũtur, de omnibus ſincerè credentibus etiam accipi. Tantum id peculiare habent, quod ſoli ipſi præclarum illud canticum pſallunt, quodque non ſunt cũ mulieribus coinquinati: ſed qui ſpecialiter agnovit qui iſti ſint? ſoli namque Deo & quibus ipſe revelare dignatur, noti ſunt. Porro canticum illud indubie laus Chriſti eſt, quam ſi excellentius habẽt, & dum opus eſt, perfectius nunciant, qui Chriſti gloriam magis agnoſcunt: Omnes ergo fideles dum Chriſti gloriam ſicut acceperunt, oportunè pronunciant, canticum novum cantant, quod ſi ita eſt, nihil peculiare prædictis videtur fuiſſe conceſſum? Quod ergò erit illud canticum novum? certe quiddam reſpectu aliorum præcellens, novumque eſt, dum in eis operante Dei Spiritu præ cæteris & corde pſallunt & Chriſti verba pronunciant: ſunt enim hi centum quadraginta quatuor millia quidam, in quibus Spiritus ſanctus perfectius exprimit imaginem Chriſti, qui ſcilicet Chriſtum præ aliis imitantur, & illius cognitionem plenius ſunt aſſecuti, unde & eminentius ejus magnalia narrant, habent quoque id muneris à Deo, quod cum mulieribus non ſint coinquinati, virgines enim ſunt. Eſſe virgines, eſt cum altero ſexu minimè pollui, porro non ſolùm externo opere, ſed etiam reprobâ animi concupiſcentiâ quis polluitur docente Chriſto* Matt. 5. *verum non omnes, qui generationem concupiſcunt aut ipſi generationi inſerviunt, inquinantur, ſed illi tantum, qui contra Dei juſſionem idipſum cupiunt aut faciunt, alioqui thorus nunquam foret immaculatus. Incoinquinati abſq; dubio fuerunt plurimi conjugati, quorum thorum Spiritus Dei fecit immaculatum &c. Denique tametſi plurimorum thorus aliquando ſit incoinquinatus, eſt tamẽ quandoque inquinatus. Deus enim donat quibuſdam, ut nunquam aliud velint, quam quod deceat honeſtatem conjugii, horum thorus ſemper eſt impollutus, aliorum v. nequaquam, quamvis conjuges ſint: quibuſdam etiam ſic perpetuæ virginitatis tribuit donum, ut nunquam in alterius ſexus concupiſcentia vivant, quales hos centum quadraginta quatuor millia eſſe confidimus, per quos etiam intelligi eos, qui nunquam violarunt caſtitatem conjugii, non abnegamus.* Hæc Lambertus, de quibus liberum lectori permittimus judicium. In Eccleſia Romana legitur hæc pericope Evangelica in Feſto innocentium puerorum ab Herode interfectorum, cùm illi, qui agnum ſequuntur, primitiæ Dei & agni dicantur.

Exempla primitivæ Eccleſiæ.

102. Alteram argumentorum claſſem pro ſtabiliendis conſiliis Evangelicis deſumit Bellarminus ex primitivæ Eccleſiæ exemplis. Act. 4. *Conferũt facultates in cõmune.* Act. 21. *Philipp. habuit quatuor filias virgines. Philo & Juſtinus multorum cœlibatum commemorant.* Reſ. Cœlibatum in perſonis idoneis nequaquam improbamus, cujus admirationi quid cauſam dederit, ſuo loco tractabitur. Suſcepta fuit ab Apoſtolis communio non propter opus quoddam ſupererogationis, ſed propter pericula perſecutionum, ut inſtitutũ indifferens & temporale, non perpetuum, nec inter gentes tale quid ab Apoſtolis inſtitutum, ut apparet ex 2. Corinth. 8. v. 13. & c. 9. v. 7. 1. Cor. 16. v. 2. 1. Tim. 6. v. 17. 1. Joh. 3. v. 17. Vide Chemn. part. 2. Loc. c. de paupert. p. 400. De filiabus Philippi incertum eſt, an omnes in virginitate conſenuerint. Clemens Alexandr. l. 3. Stromat. p. 210. *Petrus & Philippus filios procrearunt. Philippus etiam filias viris tradidit.* Et ſanè conſenuerint Philippi filiæ in virginitate, num ex eo colligendum, quòd opus ſupererogationis ex cœlibatu fecerint. ** Illud tanquam ſingulare cõmemorat Lucas, quod hæ virgines fuerint Prophetantes quæ ſcilicet idem Prophetabant cum ſeptem Diſcipulis & Agabo, Paulum tradendum eſſe gentibus Euſeb. l. 3. c. 30. duas nuptui datas ſcribit c. 31. addit, duas in virg. conſenuiſſe. **

Dicta Patrum

103. Tertiam argumentorum claſſem petit Bellarm. ex dictis Patrum. Reſp. 1. Probationis hoc genus eſt ſecundarium. ** Et inſuper quãdo Veteres ſupererogationis mentionem faciunt, non hoc volunt, quod officium præſtari poſſit ultra legem moralem integram, ſed q; *ſit vel ultra partem negativam.* Chryſoſt. Hom. 8. in 4. c. ad Rom. *vel ultra actus extremos* Id. hõ. 3. in 1. Cor. *uter vel uls: a utrum aliquod mandatum.* Aug. ſerm. 18. de verb. Apoſt. *vel ultra mandatum cæteris hominibus commune.* Opt. Milev. l. 6. contra Parmenium Aug. de opere Monach. c. 5 Rectè ergo Anſhel. de concep. virg. c. 21. Nullus poteſt reddere quẽadmodũ debet, ſolus Chriſtus reddidit pro omnibus qui ſalvãtur plus quã debetur. ** 2. De cœlibatu extant diſſimilia veterum dicta. Tertull. & Hieronym. cum ignominia conjugii cœlibatum laudant, de tota hac re ſuo loco. 3. D. Chemn. part. 2. loc. p. 287. monet opinionis de conſiliis duas potiſſimum occaſiones extitiſſe, primò qui in ſcholis Philoſophorũ enutriti, poſtquam ad Chriſtianiſmum converſi erant, conabantur doctrinam Evangelii accommodare ad placita Philoſophorum de viro perfecto, de ἀπαθείᾳ, de κατορθώματι, deinde premebantur à gentilibus Philoſophis, præſertim à Celſo & Juliano objectionibus ex c. 5. Matt. petitis, & quia diſputationes illæ non ſatis explicatæ erant, cœperunt reſpondere, Chriſtum talia magis laudaſſe, quàm præcepiſſe. 4. Continentiam virginalem eſſe conſilium non negamus, cùm diſertè Apoſtolus id pronunciet, ſed quæritur, an præter perfectam mandatorum divinorum impletionẽ conſilium cœlibatus ſuſcipiendo, opus ſupererogationis vitæ æternæ meritorium præſtemus, quod aliis etiam applicari poſſit.

Argumenta rationis

104. Quartam argumentorum claſſem petit Bellarm. ex naturali ratione. *Duplex eſt in re naturalis perfectio, una ad eſſe, altera ad benè eſſe, ergo eodem modo Chriſtianus duplicem habere debet perfectionem, unam neceſſariam ad eſſe, per quam ſit Dei Filius, quæ conſiſtit in præceptis, alteram neceſſariam ab benè eſſe, quæ conſiſtit in conſiliis. Item in benè conſtitutis Rebuspubl. non ſolum præmia communia conſtituta ſunt ſervantibus legem,*

ſed etiam heroicis operibus ſingularia præmia ſunt decreta, ſic præter vitam æternam obſervatoribus legis divina promiſſam, ſingularia præmia promiſſa illis, qui conſilia obſervant. Reſp. *Lex Dei ſpiritualis eſt* Rom. 7. v. 14. perfectam interiorem & exteriorem obœdientiam requirit, accuſat igitur peccatum abſconditum, quod lumine rationis non cognoſcitur 2. Cor. 3. v. 13. *Supra Moſis faciem poſitum eſt velamen*, ergò de impletione legis non judicandum eſt ea rationis judicio, ſed ex Dei verbo. Simile Bellarmini hoc modo applicamus. Eſſentialis perfectio Chriſtiani in vera fide in Chriſtum conſiſtit, accidentalis perfectio eſt, quòd hæc fides in aliis fortior, in aliis infirmior, in aliis plures, in aliis pauciores fructus profert. Diverſi ſunt gradus renovationis ſive novæ obœdiētiæ & *donationes ſecūdum gratiam ſunt differentes* Rom. 12. v. 6. S. ſanctus in aliis majorē zelum accendit, ad opera heroica quoſdā impellit, electa organa quoſdam facit &c. ſed quantumcunque quis profecerit, oportet humili confeſſione dicere; *Quæ debuimus, fecimus* Luc. 17. v. 10. *Dimitte nobis debita noſtra* Matt. 6. v. 12. *Plus cæteris laboravi, non ego, ſed gratia Dei mecum* 1. Cor. 15. v. 10. *Non ex nobis, ne quis glorietur* Eph. 2. v. 9. ad quamcunque quis aſſurgat perfectionem, fateri tamen cogitur, quòd abſolutâ illâ & ſummâ perfectione, quam lex Dei requirit, deſtituatur, ut in quæſtione de impletione legis latiùs docuimus.

An Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ.

105. Atque hæc dicta ſint de conſiliis Evangelicis & in univerſum de Legis & Evangelii diſcrimine; reſtat diſcutienda quæſtio, an Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ, quæ niſi dextrè & commodè explicetur, non poterit diſcrimini, quod inter Legem & Evangelium ſtatuimus, ſua conſtare integritas. Ceterùm an Evangelium definiendum ſit per prædicationem pœnitentiæ, de eo tres extant diverſæ diverſorū ſententiæ. Quidam ſimpliciter & ſine ulla diſtinctione affirmativam amplectuntur. Quidam ſine diſcrimine hanc propoſitionem rejiciunt & repudiant. Quidam v. commodam interpretationem adhibent & ſiniſtrum intellectum refellunt. Eorum qui ſimpliciter & ſine ulla diſtinctione affirmativam amplectuntur, tres ſtatuemus claſſes. Primam complent Scriptores Pontificii, quos, cùm verū & genuinum diſcrimen Legis & Evangelii aliàs pervertant, etiam hac in parte affirmativam tueri, mirum nemini videri debet. Sic Bellarminus lib. 4. de Juſtificatione c. 2. *Cùm Chriſtus & omnes Apoſtoli evangelizando terreant, & in ſymbolo Apoſtolico, quod Evangelii ſummam continet, ſit etiam articulus de futuro judicio, falſum eſt, quòd ſit proprium legis officium terrere, neque hoc ad Evangelium pertinere*, ibidem aſſerit *incredulitatem propriè ab Evangelio accuſari.* Salmeron tom. 4. comment. pag. 20. *Totius Evangelii ſumma eſt verbum illud: Pœnitentiam agite, à quo quidem verbo non Johannes modò, ſed Chriſtus etiam & Apoſtoli auſpicati ſunt Evangelium.* Alteram claſſem tribuimus Antinomis, quorum ἔξαρχος fuit Johannes Agricola Isleb. qui Anno 38. novas illas phraſes ſpargere cœpit, *pœnitentiam rectius & commodius addiſci poſſe ex Evangelio quàm ex lege: Evangelium in propriiſſimo & maximè ſpecifico uſu & officio eſſe concionem pœnitentiæ ſimul & remiſſionis peccatorum &c.* Quamvis verò B. Lutherus Islebianis iſtis novitatibus ſolidam & nervoſam reſponſionem, (quam vide tom. 1. Jen. lat. p. 517. & ſeq. tom. 7. Germ. Jen. f. 370. & ſeqq.) opponeret, ac autorem earum ad παλινῳδίαν (cujus formula extat tom. 7. Germ. Jen. f. 292.) adduceret, tamen poſt B. Lutheri obitum Islebius ad ingenium ſuum rediit & priſtini erroris patrocinium denuò ſuſcepit, ut apparet ea præfatione ſermonis de muliere peccatrice editi Anno 62. Tertiam claſſem conſtituunt Cripto Calviniſtæ, qui Witteberºgenſem ſcholam occuparant, ut apparet ex catecheſi & theſibus Anno 70. & 71. ibidem editis. in quibus ἀκυρολογίαι Antinomicæ defenduntur & ad D. Philippi autoritatem ſæpiùs provocatur. Item ex Scriptu Pezelii, quod complectitur Apologiam de definitione Evangelii, quod ſit prædicatio pœnitentiæ Anno 71. edito.** Hemming. in Syntag. volum. Theol. p. 713. *Cùm dicimus, Evangelium eſſe prædicationem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti, Apoſtolico ſignificato, id eſt, propriè, vocē Evangelii accipimus & non ſicut quidam contendunt pro toto miniſterio legis & Evangelii ac ſi prædicatio pœnitentiæ pertineret ad legem & prædicatio remiſſionis peccatorum ad Evangelium.* p. 714. *Dicunt, qui διαλεκτικώτεροι eſſe volunt. Lex prædicat pœnitentiam per ſe, Evangelium verò per accidēs. Utrumq; inſulſe dicitur. Verū ſi illam diſtinctionē dialecticam retinere lubet, ita potius dicendum eſt. Lex eſt prædicatio pœnitentiæ at non per ſe ſed per accidens. Evangelium autem eſt prædicatio pœnitentiæ per ſe.*** Horum veſtigiis inſiſtunt Calviniani recentiores. Sic enim ſcribit Urſinus part. 2. Catech. p. 139. *Ex tertio diſcrimine Legis & Evangelii ſic argumentantur Flaciani; Evangelii nulla eſt præceptio ſed Legis. Prædicatio pœnitentiæ eſt præceptio. E. prædicatio pœnitentiæ pertinet ad legem non ad Evangelium*, cui argumento reſpondet per inficiationem Majoris, quam univerſaliter ſumtam dicit eſſe falſam. Bucanus loco 20. p. 193. *Partes Evangelii duæ ſunt, prædicatio pœnitentiæ & promiſſio juſtificationis ſeu remiſſionis peccatorum*, Idem loco 30. p. 291. *Accuſatio peccati legis eſt, & præparat ad μετάνοιαν ſeu reſipiſcentiam, quæ eſt Evangelii propria in remiſſionem peccatorum.*** Paræus in Ep. Rō. p. 88. *Nihil videtur prohibere, quòminus revelationem iræ atque ac revelationem juſtitiæ ad Evangelium referamus, eſt enim utraque vox Evangelii, una juſtificans credentes, altera damnans incredulos, ſicut contrariorum eadem dicitur diſciplina*, Toſſanus in not. marg. 1. Tim. 1. v. 11. *Evangelium non minus quam lex enumerata flagitia prohibet atque arguit.***

Non ſimpliciter negandum, quod Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ.

106. Horum ſententiam uti nequaquam poſſumus ſimpliciter & abſolutè approbare; ita non audemus propoſitionem illam, quòd Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ ſimpliciter & abſque ulla commoda declaratione repudiare. 1. Chriſtus enim miniſterium docendi in Novo T. Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus commendatum in concionem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum diſtinguit, Luc. 14. v. 47. ac utramque partem indiſſolubili nexu copulat Matth. 28. v. 20. Marc. 16. c. 15. 2. Confeſſio Auguſtana & ejuſdem Apologia hanc loquendi formulam non ſemel uſurpant. 3. D. Lutherus

eandem

eandem nequaquam penitùs rejecit, ſed ſiniſtram illius interpretationem ſolummodò taxavit. Cùm Islebius ex illa propoſitione ſiniſtrè intellecta Antinomiam ſuam extrueret, procul dubio penitùs eam Lutherus rejeciſſet, ſi judicâſſet eam eſſe corruptelam veræ & ſanæ doctrinæ, ſed maluit eam verâ & commodâ explicatione declarare. 4. Pontificiis daretur occaſio Eccleſias noſtras traducendi, quòd à Confeſſione Auguſtana ſeceſſionem fecerimus, quodque doctrinâ Evangelii alatur ſecuritas carnalis & confirmetur licentia peccandi in animis hominum.

107. Illos ergò ſequimur, qui commodam & dextram huic propoſitioni interpretationem addunt, quam nervoſiſſimè & eruditiſſimè exponit D. Chemn. part. 2. locor. pag. 566. & in judicio de controv. pag. 78. hiſce membris incluſam. 1. Evangelium quandoque generaliter accipitur pro ſumma totius doctrinæ, quæ miniſterio Chriſti & Apoſtolorum tradita ac propagata eſt, utpote Marc. 1. verſ. 1. Actor. 20. verſ. 21. quandoque verò ſpecialiter & propriè pro concione gratiæ Marc. 1. v. 15. &c. In ſignificatione igitur laxiori & generali Evangelium rectè dicitur prædicatio pœnitentiæ, cùm Chriſtus & Apoſtoli in ſuo miniſterio pœnitentiam agere multoties juſſerint. 2. Quia Evangelium annunciat gratiam non ſecuris & hypocritis, ſed pœnitentibus, id eſt, illis qui agnitione peccatorum & ſenſu iræ DEI humiliati & contriti ſunt, hoc ſenſu non incommodè dicitur Evangelium prædicatio pœnitentiæ. Gratuita promiſſio remiſſionis peccatorum requirit pœnitentiam, id eſt, cor contritum & humiliatum, & tamen ea legis miniſterio eſt peccati agnitio. 3. Evangelium eo ipſo, quod docet, nullum aliud nomen datum eſſe hominibus, in quo poſſint ſalvari, niſi nomen Chriſti, per antitheſin oſtendit, omnia concluſa eſſe ſub peccatum. 4. Evangelium tradit quasdam Legis explicationes, quas ex ſolo Moſe non poſſemus facilè & evidenter colligere, quo ſenſu itidem non incommodè dicitur, quòd ſit prædicatio pœnitentiæ. Explicationes illas Legi ab Evangelio additas revocat ad hæc capita, quòd perfecta legis impletio ſit nobis impoſſibilis, quòd externa honeſta diſciplina in renatis ſit peccatum, quòd ſit diſcrimen peccati mortalis & venialis, quòd opera renatorum ex fide facta, licet ſint imperfecta & polluta, Deo placeant, quomodo promiſſiones de præmiis bonorum operum nobis ratæ fiant. 5. Lex omnem incredulitatem peccati arguit, Evangelium verò in ſpecie declarat illam incredulitatem, quæ abjicit gratuitam promiſſionem reconciliationis & non credit in Filium eſſe maximum peccatum. 6. Evangelium docet, quomodo pœnitentia ſit ſalutaris, ne ex ſola contritione fiat deſperatio. Hæc D. Chemnitius.

Diſtinctiones in hac quæſtione obſervandæ.

108. Utimur igitur in explicatione hujus quæſtionis hiſce diſtinctionibus. 1. Evangelium ſumitur vel ὁλικῶς καὶ γενικῶς de tota Novi Teſtamenti doctrina, vel κυρίως, εἰδικῶς καὶ μερικῶς quatenus ἀντιδιηρημένως Legi opponitur & de promiſſione gratuitæ peccatorum remiſſionis accipitur, id quod maximè fit, quando vox maledictionis & gratiæ, miniſterium mortis & vitæ, miniſterium terroris & conſolationis, Moſes & Chriſtus ſibi invicem opponuntur, quando igitur Evangelium dicitur prædicatio pœnitentiæ, nomen Evangelii accipitur pro toto corpore doctrinæ in Novo Teſtamento proponendæ, denominatione facta à potiori, quemadmodum etiam vox תּוֹרָה thorah, quæ legem uſitatè notat, generatim pro tota doctrina ſignificatione laxiori interdum accipitur. 2. Pœnitentiæ vocabulum itidem dupliciter accipitur, vel γενικῶς pro tota hominis ad Deum converſione, cujus partes eſſentiales duæ ſunt, Contritio & Fides Luc. 13. v. 3. Act. 20. v. 21. Quando igitur Evangelium dicitur prædicatio pœnitentiæ, nomen Pœnitentiæ accipiendum eſt generaliter & de tota hominis ad Deum converſione, quæ reſpectu prioris partis videlicet fidei, rectè tribuitur Evangelio, cùm contritio interim oriatur ex lege. 3. Prædicare pœnitentiam itidem duobus modis accipitur. In ſpecie enim & minùs propriè ſignificat accuſare tantùm peccata, manifeſtare iram Dei adverſus peccata, oſtendere homines maledictos eſſe propter peccata &c. propriè autem prædicare pœnitentiam ſignificat homines incitare, impellere, monendo & exhortando excitare ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, ut peccatis ſuis agnitis ac ſeriò de illis dolentes fide confugiant ad Chriſtum & vitæ novitate fructus pœnitentiâ dignos afferant. Quòd ſi prædicatio pœnitentiæ accipiatur priori modo, ad legem referenda erit, quippe ex qua eſt *peccati agnitio* Rom. 3. verſ. 20. & cui tribuitur, quod *iram operetur* Rom. 4. v. 15. quod ſit *virtus peccati* 1. Cor. 15. v. 56. proprium igitur legis officium eſt oſtendere, accuſare & damnare peccatum, & *quicquid peccatum arguit, iram DEI & pœnas denunciat, conſcientias terret, ad Legem pertinet*, juxta regulam à B. Luthero in cap. 22. Geneſeos pag. 303. & alibi paſſim traditam: cùm contrà proprium Evangelii officium ſit, abſolvere à peccatis ſive remiſſionem peccatorum annunciare, ac proinde quicquid liberationem à maledictione legis, gratiam Dei, peccatorum remiſſionem &c. offert & conſternatas mentes efficaci conſolatione erigit, ad Evangelium propriè dictum pertinet, ſive in V. ſive in N. T. proponatur. Sin verò prædicatio pœnitentiæ accipiatur modo poſteriori, non ſolius Legis ſed etiam Evangelii eſt prædicatio pœnitentiæ, debito tamen ordine & reſpectu; ex Lege eſt contritio, ex Evangelio fides, quæ pœnitentiam efficit ſalutarem, ut ſit opus vitæ.

Evangelium propriè acceptum non eſſe prædicationem pœnitentiæ.

109. His ita præmiſſis Evangelium propriè & εἰδικῶς acceptum non eſſe dicendum concionem pœnitentiæ oſtendimus his fundamentis. 1. Evangelium propriè acceptum eſt concio gratiæ. Ergò non erit concio iræ. 2. *Juſtitia Dei revelatur in Evangelio ex fide in fidem ſine lege* Rom. 1. v. 17. cap. 3. v. 21. Ergò conciones de peccato & bonis operibus, utpotè legales, non pertinebunt ad Evangelium propriè ſic dictum. 3. Diſcrimen inter Legem & Evangelium arctè tenendum eſt. Atqui Evangelium in legem transformatur, ſi prędicatio pœnitentiæ ipſi tribuitur. 4. Promiſſionis gratuitæ non eſt accuſare vel terrere. Atqui Evangelium eſt promiſſio gratuita Rom. 15. v. 8. Galat. 3. v. 16. 5. Aſſertio illa, quòd Evangelium propriè dictum ſit prædicatio pœnitentiæ, Antinomicis erroribus admodum vicina eſt, meritum & beneficia Chriſti

obſcurat, & piis mentibus veram conſolationem adimit. Referenda huc ſunt, quæ ſuperiùs §. 15. ſunt adducta, Itemque quæ in Scriptis ſymbolicis Eccleſiarum noſtrarum hac de re, habentur.

Lex nō novit Chriſtū Ergò non accuſat incredulitatem.

110. Explicandum eſt hoc loco palmarium argumentum, quo probare conantur, Evangelium propriè dictum eſſe prædicationem pœnitentiæ. Lex non novit Chriſtum Mediatorem, ſed in ſolo Evangelio beneficia Chriſti Mediatoris nobis proponuntur. *Lex non eſt ex fide,* dicit Apoſtolus Galat. 3. v. 12. Ergò etiam non accuſabit incredulitatem, hoc eſt, ignorationem vel contemtum Meſſiæ, ex eo concludunt, Evangelium potiſſimùm hæc peccata arguere, ignorationem filii, ejusdem contemtum, incredulitatem, abnegationem miſericordiæ divinæ in Chriſto propoſitæ & deſperationem. Reſp. Sunt qui in explicatione hujus argumenti diſtinguunt inter materiale & formale incredulitatis, quam diſtinctionem hoc modo applicant. Quoad materiale incredulitatis Lex in quantum lex eſt, nihil tradit de perſona, officio ac beneficiis Chriſti, aut de gratuita juſtificatione per fidem in Chriſtum, ſed quis ſit Chriſtus, quare miſſus, quodnam illius officium, quæ afferat beneficia, quóve inſtrumento illa apprehendantur, ex ſolo Evangelio dicendum eſt. Sed quod ad formale ſeu terminum, h. e. reatum τῆς ἀπιστίας attinet, quamvis lex contemtum Meſſiæ præſentis in genere ſaltem, Evangelium verò in ſpecie accuſet, tamen Evangelium hoc facit non καθ' αὑτὸ, ἁπλῶς, aut directè, aut quatenus eſt Evangelium, cujus propria vox eſt, qui credit in Filium, habet vitam æternam, ſed facit hoc 1. κατά τι καὶ πῶς certo quodam modo ac ratione. 2. κατ' ἀντίθεσιν è contrario ſeu ex oppoſito. 3. πορισματικῶς per conſequentiam. 4. per accidens vel ſecundaria ratione, culpa ſcilicet eorum, qui non credunt & ſponte pereunt. Hæc illi.

111. Nos ſimpliciùs reſpondemus diſtinctione inter legem ſolam & inter legem Evangelii luce colluſtratam. Item inter incredulitatis manifeſtationem, ejusdemque accuſationem. Lex jubet credere omni Dei verbo, Evangeliū revelat abſconditam illam Dei ſapientiam, quòd Chriſtus pro nobis in ara crucis mortuus, ſit noſtra coràm Deo juſtitia, concludit lex: Ergò huic Dei verbo credas. Lex arguit omnia peccata, & ſic etiam incredulitatem. Evangelium in antitheſi ſua oſtendit, hoc eſſe peccatum & quidem maximum omnium peccatorum, non credere in Chriſtum Mediatorem, concludit Lex: Ergò propter illud peccatum argueris & damnaris, quo ſenſu dicebat B. Lutherus in comment. cap. 2. Gal. *quod Lex & Evangelium in praxi ſint quovis Mathematico puncto conjunctiora*, interim proprium legis officium manet, peccatum arguere, iram operari & damnare; proprium Evangelii officium conſolari, erigere, ſalvare. Declarari hoc poteſt ſimili exemplo. Lex civilis ſive forenſis proponit Majorem. Quicunque furatus eſt, ſuſpendi debet; aſſumit Judex & ex ſufficientibus documentis probat. Hic Titius vel Sempronius eſt furatus; concluſio additur ex lege. Ergo eſt ſuſpendendus. Ibi furis ſuſpenſio rectè tribuitur legi accuſanti & ſub pœna ſtrangulationis furtum damnanti, etiamſi aſſumtionem addat Judex & Jus ad factum applicet. Ita quoque lex moralis proponit ſuam Majorem. Quicunque ſub peccato eſt, maledictus eſt. Evangelium addit minorem. Quicunque non credit in Filium, adhuc ſub peccato eſt. Concludit lex, E. eſt ſub maledicto. Ibi itidem accuſatio & condemnatio hominis propter incredulitatem tribuitur Legi, quamvis aſſumtionem addat doctrina Evangelii. *Lex concludit omnes ſub peccato* Galat. 3. verſ 22. Quicunque igitur non credit Evangelio Chriſtum Mediatorem monſtranti, manet ſub legis maledicto & in illum Lex ſuum accuſandi & damnandi officium in ſummo vigore & rigore exercet, nec opus eſt novâ quâdam per Evangelium accuſatione, unde notanter dicitur Joh. cap. 3. v. 36. *Qui non credit in Filium, ira Dei μένει ἐπ' αὐτὸν manet ſuper ipſum*, cujus pondere etiam in infernum deprimitur. Accuſatio igitur incredulitatis pertinet ad legem, nimirum Evangelii luce colluſtratam, quò reſpicit Lutherus, quando dicit, *opus fidei in Chriſtum & peccatum oppoſita incredulitatis reduci ad primum præceptum.*

1. Juſtitia legis accuſatur. Atqui lex non accuſat ſeipſam.

112. Reliqua argumenta minori cum difficultate conjuncta ſunt & faciliorem habent explicationem. *1. Juſtitia Legis propter imperfectionem damnationi obnoxia eſt. Jam verò lex ſeipſam damnare nequit, Ergo id ab Evangelio, non à lege fieri ſtatuendum eſt.* Reſp. Juſtitia legis tripliciter accipitur, vel de perfecta juſtitia Chriſti, quâ totam legem implevit perfectiſſimâ ſuâ obœdientiâ & ſatisfactione, quæ per fidem nobis imputatur, vel de juſtitia Phariſaicâ, quæ qualemcunque externam obœdientiam Legi præſtat, vel de juſtitiâ bonæ conſcientiæ ſive ſtudio bonorum operum in renatis. Juſtitia Legis primo modo accepta non accuſatur à lege, cùm ſit perfectiſſima cum lege conformitas, quin potiùs per illam ab accuſatione legis liberamur. Juſtitia legis ſecundo modo accepta, omninò a lege accuſatur, quia non qualemcunque ſed perfectam interiorem & exteriorem obœdientiam lex exigit, quam ubi non invenit, fulmen maledictionis ſuæ vibrat, nec patitur qualicunque obœdientiâ ſibi ſatisfieri. Deuteron. cap. 27. verſ. 27. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Jacob. 2. verſ. 10. *Qui peccat in uno factus eſt reus omnium.* Juſtitia legis tertio modo accepta, quamvis legi non ſit perfectè conformis, nec in articulo Juſtificationis coràm DEO conſiſtat, quo reſpectu itidem à lege accuſatur, interim tamen quia credentes non ampliùs ſunt ſub lege, ſed ſub gratia, & quia ſunt per Chriſtum cum DEO reconciliati, ideò inchoata illa obœdientia placet DEO & præmiis temporalibus ac æternis compenſatur.

2. Paſſio & mors Chriſti pertinet ad Evangelium. Atqui in paſſione Chriſti elucet ira Dei.

113. *2. Paſſio & mors CHRISTI pertinent ad Evangelium, jam verò in paſſione & morte CHRISTI elucet ira DEI adverſus peccata noſtra, Ergo Evangelium ex parte eſt concionatr.* Reſp. Paſſio & mors Chriſti duplicem obtinet reſpectum. Primò enim lucet ex ea iræ divinæ gravitas ac ſeveritas, cujus ignis non niſi unigeniti Filii ſanguine extingui potuit. Bernhard. ſerm. 3. in natal. coll. 57. *Filius DEI altiſſimi jubetur occidi, ut vulneribus meis precioſo ſanguinis illius balſamo medeatur.*

Agnoſce

Agnoſce ô homo quàm gravia ſunt vulnera pro quibus neceſſe eſt Chriſtum vulnerari. Si non eſſent hæc ad mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur. D. Luth. in ſerm. de Paſſ. *Deus variis exemplis iram oſtenderat ſuam, everſione Sodomæ, diluvio mundi, tandem ut clarius eam oſtenderet, ipſum unigenitum Filium propter peccata mori voluit.* Deinde fulget in Paſſione Chriſti ineffabilis Dei miſericordia & pleniſſima pro peccatis noſtris ſatisfactio. Rom. 5, v. 8. *Commendat caritatem ſuam erga nos Deus, quod enim adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Nunquam illuxit clariùs, quòd nos dilexit Dominus, quàm in ipſius paſſione & vulneribus, quippe quę ſunt dolore livida, amore fulgida. Bernh. c. 3. ſuper verba, Ego vitis &c. col. 1600. *Latus Chriſti perforatum eſt, ut nobis pateſcat introitus ac ut per vulnus viſibile, vulnus amoris inviſibile videamus, ideò in Cantico bis repetitur vulneraſti, ut vulnus corporis & cordis oſtendatur.* Anshel. in l. de ſimil. *O caritas, quam magnum eſt vinculum tuum, quod non ſolum Angelos Deo, ſed Deum & hominem mirabiliter copulaſti? Deum ad terram traxiſti, ad columnam ligaſti, cruci affixiſti, ſepulcro clauſiſti. & ad inferos traxiſti. Quid fecit hæc omnia, niſi amor & ſitis ſalutis noſtra.* Priori igitur reſpectu Paſſio Chriſti eeductivè pertinet ad legem, poſteriori verò ad Evangelium.

3. Contritio ſalutaris eſt ex Evangelio.

114. *3. Contritio ſalutaris non eſt ex lege, ſed ex Evangelio, utique ergo Evangelium eſt prædicatio pœnitentiæ.* Reſp. non ſolùm hypocritica illa contritio, quæ dolet propter pœnam, ſed & vera ac ſeria illa, quæ dolet propter peccatum & ſummum bonum offenſum, eſt ea lege. Quamvis verò contritio, ſi vel maximè vera ſit ac ſeria, nondum ſit ſalutaris, niſi accedat fides in Chriſtum, per quam corda contrita eriguntur & à deſperatione prohibentur, ea eo tamen nec poteſt nec debet inferri, quòd contritio, quâ talis, ſit ex Evangelio. Contritio in ſe & per ſe eſt dolor ob admiſſa peccata & ſenſus iræ divinæ, qui dolor non ea Evangelio ſed ea lege oritur, quippe quæ peccatorum noſtrorum & iræ divinæ gravitatem manifeſtat. Dolor ille ea concione legis ortus fit ſalutaris & μετάνοια ἀμεταμέλητος per fidem, quæ eſt ex Evangelio. 2. Cor. 7. v. 10. ἡ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. Lutherus Diſput. 1. contra Antinomos theſ. 8. *Pœnitentia ſolùm ex lege eſt dimidium vel initium pœnitentiæ, ſeu per ſynecdochen pœnitentia, quia caret bono propoſito.* th. 9. *Etſi perſeverat, fit pœnitentia Caini, Saul, Judæ & omnium deſperantium.* theſ. 21. *Ideò contra inutiles deſperationis Magiſtros Evangelium docere cœpit, pœnitentiam non oportere tantum deſperationem eſſe.* th. 22. *Sed pœnitentes debere ſpem concipere & ſic ex amore Dei peccatum odiſſe.*

4. Spiritus S. arguit mundum de peccato, Iohan. 16.

115. *4. Evangelium eſt miniſterium Spiritus,* 2. Cor. 3. v. 6. *Atqui Spiritus ſanctus in N. T. arguit mundum de peccato.* Joh. 16. v. 8. *E. illud facit per Evangelium.* Reſp. ad miniſterium Spiritus in N. T. pertinet non ſolùm Evangelium, h. e. concio gratiæ & publicum exhibiti Meſſiæ præconium, ſed etiam prædicatio Legis, ideò ſolenniter & ἐν ἰξουσίᾳ Salvator noſter legem in principio miniſterii ſui repetere voluit, idem etiam poteſtatem clavium Apoſtolis committens, non Evangelii tantum, ſed & legis miniſterio eos inſtruit, docens officium Spiritus ſancti in N. T. non eſſe unum idemque videlicet conſolari & gratiam prædicare, ſed duplex omnino videlicet peccata arguere per miniſterium legis & peccata remittere per prædicationem Evangelii. Hæc omnia breviter Chriſtus complectitur, quando in nomine ſuo prædicare jubet pœnitentiam & remiſſionem peccatorum Luc. cap. 24. verſ. 47.

5. Evangelium excludit omnem gloriationem.

116. *5. Excludere omnem gloriationem coram Deo eſt arguere peccata. Atqui Evangelium excludit omnem gloriationem.* Rom. 3. v. 27. *ubi eſt ergo gloriatio? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei, E. Evangelium arguit peccata.* Reſp. D. Chemn. in pertractatione hujus quæſtionis ſic reſpondet: Evangelium eo ipſo, quòd docet, nullum aliud nomen datum eſſe hominibus, in quo poſſint ſalvari, niſi nomen Jeſu Chriſti, per antitheſin oſtendit omnia concluſa eſſe ſub peccatum. Parte 2. locor. p. 567. Simpliciſſimè reſpondemus, legem fidei excludere gloriationem non eo modo, quo lex eam excludit, directè ſcilicet peccata hominum accuſando & reatum manifeſtando, ſed peculiari quodam modo, quatenus juſtificationem & ſalutem noſtram merè gratuitam eſſe docet, ac ſolâ Dei gratiâ propter ſolum Chriſti meritum ſolâ fide nos juſtificari pronunciat.

Autoritas Dn. Philipp.

117. Sententiam Dn. Philippi, ad quam toties in hac quæſtione provocatur, quod attinet, notandum eſt eum commodiùs ſentire quàm loqui, & diſtinguenda ipſius ſcripta priora à poſterioribus. In prima Editione locorum Anno 23. p. 39. ſic ſcribit: *Duæ in univerſum ſunt ſcripturæ partes: Lex & Evangelium. Lex oſtendit peccatum, Evangelium gratiam. Lex morbum indicat, Evangelium remedium. Lex mortis miniſtra eſt, Evangelium vitæ & pacis. Lex virtus peccati eſt, Evangelium virtus ſalutis omni credenti.* In artic. de pœnit. p. 86. *Mortificatio fit per legem quæ conſcientiam terret & occidit, vivificatio fit per Evangelium ſive per abſolutionem. Non enim aliud eſt Evangelium, niſi ipſa abſolutio à peccatis.* Videatur etiam Diſput. de Jubilæo habita Anno 49 theſ. 24. 32. & 36. Itemque Diſput. de diſcrimine legis & Evangelii habita Anno 50. theſ. 5. 6. & 7. quæ extant tom. 4. operum p. 551. & 553. In oratione de Eccleſia Anno ante obitum proximo habita, quæ extat tom. 5. Declam. fol. 217. ſic ſcribit: *Non turbemur cavillatione de vocabulo Evangelii, complector hoc nomine totam doctrinam pœnitentiæ & æternæ promiſſionis, imò & capita in ſymbolo collecta, ſicut Apoſtoli appellatione Evangelii utuntur de tota miniſterii doctrina.* Hæc D. Philipp. ea quibus apparet ipſum voce Evang. uſum eſſe in ſignificatione laxiori, quatenus pro toto verbi miniſterio accipitur. Quando verò in ſpecie & propriè de Evangelio loquimur, tunc ut habent verba Apologiæ Conf. Aug. *eſt promiſſio remiſſionis peccatorũ & juſtificationis ꝓpter Chriſtum prædicans juſtitiã fidei in Chriſtũ.*

118. Idipſum quodammodo agnoſcit Bucanus, qui in loco 20. pag. 193. ad quæſtionem, An legis, an verò Evangelii proprium munus ſit prædicare pœnitentiam, reſpondet hoc modo: *Si pœnitentiæ nomine non μεταμέλειαν ſed μετάνοιαν,* hoc eſt, *non contritionem, ſed ſalutarem ad DEUM converſionem per fidem intelligis, Evangelii (quatenus generaliter accipitur pro toto miniſterio*

Novi

Novi Teſtamenti) non legis munus eſt. Hæc Bucanus, ex quibus judicium fieri poteſt, de argumentis, quibus evincere conatur, Evangelium eſſe prædicationem pœnitentiæ, nimirùm pleraque ſunt à ſcopo aliena, cùm non de Evangelio, quatenus generatim pro toto Miniſterio N. T. accipitur, ſed quatenus propriè & in ſpecie concionem gratiæ notat, hoc in loco quæſtio ſit. Adde quòd ſubordinata & amicè conjuncta non ſint reſpectu unius ἀποτελέσματος, quod exerunt, ſibi invicem opponenda. Prædicatio pœnitentię, quatenus pœnitentię voce tota hominis converſio intelligitur, nec legis ſolùm nec Evangelii, ſed utriusque miniſterio tribuenda eſt, ita tamen ut quælibet doctrina agat quod ſuum eſt & ad unum commune ἀποτέλεσμα invicem amicè conſpirent.

De diſcrimine V & N.T.

119. Ceterum cùm promulgatio legis ad vetus, promulgatio Evangelii ad novum propriè pertineat Teſtamentum, ideò differentiis inter Legem & Evangelium aſſignatis diſcrimen V. ac N. T. ſubjungemus. Diverſæ, imò adverſæ hac de re extant diverſorum ſententiæ. Ut enim Pelagianorum opinionem, quâ fingunt, homines in V. T. ante Moſen lege Naturæ, poſteà verò lege Moſaicâ, in N. autem Teſtamento lege Chriſti juſtificari & ſalvari, latere patiamur, notum eſt Scholaſticos ſtatuere, quòd V. & N. T. differunt promiſſis, præceptis & Sacramentis: in V. T. dicunt promiſſa fuiſſe temporalia, præcepta exterius regulantia & Sacramenta figuralia; in Novo autem promiſſa eſſe cœleſtia, præcepta pleniora, non manum ſolùm ſed & mentem regulantia, ſacramenta gratiam conferentia, quâ de re quid ſtatuendum ſit, ſuperiùs §. 17. 57. & ſeqq. oſtendimus. Scholaſticorum ſententiam ſequuntur Pontificii, quidam tamen addunt novos colores, ut ex Groppero, Lindano & Soto oſtendit D. Chemnitius parte 3. locor. cap. de diſc. V. & N. T. pag. 227. Anabaptiſtæ ſtatuunt, quòd Patres in V. T. tantùm corporales, externas & temporales promiſſiones habuerint; ſub Chriſto verò ſeu tempore N. T. primùm datas eſſe promiſſiones ſpirituales, quâ de re dictum fuit ſuperiùs th. 59. Calvinus lib. 2. Inſt. cap. 10. Petrus Martyr. Claſſ. 1. locor. Theol. loco 16. §. 2. & ſeqq. Urſinus part. 2. Catecheſ. pag. 130. Grynæus volum. 2. diſput. Theolog. pag. 125. & 260. Bucanus loco 22. p. 200. & qui ipſos ſequuntur, diſputant, quoad ſubſtantiam non duo diverſa, ſed unum tantùm fœdus ac Teſtamentum eſſe, cùm ſit unus modus reconciliationis, una fides atque una ſalutis via omnibus mundi temporibus; conſtitui autem duo fœdera propter circumſtantias quasdam externas ac minùs principales, quæ in utroque Teſtamento ſint diverſæ, utpote 1. quòd in V. T. datæ fuerint promiſſiones ſpeciales de certis quibusdam beneficiis corporalibus; in Novo verò ejusmodi ſpeciales promiſſiones non habeantur. 2. quòd in V. T. credentes fuerint in gratiam recepti propter Meſſiam exhibendum & ſacrificium ejus futurum; in novo verò propter Meſſiam exhibitum & ſacrificium ejus jam præſtitum. 3. quòd in V. T. alia fuerint Sacramenta ſive ſigna promiſsioni gratiæ addita, eaque varia & laborioſa, ſed in novo ſint alia, eaque pauca & ſimplicia. 4. quod vetus habuerit typos & umbras, ideò omnia in eo obſcurior; novum verò habeat typorum impletionem, ideoque omnia in eo clariora ſint, tàm in Sacramentis, quàm in doctrina. 5. quòd olim anguſtior & parcior, nunc largior & uberior ſit Spiritus ſancti effuſio. 6. quòd vetus duraverit usque ad Meſſiam, novum autem ſit æternum. 7. quòd vetus obligaverit ad totam legem moralem, Ceremonialem & forenſem: novum verò obliget tantùm ad legem moralem & ad uſum Sacramentorum Chriſti. 8. quòd in Veteri Teſtamento Eccleſia incluſa fuerit in gente Judaica, ad quam accedere oportebat illos qui ſervari vellent: in novo autem Eccleſia ſparſam eſſe per omnes gentes & omnibus ad eam patere acceſſum.

An unum ratione materiæ ſive ſubſtantiæ ſit Teſtamentũ

120. Quamvis verò rectiſſimè dicatur, unum eſſe modum reconciliationis cum Deo, unam fidem, unam ſalutis viam, ex eo tamen nondum efficitur, unum tantùm ratione materiæ ſive ſubſtantiæ eſſe Teſtamentum, quòd ut manifeſtiùs evadat, potiora ſcripturæ dicta, quæ de utriusque Teſtamenti definitione ac diſcrimine agunt, enumerabimus, & ex illis certa quædam πορίσματα κατ' ἐξοχὴν καὶ θεῖον colligemus. Exod. 24. v. 3. *Venit Moſes, & narravit populo omnia verba Jehovæ, omniaq; judicia, & reſpondit totus populus voce una, ac dixit: Omnia verba quæ locutus eſt Jehova, faciemus,* verſ. 4. *& ſcripſit Moſes omnia verba Jehovæ.* verſ. 5. *& miſit juniores filiorum Iſrael, qui immolarent holocauſta,* verſ. 6. *& tulit dimidium ſanguinis & poſuit in crateribus, dimidium verò ſanguinis ſparſit ſuper altare,* verſ. 7. *tulit præterea librum fœderis, & legit in auribus populi, qui dixerunt: Quæcunque dixit Iehova, faciemus & obœdiemus,* v. 8. *tulit quoque Moſes ſanguinem, & ſparſit ſuper populum, & dixit: En ſanguis fœderis, quod pepigit Iehovah vobiſcum ſuper omnibus rebus illis.* Deut. 5. verſ. 2. *Iehovah Deus noſter pepigit nobis pactum in Horeb.* verſ. 3. *non cum Patribus noſtris pepigit Iehovah pactum illud, ſed nobiſcum qui ſumus hic & hodie univerſi vivimus.* v. 5. *Ego ſtabam inter Iehovam, & vos eo tempore, ut renunciarem vobis verbum Iehovæ.* Jerem. 31. verſ. 31. *Ecce dies veniunt, dixit Iehova, & feriam cum domo Iſrael, & cum domo Iuda fœdus novum.* verſ. 32. *non ſecundùm fœdus quod pepigi cum Patribus eorum in die, quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti, quia ipſi irritum fecerunt pactum meum.* v. 33. *ſed iſtud & fœdus, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies iſtos, dixit Iehovah; dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in DEUM, & ipſi erunt mihi in populum.* verſ. 34. *omnes cognoſcent me a minimo eorum usque ad maximum, propitiabor iniquitati eorum & peccatorum ipſorum non recordabor ampliùs.* Matth. cap. 26. verſ. 28. Marc. cap. 14. verſ. 24. *Bibite, hic eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti.* 2. Corinth. cap. 3. verſ. 6. *DEUS idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti, non literâ ſed Spiritus, litera enim occidit, Spiritus autem vivificat,* v. 7. *quod ſi miniſtratio mortis in literis expreſſa in lapidibus fuit in gloria,* v. 8. *quomodo non multò magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* v. 9. *ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multò magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Galat. c. 4. verſ. 24. *Hæc ſunt duo Teſtamenta, unum quidem a monte Sina in ſervitutem generans, quæ eſt Agar.* v. 26.

Digitized by Google

v.26. illa autem quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt quæ eſt mater noſtra. Hebr. 7. v. 22. *Chriſtus factus eſt ſponſor melioris Teſtamenti*, cap. 8. v. 5. *Sacerdotes V. T. exemplari & umbræ deſerviunt rerum cœleſtium*, v. 6. *nunc autem Chriſtus melius ſortitus eſt miniſterium, quanto & melioris Teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt.* v. 7. *nam ſi illud culpâ vacaſſet, non utiq; ſecundi locus inquireretur*, v. 13. *dicendo autem novum antiquavit prius: quod autem antiquatur & ſeneſcit, propè interitum eſt.* cap. 9. v. 15. *ideo N. T. mediator eſt, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*, v. 16. *ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat Teſtatoris*, v. 18. *unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt.* v. 19. *lecto enim omni mandato legis a Moſe univerſo populo, ipſum quoque librum & omnem populum aſperſit*, v. 20. *dicens, hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* c. 12. v. 24. *acceſſiſtis ad N. T. Mediatorem Jeſum*, c. 13. v. 20. *Deus pacis eduxit de mortuis paſtorem magnum ovium in ſanguine Teſtamenti æterni Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

121. Ex his colligimus κατ᾽ ἄρσιν. 1. Vetus Teſtamentum hoc loco non eſſe accipiendum, eo modo ac ſenſu quo 2. Cor. 3. v. 14. accipitur, de libris V. T. h. e. de Moſe, Pſalmis & Prophetis, quas librorum V. T. claſſes conſtituit Salvator Luc. 24 v. 44. Ratio eſt evidens, quia V. T. eſt antiquatum & abrogatum, ſed libri V. T. adhuc in Eccleſia leguntur. 2. Naturam V. T. non eſſe quærendam in doctrina, quæ in Eccleſia Iſraelitica ante Chriſtum tradita eſt. Ratio eſt, quia tempore V. T. non ſolùm lex, ſed & Evangelium de gratia Dei, remiſſione peccatorum & vita æterna credentibus in Chriſtum Mediatorem donanda ſonuit. 3. *Vetus Teſtamentum non eſſe definiendum ex ipſâ legis doctrina in ſe & per ſe conſiderata.* Ratio eſt, quia V. T. tempore Moſis conſtitutum & hodie antiquatum eſt, ſed doctrina legis eſt æterna & immutabilis Dei voluntas primorum hominum cordibus in ipſa creatione inſculpta nulli abrogationi vel antiquationi obnoxia. Idem ex contrario ſenſu intelligatur de N. T. videlicet, quòd illud nequaquam accipiendum ſit de libris V. T. h. e. de Evangelicis & Apoſtolicis ſcriptis, nec de doctrina, quæ in Eccleſia Chriſtiana poſt Chriſtum exhibitum ſonat, nec de ipſa Evangelii doctrina in ſe & per ſe conſiderata. 4. Utriuſque Teſtamenti non eſſe unam eandemq; ſubſtantiam. Præterquam enim quod disertè duo diverſa atque ἀντιδιῃρημένως ſibi invicem oppoſita numerantur Teſtamenta Jerem. 31. verſ. 31. Gal. cap. 4. verſ. 24. notandum eſt, quòd vetus ſancitum fuerit ſanguine ſacrificiorum, novum verò ipſius Chriſti ſanguine, cujus typus in illo præceſſit.

κατάθεσις. 122. Κατὰ θέσιν ex præmiſſis ſcripturæ pronunciatis reſultant hæc πορίσματα utriusque Teſtamenti diſcrimen exprimentia 1. Vetus ac N. T. differunt promulgationis tempore. Illud enim promulgatum eſt tempore eductionis Iſraelitarum ex Ægypto. Jer. 31. v. 32. hoc verò in fine temporum. Eſa. 2. v. 2. Mich. 4. v. 1. 2. Differunt promulgationis loco. Vetus in monte Horeb in deſerto Sinai, promulgatum fuit, Exod. 19. v. 18. Novum verò ex Sion & Jeruſalem exivit Eſa. 2. v. 2. Gal. 4. v. 24. 3. Differunt Mediatore. Vetus Teſtamentum Mediatorem habuit Moſen Deut. 5. v. 5. Novi Teſtamenti Mediator eſt Chriſtus Hebr. 8. v. 6. cap. 9. v. 15. 4. Differunt promulgationis modo. Vetus Teſtamentum miniſterio Angelorum inter tonitrua, fulgura & terrores promulgatum Exod. 19. v. 16. Actor. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. Novum verò eo modo promulgatum eſt, ut Deus ipſe de cœlo deſcenderet, & gratâ Evangelii prædicatione corda hominum erigeret. Aug. tract. 3. in Joh. *Legem per ſervum miſit, cum gratia ipſe deſcendit.* 5. Differunt rebus contentis & promiſſis. V. Teſtamentum conſtabat *ſolenni* legis moralis *promulgatione* (unde tabulæ Decalogi dicuntur *tabulæ fœderis*, Deut. 9. v. 11. & 15. decem verba in illis ſcripta dicuntur *verba fœderis* Exod. 34. v. 28. liber legis dicitur *volumen fœderis* Exod. 24. v. 7. Deut. 29. v. 21.) atq; *adjunctam habebat innumeram* ferè legum, rituum & *ceremoniarum multitudinem.* Novum verò *ſolennem* Evangelii *promulgationem* continet ac ritus habet numero pauciſſimos, obſervatione facillimos, intellectu auguſtiſſimos, unde Iren. lib. 3. c. 12. p. 196. vocat *Novum Teſtamentum libertatis.* V. Teſtamentum habuit promiſſiones ſpeciales de inhabitatione terræ Canaan, & conſervatione illius politiæ, habuit etiam promiſſiones ſpirituales & æternas, ſed ſub conditione ſervatæ legis. Novum verò Teſtamentum habet gratuitam promiſſionem ſalutis propter Chriſtum exhibitum & in genere promittit bona corporalia cum exceptione crucis. 6. Differunt dedicationis modo. V. Teſtamentum dedicatum fuit ſanguine animalium Exod. 24. v. 5. novum verò ipſius Filii Dei ſanguine Zach. 9. v. 11. cumque ſanguis ille animalium, quo V. T. dedicatum fuit, typus fuerit ſanguinis Chriſti, quo Novum Teſtamentum dedicandum, ideò hoc ſenſu & reſpectu *lex* dicitur *habere umbram futurorum bonorum non ipſam rerum imaginem* Heb. 10. verſ. 1. ſiquidem ritus legales fuerunt *umbra futurorum, corpus autem Chriſti eſt*, Col. 2. v. 17. 7. Differunt ſcriptionis ſubjecto. Vetus Teſtamentum ratione legis moralis, cujus ſolennis promulgatio præcipua ejus pars fuit, dicitur ἐντυπώμενον in tabulis lapideis Exo. 31. v. 18. Deut. 9. v. 10. novum verò Teſtamentum per Spiritum Dei inſcribitur in corda credentium. Jerem. 31. v. 33. 2. Cor. 3. v. 3. 8. Differunt complexus latitudine. Vetus Teſtamentum cum Iſraelitico populo conſtitutum erat, ideoque anguſtis terræ Judaicæ limitibus includebatur Deut. 5. verſ. 3. Novum verò tàm latè ſe extendit, quam latè patet orbis terrarum. Matth. 28. v. 19. 9. Differunt duratione. Vetus Teſtamentum abrogatum eſt, novum autem manet in perpetuum Hebr. 8. v. 13. c. 10. v. 9. 10. Differunt præſtantiâ ac dignitate, novum enim diſertis verbis dicitur melius veteri Hebr. cap. 7. verſ. 22. cap. 8. verſ. 6. cujus præſtantiæ cauſa ea reliquis differentiæ capitibus cognoſci poteſt. 11. Differunt effectis. Vetus Teſtamentum fuit *litera occidens, miniſterium mortis & damnationis generans ad ſervitutem.* 2. Corinth cap. 3. verſ 6. & ſeqq. Galat. cap. 4. verſ. 25. nimirum propter corruptionem Naturæ noſtræ. Novum verò Teſtamentum eſt *Spiritus vivificans, miniſterium juſtitiæ, Spiritum & vitam libertatem adducens*, hinc illud πολυθρύλλητον D. Auguſtini con-

ni contra Adimant. Manich. *breviſſima & aperiſſima duorum Teſtamentorum differentia, Timor & Amor.*

Argumenta pro eſſentiali utriusque Teſtamēti identitate.

123. Hæc omnia ſatis luculentè oſtendunt, non eſſe unam eandemque V. ac N. T. ſubſtantiam, nec externis tantùm quibusdam circumſtantiis ea differre πλείονες διαθῆκαι hominum generi traditæ ſunt & utriusque eſt certus χαρακτὴρ (ait Irenæus lib. 1. cap. 4. pag. 38.) reſtat, ut expendamus potiora argumenta, quibus eſſentialem utriusque Teſtamenti identitatem probare conantur. *1. Fœdus gratiæ & Teſtamentum ſunt ἰσοδυναμοῦντα. Jam vero unicum tantùm eſt gratiæ fœdus in Chriſto Mediatore factum. Ergò etiam unicum tantummodo Teſtamentum.* Reſp. vox Teſtamenti ac fœderis non ſolùm de promiſſione gratiæ in Chriſto oblatæ, ſed etiam de lege accipitur, unde tabulę Decalogi dicuntur *tabulæ fœderis*, decem verba in illis ſcripta dicuntur *verba fœderis*, liber legis dicitur *volumen fœderis*, uti paulò ante oſtenſum fuit; falſum igitur eſt, quòd vox Teſtamenti ac fœderis tantùm ad promiſſionem gratię referendum ac de ea ubique accipiendum ſit; Agnoſcit hoc quodammodo ipſe Urſinus parte 2. Catech. q. 18. pag. 133. *Vetus Teſtamentum ſeu fœdus ſæpè in Scriptura ſynecdochicè ſumitur pro lege, reſpectu ejus partis, quæ præcipuè in eo tractatur. Contrà vero Novum Teſtamentum ſeu fœdus verè ſumitur pro Evangelio*, ſic & Bucanus loc. 22. pag. 200. ſcribit: *Vetus fœdus duobus modis dicitur, interdum quidem reſpectu ad Moſis Legiſlationem tantùm & dicitur fœdus legale, cujus ſanctio deſcribitur Exod. 24. interdum verò ad ſignificandum fœdus gratiæ ſeu gratuitum, qualiter factum eſt cum Abrahamo & ejus poſteris* Gen. 17. Hæc Bucanus, qui pag. 201. ſubjungit, *ubi quæritur de veteris & Novi fœderis diſcrimine, appellatione Veteris gratuitum tantùm intelligi*, quæ in parte Scripturis ſacris, præſertim verò Jer. 31. v. 31. apertis tibiis contradicit. Quomodo in rebus humanis Teſtamenta ac fœdera diſtinguantur ex JCtorum libris petendum eſt, nobis hoc loco ſufficit, Teſtamenti vocem in Scripturis ſacris latiùs patere quàm fœdus illud gratiæ in Chriſto Mediatore nobiſcum initum, quod ſic oſtendimus: Fœdus gratiæ offerens & applicans remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam omnibus in Chriſtum Mediatorem credentibꝰ eſt perpetuum, æternum ac immutabile, omnibus mundi temporibus unum atque idem, nulli abrogationi obnoxium, omnem vetuſtatis ac novitatis rationem excludens, cùm una eademque ſit ſalutis via. Jam verò Scriptura non ſolùm duo numerat Teſtamenta, ſed etiam disertè unum vocat prius, alterum poſterius; unum erat vetus, alterum verò novum (cujus appellationis rationem exponit D. Chemnit. part. 3. Loc. c. de diſcrim. V. ac N. T. p. 234.) quinetiam vetus illud antiquatum ac abrogatum, novum verò æternum eſſe pronunciat. Ergò duo hæc Teſtamenta per fœdus gratiæ, quod omnibus mundi temporibus unum eſt, definire nec poſſunt nec debent. Addimus etiam hoc argumentum. Promiſſio gratię omnibus populis eſt communis, ſed Teſtamenta ſingula ſingulorum ſunt propria, illud Judæorum hoc verò Chriſtianorum. Concedimus igitur unam eſſe gratiæ promiſſionem, unam ſalutis viam, unam fidem &c. ſed ex eo conſequens eſſe, quod utriusque Teſtamenti juxta Scripturæ phraſin & definitionem accepti eadem ſit ſubſtantia, negamus.

2. Deus iniit fœdus cum Noaho & Abrahamo.

124. 2. *Non cum Iſraelitis primum fœdus ſuum Deus iniit, ſed etiam cum Noaho* Gen. 6. v. 18. c. 9. v. 9. *præſertim verò cum Abrahamo* Gen. 7. v. 2. *Ergò unum quoad ſubſtantiam eſt Teſtamentum diverſis temporibus ſaltem renovatum.* Reſp. Novimus Irenæum lib. 3. cap. 11. circa finem quatuor numerare Teſtamenta humano generi data: unum quidem ante cataclyſmum ſub Adam. Secundum verò poſt cataclyſmum ſub Noe: tertium verò legiſlatio ſub Moſe: quartum quod renovat hominem & recapitulat in ſe omnia, quod eſt per Evangelium elevans & pennigerans homines in cœleſte regnum; interim tamen certum eſt, quando Scriptura V. ac N. T. invicem opponit, tum nomine V. Teſtamenti nullum aliud fœdus, quàm quod cum Iſraelitis ex Ægypto eductis in deſerto Deus iniit, accipiendum eſſe, ita enim diſertis verbis declaratur Deut. c. 5. v. 2. *Jehovah Deus noſter pepegit nobiſcum pactum in Horeb.* v. 3. *non cum Patribus noſtris pepegit Jehovah pactum illud, ſed nobiſcum qui ſumus hodie.* Jerem. 31. v. 31. *Feriam cum domo Juda fœdus novum.* v. 32. *non ſecundum fœdus, quod pepegi cum Patribus eorum in die, quà apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti.* E. ab his duobus Teſtamentis removenda ſunt reliqua (ut ita dicam) ſpecialia fœdera, quale fuit illud cum Noaho divinitùs ſtatutum. Sed quia in liberatione ex Ægypto Deus Iſraelitas ſæpiùs revocat ad fœdus cum Patribus ipſorum initum, ideò fœderis cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo initi paulò alia eſt ratio, quod non poteſt ſimpliciter hìc excludi, qua de re ſic habendum. Fœdus, quod Deus iniit cum Abrahamo ac cum Iſaaco & Jacobo renovavit, duas continet partes ſive articulos. Prior pars complectitur promiſſionem de multiplicatione poſteritatis Abrahæ & poſſeſſione terræ Canaan; ad hanc partem referenda eſt ſolennis promulgatio Decalogi, inſtitutio Levitici Sacerdotii & legum forenſium decreta: ſiquidem ubi eſt populi multitudo & regionis inhabitatio, ibi neceſſaria eſt doctrina morum, conſtitutio politiæ & cultus divini. Poſterior pars complectitur promiſſionem de ſemine illo benedicto, in quo benedicendæ ſint omnes gentes, hoc eſt, de Meſſia ex poſteritate Abrahæ naſcituro, atque hæc eſt præcipua ac potior pars fœderis cum Abrahamo initi, quippe ad quam prior refertur, ideò enim promittitur multiplicatio ſeminis & inhabitatio terræ Canaan, ut certum eſſet Meſſiæ docentis, miracula edentis & redemptionis opus perficientis hoſpitium. Porrò utraque fœderis pars conſiderari poteſt dupliciter, primò ratione promulgationis, ſecundò ratione impletionis. Si conſideraveris tempus promulgationis, illud fatemur eſſe unum. Gen. 12. v. 1. *Dixit Deus ad Abrahamum, abi è terra tua &c.* v. 2. *faciam te in gentem magnam & benedicam tibi ac magnificabo te.* v. 3. *& benedicentur in te omnes familiæ terræ.* c. 26. v. 3. *Dixit Deus ad Iſaacum, ſemini tuo dabam terram iſtam.* v. 4. *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, &c.* & *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Eadem promiſſio repetitur ad Jacobum Gen. 28. v. 14. Sin verò tempus impletionis conſideraveris, manifeſtum eſt, priorem partem de multiplicatione poſteritatis & inhabitatione terræ

Canaan

Canaan impletam eſſe annis 430. poſt datam Abrahæ promiſſionem, cùm Iſraelitæ in Ægypto multiplicarentur & ex ſervitute Ægyptiaca liberati primò legem in deſerto acciperent, & exactis 40. annis terram Canaan poſtea occuparent : poſterior pars impleta eſt annis poſt editam promiſſionem 1938. poſt liberationem ex Ægypto & legis promulgationem 1508. (juxta Funcii computationem) nimirum CHRISTO in plenitudine temporis ex virgine nato Galat. 4. verſ. 4.

3. Doctrina de Chriſto fuit etiam tradita ſub V.T.

125. 3. *Doctrina de Chriſto & ipſius beneficiis etiam ſub V.Teſt. fuit tradita & in Propheticis libris expoſita, quinimò ceremoniæ illæ Leviticæ per Moſen traditæ fuerunt typi & figuræ perſonæ ac officii Chriſti. Ergò Vetus Teſtam. eſt ipſa Evangelii doctrina, quatenus umbris & typis fuit involuta.* Reſponſ. Oſtendimus ſuperiùs, non omne quod tempore V. Teſt. populo Iſraëlitico traditum & in libris V. Teſt. cõprehenſum ad definitionem ac Naturam V. Teſt. prout à Scriptura accipitur, pertinere, ſed reſpiciendum eſſe hac in parte ad capita differentiarum, quæ in ipſa Scriptura inter Vet. ac Nov. Teſt. aſſignantur. Nota fuit omninò doctrina de Chriſto & ipſius beneficiis etiam in V. Teſt. (unde enim aliàs ipſis ſalus?) ex eo tamen nondum ſequitur, quòd ad Naturam ac definitionem V. Teſt. eadem pertineat, ſiquidem innotuit ipſis per DEI revelationem & annunciationem, hinc pulcerrimè ſcribit Auguſt. in Pſal. 90. *Moſen non tantùm miniſtrum V. Teſt. ſed etiam Prophetam Novi olim fuiſſe.* lib. 15. contra Fauſt. c. 4. *Vet. Teſtam. eſt prophetia* Novi, Dn. Chemnit. pag. 237. part 3. Locor. reſpondet hoc modo; Finis legis eſt Chriſtus Rom. 10. v. 4. Lex eſt pædagogus ad Chriſtum Galat. 4. v. 24. finis autem nõ pertinet ad ipſam rei ſubſtantiam, cujus eſt finis, ut finis ille monſtraretur, ideò quædam ad Evangelium ſeu Nov. Teſtam. pertinentia Moſi etiam tradita fuerunt, ita tamen, ut præcipuum & principale miniſterium Moſis ſit & manſerit Legale, quod ipſum tamen non rectè exequitur, niſi finem legis Chriſtum rectè ſimul monſtret. Ceremonias Leviticas dupliciter conſiderandas eſſe dicit. 1. tanquam obſervationes carnales & externas ſeu opera pædagogica, quibus membra illius cœtus in externa aliqua & carnali munditie conſervabantur, quo reſpectu ad Legem pertineant; Item Ceremonias illas conſiderari tanquam conciones de peccato, ira DEI, & peccatorum pœnis, eatenus itidem ad legem eas pertinere. Quia verò finis Legis eſt Chriſtus, ideò Ceremonias Leviticas etiam conſiderari poſſe ut typos Chriſti, eatenus pertinere ad Evangelium. Hæc D. Chemnitius, cujus ſententiam ſic interpretamur, quòd diſtinguendum ſit inter Ceremonias Leviticas in ſe ac per ſe conſideratas & inter earum finem ſpiritualem, qui in adumbrando ac ſignificando CHRISTUM conſiſtit.

4. Lex moralis non eſt antiquata

126. 4. *Vetus Teſt. eſt antiquatum. Lex moralis non eſt antiquata, ſed in Nov. Teſt. adhuc docenda. E. non pertinet ad V. Teſt.* Reſp. Lex moralis conſideratur dupliciter, primò in ſe ac per ſe; ſecundò ratione ſolennis promulgationis & obligationis. Priore reſpectu lex moralis non pertinet ad V. Teſt. quia V. Teſt. in monte Sinai primũ promulgatum eſt & cum populo Iſraelitico initum, jam verò lex moralis ante Moſen, imò in paradiſo primis parentib. fuit tradita & cordibus ipſorum inſculpta. Poſteriore igitur reſpectu, videl. ſolennis promulgationis & obligationis ratione propriè ad Vet. Teſt. pertinet, ſiquidem eo fine ſolennem illam Legis promulgationem in monte Sinai DEUS inſtituit, ut ad perfectam ejus impletionem Iſraelitas ſibi obſtrictos redderet & ſub conditione perfectæ illius impletionis præmia temporalia & æterna illis promiſit. Sed cùm *pactum illud Patres diſſolverent ac irritum facerent* Jer. 31. v. 32. *quia lex infirmabatur per carnem* Rom. 8. v. 3. *ideò facta eſt reprobatio præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem* Heb. 7. v. 18. ideò *aliud*, videl. *Nov. Teſt. promulgatum fuit, cujus locus non inquireretur, ſi prius culpâ vacaſſet* Heb. 8. v. 7. illius novi fœderis ſtatuuntur hæc capita. 1. *Peccatorum ipſorum non recordabor amplius.* 2. *Scribam legem meam in cor ipſorum, ut cognoſcant me omnes &c.* Jer. 31. v. 33. Complectitur igitur Nov. Teſt. hæc duo, remiſſionem peccatorum & renovationem, per prius beneficium liberamur ab accuſatione & condemnatione Legis, per poſterius beneficium inchoatur in nobis obœdientia legi debita, *ſumus enim nova creatura in Chriſto* 2. Cor. 5. v. 17. *conditi ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus* Eph. 2. v. 10. ex quo facilè intelligitur, an & quatenus lex moralis in Nov. Teſt. ſit abrogata. D. Chemn. ſic loquitur. Quatenus Decalogus condemnat, pertinet ad miniſterium Moſis & Vet. Teſtamentum, quatenus autem eſt regula juſtitiæ in Deo, ad cujus imaginem initio formati eramus, & quæ in nobis inſtauratur, eatenus ſit pars Novi Teſt. Hæc ſunt præcipua adverſariorum argumenta, ex quibus reliqua facili negotio diſſolvi poſſũt, de loco 1. Cor. 10. v. 1. & ſeqq. adeoq; in univerſum de diſcrimine Sacramentorum Vet. & Nov. Teſtamenti agetur inferius in Tract. de Sacramentis.

Convitia contra doctrinam Evangelii

127. Atque hæc eſt Eccleſiarum noſtrarum de Evangelio doctrina, ex qua Evangelicæ à quibuſdam vocantur, quæ adeò exoſa eſt Romanenſibus, ut nec à convitiis ſibi temperent. Conciliũ Tridentinum nos accuſat, quòd (ex Evangelio) *magnâ contra Catholicam Eccleſiam contentione prædicemus illam ab omni pietate remotam fiduciam.* Hadrian. Jung. de doctr. & morib. Evang. pag 5. *Sit ſanè & vocetur doctrina hæc Philaletha & defenſoris ejus, cujus primus hoc ſeculo autor fuit Lutherus, Evangelium, ſi quo etiam ſectatores ſuos nuncupari voluit Evangelicos: Dicamur hujus Evangelij adverſarii. Ceterùm hoc Evangelium, ſi ita appellandum eſt, & non potius Cacangelium non à Chriſto, ſed à Satana profectum eſſe ille ipſe fatetur, qui primus in lucem id protulit.* p. 408 oſtendere nititur Lutheri Evangelium multorum malorũ ac ſcelerum fontem eſſe ac cauſam. Eodem modo Franciſc. Turrian. lib. de Eccleſia. *Evangeliũ Lutheri eſt germanicum & quintum quoddam Evangelium.* Referenda hûc virulenta illa Bellarmini argumenta lib. 4. de Juſtif. c. 1. *Si Evangeliũ nullam requirit conditionem obœdientiæ, ſed eſt ſolâ fide contentum, certè qui nihil boni faciet, conſentaneè ad Evangelium vivet. Lutheranorum vita & mores ſunt corruptiſſimi. Ergò docent bona opera non eſſe neceſſaria.* D. Lutherus in præfat. artic. Schmacal. refert, Wittebergam veniſſe Doctorem quendam ex Galliis miſſum, qui palam dixerit, *Regi ſu. certo certius perſuaſum eſſe, quòd*

apud nos nulla ſit Eccleſia, nulla politia, nullum conjugium, ſed promiſcuè omnes pecudum more vivere pro arbitrio. In Comitiis Auguſtanis An. 30. celebratis Pontificii paraſitæ Carolo V. Imperatori laudatiſſimo ac reliquis Imperii Ordinibus perſuadere conabantur, *in noſtris Eccleſiis ſimpliciter prohiberi diſciplinam & omnem mortificationem carnis*; inde Alphonſ. Cæſaris Cancellarius Hiſpanus in Comitiis illis ad Melanchthonem dicebat: *Longè aliter, Philippe, in Hiſpaniis de vobis fama tulit, quam ex confeſſione veſtra intelleximus. Multi nobis perſuaſerunt, vos negare Trinitatem, de Chriſto & Maria impiè loqui, Sacramenta corrumpere, Cœnã Dominicam conviviis profanis more adminiſtrare, Magiſtratum contemnere, libidines ſtabilire.* Johannes à Daventria in refutatione Auguſtanæ Confeſſionis ſcribit, *Lutheranos ſtatuere, quòd tum demum verè ac plenè utantur Chriſtiana libertate, ſi carnem nunquam affligant, ſi nunquam jejunent, ſi ſeſe ſupra modum & ſupra Naturæ vires omnis generis cibis, etiam diebus feſtis infarciant & ventrem diſtendant.* Vide Harmon. Andreæ Fabricii p. 435.

Abuſus doctrinæ Evangelii.

128. Fatemur ſanè, aliquam multos, proh pudor! turpiſſimè doctrinâ Evangelii de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum abuti, quâ de re juſtiſſimam inſtituit querelam amicus noſter ſingularis Johan. Arnd. in præfatione librorum lectu digniſſimorum de vero Chriſtianiſmo, ſed hoc veritati Evangelicæ fraudi eſſe nec poteſt, nec debet. Quando Apoſtoli docebant, *Gratiam exuberare ſupra peccatum* Rom. 5. v. 20. audire cogebantur ab Epicuræis, *Faciamus mala ut eveniant bona* Roman. 3. v. 8. Quando docebant, *juſtificare hominem fide ſine operibus Legis* Rom. 3. v. 27. accuſabantur ab ψευδαδέλφοις, quòd *Legem deſtruerent per fidem* v. 30. Quando libertatem per Chriſtum partam prædicabant, improbi ex libertate illa *velamen malitiæ ſuæ quærebant* 1. Pet. 2. v. 16. Eandem igitur adhuc hodiè Evangelicæ doctrinæ ſortem eſſe quid mirum? Siniſtrâ ſæpius accipitur, quod dextrâ offertur, ac rei per ſe bonæ abuſus ſolet eſſe peſſimus, tantò plerunque pejor, quò res in ſeſe melior. Auguſt. lib. de Catechiz. rudib. cap. 25. refert paganos propter vitam quorundam Chriſtianorum Evangelii doctrinam calumniatos eſſe, quibus lib. 1. de moribus Eccleſ. Cathol. cap. 34. ſic reſpondet: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis vituperando mores hominũ, quos ipſa condemnat & quos quotidie tanquam malos filios corrigere ſtudet.*

Verus ejusdem uſus.

129. Verus Evangelicæ doctrinæ uſus is eſt. 1. Ut immenſam Dei miſericordiam in miſſione Filii agnoſcamus. Johan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Omnia Dei beneficia, omnes creaturæ ſunt teſtes dilectionis divinæ, ſed maximus ejus teſtis Chriſtus eſt, quo nullũ in cœlo aut terra majus ac præſtantius donũ erat. *Verè diligitur*, ait Clem. Alex. 1. pœdagog. c. 3. *propter quem unigenitus è ſinu Patris mittitur.* Anſh. lib. 2. Cur Deus homo c. 20. *Quid miſericordius intelligi poteſt, quam cùm peccatori tormentis æternis damnato, & unde ſe redimat non habenti Deus dicit: Accipe unigenitum meum & da pro te. Et ipſe Filius: Tolle me & redime te.* 2. Ut in omnibus tentationibus, præſertim in hora mortis firmam conſolationem habeamꝰ, Chriſti ſcil. merito verâ fide ad ſalutem apprehenſo. Eſa. 40. v. 1. *Conſolamini, conſolamini populum meum, dixit Deus veſter, v. 2. Loquimini ad cor Ieruſalem & clamate ad eam, quod completum eſt tempus militiæ ejus, quòd remiſſa eſt iniquitas ejus, quod ſuſcepit de manu Iehova duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Rom. 4. v. 16. *ideò ex fide ut ſecundũ gratiam firma ſit promiſſio.* Iren. lib. 3. c. 20. *Niſi Deus donaſſet ſalutem, firmiter eam non haberemus. In quibus manibus ſalus noſtra tutiùs conſiſtat, quàm in illis, quæ cœlum condiderunt & terram, in iis quæ nunquam abbreviari poſſunt, in iis quæ affluunt miſericordiæ viſceribus, nec deſunt foramina per quæ effluant*, ait Bernh. in Pſ. 31. v. 3. Ut verâ pietate per omnem vitæ curſum gratos nos Deo exhibeamus 2. Cor. 5. v. 15. *Pro omnib. mortuus eſt Chriſtus, ut qui vivunt, jam non ſibi vivãt, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* 1. Johan. 4. v. 11. *Si ſic dilexit nos Deus & nos debemus alterutrum diligere.* Tota vita ſerviat ei, qui per totam vitam pro te ſervire voluit. Pulcrè Chryſoſt. hom. 4. in 1. ad Tim. col. 1452. *Gloria Deo non verbis redditur, quia & ipſe non verbis nos honoravit, ſed rebus ac operibus; ſic & nos ipſum honoremus per opera.* Bernh. ſer. 11. ſup. Cant. col. 519. *Duo ſunt in redemtione noſtra notanda, modus & fructus. Modus quidem Dei exinanitio eſt, fructus verò noſtri de illo repletio: hoc meditari, ſanctæ ſpei ſeminarium eſt, illud, ſummi amoris incenſivum.* Quotquot igitur peccata ſua nondum agnoſcunt, nec ſeriò de illis dolent, ſed ſecurè in illis pergunt, ad illos tàm non pertinent Evangelicæ promiſſiones, quàm ad lapidem Balſamum, quã de re dictum fuit ſuperiùs §. 43. & ſuo loco pleniùs dicetur.

Definitio Evangelii.

130. Ex hiſce, quæ de Evangelio dicta ſunt, omnibus talem colligimus ejusdem definitionem. Evangelium eſt doctrinæ cœleſtis de ſalute hominum pars altera, eaq́; nobiliſſima, à Lege ἀντιδιῃρημένως contradiſtincta, quæ nobis hominib. non eſt naturâ nota, ſed ex arcano Patris cœleſtis ſinu per Filium prolata omnibus mundi temporibus in Eccleſia ſonuit, in qua gratuita peccatorum remiſſio, juſtitia & vita æterna omnibus in Chriſtum Mediatorem verè credentibus offertur & exhibetur, ad hominum ſalutem & Dei gloriam. Deo æterno Patri, qui per Filium noviſſimis mundi temporibus ad nos locutus eſt, eundemq́; conſtituit μεσίτην ϗ ἱκέτην noſtrum, ſit laus, honor & gloria in ſeculum, idem verbo Evangelii corda noſtra in omnibus tentationibus & in ipſa mortis hora efficaciter erigat & ſuſtentet, AMEN.

DE

DE POENITENTIA.

I.

Connexio cum loco præcedēte.

QUemadmodum totus Chriſtianiſmus non in nuda γνώσει ſed in πράξει conſiſtit, docente Chriſto Matth.5.v.19. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Luc.6.v.46. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico?* Joh.15. v.14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*, quò pertinet illud Ignatii Epiſtol.3.ad Magneſianos, Πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι, οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ: ita quoque haudquaquam ſufficere judicandum, Legis & Evangelii doctrinam noſſe, niſi eandem in vera ad DEUM converſione ſtudeamus ad praxin deducere: quinimò *Magiſter & Dominus noſter Ieſus Chriſtus pœnitentiam agere mandans totam Chriſtianorum vitam vult eſſe perpetuam pœnitentiam*, ut monet D.Lutherus in Propoſitionibus de Indulgentiis contra Tezelium th.1. Convenienti igitur ordine doctrinam de Lege & Evangelio, ſequitur doctrina de Pœnitentia, quæ eſt Legis & Evangelii viva quædam praxis.

Neceſſitas & utilitas doctrinæ de Pœnitentia.

2. Maxima verò hujus doctrinę eſt neceſſitas cum pari utilitate conjuncta. Cùm enim omnibus neceſſaria ſit pœnitentia docente Chriſto Lucæ 13.v.3. & 5. *Dico vobis, niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*; cùm per ſolam pœnitentiam poſt lapſum pateat nobis ad DEUM reditus, docente eodem Eſa.45.v.22. *Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ*, ecquis de doctrinæ hujus neceſſitate atque utilitate dubitare ampliùs poterit? Pulcrè Lactant.lib.6.divin.Inſtit cap.24. *Deus imbecillitatem noſtram ſciens pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubjecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubveniret.* Auguſt. de Spiritu & lit.cap.36. *Qualemlibet vel quantamlibet in hac vita poterimus definire juſtitiam, nullus in ea eſt hominum, qui nullum habeat omninò peccatum, omniq; homini eſt neceſſarium dare, ut detur illi, dimittere ut dimittatur illi.* Omnibus igitur neceſſaria eſt pœnitentia, quàm ut ritè & congruè agamus, pro ſtudio hanc doctrinam tractemus; *facilius ſe invenisse, qui ſervaverit innocentiam, quàm qui congruè egerit pœnitentiam*, ſcribit Ambroſ.lib.2.de pœnit.cap.10.quod citatur cap.Reperiuntur diſt.3.de pœnit.

ἐτυμολογία vocabuli.

3. Pœnitentia ** 1.juxta Iſidor.lib.6.cap.19. *appellata eſt quaſi punientia, eò quòd homo in ſe puniat, quod male admiſit.* 2.Lomb.4.ſent.diſt.14. lit. A. *pœnitentiam* dictam putat à *pœna* ut ſit quaſi *pœna tenentia*. Bell.1.de pœn.c.7. hoc amplectitur. 3.Eraſm. in c.7.Matth. & in c.7.poſt Cor.à *pone* deducit, & *pœnitere* dictum eſſe, quaſi *pone tenere*, id eſt, poſterius conſilium tenere, M.Bandinus in libris 4.ſententiarum (quem utpotè antiquiorem Eccius in præfatione libro iſti præfixa à Petro Lombardo utpote recentiore nihil differre exiſtimat, imò hunc ab illo omnia, quoad ſententias & ordinem fuiſſe mutuatum ſtatuit) lib.4.diſt.14. *Dicta eſt pœnitentia à puniendo, quâ quis illicita, quæ commiſit, punit. Pœnitere enim eſt pœnam timere, ut ſemper puniat, in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando.*** Hugo lib.3. de myſt. Eccleſ. dictam arbitratur *quaſi punientiam, eò quòd per eam homo in ſe puniat, quòd malè admiſit*: Scotus quaſi *pœnæ tenentiam*. Eraſmus deducit à *pone tenendo, quod eſt poſterius conſilium capere.* Hugoni aſſentitur Lombard.lib.4.ſent. diſt.14.lit.A. *Pœnitentia* dicitur *à puniendo, quâ quis punit illicita, quæ commiſit, pœnitentia virtus à timore concipitur.* Cupidè hoc amplectitur Bellarm. unde lib.1.de pœnit.cap.7. ſcribit: *Lutheranos voce pœnitentiæ non libenter uti & pro ea in Scripturis fermè ubiq; ſubſtituere vocem reſipiſcentiæ, propterea quòd pœnitentia etymon à pœna petitum tacito ſuo ſenſu ſatisfactionem pœnæ, ſive mulctam, quæ indicitur pœnitentibus, importet*, cui reſpondemus 1. nos nequaquam abhorrere ab hujus vocabuli uſu, cujus rei noſtrorum ſcripta luculentum præbent teſtimonium. 2.Pœnitentiæ vocem eſſe ἄγραφον, ſi propriam & nativam ſignificationem earum vocum reſpexeris, quæ in Hebraicis Vet.& Gręcis Nov. Teſtamenti fontibus de converſione uſurpantur: jam verò vocem ἄγραφον repudiare, nō eſt veritatem doctrinæ cœleſtis convellere. 3.Non ipſum uſum, ſed abuſum hujus vocabuli nos improbare, cum puta, quòd Romanenſes ex hac voce ſatisfactiones ſuas probare ſatagunt. **Pœnitentiam pœnas vel ſatisfactiones Eccleſiaſticas & Papiſticas propriè notare & pœnitentiam in Scripturis pro ſatisfactione poſitam eſſe nuſpiam invenitur.** 4.Pœnitentiæ vocem propriè & proximè deduci à pœnitet. Quamvis verò *pœnitere* Latinis idem dicatur, quod pœnam tenere, nondum tamen ex eo conſequens eſt, pœnæ nomine ſatisfactionem ſtatim intelligendam, ſiquidem pœnę nomine interior ille dolor, quem peccator æternis & temporalibus pœnis ſe obnoxium eſſe audiens ſentit, rectiſſimè intelligitur, illum verò non eſſe in judicio Dei ſatisfactorium ſuo loco demonſtrabitur. Gellius lib.7.Noct.attic.cap.1. *Pœnitere idem eſt, quod rei commiſſæ aliquem pudere ac pigere, ita ut pœnitet ſit idem quod pœna tenet, quæ enim tædio ac pudori ſunt, ea puniendi vim habent*, ſecundùm Auguſt.in Soliloq.c.19. **Inſuper 1. fatetur ipſe Bellar.col.1185.D. *ſignificationes vocum ex uſu potius Scripturæ & autorum; quam etymologia ducenda eſſe.* Ubi verò pœnitentia in Scripturis pro ſatiſfactione ponitur. 2. Si à vocabuli etymologia argumentandum eſ-

ſet, in lingua originali Hebræa & Græca, non autem aliena conſiderari deberet. Hebrǽum autem תשובה & Græcum *μετάνοια* pœnarum ſignificationem habet. 3. Si maximè reſpectus pœnæ involvatur, hoc tamen de interno potiùs dolore quàm exteriori mulcta poenitentibus impoſita intelligendum foret. Eò enim reſpexerunt Patres. Auguſt. tom. 4. lib. de vera & falſ. poenit. c. 8. col. 1043. *Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta puniens in ſe quod dolet commiſiſſe.* c. 19. col. 1053. *Pœnitere eſt pœnam tenere, ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando.* Vide etiam Epiſt. 108. ad Seleuc. Eo ſenſu etiam apud Latinos autores vox *pœnitendi* uſurpatur. Gell. lib. 17 N. A. c. 1. *Pœnitere tum dicere ſolemus, cùm quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis pòſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in his noſtram demutamus.* 4. Licèt ad exteriorem mulctam referatur, tamen hinc operum ſatisfactio Papalis ab Eccleſiaſtica ſatisfactione diſtincta non poteſt probari. Meiſner. p. 2. ſob. Phil. ſect. 1. c. 1. q. 21. Germanicum Buß videtur deſcendere à radice בוש *erubuit* ſic D. vid orat. Pſal. 6. v. 11. *pudore afficiantur inimici mei*, quod Auguſtinus ſic interpretatur Davidem velle ipſos poenitentiam agere.**

An Lutherus negaverit, pœnitentiam eſſe dolorem de vita præterita.

4. Nec eſt, quòd Bellarminus obvertat, Lutherum negâſſe, quòd poenitentia ſit odium vel dolor de vita præterita, cujus contrarium plus millies in Scriptis Lutheri occurrit. ** Gregor. de Valent. etiam tom. 4. diſput. 7. q. 2. punct. 1. col 1593 C. *Turpiter*, inquit, *erravit Lutherus, qui ſcripſit, ad pœnitentiam non pertinere dolorem de peccato præterito, ſed tantùm vitæ emendationem.* Vide art. 3. partis 3. art. Schmalcal. Lutherus hoc voluit, poenitentiam non in ſolis doloribus & terroribus conſiſtere, ſed potiùs in amore juſtitiæ, fiducia gratiæ & mutatione vitæ. Agnoſcit hoc Pererius dum in cap. 27. Geneſ. diſput. 8. pag. 770. ſuper locum Hebr. 12. v. 17. *non invenit pœnitentiæ locum*, ita commentatur. *Hoc loco vox pœnitentia ſignificat mutationem facti vel diſpoſitionis.* Et in hunc ſenſum alios ſcripturæ textus allegat, & tandem concludit. *Liquet igitur in vocabulo pœnitentiæ notionem eſſe ac ſignificationem mutationis* ** Conſiderentur autem verba Lutheri, quæ calumniæ occaſionem dederunt, & quid reſpondendum ſit, facilè apparebit, ea verò ſic habent tom. 1. Latin. Jenenſ. in Epiſt. ad Staupitium fol. 73. *Te velut è cœlo ſonantem excepimus, quòd pœnitentia vera non eſt; niſi quæ ab amore juſtitiæ & Dei incipit &c. Hæſit hoc verbum tuum in me, ſicut ſagitta potentis acuta, cœpiq́; deinceps cum Scripturis pœnitentiam docentibus conferre. Et ecce jucundiſſimum ludum verba undiq́; mihi colludebant, planeq́; huic ſententiæ arridebant & aſſultabant, ita ut cùm prius non fuerit fermè in Scriptura tota amarius mihi verbum quam pœnitentia, nunc nihil dulcius aut gratius mihi ſonet, ita enim dulceſcunt præcepta Dei, quando non in libris tantùm, ſed in vulneribus dulciſſimi Servatoris legenda intelligimus.* Et poſt pauca. *His inhærens auſus ſum putare eos falſos eſſe, qui operibus pœnitentiæ tantum tribuerunt, ut pœnitentiæ vix reliquum nobis fecerint præter frigidas quaſdam ſatisfactiones & laborioſiſſimam confeſſionem. Latino ſcilic. vocabulo adducti, quòd pœnitentiam agere actionem magis ſonet, quam mutationem affectus & Græco illi μετανοεῖν nullo modo ſatisfaciat.* Hæc D. Lutherus, ex quibus facilè apparet. 1. non ipſam poenitentiæ vocem improbari, ſed taxari eos, qui ex phraſi agere poenitentiam ſatisfactiones deducere cupiunt, cùm in Græco ſit μετανοεῖν, quod affectus mutationem ſignificat. Tertull. lib. 2. adverſ. Marcion. cap. 20. pag. 212. *In Græco ſono pœnitentiæ nomen non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt.* 2. Non negari poenitentiæ dolorem eſſe conjunctum, interim tamen ab amore juſtitiæ ac Dei illum debere incipere, & fidem in vulneribus Chriſti recumbentem eidem conjunctam eſſe oportere, ac proinde peccatorum remiſſionem non in noſtris operibus aut ſatisfactionibus, ſed in Chriſto quærendam eſſe. Nimirum idem voluit Lutherus, quod ex Auguſtino de poenit. allegat cap. Si Apoſtolus diſt. 3. de poenit. *Verus pœnitens de peccatis dolet & de dolore gaudet.*

5. Græcis duo potiſſimùm vocabula ſunt uſitata *μετάνοια* & *μεταμέλεια*. *μετανοεῖν* eſt poſt factum ſapere, mentem & conſilium in melius mutare, ad ſanam mentem redire, opponitur τῷ ἀφρονεῖν, unde quibusdam placet dici ab ἀνοίᾳ dementia, & *μετὰ* poſt, quaſi ſit dementiæ & ſtultitiæ correctio, cui reſpondet apud Latinos vox Reſipiſcentiæ, quæ notat mentis emendationem, reditum ad mentem & animi demutationem docente Tertulliano lib. 2. adv. Marcion. pag. 212. & Lactant. lib. 6. divin. Inſtit. cap. 24. ubi ſic ſcribit: *Is quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit, ideoque Græci melius & ſignificantius μετάνοιαν dicunt, quàm nos poſſimus reſipiſcentiam dicere. Reſipiſcit enim ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatq́; ſeipſum dementiæ & confirmat animum ſuum ad rectius vivendum, tum illud ipſum maximè cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* ** Flacius p. 1. Clavis col. 905. triplicem etymologiæ vel compoſitionis rationem affert. 1. ut ſignificet poſt factum intelligere, aut animadvertere erratum vel conſiderare ac cogitare. 2. ut ſignificet cogitatione revolvere factum, ſicut præpoſitio *μετὰ* aliquando idem valet, quod trans aut denuò ut μεταμορφοῦν transformare, *μεταποιεῖν* reficere opus, Sic *μετανοεῖν* id quod antea ἐνόησας cogitaſti, denuò & aliter cogitare & conſiderare & velut animo recoquere, inque formam aliam refundere aut refringere. 3. Ut præpoſitio idem valeat, quod cum, ſitque *μετανοεῖν* cum animo aliquid reputare, ſicut & Latini dicunt, ſuo cum animo aliquid conſiderare, non temerè ac ſine cogitatione aliquid agere, ſicut ante in peccando factum fuit. Rationes hæ ſingulæ Naturam poenitentiæ ſatis apertè declarant. Eſt enim illa. 1. erroris agnitio & ſapientia poſt factum. 2. agniti deteſtatio conjuncta cum ſerio voto, ut aliter eſſet factum. 3. mentis mutatio &c.** Apud Hebræos reſpondit ei vox תְּשׁוּבָה theſchubhâh, reditus ac reverſio. Lutherus in Epiſtol. ad Staupit. tom. 1. Jenenſ. Latin. fol. 74. *Studio & gratiâ eruditiſſimorum virorum, qui nobis Græca & Hebræa officioſiſſimè tradunt, didici, idem verbum Græcè μετάνοια dici à μετὰ & νοεῖν, id eſt, à poſt & mentem, ut ſit pœnitentia ſeu μετάνοια reſipiſcentia; & poſt acceptum damnum & cognitum errorem intelligentia ſui mali, quod ſine mutatione affectus & amoris fieri eſt impoſſibile. Deniq́; profeci & vidi, μετάνοιαν non modo à poſt & mentem, ſed a trans & mentem poſſe deduci (ſit ſanè violentum)* μετάνοια

ut

ut μετάνοια tranſmutationem mentis & affectus ſignificet, quod non modò affectus mutationem, ſed & modum mutandi, id eſt, gratiam Dei videbatur ſpirare. Nam tranſitus ille mentis, id eſt, veriſſima pœnitentia, celeberrimus eſt in ſacris literis, ne quem phaſe illud vetuſtum olim ſignificavit, Chriſtus exhibuit, & longè ante Abraham quoq; figuravit, quando tranſitor, id eſt, Hebræus vocari cœpit, trajectus ſcil. in Meſopotamiam, ut Burgenſis rectè docet. Hæc Lutherus.

μεταμέλεια.

6. Μεταμέλεσθαι & μεταμέλειν eſt poſt factum aliquod ſolicitum & anxium eſſe, ita ut in animo oriatur diſplicentia, quâ quis rem factam infectam eſſe exoptat, cui reſpondet vox Pœnitentiæ, quatenus ſignificat dolorem in animo conceptum ob malum commiſſum vel bonum prætermiſſum. Tertull. lib. de pœnit. ſtatim in principio pag. 551. *Pœnitentiam hoc genus hominum, quòd & ipſi retrò fuimus* (Ethnici) *Natura tenus norunt paſſionem animi quondam eſſe, quæ veniat de offenſa ſententiæ prioris.* **Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 7. col. 1185. B. *vocem μεταμελείας nuſquam ferè in Scripturis occurrere* ait, *cùm de converſione hominis peccatoris agitur.* Sed occurrit Matth. 21. v. 29.** Porrò μεταμέλεια ac pœnitentia non ſolùm eorum eſt, quæ poſſumus mutare & corrigere, ſed etiam illorum, quæ neceſſariò nos premunt, nec ullam patiuntur mutationem, μεταμέλει τοῦ γήρως, ſenectutis eum pœnitet. Accuratè igitur loquendo μετάνοια mutationem mentis, μεταμέλεια voluntatis ſignificare videtur., μετανοεῖν eſt ad meliorem mentem redire, μεταμέλεσθαι pœnitudine duci eorum, quæ antea placuerunt. **Cæterum 1. μεταμέλεσθαι in vitio etiam uſurpatur, μετανοεῖν verò ſemper in bonam partem. 2. μεταμέλεσθαι magis congruit ad dolorem & contritiones, μετανοεῖν verò vitæ & conſilii mutationem. 3. μεταμέλεια Latinè pœnitentia, μετάνοια verò reſipiſcentia vel tranſmentatio appellatur. Hanc diſtinctionem vocum urgent Beza in annot. ad c. 3. Matth. Muſcul. in Locis f. 255. Zanch. in volum. poſth. in 4. præc. loc. 6. p. 745. Bucan. in Inſtit. loc. 30. q. 1. p. 312. Obſerva autem 1. diſtinguendum eſſe inter ſignificationem Etymologicam & Biblicam. Secundùm illam voces prædictæ ita videntur differre, ut μετάνοια mutationem mentis, μεταμέλεια ſolicitudinem notet; ſecundùm hanc autem conveniũt, quia utraq; vox pro vera & ſalutari pœnitentia uſurpatur. 2. Vocabulum μετανοίας dupliciter accipi: latè pro integra pœnitentia Matt. 3, 2, 8, 11. c. 9, 13. Luc. 15, 10. & c. 24, 47. Act. 2, 38. c. 19, 4. 2. Pet. 3, 9. Apoc. 2, 5. ſtrictè pro ſola contritione. Marc. 1, 15. Act. 20, 21.**

Quomodo differant μετάνοια, & μεταμέλεια.

7. Μετάνοιαν in ſacris literis ſemper in bonam partem uſurpari & ſalutarem emendationem ſignificare, contra verò μεταμέλειαν in vitio etiam uſurpari diſputat Becan. loc. 30. p. 287. ſecutus Bezam & Hemming. qui μεταμέλειαν ad legem, μετάνοιαν ad Evangelium referunt, atq; illâ quidem pœnitentiam pœnitendam, ſcil. dolorem ſine fidei temperamento, hac verò pœnitentiã ἀμεταμέλητον, ſcil. dolorem cum reditu ad ſaniorem mentem per fidem & vitæ emendationem denotari ſcribunt. **Idem ſtatuit Danæus part. 4. Iſag. Chriſt. lib. 4. de fide cap. 52. Beza in annot. Matth. 3. *μετανοεῖν cùm eſt verbum abſolutum propriè ſignificat poſt factum ſapere & de errore admiſſo dolere ut corrigas, nec unquã ſumitur niſi in bono, ſemper enim cum μετανοίᾳ cohæret σωφρονισμὸς at μεταμέλεσθαι declarat poſt rem aliquam factam ſolicitum eſſe & anxium pro quo Latini dicunt pœnitere, atque id uſurpari etiam poteſt in vitio. Neque enim propriè complectitur vitæ & conſilii mutationem in melius, ſed ſimpliciter ſolicitudinem quandam καὶ δυσαρέστησιν diſplicentiam.* Idem repetit volum. 1. oper. Theol. p. 328. Rupertus Abb. in cap. 5. Oſeæ. *Pœnitentiam agere & converti ad Dominum non ſunt idem in ſacris litteris. Si hæc idem eſſent, Achab impium Regem fatebimur reverſum fuiſſe ad Dominum, quia pœnitentiam egit pro ſanguine Naboth, quem occidit &c. Egit pœnitentiam, non ut æternum Dei regnum conſequeretur ſed ne temporali regno Samariæ excideret.*** Sed enim quamvis plerunque μετάνοια de ſalutari contritione, cui fides & emendatio vitæ conjuncta eſt: μεταμέλεια verò de hypocritica contritione à fide & ſpe veniæ ſejunctâ uſurpetur, exempla tamen Scripturæ oſtendunt, diſcrimen hoc non eſſe perpetuum: Inde LXX. Interp. vocem Hebræam נִחַם Nachám, promiſcuè reddunt per μεταμέλομαι Ezech. 14. v. 22. & μετανοέω Jerem. 8. v. 6. De Eſavo dicitur Heb. 12. v. 17. quòd non invenerit μετανοίας τόπον, quem tamen ſalutarem pœnitentiam egiſſe haud quaquam credimus, quamvis paſſivè de pœnitentia patris ſive mutatione conſilii paterni illud accipi poſſit, inde Chryſoſtomus tùm Eſavi tùm Judæ pœnitentiam deſcribens utitur voce μετανοῆσαι. Prov. 14. v. 15. πανοῦργος ἔρχεται εἰς μετάνοιαν. Sapient. 5. v. 3. de impiis in extremo judicio fruſtra pœnitentibus dicitur ἐροῦσιν ἐν αὐτοῖς μετανοοῦντες. Vocem μεταμελείας de ſalutari pœnitentia uſurpari manifeſtè conſtat ex Matth. 21. v. 29. ὕστερον μεταμεληθεὶς ἀπῆλθε verſ. 32. ὑμεῖς δὲ ἰδόντες οὐ μετεμελήθητε. **Patres promiſcuè illâ voce uſos conſtat ex Epiph. adv. Catharos. εἴ τις παρέπεσεν οὐκ ἀπολλύει τοῦτον ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία. δίδωσι γὰρ καὶ ἐπάνοδον καὶ μετὰ τὴν μετάνοιαν, τὴν μεταμέλειαν. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Hebr. μετανόησε καὶ ὁ Ἰούδας, ἀλλὰ κακῶς. ἀπήγξατο γάρ. Ipſum etiam Urſinum veritas profiteri coegit part. 4. Catech. p. 16. *diſcrimen in his verbis vel eſſe nullum vel exile, niſi quod μετάνοια partis intelligentis, μεταμέλεια partis volentis mutationem propriè ſignificet.*** Quid de diſtinctione inter contritionem legalem & Evangelicam ſtatuendum ſit, ſuo loco docebitur.

8. Hebræis uſitata eſt vox תְּשׁוּבָה theſchubháh, *reditus, converſio, ad Deum regreſſio*, cui opponitur מְשׁוּבָה meſchubháh, *averſio, defectio abitus ad malum* à rad. שׁוּב ſchóbh, *rediit, reverſus fuit*, quando enim peccamus, à Deo nos avertimus & ab eo recedimus, Eſa. 59. v. 2. *Peccata veſtra diviſerunt inter vos & Deum veſtrum*, quando verò pœnitentiam agimus, iterum ad Deum redimus. Deuter. 30. v. 2. *quando redibis* שַׁבְתָּ Schábhthah, *ad Dominum Deum tuum & audies in voce ejus.* 1. Regum 8. v. 35. יְשׁוּבוּן jeſchubhun; *redibunt à peccatis ſuis*; ubi duo termini converſionis hujus proponuntur. Inde Irenæus libr. 3. cap. 35. *Pœnitentiam & regreſſum* conjungit, prius per poſterius ἐξηγητικῶς declarans. Quemadmodum enim omnis motus verſatur inter terminũ à quo & terminum ad quem, ita quoque pœnitentia eſt תְּשׁוּבָה theſchubháh, ἐπιστροφὴ ſive converſio à peccatis ad juſtitiam, à Diabolo ad Deũ, à morte ad vitã, à tenebris ad lucem, ab eo quod

eſt φαινομένως bonum ad illud quod ὄντως tale. Actor. 26. v. 18. ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ ἐπὶ τὸν Θεὸν verſ. 20. μετανοεῖν καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεόν, quo ſenſu Phavorinus dicit pœnitentiam eſſe converſionem ἀπὸ τῶν πλημμελημάτων ἐπὶ τὸ ἐναντίον ἀγαθόν; Damaſcenus libr. 2. Orth. fid. cap. 30. definit quòd ſit ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὸ κατὰ φύσιν καὶ ἀπὸ τοῦ Διαβόλου πρὸς τὸν Θεὸν ἐπάνοδος; Auguſtin. de vera & falſ. pœnit. cap. 1. *quòd homines ad Angelos reducat & creaturam creatori reſtituat.* Cogitent piæ mentes, an non poſſit in dicto Eſa. 30. v. 15. *In quiete ſalvabimini*, per שׁוּבָה Schubháh, intelligi pœnitentia, per quam ad veram animæ quietem aſpiramus. Ita certè reddiderunt LXX. Interpp. ὅτι ἀποστραφεὶς στενάξῃς, τότε σωθήσῃ quos ſequitur Ambroſ. lib. 1. de pœnit. cap. 4. *Si converſus ingemueris, ſalvus eris.*

Ὁμωνυμία vocis pœnitentiæ. 9. Poenitentiæ vox variis accipitur modis. In genere notandum, quòd tribuatur vel Deo, vel hominibus. Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς & ἐνεργητικῶς. Sic Geneſ. 6. v. 6. & 7. *Pœnitet me feciſſe hominem.* 1. Sam. 15. v. 29. *Pœnitet me, quod Saulem conſtituerim Regem.* Pſal. 106. v. 45. *Pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum.* Jonæ 3. v. 10. *Pœnituit Deum mali, quod locutus erat eis & non fecit.* Poenitere autem dicitur Deus, non quòd eventum rerum ignoraverit, vel dolore quodam perturbatus fuerit, vel conſilii ſui mutationem ſuſceperit, ſed quòd ea in exteriori opere egerit, quæ videmus homines poenitentiâ priorum factorum ductos agere. Pulcrè Tertullian. lib. 1. adv. Marcionem cap 20. *Non ſi hominem ex recordatione plurimum delicti, interdùm & ex alicujus boni operis ingratia pœnitet, ideò & Deum proinde, in quantum enim Deus nec malum admittit, nec bonum damnat; in tantum nec pœnitentia boni aut mali apud eum locus. Nam & hoc tibi Scriptura determinat dicente Samuele Sauli* (1. Sam. 15. v. 29.) *Non convertetur Dominus, nec aget pœnitentiam, quia non ſicut homo eſt ad pœnitendum. Hac itaque definitio in omnibus aliam formam divina pœnitentia ſtatuit, qua neque ex improvidentia, neque ex levitate, neque ex ulla boni aut mali operis damnatione reputetur, ſicut humana. Quis ergo erit mos pœnitentia divinæ? jam relucet, ſi non ad humanas coditiones eam referas. Nihil enim aliud intelligetur, quàm ſimplex converſio ſententiæ prioris, quæ etiam ſine reprehenſione ejus poſſit admitti.* Auguſt. 15. de civ. Dei, cap. 15. *Cogitatio & recogitatio Dei eſt mutandarum rerum immutabilis diſpoſitio. Neque enim ſicut hominem, ita Deum cujusquam facti ſui pœnitet, cujus eſt de omnibus omnino rebus tam fixa ſententia, quàm certa præſcientia.* Idem 17. de civ. Dei, cap. 7. *Non pœnitet Deum ſicut hominem. Vbi enim legitur, quòd poeniteat mutatio rerum ſignificatur immutabili præſcientia manente divinâ.* Deſumta hæc ſunt ex Num. 23. v. 19. 1. Sam. 15. v. 29. Mal. 3. v. 6.

10. Reſpectu eo, quo hominibus tribuitur poenitentia, variis modis accipitur. Abſolutè & in genere quamvis conſilii & propoſiti mutationem ſignificat. Exod. 13. v. 17. Deus non deduxit Iſraelitas per viam proximam, videlicet per terram Philiſtinorum, *ne forte poeniteret eos.* 1. Samuel. 15. v. 29. *Deus non eſt ſicut homo, ut poenitentiam agat*, hoc eſt, ut conſilium & propoſitum ſuum mutet, ſicut homines ſolent, quos propterea ἐυμεταβόλα ζῶα Plato vocat. Propriè & in ſpecie pro hominis ad Deum converſione vox poenitentiæ accipitur, idq; dupliciter, primò quidē pro externis converſionis actibus & ſignis, ſive converſio illa ſit ſeria ſive ſimulata 2. Paral. 33, 12. *Manaſſes in anguſtiis & vinculis conſtitutus deprecatus eſt Dominum & egit poenitentiam valde*, i.e. exteriorib ſignis & actibus ſeriam converſionem & humiliationem ſuam teſtatus eſt, Matth. 11, 21. *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent tales virtutes, in cinere & cilicio poenitentiam egiſſent.* Deinde pro internis poenitentiæ & converſionis motibus, ex quibus exteriores illi actus oriuntur: idq; iterū dupliciter: primò quidem ὁλικῶς pro toto converſionis actu Jere. 18. v. 8. *Si poenitentiam egerit gens illa a malo, agam & ego poenitentiā*, dicit Dominus Matth. 9. v. 13. dicit Chriſtus: *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad poenitentiam*: Act. 11. v. 18. dedit gentib. μετάνοιαν εἰς ζωήν: deinde μερικῶς pro ſola contritione priore poenitentię parte. Marc. 1, 15. *Agite poenitentiā, & credite Evangelio.* Act. 20, 21. *Conteſtatus ſum Iudæis & Græcis poenitentiā ad Deum & fidem in Chriſtum.* Vis & origo vocabuli magis declinat ad ſignificationem poſteriorem, ſed uſus ſcripturæ & Eccleſię magis declinat ad priorē. Porrò an ὁλικῶς an v. μερικῶς pœnitentię vocula accipiatur ex ſeqq. regulis cōſtabit. Quando poenitentię tribuitur effectus remiſſionis peccator. gratiæ divinæ, averſionis vel mitigationis poenarum, vitæ & ſalutis ęternę, nec tamen diſerta mentio fit fidei, in illis dictis pœnitentiæ nomine totū converſionis opus intelligendū eſt. Viciſſim quando fides in Chriſtū poenitentiæ diſertis verbis adjungitur, tunc poenitentiæ nomine altera tantùm pars illius, videl. cōtritio intelligitur. Atq; hę ſunt potiores hujus vocabuli ſignificationes, ſingularis ea eſt, quā Hebr. 12, 17. paſſivè ꝓ mutatione facti pręcedentis accipitur. *Eſau non invenit locū poenitentiæ*, i.e. non potuit à parente Iſaaco impetrare, ut benedictionem Jacobo collatam pronunciaret irritam.

11. Poenitentiæ pro vera ad Deum converſione acceptæ varia ſunt ſynonyma. Quos enim peccatorum ſuorum ſalutariter poenitet, illi dicuntur à peccatis ad Dominum converti, à via ſua reverti, quærere Dominum, reſurgere, declinare à malo & facere bonum, &c. Conſtituemus tales ſynonymarum appellationum claſſes. Quędam ſunt generales totum converſionis opus exprimentes; quædam verò ſpeciales ex una converſionis parte totū deſcribentes. Generales appellationes hæ ſunt, quando poenitentia 1. ratione termini à quo dicitur ἀποστροφὴ *Converſio à peccatis* 1. Reg. 8, 35. Eſa. 59, 20. *à viis malis*, 2. Par. 7, 14. *ab impietate & iniquitate*, Jer. 18, 8. Ezech. 18, 30. *ἀπόστασις ἀπ᾽ ἀδικίας* 2. Tim. 2, 19. 2. ratione termini ad quem dicitur ἐπιστροφὴ *Converſio ac reditus ad Dominū* Deut. 30, 2. Jer. 3, 7. &c. *Hæc dicit Dominus. ſi converteris Iſrael, ad me convertere*, Jer. 15, 19. 3. ratione utriusq; termini dicitur cōverſio abſolutè. Jer. 31, 19. *Poſtquā convertiſti me, egi poenitentiā.* Act. 3, 19. *Agite poenitentiā & convertimini.* In quibusdā dictis uterq; terminus diſertis ꝟbis cōjungitur Act. 26, 18. *ut convertātur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum.* 4. ratione effecti dicitur *poenitentia ad remiſſionē peccator.* Marc. 1, 4. & *ad vitam.* Act. 11, 18. 5. Metaph. à ſimili dicitur *reſurrectio prima*, reſpectu ſc. ſecundæ illius reſurrectionis corporū, quā in *Συνώνυμα Pœnitentiæ.*

extre-

extremo die expectamus Apocal. 20. v. 6. *Beatus & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima, ἐν τῇ ἀναστάσει πρώτῃ in his ſecunda mors non habet poteſtatem.* ** Pœnitentia vocatur *reſurrectio prima* Joh. 5. & Apoc. 20. cauſam exponit Auguſt. 20. de civ. Dei. c. 6. *quia habent & anima mortem ſuam in impietate atq; peccatis.* ** Col. 2. v. 12. *reſurrexiſtis* συνηγέρθητε διὰ τῆς πίστεως verſ. 13. *cum mortui eſſetis in delictis, convivificavit* συνεζωοποίησε *cum illo.* Epheſ. 5. v. 14. ἔγειραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν (Hebr. 6. v. 1. *Pœnitentia ab operibus mortuis*) καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστὸς, ubi conjunguntur ἔγερσις ἀνάστασις καὶ τὸ ἐπιφαίνειν 2. Tim. 2. verſ. 25. *Si fortè det illis Deus pœnitentiam,* v. 26. *ut reſipiſcant à Diaboli laqueis* ἀνανήφειν eſt ad ſobrietatem redire, mentis compotem fieri. Speciales appellationes συνεκδοχικῶς converſionem deſcribentes ſunt. 1. Confeſſio. 1. Johan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata.* Prov. 28. verſ. 13. *Qui tegit ſcelera ſua, nunquam proſperè aget; qui verò confitetur ac derelinquit, miſericordiam conſequetur.* 2. Triſtitia ſecundum Deum 2. Cor. 7. verſ. 10. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt,* μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται. 3. Declinatio à malo & bonum propoſitum. Pſal. 37. verſ. 27. *Declina à malo, & fac bonum & habitabis in ſeculum, &c.* Juſtinus pœnitentiam agere vocat μεταβάλλειν Apol. 2. p. 52. μεταθέσθαι pag. 71. μεταγινώσκειν Dial. cum Tryph. p. 177.

Periphraſes pœnitentiæ ex veteribus.

12. Referenda huc ſunt Epitheta ac periphraſes, quibus pii veteres pœnitentiam deſcribunt, iiſdemque ad agendam pœnitentiam nos exuſcitant. Juſtin. in qq. & reſp. ad Orthod. q. 98. p. 351. *probatam* vocat *peccantium medelam* δόκιμον ἰατρὸν τῶν ἁμαρτωλῶν. Tertull. lib. de pœnit. pag. 553. *Pœnitentia vita eſt.* pag. 555. *precium quo Dominus veniam addicere conſtituit.* Lactant. lib. 6. Inſtit. c. 24. p. 377. *Portus ſalutis medicina pœnitentia.* In Epit. div. Inſt. cap. 6. p. 541. *magnum pœnitentia auxilium, magnum ſolatium, illa eſt vulnerum, peccatorumq; ſanatio; illa ſpes, illa portus ſalutis.* Nazianzen. orat. 15. pag. 236. μέγα κακίας φάρμακον. orat. 40. in S. Baptiſma p. 641. δευτέρα κάθαρσις. Ambroſ. lib. de fuga ſeculi c. 6. tom. 4. p. 316. *bona fuga.* Aug. de vera & falſa pœnit. cap. 1. *Via, qua homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori.* ** Idem 17. de civ. Dei. c. 20. Vocat *ſaluberrimam pœnitendi humilitatem.* ** Iſidor. lib. de ſumm. bono. *Pœnitentia eſt medicamentū vulneris, ſpes ſalutis, per quam mors deſtruitur & vita reperitur, infernus clauditur, cœlum aperitur, Diabolus fugatur, Deus invenitur.* Chryſoſt. in orat. quòd unus & idem Legiſlator. ῥίζα θεοσεβείας μετάνοια. Tharaſius in Epiſt. ad Johan. Preſbyt. tom. 2. conc. *Pœnitentia eſt armatura magna, ſalutis via, hoſpitii regni cœlorum diſpenſatrix, incorruptibilis vitæ dux, Martyricorum certaminum æquiparatio, ad Deum viam indicans & cum ipſo nos eſſe faciens, humani generis baculus, cadentium & lapſorum reſurrectio, &c.* Bernhard. ſerm. 30. ſuper Cantic. coll. 587. *Lachrymæ peccatorum ſunt vinum Angelorum.* Serm. 68. in Cant. *Pœnitentium lachrymæ Angelorum deliciæ.* Breviter, holocauſtum medullatum eſt cor peccatoris humiliatum, & quotidianis lachrymis rigatum.

An pœnitentia ſit ſecunda poſt naufragium tabula.

13. Solenne eſt Hieronymo pœnitentiam vocare *ſecundam poſt naufragium tabulam.* Epiſtol. 8. & 47. in cap. 3. Eſaiæ. Idem facit Ambroſius lib. ad virginem lapſam cap. 8. tom. 1. p. 137. *Tu quæ ingreſſa es agonem pœnitentiæ, inſiſte miſera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulæ, ſperans per ipſam te de profundo criminum liberari.* Ambo imitati ſunt Tertullianum, qui lib. de pœnit. p. 553. ſic ſcribit: *Pœnitentiam tu peccator mei ſimilis (imò nec minor, ego enim præſtantiam in delictis meam agnoſco) ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merſum prolevabit & in portum divinæ clementiæ protelabit.* Id verò nō hoc ſenſu accipiendum quaſi fœdus, quod in Baptiſmo nobiſcum Deus iniit, fragile & temporarium ſit, ita ut Baptiſmi navis planè diſſiliat, ſed eſt immotum perpetuum ac ſempiternum fœd⁹ Oſeæ 2. v. 13. Rom. 11. v. 29. 2. Tim. 2. v. 12. ad quod per pœnitentiam ſemper nobis patet reditus, cùm Baptiſmi virtus per totam vitam duret; ut ſuo loco demonſtrabitur. Nos igitur per peccata contra conſcientiam ex navi Baptiſmi in profundum damnationis mare proſilimus, ideoque ſecundâ tabulâ opus eſt, per quam ad fœdus gratiæ & Baptiſmi navim iterum redeamus; niſi in profundo peccatorum pelago perire velimus. Quinimò naufragium illud, poſt quod ſecunda tabula neceſſaria eſt, rectiſſimè intelligitur de naufragio fidei & bonę conſcientię, quam per peccata contra conſcientiam amittimus, ſed per ſeriam pœnitentiam iterum recuperamus. 1. Tim. 1. v. 19. *Quidam repellentes* ἀπωσάμενοι *bonam conſcientiam naufragium fidei fecerunt.*

An ſit pœnitentia.

14. Antequam verò ad Naturam ac partes pœnitentiæ explicandas deſcendamus, primò omnium probandum eſt, eſſe pœnitentiam, h. e. verè pœnitentibus reditum ad Deum patere, iiſdemque peccatorum remiſſionem annunciandam eſſe. ** Photiniani ſtatuunt, *Si quis in peccata mortalia voluntaria & contra conſcientiam prolabatur, & non ſtatim ſimul ac ea commiſit, de iiſdem verè doleat & pœnitentiam agat, illum poſtmodum nullam amplius conſequi poſſe remiſſionem peccatorum, ſi maximè cum lachrymis eam quærat,* muthwillige Sünde haben kein Opffer Heb. 10. Matth. Radeke Syndicus Dantiſc. in libro cui titulus: Welche ſind die Chriſtum verleugnen. Joh. Sommerus ſcribit *pœnas temporales, quæ ob ſcelera infliguntur, non niſi à Deo irato infligi & æternæ damnationis teſtimonia eſſe.* ** Fuerunt etiam ſuperioribus ſeculis circa Annum 220. Novatiani à Novato homine Afro & vafro dicti, qui pœnitentib⁹ veniam negandam ſtatuerunt. Euſeb. lib. 6. c. 43. nominabant ſe καθαροὺς καὶ λογισμῷ φυσίνους. ** Idem lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 7. de Novatianis dicit, *quod benignissimo Domino noſtro Ieſu Chriſto immiſericordiæ calumniā ſtruāt.* ** Cyprian. lib. 1. Epiſt. 1. ad Cornelium p. 2. *Novatianus deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitentiæ.* Serm. de Cœn. Dom. p. 455. *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia, ſed in amplitudine ſiti9 ſui mater caritas prodigos ſuſcipit revertentes & velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitētes.*

Novatiani negant.

** lib. 5. in Joh. cap. 15. *Enimverò locus præſens nunc exigit, ut Scriptura cùm verbis tùm exemplis oſtendatur Dei miſeratio indulta hominibus, quoties expetitur remiſſio. Peccaverunt filii Iſrael in vituli conflatilis adoratione. Oravit Moſes Dominum & prævaricationis hujus veniam obtinuit. Flagravit deſiderio carnium populus & murmuravit in Dominum, qui rurſum deprecante Moſe placatus eſt. Attonitus exploratorum narratione idem populus de Domino conqueſtus eſt, quod eũ in terram illam ducturus eſſet, ubi hoſtili caderet gladio: iterum Moſes oratione ſua placabilem Dominum reddidit. Omitto concitationem populi Iſraelitici in ſeditione Core factam & murmurationem ad aquas contradictionis, immiſſionemq́; ſerpentiũ ignitorum in populum ob domeſticas ſibi & quotidianas contra Deum obmurmurationes. In quibus omnibus inflexus Moſis precibus Dominus dedit remiſſionem populo non ſemel neque bis.* &c. lib. 4. Epiſt. 2. *Si cum Novato lapſorum pœnitentiam reſpueremus, adſcribetur nobis in die judicii, nos ovem ſauciam non ſanaſſe & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe. Chriſtus errantes quæſivit nos venientes rejiciemus?* Baſilius M. ſerm. de pœnit. *Rogemus Salvatorem, quare ad nos veniſti? reſpondebit, non veni ſervare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam ſciſcitemur ab ipſo. Quid portas in humeris? ovem reſpondebit perditam. Quæramus, cujus gratia gaudent, qui ſunt in cœlis? unius, reſpondebit pœnitentis gratiâ Angeli lætantur & tu heretice pœnitenti hanc invides lætitiam? DEUS illum ac gaudio amplectitur & tu hoc prohibes?* Epiphan. lib. 2. tom. 1. fol. 216. οὗτοι ἑαυτοὺς φάσαντες καθαροὺς, ἀπ' αὐτῆς τῆς ὑποθέσεως ἀκαθάρτους ἑαυτοὺς ἀποτελοῦσι. πᾶς γὰρ ὁ ἑαυτὸν ἀποφήνας καθαρὸν, ἀκάθαρτον ἑαυτὸν τελείως κατέκρινε. *Hi qui ſeipſos Catharos, id eſt, puros appellant, ab ipſo doctrinæ ſuæ argumento impuros ſeipſos efficiunt. Omnis enim qui ſeipſum purum pronunciat, impurum ſeipſum perfectè condemnavit.*** Ambroſ. 1. de pœnit. c. 2. p. 153. tom. 1. *Ajunt* (Novatiani) *ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem autor veſtri erroris Novatianus, qui nemini pœnitentiam dandam putavit, eâ ſcilic. contemplatione, ut quod ipſe non poſſet ſolvere, non ligaret.* Epiphan. tom. 1. lib. 2. hæreſ. 59. p. 214. Edit. græc. Καθαροὶ λεγόμενοι ἀπὸ Ναυάτου τινὸς, οὗτος ὁ Ναυάτος ἐπὶ τῶν ῥωμαίων ὑπῆρχεν ἐν καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τοῦ πρὸ Μαξιμίνου, ἀπὸ δὲ τῆς προφάσεως ἐν τῷ διωγμῷ παραπεσόντων, ἐπάρματι αἰρεθεὶς ἅμα τοῖς ἐπαγωμένοις αὐτῷ μὴ θελήσας κοινωνῆσαι τοῖς μετανοοῦσιν ἀπὸ τοῦ διωγμοῦ εἰς αἵρεσιν ταύτην τέτραπται, λέγων μὴ εἶναι σωτηρίαν, ἀλλὰ μίαν μετάνοιαν, μετὰ δὲ τὸ λουτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεεῖσθαι παραπεπτωκότα. Auguſt. lib. de hæreſ. ad Quodvultdeum. hæreſ. 38. *Cathari, qui ſeipſos iſto nomine quaſi propter mundiciem ſuperbiſſimè atque odioſiſſimè nominant, pœnitentiam denegant, Novatum ſectantes hæreticum, unde etiam Novatiani appellantur.* Socrates lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 20. commemorat Leontium Ancyræ Epiſcopum Siſinnio Novatianorum Epiſcopo roganti ut Eccleſiam ipſis ablatam reſtitueret, dixiſſe ὑμεῖς ὦ Ναυατιανοὶ, οὐκ ὀφείλετε ἐκκλησίας ἔχειν, τὴν μετάνοιαν ἀναιροῦντες καὶ τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ θεοῦ ἀποκλείοντες. Idem lib. 1. Hiſtor. cap. 7. refert, Imperatorem Conſtantinum Aceſio Novatiano dicenti, eos qui poſt Baptiſmum in peccatum ad mortem inciderint, ad pœnitentiam cohortandos, ſed remiſſionis ſpem non à Sacerdotibus, ſed à DEO expectandam, reſpondiſſe: Θὲς Ἀκέσιε κλίμακα καὶ μόνος ἀνάβηθι εἰς τὸν οὐρανόν. ἀφορμὴ erroris Novatiani fuit quorundam apoſtaſia tempore perſecutionis, contra quos ſeveritate quadam utendum cenſuit Novatus. Quò pertinent etiam incommodæ locutiones veterum. Clemens lib. 2. ſtrom. *Apparet, ſed non eſt pœnitentia ſæpe petere de iis, quæ ſæpe peccantur.* Tertull. lib. de pœnit. pag. 557. *Intinctionis* (Baptiſmi) *ſerâ obſtructâ, collocavit Deus in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat, ſed jam ſemel, quia jam ſecundo: ſed ampliùs nunquam, quia proximè fruſtra, non enim & hoc ſemel ſatis eſt?* ubi rectè annotat B. Rhenanus: *imò non ſolum ſemel aut ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Quòd Bellarminus 1. de Pœnit. c. 6. & 9. Novatianorum hæreſin nobis tribuit, ac poteſtatem remittendi peccata Sacerdotibus traditam à nobis negari, ſcribit de eo paulò pòſt videbimus. Quod calumnias & mendacia reliqua attinet, quæ πίονι μέτρῳ in hoc articulo idem ſcriptor noſtris tribuit lib. 1. de pœnit. c. 2. 3. 4. & 6. de illis latiùs agere, non videtur operæ pretium, cùm ex inſpectione textus, collatione dogmatum & ſequenti διηγήσει ſine negotio diſſolvantur. ** Quidam veteres in Papatu affirmarunt, *ſemel tantùm utilem eſſe pœnitentiam neque iterandam pro reverentia Sacramenti, ne vileſcat & contemtibilis fiat hominibus.* Gratianus diſt. 2. de pœnit. in Exord. Lomb. 4. ſent. diſt. 14.**

15. Variârunt autem Novatiani, ut ſolet hæreticorum genus, aliquoties controverſiæ ſtatum. Quandoque enim ſimpliciter negârunt poſt Baptiſmum eſſe pœnitentiæ locum; quandoque conceſſerunt lapſos ad pœnitentiam cohortandos eſſe, ſed remiſſionis ſpem non à Sacerdotibus ſed à Deo expectandam eſſe; quandoque diſtinctionem fecerunt inter peccata graviora, inter quæ eminet crimen abnegationis in perſecutione, & leviora ſive quotidiana, horum quidem remiſſionem Eccleſiæ miniſtris concedentes, illorum verò ſoli Deo relinquentes. Sed damnati ſunt hæretici iſti in Concilio Romano, quod Euſeb. lib. 6. cap. 33. dicit fuiſſe celeberrimum, ac pii veteres oppoſuerunt illis ſequentia potiſſimùm fundamenta. 1. Deus per Prophetas & Apoſtolos jubet agere pœnitentiam, utique ergo pœnitentibus ſperanda peccatorum venia. *Neque enim communaretur non pœnitenti, ſi non ignoſceret delinquenti*, ut rectè colligit Tertull. lib. de pœnitent. p. 558. Tales cohortationes ad agendam poenitentiam frequentiſſimè occurrunt. Jer. 3. v. 12. *Revertere ad me rebellis Iſrael, dicit Dominus.* Matth. 3. verſ. 2. *Agite pœnitentiam.* Actor. 17. verſ. 30. *jubet Deus omnes ubique reſipiſcere, &c.* 2. Deus teſtatur ſe delectari hominum converſione, ac verè poenitentibus remiſſionem peccatorum pollicetur, quis igitur poenitentiæ locum eſſe neget? Ezech. 33. verſ. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, &c.* Mal. 3. v. 7. *Convertimini ad me, & convertar ad vos,* hinc Nazianz. orat. 2. in Epiph. *Deus nullâ re adeò delectatur, quàm ho-*

Quod ſit Pœnitentia.

minum

minis emendatione & ſalute. Macar. hom. 4. p. 59. *Deus recipit hominem à peccato converſum cum magna dilectione & gaudio.* 3. negatâ peccatorũ veniâ pœnitentibus promiſſâ negabitur etiã Dei miſericordia. Joel. 2. v. 13. *Scindite corda veſtra, & convertimini ad Deum veſtrum, quia miſericors & miſerator eſt, longanimis & multæ miſericordiæ & pœnitens ſuper malum.* 4. teſtantur exempla per veram & ſeriam pœnitentiam in gratiam receptos eſſe eos, qui enormiter priùs peccaverant, quò referenda ſunt Exempla primorũ parentum Geneſ. 3. Aaronis, Exod. 32. Davidis, 2. Reg. 11. Manaſſis, 2. Paral. 33. Publicanorum Luc. 15. Matth. 9. Zachæi Luc. 19. Petri Matth. 26. inceſtuoſi 1. Cor. 5. Pauli perſecutoris 1. Timoth. 1. Bernh. ſerm. 3. in ſolenni Petri & Pauli: *Si Petrus poſt tam gravem lapſum ad tantam rediit eminentiam ſanctitatis, quis de cetero deſperet, ſi tantùm egredi voluerit à peccatis?* ** Excipit Sommerus p. 70. *Exempla interdum remiſſorum peccatorum non conſtituere regulam, quod Deus ſemper debeat aut velit remittere peccata.* Reſp. Si apud Deum nulla eſt προσωποληψία Rom. 2. v. 11. ergo quo miſericordiæ affectu unum aut alterum peccatorem pœnitentem, quorũ Scriptura meminit, complectitur, eodem proſequitur ſingulos & univerſos ad pœnitentiam redeuntes. ** 5. Chriſtus in nomine ſuo *pœnitentiam & remiſſionem peccatorum prædicare juſſit* Luc. 24. v. 47. dedit Eccleſiæ claves ſolventem & ligantem i. e. poteſtatem remittendi peccata verè pœnitentibus, eademque retinendi ſecuris & impœnitentibus Matth. 10. v. 19. Joh. 20. v. 21. quod ſi nulla poſt Baptiſmum lapſis reliqua eſſet pœnitentia, uſus miniſterii Eccleſiaſtici & præcipuè clavis ſolventis tolleretur. Ambroſ. lib. 1. de pœn. c. 2. tom. 1. p. 153. *Deus diſtinctionem non facit qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus & relaxandi licentiam Sacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit.* 6. Denique cùm *ſepties in die cadat juſtus* Prov. 24. v. 16. cumque *in multis labamur omnes* Jac. 3. v. 2. ſublatâ pœnitentiâ ac ſpe veniæ tolleretur ſimul ſpes ſalutis. Rectè igitur Epiphan. contra Catharos hæreſ. 59. ἐν ἀναιροῦμεν τὴν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίαν, εἰδότες τὸ κήρυγμα τῆς ἀληθείας καὶ τὸν ἔλεον τοῦ δεσπότου καὶ τὸ συγγνωστὸν τῆς φύσεως, τὸ εὐκίνητον τῆς ψυχῆς, τὸ ἀσθενὲς τῆς σαρκός, τὸ πολύκλυστον τῆς τῶν πολλῶν ἀνθρώπων αἰσθήσεως &c. Et poſteà: εἴ τις (μετὰ τὸ λουτρὸν) παραπέσοι, οὐκ ἀπόλλυσι τοῦτον ἡ ἁγία τοῦ Θεοῦ ἐκκλησία, δίδωσι γὰρ καὶ ἐπάνοδον καὶ μετὰ τὴν μετάνοιαν τὴν μεταμέλειαν. Rectè etiam Chryſoſt. referente Socrate lib. 6. c. 19 & Niceph. lib. 12. c. 36. cùm à Concilio Epiſcoporum illis, qui ſemel duntaxat poſt Baptiſmum lapſi fuerant pœnitentiæ locus concederetur, non dubitavit dicere: χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε, quamvis ob id in multorum etiam familiarium ſuorum offenſionem incurreret.

Hebr. 6. Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati.

16. Potiſſimum Novatianorum fundamentum fuit dictum Hebr. 6. v. 4. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte & participes facti ſunt Sp. ſancti.* v. 5. *guſtaverunt etiam bonum Dei verbum virtutesq; futuri ſeculi* v. 6. *& prolapſi ſint, rurſus renovari ad pœnitentiam.* ** Photiniani quidem non poſſunt nobis hæc dicta Heb. 6. & 10. objicere, quia *Enjedinus* negat *Epiſtolam illam eſſe Canonicam, propterea quod* cap. 11. v. 21. cap. 9. v. 19. & 4. *è Scriptura V. T. citentur, quæ ibi nõ extent, & quod nonnulla non ſatis dextrè referantur* cap. 1. v. 6. c. 10. v. 5. 13. 16. ** Torſit verò hic locus Veteres, ideò variæ quæſitæ ſũt explicationes. ** 1. Quidam veterum explicant de *pœnitentia publica*, ut ſit ſenſus, quod iterum lapſi non ſint denuò ad publicam pœnitentiam admittendi. Sed ea tempore Apoſtoli non erat in uſu. 2. Alii de *pœnitentia poſt hanc vitam*, ſed hoc abſurdum. ** 3. Quidam τὸ *impoſſibile* accipiunt pro *difficili*, ſicut Matth. 19. v. 23. & 26. uſurpari videtur. Ita Hugo lib. 2. de Sacram. part. 14. c. 4. quem ſequitur Aleuſis 4. ſent. diſt. 14. 4. Quidam referunt poenitentiam ad eam, quæ poſt hanc vitam fruſtraneâ operâ agitur, cui non obtingit peccatorum remiſſio. Ita gloſſa interlinearis in hæc verba. 5. Quidam, imò plerique veterum per τὸ *renovari ad pœnitentiam* intelligunt Baptiſmi iterationem, ut ſit ſenſus, lapſis poſt Baptiſmum nón eſſe paratum peccatorum remedium in Baptiſmi iteratione. ** Chryſoſt. Theodor. Oecumen. Theophyl. Anshelmus, Sedulius & alii in h. l. nec non Auguſt. in fine expoſ. inchoatæ in Epiſt. ad Rom. exponunt de renovatione ad poenitentiam, quæ fit in Baptiſmo, non ad eam, quæ fit in reconciliatione poſt Baptiſmum. ** Vide Epiphan. contra Catharos. Cyrillum lib. 5. in Joh. cap. 17. Auguſt. de vera & falſa poenit. cap. 3. Chryſoſt. & Oecum. in Epiſt. Hebr. &c. Gloſſa marg. h. l. *Attende quòd Baptiſmus renovat, quia omnem vetuſtatem peccati actualis tollit, ſcilicet culpam & pœnam, pœnitentia non renovat, quia licet culpam tollat, non tamen omnem pœnam* (quid hac de re ſtatuendum ſit, ſuo dicetur loco) Thomas p. 3. q. 84. art. 10. reſp. ad 1. *Quia apud Judæos erant quædam lavacra inſtituta, quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Judæorum, quòd etiam per lavacrum Baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet, ad quod excludendum Apoſtolus ſcribit Judæis; Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati ſcil. per Baptiſmum* (notum enim eſt ex Dionyſio, Juſtino & aliis Baptiſmum φωτισμὸν appellari) *rurſus renovari ad pœnitentiã* (ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt renovationis lavacrum, Tit. 3. v. 5.) *rurſum crucifigentes Filium Dei* (per Baptiſmum homo Chriſto commoritur Rom. 6. v. 4. E. ut Chriſtus ſemel mortuus, ita quoque ſemel tantùm ſuſcipiendus Baptiſmus, per iterationem autem Baptiſmi rurſus crucifigitur Dei Filius &c.) Horum ſententiam ſequitur Bellarm. 1. de poenit. c. 13. ** & lib. 1. de verbo Dei cap. 17. p. 83. Item Gretſerus hyperaſp. Atqui 1. quale hoc fuiſſet argumentum Apoſtoli dehortantis à tam atroci, de quo agit, peccato? perinde ac ſi quem dehortaturus ab homicidio, furto, dicam ei, ſi prolapſus fueris in homicidium, furtum, non poteris rebaptizari, ſicque renovari, nihilo ſecius poterit renovari per reconciliationem. 2. ſi hîc eſſet ſenſus, qui conveniret verbum ἀδύνατον? neque enim ἀδύνατον denuò baptizari ſi dicas poni pro eo quod eſt ἀθέμιτον, quod non licet, reſp. v. 9. evidenter iſtam improprietatem explicat. ** 4. ſed n. commodiſſima eſt eorũ ſententia, qui locũ hunc accipiũt de peccato in Sp. ſanct. quod Chriſtus ipſe negat remitti vel in hoc vel in futuro ſeculo, Matth. 12. v. 31. Marc. 3. v. 30. Luc. 12. v. 10. proinde diligenter obſervãdæ ſũt omnes ſubjecti deſcriptiones, ex quibus apparet, Apoſtolũ de illis loqui 1. qui ſunt φωτισθέντες, qui agnoverunt cœleſtis veritatis

lucem

lucem ac evidentiam. 2. qui guſtaverunt donum cœleſte, bonum Dei verbum & virtutes futuri ſeculi, h.e. qui ſuavitatem Evangelii intimo Spiritus guſtu perceperunt & æternæ beatitudinis πρόγευσιν ſenſerunt. 3. qui participes facti ſunt Sp. ſancti, per quem deſignati ſunt, qui teſtimonium reddit Spiritui ipſorum. Tales ſi nihilominùs. 4. prolabantur παραπεσόντες, ſi penitùs deficiant ab agnita & in illis obſignata veritate, talem n. apoſtaſiam hîc intelligi circumſtantiæ oſtendunt. ** Obſervandæ cumprimis particulæ πάλιν & ἀνά, ut de totali prolapſu voluntariæ apoſtaſiæ Apoſtolum loqui intelligamus. Rom. 5. totalis lapſus vocatur παράπτωμα. De tali lapſus genere loquitur Apoſtolus, qui in Hebræos electos juxta confidentiam Apoſtoli cadere non poterat v. 9. At omnis generis lapſus etiam contra conſcientiam excepto peccato in SS. in Hebræos electos cadere poterant, quia in quoſvis. Ergo de his non loquitur. ** 5. & crucifigant rurſus ſibimetipſis Filium Dei, eundemque oſtentui habeant, hoc eſt, ſi non ex infirmitate vel metu aliquo veritatem abnegent, ſed ex deſtinata malitia & contra conſcientię ac internum Spiritus teſtimonium penitùs deficiant, eò impietatis progreſſi, ut Chriſtum & ipſius Evangelium calumniis & convitiis inſectentur: jam demum ſequitur prædicatum, illos ad pœnitentiam renovari impoſſibile eſt, nimirum quia medium illud, per quod Spiritus S. in cordibus hominum pœnitentiam operatur, pertinaciſſimè repudiant ac repellunt. Idem judicium eſt de loco Hebr. 10. v. 26. & ſeqq. ac 1. Joh. 5. verſ. 16. quorum explicatio tradita eſt tract. de peccat. actual. tom. 2. Diſp. 13. §. 109. ** Locum Heb. 10. Ambroſius de *repetitione Baptiſmi* intelligit. Sed non dicit Apoſtolus non ſupereſſe alterum Baptiſmum, ſed alteram hoſtiam, atque ita nec remiſſionem veniæ voluntariè peccantibus. Ergò & hic non de quolibet enormi vitio Apoſtolo ſermonem etiam concludimus, cùm & mentio fiat *veritatis agnitæ*, notatâ inſuper peccati ſpecie, apoſtaſia à doctrina è deſtinato voluntatis propoſito blaſphemaque oppugnatione, qua Filius Dei conculcetur ſanguis Teſtamenti profanus ducatur, Spiritus gratiæ contumelia afficiatur. **

1. Soli Deo remittendorum criminum poteſtas reſervanda.

17. Reliqua Novatianorum argumenta minoris ſunt momenti. 1. *Soli Deo remittendorum criminum poteſtas reſervanda eſt.* Reſp. Diſtinguendum inter remiſſionem authenticam & miniſterialem. Prior eſt ſolius Dei, *cui* etiam *ſoli peccatur* Pſal. 51. v. 4. idem tamen *miniſterium reconciliationis* inter homines inſtituit 2. Cor. 5. v. 18. & poteſtatem remittendi peccata Miniſterio Eccleſiaſtico dedit Johan. 20. v. 21. Ambroſ. lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Nulli majorem injuriam* (Deo) *faciunt, quàm* (Novatiani) *qui ejus volunt mandata reſcindere, commiſſum munus refundere. Nam cùm ipſe in Evangelio ſuo dixerit Dominus Ieſus: accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c. quis eſt ergò qui magis honorat, utrum qui mandatis obtemperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in utroq; ſervat obœdientiam, ut peccatum & alliget & relaxet.*

2. Deus erit mutabilis.

2. *Deus conſtituetur mutabilis, ſi his, quibus fuerit iratus, ignoſcet.* Reſp. Æterna & immota Dei voluntas eſt, impœnitentibus & in peccatis ſecurè pergentibus in æternum pereundum eſſe, contrà verò ſeriam agentes pœnitentiam in gratiam recipiendos eſſe, hæc Dei voluntas per noſtram inobœdientiam vel pœnitentiam non mutatur, ſed in nobis tantùm fit mutatio, Scriptura autē per συγκατάβασιν & ἀνθρωποπάθειαν Deo mutationem & pœnitentiam adſcribit. Jer. 18. v. 8. *Si convertatur gens à malo ſuo, pœnitebit & me mali, quod cogitaveram facere ei.* Dulciſſima eſt ſententia Oſe. 11. v. 8. *Quid faciā tibi Ephraim? an ſicut Adama & Seboim conſtituam te? inverſum eſt in me cor meum, conturbata eſt pœnitentia mea. v. 9. non faciam ſecundùm iram furoris mei &c.* quod dictum expendens Ambroſius lib. 1. de pœnit. c. 4. notat, *in ipſa indignatione Deum velut patrio quodam affectu hærere, quomodo tradat ad pœnā errantem. Quia peccatis noſtris vonerabimus offenſam, indignatur ut humiliemur, ut digni ſimus magis miſeratione quàm pœna.*

3. Scriptura loquitur dubitativè de remiſſione.

3. *Quædam Scriptura dicta de gratia Dei pœnitentibus promiſſa ἀπορηματικῶς dubitativè loqui videntur.* Joel. 2. v. 14. Jon. 3. v. 9. Actor. 8. verſ. 22. Reſp. Non de reconciliatione cum Deo omnibus verè pœnitentibus certò promiſſa, ſed de pœnis peccatorum temporalibus quas bono conſilio etiam poſt impetratam peccatorum remiſſionem, & pœnæ æternæ relaxationem imponit Deus, dicta illa loquuntur, quædam etiam non tàm dubitandi quàm affirmandi formulæ ſunt, quâ de re ſuo loco pleniùs dicetur.

4. Eſau nō invenit locum pœnitentiæ. Hebr. 12.

4. *Eſau non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis eam quæreret,* Hebr. 12. v. 17. Reſp. Pœnitentiæ vocula paſsivè ibi accipitur pro pœnitentia Iſaaci. Eſau non invenit locum pœnitentiæ, hoc eſt, non potuit lachrymis ac precibus parentis animum promovere, ut benedictionem Jacobo collatam revocaret, ſed audire coactus fuit. *Benedixi ei & benedictus erit.* Gen. 27. v. 33. ** Senſus igitur eſt, Eſavom, poſtquam Iſaaco benedictionem Jacobo contuliſſet, à venatione reverſum petiiſſe ejulatu à patre pœnitentiam, hoc eſt, ſententiæ, quâ Jacobo benedixerat retractationem, ſed à patre Iſaaco, ut eum benedictionis pœniteret, obtinere ut voluiſſe, ſic non valuiſſe. Errant illi, qui in Græco particulam αὐτὴν referunt ad τὴν μετάνοιαν cùm referenda ſit ad εὐλογίαν. ** Quòd ſi vel maximè de Eſavi pœnitentia locus accipiatur, certum tamen eſt, eam nō fuiſſe veram & ſalutarem, cùm eo ipſo temporis articulo in corde ſuo dixerit: *appropinquabunt dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum* Gen. 27. v. 41. fuit pœnitentia (ut ita loquar) pœnæ, non culpæ; amiſſi, non admiſſi. ** Producunt etiā locum Ambroſii lib. 2. de pœnit. unic. cap. 10. tom. 1. p. 175. *Nam* (inquit) *Si verè agerēt pœnitentiam, iterandam poſteà nō putarent, quia ſicut unum Baptiſma, ita una pœnitentia.* Quidam hæc dicunt *accipienda de una pœnitentia formali ratione*; rectè quidem hoc dicitur, ſed non ex mente Ambroſii. Rectiùs ergo intelliguntur de pœnitentia, quæ pro graviſsimis fiebat ſceleribus in cinere & cilicio, quod ex Auguſtino & Origene colligi poteſt, quorum ille ad Macedonium, hic ſuper Leviticum eam antiquitùs ſemel tantùm conceſſam eſſe dicit, & addit ille quidem expreſſè. *Quamvis in Eccleſia pœnitentia locus non concedatur, Deus tamen ſuper eos patientia ſua non obliviſcitur.* **

Deſcriptiones pœnitentiæ.

18. Pœnitentia τὸ ὅτι demonſtratum fuit: τὸ τί ἐστι inquirendum reſtat. Varias illius ex Veteribus

tribus definitiones recenſet Lombardus lib. 4. ſent. diſt. 14. lit. C. quas tamen partiales deſcriptiones rectiùs dixeris. *Pœnitentia*, ut ait Ambroſius, *eſt mala præterita plangere & plangenda iterum non committere*. Item Gregorius. *Pœnitere eſt anteacta peccata deflere & flenda non committere*, quibus addi poſſunt etiam aliæ deſcriptiones. Tertull. de pœnit. in princ. *Pœnitentia eſt paſſio animi ſeu dolor de offenſa facti prioris*. Auguſtinus lib. de vera & falſa pœnit. c. 8. *Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe*. Lactant. lib. 6. div. Inſtit. cap. 13. *Agere pœnitentiam nihil aliud eſt, quam profiteri & affirmare ſe ulterius non peccaturum*. Damaſc. 2. de orth. fid. cap. 30. ἡ μετάνοια ἐςὶ ἐκ τοῦ παρὰ φύσιν εἰς τὰ κατὰ φύσιν, καὶ ἀπὸ τοῦ Διαβόλου πρὸς τὸν Θεὸν ἐπάνοδος. Plenam definitionem ſubjungemus, ubi Naturam ac partes eſſentiales priùs expoſuerimus, interim conſiderare jubemus illam pœnitentiæ deſcriptionem, quæ extructa eſt ex Act. 26. v. 18. & 20. Pœnitentia eſt *converſio à tenebris ad lucem, à poteſtate Satanæ ad Deum, ut remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos accipiamus per fidem, opera facientes digna iis, qui reſipuerunt.*

Pœnitentia an ſit Sacramentum.

19. Lombardo & Scholaſticis ſolenne eſt, pœnitentiam (exteriorem puta, nam de interiore dicunt, quod ſit virtus mentis) definire per Sacramentum. Quam ſententiam ſub anathematis fulmine amplectendam ſtatuit Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. can. 1. *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia, pœnitentiam non eſſe verè ac propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata prolabuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto inſtitutum, anathema ſit.* Bellarm. 1. de pœnit. c. 8. ſententiam Concilii ſic exponit: *Vera pœnitentia poteſt vel in ſola mentis converſione atq́; interna peccati deteſtatione conſiſtere, vel etiam externis ſignis, mœrore, lachrymis, confeſſione, corporis afflictione ſe prodere. Et quidem converſio illa mentis ad Deum, etſi ſemper neceſſaria fuerit ad reconciliationem & virtus quædam ſit non exigua: tamen niſi ſigna externa adjuncta habeat, Sacramentum dici non poteſt.* Ex quo talem poſtea format controverſiæ ſtatum. An pœnitentia ſignis externis manifeſtata accedēte ad eam verbo abſolutionis ſit Sacramentū novæ legis propriè dictum, quod à ſuis affirmari ſcribit, à nobis autem negari.

Quo fine pœnitentia ſtatuatur Sacramentum.

20. Quo verò fine Pontificii diſputent, pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè dictum, id colligi poteſt ex Granatenſi lib. 2. memorialis c. 1. p. 61. *Etſi*, inquit, *dolor noſtri tantus non eſt, quantus eſſe debet, tamen conjunctus cum virtute Sacramenti (quod gratiam confert ad conſequendum illum modo quis obicem non ponat) ſufficit ad ſalutem. Et hoc eſt, quod communiter dicere ſolent Theologi, Sacramenta novæ legis facere de attrito contritum, quemadmodum enim candela recens extincta & adhuc fumans exiguo flatu rurſus accenditur & ex mortua reviviſcit: ſic anima quæ virtute attritionis fumat, licet accenſa non ſit, accedente flatu & virtute Sacramenti mox tota accenditur & mortua reviviſcit.* Hæc ille, ex quibus patet, ideò pœnitentiam, i. e. actiones illas exteriores cum verbo abſolutionis conjunctas ſtatui ab ipſis Sacramentum, ut obtineant vi ac virtute illarum tum propriâ, tum à Sacramento participatâ, nos à peccatis liberari & Deo iterum reconciliari. Ergò non eſt, quòd Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 8. Chemnitium accuſet, quòd cōtroverſiæ ſtatum non rectè formaverit hoc modo; *Utrum peccatores poſt Baptiſmum quærentes reconciliationem cum DEO abducendi ſint à fide obœdientiæ, paſſionis & ſatisfactionis Chriſti ad fiduciam actionis propriæ contritionis, confeſſionis & ſatisfactionis, ita ut illæ actiones accedente ad eas verbo abſolutionis ſint Sacramentum & cauſa efficiens remiſſionis peccatorum.* Rectè hoc Chemnitius ſcripſit, quòd ſi enim actiones illæ pœnitentis ſunt Sacramentum, erunt etiam mediū gratiæ & remiſſionis peccatorum, unde ipſemet Bellarminus lib. 2. de pœnit. cap. 12. probare conatur, Contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, quod ſic exponit, *Contritionem peccata delere, abluere, abſtergere, ſanare, Deum placare, illi ſatisfacere, ejus miſericordiam impetrare, ac ſuo modo mereri*, hæc omnia iiſdem verbis Bellarminus. Negat quidem lib. 1. de pœnit. cap. 8. hàc doctrinâ abduci homines à fide obœdientiæ, paſſionis & ſatisfactionis Chriſti ad fiduciam actionis propriæ, cùm vis Sacramenti pœnitentiæ pendeat à merito paſſionis Chriſti, cumq́; actiones pœnitentis catenus ad remiſſionem peccatorum efficiendam concurrant, quatenus vim ſacramentalem à verbo abſolutionis participent, ſed hoc eſt oppoſita facere ſubordinata & principium ſimul petere. Aut enim fide gratuitam peccatorum remiſſionem obtinemus, aut noſtris operibus eam promeremur: perpetuò hæc ſibi invicem Scriptura opponit, ſi noſtræ actiones ad remiſſionem peccatorū efficiendā ac promerendam concurrunt, non amplius gratuita ex fide in Chriſtum peccatorū erit remiſſio. Viciſſim *ſi ex gratia, jam nō ex operibus* Rom. 11. v. 6. ſi credendo, nō operando juſtificamur. Rom. 4. v 5. utiq; etiā fide non noſtris operibus remiſſionem peccatorum impetramus. Sic ergò ſubordinata Bellarminus facit, quæ ἀντιδιῃρημένως Scriptura ſibi invicem opponit, ſimul etiam τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, id n. in quæſtione eſt & diſertè à nobis negatur, quòd verbū abſolutionis vim quandā ſacramentalem noſtris conferat actionibus & operibus, ut ad remiſſionem peccatorum efficiendam & promerendam ab eo formentur.

An Novatiana hæreſis ſit, negare pœnitentiam eſſe Sacramentum.

21. Neq; eſt quòd Montaniſtis ac Novatianis Bellarminus nos aggreget lib. 1. de pœnit. c. 9. propterea ꝙ pœnitentiam Sacramentū propriè dictū eſſe negemus. Novati, qui Montani errorem ſecutus eſt, hæreſin ſuperiùs deſcripſimus, quid cum ea nobis noſtriſq; Eccleſiis cōmercii? lapſos etiam in graviſſima peccata, ſi veram ac ſeriam agant pœnitentiam, conſolatione Evangelii erigimus & peccatorum remiſſionem iiſdem annunciamus; Novatiani nullam ſpem ſalutis illis reliquam faciebant, vel certè à ſolo DEO veniam peccatorum expectandam eſſe docebant, Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 3. agnoſcunt id ipſi Pontificii Scriptores. Alphonſ. de caſtr. lib. 12. adv. hæreſ. tit. Pœnitentia. *Novatiana hæreſis peccantibus omnem pœnitentiæ virtutem tollit, dicens eos, qui ſemel poſt Baptiſmum lapſi ſunt, nunquam poſtea conſequi remiſſionem peccatorum, etiamſi poſtea eos pœniteat.* Vega lib. 13. de Juſtif. c. 2. *Omne peccatū lethale poſt Baptiſmū commiſſum irremiſſibile cenſuerunt.* Maldonatus in c. 14. Joh. *Dixit Chriſtus* Joh. 5. *noli ampliꝰ peccare, ne deterius aliquid tibi contingat, ex quo loco*

probat

probat Pacianus contra Novatianos, non negandam eſſe pœnitentibus veniam, nec enim dixiſſe Chriſtum, jam noli peccare, quia non ſanaberis iterum, ſed ne deterius aliquid tibi contingat. Quid cum hac Novatianorum hæreſi nobis commune? Atqui *veram & judiciariam poteſtatem peccata remittendi Sacerdotibus datam eſſe negatis*, ait Bellarm. Reſp. Veram & miniſterialem peccata remittendi poteſtatem miniſtris Eccleſiæ non denegamus, ſed fictitiam illam, quàm Romanenſes Sacrificuli ſibi tribuunt, quòd ſingulorum delictorum enumeratione præmiſſâ atque æſtimatione tum qualitatis tum quantitatis prægreſſâ certas quaſdam ſatisfactiones vel etiam pecuniarias mulctas dictatoriâ (vel ut Bellarminus loquitur) judiciariâ autoritate imponunt, eaſdemque pro arbitrio relaxant, talem certè poteſtatem ſacrificulis Romanenſibus denegamus, cùm nihil tale à Chriſto ſibi traditum demonſtrare poſſint. Chryſ. hom. 9. de pœnit. *Medicina hic locus eſt, non judicii, non pœnas ſed peccatorum remiſſionem pœnitentia tribuit.*

Auguſtana Confeſſio an ſtatuat pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè ſic dictum.

22. Perjurii inſuper Bellarminus nos accuſat, quòd ab Auguſtana Confeſſione, quæ Pœnitentiam Sacramentis accenſet (in Apolog. ſub titulo de numero & uſu Sacram.) ſeceſſionem fecerimus. Reſp. Sacramenti nomen pœnitentiæ tribuitur reſpectu finis, quem cum reliquis propriè dictis Sacramentis communem habet, qui eſt fidei noſtræ de remiſſione peccatorum confirmatio, ſic enim habent verba: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei & quibus addita eſt promiſſio gratiæ, facilè eſt judicare, quæ ſint propriè Sacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Cœna Domini & Abſolutio.* Sed paulò poſt ſequitur. *Si omnes res annumerari Sacramentis debent, quæ habent mandatum Dei, & quibus additæ ſunt promiſſiones, cur non addimus orationem, quæ veriſſime poteſt dici Sacramentum, habet enim mandatum Dei & promiſſiones plurimas &c.* Ex quo loco ſic colligimus: Non ſufficit ad Sacramentum propriiſſimè dictum, habere mandatũ Dei, & promiſſionem gratiæ. Atqui ex hoc fundamento aſſertum erat, Abſolutionem referri ad Sacramenta. Ergò noluit Apologia eam eſſe Sacramentum propriiſſimè ſic dictum. ** Dicitur Sacramentum ratione finis, quem cum Sacramentis communem habet, non autem ratione materiæ & formæ. Apol. Aug. Conſ. p. 202. edit. Lipſ. An. 606.** Eò igitur reſpicit Apologia Confeſſionis, quòd inter reliqua omnia, quæ veris & propriè dictis Sacramentis Baptiſmo ſcilicet & Cœnæ Dominicæ conjunguntur, Abſolutio proximè ad eorum Naturam accedat; per illam enim pœnitentibus ac verè credentibus juxta Dei mandatum diſpenſantur beneficia Chriſti, Evangelicæ promiſſiones in ſpecie ipſis applicantur, & remiſſio peccatorum gratuita annunciatur: quid verò adhuc deſit, quò minùs formalis & ſpecifica ratio Sacramenti ei conveniat, ſtatim expeditum dabitur. Obſerva igitur longè alio ſenſu ab Auguſt. Confeſſ. Apologia numerari Abſolutionem inter Sacramẽta, quam fit à Pontificiis: illi quippe ſtatuunt verbum abſolutionis vim Sacramentalem conferre actionibus hominis pœnitentis, ut ad remiſſionem peccatorum cauſandam & promerendam effectivè concurrant, atque unà cum Abſolutione integrum Sacramentum conſtituant, quod autoribus & confeſſoribus Auguſtanæ Confeſſionis ne in mentem quidem venit. Ipſe Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 16. Scoti & ſociorum ejus ſententiam improbat, qui ſolam Abſolutionem Sacramenti hujus eſſentiam conſtituere, actionem verò pœnitentis, non partem Sacramenti, ſed diſpoſitionem quandam ad Sacramentum ſuſcipiendum eſſe diſputant.

23. His ita præmiſſis, accedimus ad argumenta, quibus probatur, pœnitentiam non eſſe Sacramentum propriè ſic dictum. 1. In omni Sacramento verè & propriè ſic dicto præter verbum mandati & promiſſionis requiritur externum & viſibile elementum, ut oſtendit ſufficiens enumeratio omnium Sacramentorum. Auguſt. tract. 80. in Johan. *Accedat verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Atqui in pœnitentia nullum eſt externum & viſibile elementum. Ergò pœnitentia non eſt propriè dictum Sacramentum. Excipit Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 11. col. 1205. *Non malè ex Baptiſmo & Euchariſtia, quæ omnium conſenſu vera Sacramenta ſunt, naturam ac proprietatem Sacramentorum in genere inveſtigari, quam ipſius Confeſſionem diligenter notamus, ſed addit, adeſſe in Sacramento pœnitentiæ ſignum externum ad ſpiritualem affectum apte repræſentandum, videlicet confeſſionem pœnitentis & abſolutionem voce corporali a Sacerdote pronunciatam.* Reſp. 1. Notamus diſſenſiones Pontificiorum circa externum elementũ ſive materiam hujus Sacramenti aſſignandam. Thom. p. 3. q. 84. art. 2. *Proxima materia hujus Sacramenti ſunt actus pœnitentis, remota materia ſunt peccata de quibus dolet, quæ confitetur & pro quibus ſatisfacit.* art. 3. *ea quæ ſunt ex parte pœnitentis habent ſe ut materia, quæ ſunt ex parte Sacerdotis, habent ſe ut forma.* art. 7. *materia hujus Sacramenti fuit ante inſtitutionem Chriſti, ſed quod talis materia ad Sacramentum hoc ſumatur, indiget inſtitutione hoc determinante, forma Sacramenti & ejus virtus totaliter eſt ex inſtitutione Chriſti, unde Dominus in principio Evangelii dicebat, ut non ſolùm pœniterent, ſed etiam pœnitentiã agerent, ſignificans determinatos modos actuũ, qui requiruntur ad hoc Sacramentum.* (Collectio hæc ridicula eſt, cùm in Græco ſit μετανοεῖτε, ubi ceſſat diſtinctio inter pœnitere & pœnitentiam agere. Eraſm. in annotat. in cap. 3. Matth. p. 16. *Noſtrum vulgus putat eſſe pœnitentiam agere, præſcriptâ quapiam pœnâ luere, quod apud Chriſtianos, qui publicè peccâſſent, ejecti è conſortio propalam affligerentur, eaq; ſatisfactio ſive pœna pœnitentia vocari cœpta, quæ quidem ex re non mediocris error Theologis acceſſit*) Compend. Theol. lib. 6. cap. 20. ſtatuit, *materiam ſive elementum hoc loco largè accipiendum pro omni re ſive ſit ſubſtantia externa, ſive actio humana ac proinde in Sacramento pœnitentiæ elementum eſſe exteriores actiones hominis pœnitentis, cordis contritionem, oris confeſſionem, operis ſatisfactionem, quod ſi jam accedat verbum abſolutionis a Sacerdote prolatum, tum inde fieri Sacramentum.* Idem habet Cenſura Colon. ſub tit. de Pœnitentia. Catech. Rom. parte 2. cap. 5. q. 12. *Ut ignis materiam ligna eſſe dicimus, quæ vi ignis conſumuntur, ita peccata, quæ pœnitentia delentur, rectè hujus Sacramenti materia vocari poſſunt.* Biel. 4. ſentent. diſt. 24. q. 1. diſputat. ſolum *actum confeſſionis exteriorem eſſe hujus Sacramenti materiã*,

Argumenta, quibus pœnitentia ex numero Sacramentorum excluditur. 1. Non adeſt in ea externum elementum.

quem

quem ſequitur Bellarminus. Thom. 4. ſent. diſtinct. 14. q. 1. art. 1. *ipſe ſuſcipiens eſt materia hujus Sacramenti.* Hæc omnia Richardus 4. ſent. diſtinct. 16. art. 1. ſic conciliare voluit. *Triplex hic eſt materia; remotiſſima & ſunt peccata, remota & eſt peccator confidens, propinqua & eſt ipſa confeſſio.* In en tamen adhuc manet diſcrepantia. 1. Quòd quidam ſolam abſolutionem ad eſſentiam hujus Sacramenti pertinere dicunt, ut Scotus, Occamus, Almain &c. in 4. ſentent. diſtinct. 14. quidam duplici parte intrinſeca hoc Sacramentum conſtare diſputant, abſolutione Sacerdotis & actibus pœnitentis, ut recentiores plerique omnes. 2. Quòd quidam omnes pœnitentis actus contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem; quidam verò ſolam confeſſionem hujus Sacramenti materiam ſive elementum externum eſſe volunt. 3. Quòd quidam abſolutionem Sacerdotis referſit ad elementum ſive ſymbolum externum, quidam verò ad formam hujus Sacramenti. Lomb. 4. ſent. diſt. 22. C. *Quidam dicunt Sacramentum hic eſſe, quod exterius tantùm geritur, ſcil. exterior pœnitentia, quæ eſt ſignum interioris pœnitentia, ſcilicet contritionis cordis & humilitatis. Quod ſi eſt, non omne Sacramentum Evangelicum id efficit quod figurat. Exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, potiùs interior eſt cauſa exterioris. Sed ad hoc inquiunt, illi eſſe intelligendum de Sacramentis, quæ in N. T. ſunt inſtituta &c. Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam & interiorem eſſe Sacramentum, nec duo Sacramenta, ſed unum, ut ſpecies panis & vini non duo ſunt Sacramenta, ſed unum, atque in hoc Sacramento aliud eſſe tantùm Sacramentum ſc. exteriorem pœnitentiam, aliud Sacramentum & rem ſc. interiorem pœnitentiam, aliud rem & non Sacramentum ſc. remiſſionem peccatorum.* 2. Si Bellarmini ſententia locum obtinere debet, Auguſtini regula hoc modo formanda erit. Accedat verbum ad verbum & fit Sacramentum. Confeſſio pœnitentis verbum eſt, abſolutio Sacerdotis verbum eſt, quomodo igitur in pœnitentia elementũ accedit ad verbum? Fruſtrà Bellarminus excipit, de ſolo Baptiſmi Sacramento Auguſtinum loqui, cùm generalis ſit illa regula de omnibus propriè dictis Sacramentis accipienda, unde lib. 19. contra Fauſtum c. 16. in genere definiuntur, quòd ſint *viſibilia inviſibilis gratiæ ſigna*, at num confeſſio pœnitentis & abſolutio Sacerdotis ſunt ſignum viſibile in oculos incurrens? reſpondet Bellarm. *Multa eſſe ſigna viſibilia in Sacramento pœnitentia, videlicet Sacerdotem manus imponentem, pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum & lachrymis fundentem*: ſed quia iſta ita plerunque conſpiciuntur, ut tamen etiam abſque iis Sacramentum pœnitentiæ eſſe poſſit, ideò aliter reſpondet, *viſibile ſignum vocari, quod ſenſu aliquo externo percipitur, etiamſi is non ſit ſenſus videndi ſed audiendi*, cùm Auguſtinus dicat lib. 10. Confeſſ. cap. 35. *Vide quid ſapiat, vide quid oleat, vide quid ſonet, vide quàm durum ſit.* Atqui viſus non eſt idem quòd ſenſus, nec ſpecies una æquipollet ſpeciebus generis. Videndi vox metaphoricè quandoque accipitur pro cognitione, ſed propriè hoc loco pro ſenſu oculorum eam accipiendam eſſe, reliquorum Sacramentorum omnium analogia manifeſtè comprobat. Auguſt. in ſerm. de Bapt. ad Neoph. *Sacramentum ideò dicitur, quia aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, habet ſpeciem corporalem, quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* Sic ergò concludimus: Symbolum ſacramentale ſemper eſt ſubſtantia. Atqui ſigna pœnitentiæ & verbum abſolutionis nõ ſunt ſubſtantiæ ſed actiones. Ergò non conſtituunt Symbolum ſacramentale. 3. Omne Sacramentum integrum adminiſtratur à miniſtro, & à percipiente integrum illud percipitur. Atqui in pœnitentia confeſſio eſt tantùm actio, non elementum aliquod externum, eademque pœnitentis, non miniſtri actio: Abſolutio tantùm eſt inter miniſtrum & pœnitentem. Hoc argumentum etiam illi urgent, qui Scotum ſequuntur, & in ſola abſolutione totam Sacramenti hujus rationem ponunt. Bellarminus reſpondet 1. de pœnit. c. 16. *Pœnitentem non eſſe miniſtrum ſed cooperatorem miniſtri, cùm ipſius actio non ſit pars Sacramenti, niſi quatenus poteſtati ſacerdotali ſubjicitur & a Sacerdote dirigitur vel jubetur, ſimile eſſe in curatione morbi corporalis, ſi fortè Medicus jubeat ægrotum poſt ſumtum pharmacum inambulare.* Reſp. In Sacramento propriè dicto is qui participat (quâ talis) nec miniſter nec cooperator miniſtri eſt, cùm perpetua ſit oppoſitio inter δόσιν ϗ λῆψιν, illa ſoli miniſtro hæc ſoli participanti convenit. Et quomodo actus pœnitentis non erunt pars hujus Sacramenti, cùm ad externum Symbolum ab ipſo Bellarmino referantur, id quod manifeſtiùs ex eo patet, quòd ipſe Bellarminus adhuc incertus eſt, an vis ſacramentalis in ſola abſolutione conſiſtat, an verò partim in abſolutione Sacerdotis, partim in actione pœnitentis, *nos* (ait) in 2. lib. de Sacramentis in genere cap. 11. *priorem ſententiam ſecuti ſumus, ſed poſteriorem non minùs probabilem exiſtimamus, licet ea paulo difficilius defendi videatur.* Hęc Bellarminus ἀναμφοτερίζων. Simile de curatione morbi corporalis admodum diſſimile eſt, cùm Sacramenta non proſint ex opere operato, ſicut naturalia medicamenta, ſed requirant fidem, ut ſuo loco demonſtrabitur. 4. Abſolutio voce corporali pronunciata non eſt externũ aliquod & viſibibile elementum, cùm in promiſſionibus Evangelicis, in publica verbi prædicatione eadẽ abſolutio pœnitentibus annuncietur, ac proinde nec ſymbolum, nec pars, nec forma eſt pœnitentiæ, ſed verbum conſolationis & efficacis teſtificationis de gratia Dei & remiſſione peccatorum antegreſſæ pœnitentiæ correſpondens. 5. Materia externa ſive pars elementaris in quolibet Sacramento eſt organum ſive medium, per quod tum pars altera eſſentialis cœleſtis nimirũ & inviſibilis, tùm ipſe effectus ſive gratia Sacramenti fidelibus obtingit, ut patet ex Baptiſmi & ſacræ Cœnæ exemplo. Per aquam Baptiſmi obtingit nobis regeneratio, per panem & vinũ corporis & ſanguinis Chriſti κοινωνία, E. ex hypotheſi eorum, qui tres actus pœnitentis materiam huj⁹ Sacramenti conſtituunt, cum actionibus illis ſacramẽtaliter unita erit pars eſſentialis altera, ſc. cœleſtis, ac homo non amplius erit ſubjectũ, cui gratia obveniat, ſed potius cauſa efficiens ipſius gratię ſpiritualis, quòd nõ adeò diffitetur Bellarminus, ſcribit n. 1. de pœnit. cap. 16. circa finem: *Vim ſacramentalem partim & quidem præcipuè in clavibus reſidere, quarum vi Sacerdos abſolvit, partim in actione pœnitentis, quatenus eâ Deus utitur, ut inſtrumento ad ſignifican-*

ulam & efficiendam juſtificationem, quam ſententiam Thomæ tribuit, eamque vocat probabilem. Ex illorum hypotheſi, qui peccata materiam hujus Sacramenti conſtituunt, majus conſequitur abſurdum, videlicet cum peccatis ſacramentaliter unitam eſſe partem alteram cœleſtem, imò peccata eſſe medium, per quod gratia ſpiritualis nobis obveniat.

Χειροθεσία. 24. Ex quib⁹ omnib⁹ manifeſtè patet, nec confeſſionem vel alios actus pœnitentis nec verbum Sacerdotis abſolventis eſſe externum hujus Sacramenti ſymbolū. Quid verò ſi impoſitio manus, quam in privata abſolutione in noſtris etiam Eccleſiis adhiberi conſtat, pro externo elemento in hoc Sacramento agnoſcatur? eò certè alludit Bellarminus, quando ſcribit 1. de pœnit. c. 11. col. 1204. *Non deſunt multa ſigna viſibilia in Sacramento pœnitentiæ, ſive Sacerdotem aſpicias manus imponentem ſive poenitentem ad genua Sacerdotis abjectum & lachrymas fundentem.* Reſp. 1. Bellarm. ipſe ibidem ſubjungit, *iſta ita plerumq; conſpici, ut tamen etiam abſque iis Sacramentum poenitentiæ eſſe poſſit.* & lib. 1. de pœnit. c. 15. probat hunc ritum non pertinere ad hujus Sacramenti eſſentiam, qua in parte ſequitur Thomam, qui part. 3. q. 84. art. 4. ſcribit: *In hoc Sacramēto non requiri manus impoſitionem, quippe q[…]at ad deſignandum copioſum aliquem gratiæ effectū.* Jam verò externum Symbolum in quolibet Sacramento ita neceſſarium eſt, ut abſque eo non ſit Sacramentum. 2. Symboli externi in quolibet Sacramento adhibendi diſerta & expreſſa mentio ſit, in propria inſtitutionis ſede, ut ex inductione omniū Sacramentorum conſtat. Jam verò Joh. 20. quam propriam inſtitutionis hujus Sacramenti ſedem eſſe Pontificii ſtatuunt, non ſit diſerta & expreſſa mentio χειροθεσίας. Ergò pro Symbolo externo hujus Sacramenti agnoſci nequit. 3. Adhibetur hic ritus in privata abſolutione ſine non quidem eo, ut ex pœnitentia Sacramentum propriiſſimè ſic dictum faciat, ſed ut ſignificetur, verè pœnitentes primò medicinam ſpiritualis morbi cōſecutos eſſe, quemadmodum Chriſtus in corporalibus morbis ſanandis hac ceremonia uſus legitur Matth. 9. v. 18 Marc. 5. v. 23. Actor. 9. v. 12. cap. 28. v. 8. deinde cœleſtis benedictionis participes factos, quemadmodum Patriarcha Jacobus Geneſ. 48. v. 14. Et Chriſtus Matth. 19. v. 13. Marc. 10. verſ. 16. in benedictione conferenda hoc ritu utuntur; denique Spiritu ſancto eoſdem donari, quemadmodum in primitiva Eccleſia peculiaria illa Spiritus ſancti dona per impoſitionem manuum baptizatis conferebatur Act. 8. verſ. 17. cap. 19. v. 6. adde quòd hic ritus ſit externum teſtimonium in ſpecie alicui peccatorum remiſſionem annunciari. ** Confeſſionem pœnitentis & χειροθεσίαν & Abſolutionem Sacerdotis eſſe externum hujus Sacramenti ſignum, nō concedimus. Neutra n. viſibilis eſt, ſed audibilis; neutra Elementum, ſed actio. Quid quod Abſolutio formā in hoc Sacramento ſuſtineat, quî ergo Elementi, id eſt, materiæ locum occupabit? Bellarminus igitur triplicem committit abſurditatem. 1. id ꝙ in prædicamento actionis in prædicamentū ſubſtantiæ. 2. quod eſt forma, in locum materiæ 3. & quod eſt audibile in claſſem ſignorum viſibilium licentia pluſquam Poëticâ tranſponit. *Giſſens.* tom. 3. diſp. 5. th. 18. **

25. 2. Nullum Sacramentum utrique Teſtamento cōmune, ſed alterutri peculiare eſt atqoe proprium. Atqui pœnitentia fuit etiam in V. T. Ergo nō eſt propriè dictum Sacramentum. Excipit Bellarm. *Pœnitentiæ Sacramentum à Chriſto primum fuiſſe inſtitutum, ideircò non mirum eſſe, ſi per multa millia annorū non fuerit. In V. T. non fuiſſe poteſtatem remittendi peccata, ideò etiam pœnitentiam non fuiſſe Sacramentum.* Reſp. 1. notamus denuò diſſenſiones Pontificiorum. *Quidā enim* referente Lomb. 4. ſent. diſt. 22. C. *dicunt Sacramentum Baptiſmi, confirmationis & corporis Chriſti in N. T. inſtituta eſſe, ſed Sacramentum pœnitentiæ, ſicut & conjugii ante tempus gratiæ etiam à primordio generis humani fuiſſe.* Sed Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 1. & Bellarm. 1. de pœnit. cap. 19. ſtatuūt. *pœnitentiam eſſe Sacramentum novæ legis a Chriſto inſtitutum poſt reſurrectionem*, ubi tamē non quamvis intelligunt pœnitentiam, ſed tantùm eorum, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, & illam non interiorem, quam dicunt eſſe virtutem mentis, ſed tantùm exteriorem. 2. Pœnitentiam in V. T. fuiſſe nullâ veritatis ſpecie negari poteſt, quot enim ibidem exempla veræ contritionis, publicæ confeſſionis, gratuitæ cum Deo reconciliationis & caſtigationum paternarum reconciliatis impoſitarum? eam verò in Sacramentum à Chriſto converſam eſſe, probari nondum potuit. Si pœnitentia in V. T. fuit ſalutare medium reconciliationis cum Deo, cùm nondū eſſet Sacramentum, utique etiam in N. T. ſalutare medium reconciliationis cum Deo eſſe poterit, ſi vel maximè Sacramentum eſſe negetur. Actor. 15. v. 11. *Credimus per gratiā Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalvari καθ' ὃν τρόπον quemadmodum & Patres noſtri.* 3. In V. T. non fuiſſe poteſtatem remittendi peccata ambiguè dicitur, ſi n. de prætoria & judiciaria quadā poteſtate intelligitur, eam nec in V. nec in N. T. miniſtris Eccleſiæ datam eſſe dicimus; ſin v. de miniſteriali poteſtatè peccata remittendi accipitur, eam utriuſque Teſtamenti tempore in Eccleſia fuiſſe aſſerimus. 4. Quid enim? aut remiſſa ſunt credentibus in V. T. peccata, aut non ſunt remiſſa. Poſterius dici nequit, cùm abſque remiſſione peccatorum nulla homini ſuperſit conſolatio ac ſalus; ſi prius, aut immediatè ab ipſo Deo remiſſa erant, aut mediante Sacerdotis miniſterio: jam verò tota Script. teſtatur, Deum per media in negotio ſalutis cum hominibus agere. 5. Et quid evidentius eſt, quàm quòd Nathan ad Davidem dicit 2. Reg. 12. v. 13. *Dominus tranſtulit peccatum tuum?* fruſtrà excipit Bellarm. *non dixiſſe Nathanem, Ego te abſolvo, ſed tantùm ſignificaſſe divinitus ſibi revelatū, quòd Davidi peccatum ſit remiſſum.* Nam Davidi peccatorum remiſſionem annunciabat non ex ſpeciali quadam Dei revelatione, ſed ex generali illa regula, quòd verè pœnitentibus & in Meſſiam credentibus peccatorum remiſſio ſit annuncianda, perinde ut ex N. T. miniſtri nō propriâ quadam autoritate ac poteſtate, nec ex ſpeciali quadam revelatione, ſed Chriſti nomine & mandato peccata remittunt. Lomb. 4. ſent. diſt. 18. D. ex Ambroſio. *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos eſt judex, Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, ſed nullius poteſtatis jura exercet: ille ſolus peccata dimittit, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt.* Neq; eſt ꝙ Bellarm. obvertat, Nathanem ſemel tātùm extraordinariâ quâdā Dei providētiâ abſolviſſe,

2. Pœnitentia fuit etiam in V. T.

Google

ſolviſſe, jam verò ſingularia exempla legem non facere. Quid enim? num exiſtimabimus verbũ Evangelii in V. T. planè fuiſſe ignotum? num ſacrificia veterum ſtatuemus mutas Ceremonias fuiſſe? Patriarchæ & Prophetæ non ſolùm ex lege peccata arguerunt, ſed etiam ex Evangelio pœnitentibus remiſſionem peccatorum annunciarunt. Levit. 16. v. 21. *Confitetur Aaron ſuper caput hirci omnes iniquitates filiorum Iſrael, & omnes prævaricationes eorum cum omnibus peccatis eorum & ponit illa ſuper caput hirci & emittit illum per manum viri præparati in deſertum.* v. 22. *& portat hircus ille ſuper ſe omnes iniquitates eorum in terram inhabitabilem.* Hac Ceremoniâ pii Iſraëlitæ admoniti fuerunt de Meſſia *agno* illo *Dei, qui tollit peccata mundi*, Johan. 1. v. 29. & de gratuita peccatorum propter ipſius meritum remiſſione confirmati, unde *agnus* ille *occiſus* dicitur *ab origine mundi*, Apoc. 13. v. 8. nimirũ, quia beneficia paſſionis Chriſti per verbum credentibus etiam in V. T. obtigerunt. 6. Apoſtoli aſſerunt, ſe de pœnitentia in Deum & de accipienda remiſſione peccatorũ nihil aliud teſtari, quàm quod olim à Prophetis dictum. Actor. 10. v. 43. c. 26. v. 22. Regerit Bellarm. ipſos loqui de pœnitentia ut eſt virtus, non autẽ ut eſt Sacramentum: at hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν; nec patiemur duas diverſas pœnitentiæ ſpecies toto genere, imò quod dici ſolet, toto cœlo diſcrepantes nobis obtrudi, unam quæ ſit Sacramentum & ratione generis ſui actio, alteram quæ ſit virtus & ratione generis ſui habit9 vel certè qualitas. Eadem eſt utrobiq; veræ pœnitentiæ natura, quemadmodum eadem utrobiq; beneficia per verbũ oblata ac per fidem apprehendenda. Ac ſi pœnitentia eſt habitus quidam virtutis, aut infuſus aut acquiſitus habit9 erit. At neutrum rectè dicitur: Non eſt infuſus habitus; quamvis n. Sp. ſanctus cor hominis ad pœnitentiam moveat ac flectat, illa tamen non proficiſcitur ex inhærente quodam habitu, cujus effectus & velut actus ſecundus ſit peccatorum agnitio ac deteſtatio, ſed foriſecus illa accenditur ex motu & efficacia Spir. ſancti. Multò minus eſt acquiſitus habitus, aliàs uſu & diuturnâ conſuetudine acquiri poſſet pœnitentia, jam verò ſcriptura δύναμιν agendi verã & ſalutarem pœnitentiam naturalibus hominis viribus planè derogat. Ac proinde non tàm virtutis quidam habitus, quàm efficax cordis motus à Sp. S. accẽſus pœnitentia dicenda. Adde quòd de pœnitentia ut eſt virtus, itidem diſcrepantes occurrant ſcholaſticorum ſententiæ. Bonav. 4. ſent. diſt. 14. art. 1. q. 1. diſputat *pœnitentiæ virtutem eſſe ipſam gratiam & miſericordiam Dei*: alii referente Thoma 4. ſent. diſt. 14. q. 1. voluerunt, *Pœnitentiam non eſſe ſpecialem virtutem differentem ab aliis virtutum habitibus, ſed ſub illis omnib. contineri.* Scotus 4. ſent. diſt. 14. *Quatuor diſtinctos actus virtutis pœnitentiæ* ponit, utpote *velle punire peccatum, nolle peccâſſe, velle acceptare punitionem pro peccato, pœnã ſuſceptã patienter ferre.* Durand. 4. ſent. diſt. 14. q. 2. contendit, *pœnitentiæ virtutem eſſe ipſam juſtitiam commutativã moralem.* Cajetan. in 4. ſent. diſt. 14. art. 2. aſſerit *pœnitentiam eſſe ipſam religionem.* Thom. part. 3. q. 84. art. 4. ſtatuit, *pœnitentiam virtutem eſſe in voluntate hominis tanquã in proprio ſubjecto.* q. 85 art. 5. diſputat *habitum pœnitentiæ divinitus infundi*, cui contradicunt Scotus 4. ſent. diſt. 14. q. 3. & Durand. ead. diſt. q. 2. vide hac de re Bielem 4. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 3. dub. 1. ubi ſic ſcribit: *Sicut diverſi actus pœnitentiæ ad diverſas virtutes poſſũt reduci, ita & eorum habitus ſub diverſis virtutibus poſſunt contineri, actus vindicandi reducitur ad virtutem juſtitiæ diſtributivæ, actus deteſtandi reducitur ad diverſas virtutes, nolle luxuriam reducitur ad virtutem temperantiæ, deteſtari ſuperbiam reducitur ad humilitatem, tolerare pœnam pro peccatis reducitur ad virtutem patientiæ, &c.* Hact. Biel. 7. Si pœnitentiæ Sacramẽtum non fuit in V. Teſt. cur igitur partes ejus ex V. T. præſertim v. ſatisfactionem probare nituntur? Regerit Bellarmin. *virtutem tantùm pœnitentiæ, non a. Sacramentum ex V. T. probari, vel certè, non niſi fortè ex vaticiniis & figuris.* Atqui Confeſſionem & ſatisfactionem negãt ad virtutem pœnitentiæ pertinere, ſed ad Sacramentum, dicunt n. exteriorem illam pœnitentiam conſtituere Sacramentum, ut ſuperiùs ex Lombardo vidimus. Thom. p. 3. q. 84. art. 8. *Interior pœnitẽtia, quâ quis dolet de peccato commiſſo, debet durare uſq; ad finem vitæ, exterior autem quâ quis confitetur Sacerdoti, ut ſatisfaciat non oportet duret uſq; ad finem vitæ.* Hujus exterioris pœnitentiæ actus volunt eſſe Sacramentales, quos tamen exemplis Adæ, Davidis, Manaſſis, &c. probare ſatagunt.

26. 3. Sacramentum pœnitentiæ non habet fundamentum in concionibus Johannis, præcurſoris Chriſti, qui tamen ſe miſſum profitetur ad pœnitentiam prædicandam Matth. 3. verſ. 2. Marc. 1. v. 4. Luc. 1. v. 17. Chriſtus itidem docuit contritionem & privatam abſolutionem impertiit paralytico Matth. 9. & mulieri peccatrici Luc. 7. nec tamen Sacramentum quoddam adminiſtravit. Ergo pro Sacramento Pœnitentia non eſt agnoſcenda. Bellarm. regerit ſe *libenter concedere, quòd Sacramentum pœnitentiæ non habeat fundamẽtum in prædicatione Johannis Baptiſtæ & Chriſti ante reſurrectionem, cùm poſt reſurrectionem demum ab ipſo ſit inſtitutum*, Joh. 20. Reſp. de tota hac re paulò pòſt videbim9, hac vice demonſtrari petimus, quid defuerit pœnitentiæ, quam Chriſtus & Baptiſta prædicarunt, quò minus pro Sacramento agnoſci poſſit, quidvè ei poſt Chriſti reſurrectionem acceſſerit, ut Sacramentum impoſterum agnoſci debeat? Regerit Bellarm. *Pœnitentiam quam Chriſtus & Baptiſta prædicârunt, ideò Sacramentum nõ fuiſſe, quia defuit pars Sacramenti potiſſima, nimirũ verbũ abſolutionis confeſſioni peccatorũ adjunctũ.* Matth. 3: *legimus quidem auditores Baptiſtæ confiteri ſolitos ſua peccata, ſed Baptiſtã pronunciâſſe verbum abſolutionis non legimus. Chriſtum & Paralytico & fœminæ peccatrici peccata remiſiſſe legimus, ſed eos peccata confeſſos nequaquam legimus: addit etiam Chriſtũ nõ verbo Sacramentali, ſed propriâ ac ſingulari ſuâ poteſtate peccata dimiſiſſe.* Reſp. imò v. Baptiſtam Chriſti nomine peccatorũ remiſſionẽ pœnitentib9 annunciâſſe, & Paralyticum & fœminam peccatricem peccata ſua confeſſos eſſe ex circũſtantiis textus evidenter colligitur. Quemadmodum Phariſæis & Saducæis hypocritis denunciat Dei iram Matth. 3. v. 7. ita verè pœnitẽtibus añunciavit Dei gratiam. Baptizavit & prædicavit Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorũ Marc. 1. v. 4. num exiſtimabimus hanc fuiſſe mutam Ceremoniam? digito monſtravit *Agnum Dei, qui tollit peccata mundi* Joh. 1. v. 29.

3 Sacramentum pœnitentiæ deſtitui tur fundamento in concionibus Baptiſtæ & præxi ipſius Chriſti.

& 36. utique ergo per & propter illum peccatorum remiſſionem credentibus contingere prædicavit. Quòd auditores Johannis non præmiſerunt ſingulorũ delictorum enumerationem, incertum aut falſum eſſe Bellarm. dicit, at quis credet Baptiſtam ſecus arbuſtum in deſerto conſediſſe & cujuslibet baptizãdi confeſſionem ſecretò audiiſſe? quàm prolixa fuiſſet illa ſingulorum peccatorum enumeratio, cùm primâ vice ad cõfeſſionem illam plerique omnes accederẽt, cumq; disertè textus aſſerat, *exiiſſe ad Iohannem totã Ieroſolymam & omnem Iudæam & omnem regionem circa Iordanem & baptizatos ab eo in Iordano confitentes peccata ſua.* Matth. 3. v. 5. & 6. Paralyticũ nihil præter ſanitatem corporalem petiiſſe Bellarminus aſſerit: atqui ipſo facto & conſcientiæ quietationem & corporis ſanitatem petiit, permiſit n. ſe ad Chriſtum portari & ex tecto deſuper demitti. Chriſtus ad ipſum dicit, *confide*, utiq; ergo contritus fuit & coanguſtatus corde; Chriſtus n. eſt *Medicus eorum, nõ qui ſani ſunt, ſed qui male habent*, i. e. qui morbum ſuum agnoſcunt Matth. 9. v. 12. reſpexiſſe etiam fidem eorũ Chriſtus dicitur, quod non ſolùm de bajulis, ſed & de ipſo Paralytico intelligendum, cùm Chriſtus peccatorum remiſſionem ipſi annunciet, jam v. nemini contingit peccatorum remiſſio, niſi verè pœnitenti & in Chriſtum credenti: alligat Chriſtus, ſed eos, qui ſunt contriti corde; prædicat libertatem, ſed illis qui ſunt captivi; prædicat apertionem carceris ſed vinctis, hoc eſt, qui ſpiritualem ſuam captivitatem agnoſcunt. Eſa. 61. verſ. 1. Chriſtus hunc Paralyticum vocat Filium ſuum, jam verò non ſumus Filii Dei, niſi per fidem Johan. 1. v. 12. adde quòd Luc. 5. v. 25. Dominum magnificâſſe dicitur, qui fuit fructus fidei in hoc Paralytico. Mulierem peccatricem Luc. 7. peccata ſua, ſi non voce certè lachrymis & externis geſtib' peccata confeſſam eſſe, in propatulo eſt. Quemadmodum enim *miracula ſuas linguas habere* pronunciat Auguſtinus tract. 24. in Johannem; ita quoq; dicere poſſumus, etiam lachrymas loqui coram Deo, qui interiorem potiùs contritionem, quàm exteriorem verborum cõfeſſionem reſpicit. Notanda etiam Bellarmini contradictio, lib. 1. de pœnit. cap. 15. prop. 2. probare conatur impoſitionem manus non pertinere ad eſſentiam hujus Sacramenti, inter argumẽta reliqua affert etiam hoc, quod Dominus Paralytico Matth. 9. & Magdalenæ Luc. 7. ſine hoc ritu peccata remiſerit, præſupponit igitur remiſſionem illam fuiſſe Sacramentalem, aliàs medius terminus à concluſione foret planè diverſus, cujus tamen contrarium hoc loco propugnat.

4. Sacramentum pœnitentia non habet fundamẽtum in doctrina & exemplis Apoſtolorum:

27. 4. Sacramentum pœnitentiæ non habet fundamentum in doctrina & exemplis Apoſtolorum. Ergò pro Sacramento non eſt agnoſcendum. Antecedens probatur, quia Apoſtoli non aliter docuerint de pœnitentia & ratione conſequendæ remiſſionis peccatorum, quàm Prophetæ in Vet. Teſt. Actor. 26. verſ. 22. c. 10. verſ. 43. nec uſpiam exegerunt ſpecialem peccatorum enumerationem, nec ſatisfactionem impoſuerunt, quin potiùs Galatas ad gratuitam fidei juſtificationem Apoſtolus revocat, cùm poſt Baptiſmum à via veritatis receſſiſſent. Regerit Bellarminus. 1. Act. 26. *non proponi ſummam doctrina de pœnitentia, ſed tantùm cohortationem ad pœnitentiam.* Reſp. Contrarium oſtendit verſ. 18. *mitto te ad aperiendum oculos populorum & gentium, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satana ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem.* Ubi deſcribuntur eſſentiales pœnitentiæ partes & ſalutaris ejuſdem fructus verſ. 20. *annunciabam gentibus ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum, digna pœnitentia opera facientes*, ubi deſcribitur conſequens pœnitentiæ, videlicet nova obœdientia: tandem ſubjungitur verſ. 22. quòd Paulus *nihil dicat extra ea, qua Propheta locuti ſunt futura & Moſes*, quæ verba generalia ſunt, non ſolùm de Chriſti merito, ſed & ejuſdem applicatione per fidem, quæ eſt potiſſima pars pœnitentiæ tàm in Moſe & Prophetis quàm ab Apoſtolis eodem modo prædicatæ. 2. *Apoſtoli nuſpiam leguntur alicui peccata remiſiſſe.* Reſp. hoc verò eſt negare Solem lucere in meridie. Totum miniſterium Apoſtolorum fuit prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum Luc. 24. v. 47. quoties verbum Evangelii de Chriſto prædicârunt, toties verè pœnitentibus peccatorum remiſſionem annunciarunt, quæ annunciatio tàm fuit efficax, quàm ſi in ſpecie & in particulari alicui peccata remitterent. Actor. 2. verſ. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* Actor. 3. verſ. 19. *Poenitentiam agite, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Actor. 13. verſ. 38. *Per Chriſtum vobis annunciamus remiſſionem peccatorum, & ab omnibus à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari.* 2. Corinth. 5. verſ. 18. *Deus dedit nobis miniſterium reconciliationis* verſ. 19. *poſuit in nobis verbum reconciliationis*, verſ. 20. *pro Chriſto igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Nuſpiam verò dicitur vel ſpecialem delictorum enumerationem exactam vel ſatisfactionem quandam verè pœnitentibus ab Apoſtolis fuiſſe impoſitam, quâ de re ſuo loco. 3. *Diſtinguendum eſt inter poenitentiam qua precedit Baptiſmũ & inter eam qua Baptiſmum ſequitur, hac Sacramentum eſt, illa verò minimè.* Reſp. una eademq; pœnitentia eſt, quâ impii ad Deum convertuntur ante Baptiſmum, & quâ lapſi poſt Baptiſmũ in gratiam redeunt. Quemadmodum gratuita eſt juſtificatio & ſalus infantum baptizatorum & piorum in curſu bonorum operum ambulantium, ita quoque gratuita eſt peccatorum remiſſio non ſolùm in Baptiſmo, ſed etiam poſt Baptiſmum. Cui enim unquam probabitur, converſis ad Deum primò quidem gratuitam peccatorum remiſſionem in Baptiſmo & per Baptiſmum obtingere, ſed illis qui poſt Baptiſmum in peccata prolabuntur per proprias ſatisfactiones condonationem peccatorum promerendam eſſe, cùm peccata, quæ in Baptiſmo adultis remittuntur, incomparabiliter plura & majora ſint, quàm quotidianæ illæ renatorum infirmitates, vel etiam lapſus? quòd ſi illorum gratuita eſt remiſſio, utique etiam horum, quâ de re in quæſtione de duplici Juſtificatione & ſatisfactionibus noſtris uberiùs dicetur. Adde quòd renatis poſt Baptiſmum in peccata prolapſis nulla alia doctrina legis & Evangelii proponatur, quàm illis, qui ante Baptiſmum ab iniquitate ſuâ ad Deum convertuntur.

Utro-

Utrobique per legem peccati agnitio, per fidem verbo Evangelii accenſam peccati abolitio & conſcientiæ quietatio. Huic argumento frigidè reſpondet Bellarm. non aliam fidem, nec aliud Evangelium, nec alium Chriſtum diſtinctione inter duplicem pœnitentiam introduci, cùm in utraque juſtificatione peccata remittantur per Chriſti merita, præcedente fide & pœnitentia; quamvis enim conſequens agnoſcere nolit, tamen antecedens amplectitur, ex quo illud immediatè ſequitur: Si peccatorum remiſſio, quæ per pœnitentiam ante Baptiſmum obtinetur, eſt gratuita, contrà verò ea, quæ poſt Baptiſmum obtinenda, coofeſſionem ſingulorum delictorum, & opera quædam laborioſa exigit, quorum merito peccata condonentur, utique introducitur aliud Evangelium & alius Chriſtus, quâ de re plura ſuo loco. 4. *Apoſtolus revocavit Galatas ad viam veritatis, ſed num illi redierint & quo ritu reconciliati fuerint, nuſpiam legitur, ac proinde de modo pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ab Apoſtolis præſcripta ex Epiſt. ad Galat. nihil certi colligi poteſt.* Reſp. ſufficit nobis ad inſtitutum noſtrum, Galatas in errorem poſt Baptiſ. prolapſos ad gratuitam fidei juſtificationem ab Apoſtolo revocatos eſſe. Si per peccatorum ſpecialem enumerationem & ſatisfactiones proprias promerenda fuiſſet juſtificatio & ſalus, utiq; contra perſuaſionē de juſtificatione operū tantâ vehementiâ Apoſtolus haudquaquam pugnaſſet. Cui v. dubium eſt, Galatas paternis Apoſtoli admonitionibus dediſſe locum, cum disertè dicatur Gal. 4. v. 9. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus in vobis formetur.*

5. Non habet fundamentum in Patribus.

28. 5. Sacramentum pœnitentiæ nullum habet in antiquis Patribus fundamentum. E. pro Sacramento propriè ſic dicto non eſt agnoſcendum. Antecedens latè probat D. Chemnit. in Exam. Con. Trid. cui Bell. ſatis tenuiter reſpondet, *nullo teſte probari poſſe, quòd prima origo Sacramenti pœnitentiæ ducta ſit ex ſpectaculis publicæ pœnitentiæ quam magna ſeveritate vetus Eccleſia in manifeſtis & atrocibus criminibus ſervabat.* Hoc n. docet res ipſa, aut ex Scripturæ teſtimoniis & exemplis Sacramentum pœnitentiæ eſt extructum, aut ex illis primitivæ Eccleſiæ ritibus, quib⁹ requirebantur ſigna externa contritionis, Exomologeſis ſeu Confeſſio criminum & imponebantur certæ caſtigationes tùm exempli cauſâ propter alios, tùm verò explorationis gratiâ, an ſeria eſſet pœnitentia, quâ de re videâtur B. Rhenanus in annot. ſuis in librum Tertulliani de pœnitentia, ubi probat Exomologeſin non fuiſſe ipſam pœnitentiam, ſed ejus actum ſive exterius indicium. Atqui ex Scripturæ teſtimoniis & exemplis Sacramentum pœnitentiæ extructum non eſt, ut paulò pòſt apparebit, & ex Gloſſa Juris Canonici patet, quæ Confeſſionem auricularem juris divini eſſe negat; relinquitur igitur, quòd ex ſpectaculis publicæ pœnitentiæ in primitiva Eccleſia ortum duxerit. Regerit Bellarm. *cur ipſa abſolutio non erit Sacramentū, cùm ſymbolum ſit externum divinitùs inſtitutum & gratiæ ac juſtificationis promiſſionem habeat?* Reſp. Abſolutio propriè loquendo nullum habet externum ſymbolum divinitùs inſtitutum, ſed peccatorum remiſſionem in ſpecie annunciat, quam aliàs verbum Evangelii omnibus verè pœnitentibus prædicat. Adde quòd Bellarminus ſuperiùs non ſolùm verbum Abſolutionis, ſed etiam confeſſionem pœnitentis ad externum hujus Sacramenti Symbolum pertinere aſſerat.

Tria argumenta, quod pœnitentia non ſit Sacramentum.

29. Atque hæc ſunt argumenta noſtra, quibus Bellarm. aliquid reſpondit, poſſunt v. & alia formari 1. Sacramenta ſe habent ad fidem, ut inſtrumenta, quæ per illa in nobis confirmatur, ideò circumciſio vocatur *ſigillum juſtitiæ fidei*, Rom. 4 v. 11. ac proinde ſine fide integra ſunt Sacramenta ſed non proſunt. Auguſt. tom. 7. lib. 3. contra Donatiſtas c. 14. *Non intereſt, cùm de Sacramenti integritate quæritur atque ſanctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus ſit, qui accipit Sacramentum, intereſt quidem plurimùm ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt, fieri enim poteſt, ut homo integrum habeat Sacramentum & perverſam fidem.* Atqui pœnitentia non eſt confirmandæ fidei medium, ſed habet ſe ad fidem, tanquam totū ad partem, nec exteriores actus pœnitentis ſine fide ad reconciliationem noſtri cum Deo ſufficiunt, nec ipſa abſolutio, quam volunt eſſe formam hujus Sacramenti, abſque fide eſt ſpiritualis cujuſdam gratiæ medium. E. pœnitentia non eſt Sacramentū propriè dictum. 2. In quolibet Sacramento eſt analogia quædam ſacramentalis inter partem Elementarem ſive terrenam & cœleſtem alteram, ut quod fit in ſigno externo, reſpondeat ei quod fit interiùs. Atqui talis analogia in actibus pœnitentis ſive verbo abſolutionis cum remiſſione peccatorum oſtendi nequit. Quamvis n. verbū abſolventis peccatorum remiſſionem nō ſolùm annunciet, ſed & factam eſſe ſignificet, quo ſenſu inter ſigna referri poteſt, interim tamen nondum talis analogia inter verbum abſolutionis & peccatorum remiſſionem animadvertitur, qualis eſt inter rem elementarem ac cœleſtem in reliquis Sacramentis. E. actus pœnitentis & verbum abſolutionis non conſtituunt propriè dictum Sacramentum. 3. Omne Sacramentū eſt ſigillum verbo appenſum, Pœnitentia non eſt ſigillum verbo appenſum, ſive n. confeſſionem ſive abſolutionem reſpicias, verba habes, ac proinde verbum verbo appenderetur. E. pœnitentia non eſt Sacramentum propriè dictum.

Argumenta pro ſtabiliendo pœnitentia Sacramento.

30. Quibus v. argumentis probant pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè ſic dictum? Potiſſimum cauſæ ſuæ ſubſidium quærunt in verbis Chriſti Joh. 20. v. 23. *Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta erunt.* Sed multis opus erit fidiculis, ut ex hoc loco Sacramentum pœnitentiæ, quale à Pontificiis ſtatuitur, extorqueatur. Audiamus igitur hac de re diſſerentem Bellarminum 1. de pœn. c. 10. *Ex his verbis* (inquit) *duo colliguntur, quæ ad omne Sacramentum propriè ſic dictum conſtituendum & requiruntur & ſufficiunt; ritus externus ſive ſymbolum divinitùs inſtitutum & promiſſio gratiæ juſtificantis illi ritui ſive ſymbolo annexa. Cùm n. Dominus poteſtatem conceſſerit Apoſtolis remittendi peccata, dubitari nō poteſt, quin ſigno aliquo externo eam poteſtatem exerceri voluerit, neque n. homines qui corporales ſunt, peccata ſibi remitti intelligerent, niſi voce aut ſigno aliquo externo ac ſenſibili remitterentur. Verbum a. ſignū corporale ac ſenſibile eſt, neq; ſolùm ritus externus abſolventis, ſed etiā ritus externus pœnitentis ex eodem teſtimonio rectè colligitur, neque enim peccata remitti debent niſi iis, qui ſe peccata habere eaque*

ſibi diſplicere teſtantur. Reſp. 1. Si Chriſtus hoc loco inſtituit Sacramentum pœnitentiæ, tum vi illius ſententiæ omnis pœnitentia & omnis abſolutio Sacramentum erit, cùm verba Chriſti ſint generalia. Declaro rem exemplo, quod nec ipſe Bellarm. improbare poterit. Chriſtus Paralytico Matth. 9. & fœminæ peccatrici Luc. 7. peccata remiſit ac verbum abſolutionis pronunciavit, dubitari E. non poteſt, quin ſigno aliquo externo eam poteſtatem exeruerit, aliàs homines illi corporales peccata ſibi remitti nō intellexiſſent; atque illi ipſi, quibus Chriſtus peccata remiſit, ſe peccata habere, eaque ſibi diſplicere teſtati ſunt, habebimus igitur Sacramentum ante inſtitutionem Sacramenti adminiſtratum. Sic Joh. Baptiſta prædicavit Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Apoſtoli ante Chriſti reſurrectionem prædicarunt Evangelium, ꝙ complectitur promiſſionem de remiſſione peccator. E. adhibuerunt externum ritum videl. verbum abſolutionis, E. adminiſtrarunt pœnitentiæ Sacramentum. Negat quidem Bellarm. cap. ſequēti 11. Johannem & Apoſtolos verbum abſolutionis pronunciâſſe, ſed ex medio argumenti hujus contrarium evincitur, Homines erant, quibus peccata remittebant, E. ſigno aliquo externo utebantur. Non eſt, quòd ad Baptiſmi Sacramentum recurratur, quæritur n. de peccatorum remiſſione hominibus poſt Baptiſmum lapſis annunciata, quam à Johanne Baptiſta & Apoſtolis nulli unquam collatam, aut Sacramentum propriè dictum ab ipſis adminiſtratum eſſe, concedendum erit. In V. T. itidem vel nulli unquam credenti poſt circumciſionem remiſſa eſſe peccata, vel Sacramentum pœnitentiæ adminiſtratum fuiſſe, vi argumenti hujus, quod Bellarmin. proponit, aſſerendū erit. Nathan Propheta peccatorum remiſſionem Davidi añunciat, ipſe David externis ſignis, præſertim verò confeſſione ſe peccata habere, ſibiq; peccata diſplicere teſtatur. Ergone ibidem adminiſtratum fuit peculiare aliquod Sacramentum, Idem eſto judicium de Ezechiæ, Ninivitarum ac aliorum pœnitentia. 2. Quæ igitur hæc eſt illatio? Chriſtus dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata. E. inſtituit peculiare Sacramentum pœnitentiæ? Ubi mentio fit materiæ ac formæ ſacramentalis? Sanè Chriſtus dando poteſtatem remittendi peccata tacitè mandat pœnitentiam, cùm non niſi pœnitentibus peccata ſint remittenda, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd præceptione illâ Sacramentū inſtituerit. Eodem n. modo inferri poterit. Chriſt⁹ Luc. 24. v. 47. *jubet prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Ergo miniſteriū verbi, in quo pœnitentia & remiſſio peccatorū prędicatur, eſt peculiare quoddam Sacramentum. Fatemur non ſolùm in genere per prædicationem legis impœnitentibus & incredulis Dei iram, peccatorum retentionem & æternam condemnationem, per prædicationem Evangelii pœnitentibus & in Chriſtum credentibus Dei, gratiam peccatorum remiſſionem & vitam æternam annunciandam eſſe, ſed etiam in ſpecie ſingulis impœnitentibus & præfractis contemtoribus peccata retinenda, ſingulis verè pœnitentibus & credentibus peccata remittenda eſſe, ſed ex eo nondum ſequitur, per peculiare quoddam Sacramentum id fieri. 3. Lomb. quorundam fecit mentionem, qui ſtatuerunt ab exordio mundi hoc Sacramentum fuiſſe inſtitutū lib. 4. ſent. diſt. 22. lit. C. illi non agnoſcent in verbis hiſce Chriſti illud inſtitui. 4. Immediatè ſequitur in verbis Chriſti, ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos, ex quo intelligitur, qualem poteſtatem peccata remittendi & retinēdi Apoſtolis ſuis Chriſt' conferat. Ipſe quidem eſt unus verus cum Patre & Sp. ſancto Deus, ideoque authenticè & αὐτοκρατορικῶς remittere poteſt peccata; ſed hanc poteſtatem peccata remittendi nō conceſſit Apoſtolis, quippe quæ eſt & manet ſolius Dei propria: ipſe etiam eſt conſtitutus Mediator, qui corporis ſui traditione & ſanguinis ſui in ara crucis effuſione peccatorum remiſſionem promeruit; ſed nec ad hanc muneris ſui partem Apoſtolos mittit, cùm ipſe ſit *unicus Mediator* 1. Tim. 2. verſ. 5. Præter hoc officium Mediatoris Chriſtus à Patre in hunc mundum miſſus eſt, ut eſſet Propheta & Doctor, Eſa. 61. verſ. 1. Luc. 4. v. 18. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me, ſanare cōtritos corde, prædicare captivis remiſſionem &c.* in hujus muneris conſortium Apoſtolos Chriſtus recipit, eoſdemque beneficii caro pretio à ſe parti diſpenſatores & œconomos conſtituit, ut ipſius nomine & loco pœnitentibus peccatorū remiſſionem miniſterialiter conferant. 5. Si pręter publicum verbi miniſteriū peculiare aliquod pœnitentiæ Sacramentum Chriſtus hoc loco inſtitueret, externum aliquod ſymbolum ſacramentale diſertis verbis exprimeret. At nec hoc loco nec alibi illud exprimit. Urgemus igitur Pontificios, ut in ſpecie exprimant, quale ſit externum illud ſignum, neq; n. indeterminatâ illâ generalitate contenti eſſe poſſumus, cùm proprium aliquod ſacramentale ſignum cuilibet Sacramento ſit aſſignandum & quidem ex propria inſtitutionis ſede. Si hoc vel illud ſignū expreſſerint, Scripturę teſtimonium ab ipſis exigemus, nam abſq; manifeſto ſcripturæ teſtimonio ſignū aliquod ſacramentale confingere velle, ejuſdem temeritatis eſt, atq; novum Sacramentum præter Scripturam introducere, cùm tamen inſtitutio Sacramentorum ſolius DEI propria ſit, ut probat Thomas part. 3. quæſtion. 64. artic. 2. 6. Præterea ſi pii ac fideles V. T. certi eſſe potuerūt de remiſſione peccatorum abſq; aliquo externo ſacramentali ſymbolo & peculiari pœnitentiæ Sacramento, conſequetur lubricam eſſe argumenti connexionem, ꝙ homines, cùm ſint corporales, non intelligant ſibi remitti peccata, niſi per ſignum aliquod ſacramentale. Quòd n. Bellarm. verbum itidem refert inter ſacramentalia ſigna, de eo quid ſtatuendum ſit, ſuperiùs vidimus. In prædicatione Evangelii & abſolutione idem omninò verbum annunciatur, hoc ſaltem intercedit diſcrimen, ꝙ promiſſiones Evangelii generales credentibus in ſpecie per verbū abſolutionis añunciantur & applicantur; jam v. ſpecies continetur in genere, nec diverſæ ab eo eſt naturæ. 7. Deniq; argumentum Bellarm. procedit ex particulari. Homines non intelligunt ſibi remiſſa eſſe peccata niſi ex ſigno aliquo ſacramentali. E. in pœnitentia proponitur illud ſignū ſacramentale adeoq; ipſum Sacramentum. Præter verbum promiſſionis in Evangelio & præter Baptiſmi Sacramentum inſtituit Chriſtus ſacram Cœnam, in qua mediante benedicto pane datur corpus Domini in mortem pro nobis traditum,

& me-

& mediante benedicto vino datur ſanguis Domini in ara crucis pro nobis effuſus in remiſſionem peccatorum, quo certiſſimo & precioſiſſimo pignore verè pœnitentes certi reddnntur de peccatorum remiſſione in verbo Evangelii promiſſa & oblata.

31. Regerit Bellarminua, *Chriſtum quidem his verbis dediſſe Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata ac retinendi tum infidelibus tum fidelibus, ſed non eodem modo. Infidelibus enim peccata remitti voluit per Baptiſmum & retineri per excluſionem à Baptiſmo, ſed fortè indigni eo cenſeantur: at fidelibus remitti noluit per Baptiſmum, ſed per alium ritum, nimirum reconciliationem pœnitentium. Sicut igitur poteſtas remittendi infidelibus peccata non ſine Sacramento quodam exercetur: ita nec poteſtas remittendi fidelib. proinde reconciliatio fidelium poſt Baptiſmum Sacramentum quoddam eſt*. Reſp. 1. Admodùm durè dicitur infidelibus remitti peccata per Baptiſmum. Intelligit quidem Bellarm. nomine infidelium eos, qui ex gentilitate ad Chriſtum convertuntur, ſed illi non ſunt priùs baptizandi, antequam Chriſti fidem profiteantur, & ſeriam delictorum ſuorum agant poenitentiam. hactenus igitur non ampliùs ſunt infideles. 2. Si quis proferat exempla infantum baptizatorum, ne in ipſorum quidem Baptiſmo peccata infidelib. remitti concedimus, ſiquidem S. S. per Baptiſmum & fidem & peccatorũ remiſſionem infantibus donat, cùm remiſſionem peccatorum & fidem adamantino quodam vinculo Scriptura ſacra ubique conjungat. Bellarminus ipſe habitum fidei infantibus baptizatis tribuit lib. 1. de Baptiſm. cap. 11. col. 332. ergò in numero ac cenſu infidelium non ſunt habendi, perinde ut habitu ſcientiæ inſtructus, ignorans non eſt dicendus. 3. Si dicas, nomine infidelium intelligi non illos, qui ſimpliciter fide in Chriſtum deſtituuntur, ſed qui per Baptiſmum Eccleſiæ & coetui Chriſtianorum nondum ſunt inſerti, diſtinguimus inter externam Eccleſiæ ſocietatem in doctrinæ profeſſione & Sacramentorum uſu externo conſiſtentem & inter interiorem fidei & Spiritus ſancti ſocietatem, ab hac Catechumeni verè in Chriſtum credentes excludi nec poſſunt nec debent, ſi vel maximè ab illa ſint excluſi, atq; ante Baptiſmi ſuſceptionem moriantur. 4. Atq; hæc dicta ſint de modo loquendi, quod ad rem ipſam attinet, ex Scripturis demonſtrari petimus connexionis hujus nervum. Sicut infidelibus i. e. illis qui externo Eccleſiæ cœtui nondum ſunt inſerti, per Sacramentum aliquod peccata remittuntur, videl. per Sacramentum Baptiſmi; ita fidelibus i. e. baptizatis & in peccata prolapſis itidem per Sacramentum peccata remittuntur, videl. per Sacramentum poenitentiæ. Quid enim? Iſraelitæ in V. Teſt. per circumciſionem foederi Dei fuerunt inſerti, quod ſi poſt ſuſceptam circumciſionem in peccata fuerunt prolapſi, num per peculiare quoddam Sacramentum pœnitentiæ fuerunt in foedus recepti? ſi quis dicat, aliam eſſe rationem V. q̃ N. T. manifeſtè petitur principium. 5. Quando pii juxta præceptum Chriſti ex vera poenitentia & fide orant, *Domine dimitte nobis debita noſtra* Matt. 6. v. 12. certi eſſe poſſunt de remiſſione peccatorũ ex promiſſione illa generali Joh. 16. v. 23. *Amen, amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* 1. Johan. 5. v. 14. *Hac eſt fiducia, quam habemus erga ipſum, quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem ejus; audit nos*; & ſpeciali illa 1. Joh. 1. v. 9 *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra & mundet nos ab omni iniquitate*. Quidquod ipſi Pontificii ſtatuunt, contritionem poſſe eſſe tantam, ut non accedente confeſſione vel ſatisfactione vel abſolutione peccata remittantur, quomodo igitur ad pecratorum remiſſionem impetrandam ſimpliciter & abſolutè neceſſarium erit, aliquod Sacramentum? 6. An verò excidit Bellarmino Chriſtum ex immenſa & nunquam ſatis prædicanda bonitate venerabile Sacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe, in quo precioſiſſimo ſuo corpore & ſanguine nos certos reddit de peccatorũ remiſſione. Quod ſi omninò neceſſarium eſt aliquod Sacramenrum, quo poſt Baptiſmum in peccata prolapſis & ſeriam poenitentiam agentibus peccatorum remiſſio confirmetur, cur Sacramentũ Coenæ Dominicæ prætermittere vel præter hoc aliud quoddam introducere velimus?

32. Quod ad dicta Veterum attinet, quę Bellarminus pro ſua ſententia adducit, ex illis nihil aliud colligitur, quàm quòd invicem conferant Baptiſmum & poenitentiam: ſed ex eo nondum ſequitur, poenitentiam itidem eſſe Sacramentũ propriè ſic dictũ, ut eſt Baptiſmus, alia enim collationis hujus ratio eſt, videlic. quemadmodum in Baptiſmo datur ac obſignatur omnium peccatorum condonatio. ita cùm Baptiſmus non poſſit iterari ac denuò cõferri illis, qui in peccata prolapſi, inſtituit DEUS poenitentiæ medicinam, per quam iterum DEO reconciliemur ac remiſſionem peccatorum conſequimur. Quæ ex Lombardo & Scholaſticis proferuntur, parùm roboris obtinent, quod enim Bellarminus addit, fieri non poſſe, ut totis quingentis annia Eccleſia univerſa, in graviſſimo errore ſit verſata, ad illud reſpondemus verbis Ignatii Epiſt. 6. ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν ὁ Χριστὸς (& ipſius verbum in Scripturis ſonans) ac Tertulliani lib. de veland. virgin. p. 490. *Veritati nemo poteſt præſcribere, non ſpacium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum*. Nec defuiſſe ullis Eccleſiæ temporibus, qui gratuitam peccatorum remiſſionem in ſolo Chriſto, non autem in noſtris operibus ac ſatisfactionibua quærendam eſſe docuerunt ex Catalogo Teſtiũ veritatis, ex Centenariis, Wolfii & aliis Scriptis abundè patet. An & quatenus Eccleſia errare non poſſit, ſuo diſcutietur loco: Quæ Bellar. lib. 1. de poenit. cap. 12. 13. & 14. diſputat, an poenitentię Sacramentum à Sacramento Baptiſmi diverſum ſit, ea ex ſuperioribus, pręſertim verò ex illis, quæ in loco de Baptiſmo diſputantur, rectè intelligi poſſunt.

Dicta Patrum pro ſtabiliendo pœnitentia Sacramento.

33. Atq; hæc dicta ſint de genere poenitentię, utrum ſcil. exterior poenitentia, quæ definiente Bellarmino lib. 1. de poenit. cap. 8. non in ſola mentia converſione & peccati deteſtatione conſiſtit, ſed externis ſignis, moerore, lachrymis, confeſſione, corporis afflictatione ſeſe prodit, accedente verbo abſolutionis ſit Sacramentum propriiſſimè ſic dictum. Interiorem poenitentiam definiunt Pontificii, quòd ſit *virtus, quâ nos ex animo ad Deum convertimus, commiſſa à nobis ſcelera deteſtamur & odio habemus, ſimulq; illud nobis certum eſt, malã vitæ conſuetudinem corruptosq; mores emendare non ſine ſpe veniæ à Dei miſericordia conſequendæ*. Catech. Rõ. part. 2. c. 5.

Definitiones pœnitentia interioris.

de Sacram.pœnit.q.4. Reſp.1. Vera poenitentia non tàm eſt virtus quædam habitualis infuſa vel acquiſita, quàm efficax motus cordis à Spiritu ſancto accenſus & interior illuminatio ac renovatio mentis ac voluntatis, ut ſuperiùs oſtenſum fuit. 2. Veram converſionem non eſſe actum liberi arbitrii, ſed opus Spiritus ſancti paulò pòſt demonſtrabitur, quomodo igitur talis erit virtus, qualem ipſi eſſe intelligunt? 3. Inſufficiens eſt hæc definitio, cùm nullam faciat fidei mentionem, quam eſſentialem pœnitentię partem eſſe ſuo loco docebitur. Per ſpem veniæ non intelligunt vivam illam & ſalvificam fidem, quâ quis ſtatuit propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, quam Bellarminus 1. de pœnit. cap.2. col. 1159. vocat *inanem perſuaſionem* & cap. 6. col.1181. *figmentum Lutheri ac meram ſtultitiam*, ſed moralem & humanam fiduciam, cùm *hunc aut illum hominem, ut oportet, ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, ex verbo Dei colligi non poſſit, ſed ex humanis tantùm conjecturis & ſignis*, ut Bellarminus loquitur. 4. Fundamentum hujus ſpei de remiſſione peccatorum non conſtituunt in merito Chriſti per fidem apprehenſo, ſed in merito noſtræ contritionis, plenariæ confeſſionis & propriæ ſatisfactionis, ut ex ſequentibus intelligetur.

Diviſiones pœnitentia. 24. Præter hanc diſtinctionem pœnitentiæ in Interiorem & Exteriorem, plures inſuper adhæc occurrunt. 1. Tertull. in lib. de pœnit. ſtatim in principio pœnitentiam aliam ſtatuit in bonis, aliam verò malorum. Sic enim ſcribit. *Pœnitentiam* (ethnici) *etiam in bonis factis ſuis adhibent. Pœnitet fidei, amoris, ſimplicitatis, patientiæ, miſericordiæ, prout quidin ingratiam cecidit; ſemetipſos execrantur, quia benefecerint, eamq; maximè pœnitentiæ ſpeciem, quæ optimis operibus irrogatur, in corde ſignunt, nec meminiſſe curantes, ne quid boni rurſus præſtent, contrà pœnitentiam malorum levius incubant.* Hæc diviſio petita eſt ab objectis ac reſpicit poenitentiam non qualis eſſe debet, ſed qualis eſt. Oſtendit enim ibidem Tertull. in malis tantùm adhibendam eſſe poenitentiam. *Peccatis* inquit p.252. *pœnitentia ſolummodo adhibeatur, porro peccatum, niſi malum factum dici non meretur: nec quiſquam benefaciendo delinquit, quod ſi non delinquit, cur pœnitentiam invadit delinquentium? &c.* 2. Alia pœnitentia eſt Ethnicorum, qui vel tædio peccandi tandem affecti vitia ſua exteriora deſerunt, vel ex rationis judicio peccare deſinunt, idque vel formidine pœnæ vel virtutis amore: alia verò Chriſtianorum (quo nomine generaliter accepto etiam V. Teſt. populum complector) eademque vel vera & ſalutaris, vel falſa & exitialis. Vera ac ſalutaris poenitentia in ſeria contritione & vera in Chriſtum fide conſiſtit, quam nova obœdientia proximè ſequitur. Falſa & exitialis iterum duplex eſt: alia hypocritica in ſola externa ſpecie & ſimulatione conſiſtens, quæ vocatur alias phariſaica, cùm de Phariſæis Chriſtus pronunciet, ipſos jejunare (ſive lugere) *πρὸς τὸ θεαθῆναι ὅπως φάνωσι τοῖς ἀνθρώποις* Matth. 6. v. 6. Ad hanc ſpeciem referenda eſt Achabi poenitentia, de quo dicitur 1. Reg. 21. v. 27. quod auditâ comminatione pœnarum *ſciderit veſtimenta ſua, induerit ſaccum, jejunaverit, dormierit in ſacco & inceſſerit miſerabiliter*, vel lento gradu, vel nudis pedibus vel capite velato, hæc enim omnia ſignificat vocabul. אט. Alia verò eſt dimidiata ac mutila. Ambr. lib. 10. in Luc. 22. p. 158. vocat (*caſſam*) quę ſeriò quidem deplorat peccata, ſed abſque fide & ſpe gratiæ. Talis fuit poenitentia Saulis & Judæ Iſchariotis, unde à quibusdam vocatur Iſchariotica pœnitentia, ab Apoſtolo vocatur *θανατοφόρος* 2. Cor. 7. v. 10. ac plerunque *μεταμέλεια* appellatur, ſicut contrà vera & ſalutaris pœnitentia dicitur *μετάνοια*, quod tamen non eſſe perpetuũ, oſtendimus ſuperiùs. Quidam diſtinctionẽ inter verã & ſalutarem ac falſam & exitialem pœnitentiam ita efferunt, ut dicant illam eſſe Evangelicam, hanc verò legalem, ubi tamen neceſſariò addendum, quòd contritio etiam in vera & ſalutari pœnitentia ſit ex lege, dicetur igitur ſalutaris pœnitentia Evangelica non omnium partiũ reſpectu, ſed ratione partis potioris videl. fidei, quæ eſt ex Evangelio. Nec abſque re eſt huc referre diſtinctionem inter timorem filialem & ſervilem, quando enim quis ſeriò dolet, quòd Deũ ſummum bonum offenderit, eundemque ut beniginiſſimum Patrem reveretur ac fide in Chriſtum ſeſe viciſſim erigit, hic eſt timor filialis ſalutaris pœnitentiæ proprius: ſed quando quis non tàm ex odio & deteſtatione culpæ quàm ex metu pœnæ dolet, ac Deum velut ſeverum & inexorabilem judicem fugit, nec timorem habet *συγκεκραμένον τῇ πίστει*, hic eſt timor ſervilis ad falſam & exitialem partem pertinens; inde eſt quòd veram & ſalutarem pœnitentiam quidam *συνεκδοχικῶς* vocant poenitentiam culpæ, ſed falſam & exitialem, pœnitentiam pœnæ. Item illam vocant pœnitentiã admiſſi, hanc verò amiſſi. Porrò diſtinctiones enumeratæ petitæ ſunt partim ex cauſis, partim ex ſubjectis, partim ex ipſis poenitentię partibus. 3. Poenitentia ſi accipiatur non ſolùm pro interna converſione, ſed etiam pro externis ſignis & profeſſione interioris ad Deum converſionis, dividi poteſt in ordinariam ſeu cõmunem & quotidianam, & Extraordinariam ſive ſpecialem & certi temporis. Ordinaria eſt cui per totum vitæ curſum omnes & ſingulos adultos, etiam eos, qui per verbum & Baptiſmum renati ſunt propter peccati originalis reliquias, & quotidianas infirmitates operam dare convenit, de qua dicitur Prov. 24. v. 16. *Septies in die cadit juſtus & reſurgit*. Item tota hominis verè pii vita nihil aliud eſt quàm perpetua poenitentia, conſtat autem non ſolùm interna converſione, h. e. ſeriâ contritione & fide, ſed etiam externis ſignis, quæ interiorem converſionem modò ſit vera ac ſeria promtè ſequũtur, inter quę eminet humilis peccatorum confeſſio. Ratione objectorum confeſſio illa fit vel Deo vel proximo. De confeſſione coram Deo loquuntur multa Scripturæ dicta præſertim illud 1. Joh. 1. v. 8. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata & mundet nos ab omni iniquitate.* Porrò hæc confeſſio peccatorum coram DEO fit vel privatim, quando quilibet ſeorſim peccata ſuâ confitetur ac remiſſionem eorum petit, exemplo publicani Lucæ 18. v. 14. vel publicè ac conjunctim, quando totus Eccleſiæ coetus præeunte Paſtore peccata ſua DEO confitetur, ac remiſſionem illorum quærit, exemplo populi Iſraëlitici Levitic. 16. v. 21. De confeſſione peccatorum coram proximo loquitur Jacobus capite 5. v. 16. *Confitemini invicem peccata veſtra.* Cùm enim in proclivi ſit, proximum

ver-

verbis vel factis offendere, ideò ex vera & ſincera caritate errata noſtra agnoſcere eadem que deprecari convenit. Extraordinaria ſive ſpecialis ac certi temporis pœnitentia eſt, quæ vel in delictis gravioribus ac atrociorib. vel in præſentibus ſive imminentibus calamitatibus, vel conſcientię magis confirmandæ causâ certis quibusdam temporibus coram Eccleſiæ miniſtro ſuſcipitur. Eſtq; vel Publica vel Privata. Publica eſt, quando totus aliquis cœtus præſentia vel imminentia vindicis Dei flagella ſentiens ſolenni pœnitentiæ profeſſione à Magiſtratu & Paſtoribus Eccleſiæ indicta, adhibito fletu & jejunio peccata ſua Deo confitetur & ipſorum remiſſionem ac pœnę averſionem, humiliter implorat. Talis pœnitentia fuit Iſraelitarũ 1.Sam.7.v.6. Neh. 9.v.1. Eſth.4.v.3. Joël.2.v.14.& Ninivitarũ Jon.3.v.4. Huic poenitentię in populo Iſraëlitico cõjuncta erant jejunium, ſciſſio veſtium, lachrymæ, proſtratio in terram, cineris aſperſio, ſacci, h.e. viliurum veſtium uſus, aquæ effuſio &c. Privata eſt, quando privatus quiſpiã extraordinariam ac ſolenniorem poenitentiam ſuſcipit, quod contingere ſolet in tribus potiſſimùm caſibus, primò in delictis gravioribus ac atrocib. quò pertinet pars illa diſciplinæ Eccleſiaſticæ in primitiva Eccleſia uſitatæ, quâ requirebantur publica & peculiaria poenitentiæ indicia ab illis, qui poſtquam in Eccleſiæ album recepti erant, atrocibus delictis ſe contaminaverant, ac ſuis moribus alios offenderant, hoc fine, ut ex indiciis illis Eccleſiæ conſtare poſſet, eos qui peccaverant veram & ſeriam poenitentiam agere, unde hoc pacto Eccleſiæ ſatisfacere dicebantur. Hujus poenitentiæ veſtigium quoddam in noſtris Eccleſiis adhuc reliquum, quando ſcortatores ad publicam deprecationem adiguntur, optandum autem foret, nervos Eccleſiaſticæ diſciplinæ in hac effœta mundi ſenecta arctiùs aſtringi & in aliis quoque publicis ac notoriis delictis hanc ſalutarem ſeveritatem adhiberi. Deinde ſi quando gravioribus quibusdam calamitatibus, præſertim domeſticis peccata noſtra in cõſpectum noſtrum à Deo veluti ſiſtuntur, tunc itidem extraordinaria illa poenitentia cum lachrymis, moerore & jejunio à verè piis ſuſcipi ſolet. Exemplum eſt in Davide 2.Sam.12.v.13. & Ezechia Eſa.38.v.1.& ſeqq. Denique in noſtris Eccleſiis uſitata eſt auricularis confeſſio, quâ certis temporibus coram Eccleſiæ miniſtro peccata noſtra confitemur & conſcientiæ magis confirmandæ ergo abſolutionem ab ipſo petimus, de qua ſuo loco uberiùs agetur. Porrò hæc diviſio poenitentiæ in Ordinariam & Extraordinariam, in publicam & privatam, in eam quæ Deo & quæ fit hominibus, partim ex adjunctis, partim ex objectis eſt petita. 4. Gaudenſis in comm. Hiſt. paſſ. ex Gorrano in Matthæum, talem producit poenitentiæ diviſionem. Alia poenitentia eſt vera, de qua dicitur Matth.3. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cælorum*: alia eſt ſera, quæ eſt damnatorum, de qua Sapient.5. *Gementes præ anguſtia Spiritus pœnitentiam agent*: tertia eſt coacta & eſt latronum, de qua Eccleſ.5. *Super furem eſt confuſio & pœnitentia.* Quarta eſt ficta & eſt hypocritarum, ſicut Eſau, de quo dicitur Heb.12. quòd *non invenerit pœnitentia locum.* Quinta eſt deſperata ſicut Judæ, de qua dicitur in paſſione. Quid de hac diviſione ſtatuendum ſit, ex præcedentibus patet. 5. Jacobus de Voragine talem proponit diviſionem. *Eſt pœnitentia purgans; qualis fuit Maria Magdalena, eſt pœnitentia ornans, qualis fuit Johannes Baptiſta,* & eſt *pœnitentia conſervans, quæ juſtum conſervat à caſu.* Sed hæc diviſio procedit ex falſa hypotheſi, quâ ſtatuitur Sanctos non indigere poenitentiâ, cùm tamen pro *peccatorum remiſſione obtinenda omnes orare oporteat* Pſal.32.v.6. 6. Bellarmin. lib.1. de poenit.cap.21. Poenitentiam dividit in privatam & publicam, ac rurſus publicam in ſolennem & non ſolennem, cujus deſcriptiones apud ipſum videri poſſunt. Injuriam autem nobis facit, quando ſcribit nos vix aliam quàm publicam poenitentiam agnoſcere. Hæ ſunt potiores poenitentiæ diviſiones, nobis de vera & ſalutari Poenitentia hîc agere animus eſt.

35. Cauſa efficiens principalis veræ & ſalutaris poenitentiæ eſt ſolus Deus, ſive quod idem eſt, Spiritus ſanctus. Cùm enim Spiritus ſanctus ſit Patris & Filii Spiritus, nec ſeparatâ quadam potentiâ in opere converſionis agat, ſed eâdem, quæ eſt Patris & Filii potentia, ideò perinde eſt, ſive dicas Deum eſſe cauſam Poenitentię, ſive dicas Spiritui ſancto hoc opus aſcribendum. Ideò autem in ſpecie opus converſionis in quibusdam Scripturæ dictis Spiritui ſancto tribuitur, quia miniſterium verbi, per quod Deus in cordibus hominum poenitentiam operatur, dicitur *miniſterium Spiritus* 2.Cor.3.v.8. atque ut creationis opus Patri, redemtio tribuitur Filio, ita ſanctificatio aſſignatur Spiritui ſancto, cùm tamen nec à creatione Filius & Spiritus ſanctus, nec à redemtione Pater & Spiritus ſanctus, nec à ſanctificatione Pater & Filius ſint excluſi. Probari igitur nobis non patimur, quòd ſcribit Bucanus in locis Theol. loc.30.p.291. *κύριον αἴτιον pœnitentiæ eſſe Deum, ζυναίτιον Spiritum ſanctum*; atqui opera S.S. Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, trium perſonarum ut eſt una divinitas, ita quoque potentia & ἐνέργεια una. Ceterum cauſam efficientem principalem poenitentiæ eſſe ſolum verum Deum probatur ex ſequentibus Scripturæ dictis. 1. In quibus converſionis opus diſertis verbis Deo tribuitur. 1.Reg.18.v.37. *Exaudi me Domine, ut cognoſcat populus iſte, quòd tu ſis Iehova, & quod converteris cor eorum retrorſum.* Jerem.31.v.18. *Converte me Domine, & convertar*; v.19. *poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam.* Thren.5.v.21. *Converte nos & convertemur & ſalvi erimus.* Ezech.36.v.26. *Dabo vobis cor novum, auferam cor lapideum è medio veſtri & dabo vobis cor carneum.* Luc.19.v.10. *Venit Filius hominis quærere & ſalvare quod perierat.* (Sicut ovis in errorum avia ſemel abducta ex ſe & ſuis viribus non poteſt in viam redire & gregi ſe aſſociare, ita quoque ex nobis in viam ſalutis redire non poſſumus, CHRISTUS igitur ſuaviſſimâ picturâ ſe nobis commendat, quòd ſit paſtor palantes ac errantes imò perditas oves requirens) Actor.5.v.31. *Hunc* (Jeſum) *Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextrâ ſuâ ad dandam pœnitentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum.* Actor.11.v.18. laudat Eccleſia DEI beneficium, quòd *etiam gentibus dederit pœnitentiam ad ſalutem.* Eph.2.v.5. *Cùm eſſemus mortui in peccatis, vivificavit nos Deus una cum Chriſto.* 2.Tim.2.v.25.& 26. Apoſtolus miniſtrum *patientem* eſſe jubet *erga reſiſtentes, ſi quando Deus*

Cauſa efficiens pœnitentiæ.

dat

det illis pœnitentiam, ut reſipiſcant (*ἀνανήψωσιν*) *ex Diaboli laqueo.*** Apoc.3.v.9. *Ecce dabo de Synagoga Satanæ, qui dicunt ſeipſos Iudæos eſſe & non ſunt ſed mentiuntur, ecce faciam illos ut veniant & adorent ante pedes tuos & ſciant, quod ego dilexi te.*** 2. In quibus peculiariter opus converſionis tribuitur Spiritui ſancto. Geneſ.6.v.3. *Non diſceptabit Spiritus meus cum hominibus in ſeculum, quia caro ſunt*, voluit omninò Spiritus ſanctus per verbum in cordibus hominum operari pœnitentiam, ſed illi omnes Spiritus ſancti admonitiones ac redargutiones præfractè contemſerunt carnis voluptates ſecuti Ezech.36.v.26. *Dabo vobis Spiritum novum* (renovabo vos ad Pœnitentiam per Spiritum ſanctum) Johan.16. v.8. *Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, juſtitia & judicio.* 3. In quibus hominis viribus *δύναμις* ſeipſos convertendi adimitur. Geneſ.6. v.5. cap.8.v.20. *Omne figmentum cogitationum cordis tantum pravum omni die.* Deuter.29.v.3. *Signa & portenta illa magna viderunt oculi tui*, verſ.4. *nec tamen dedit vobis Deus cor ad intelligendum, oculos ad videndum, & aures ad audiendum uſque in hunc diem.* Dicuntur homines *ſedere in tenebris & regione umbræ mortis.* Lucæ 1. v.79. *eſſe tenebra.* Johan.1.v.5. Eph.5.v.8. eſſe in *peccatis mortui.* Epheſ.2.v.1. quomodo igitur ad lucem & vitam ſpiritualem ſuis ſeſe viribus convertere poſſent? Joh.6.v.44.& 65. dicit Chriſtus *nemo venit ad me, niſi Pater traxerit illum.* 2.Corinth.3.v.5. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, &c.* 4. In quibus miniſtris Eccleſiæ opus converſionis tribuitur, id enim Deus per ipſorum miniſterium agit. Luc.1. v.16. Johannes Baptiſta *convertet corda Iſraelitarum ad Dominum.* Actor.26.v.17. dicit Dominus ad Paulum, *mittam te ad gentes, ut aperias oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem, a poteſtate Satanæ ad Deum* 2.Corinth.5. v.20. *Legati ſumus Chriſti nomine, Deus enim per nos exhortatur.*

36. Referenda hûc dicta Veterum. Ambroſ. lib.1. in Lucam cap.22. *Quos Ieſus reſpicit, plorant delictum. Negavit Petrus & non flevit, quia non reſpexerat Dominus, negavit ſecundo & non flevit, quia adhuc non reſpexerat Dominus: negavit tertio & reſpexit Ieſus & ille amariſſimè flevit.* Auguſtinus (velut quidam volunt, Fulgentius) de fide ad Petrum cap.31. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites, neminem hic poſſe hominum pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminaverit & gratuitâ ſua miſeratione converterit.* Apoſtolus enim dicit, *Si fortè det illis Deus pœnitentiam, ut reſipiſcant a Diaboli laqueo.* Idem in Enchir.c.82. *Non ſolùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam ut agatur, Dei miſericordia neceſſaria eſt, alioquin non diceret Apoſtolus, ſi fortè det illis Deus pœnitentiam, & ut Petrus amarè fleret, præmiſit Evangeliſta & ait: reſpexit eum Dominus.*** Idem in Pſal.84. *Vt converteteris, poſſe, niſi vocareris? nonne ille qui te vocavit averſum, ipſe præſtitit, ut converteteris.* Caſſiodorus in Pſal.32.v.8. *Vides quod peccatores non habent intellectum, niſi quando eum Dominus converſis propitiatus indulget.*** Gregor.hom.8.in Ezech. *Quis illam* (pœnitentiam) *Mariæ Magdalenæ infudit intus, niſi qui benignè ſuſcepit foris? quis illam ad lachrymas urgebat per compunctionis Spiritum, niſi qui hanc exterius coram ſimul recumbentibus recipiebat ad veniam.* Ephrem.1.de compunct.cordis c.6. circa medium. *Nos negligimus quærere eum & cunctamur invocare eum, ipſe autem diligit nos & ipſe miſeretur. Ipſe illuminat oculos mentis noſtræ & ipſe nobis compunctionis ſuæ gratiam præbet.* Anſhelm.in enarr. Evang.f.291. *Ex nobis ipſis habemus, unde in culpam cadamus, ſed ex nobis ipſis non habemus, unde ad veniam reſurgamus.* Bernh.ſer. 3. ſup. Cant. *Qui dedit voluntatem pœnitendi, opus eſt ut addat & continendi virtutem &c. Sine ipſo nihil poſſum facere, nihil inquam, quia nec pœnitere, nec continere.* Idem repetit ſer.2. de 7.panib.col.180. *Tertia Dei miſeratio fuit, quod viſitavit cor meum & immutavit, ut amara fierent quæ malè dulcia prius erant.* Gerſ. lib. de remed. contra puſill. *Nullus præſumat, quòd velit aut poſſit per ſe ſurgere a peccatis, aut peccata cavere, hoc enim ſolius divinæ eſt gratiæ, caveat ergò quiſq; à ſigno tantæ ſuperbiæ.* Beda lib.3. in Eſdr.c.23. *Per Spiritum S. nobis & devotio pœnitendi infunditur & pœnitentib. donum veniæ confertur.* Agnoſcit hoc ipſe Granatenſis, ideò lib.2. memorialis vitæ Chriſt. c.2.p.66. ſic ſcribit: *Quemadmodum homo, qui de ventre matris ſuæ naſcitur incurvatus ſeu gibboſus, nullam poteſt invenire medicinam, aut virtutem naturalem, cujus vi poſſit ad naturalem rectitudinem reſtitui; ita etiam cùm noſtra voluntas nata ſit cum hoc ſpirituali gibbo atq; incurvatione, nemo eſt, qui eam ad rectitudinem poſſit reducere & ad Deum ſic erigere, ut Deum ſuper omnia diligat, niſi Deus ipſe qui creavit eam. Quemadmodum ergo homo non poteſt hunc amorem omnia tranſcendentem acquirere ſine Deo, ſic nec ſuper omnia dolere poteſt ſine ſpeciali dono & auxilio Dei, unum enim ab alio dependet.* Idem conc.1. Paſch. ex Meditat. Auguſtini. *Serò te cognovi lumen verum, ſerò te cognovi, erat enim nubes magna & tenebroſa ante oculos vanitatis meæ, quæ faciebat ut veritatis lumen videre non poſſem. Serò te cognovi veritas antiqua, quia cæcus eram & cæcitatem amabam & ad tenebras per tenebras ambulabam. At tu illumina tor mentis non te quærentem quæſiviſti, non vocantem vocaſti, tu intonaſti voce grandi dicens: Fiat lux in interiorib. cordis hujus & facta eſt lux & diſceſſit nubes magna & tenebroſa, quæ operuerat oculos meos & vidi lucem tuam & cognovi tenebras in quib. fueram &c.* (hac comparatione inter creationem & converſionem evidenter docetur, ſolius Dei opus eſſe veram & ſalutarem hominis pœnitentiam.)

37. *Συναίτιον* pœnitentiæ à Pontificiis ſtatuitur hominis voluntas. Bellar.lib.1. de pœnit.c.6. col.1178. mendacii accuſat Dn. Chemnitiũ, quod ſcripſerat, *Pontificios hominem peccatorem poſt Baptiſmum lapſum deducere ad humana ſeu propria opera, ut illa accedente verbo abſolutionis ſint & fiant Sacramentum, h.e. cauſa efficiens & conferens gratiam reconciliationis cũ Deo.* col.1182. falsò Thomæ Aquinati tribui dicit, quòd ſcripſerit *ad remiſſionem peccati requiri actum noſtrum, qui ſit meritorius, quia cadat ſub libero arbitrio.* cui reſpondemꝰ hoc modo. 1. Ipſe Bellar.lib.2. de pœnit.c.2. propoſ.2. ſcribit, *Contritionem eſſe actionem liberam*, h.e. talem, quæ ſit in poteſtate noſtra, quod probare cupit ex eo, quia extent præcepta divina de contritione, *quorſum n. imperentur* (inquit) *ea quæ non ſunt in noſtra poteſtate?* c.3. ſic ſcribit: *Hoc tempore ſatis cũ Lutheranis convenimꝰ, pœnitentiã ac per hoc contritionẽ donũ eſſe Dei, nec poſſe ſine divina*

An voluntas hominis ſit pœnitentiæ Συναίτιον

vina inſpiratione ſolis Naturæ virib. obtineri. lib. 1. de pœnit. c. 6. mend. 3. *Contritio & conſequenter confeſſio non eſt noſtrum tantùm opus, ſed etiam Dei qui illam nobis inſpirat.* E. quamvis Bellarminus illam manifeſtè Pelagianam opinionem improbet, quæ contritionem adeoque totum converſionis opus ſolis liberi arbitrii viribus tribuit, tamen *πελαγιανίζουσαν* illam ſententiam amplectitur, quæ converſionem inter Dei gratiam & hominis voluntatem diſtribuit, hoc eſt, ſtatuit voluntatem hominis ex naturalibus viribus *συνεργεῖν* in ipſo ſtatim primò converſionis initio, quâ de re in tractatu de libero arbitrio latiùs egimus. Recognoſcat Bellarminus ſua verba lib. 6. de grat. & libero arbitr. cap. 10. col. 901. *Ipſum credere, quod eſt opus Dei, jubet Dominus ut ipſi operemur, ac per hoc jubet, ut Deo in hoc opere cooperemur.* cap. 11. col. 909. *Liberum arbitrium in actione credendi & diligendi attenuatum quidem eſt, non tamen extinctum, ac per hoc operari poteſt opera pietatis, ſi adjuvetur à gratia.* 2. Quidam Scholaſtici diſertè diſputant, *hominem ex puris naturalibus poſſe Deum ſuper omnia diligere,* ut ex Scoto, Occamo, Petro de Aliaco & Biele propriis ipſorum verbis oſtendimus in Tractat. de liber. arbitr. §. 51. Jam verò paria ſunt DEUM ſuper omnia diligere ex puris naturalibus, & ſuper omnia dolere de peccato ex puris naturalibus, ut ex Granatenſi oſtendimus §. præcedente. Frigidè reſpondet Bellarminus Vegam oſtendere, quòd aliter ſenſerit Scotus & meliorem ſcholæ partem docere contrarium; quid enim fiet de reliquis Scholaſticis præſertim de Biele, qui ex principiis Theologiæ ſcholaſticæ ſatis aptè hanc concluſionem deducit & argumentis contrariis reſpondet? 3. Thomæ verba diſerta ſunt 1. 2. q. 114. artic. 6. *opus noſtrum habet rationem meriti ex duobus, primò ex vi motionis divinæ, & ſic meretur aliquis de condigno, deinde ſecundùm quod procedit ex libero arbitrio & hinc meritum congrui.* artic. 3. *opus meritorum dupliciter conſideratur, primò, ut procedit ex libero arbitrio, deinde ut procedit ex gratia Spiritus ſancti, primo modo non eſt ibi condignitas, ſed congruitas, videtur enim congruum, ut homini operanti ſecundùm ſuam virtutem Deus compenſet ſecundùm excellentiam ſuæ virtutis, poſteriori modo attenditur valor meriti ſecundùm virtutem Spiritus moventis nos in vitam æternam.* artic. 4. *actus habet merendi rationem, primò ex divina ordinatione, ſecundò ex parte liberi arbitrii?* quomodo ergò mendaciter ſcripſit Dom. Chemnitius, ideò actum meritorium à Thoma ſtatui, quia cadit ſub liberum arbitrium? 4. quando Chemnitius ſcribit, Pontificios deducere homines ad propria opera, terminum illum opponit merito & operibus Chriſti, non autem negat ad opera ex condigno meritoria gratiam Spiritus ſancti adjuvantem à Pontificiis omnibus, & ad opera ex congruo meritoria gratiam prævenientem à quibusdam ipſorum requiri. Quâ igitur ſpecie mendacii notam hoc nomine ipſi inuret Bellarminus? an non ipſemet ſtatuit, actiones illas pœnitentis cum verbo abſolutionis conjunctas eſſe Sacramentum, hoc eſt, cauſam efficientem & conferentem remiſſionis peccatorum? cùm contra fidem illam, qua ſtatuimus Chriſti juſtitiam nobis imputari & peccata propter Chriſtum ex gratia condonari inanem perſuaſionem, figmentum Lutheri & meram ſtultitiam appellet; hoc certè eſt homines à Chriſto ad propria opera & merita abducere. Quamvis enim ad contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem ſpeciale Dei auxilium requiri dicat, eædem tamen actiones ſunt & manent opera noſtra, quippe quorum cauſa ſocia ac ſynerga eſt liberum hominis arbitrium, quod Bellarminus haudquaquam negat. 5. Et quid dicemus de diſpoſitionibus ad juſtificationem, de præparationibus ad gratiam, de merito congrui, quæ omnia non ex gratia juſtificationis procedere, ſed eandem præcedere finguntur, ut ſuo loco pleniùs dicetur.

Argumenta pro ſtabilienda συνεργίᾳ in converſione.

38. Argumenta quibus converſionis opus vel ex toto vel ex parte naturalibus liberi arbitrii viribus vendicatur, alibi expoſuimus. 1. *Præcipitur hominibus ut ad Deum ſeſe convertant, ergò propriis viribus convertere ſeſe poterunt.* Reſp. prolixè de hoc argumento egimus in tract. de lib. arb. §. 72. 2. *Niſi converſionis opus inter Dei gratiam & hominis voluntatem dividatur, introducetur abſolutum decretum ac Deus ſtatuetur προσωπολήπτης.* Reſponſ. De hoc argumento itidem latè egimus in tractat. de elect. & reprobat. §. 139. nolumus ergò *ταυτολογεῖν.*

Cauſa inſtrumentalis pœnitentiæ.

39. Cauſa pœnitentiæ *ὀργανικὴ* ſive inſtrumentalis eſt Dei verbum, ſiquidem ſalutarem illã peccatoris ad Deum converſionem Spiritus ſanctus operatur non *ἀμέσως* ſed *ἐμμέσως* per verbũ Legis & Evangelii, hoc quidem modo, ut per legem manifeſtet peccata, iram Dei denunciet ac conſcientiæ terrores incutiat, per Evangelium verò mentes conſternatas viciſſim erigat, monſtrando Chriſtum Mediatorem, ac fidem in eum accendendo, unde duæ oriuntur pœnitentiæ partes, Contritio & Fides. Organon igitur contritionis proprium & peculiare eſt concio legis, ad quam pertinent calamitates publicæ & privatæ, quæ ſunt veluti reales conciones de atrocitate peccatorum & ira Dei adverſus illa, uti etiam meditatio paſſionis ac mortis Chriſti, quæ lucidiſſimi ſpeculi vicem obtinet, ex quo gravitatem iræ divinæ adverſus peccata cognoſcere poſſumus. Organon fidei accendendæ proprium eſt Evangelium, quod eſt concio de gratuita promiſſione remiſſionis peccatorum propter Chriſtum Mediatorem pro peccatis noſtris in ara crucis mortuum; hanc fidem ſequitur propoſitum melioris vitæ & nova obœdientia faciens fructus pœnitentiâ dignos, quâ de re plura in ſpeciali horum omnium ἐξηγήσει.

Partes pœnitentiæ ſunt duæ: Contritio & Fides.

40. Ex his facilè conſpicitur duas eſſe proprias & eſſentiales pœnitentiæ partes, Contritionem ſc. ac Fidem, quod in genere hiſce confirmatũ damus argumentis 1. Pœnitentia eſt quædam converſio, unde Hebræis תְּשׁוּבָה theſchubháh appellatur. Jam verò omnis converſio verſatur intra duos terminos, quorum unus vocatur terminus à quo, alter verò terminus ad quem. Ergò etiam pœnitentia duos illos terminos habebit. Terminus à quo ſunt peccata & vita malè acta, ex quorum conſideratione oritur dolor & contritio. Terminus ad quem eſt DEUS, in quem fiducia miſericordiæ propter Chriſtum Mediatorem promiſſæ cor hominis ſeſe erigit, ex quo manifeſtum eſt duas eſſe pœnitentiæ partes, videlicet Contritionem & Fidem. Actor. 14. v. 15. *Annunciamus vobis, ut ab iſtis vanis*

con-

convertamini ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram cap.20.v.20. *Nihil ſubtraxi vobis utilium, quò minus annunciarem vobis & docerem vos publicè & in domibus.* v.21. *teſtificans Iudæis ac gentibus pœnitentiam in Deum & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* cap.26.v.18. *Mitto te aperire oculos gentilium, ut convertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum, ut accipiant remiſſionem peccatorum & ſortem inter eos, qui ſanctificati ſunt per fidem, quæ eſt in me,* v.20. dicit Apoſtolus: *Annunciabam gentibus, ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes.* Refer huc omnia illa Scripturæ dicta, in quibus verè ac ſeriò pœnitentiam agentes dicuntur à peccatis ad Dominum converti, & conjunge deſcriptiones Veterum ſuperiùs §.8. allatas. **Duas eſſe pœnitentiæ partes oſtendit inſi: per juſtitia & miſericordia Dei ex illius conſideratione naſcitur contritio, ex hujus meditatione fiducia. Dan. 9. *Peccavimus, iniquè egimus, impii fuimus* (hęc eſt pœnitentiæ pars prior) *tua verò Domine eſt miſericordia & remiſſio. Non in juſtitiis noſtris proſternimus nos &c.* (hæc eſt pœnitentiæ pars poſterior) Luc.24. Chriſtus jubet *prædicare pœnitentiam* (hoc eſt, agnitionem peccati ex lege) *& remiſſionem peccatorum* (hoc eſt fidem ex Evangelio) Actor.20. *teſtatus ſum illis pœnitentiam & fidem in Ieſum Chriſtum.*** 2. Quot ſunt ſumma doctrinæ cœleſtis genera, quorum miniſterio Spiritus ſanctus veram ac ſalutarem pœnitentiam prædicat, & eandem in cordibus hominum operatur, tot ſunt eſſentiales pœnitentiæ partes. Jam verò duo ſunt ſumma doctrinæ cœleſtis genera, per quæ Spiritus ſanctus pœnitentiam prædicat & operatur, videlicet Lex & Evangelium, ut evidenter conſtat, & ex ſufficienti enumeratione reliquorum doctrinę capitum facilè probari poteſt. E. etiam duæ ſunt eſſentiales pœnitentiæ partes. Connexio Majoris manifeſta eſt, quia quælibet iſtarum doctrinarum peculiarem ac proprium ſuum in homine convertendo effectum obtinet, qui duo effectus licet inter ſe diſtincti ſint, tamen ad unum commune ἀποτέλεσμα pœnitentiæ conſtituendum συνημμένως concurrunt. Lex incutit dolorem, dum peccati atrocitatem & iram Dei adverſus illud manifeſtat, & hominem propter transgreſſionem accuſat. Evangelium homini territo ac contrito proponit Mediatorem Chriſtum in ara crucis pro peccatis noſtris mortuum. Referenda huc ſequentia Scripturæ dicta. 1. Sam.2. v.6. *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* Pſal.118. v.18. *Caſtigando caſtigavit me Dominus & morti non tradidit me.* Pſal.119. v.28. *Deficit anima mea præ anguſtia, confirma me:* Eſa. 28. v.21. *Facit opus alienum ut faciat proprium.* Eſa.57. v.15. *In ſancto habitat & cum contrito & humili Spiritu, ut vivificet Spiritum humilium & vivificet cor contritorum.* Oſe. 6. v. 1. *Dominus lacerat & ſanat.* Hoſ.9. v.1. *In tribulatione ſua dicit Dominus, manè quærent me dicentes: Venite revertamur ad Dominum, quoniam ipſe percuſſit nos, & medebitur nobis.* Matth. 11. v.28. *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos.* In quibus dictis per mortificationem, percuſſionem, caſtigationem &c. intelligitur contritio, per vivificationem, ſanationem ac refectionem exprimitur fides, quæ in Chriſto invenit vitam, medelam & quietem. 3. Quot partes eſſentiales in ipſa praxi verè pœnitentium conſpicinntur, tot partes eſſentiales veræ & ſalutaris pœnitentiæ ſunt conſtituendæ, ratio conſecutionis pendet ex perpetua & exacta relatione theoriæ & praxeos. Atqui in praxi verè pœnitentium duæ partes eſſentiales conſpiciuntur. Ergò totidem nec plures nec pauciores partes veræ & ſalutaris pœnitentiæ erunt conſtituendæ. Aſſumtum probatur ex congerie exemplorum. Primi parentes horribiliter lapſi initio terrentur fulmine legis & denunciatione pœnarum, mox eriguntur Evangelicâ promiſſione de ſemine mulieris. Geneſ.3. David primùm ſevero Dei tribunali ſiſtitur, mox Evangelicam concionem audit, *Dominus tranſtulit peccatum tuum* 2.Samuel.12. Summa prædicationis Johannıticæ continetur his verbis: *Agite pœnitentiam & credite Evangelio* Marci 1. v.14. & digito oſtendit *agnum Dei tollentem peccata mundi* Johan. 1. v.29. Mulier peccatrix interioris contritionis ſigna ſatis luculenta edit, mox à Chriſto audit, *remiſſa ſunt tibi peccata tua, fides tua te ſalvam fecit, abi in pace.* Lucæ 7. v.48. v.50. Idem de reliquis verè ac ſalutariter pœnitentibus eſt judicium. 4. Pœnitentia eſt ſalutaris animæ medicina, ſpiritualibus noſtris morbis oppoſita, docente Chriſto Matth.9. v.12. *Non indigent illi qui valent, Medico, ſed qui malè habent* v.13. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Quemadmodum igitur in curatione corporis requiritur morbi agnitio & abolitio, ita quoque in curatione animæ neceſſaria erit peccati tanquam ſpiritualis morbi ſeria agnitio ac deteſtatio, ejusdemque per fidem in Chriſtum abolitio. Ambroſius in cap. 3. Roman. *Per legem peccati cognitio, per fidem abolitio*, inde eſt, quòd fidelis ille Samaritanus Chriſtus Jeſus vulneribus noſtris curandis *vinum & oleum* adhibere dicitur, Lucæ 10. v. 34. acre eſt vinum ſed leniens oleum. Ambroſius 1. de pœnit. cap. 10. *Infunde vinum & oleum, non vinum ſine oleo, ſed quod & foveat & remordeat.*

Contritionem eſſe partẽ pœnitentiæ.

41. Nec deſunt argumenta, quibus in ſpecie probentur duæ iſtæ eſſentiales poenitentiæ partes. Contritionem eſſe partem poenitentiæ concedunt Pontificii, quamvis eo nomine actionem quandam liberam ſponte aſſumtam ac ſigna externa contritionis intelligant, ut paulò pòſt apparchit: nos verò contritionis nomine intelligimus veram peccati agnitionem, ſerium de illo idolorem, & interiores conſcientię angores, cum externis quibusdam ſignis ut plurimùm conjunctos, quæ omnia priorem poenitentiæ partem conſtituere ſic oſtendimus. Quicquid 1. Deus ipſe à verè poenitentibus requirit. 2. Et in exemplis verè poenitentium perpetuò conſpicitur. 3. Ac ſine quo peccatorum remiſſio non habet locum, illud ad eſſentiales veræ ac ſalutaris poenitentiæ partes omninò pertinet. Atqui contritionem, hoc eſt, veram peccati agnitionem ac ſerium de illo dolorem. 1. Deus ipſe à verè poenitentibus requirit Eſaiæ 46. verſ.8. *Reducite prævaricatores ſuper cor.* Eſaiæ 66. verſ.2. *reſpiciam ad pauperem & contritum Spiritu & trementem ſermones meos.* Jere.3. v.13. *Veruntamen agnoſce iniquitatem tuam, quia in Iehovam Deum tuum prævaricata es.* Jere.4. verſ.3.

Cir-

Circumcidite vos Iehovæ, & auferte præputia cordis veſtri. v. 8. *Accingite vos ſaccis, plangite & ululate.* Joël 2. verſ. 12. *Convertimini ad me toto corde veſtro in jejunio, fletu ac planctu, ſcindite corda veſtra & non veſtimenta veſtra.* 2. Idem in exemplis verè pœnitentium perpetuò conſpicitur. Primi parentes timent ac fugiunt conſpectum Domini Geneſ. 3. v. 8. Davidi peccatum adulterii ac homicidii priùs ob oculos proponitur, ut in hanc vocem dolore plenam erumpat: *Peccavi*, antequam peccatorum remiſſionem audiret. 2. Sam. 12. v. 7. Sic poſtquam David numerari juſſiſſet populum, *cor percuſſit ipſum*, ut diceret ad Jehovam, *peccavi graviter in eo quod feci, nunc ergò Jehovah transfer iniquitatem ſervi tui, quia ſtultè egi valdè.* 2. Sam. 24. v. 10. Manaſſe cùm in anguſtiis eſſet, *oravit faciem Iehovæ Dei ſui & humiliavit ſe valdè coram facie Dei Patrum ſuorum.* 2. Paral. 33. v. 12. *Sicut leo contrivit omnia oſſa mea*, dicit Ezechias. Eſai. 38. v. 13. 3. Abſque vera contritione remiſſio peccatorum non habet locum. Matth. 9. v. 12. *Non indigent valentes Medico ſed male habentes.* c. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos* Ergò contritio ad partes eſſentiales veræ pœnitentiæ omninò requiritur. Quamvis igitur in quibuſdam Scripturæ dictis & exemplis non fiat diſerta contritionis mentio, eadem tamen in deſcriptione veræ ac ſalutaris ſemper eſt ſubintelligenda, ut ex allatis rationibus conſtat. Joh. 8. verſ. 24. *Niſi credideritis quod ego ſim* (& ſeriam egeritis pœnitentiam) *moriemini in peccatis veſtris.*

Fidem eſſe partem pœnitentiæ.

42. Veram in Chriſtum fidem non minùs ad ſalutarem pœnitentiam requiri, ejuſdemque partem alteram conſtituere, hiſce oſtendimus argumentis. 1. pœnitentia eſt *opus ad vitam* Act. 11. v. 18. per quam obtinetur remiſſio peccatorũ Jer. 36. v. 2. Act. 3. v. 19. Gratia Dei juſtitia, donatio Spiritus ſancti, averſio vel mitigatio pœnarum ac vita æterna, ut ſuo loco pleniùs oſtendetur. Jam verò hæc non habent locum abſque fide, *ſine qua impoſſibile eſt Deo placere* Heb. 11. v. 6. quinimò ſolâ fide in Chriſtum hæc beneficia obtinentur. Ergò fides non poteſt excludi à partibus veræ pœnitentiæ, quin potiùs reſpectu fidei hæc omnia de pœnitentia prædicantur, modò prædicationis eo, quo proprietas partis toti propter illam partem tribuitur. 2. Per quod vera & ſalutaris pœnitentia à falſa & exitiali diſtinguitur, illud à partibus veræ & ſalutaris pœnitentiæ eſſentialibus non eſt excludendum. Jam verò per fidem vera & ſalutaris pœnitentia à falſa & exitiali diſtinguitur. Ergò fides à partibus veræ & ſalutaris pœnitentiæ eſſentialibus non erit excludenda. Aſſumtum conſtat ex definitione utriuſque pœnitentiæ ſuperiùs tradita. Judam poenitebat ſuæ proditionis, non minùs quàm Petrũ abnegationis, nec tamen poenitentia Judæ ſalutaris erat, quia non erat conjuncta cum vera & ſalvifica fide in Chriſtum, quâ Petrus in angoribus conſcientiæ ſeſe iterum erigebat. 3. Quodcunque in deſcriptione veræ & ſalutaris poenitentiæ ut pars eſſentialis requiritur, illud ex numero partium non venit excludendum. Jam verò fides in deſcriptione veræ & ſalutaris poenitentiæ ut pars eſſentialis requiritur Mat. 21. v. 32. *Vos autem videntes nec Pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.* Marc. 1. v. 15. *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio*, Act. 20. v. 21. *Teſtatus ſum Iudæis & gentibus pœnitentiam in Deum & fidem in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* ** Matt. 3. v. 2. *Johannes prædicavit dicens, Pœnitentiam agite.* Act. 19. v. 4. *Iohannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens, ut crederent in eum qui venturus eſſet.* ** Ergo fides in numero partium poenitentiæ non erit excludenda; προσδιορισμὸς ille, requiri ut partem, additur propter novam obœdientiam, quæ itidem in deſcriptione veræ poenitentiæ requiritur, non autem ut pars, ſed ut fructus Matth. 3. v. 8. *Facite fructus pœnitentiæ dignos.* Act. 26. v. 20. *Annunciabam gentibus, ut pœnitentiam agerent & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* 4. Si fides ex numero partium eſſentialium pœnitentiæ expungitur, non datur in converſione terminus ad quem, nullum ſupereſt diſcrimen inter ſalutarem & exitialem poenitentiam, conſcientiis territis adimitur firma conſolatio, poenitentia tota erit legis opus ac proinde non erit μετάνοια εἰς ζωὴν καὶ σωτηρίαν Act. 11. v. 18. 2. Cor. 7. v. 10. quæ omnia cùm ſint abſurda, utique negandũ non erit, fidem eſſe poenitentiæ partem.

Dicta Veterum.

43. Referenda huc ſunt dicta piorum Veterum. 1. In quibus poenitentiam & fidem conjungunt, ubi poenitentiæ nomine συνεκδοχικῶς cõtritio intelligitur. 2. In quibus poenitentiæ ſpem veniæ addunt, ubi ſpes veniæ nihil aliud notat, quàm fiduciam miſericordiæ divinæ propter Chriſtum promiſſæ. 3. In quibus poenitentiam dicunt eſſe peccata plangere & plangenda ulterius non facere, ubi prius pertinet ad contritionẽ, poſterius prærequirit fidem, abſque quâ vitæ novitas Deo placens locum habere nequit. Juſtinꝰ in qq. & reſ. ad orthod. q. 37. p. 322. *Per pœnitentiam & fidem Chriſti recipitur commiſſorum peccatorum remiſſio.* Iren. l. 3 c. 11. p. 182. *Agnitio ſalutis agnitio Filii Dei, qui & Salus & Salvator & Salutare, hanc agnitionem ſalutis faciebat Iohannes pœnitentiam agentibus & credentibus in agnum Dei qui tollit peccatum mundi.* Clemens Alex. l. 2. ſtromat. p. 174. *ad veram pœnitentiam requiritur, ut a peccatis deſiſtamus & credamus.* Ibid. poenitentiam vocat *fidei opus & officium.* Tert. l. de poenit. p. 556. *Lavacrum illud* (Baptiſmum intelligit) *obſignatio eſt fidei, qua fides a pœnitentia fide incipitur & commendatur.* lib. 4. contra Marcion. de foemina peccatrici. *Etſi pœnitentiæ ſtimulus ex fide acciderat per pœnitentiam ex fide juſtificatam ab eo audiit, fides tua te ſalvam fecit, qui per Habacuc pronunciarat, Iuſtus ex fide ſua vivet.* Lactantius 5. Inſtit. c. 13. p. 433. in hæreſeolog. *Peccati conſcientia & metus pœnæ religioſiorem facit & ſemper multò firmior eſt fides, quam reponit pœnitentia.* Ambr. 1. de poenit. c. 1. tom. [illegible] p. 152. *Nemo benè agere poteſt pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam.* c. 10. p. 159. *Si quem lapſum revocare cupias, ut credat, an ut non credat hortaris? utique ut credat, ſed qui credit juxta Domini ſententiam, habet vitam æternam.* 2. de poenit. c. 8. p. 172. *Quod de Lazaro legimus, in unoquoque debemus converſo peccatore credere, qui licet fœtorem habeat, tamen fidei precioſa emundatur unguento. tantum enim gratiæ habet fides, ut ubi ante diem fœtebat mortuus, illic bono odore tota repleatur domus.* l. 1. Epiſt. 3. tom. 3. p. 64. *Qui vult mundare peccatum ſuum, ignem a ſe removeat alienum, illi ſoli igni ſe offerat,*

qui culpam non hominem exurit. Quis ſit iſte ignis, audi dicentem: quia Ieſus baptizat in S. S. & igne &c. hic eſt ignis qui abſterſit culpam latronis. Iudas ad remedium pervenire non potuit, quia alienum ignem volvebat in pectore, qui enim inflammavit ad laqueum, indignus enim remedio fuit, quia non intimo mentis converſus ingemuit, nec ſedulo geſſit pœnitentiam, tanta enim pietatis eſt Dominus Ieſus, ut & ipſi donaret veniam, ſi Chriſti expectaſſet miſericordiam. l.9. Epiſt. 76. p. 186. *Ubi pœna præſcribitur, debet eſſe pœnitentia peccatorum; ubi remiſſio donatur, gratia eſt: præcedit pœnitentia, ſequitur gratia; nec pœnitentia ergo ſine gratia, nec gratia ſine poenitentia. Debet enim poenitentia prius damnare peccatum, ut gratia poſſit abolere.* lib. 10. in Luc. c. 24. tom. 5 p. 167. *Non lachrymas undas Deus exigit, ſed fidem: bonæ ſunt lachrymæ, ſi Chriſtum agnoſcas.* ſerm. 45. de latrone (alii hunc ſermonem tribuunt Maximo Epiſcopo) *Fides eſt, quæ peccata cooperit, quæ vincit crimina, quæ facit de latronibus innocentes: quamvis enim delinquentium grandis ſit culpa, fides tamen major eſt gratia.* Chryſ. hõ. 80. ad pop. Antioch. *Ne tua confidas pœnitentia tua namq; pœnitẽtia tanta nequit peccata delere, ſi ſola foret poenitentia, jure timeres; ſed poſtquã cum pœnitentia commiſcetur fides & Dei miſericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam ſola Dei gratia.* Id. homil. 9. io c. 6. Epiſt. ad Hebr. ** τὶ ἄλλο τὸ δόγμα τὸ ἡμέτερον, ἢ τὸ μετανοῆσαι ἀπὸ τῶν νεκρῶν ἔργων καὶ διὰ τοῦ πνεύματος λαβεῖν τὴν πίστιν εἰς ἀνάστασιν νεκρῶν καὶ κρίματος αἰωνίου.** *Quid aliud eſt dogma noſtrũ, quã poenitentiã agere ab operibus mortuis & per Spiritum accipere fidem reſurrectionis mortuorum ac judicii æterni.* ** Hier. io explic. Pſ. 7. pœnit. *Niſi quis à ſemetipſo deficiat, ad eum qui ſupra eum eſt non appropinquat.* ** Auguſt. de vera & falſa pœnit. c. 2. *Si fides fundamentum eſt poenitentiæ, præter quam nihil eſt, quod bonum ſit, appetenda eſt, poenitentia, quam conſtat in fide eſſe fundatam, non enim poteſt arbor bona malos fructus facere, poenitentia itaque, quæ non ex fide procedit, utilis non eſt, oportet enim credi remedium poenitentiæ à Salvatore per fidem concedi.* ** Adverſ. Pelag. *Tunc juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed Dei pendet miſericordia.* ** In Pſal. 30. conc. 1. poſt medium. *In tua juſtitia erue me, ut dimittas peccata mea & ædifices in me juſtitiam tuam, tu mihi eris domus refugii ad te confugio &c. Si iraſceris ultorem te invenio, ſi placatus es, adjutorem. Nihil ergò mihi reſtat niſi fugere ad te non à te:* hanc juſtitiam in præcedentibus ita declarat, quod à Deo nobis donetur per fidem in Chriſtum, in Pſ. 146. *Nos ſumus pravi corde, ſumus torti corde, nihil ferè probare poſſumus, q; Deus probat, mandata ejus non placent nobis, de illo conquerimur, ideò non eſt aliud remedium, quam ut iſta prava corda conterantur, & nihil aliud ſignificat veſtra tunſio peccatorum, non quod oſſa peccaverunt, ſed vos. Deus alligat contritiones veſtras. Cùm homines ita ſe habent, oportet ut flectant oculos ad verbum Dei & promiſſiones alligatas Sacramentis & obſignatas & tunc perfecta redditur ſanitas.* Vide eund. in Pſ. 50. 70. 74. 101. 110. 149. ubi ſemper contritionem & fiduciam miſericordiæ divinæ, quæ non niſi in Chriſto ac per Chriſtum nobis contingit, invicem conjungit. Cyrill. lib. 8. in. Levit. col. 712. *ad poenitentiam requiritur converſio & fides, quâ peccata ſolvuntur.* Fulgent. Epiſt. 7. ad Venantiam de recta pœnit. p. 125. in Hæreſiol. *Salubris converſio duplici ratione conſiſtit, ſi nec poenitentia ſperantem, nec ſpes deſerat poenitentem ac per hoc ſi ex toto corde quiſquam renunciet peccato ſuo & corde ſpem ponat remiſſionis in Deo. Etenim nonnunquam aut ſpem poenitenti homini Diabolus adimit, aut ſperanti poenitentiam tollit. Unum, dum onerat comprimit: alterum dum elevat, dejicit &c. Iudas dignè quidem poenitentiam geſſit, ſed ideò ſibi fructum poenitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis ſuæ ipſo quem tradidit diluendum ſanguine non ſperavit &c. Utrumque Scriptura præmonitis ac oſtendit, q; nec in peccato debeamus remanere, nec de remiſſione cujuslibet iniquitatis ambigere.* Bernh. ſerm. 1. de annunc. B. Mariæ col. 105. *Si credis, peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis, ſed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro S. S. dicens: dimiſſa ſunt tibi peccata tua, ſic enim arbitratur Apoſtolus, gratis juſtificari hominem per fidem.* Serm. 3. de annunc. Coll. 112. *Sola ſpes apud te Domine miſerationis locum obtinet, nec oleum miſericordiæ niſi in vaſe fiduciæ ponis, ſed eſt infidelis fiducia ſolius utique maledictionis capax, cum videlicet in ſpe peccamus, quanquam nec fiducia illa ſit dicenda, ſed inſenſibilitas quadã & diſſimulatio pernicioſa. Quæ enim fiducia eſt ei qui periculum non attendit? aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor ſentitur, nec materia ipſa timoris? fiducia ſolatium eſt, nec eget ille ſolatio qui lætatur cùm malefecerit, & in peſſimis rebus magis exultat. Rogemus igitur fratres reſponderi nobis quantas habeamus iniquitates & peccata, ſcelera noſtra nobis deſideremus oſtendi. Scrutemur vias noſtras & ſtudia noſtra periculaque univerſa vigili intentione penſemus. Dicat quiſquis in pavore ſuo, vadam ad portas inferi, ut jam non niſi in ſola Dei miſericordia reſpiremus. Hæc vera hominis fiducia eſt, cui miſericordia non denegatur, Propheta teſtante, beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum & in his qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Nec parva utique ſuppetit nobis, in nobis quidem cauſa timoris, in ipſo autem cauſa fiduciæ, &c.* Taulerus ſ. 280. concionum. Diß iſt der rechte Zucker wahrer Pœnitenz, vnd Bußfertigkeit / dadurch der Sünder mit Gott verſühnet wird / ſo er allen Creaturen vnd geſchaffenen dingen zumal Vrlaub gibt / vnd ſich allein auff Gottes Güte mit gantzem Hertzen verleſt. Petrus Cluniacenſis l. 1. Epiſt. 2. *Si ſecundum Scripturam juſtus ex fide vivit, peccator ad vitam per fidem redibit.* ** Antoo. Marinarius in Orat. habita ad patres Trid. quam allegat Flacius lib. de diſſen. pontif. p. 181. *Per Chriſtum omnibus ex corde reſipiſcentibus vivaque fide in eum tendentibus peccata gratis* (Deus) *condonat, eoſdemque in vicem & jus filiorum adoptat.* Poſtill. Amberg. 4. Adu. p. 16. *Vera poenitentiæ partes ſunt quatuor. 1. peccati agnitio. 2. ſerius de eo dolor & confeſſio coram Deo. 3. Spes & fiducia miſericordiæ divinæ per Chriſtum. 4. Emendatio vitæ.* ** Refero huc teſtimonium Jacobi Veldii, (quem Ægidius Topiarius virum in re Theologica omnibus numeris abſolutiſſimum nominat) Is in Epilogo concionis

ctionis in Epiſtolam diei cinerum partes *pœnitentiæ duas conſtituit, contritionem ſcil. & confeſſionem Adami interni, lugentis & plangentis peccata: tum fidem in Deum firmam & fiduciam certam divinæ gratiæ.*

An Evangelici diſcordes ſint in enumerandis pœnitentiæ partibus.

44. Hanc Eccleſiarum noſtrarum ſententiam Bellarminus ita oppugnat, ut primò inconſtantiam noſtris tribuat, quòd quidam ſtatuant duas pœnitentiæ partes contritionem ſc. & fidem, quidam verò tres, qui prioribus duabus adjungunt novam obœdientiam, quidam verò aliaa duas, videlicet mortificationem & vivificationem lib. 1. de pœnit. cap. 18. Reſp. 1. rectius hoc de ipſis Pontificiis ſcriptoribus dicitur, quòd in aſſignandis poenitentiæ partibus diverſas opiniones ſequantur. Durandus in 4. ſent. diſt. 16. q. 1. ſolam confeſſionem partem materialem hujus Sacramenti eſſe dicit, contritionem a. eſſe diſpoſitionem & ſatisfactionem fructum pœnitentiæ. Scotus 4. ſent. diſt. 14. q. 4. ejuſque aſſeclæ in ſola abſolutione totam Sacramenti rationem conſtituunt, nec ſolùm contritionem ſed etiam reliquas actiones poenitentis non partem ſed diſpoſitionem quandam ad Sacramentum vocant. Plerique tres materiales partes conſtituunt, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem. 2. Sententia Eccleſiarum noſtrarum in Auguſtana confeſſione art. 12. disertè eſt expoſita. *Conſtat pœnitentia propriè his duabus partibus, altera eſt contritio, ſeu terrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato, altera eſt fides, quæ concipitur ex Evangelio ſeu abſolutione & credit propter Chriſtum remitti peccata & conſolatur conſcientiam & terroribus liberat. Deinde ſequi debent bona opera, quæ ſunt fructus pœnitentiæ.* Idem repetitur in art. Schmalc. part. 3. art. 3. in Form. Concord. art. 5. & Apolog. c. 12. quam & D. Lutheri conſtantem fuiſſe ſententiam patet ex comment. in Pſal. 51. in cap. 42. & 50. Gen. in Joël 2. &c. 3. quòd Apologia confeſſionis art. 12. dicit: *Si quis volet addere tertiam partem, videlicet dignos fructus pœnitentiæ, h. e. mutationem totius vitæ ac morum in melius, non refragabimur*, id oppoſitum eſt clamoribus Adverſariorum, qui calumniabantur nos à converſione vera & integra novam obœdientiam avellere, & magnâ contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicare unam hanc ab omni pietate remotam fiduciam, ut Concil. Trident. loquitur: proinde quandò poenitentiæ partibus nova obœdientia adjungitur, vocabulum Poenitentiæ in latiori ſignificatione accipitur, pro tota converſione cum ſuis proprietatibus & effectibus propriè a. loquendo duæ tantum ſunt eſſentiales poenitentiæ partes, videl. contritio & fides, qua de re paulò poſt §. 54. pluribus agetur. 4. Per mortificationem & vivificationem Dn. Philippus nihil aliud intelligit quàm contritionem & fidem, ut ipſe Bellarminus fatetur; de Calvini ſententia paulò pòſt diſpicietur.

An terrores pertineant ad partes pœnitentiæ.

45. His ita præmiſſis format Bellarminus c. 19. quinque propoſitiones, quibus ſententiam ſuam de veris & eſſentialib. poenitentiæ partib. complectitur, quarum prima eſt *terrorem animo incuſſum à lege non rectè inter partes pœnitentiæ poni*, concedit quidem terrores illos ad converſionem ut plurimùm requiri, partem autem poenitentiæ eos eſſe διαῤῥήδην negat. Reſp. Contritionem ſive quod idem eſt, terrores à lege incuſſos eſſe partem poenitentiæ propriè dictam ſuperiùs oſtendimus, ac docet hoc res ipſa, ſi n. terror à lege incuſſus non eſt pars poenitentiæ, quis erit uſus concionum legalium in hominis converſione? ** Contritionem non eſſe poenitentiæ partem ſtatuunt. Calvinus l. 3. Inſtit. cap. 3. §. 7. ubi dicit, *à peccati horrore & odio converſionem inchoari, ideoque triſtitiam ſecundum Deum pœnitentiæ cauſam ab Apoſtolo ſtatui.* Beza in abſterſ. calumniarum Heshuſii vol. 1. p. 328. Bucan. loco 30. p. 291. ubi dicit, *antecedentem, interiorem immediatam & proximam cauſam reſipiſcentiæ eſſe timorem Dei ex divini judicii aliquando futuri cogitatione coram quo ſiſti nos oportet.* Sed Sibrand. in declarat. p. 50. *Reſipiſcentia noſtra non eſt antecedens, ſed conſequens juſtificationis, itaque ante reſipiſcentiam ſumus juſti.* Beza utitur hoc argumento. *Si contritio cordis ſeu pavores conſcientiæ eſſent propriè pars pœnitentiæ eſſent ea, eſſet ſuapte Natura ſalutifera.* Reſp. 1. eſt elenchus conſequentis. Non enim oportet illicò ſalutarē eſſe ſuâ Naturâ contritionē, quia pars conſtituitur, idcircò n: fidem adjungimus ut ex deſperationis gurgite peccator emergat & contritio fiat triſtitia ſecundùm Deū. 2. Cor. 7. v. 10. ** Videamus quibus argumentis Bellarm. eam ex numero partium expungat: rationes affert quatuor. 1. *Scriptura terrorem à pœnitentia diſtinguit.* 2. Cor. 7. *quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.*

1. Scriptura diſtinguit terrorem à pœnitentia

Reſ. 1. per terrores à lege conſcientiæ peccatoris incuſſos intelligimus dolorem de admiſsis peccatis; jā verò negat Bellarminus *nomine triſtitiæ in hoc dicto Apoſtolico dolorem de admiſſis peccatis intelligi*, erit igitur ex ipſius hypotheſi hoc dictum à præſenti quæſtione alienum. 2. Sed enim non debet nec poteſt negari, *triſtitiam ſecundùm Deum* in hoc dicto ſignificare dolorem de admiſsis peccatis, cùm circumſtantiæ textus oſtendant non poſſe aliter accipi; duplicem n. triſtitiam Apoſtolus conſtituit, unam ſecundùm Deum, hoc eſt, quæ naſcitur ex Spiritu Dei movente corda circa res ſpirituales, ut de jactura earum & de peccatis doleamus, alteram triſtitiam hujus mundi, quæ naſcitur ex Spiritu mundi & eſt filiorum hujus ſeculi propria, quâ vel ob jacturam rerum temporalium immoderatè dolent, vel ex impatientia correptionis triſtantur ac fremunt; vel continuos conſcientiæ morſus ſine ulla verbi conſolatione ſentiunt. Ambroſ. in h. l. *Manifeſtum eſt, quòd qui triſtis eſt, quia peccavit, ſecundùm Deum triſtis eſt, dolet enim quia fecit, quod odit Deus, hoc ad ſtabilitatem ſalutis pertinet, ut autem triſtitia ſecundùm Deum vitam operatur (poenitet enim & ſperat Dei miſericordiam) ita ſecundùm mundum triſtitia mortem operatur.* Regerit Bellarmin. *dolor ille de peccatis admiſſis eſt ipſa contritio ſive poenitentia, quomodo igitur poterit à poenitentia diſtingui?* Reſp. ſalutaris illa ſecundum Deum triſtitia cum vivifica Spiritus conſolatione intelligitur conjuncta, qui enim ſecundum Deum ſalutariter contriſtantur, illi à Deo vivificationem & conſolationem percipiunt, quia Deus, qui eſt *Deus omnis conſolationis* 2 Cor. 1. v. 3. *cum contrito & humili Spiritu habitat, ut vivificet Spiritum humilium & vivificet cor contritorum.* Eſai. 57. verſic. 15. ideò de illa κατὰ τὸν θεὸν λύπῃ pronunciat Apoſtolus, quòd μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον ἀπερ-

Digitized by Google

γάζεται nimirum ratione vivificæ illius conſolationis, cujus non aliter niſi fide in Chriſtum Mediatorem participes reddimur, quæ etiam ſola pœnitentiam ſalutarem efficit, ideò Ambroſius rectè addit, *propterea triſtitiam ſecundum Deum operari vitam, quia pœnitet & Dei miſericordiam ſperat.* Nondum ſibi ſatisfieri patitur Bellarminus, ſed urget hoc, quòd Apoſtolus in eadem Epiſtola cap. 2. dicat: *Ex multa tribulatione & anguſtia vobis ſcripſi non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis, quam caritatem in vos habeam*, & cap. 7. *Gaudeo non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* At certè Apoſtolus hæc non diceret, ſi per triſtitiam dolorem illũ acciperet, quo quis angitur, quòd Deum offenderit, neque enim diceret, ſcripſi vobis, non ut doleatis de peccato, cùm hoc ipſum vehementiſſimè cuperet, neque diceret, non gaudeo, quia contriſtati eſtis, cùm maximè gaudendum ſit, quòd peccatores peccaſſe ſeſe doleant. Reſp. res ipſa oſtendit triſtitiam mundi ſuperiùs deſcriptam utrobique intelligendam eſſe, illam igitur ſolùm, non autem ſalutarem illam ſecundum Deum triſtitiam Apoſtolus excludit, diſertè enim in loco poſteriore additur, *gaudeo non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*, id eſt, quia ſalutari illâ ſecundum Deum triſtitia, quæ pœnitentiam ſalutarem & ἀμεταμέλητον operatur, correpti eſtis. Ambroſ. in h. l. *ideirco gavisum ſe dicit, quia cum pudore contriſtati ſunt, non cum ira, Qui enim reprehenſus pudorem patitur, corrigere ſe promittit: qui vero iraſcitur, pejorem ſe futurum oſtendit.* Ex quibus omnibus patet triſtitiam ſecundum Deum ſive ſalutarem illum de admiſſis peccatis dolorem diſtingui à pœnitentia, non a. ab ea penitùs ſeparari. 3. Dicat quiſpiam, *cauſa efficiens cum ſit extrinſeca, nunquam eſt pars rei eſſentialis, Jam verò triſtitiam ſecundum Deum Apoſtolus conſtituit cauſam efficientem pœnitentiæ, ergo non erit pars ejuſdem eſſentialis.* Reſp. Nequaquam pronunciat Apoſtolus ἁπλῶς & abſolutè, quòd triſtitia ſecundum Deum operetur pœnitentiam, ſed addit, quòd operetur μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον, diſtinguit igitur veram & ſalutarem pœnitentiam ab infrugifera & exitiali, illam dicit ἀπεργάζεσθαι peragi ſive conſtitui à triſtitia ſecundum Deum, quæ vivificam Spiritus conſolationem ſemper conjunctam habet hanc verò ortum ducere à triſtitia mundi, cui proinde mortis ἀπεργασίαν ἀντιθετικῶς tribuit.

2. *Theologi in definitione pœnitentiæ nullam faciunt mentionẽ terrorum.*

46. Alterum Bellarmini Argumentum, quo probare nititur terrorem à lege incuſſum non rectè inter partes pœnitentiæ numerari tale eſt. *Theologi tùm veteres tùm recentiores in definitionibus pœnitentiæ, quæ extant apud Lombardum 4. ſent. diſt. 14. & Gratianum diſt. 3. de pœnit. nullam faciunt terrorum iſtorum mentionem.* Reſp. 1. ab autoritate humana non poſſumus argumentari negativè. Thom. p. 1. q. 1. art. 8. *Sacra doctrina autoritatibus Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex neceſſitate argumentando, autoritatibus autem aliorum Doctorum Eccleſiæ non quaſi arguendo ex propriis ſed probabiliter.* 2. Oſtendimus ſuo loco terroris iſtius in dictis Scripturæ de poenitentia & exemplis verè poenitentium diſertam fieri mentionem. Perfectiſſimum ſpeculum veræ ac ſalutaris poenitentiæ proponitur in Pſalmis Davidicis, in illis terrorum & angorum conſcientiæ mentionem fieri, quâ ſpecie negari poterit? 3. nec ipſi veteres in ſuis deſcriptionibus eos omninò prætermiſerunt. Tertull. de poenit. in princ. *Pœnitentia eſt paſſio animi ſeu dolor de offenſa facti prioris.* Poenitentiam Lombardus eſſe dicit *mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*, ex Ambroſio: *ante acta peccata deflere & ea non committere*, ex Gregorio: *vindictam ſemper pœnitentem in ſe quod quis dolet commiſiſſe*. ex Auguſtino: hic plangor, hic fletus, hæc vindicta terrores à lege incuſſos non excludit, ſed præſupponit. Gratianus affert Ambroſii deſcriptionem, *pœnitentia eſt dolor cordis & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commiſit, vel quibus conſenſit.*

47. Tertia Bellarmini ratiuncula hæc eſt. *Terreri non eſt actus virtutis, ſed naturalis affectio, quam etiam in pueris & beſtiis cernimus, jam verò illi tantùm motus qui ex ipſa virtute pœnitentiæ prodeunt, ejus partes eſſe poſſunt.* Reſp. 1. contritio non dicitur ſimpliciter terror, ſed terror ex agnitione peccatorum & intuitu iræ divinæ ortus, qualem in beſtias ac pueros non cadere manifeſtum eſt. 2. talis certè terror non eſt effectus cujuſdam habitus acquiſiti vel infuſi ex libero hominis arbitrio ortus, ſed eſt efficax motus à Spiritu ſancto accenſus, is enim eſt qui miniſterio legis peccata arguit & veluti malleo quodam lapidea noſtra corda conterit. Jer. 31. v. 18 *Converte me Domine & convertar ad te.* Ezech. 36. v. 26. *auferam à vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum.* 3. Natura noſtra per lapſum adeò corrupta eſt, ut peccato delectetur ac ſibi in peccatis blandiatur, cor noſtrum naturâ durum eſt ac lapideum & poenitere neſcium, quomodo igitur terror & angor ex peccati agnitione ortus erit naturalis affectio? Deus eſt *qui abſconditum noſtrum collocat in lumine vultus ſui*, Pſal. 90. v. 8. qui nos propter peccata *arguit & in oculis noſtris ordinat*, quicquid fecimus Pſ. 50. v. 21. qui malleo legis petram cordis noſtri conterit & *igne* verbi frigida noſtra corda inflammat Jer. 23. v. 29.

3. Terreri eſt affectio naturalis.

48. Denique ſic concludit Bellarminus: *Terrores inveniuntur in illis, qui non agunt pœnitentiam, ut in Dæmonibus, qui credunt & contremiſcunt Jacob. 2. viciſſim quidam agunt pœnitentiam, in quibus nulli terrores, ut in muliere peccatrice* Luc. 7. *quam credibile eſt nullo pœnæ terrore ſed ſolo Dei amore pœnitentiam egiſſe.* Reſp. 1. denuò recurrit æquivocationis vitium. Quamvis Dæmones terroribus poenarum afficiantur, non tamen cadit in illos verus de admiſſis peccatis dolor, ac ſeria eorundem deteſtatio & coram Dei judio humiliatio, quæ omnia terrorum nomine hoc loco intelligimus, ut ex ſequentibus patebit. 2. terrores conſcientiæ â fide ſeparari quidem poſſunt, ut apparet in deſperabundis ac Dæmonibus, interim tamen vera ac ſalutaris poenitentia non eſt ſine terroribus conſcientiæ; ἀφιλόσοφον verò eſt concludere, quòd pars aliqua non pertineat ad totum, propterea quia à parte, cum qua totum conſtituit, ſeparari poteſt: num n. ferenda hæc illatio. Anima poteſt â corpore ſeparari. Ergo non eſt pars hominis eſſentialis? pari ratione non procedit. Terrores ſunt in illis, in

4. Terrores inveniuntur in illis qui non agunt pœnitentiam & quidã agunt pœnitentiam ſine terroribus.

quibus

quibus non ſequitur fides. Ergo terrores cum fide non conſtituunt pœnitentiam. 3. diſtinguendum eſt inter timorem filialem ac ſervilem, filialis timor ac tremor veræ ac ſalutaris pœnitentiæ proprius eſt, ſiquidem conjunctam habet veram in Chriſtum fidem, timor ſervilis ex metu pœnarum ortus Dæmonum proprius eſt. 4. Verè pœnitentes non tàm ex timore pœnæ, quàm ex amore Dei & peccati odio doleat, interim tamen ab omnibus conſcientiæ terroribus nondum ſunt liberi, quin potiùs timor & fiducia in illis ſunt conjuncta, deprecantur igitur Dei judicium Pſal. 143. v. 2. interim tamen fiduciam miſericordiæ divinæ ſimul concipiunt, ideò deſcribuntur hoc modo, quòd *timeant Dominum & ſperent in miſericordia ejus*, Pſal. 147. v. 10. 5. Peccatricem illam Luc. 7. veros ac ſerios conſcientiæ dolores ſenſiſſe, ipſæ lachrymæ quæ ſunt legati doloris & vulnerati animi ſanguis ſatis ſuperque teſtantur. Bernhard. ſerm. 10. in Cant. *Eſt unguentum, quod ſibi conficit anima multis irretita criminibus, ſi cùm incipit cogitare vias ſuas, colligat, congerat, conterat que in mortariolo conſcientiæ multas ac varias ſpecies peccatorum ſuorum & intra æſtuantis pectoris ollam ſimul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ & doloris, ut poſſit dicere cum Propheta: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcit ignis &c.*

Fidem non eſſe partem pœnitentiæ, qui ſtatuant. 49. Progrediamur ad ſecundam Bellarmini propoſitionem, quam de partibus pœnitentiæ. *Fides non eſt pars pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam neceſſariò requiratur*, Bellarmino hac in parte aſſenſum præbent Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 4. Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 3. §. 5. Martyr. claſſ. 3. locor. cap. 8. pag. 603. Bucanus in locis pag. 288. ** Catech. Rom. f. 245. *Fides nullo modo pœnitentiæ pars rectè dici poteſt.* ** Reſp. 1. fidem non poſſe ex numero partium eſſentialium pœnitentiæ expungi, oſtendimus ſuperiùs. 2. Quando Bellarmin. pœnitentiam ad fidem requiri concedit, non intelligit fiduciam in Chriſti merito recumbentem & gratuitam peccatorum remiſſionem propter Chriſtum ſperantem, ſed fidem hiſtoricam, quæ ſtatuit vera eſſe, quæ in verbo divinitùs revelato nobis proponuntur, ſic n. ſcribit 1. de juſtificat. cap. 9. *Quando in Symbolo profitemur, nos credere remiſſionem peccatorum, ſenſus verborum eſt: Credo in Eccleſia vigere donum remiſſionis peccatorum, non autem credo mihi remiſſa eſſe peccata.* Videamus quibus argumentis pugnet.

1. Fides à pœnitentia diſtinguitur. 50. 1. *Marc. 1. v. 14. Actor. 20. v. 21. fides à pœnitentia diſtinguitur. Ergo non erit pars pœnitentiæ.* Reſp. 1. Bellarminus contendit fidem eſſe priorem pœnitentia, atque ad eam diſponere; jam verò in his dictis fides pœnitentiæ poſtponitur, quomodo igitur in illis fides ſtatuetur prævia ad pœnitentiã diſpoſitio? 2. Dicimus igitur pœnitentiæ vocabulum in his dictis accipi μερικῶς pro contritione priore pœnitentiæ parte, quo ſenſu ac reſpectu à fide ἀντιδιῃρημένη ejuſdem parte altera rectè diſtinguitur. 3. quando verò pœnitentia ὁλικῶς accipitur, tum fidea ejuſdem eſſentiales partes neceſſariò ingredi ſtatuenda eſt, quia remiſſionem peccatorum, pacem conſcientiæ, juſtitiam ac vitam æternam non niſi fide in Chriſtum conſequimur. Actor. 10. v. 43. Rom. 5. v. 1. quomodo igitur vera illa & ſalvifica in Chriſtum fides ab eſſentialibus pœnitentię partibus excludi poterit, cùm ſolius fidei reſpectu poenitentia opus ad vitam ac ſalutem dicatur? Fide non accedente cor contritum conſolatione ac pace deſtituitur; contritio & confeſſio iratum DEUM agnoſcunt & fugiunt, ſatisfactio falſam in noſtra opera fiduciam gignit, neceſſaria igitur verè ac ſalutariter poenitentibus eſt fides, quæ promiſſiones Evangelicas & in illis Chriſti beneficia amplectitur, quæ à DEO irato ad DEUM placatum fugere docet, quæ à throno divinæ juſtitiæ ad thronum miſericordiæ propter Chriſtum & in Chriſto promiſſæ provocat. FIDES eſt, quæ per caliginem tempeſtatis, mortis ac inferni videns, Deum etiam derelictorem agnoſcit tamen ſuſceptorem, Deum perſecutorem agnoſcit auxiliatorem, & Deum damnatorem agnoſcit Salvatorem.

51. 2. *Fides pœnitentiam præcedit eamque gignit, ut docet exemplum Ninivitarum, qui primo credidiſſe, poſtea demum pœnitentiam egiſſe dicuntur Jon. 3. & manifeſta ratio; nemo enim poteſt ſerio agere pœnitentiam, niſi credat vera eſſe, quæ Deus peccatoribus minatur & pœnitentibus pollicetur.* *2. Fides pœnitentiam præcedit, eamque gignit.* ** Eodem argumento utitur Beza. *Fides ordine præcedit μετάνοιαν ut cauſa effectum.* Reſp. κατ' ἄλλο diverſo reſpectu eſt cauſa & pars. Cauſa in renatis & juſtificatis, qui vera fide impelluntur ad exuendum & mortificandum quotidie veterem hominem: ac de fide in fidem per quotidiana incrementa procedunt. Pars verò dolorem ſubſequens in illis, qui primùm ab impietate ſua divinitùs revocantur, in quibus hic ſervatur ordo, ut legis terreantur fulmine priuſquam Evangelii voce erigantur. ** Ad Bellarmini argum. Reſp. 1. confunditur fides hiſtorica cum fide ſalvifica. Fides hiſtorica eſt prior contritione, ſed fides ſalvifica eſt cõtritione poſterior, non enim ignoſcit Deus, niſi peccata agnoſcamus; non tegit delicta, niſi ea detegamus; nec conſolatur niſi doleamus; *nec infundit miſericordiæ oleum niſi in vas contritum ac confractum*, ut loquitur Bernhard. ſerm. 3. annunc. col. 133. *Evangelizat* Chriſtus, ſed *pauperibus; conſolatur*, ſed *lugentes*. Eſa. 61. v. 1. Matth. 11. v. 5. Luc. 4. v. 18. 2. ſalvificam illam fidem Lutheri figmentum appellat Bellarminus, qui nullam aliam quàm Hiſtoricam fidem agnoſcit, ſed contrarium ſuo loco evidenter demonſtrabitur. 3. Exemplum Ninivitarum & adducta ratio nihil aliud probant quàm Hiſtoricam fidem præcedere poenitentiã, quòd non inviti concedimus, quin & addimus, fidem ſalvificam & juſtificantem interdum præcedere poenitentiam, nimirum ſi per poenitentiam accipiatur quotidiana illa carnis mortificatio in renatis, quâ peccati in carne adhuc hærentis ſordes & quotidianas infirmitates agnoſcunt & deplorant, eaſdem fide in Chriſtum ſibi condonari petunt, & Spiritu actiones carnis mortificant, quam vocare quis poſſit poenitentiam renatorum ac ſtantium, quæ eſt fructus fidei; qui enim Chriſti ſunt, crucifigunt carnem cum concupiſcentiis Galat. 5. v. 24. ſecus verò ſe res habet in poenitentia nondum renatorum ac in peccata mortalia prolapſorum, qui ſalvificam illam in Chriſtum fidem nunquam habuerunt, vel per peccata contra

conſcientiam eandem amiſerunt, de qua potiſſimum hoc loco quæritur.

3. Credere eſt actus fidei, non pœnitentiæ.

52. 3. *Partes pœnitentiæ cenſendæ ſunt illæ, quæ à virtute pœnitentiæ manant. At credere non eſt actio pœnitentiæ quæ eſt virtus moralis, ſed fidei, quæ eſt virtus Theologica.* Reſp. argumentum procedit ex falſa hypotheſi, quâ pœnitentiâ interior ſtatuitur virtus moralis ex libero hominis arbitrio orta, pœnitentia exterior ſive actus pœnitentis ſtatuuntur partes materiales Sacramenti, quâ de re diximus ſuperiùs. 4. *Veteres Patres in deſcriptionibus pœnitentiæ nuſquam fidei meminerunt.* Reſp. contrarium ſuo loco fuit demonſtratum. Quid quòd quandoque ſolius confeſſionis mentionem faciunt, ut Chryſoſt. hom. 9. de pœnit. *Dic peccavi & ſolviſti peccatum.* Ambroſ. ſerm. 3. in Pſal. 118. *Qui dicit peccata ſua, juſtificatur.* Quandoque ſolius orationis, Ambroſ. lib. 7. in Lucam cap. 66. *Facile reconciliatur quando impensè rogatur*; nemo tamen dixerat ſolam confeſſionem & orationem conſtituere poenitentiam. Obſervandum autem hoc loco, quòd pii veteres, quando ad agendam poenitentiam auditores ſuos inflammare volunt, priorem poenitentiæ partem, videlicet contritionem ac peccati deteſtationem cumprimis urgent, cum corruptæ Naturæ noſtra in peccatis ſibi blandiri & vanam fidei à contritione & emendatione ſeparatæ perſuaſionem induere ſoleat, ſed quando cum cordibus verè contritis & coanguſtatis ipſis res fuit, ad promiſſiones Evangelicas fide apprehendendas ea deducunt.

4. Patres non faciũt mentionem fidei.

5. Ninivitæ dubitarunt.

5. *Ninivitæ egerunt pœnitentiam & tamen dubitarunt de remiſſione peccatorum, dicunt enim, Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus,* Jon. 3. Reſponſ. non dubitant de reconciliatione cum Deo, ſed de averſione poenarum temporalium per Jonam denunciatarum, ſic enim ſequitur: *Quis ſcit, ſi convertatur & pœniteat Deum, avertatur que à furore iræ ſuæ & non peribimus*; adde quòd formula illa loquendi Hebræis uſitata Quis ſcit, non tàm dubitantis quàm exhortantis & animantis ſit, quod in Germanico etiam idiomate obſervare poſſumus, quâ de re plura ſuo loco.

An bona opera ſint partes pœnitentiæ.

53. Tertia Bellarmini de partibus poenitentiæ propoſitio hæc eſt. *Non ſunt omnia bona opera, quæ poſt juſtificationem fiunt, inter partes pœnitentiæ numeranda.* Reſp. propriè & accuratè loquendo novam oboedientiam eſſe partem poenitentiæ eſſentialem ipſimet negamus, interim tamen Bellarmini propoſitionem probare non poſſumus, qui ſtylum ſuum eo modo inflectit, ut quædam bona opera videlicet ea, quibus vel poenitentia interior manifeſtatur, vel pro peccatis ſatisfieri exiſtimatur, partibus poenitentiæ annumeranda eſſe ſtatuat. Neque enim hoc loco quæritur de exterioribus contritionis ſignis, quæ ut plurimùm, non tamen perpetuò adeſſe dicimus, ac proinde ad eſſentiales poenitentiæ partes referre non poſſumus; nec de operibus ſatisfactionis, de quibus quid ſtatuendum ſit, paulò pòſt dicetur, ſed de bonis operibus poenitentiam ſequentibus, in quibus verè ad Deum converſi ambulant & ſeſe Deo gratos ac proximo utiles præſtant. Illa partibus poenitentiæ eſſentialibus annumeranda eſſe negamus ex his fundamentis. 1. Fructus nunquam eſt pars rei, ſive ut Philoſophi loquuntur, conſecutivum non eſt rei conſtitutivum. ** Scal. exerc. 140. p. 471. *Non eſt flos aut fructus plantæ pars, ſed opus.* ** Bona opera ſunt fructus poenitentiæ, Matth. 3. v. 8. *Facite fructus pœnitentiâ dignos.* Actor. 26. v. 20. *Teſtificatus ſum Judæis & gentibus, ut poenitentiam agerent ac converterentur ad Deum digna poenitentiæ opera facientes.* Apocal. 2. v. 5. *Age poenitentiam & fac opera priora.* Ergo bona opera non ſunt partes poenitentiæ eſſentiales. 2. Si nova obœdientia ſtatuitur pars eſſentialis converſionis, non erit firma promiſſio reconciliationis cum Deo & remiſſionis peccatorum, quia ex qualitate & quantitate novæ obœdientiæ judicabitur de reconciliatione noſtra cum Deo & remiſſione peccatorum. Conſequens repugnat dicto Apoſtolico Roman. 4. v. 16. *Ideo ex fide gratis ut ſit firma promiſſio.* E. antecedens non erit aſſerendum. 3. Ut ſeſe habent bona opera ad noſtri coram Deo juſtificationem, ita ſe habet novæ obœdientia ad veram ac ſalutarem poenitentiam. Jam v. bona opera nec cauſæ nec partes ſunt juſtificationis, non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum. Ergo nova obœdientia itidem nec cauſa nec pars erit poenitentiæ, ſed illius neceſſarium conſequens, cùm non faciat hominem poenitentem, ſed cum potius jam verè contritum & fide in Chriſtum mere-ctum ceu fructus arborem conſequatur. Obſerva autem quando nova obœdientia neceſſarium conſequens veræ poenitentiæ ſtatuitur, tùm nomine illo non ſolùm exteriora bona opera, ſed etiam adeoque cumprimis interius bonum propoſitum intelligi, cùm quandoque exteriora quædam opera non poſsint ſequi v.g. in articulo mortis, in extrema inopia &c. ubi locum habet illud Auguſtini: *Coronat Deus intus voluntatem, ſi non invenit benè operandi facultatem*, itemque illud Remigii, quod allegat Guillermus in feſto Nativ. *Si divitias Zachæi non habes, ſi deſint tibi duo minuta viduæ, ſi nec calicem aquæ frigidæ potes offerre, offer Deo bonam voluntatem,*

Quo ſenſu bona opera à quibuſdam ſtatuantur partes pœnitentiæ.

54. Neque eſt quòd autoritatem Dn. Philippi vel aliorum nobis obvertat Bellarminus, qui novam obœdientiam poenitentiæ partibus accenſent, plerique enim mentem ſuam clariſsimè expoſuerunt, videlicet 1. quod reſpiciant nexum indiſſolubilem inter juſtitiam bonæ conſcientiæ & veram poenitentiam ac fidei juſtificationem, ex quo tamen nondum ſequitur, quòd propriè & accurratè loquendo bona opera partem poenitentiæ conſtituunt: neque enim quod rei perpetuò conjunctum, ſtatim ejuſdem pars eſſentialis eſt & conſtitutiva, fides & caritas perinde ut Sol & calor ejuſdem vivificus, perpetuò nexu ſunt conjuncta, abſit interim ut caritatem fidei, calorem Solis partem conſtitutivam ſtatuere velimus, nimirum ſunt accidentia quædam inſeparabilia παρεπόμενα τῃ φύσει quæ rem conſtitutam proximè ſequuntur, nec tamen ejuſdem conſtitutionem ac proinde nec definitionem eſſentialem ingrediuntur. 2. quod poenitentiam accipiant non ſolùm pro ejus formali & conſtitutivo, ſed etiam ejuſdem conſecutivo. Sicuſitatum eſt in ſcripturis veram poenitentiam deſcribi ex operibus, perinde ut bonitas arboris ex fructibus

Digitized by Google

ctibus cognoſcitur & deſcribitur, interim tamen nec eſſentiam arboris fructus, nec pœnitentiæ eſſentiales partes bona opera ingrediuntur. 3. quòd oppoſitum hoc velint Antinomi neceſſitatem bonorum operum negantibus, & Anabaptiſtis fidem cum lapſibus contra conſcientiam ſtare poſſe contendentibus. 4. quòd obviam ire voluerint accuſationi Tridentinæ, quaſi in noſtris Eccleſiis prædicetur illa ab omni pietate remota fiducia.

Bona opera ſunt conſequens pœnitentiæ.

55. Quamvis verò nova obœdientia à pœnitentia rectiſſimè diſtinguatur, interim tamen ab ea neutiquam eſt ſeparanda, cùm nova obœdientia ſit perpetuum ac neceſſarium conſequens veræ pœnitentiæ, quæ proinde ex ea tanquam ex fructibus in multis ſcripturæ dictis deſcribitur Pſal.37.v.27. *Declina a malo & fac bonum.* Eſa.1. verſ.16. *Lavate vos, mundi eſtote, removete malum operum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum, deſinite malè facere.* v.17. *Diſcite benefacere, quærite judicium, dirigite oppreſſum, judicate pupillo & viduæ.* v.18. *Si fuerint peccata veſtra velut coccinum, tanquam nix dealbantur.* Jerem. 18 v.8. *Si convertatur gens à malo ſuo, contra quod locutus ſum, pœnitebit me mali quod cogitabam facere ei.* Ezech.18. v.21. *Impius ſi averſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis, quæ fecit & cuſtodierit omnia præcepta mea, feceritque juſtitiam & judicium, vivendo vivet, non morietur.* v. 22. *omnium iniquitatum ejus non memorabor amplius.* Jon.3.v. 10. *Vidit Deus opera Ninivitarum, quòd converſi eſſent à via ſua mala, & pœnituit Deum mali, quod locutus erat.* Idem ſibi volunt Dicta veterum. Iren. lib.3.c.5. *quomodo peccatores pœnitentiam agent? utrum perſeverantes in iiſdem ipſis? an è contrario magnam commutationem & transgreſſionem prioris converſationis accipientes?* Tertull. de pœnit. ſtatim in principio: *Ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana, quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſevit, id eſt, hominis ſaluti.* Idem in libro de pudic. *Quid ex pœnitentia maturescit, quàm emendationis effectus?* **Hilarius in Pſal.136. *Nullus id, quod peccatum confeſſus eſt, deinceps debet admittere, quia confeſſio peccati profeſſio eſt deſinendi.* Lactant. lib. 6. de vero cultu cap.13. *Deus purgari homines à peccatis maximè cupit, ideoque agere pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam nihil aliud eſt, quàm profiteri & affirmare, ulterius non peccaturū. Ignoſcitur itaque iis, qui ad peccatum ignoranter, imprudenter, incautéque labuntur.*** Auguſt. de fide & operibus cap.20. *Accipimus remiſſionem non ut peccare liceat, ſed ut peccaſſe non noceat, ut ſit factis remiſſio, non permiſſio faciendi.* ſermon.7. de temp. *Multi aſſiduè ſe dicunt peccatores & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt non emendatio. Accuſatur anima, non ſanatur: pronunciatur offenſa non tollitur &c. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipſum te cruciet in mente, jam tunc bene ingemiſcis ad Deum.* Chryſoſtom. hom.33. in Joh. *Ea demum eſt pœnitentia ſi non ampliùs peccemus, aut eadem faciamus. Nam qui ad peccata revertitur, ſimilis eſt cani ad ſuum ipſius vomitum redeunti.* (quod deſumtum ex Proverb. 26.v.11. & 2. Petr.2.v.22.) Bernhard. in medit. devotiſs. cap.4. Col.1194. *Irriſor eſt non verè pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet.* De modo benè vivendi ſerm.27. ex Iſidoro. *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens coinquinat culpa.* Hugo de S. Victore. *Quando Deus in contritione abſolvit hominem à peccatis, ligat eum vinculis perpetuæ deteſtationis, ut peccatum ſemper de cetero deteſtetur.* Vide c. pœnitentis c. Irriſor. diſt.3. de pœnit.

An mortificatio & vivificatio ſint partes pœnitentiæ.

56. Quarta Bellarmini de pœnitentiæ partibus propoſitio hæc eſt. *Non rectè ponuntur pœnitentiæ partes, Mortificatio & Vivificatio ad eum ſenſum, quo à Calvino & Beza accipiuntur.* Reſp. Si per mortificationem intelligitur contritio ſeu dolor ex peccatorum agnitione & ſenſu iræ divinæ ortus, per vivificationem conſolatio & pax conſcientiæ, quæ eſt ex fide, coincidit hæc enumeratio partium cum noſtra, ſin verò per mortificationem intelligitur ceſſatio ab impietate & malitia, per vivificationē ſtudium novæ vitæ, tùm dicimus, ea pertinere ad fructus pœnitentiæ: in his enim partibus nova obœdientia conſiſtit, ut verè pœnitens *deſinat a malo & faciat bonum* Pſal.34. v.15. *quieſcat perversè agere & diſcat benè facere.* Eſa.1.v.16. In ſenſu poſteriori hanc diviſionem accipiunt Calvin. lib.3. Inſtit. cap.3.§.8. Bucanus loco 30. de pœnit. pag. 293. Polan. lib. 1. partit. Theol. pag.183. ab illis igitur ſeceſſionem hic facimus, cùm quotidiana illa mortificatio veteris hominis & renovatio novi ſit fructus fidei, ut ſuperiùs §.51. monuimus. **Piſcator ipſe volum. diſp.1. loc.14. th.48. *Quin illa quoque diſtributio non ſatis Logica videtur, quâ pro partibus pœnitentiæ ſeu converſionis ſtatuuntur mortificatio carnis & vivificatio ſpiritus, ſeu (ut alias ſcriptura loquitur) mortificatio veteris hominis & vivificatio novi, ſeu denique fuga mali & conſectatio boni. Sunt enim hæ non partes pœnitentiæ, ſed novæ obœdientiæ, ac proinde pœnitentiæ ſunt effecta (& tum pœnitentiam tum juſtificationem ſubſequuntur,* uti illud agnoſcit Keckerm. lib.3. Syſt. Theol. cap.8. ſub finem & initium cap.9. Vide diſp.5. tom.3. Giſſenſ. th.13.)**

An contritio, Confeſſio & Satisfactio ſint partes pœnitentiæ.

57. Succedat tandem quinta Bellarmini propoſitio, quâ ſuam de pœnitentiæ partibus ſententiam disertè ac θετικῶς exponit. *Tres ſunt pœnitentiæ partes, Contritio, Confeſſio & Satisfactio,* quòd probare nititur divinis literis, teſtimoniis veterum & congruentia rationis. R. 1. Contritionem eſſe pœnitentiæ partem concedimus, quid v. contritionis nomine Bellarminus, quid noſtræ Eccleſiæ intelligant, paulò pòſt expeditū dabitur. 2. Per contritionem intelligit hoc loco Bellarminus non interiorem illum de peccatis admiſſis dolorem, ſed exteriora contritionis ſigna, ita enim mentem ſuam exponit cap.17. circa medium. *Contritionem non ut in corde ſedem habet, ſed ut per ſigna manifeſtatur, Sacramenti partem eſſe contendimus,* jam verò cap.11. reſp. ad 3. illa ſigna quandoque abeſſe poſſe ab hoc Sacramento concedit, ſic enim ſcribit: *Non deſunt multa ſigna viſibilia in Sacramento pœnitentiæ, ſive Sacerdotem aſpicias manus imponentem, ſive pœnitentem ad genua Sacerdotis abjectum, & lachrymas fundentem. ſed quia iſta ita plerumque conſpiciuntur, ut tamen etiam abſque iis Sacramentum pœnitentiæ eſſe poſſit, breviter reſpondeo, viſibile ſignum idque a DEO inſtitutum eſſe tum Confeſſionem, tum abſolutionem.* Hæc Bellarminus & Concilii Tridentini decretis & ſibi ipſi contrarius. Si enim ad integritatem Sacramenti ſufficit ex parte pœnitentis Confeſſio

absque aliis contritionis ſignis , quare præter Confeſſionem contritio, id eſt , ſigna contritionis exteriora ad eſſentiales pœnitentiæ partes requiruntur? 3. haſce pœnitentiæ partes ex eo probat Bellarminus, quia in dictis Scripturæ & exemplis verè pœnitentium trium horum fiat mentio, cùm tamen ipſe ſcripſerit in propoſitione 1. hujus capitis. *Aliud eſt aliquid ad converſionem requiri, aliud partem ſive actum eſſe pœnitentiæ.* Ergo non ſufficit oſtendere ſigna contritionis & confeſſionem in vera pœnitentia adfuiſſe , niſi etiam demonſtretur , ut partem eſſentialem ac neceſſariò adfuiſſe. 4. hinc Durandus in 4. ſent. diſt. 16. q. 1. hæc tria, videlicet contritionem , confeſſionem & ſatisfactionem in pœnitentia neceſſariò adeſſe concedit, interim tamen ſolam confeſſionem eſſe partem materialem hujus Sacramenti diſputat, contritionem eſſe diſpoſitionem & ſatisfactionem fructum pœnitentiæ, argumentis uſus potiſſimùm duobus, quòd *contritio non alio ſigno , quàm ipſa peccatorum confeſſione prodatur & quòd Sacramentum pœnitentia non neceſſario exigat ſatisfactionem in re, ſed in voto duntaxat*, cui frigidè reſpondet Bellarminus 1. de pœn. cap. 17. *requiri ut cum dolore & deteſtatione quis peccata ſua confiteatur*, cum per ipſa confeſſionis verba, non autem alia exteriora ſigna dolor ille manifeſtari poſſit: *Item ſine ſatisfactione Sacramentum pœnitentiæ eſſe poſſe, ſed mancum & mutilum, ideò ſatisfactionem non eſſentialem , ſed integralem hujus Sacramenti partem eſſe.* Atqui de eſſentialibus partibus potiſſimùm hoc loco quæritur. Omne ſymbolum Sacramenti externum eſt pars ejusdem eſſentialis. Jam verò ex hypotheſi Bellarmini tres illi actus pœnitentis Contritio, Confeſſio & Satisfactio ſunt externum hujus Sacramenti Symbolum ex parte pœnitentis, verbum abſolutionis ex parte Sacerdotis. Ergo tres illi actus erunt partes Sacramenti eſſentiales. 5. tres illas partes ex Veteri Teſtamento probat Bellarminus, cùm tamen in Veteri Teſtamento pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum fuiſſe neget, quomodo hæc conciliari poterunt ? *Obſervandum* (ait) *tres iſtas pœnitentia partes non ſolùm requiri in ordine ad Sacramentum , ſed etiam extra Sacramentum ſuo quodam modo eſſe ac fuiſſe neceſſarias in omni lege , dixi autem ſuo modo propter duas cauſas , primùm quia extra Sacramentum non requiritur Confeſſio omnium peccatorum, qua Sacerdoti fiat, neque ſatisfactio à Sacerdote injuncta , ſed ſatis eſt confeſſio quadam generalis facta DEO & ſatisfactio per opera laborioſa ſponte aſſumta &c.* Hæc Bellarminus ſibi denuò contrarius. Si enim in Veteri Teſtamento non fuit requiſita omnium peccatorum confeſſio , Sacerdoti facta , nec ſatisfactio à Sacerdote injuncta , conſequens eſt , Dicta & Exempla Scripturæ , quæ ex Veteri Teſtamento pro ſtabilienda confeſſione & ſatisfactione adducuntur , eſſe ἀπροσδιόνυσα , non enim quælibet Confeſſio , ſed plenaria illa omnium peccatorum Sacerdoti facta enumeratio , nec quælibet ſatisfactio , ſed à Sacerdote injuncta ſatisfactio inter partes hujus Sacramenti numerantur , jam verò in legitima ἀποδείξει τὰ ἄκρα καὶ τὸ μέσον ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους εἶναι ἀναγκαῖον, ut demonſtrat Philoſophus 1. analyt. cap. 7.

Argumenta pro hac partium enumeratione à Bellarmino adducta.

58. Videamus quibus argumentis ſententiam ſuam Bellarminus propugnet. Primo loco adducit *Dicta & Exempla Scripturæ.* Reſp. Dicta de Confeſſione disertè loquuntur de generali peccatorum confeſſione coram DEO , non autem de ſpeciali ſingulorum peccatorum coram Sacerdote enumeratione , ut cuivis primo intuitu patet , & poſtea uberiùs demonſtrabitur, Dicta , quæ pro ſtabilienda ſatisfactione adducuntur, ſuum habebunt inferiùs locum. Exempla Scripturæ quatuor adducit Bellarminus , quæ propriis ipſius verbis proponemus 2. Reg. 24. *cùm David juſſiſſet populum numerari , & in ea re quadam animi elatione peccaſſet , inquit Scriptura, deſcribens pœnitentiam ejus , percuſſit cor Davidem, ecce contritionem , & dixit ad Dominum, peccavi valde, ecce confeſſionem , ſed precor Domine , ut transferas iniquitatem ſervi tui , quia ſtultè egi nimis.* Et paulò infrà: *Ego ſum qui peccavi , & ego inique egi , iſti , qui oves ſunt, quid fecerunt ! Vertatur obſecro manus tua contra me.* Et paulò pòſt : *obtulit ſacrificium, & ſic Dominus placatus eſt, in quo apparet ſatisfactio per orationem & ſubjectionem ad flagellandum & tandem per ſacrificii oblationem. Ninivitarum pœnitentia deſcribitur Jon. 3. Convertatur vir a via ſua mala , ecce contritionem & clament ad Dominum in fortitudine ecce confeſſionem , & homines & jumenta non guſtent quicquam , nec paſcantur & aquam non bibant , & operiantur ſaccis homines & jumenta, ecce ſatisfactionem.* Luc. 18. *deſcribitur Publicanus pœnitens, qui in ſignum contritionis non audebat oculos ad cœlum levare & peccatum confitebatur dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori , ac denique pectus ſuum percutiebat , quod pertinebat ad ſatisfactionem. Huic ſimile eſt exemplum filii prodigi , qui primum ad ſe revertitur & ſtatum ſuum deteſtatur , deinde confitetur, dicens: Pater peccavi in cœlum & coram te. Poſtremò ſubjicit ſe pœna à Patre inferenda, non ſum dignus vocari filius tuus , fac me ſicut unum ex mercenariis.* Reſp. 1. priora duo Exempla petita ſunt ex Veteri Teſtamento in quo pœnitentiæ Sacramentum nondum fuit inſtitutum, in poſterioribus non acceſſit verbum abſolutionis , ergo non fuit pœnitentia Sacramentalis. 2. Confeſſio utrobique facta eſt Deo non Sacerdoti, ſatisfactionis opera ſponte aſſumta, non autem à Sacerdote injuncta , ergo exempla ſunt à quæſtione aliena. 3. percuſſio cordis in Davide fuit contritio interior, jam verò quæritur hoc loco de ſignis contritionis exterioribus. Confeſſio fuit effectus contritionis, ut etiam ſubjectio ad flagella Domini , quæ veræ & ſeriæ humiliationis indicium: oratio & ſacrificium non fuerunt opera ſatisfactoria , ſed veræ & ſalvificæ fidei exercitia. 4. Idem judicium ſit de reliquis Exemplis. Jejunium Ninivitarum , percuſſio pectoris in publicano , ſubjectio pœnæ à patre inferendæ in filio prodigo fuerunt ſeriæ contritionis ſigna , non autem opera ſatisfactoria peccatorum expiandorum ergò ſuſcepta , cùm & verbis & geſtibus teſtentur de omnibus ſuis operibus , meritis ac ſatisfactionibus ſeſe deſperare , ac in cœleſtis Patris gratuita miſericordia omne perfugium conſtitutum habere.

59. De dictis veterum poſteà. Rationes, quas Bellarminus profert, hæ ſunt. 1. *Pœnitentia eſt*

dete-

deteſtatio ac punitio peccati, ut eſt offenſio divinæ majeſtatis & ut ad peccatum tollendum ac amicitiam cum Deo reſarciendam ordinatur. Ad eam requiritur primum ut qui peccavit, doleat ſe peccaſſe & amicitiam violaſſe, deinde ut ſubjiciat ſe pœnæ ad arbitrium Dei qui læſus eſt, & quia Deus per miniſtros ſuos agit, oportet ut qui peccavit illi homini ſponte ſe ſubjiciat, qui Dei locum tenet, id verò fieri nequit, niſi & culpas ſuas ei per confeſſionem aperiat & mulctam ſuſcipiat quam ille præſcripſerit, ex quo tres pœnitentiæ partes promanant. 2. In reconciliatione liberorum cum parentibus, ſervorum cum Dominis, uxorum cum viris, Natura duce tria hæc adeſſe videmus, quod reconciliandi ſigna doloris oſtendant, peccatum fateantur, & ſe caſtigationi ſubjiciant. Jam verò DEUS eſt Pater, Dominus, Sponſus noſter. Ergo hæc tria itidem in reconciliatione cum Deo erunt neceſſaria. 3. Quemadmodum tria ſunt inſtrumenta peccandi, Cor, Lingua, Manus: peccamus in corde, verbo & opere: ita par eſt, ut tria ſint veluti inſtrumenta pœnitentiæ & adverſus peccatum cordis contritione, oris confeſſione, & operis ſatisfactione pugnemus, ut hac ratione juxta Apoſtolum Rom. 6. ſicut exhibuimus membra noſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeamus membra noſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Reſp. 1. articuli fidei ex manifeſtis Scripturæ dictis, non ex humanis ratiocinationibus ſunt probandi. 2. deteſtationem peccati, ut eſt offenſio divinæ majeſtatis, in pœnitentia requiri concedimus, ſed contritionis merito ac noſtris ſatisfactionibus peccatum aboleri & amicitiam cum Deo reſarciri totis virib9 negamus, Chriſtus eſt *Agnus ille Dei, qui peccatum mundi ſuſtulit* Joh. 1. verſ. 29. & nos *Deo reconciliavit* 2. Corinth. 5. verſ. 19. horum beneficiorum tanto labore & pretio partorum per fidem nos participes facit, ut Prophetica & Apoſtolica Scripta unanimi conſenſu teſtantur, Act. 10. v. 43. *Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Si noſtris operibus ac ſatisfactionibus peccatum tollere, & DEO reconciliari poſſumus, Chriſtus fruſtrà mortuus Galat. 2. v. 21. vanum illud effugium, quòd à Chriſti merito vis illa in noſtra opera ac ſatisfactiones deſcendat, excutietur ſuo loco. 3. alia igitur ratio eſt reconciliationis hominum cum Deo & hominum inter ſeſe. Peccata reſpectu Dei quem illis offendimus, vergunt contra infinitum bonum, ſunt ergo infinitum malum & promerentur infinitas pœnas. D. Luth. tom. 4. lat. fol. 532. *Verè tam magnum eſt peccatum, quam magnus qui peccato offenditur, cum verò cœlum & terra capere non poſſunt.* Granat. Dom. 11. poſt Pentec. *Cùm per lethale peccatum homo Deum amittat. Deus autem incomprehenſibile bonum ſit, conſequens eſt, ut nemo poſſit gravitatem ejus rei cognoſcere, qua incomprehenſibile bonum amittitur, neceſſe enim eſt incomprehenſibile eſſe malum, quod incomprehenſibili bono privat, ſolus ergo Deus, qui ſe plenè comprehendit, peccati malitiam comprehendit.* Hæc ille rectiſſimè. Quare cùm peccatum ſit offenſa infiniti Dei, igitur ad peccatum tollendum & iram Dei extinguendam requiritur infinitum pretium, quod ſolus CHRISTUS ἐνάνθρωπος noſtri loco præſtitit, ejus beneficia in ſeriis conſcientiæ angoribus vera fides ſolicitè quærit, & cupidè amplectitur, quâ ratione homines verè pœnitentes, & in CHRISTUM credentes peccati remiſſionem conſequuntur, & DEO reconciliantur, ſed ad mutuas hominum offenſas abolendas & reconciliationem eorum inter ſeſe invicem non requiritur infiniti precii ſatisfactio, cùm perſona, quæ offenditur, non ſit infinita. 4. adde quòd ad reconciliationem hominum inter ſeſe nuda culpæ confeſſio & deprecatio quandoque ſufficit, ita ut ſatisfactio non ſemper requiratur, quod hypotheſibus Bellarmini adverſatur, qui ad integrales pœnitentiæ partes ſatiſfactionem requirit. 5. peccata cordis contritione, oris confeſſione & operis ſatisfactione aboleri non ſolùm præter, ſed & contra Scripturam aſſeritur, ut ex ſpeciali διακρίσει manifeſtum evadat. Dictum Apoſtolicum Romanor. cap. 6. nullius ſatisfactionis mentionem facit, ſed novam obœdientiam ſalutarem illum pœnitentiæ fructum pulcerrimè deſcribit.

Quid deſideretur in hac partitione.

60. Hæc ergo in enumeratione iſta partium pœnitentiæ deſideramus 1. quòd veteres pœnitentiæ Eccleſiaſticæ (præſertim ſolennis, quæ fit coram Eccleſia) ritus, contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem ad generalem pœnitentiæ, quæ fit coram DEO, doctrinam accommodant, ejusque partes conſtituunt. 2. quòd fidem ex numero partium pœnitentiæ exterminant, cùm tamen ſolius fidei reſpectu pœnitentia ſit medium, per quod DEI gratia, peccatorum remiſſio, averſio pœnarum ac vita obtinetur. Quemadmodum Tragœdiæ conſtant tribus partibus, protaſi, epitaſi & cataſtrophe; ita tres actus pœnitentiæ ab ipſis conſtituuntur, ſed in tota hac fabula CHRISTUS eſt quaſi muta perſona, nulla ſit mentio fidei in CHRISTUM, per quam ſolam accipimus remiſſionem peccatorum. 3. quòd tres iſtos pœnitentis actus contritionem, confeſſionem & ſatisfactionem concurrere ſtatuunt ad remiſſionem peccatorum efficiendam, quatenus vim Sacramentalem à verbo abſolutionis à quo formantur, participant. Hac igitur ratione, quòd Scriptura fidei in Chriſtum (quam ex ordine divino præcedit contritio, & ſequuntur bona opera) tribuit, id illi externis pœnitentis actibus ac operibus ἄτερ γραφῆς vendicant. 4. quòd ex divina inſtitutione tres illos actus ad partes materiales hujus Sacramenti requiri ſtatuunt, cùm tamen de plenaria peccatorum coràm Sacerdote enumeratione & mulcta ab eodem pœnitentibus imponenda nullum extet diſertum in Scripturis teſtimonium. 5. quòd tres illi actus locum habeant in illis, qui nondum agunt veram, ſalutarem, DEO gratam & Angelis placentem pœnitentiam, ut patet exemplo hypocritarum & deſperantium. ** *Pharao Exod. cap. 9. verſ. 27. peccatum agnoſcit, DEI juſtitiam prædicat, ſuum & populi peccatum confitetur, agnoſcit ſe meritò puniri, pœnam ad DEUM autorem refere, petit earum mitigationem a vero DEO, interceſſionem ſolicitat, dimiſſionem promittit. Sic ergo in hac Pharaonis pœnitentia cernuntur 1. cordis contritio. 2. oris confeſſio. 3. Satisfactionis promiſſio. Sed eventus oſtendit omnia fuiſſe ſimulata.* Rung. in Exod. pag. 329.

6. quòd

6. quòd tales pœnitentiæ partes introducunt, quarum ne quidem in definitionibus veterum, quas Gratianus & Lombardus repetunt, mentio fiat.

61. Excipit Bellarminus 1. de pœnit. cap. 20. 1. *Tres illæ partes etiam in V. Teſtamento in uſu fuerunt, & ex ipſa pœnitentiæ Natura colliguntur. Ergo non ſunt ex ritibus publicæ pœnitentiæ deſumtæ.* Reſp. 1. quid huic exceptioni tribuendum ſit, ex ſuperioribus patet. 2. *Conſolatio, quam Evangelium adfert, pœnitentiam ſequitur, aut etiam comitatur, ſed non ideò pars eſt pœnitentiæ.* Reſp. Pœnitentiam pro contritione acceptam fides ſequitur, ſed pœnitentiæ generaliter pro tota converſione acceptæ eſſentialiter includitur, ut ſuperiùs §. 42. oſtendimus. 3. *quòd omnis vis hujus Sacramenti pendeat à merito paſſionis & ſatisfactionis Chriſti, ex quo oritur vis illa Sacramentalis actibus pœnitentis communicata.* Reſp. Scriptura Chriſti meritum & noſtra merita, Chriſti ſatisfactionem & noſtras ſatisfactiones opponit, Ex illis igitur non ſunt facienda ſubordinata. Perpetuus Scripturæ conſenſus eſt, hominem fide in Chriſtum ſine operibus juſtificari & remiſſionem peccatorum obtinere, nuſpiam verò propriis diſpoſitionibus, actibus & operibus illud tribuitur. Verbum abſolutionis actus illos pœnitentis formare, & vim ſacramentalem iiſdem conferre abſque Scripturæ autoritate aſſeritur, cùm promiſſio Evangelii fidem, non autem noſtra opera reſpiciat, fides igitur, non opera, inſtrumentalis cauſæ per quam beneficia Chriſti nobis applicantur, reſpectum obtinet. 4. *quòd de omnibus hiſce partibus extent Scripturæ Dicta & Exempla.* Reſp. externa contritionis ſigna utplurimùm adſunt, quandoque etiam à Deo fuerunt requiſita ut Joel. 2. v. 14. interim tamen non ſunt in omni vera contritione neceſſaria: quemadmodum enim optimæ preces quandoque voce carent, ita quoque ſeria contritio externis geſtibus coram hominibus apparentibus quandoque deſtituitur. Agnoſcit hoc ipſe Bellarminus cap. 19. præcedente ſcribens. *Extra Sacramentum ſi quis aut anguſtiis temporis aut alia de cauſa legitimè impediatur, quò minus confiteri aut ſatisfacere queat, ſola contritio interior ad ſalutem ei ſufficit.* De confeſſione & ſatisfactione inferiùs diſputabitur. 5. *quòd hypocritæ ſimulent tantum illas partes, ideoque non fiant fructus hujus Sacramenti participes, ex quo tamen Sacramento ipſi nihil decedat,* quod declarat Exemplo Baptiſmi & Euchariſtiæ. Item quòd *Judas nullam harum partium pœnitentiæ habuerit, non contritionem, quippe quæ ſine ſpe veniæ eſſe nequit, non confeſſionem qualis exigitur, id eſt, ſingulorum criminum atq; ad veniam impetrandam Sacerdoti factam, nec ſatisfactionem præſertim à Sacerdote injunctam, neque enim illi ut ſe ſuſpenderet, fuerat imperatum, neq; ſeipſum necare eſt opus bonum, qualia debent eſſe opera ſatisfactoria.* Reſp. quòd hypocritæ integrum Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentum, nec tamen fructum Sacramenti percipiunt, id fit propterea, quia vera & ſalvificâ fide deſtituuntur, cujus anteambulo eſt contritio & pediſſequæ bona opera, pari ratione, quòd hypocritæ pœnitentiam ſimulant, nec tamen remiſſionem peccatorum conſequuntur, id itidem ex eo oritur, quia contritione ſeria & fide vera deſtituuntur. Bellarminus ſtatuit ſolum contritionis interioris defectum eſſe cauſam, quò minùs hypocritæ remiſſionem peccatorum conſequantur; atqui ad contritionem etiam fidem accedere oportet, quâ ſola promiſſio Evangelica de remiſſione peccatorum apprehenditur, ac proinde ſi vel maximè quis verè ac ſeriò de peccatis contritus eorum confeſſionem edit & impoſitas ſatisfactiones ſuſcipit, nondum tamen remiſſionem peccatorum conſequitur, niſi fide in Chriſtum ſeſe erigat & promiſſionibus Evangelicis ſemetipſum includat. De pœnitentia Judæ non admodum ſoliciti ſumus, interim tamen certum eſt, contritionem ejus fuiſſe veram ac ſeriam, quam μεταμελείας nomine Scriptura exprimit; ſpes remiſſionis ac veniæ ad fidem, non autem ad contritionem pertinet, quia contritio oritur ex lege, ſpes veniæ ex Evangelio, contritio mortificat ac deprimit, ſpes veniæ vivificat ac erigit, contritio eſt ſerius dolor ac triſtitia, ſpes veniæ eſt conſolatio ac lætitia, quomodo igitur ſpes veniæ ad contritionem referri poterit? manifeſtum etiam eſt Judam in ſpecie enorme ſuum facinus Sacerdotibus confeſſum fuiſſe, *peccavi,* inquit, *tradens ſanguinem innocentem.* Quamvis verò pœna ipſi non fuerit à Sacerdotibus impoſita, eam tamen ſponte ſuſcepit; jam verò ipſe Bellarminus diſputat, ſatisfactionis nomine intelligendas eſſe non ſolùm pœnas à Sacerdotibus impoſitas, ſed etiam ſpontè ſuſceptas: quamvis etiam ſeipſum necare non ſit verè & ὄντως opus bonum, tamen ex intentione Judæ potuit eſſe opus bonum, quo non ſolùm vitam abrumpere, ſed etiam pro peccato ſatisfacere fortè cogitavit, jam verò Pontificii ſtatuunt, ea etiam eſſe opera bona, quæ ex bona intentione fiunt, licet in lege divina expreſſè non præſcribantur. 6. *quòd in definitionibus veterum vel pœnitentia ut virtus non autem ut Sacramentum deſcribatur, vel implicita harum partium mentio fiat.* Reſp. ubi verò ab illis deſcribitur pœnitentia ut Sacramentum? neque patiemur duas pœnitentiæ ſpecies toto genere diſcrepantes nobis obtrudi, cùm Scriptura unius tantum pœnitentiæ deſcriptionem nobis proponat. Vindictæ nomine in definitionibus veterum non intelligitur ſatisfactio, ut præter ipſorum mentem Bellarminus aſſerit, ſed interior contritio ac ſerius de admiſſis peccatis dolor.

62. Atque hæc dicta ſint de tribus pœnitentiæ partibus in genere, quas hoc diſticho complexus eſt Gerſon:

Peccavi graviter, poſtponam, deinde fatebor
Atque ſatisfaciam, cùm jubet Eccleſia.

Extat etiam de partibus iſtis hic verſiculus:

Eſto contritus. peccata fatere, ſatisfac.

reſtat ut in ſpecie de ſingulis agamus, ac primò quidem de contritione. Vox contritionis eo, quo hic accipitur ſenſu, αὐτολεξεὶ in Scripturis extat. Pſalm. 51. verſ. 19. *Cor contritum & humiliatum non deſpicies.* Pſalm. 147. verſ. 3. *Sanat DEUS contritos corde.* Eſa. 38. v. 13. *Sicut leo contrivit omnia oſſa mea.* Eſa. 57. v. 15. *Sic dicit excelſus & ſublimis: habito cum contrito & humili Spiritu, ut vivificem Spiritum humilium, & ut vivificem cor contritorum.* Eſa. 61. verſ. 1. *ut alligarem contritos corde.* Eſa. 66. v. 2. *reſpiciam ad pauperem & contritum Spiritu & tre-*

Vox contritionis.

& trementem ſermones meos &c. Radix שָׁבַר Schabhar propriè ſignificat *fregit*, ſicut franguntur ligna, Exod. 9. v. 26. oſſa, Exod. 12. v. 46. vaſa teſtacea Levit. 6. v. 28. ſtatuæ 2. Reg. 11. v. 19. &c. LXX. plerunque reddiderunt per *συντρίβειν*. דַּכָּא Dachâh *oppreſſione* ſeu *depreſſione contuſus eſt* לֵב נִדְכָּאִים lebh nidcaim *συντετριμμένους τὴν καρδίαν* Eſa. 57. v. 15. שָׁפַל Schaphál, humilis fuit, humiliatus eſt רוּחַ · שְׁפַל Schephál ruách, *ὀλιγόψυχος* humilis Spiritu &c. Ex quibus omnibus patet, contritionis nomine metaphoricè intelligi fractionem & ſciſſionem cordis, verum ac ſerium dolorem, quo vis ac robur cordis veluti conteritur, ſicut per morbos robur corporis. Quidam metaphoram deſumtã eſſe dicunt à vaſe teſtaceo, quod in minutiſſima fracta redigitur Pſ. 31. verſ. 13. Eſai. 30. verſ. 14. Jerem. 19. verſ. 11. alii ab oſſibus, quæ ſubito lapſu in plura fragmenta diſſiliunt, ut beſtiarum dentibus aſſulatim comminuantur Pſal. 38. verſ. 33. Eſai. 38. verſ. 13. Oſ. 6. verſ. 5.

Quid complectatur contritio. 63. Contritio enim nihil aliud deſignat, quàm verum ac ſerium dolorem ex agnitione peccati & ſenſu iræ divinæ adverſus illa exortum cum conſcientiæ pavoribus & peccati deteſtatione conjunctum. Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 12. eam ſic deſcribit, quòd ſit *compunctio animi cum lachrymis veniens de recordatione peccati & timore judicii.* Complectitur igitur contritio 1. veram peccati agnitionem, ſiquidem peccatorum atrocitate ac fœditate nondum cognita dolor de illis locum habere nequit. Hûc pertinent dicta Scripturæ, quæ à pœnitentibus agnitionem peccatorum exigunt, eandemque verè pœnitentibus tribuunt. Pſal. 51. verſ. 5. *Prævaricationes meas ego agnoſco, & peccatum meum coram me eſt.* Jerem. 3. v. 13. *Veruntamen agnoſce iniquitatem tuam, quia in Jehovam Deum tuum prævaricata es.* Jerem. 14. verſ. 20. *Agnoſcimus Jehovah impietatem noſtram, impietatem Patrum noſtrorum, quia peccavimus tibi.* Orat. Manaſſ. verſ. 3. *Peccavi, peccavi, & agnoſco iniquitatem meam.* 2. Senſum iræ divinæ adverſus peccata, ſiquidem ubi verè agnoſcitur peccatum, ibi etiam illud peccati in quarto modo proprium agnoſcitur, videlicet quòd offendat Deum, qui eſt ſummum & infinitum bonum, ſeriam igitur peccati agnitionem proximè ſequitur iræ divinæ ſenſus, quò pertinent exempla verè contritorum, Pſal. 6. v. 1. Pſal. 38. v. 2. *Domine ne arguas me in ira tua, neq; corripias me in furore tuo.* Pſa. 32. v. 4. *Die ac nocte aggravatur ſuper me manus tua, verſus eſt vigor meus in ſiccitates æſtatis.* Pſal. 38. v. 3. *Sagittæ tuæ deſcenderunt in me & deſcendit ſuper me manus tua.* verſ. 4. *non eſt integrum in carne mea propter iram tuam, non eſt pax oſſibus meis propter peccatum meum.* Pſal. 88. v. 17. *In me tranſierunt iræ tuæ & terrores tui conturbaverunt me,* Pſal. 102. v. 10. *Potum meum fletibus miſcui.* verſ. 11. *A facie indignationis & iræ tuæ.* Jerem. 4. verſ. 8. *Plangite & ululate, quia non eſt averſa ira furoris Domini à nobis.* Thren. 3. verſ. 42. *Prævaricati ſumus & rebelles fuimus,* verſ. 43. *ideò oppoſuiſti furorem tuum.* Mich. 7. v. 9. *Iram Domini portabo, quia peccavi ei.* Nahum 1. verſ. 6. *Ante iram ejus quis conſiſtet? & quis ſtabit in ira furoris ejus?* Orat. Manaſſ. verſ. 1. *Intolerabilis eſt ira tua, quam peccatoribus minaris.* verſ. 2. *non eſt pax mihi, quia iram tuam concitavi.* 3. Conſcientiæ angores & pavores, quos vocant ejusdem *δηγμοὺς* ſive morſus, ubi enim adeſt verus iræ divinæ ſenſus, ibi ſequuntur interiores cordis pavores & anguſtiæ, quæ ipſum quoque corporis robur quandoque labefactant. Hi dolores & angores conſcientiæ ſunt executores judicii divini adverſus peccata, Pſal. 25. verſ. 17. *Anguſtiæ cordis mei dilatatæ ſunt, educ ab anguſtiis animam meam.* Pſal. 31. verſ. 13. *Factus ſum ſicut vas confractum.* Pſalm. 34. verſ. 19. *Propinquus eſt Dominus contritis corde & humiles Spiritu ſublevat.* Pſal. 38 verſ. 4. *Non eſt pax oſſibus meis propter peccatum meum.* verſ. 5. *Iniquitates meæ tranſierunt caput meum, ſicut onus grave graviores fuerunt me,* verſ. 9. *Debilitatus ſum & contritus, rugio præ fremitu cordis mei.* verſ. 11. *Dereliquit me fortitudo mea.* Pſalm. 51. verſ. 10. *Exultent oſſa quæ contriviſti.* Pſalm. 102. verſ. 5. *Percuſſum eſt velut herba & exaruit cor meum.* Pſal. 109. verſ. 22. *Pauper & egenus ſum & cor meum vulneratum eſt in viſceribus meis.* Hûc pertinent dicta, quæ loquuntur de paupertate Spiritus Eſai. cap. 61. verſ. 1. Matth. cap. 5. verſ. 3. cap. 11. verſ. 6. Luc. 4. verſ. 18. de ſpirituali carcere & captivitate Eſai. cap. 61. verſ. 2. de triſtitia & angore cordis Jerem. cap. 23. verſ. 9. Thren. cap. 1. verſ. 20. 2. Corinth. cap. 7. verſ. 10. 4. Veram coram DEO humiliationem, ſiquidem quisquis peccati atrocitatem & iræ divinæ gravitatem ſeriò agnoſcit, is coram tremendo DEI judicio ſeſe verè humiliat. Pſalm. 34. verſ. 19. *humiles ſpiritu ſalvabit Dominus.* Pſalm. 38. verſ. 9. *humiliatus ſum nimis.* Pſalm. 44. verſ. 25. *humiliata eſt in pulvere anima mea.* Eſai. cap. 57. verſic. 15. *ſic dicit Excelſus: habito cum contrito & humili Spiritu, ut vivificem Spiritum humilium.* 5. Ingenuam peccati confeſſionem, ſiquidem anguſtia cordis prorumpit in confeſſionem oris, quò pertinent dicta, quæ à verè pœnitentibus peccatorum confeſſionem requirunt & exempla eorum, qui in vera pœnitentia peccata ſua confeſſi ſunt. Num. cap. 5. verſ. 7. *Fatebuntur peccatum ſuum quod fecerunt.* Nehem. cap. 9. verſ. 2. *Filii Iſrael confitebantur peccata ſua Domino.* Pſal. 32. verſ. 3. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea in rugitu meo, tota die.* verſ. 5. *Peccatum igitur meum notum feci tibi & iniquitatem meam non operui; dixi confitebor adverſum me prævaricationes meas, & tu dimiſiſti iniquitatem peccati mei.* Proverb. 28. v. 13. *Qui tegit ſcelera ſua nunquam aget proſperè, qui verò confitetur & derelinquit, miſericordiam conſequetur.* Matth. 3. v. 6. Marc. 1. verſ. 5. Actor. 19. verſ. 18. Exempla confeſſionis deſcribuntur 1. Joh. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata.* 6. Serium peccati odium ac deteſtationem, ſive *δυσαρέστησιν*, etenim qui ſeriò de peccatis admiſſis dolet, eadem quoque deteſtabitur, qui gravitatem iræ divinæ propter peccata prementis ſenſit, peccatis abblandientibus non conſentiet. Levit. 26. v. 41. *Humiliabitur cor eorum incircumciſum atq; æquo animo ferent mulctam.* In Hebræo eſt יִרְצוּ עֲוֹנָם Jirzú Avonam, beneplacitum habebunt in delictis ſuis, i. e. in pœna delictorum ſuorum. Quemadmodũ priùs Legem Dei odio habuerunt, contrà v. peccata cupidè perpetrârunt, ita è converſo

pœnam

pœnam peccatorum promtè & patienter ſuſcipient, ac peccata odio habebunt, ut D. Lutherus in margine textus germanici rectè commentatur. Pſ. 51. verſ. 5. *Peccatum meum coram me eſt ſemper* (eſt mihi adverſum & hoſtis peſſimi loco à me habetur) ex quibus omnibus apparet, quare ſeria contritio in Scripturis vocetur compunctio, ſciſſio cordis, contractio, Spiritꝰ tribulatio, percuſſio femoris, confuſio, tremor, infixio ſagittarum Domini, percuſſio cordis &c. Quidam juxta facultates animæ contritionem patiuntur, quòd ſit in memoria peccati recordatio, in mente offenſæ divinæ conſideratio, in voluntate peccatorum agnitorum deteſtatio, in corde timor futuri judicii, in conſcientia legis fulmine territa compunctio, morſus ac dolor.

64. Obſervandum verò hoc loco 1. Quamvis vera atq; ἀνυπόκριτος contritio in omni vera ac ſalutari pœnitentia requiratur, eſſe tamen contritionis gradus, cùm non ſint pares in omnibus terrores atque angores, ſed in quibusdam majores, in quibusdam verò minores. 2. Promiſſionem de remiſſione peccatorum non niti dignitate ac quantitate noſtræ contritionis, ſed unicè Chriſti merito, qui pro peccatis noſtris perfectiſſimè *contritus* eſt Eſa. 53. v. 10. ideò cor contritum & humiliatum non ad contritionis ſuę quantitatem vel dignitatem debet reſpicere ac medelam peccatorum ſuorum in ea quærere, ſed Chriſtum in ara crucis pendentem intueri & ex vulneribus ipſius vulnerum ſuorum medicinam haurire. 3. Peccati agnitionem nunquam ad illam perfectionem aſſurgere, ut omnium in ſpecie peccatorum notitiam complectatur, Pſal. 19. verſ. 13. *Delicta enim quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Pſal. 90. v. 8. *Abſcondita noſtra peccata collocas in lumine vultus tui*, interim tamen generalem quandam peccatorum agnitionem & confeſſionem ad veram pœnitentiam omninò requiri. Morbo enim nondum cognito medicina contemnitur, peccati fœditate nondum perſpecta non poteſt dulceſcere divina gratia. Hieron. in cap. 15. Eſai. *Initium ſalutis eſt, ſua intelligere & flere peccata.* 4. Quamvis in morbis gravioribus exterior oris confeſſio quandoque non adſit, nihilò tamen minùs interiorem contritionem veram ac ſeriam eſſe poſſe, coram Deo enim non ſolùm verba oris, ſed & gemitus & deſideria cordis loquuntur. 1. Sam. 16, 7. *Homo aſpicit quæ ſunt præ oculis, ſed Jehovah aſpicit quæ ſunt in corde.* Pſal. 38. v. 10. *Domine coram te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus non eſt à te abſconditus.*

Signa contritionis externa. 65. Sed enim quamvis abſque exterioribus verbis & geſtibus ſeria contritio eſſe poſſit, quamvis etiam Deus potiùs interiorem cordis contritionem, quàm exteriores geſtus atque actus reſpiciat, unde Prophetæ & Apoſtoli non tàm *veſtium* quàm *cordium ſciſſionem* in vera pœnitentia requirunt Joel 2. v. 13. interim tamen ubi ſeria adeſt contritio cordis, ibi per externa ſigna atque indicia ſeſe ut plurimum conſpiciendam præbet, quia cor afflictum & vultus triſtis plerunque ſunt conjuncta. Porrò ſigna contritionis varia in Scripturis occurrunt, potiora & uſitatiora hæc ſunt. 1. Jejunium, quando enim in luctu cor hominis velut herba exareſcit, *tum obliviſcitur comedere panem ſuum* Pſal. 102. v. 5. *Cùm in magnas triſtitias aut mœrores homines incidũt* (ſcribit Flacius p. 2. Clav. in tract. de Jejunio pag. 401.) *vitam ſibi acerbam ducunt, ideoque incipiunt negligere illa omnia, quæ vitam ſuaviorem faciunt, inde oritur Jejuniũ, quod Hebræis vocatur afflictio animæ.* Sic in vera pœnitentia jejunarunt Iſraëlitæ 1. Sam. 7. v. 6. 2. Paral. 20. v. 3. Nehem. 9. v. 1. Eſth. 4. v. 3. Joel 1. v. 14. 2. Macc. 13. v. 12. Ninivitæ Jon. 3. v. 4. & 6. David 2. Sam. 12. v. 16. Joſaphat 2. Paral. 20. v. 3. Nehemias cap. 1. v. 4. Daniel cap 9. v. 3. 2. Sciſſio veſtium, quæ eſt ſignum cordis ſciſſi ac contriti ac populo Iſraelitico in mœrore & luctu potiſſimùm fuit uſitata, ut patet 1. Samuel. 4. v. 12. 2. Sam. 1. v. 2. & 13. cap. 3. v. 31. cap. 13. v. 31. &c. quamvis etiam apud alios populos occurrat, ſic enim Poeta:

——————— It ſciſſa veſte Latinus
Conjugis attonitus fatis urbisq; ruinâ.

Sic in vera pœnitentia ſciderunt veſtimenta ſua Iſraelitæ 1. Macc. 3. v. 47. 2 Macc. 10. v. 25. 3. Lachrymæ, quæ ſunt vulnerati animi ſanguinis & doloris Legati, ex compreſſione cordis fons lachrymarum prorumpit. Sic in vera pœnitentia lachrymari jubentur Iſraelitæ Joel 2. v. 12. lachrymantur Baruch 1. v. 5. 2. Maccab. 13. v. 12. David Pſal. 6. v. 9. Pſal. 69. v. 12. Petrus Matth. 26. v. ult. Peccatrix Luc. 7. verſ. 38. 4. Humicubatio, quam Chame uniam vocant. Sic in vera pœnitentia ſuper terram jacuerunt David 2. Sam. 12. verſ. 16. Iſraelitæ per triduum 2. Macc. 13. v. 14. 5. Cineris ſuper caput ſparſio, quæ itidem in luctu fuit Iſraelitis uſitata, ut patet 2. Sam. 13. v. 19. Job. 2. v. 8. ſic in vera pœnitentia cinere ſeſe aſperſerunt Iſraelitæ Nehem. 9. v. 1. 1. Maccab. 3. v. 47. Ninivitarum Rex Jon. 3. v. 6. Jobus cap. 42. v. 6. quò pertinet dictum Chriſti Matth. 11. v. 21. Luc. 10. v. 13. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethſaida, nam ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ in vobis, olim in ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent.* ** Mos aſpergendi pulverem capiti etiam apud alias gentes in luctu fuit uſitatum. Sic enim Poeta Græcus Ducem quendam ſuum inducit conſpergentem caput pulvere in luctu ob mortem ſoceri ſui. *ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν χεύατο κὰκ κεφαλῆς.* ** 6. Sacci, hoc eſt, viliorum, ſordidorum & incommodorum veſtimentorum uſus, quē in luctu Iſraelitis itidem uſitatum fuiſſe conſtat. Sic in vera pœnitentia ſaccos induunt Iſraelitæ Eſth. 4. v. 3. Ninivitæ Jon. 3. v. 4. Ezechias Eſa. 37. v. 1. Daniel cap. 9. v. 3. hinc phraſis *in ſacco & cinere agere pœnitentiam* Matth 11. v. 21. Luc. 10. v. 13. 7. Pectoris percuſſio, quâ denotatur ex corde oriri pravas cogitationes & omnis generis peccata Matth. 15. v. 19. Sic publicanus in vera pœnitentia *percutit pectus ſuum orans, Domine propitius eſto mihi peccatori* Luc. 18. v. 13. uti etiam Iſraelitæ Chriſti crucifixionem videntes Luc. 23. v. 48. hanc pectoris percuſſionem aliàs etiam in luctu uſitatam fuiſſe patet ex Nahum 2. v. 7. *Ancillæ ejus ducebant eam gementes ut columba, percutientes pectora ſua.* ** Hùc pertinet poſitio manuum ſuper caput 2. Sam. 13. v. 18. *& ponebat manum ſuam ſuper caput ſuum & ibat eundo & clamabat.* Jerem. 2. v. 37. *etiam inde egredieris & manus tua ſuper caput tuum.* Manibus enim capiti impoſitis incedentes & clamantes dolorem teſtari ſolebant, præſertim mulieres**. 8. Aquæ effuſio. Sic de Iſraelitis refertur 1. Sam. 7. verſ. 6.

quòd

quòd in vera poenitentia *hauſerint aquam & effuderint coram Jehovah ac jejunaverint die illa dicentes, Peccavimus Jehova.* Hac aquæ effuſionē procul dubio denotare voluerunt extremam cordis ſui humiliationem, quòd ſe æſtiment *effuſos ſicut aqua effundi ſolet* Pſal. 22. v. 15. quòd ſint velut aquæ, *quæ defluunt in terram, quæ non congregantur* 2. Sam. 14. v. 14. Quidam metaphoram in his verbis quærunt, ut ſit ſenſus, lachrymas ex corde imo quaſi expreſſas & hauſtas largiter coram Deo effuderunt. 9. Femoris percuſſio. Jer. 31. v. 19. *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum*, ubi Lutherus in gloſſ. marginalib. addit: *Percutere femur eſt ſignum doloris, ſicut mulierculæ in puerperio facere ſolent.*

66. Quare cùm externis hiſce ſignis ac ritibus interior contritio quandoque ſeſe manifeſtet, ideò per uſitatam Scripturæ Synecdochen poenitentia ex illis deſcribitur, ſignatum ſcilicet ex ſignis, arbor ex cortice & foliis, non quòd exteriores illi ritus & geſtus abſque interiori contritione veram poenitentiam conſtituant & abſolvant, ſed quia interior contritio per illos ſeſe ut plurimùm exerit. Sic Ninivitarum poenitentia deſcribitur hoc modo, quòd induerint ſe ſaccis, jejunaverint &c. Cùm verò hypocritæ verè piorum ſimiæ exteriores illos ritus, opera & actiones poenitentiæ ſimulare poſſint, ut teſtatur exemplum Achabi, qui *veſtes ſuas ſcindebat, ſaccum induebat, jejunabat, in ſacco dormiebat & miserabiliter incedebat*, etiamſi interiori ac ſeria ad Deum converſione deſtitueretur. 1. Reg. 21. v. 27. ideò externos illos ritus atque opera poenitentiæ Deus quandoque improbat, nimirum ſi interior mentis mutatio ac renovatio non ſit eiſdem conjuncta. Sic Eſa. 58. verſ. 5. reprehenduntur Judæorum jejunia, quòd tantùm corpus affligerent, *obſtipo capite incederent*, ſaccum induerent, ac ſeſe tetricos atque triſtes præberent, cùm DEUS veram potiùs converſionem ac luctum animi requireret, hunc verò externum corporis luctum eatenus tantùm probaret, quatenus eſſet effectus & conſequens veræ contritionis, Joel. 2. v. 13. jubentur *ſcindere corda & non veſtimenta ſua*, i. e. jubentur non ſimulare tantùm dolorem externâ veſtium laceratione, ſed interiùs verè ac ſeriò dolere de admiſſis peccatis. Ignoratio hujus ſynecdoches, quâ poenitentia ex ſignis & fructibus deſcribitur, occaſionem dedit errori, quo poenitentia in externis tantùm & corporeis moleſtiis collocatur, iiſdemque meritum remiſſionis peccatorum & ſatisfactionis transſcribitur, cùm promiſſio de remiſſione peccatorum ſit gratuita propter ſolum & unicum Chriſti meritum nobis facta & non niſi ſide apprehendenda.

Cauſa efficiens contritionis.

67. Contritionis cauſa efficiens principalis eſt Spiritus ſanctus, ut generalia illa fundamenta ſuperiùs §. 35. adducta, quæ totum converſionis opus Spiritui ſancto tribuunt, evidenter comprobant. Ad contritionem requiritur peccati agnitio, ejusdemque odium & deteſtatio, jam verò Natura noſtra corrupta toto impetu fertur ad peccatum, eodemque ſummè delectatur; per peccatum mens noſtra obtenebrata & occoecata eſt, utique ergò ſuperiùs lumen requiritur ad peccati atrocitatem & iræ divinæ gravitatem agnoſcendam, ex quo evidenter patet, quòd vera ac ſalutaris contritio non ſit naturalium virium, ſed Spiritus ſancti cor noſtrum efficaciter moventis opus. In contritione adeſt ſerius de peccatis admiſſis dolor, jam verò natura noſtra miſerè corrupta ac depravata fugit iſtum dolorē, ac ſuum ſecuta genium atque ingenium potiùs exultat de peccatis. Pſalm. 50. verſ. 21. *Arguam te & ordinabo in oculis tuis, quod feciſti.* Pſalm. 90. verſ. 8. *Abſconditum noſtrum collocat DEUS in lumine vultus ſui* (ac revelat illud per lucem verbi) Eſ. 38, 13. *Sicut leo contrivit omnia oſſa mea.*

Diſcrimen inter contritionem ſalutarem & exitialem

68. Diſtinguendum tamen inter veram & ſalutarem contritionem verè piorum & falſam atque exitialem hypocritarum, impiorum ac deſperantium. Pii in ſeriis conſcientiæ pavoribus principale peccati objectum Deum ipſum intuentur & propter ejus (utpotè ſummi boni) offenſam unicè dolent; contrà verò hypocritæ mentis 1.
ſuæ vel aliorum judicia potiùs extimeſcunt ac pœnæ magis quàm culpæ conſideratione anguntur. Pii non ſolùm actualia delicta graviora, 2.
ſed & fontem omnium actualium videlicet originalem labem; non ſolùm exteriora delicta, ſed etiam interiorem Naturæ corruptionem agnoſcunt & ſeriò de illis dolent. Pſal. 51. v. 7. *Ecce in iniquitate conceptus ſum & in peccato calefacta eſt de me mater mea.* Tertullian. lib. de pœnit. p. 553 *Non factis ſolùm, ſed & voluntatis delicta vitanda & pœnitentiâ purganda ſunt, neque enim ſi mediocritas humana factis ſolum judicat, quia voluntas latebris par non eſt, ideo etiam crimina ejus ſub Deo negligamus. Deus in omnia ſufficit: nihil à conſpectu ejus remotum; unde omnino delinquitur &c.* Sed hypocritæ ſaltem externa delicta utcunque agnoſcunt. Pii non ſolùm præſentis, ſed 3.
etiam futuræ vitæ pœnas peccatis deberi agnoſcunt, ſeriò igitur dolent, ſed fide in Chriſtum viciſſim ſeſe erigunt. Hypocritæ ut plurimùm ſaltem hujus vitæ pœnas extimeſcunt, ſi ad conſiderationem pœnarum æternarum aſſurgunt, in barathrum deſperationis abripiuntur. Pii agno- 4.
ſcunt & confitentur Deum & judicia ejus eſſe juſta: Hypocritis proprium eſt delicta extenuare & juſtitiam Dei vellicare. His igitur membris piorum & hypocritarum pœnitentia diſtinguitur, idem ferè diſcrimen inter piorum & impiorum pœnitentiam intercedit. Pii ſeriò dolent, & à peccatis deſiſtunt. Impii pœnitentiam ſimulant, ſed in peccatis ſecurè pergunt. Pii ſeriò dolent, ſed fide dolores illos ſuperant. Deſperantes ſeriò quidem dolent, ſed à terroribus ſuperantur verâ in Chriſtum fide deſtituti. Proinde quòd contritionem Spiritus S. opus eſſe diximus, id de vera ac ſalutari piorum contritione acceptum volumus, hypocritarum impiorum ac deſperantium contritio plerunque ex veteri homine & naturalibus liberi arbitrii viribus ortum habet.

Quid ſtatuendum de diſtinctione inter Contritionem Legalem & Evangelicam.

69. Hæc quibusdam occaſionem dederunt, ut diſtinguerent inter contritionem Legalem & Evangelicam, hanc tribuunt verè piis, qui de peccatis dolent & fide viciſſim eriguntur, illam verò deſperantib9, qui deplorant quidem peccatum, ſed abſque ſpe veniæ, Bucanus loco 30. pag. 287. Sed huic ſententiæ per omnia ſubſcribere non poſſumus, cùm ipſa illa piorum contritio, quam Evangelicam vocant, quatenus contritio eſt, non ex Evangelio ſed ex lege oriatur; hoc tamen ſenſu & reſpectu Evangelicam dici poſſe concedimus, quia fidem ex verbo Evangelii accenſam conjunctam habet, per quam ſalutaris redditur: judicamus tamen ab hac ἀκυρολογίᾳ abſtinendum eſſe.

Cauſa inſtrumentalis contritionis.

70. Organum igitur, per quod Spiritus ſanctus contritionem in cordibus hominum operatur, eſt concio legis, per quam peccata & ira Dei adverſus illa manifeſtãtur, ut illis agnitis homo peccator ſeriò doleat. Eſa. 66. verſ. 2. *Reſpiciam ad contritum Spiritu & trementem ſermones meos.* Jerem. 23. verſ. 29. *Nunquid verbum meum tanquam ignis & velut malleus conterens petram?* Roman. 3. verſ. 20. *Per legem eſt peccati agnitio.* Roman. 4. verſ. 15. *Lex iram operatur.* Roman. 7. verſ. 7. *Peccatum non cognovi niſi per legem.* verſ. 8. *Abſq; lege peccatum eſt mortuum.* In promulgatione Decalogi Iſraëlitæ ad ſonitum buccinæ & auditum vocis divinæ ita expaveſcunt, ut non ſolùm retrocedant, ſed etiam fateantur, ſe è vita exceſſuros, ſi ampliùs talem vocem audiant. Quo ſpectaculo Deus ſignificare voluit, quòd organo Decalogi excitet in homine contritionem. Ex quibus teſtimoniis extructa eſt regula Theologica: *Quicquid peccatum arguit, iram ac pœnas denunciat & conſcientia terrores incutit*, id *Legis rationem habet, quando & ubicunque id fiat.*

71. Legis concioni hac in parte adminiculantur diſcrimen honeſtorum ac turpium in mente adhuc reliquum ſynderеſis, internum conſcientiæ teſtimonium, memoria divini judicii, item exempla iræ divinæ, quæ in aliis videmus & pœnæ peccatorum noſtrorum, quas in nobis ipſis experimur, quæ ſunt velut reales conciones legis, quo ſenſu calamitates tùm publicæ, tùm privatæ *ουναίτια ὀργανικὰ* contritionis dici poſſunt. Eſai. cap. 28. verſ. 21. *Facit Deus opus alienum* (caſtigando ac puniendo) *ut faciat proprium* (miſerendo)

Sæpè Deum videas alieno munere fungi,
Ut proprium peragat convenienter opus.

Jerem. 30. v. 11. *Caſtigabo te in judicio, ne innocens tibi videaris.* cap. 31. verſ. 28. *Quemadmodum ſolicitus fui ſuper eos ad evellendum ac diruendum & deſtruendum & perdendum & affligendum, ſic ſolicitus ero ſuper eos ad ædificandum & plantandum dicit Jehovah.* Oſe. 5. v. 15. *Revertar ad locum meum, donec deficiant & requirant faciem meam, in tribulatione ſua quærent me dicentes* cap. 6. verſ. 1. *Venite revertamur ad Dominum, quia ipſe diſrupit & ſanabit nos, percuſſit & alligabit nos.* Amos 4. verſ. 9. *Percuſſi vos ariditate &c. nec tamen rediiſtis ad me.* verſ. 10. *Immiſi in vos peſtilentiam, nec tamen rediiſtis ad me.* verſ. 11. *Subverti in vobis, quemadmodum ſubvertit Deus Sodomam & Gomorrham, nec tamen rediiſtis ad me.* Luc. 13. verſ. 5. de civibus in Siloah perditis Chriſtus dicit: *Niſi converſi fueritis, omnes ſimul peribitis.* 1. Corinth. 11. verſ. 32. *Cùm judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.* Baſilius ſermon. quòd Deus non ſit autor mali tom. 1. pag. 355. *Caro percutitur, ut anima ſanetur.* Chryſoſtomus Epiſt. 5. col. 975. *Pœna quam Deus irrogat, nihil damni dat, ſed lucri facit, quod eſt inter bona omnium maximum. Solidam enim dat in Chriſtum tenere fiduciam & reſipiſcere à peccatis adverſus illum commiſſis, ut ad virtutis viam nos reducat.* Auguſtinus de Natura & gratia cap. 24. *Sunt mala quæ proſint mirabili DEI miſericordiâ. Nunquid ille boni aliquid paſſus eſt, qui dixit: Avertiſti faciem tuam à me & factus ſum conturbatus? non utique, & tamen hæc ei conturbatio contra ſuperbiam medicinalis fuit quodammodo. Dixerat enim in abundantia mea non commovebor in æternum, & ſibi tribuebat, quod à Domino habebat: quare oſtendendum ei fuerat, unde haberet, ut reciperet humilis, quod ſuperbus admiſerat.* Fulgentius Epiſt. 7. *Benignitas Dei nos ad pœnitentiam adducit; ideò nos tribulationibus affligit, infirmitatib9 corripit, anguſtiis erudit, ut qui in ſanitate corporis peccavimus, in infirmitate peccatis abſtinere diſcamus.* Lutherus Tom. 4 Latin. fol. 584. in cap. 7. Michæ. *Non impedit, quod calamitates iſtæ ſint pœnæ peccatorum, hoc ſolum reſtat, ut tu quoque peccata tua agnoſcas, & in iis non pergas obſtinatò, caſtigat pater quoq; filium propter peccata, & tamen iſta caſtigatio eſt ſignum paterni animi, ſicut Paulus dicit: Corripi nos à Domino, ne cum hoc mundo damnemur &c.*

72. Eundem etiam uſum præſtat meditatio paſſionis ac mortis Chriſti, quippe quæ eſt lucidiſſimum iræ divinæ ſpeculum adverſus peccata noſtra. Eſai. 53. verſ. 4. *Nos reputavimus eum plagis affectum, percuſſum à Deo & humiliatum.* verſic. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus propter iniquitates noſtras.* Chriſtus ad ſupplicium ductus crucem ſuam bajulans monet mulieres ut *deplorent ſeipſas* Luc. 23. verſ. 28. hoc eſt, ut agnoſcant peccata ſua, & iram Dei adverſus illa in hoc triſti ſpectaculo intueantur. Deus variis exemplis iram oſtenderat ſuam mundi diluvio, everſione Sodomæ &c. tandem ut plenius iram ſuam adverſus peccata manifeſtaret, Filium ſuum propter peccata noſtra mori voluit, qui ſub hoc pondere miſerabiliter conqueritur: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Sicut uva torculari ſubjecta comprimitur & ſuaviſſimum ſuccum præbet; ita Chriſtus torculari iræ divinæ ſubiectus, ſanguineum ſudorem in odorem ſuavitatis pro peccatis noſtris Deo obtulit. In ſudore fervor, in ſanguine precium, in ejuſdem decurſu ſufficientia apparet. Pertinent huc ſuaviſſimæ meditationes Patrum de paſſione Domini. Bernhard. ſerm. 3. in die nat. col. 57. *Agnoſce homo, quam gravia ſint vulnera, pro quibus neceſſe eſt, Chriſtum Dominum vulnerari, ſi non eſſent hæc ad mortem & mortem ſempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur.* Anshelm. in libr. Meditat. lit. N. *Peccat iniquus & punitur juſtus, delinquit reus & vapulat innocens, offendit impius, damnatur pius: quod perpetrat ſervus, exolvit Dominus, quod committit homo, ſuſtinet Deus.* Pulcerrimè Ephrem lib. 1. de comp. cordis cap. 2. *Legimus ipſum Dominum verbum Patris pependiſſe in ligno & propter peccata noſtra peremtum eſſe, & elata cervice contemnimus & ridemus? Sol non potuit ferre Domini noſtri contumeliam, ſed claritatem ſui luminis convertit in tenebras, nos autem à tenebris malitiæ noſtræ converti nolumus? Velum templi, quod nihil deliquerat, à ſemetipſo ſciſſum eſt, nos autem propter peccata noſtra cor noſtrum compungi non cupimus? &c.* Concludimus igitur, quòd vera contritio in cordibus hominum excitetur legis adverſus peccata fulminantis prædicatione, adverſitatum immiſſione, ac paſſionis Dominicæ & aliorum iræ divinæ exemplorum meditatione.

73. Porrò in vera ad Deum converſione requiritur Contritio, non ut meritum reconciliationis, vel ut medium apprehendendæ gratiæ, ſed ut pars ordinis, quem Deus in convertendis obſervat, *Quo ſine requiratur contritio.*

ſervat, atque obœdientiæ illius, quam à convertendis exigit, cùm in præfractis & ſecuris cordibꝰ operari nolit. Quomodo enim contritio vel promerendæ vel apprehendendæ gratię medium eſſe poſſet. 1. cùm ſit ex lege, jam verò *ex lege eſt peccati agnitio*, non abolitio. Rom. 3. v. 20. *ex operibus legis non eſt juſtificatio*. Gal. 2. v. 16. *Lex iram operatur*. Rom. 4. v. 15. 2. cùm ſit imperfecta, nam qualis qualis ac quanta quanta fuerit ſive intenſivè ſive appreciativè (ut loquuntur) peccatorum atrocitatem ac iræ divinæ magnitudinem non adæquat; proinde ſi ex noſtræ contritionis qualitate vel quantitate de remiſſione peccatorum ſtatuendum foret, perpetuis dubitationibus verè ac ſeriò pœnitentes conflictari cogerentur. 3. cùm deſtituatur facultate apprehendendi Chriſtum Mediatorem, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ac proinde conſcientiæ pacem & quietem dare nequeat. 4. cùm nulla ſit relatio inter noſtram contritionem & inter promiſſionem DEI gratuitam de remiſſione peccatorum; ſed inter verbum Evangelii & inter fidem relatio perpetua occurrit. Quapropter quando pœnitentiæ tribuitur, quòd ſit medium reconciliationis & vitæ id συνεκδοχικῶς reſpectu partis potiſſimæ ac nobiliſſimæ, videlicet fidei in Chriſtum fieri ſtatuendum, quippe quæ ſola Chriſti meritum in verbo Evangelii oblatum apprehendit & in Chriſto gratiam Dei, juſtitiam & vitam æternam invenit, cujus fidei anteambulo eſt contritio, pediſſequa verò bona opera, ut in reconciliatione noſtra cum DEO fides ſola maneat Regina.

74. Hactenus noſtram, hoc eſt, ipſius Scripturæ ſacræ de contritione ſententiam expoſuimus, reſtat ut Pontificiorum opinionem excutiamus, quam Bellarminus lib. 2. de pœnit. cap. 1. his includit quæſtionibus. *1. An contritio ſit actus bonus & liber, & num ad Legem vel Evangelium pertineat? 2. An ſit actus ſolius liberi arbitrii? 3. An includat odium ac deteſtationem peccati præteriti? 4. An includat propoſitum benè vivendi? 5. An ſit neceſſaria ad juſtificationem? 6. An ſummum dolorem exigat? 7. An vim habeat peccatorem Deo reconciliandi? 8. An ante abſolutionem Sacerdotis? 9. An peccata omnia delere queat? 10. An attritio ſit donum Dei?*

An contritio ſit terror ex minis legis conceptus. 75. Primam quæſtionem Bellarminus cap. 2. quatuor propoſitionibus explicat. *1. Contritio non eſt terror ex minis Legis conceptus, cùm per contritionem cor peccatoris molliatur, humilietur & legi Dei ſubdatur; cùm terrores etiam in corde duro ac ſuperbo eſſe poſſint; cùm contritio ea tribuantur, quæ territis non conveniunt; denique cùm in deſcriptione contritionis non tantùm pavorum & terrorum, ſed etiam gemituum, lachrymarum, ſuſpiriorum &c. mentio fiat.* Reſp. Nequaquam dicimus, contritionem eſſe tantummodò terrorem, ſed peccati agnitionem & deteſtationem, cordis humiliationem, conſcientiæ angores itidem hoc nomine complectimur. Ex conjunctis igitur & ſubordinatis non ſunt facienda oppoſita, utique per contritionem cor hominis ſcinditur, humiliatur ac mollitur, ut in gemitus, ſuſpiria & lachrymas reſolvatur, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd terrores ac pavores non ſint conjuncti. Dicta Scripturæ, quæ Bellarminus affert Pſal. 34. v. 19. *Dominus propè eſt iis, qui tribulato ſunt corde & humiles Spiritu ſalvabuntur.* Pſ. 51. v. 19. *Cor contritum & humiliatum non deſpicies*, noſtræ ſententiæ non adverſantur, in his enim ac ſimilibus dictis continetur deſcriptio Perſonarum, quibus Deus offert ſuam gratiam, ſcilicet illis, qui corde ſunt contrito, non autem proponitur cauſa, propter quam peccata remittantur: obſervat Deus hunc ordinem, ut ad inferos priùs deducat, poſtea iterum reducat, ut priùs mortificet, poſtea verò iterum vivificet. Neque quicquam juvat cauſam Bellarmini, quòd humiliatio additur contritioni, hæc enim itidem oritur ex agnitione peccatorum & ſenſu iræ divinæ adverſus peccata, quam ex lege eſſe negari nequit. Quo verò tendat Bellarminus negando contritioni terrores ex minis legis ortos conjunctos eſſe, patet ex compend. Theolog. lib. 6. c. 24 ubi ſtatuitur, *Contritionem non modo maledictionibus Legis non terrere, ſed potiùs a peccatis liberare & benedictiones adducere, cùm per voluntariam ejus aſſumtionem non ſolum culpa, ſed & pœna dimittatur ac gloria conferatur*, quâ de re paulò pòſt uberiùs diſſeretur.

An contritio ſit paſſio. 76. 2. *Contritio non eſt paſſio, ſed actio, eademque libera non coacta.* Compend. Theolog. l. d. apertiùs hoc exprimit, quòd *contritio ſit dolor voluntariè aſſumtus.* ** Statuunt hoc Pontificii ad ſalvandas ſuas hypotheſes: Dicunt enim *Contritionem eſſe meritoriam. Omne autem quod mereri debet, actum virtutis eſſe oportet*, ſtatuente Thoma in ſupplem. q. 1. art. 2. Et quia virtus eſt habitus electivus, hinc concludunt, *Contritionem eſſe actum liberum ab homine ultrò aſſumtum & electum.* Quinque occurrunt in contritione, notante D. Eckard. c. 4. de pœn. p. 88. Nam 1. in memoria eſt peccati recordatio. 2. in mente offenſæ divinæ conſideratio. 3. In voluntate peccatorum agnitorum deteſtatio, quam forinſecus teſtatur pectoris tunſio, oculorum lachrymatio, oris confeſſio. 4. In corde, timor vindictæ & futuri judicii. 5. In conſcientia legis cauterio vulnerata, ſequitur horror, dolor, morſus, compunctio. Priores duo gradus ſunt quidem interni actus, in iis verò non conſiſtit οὐσία contritionis, ſed potius in tribus poſterioribus, nam illi contritionem non tàm conſtituunt, quàm efficiunt, habent ſe προκαταρκτικῶς non οὐσιωδῶς, ſunt cauſa efficiens nō formalis, quippe quæ nulla eſt alia quàm cordis paſſio. Id probatur 1. ab etymologia. *Contritio propriè eſt alicujus integri & duri comminutio.* Thom. in ſupplem. q. 2. art. 1. tunc enim res dicitur conteri cùm ſolidum minuitur & ad partes minimas reducitur. Omnis autem comminutio reſpectu ſubjecti, quod minuitur eſt paſſio. Ut autem ſe habet contritio propria in genere, ita contritio metaphorica in ſpecie, quæ eſt cordis humani, quod peccatis velut obriguit & adamantis inſtar obduruit, comminutio, compunctio & emollitio &c. 2. à Synonymia. Contritio tantùm paſſivis vocabulis deſcribitur, uti docent omnia ſynonyma, &c. vocatur percuſſio cordis 2. Sam. 24. v. 10. *Conturbatio animæ* Pſ. 6. v. 3. *infixio ſagittarum Domini* Pſ. 38. v. 3. *tribulatio ſpiritus & confractio cordis* Pſal. 51. v. 18. *tremor excitatus voce Domini* Eſ. 66. v. 2. *percuſſio femoris & confuſio* Jerem. 31. v. 19. *ſciſſio cordis* Joel. 2. v. 13. κατάνυξις *compunctio* Act. 2. v. 37. 3. à definitione paſſionis. Vulgò definitur *actionis receptio* vel accidens ſecundùm quod id, quod ſubjicitur pati dicitur. At hæc definitio competit contritioni formaliter ſum-

ſumtæ, eſt enim fulminum legalium & actionis divinæ receptio, ac ſecundùm eam homo pati & conteri dicitur. 4. à cauſa contritionis, quæ non eſt ipſe homo ſed SS. Jerem. 31. v. 18. *Poſtquam tu convertiſti.* Quod non ab homine proficiſcitur efficienter, ſed à ſolo Deo in homine perficitur, id paſſio eſt hominis reſpectu. 5. à propria confeſſione Adverſariorum. Definiunt enim pœnitentiam dolentis vindictam Lomb. 4. ſent. diſt. 14. A. Sic Bonav. 4. diſt. 16. part. 1. art. 1. q. 1. f. 226. Contritio dolor eſt per eſſentiam per dolorem etiam definiunt Durand. lib. 4. diſt. 17. q. 2. Coſter. Enchir. c. 11. p. 370. Tolet. de Inſt. Sacerd. l. 3. c. 4 pag. 417 **. Reſp. Igitur ad ſuperiora hypocritica contritio in externis geſtibus & actionibus conſiſtens ex viribus liberi arbitrii oriri poteſt, ſed ſeria ac ſalutaris contritio non eſt opus virium humanarum, *qui enim facit peccatum, ſervus eſt peccati*, Johan. 8. verſ. 34. ſervitio igitur exire nequit, quin & ſervitio illo peſſimo delectatur, niſi per filium liberetur. Corda noſtra extra Spiritus ſancti gratiam conſiderata ſunt *dura ac lapidea*, Ezech. 36. verſ. 27. ac proinde pœnitere neſcia, requiritur igitur, ut Deus *auferat cor lapideum, ac det cor carneum*, Ezech. 11. v. 19. ut ipſe convertat hominem, *vasq; novum ex fracto formet virtute creandi*, ut loquitur Proſper. Diſtinguendum etiam inter contritionem nondum renatorum, ac in peccata contra conſcientiam prolapſorum, & inter quotidianam carnis mortificationem, quæ à renatis exigitur. Quando contritionem paſſivam dicimus, eandemque in ſolidum Spiritui S. tribuimus, reſpicimus ad converſionem non renatorum & in peccata mortalia prolapſorum; interim non negamus, renatos ut in omnibus operibus bonis, ita quoque in quotidiana carnis mortificatione (quam quidam contritionem vocant) eſſe τῦ θεῦ συνέργυς, agunt autem non ſuis, ſed novis à Spiritu ſancto donatis viribus. Bellarminus ad probationem theſeos ſuæ adducit 1. *Præcepta, quibus jubet Dominus, ut homo ſcindat cor, ut faciat ſibi cor novum, ut projiciat prævaricationes*, ex quo colligere conatur, hominem verè cooperari ad contritionem. Reſp. Oſtendimus ſuo loco ex præceptis ad noſtram δύναμιν nullam eſſe conſequentiam cùm per lapſum inciderit homo in ἀδυναμίαν præſtandi ea, quæ lege divina requiruntur. Adde quòd illa ipſa præcepta ac minæ ſint ſalutaria media, per quæ Deus in hominibus veram contritionem operatur, ex quo nequaquam poteſt inferri, hominem ex viribus liberi arbitrii Deo cooperari. 2. *Contritio Deo placet, ſed paſſio coacta Deo non placet.* Reſp. Contritio ita demum placet Deo, ſi conjunctam habeat fidem in Chriſtum *absque fide impoſſibile eſt Deo placere.* Hebr. 11. verſ. 6. *In noſtra poteſtate eſt applicare animum ad ea, quibus timor excitatur.* Reſp. Quamvis applicatio animi ad ea, quibus contritio excitatur, id eſt, externus verbi auditus & conſideratio pœnarum ſit quodammodo in noſtra poteſtate, interior tamen & ſalutaris contritio eſt Spir. S. opus, ut in Tractatu de Prædeſtinatione & libero arbitrio pleniùs docuimus. **Porrò *Contritionem* dicunt eſſe *dolorem*, nihilo tamen minùs *actionem*, quod ut evincant hac utuntur diſtinctiuncula. Dolorem ſumi dupliciter 1. *pro diſſenſu voluntatis. 2. pro paſſione reſultante in ſentientem ex illo diſſenſu, per quam homo prorumpit in lachrymas.* Bonav. l. d. vel ut Durandus: *Dolor accipitur. 1. pro diſplicentia voluntatis. 2. pro paſſione ſenſitivæ partis: ſecundum dolorem putant eſſe effectum, primum vero formam contritionis.* Reſp. Contritio non conſiſtit formaliter in nuda diſplicentia, ſed potiùs in angore & tremore animi ob commiſſa peccata, qui angor includit quidem diſplicentiam, ſed non eſt ipſa. Idem voluntatis diſſenſus ſi formaliter eſt actus, cur vocant dolorẽ? quomodo enim id quod formaliter dolor eſt, ſimul per eſſentiam eſt actus? Ad 1. arg. Bellarm. Contritio eſt paſſio non tamen coacta aut violenta, ſed à lege excitata. Non enim omne coactum eſt, quod ab extrinſeco principio proficiſcitur, fides non eſt à noſtris viribus ſed accenditur à Spiritu S. Rom. 10. verſ. 17. non tamen eſt actus violentus. Idem à præcepto ad actum liberam N. V. C. præcipitur omnibus hominibus converſio, mundatio, fides in Chriſtum &c. Ergone hæc omnia ſunt actus liberi & in noſtra poteſtate ſiti? Chriſtus imperat puellæ mortuæ & Lazaro, ut ſurgant &c. Denique cum contritione actus quosdam noſtros concurrere non inficiamur, ut ſunt recordatio peccatorum, conſideratio legis, meditatio iræ divinæ &c horum cõſpectu contritio imperata nobis dici poteſt, ſed formaliter non conſiſtit in illis actibus ſed in dolore & angore, cujus ratione cor dicitur contritum. Ad 2. Contritio eſt quidem paſſio, ſed ab ipſo Deo excitata, non è nobis per vim elicita. Idem Deo aliquid placere quod tamen quodammodo involuntarium, teſtantur exempla; Sic circumciſio filii Moſis Exod. 4. v. 26. mors Martyrum violenta Pſal. 115. verſ. 15. contritio Achabi 3. Reg. 21. verſ. 27. Diſtinguendum tamen inter contritionem deſperantium & credentium. Ad 3. *non quæritur hic, qualis paſſio ſit contritio num libera vel ſecus, ſed in ſpecie num ſit paſſio vel actio.* Nec ſequitur, quædam præparatoria ſunt in noſtra poteſtate, ergò & ipſa ſalutaris contritio, aliàs etiam fides erit actus noſter ſpontaneus. Aliud eſt mediorum uſurpatio, aliud ipſius effectus productio. Prius in noſtris viribus eſt poſitum, non autem poſterius. *Meiſn.* p. 2. ſobr. Phil. ſect. 2. c. 1. q. 5. **

77. 3. *Contritio maximè ad Evangelium pertinet.* Reſpond. Imò verò per *Legem eſt agnitio peccati*, per Evangelium propriè ſic dictum annunciatur gratuita peccatorum remiſſio propter Chriſtum Mediatorem. Quomodo verò theſin ſuam Bellarminus probat? 1. Ezech. 11. verſ. 36. *pollicetur Dominus filiis Novi Teſtamenti cor carneum & Spiritum novum.* Reſpond. Promittitur ibi Spiritus ſanctus, qui veram contritionem in cordibus hominum operaturus ſit, non autem additur, quòd per Evangelii prædicationem homines ad contritionem ſit perducturus, cùm miniſterium Spiritus etiam Legis prædicationem complectatur. 2. *Chriſtus & Apoſtoli autores Evangelii prædicarunt contritionem.* Reſpond. Chriſtus & Apoſtoli in ſuo miniſterio non Evangelium ſolùm, ſed & Legem prædicarunt, ut per Legis malleum dura hominum corda contererentur, ac per Evangelii conſolationem contrita corda ſanarentur. In praxi doctrinæ Legis & Evangelii quovis Mathematico puncto conjunctiores ſunt, ut loquitur D. Lutherus in cap. 3. Galat. 3. *Lex vetus non habet promiſſionem gratiæ, neque ejus opera Deo ſunt grata, at contritio Deo placet.* Reſp. Opera Legis dupliciter accipi-

An contritio pertineat ad Evangelium.

cipiûtur vel pro externis qualibuscunq; operibꝰ ſine gratia & Spiritu factis, vel pro renatorum operibus ex Spiritus ſancti operatione profectis, quæ itidem opera legis dicuntur, cùm norma eorum ſit lex divina. Illa opera Deo non placent, hæc verò ſunt gratiſſimum ſacrificium. Contritio quomodo placeat Deo, expoſitum ſuperiùs. Reliqua hnc loco à Bellarmino adducta in tractatu de Evangelio ſuut expoſita.

An contritio liberet à peccatis.

78. 4. *Contritio non replet hominem peccatis ac maledictionibus, ſed a peccatis liberat & benedictiones adducit.* Illud cap. 12. col. 1296. clariùs explicat. *Catholici communi conſenſu docent, Contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum*, ex Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 6. ſeſſ. 14. c. 4. *Contritionem de congruo mereri remiſſionem peccatorum plerique Scholaſtici docent.* Reſpond. Si per noſtram contritionem peccatorum remisſionem ac vitam mereri poſſumus, Chriſtus vel fruſtrà vel non ſufficienter pro peccatis noſtris attrîtus eſſet. Neque etiam contritione tanquam inſtrumento ſed ſoli fidei Scriptura tribuit, quòd Chriſti beneficia per eam nobis applicentur, Actor. 10. verſ. 43. Rom. 4. verſ. 3. & alibi paſſim. Si contritione tanquam inſtrumento remiſſionem peccatorum nobis applicamus, tum non ſine lege & operibus remiſſionem conſequimur. Jam verò *beatitudo eſt illius hominis, cui Deus juſtitiam imputat ſine operibus*, ut diſertis verbis aſſerit Apoſtolus Rom. 4. v. 6. & ſuo loco pleniùs docebitur. Quomodo verò theſin ſuam probat Bellarminus? 1. *Quòd homo ſe bonis operibus vacuum & peccatis onuſtum cernit, non eſt effectus contritionis, ſed partim humilitatis, partim diſcuſſionis & cognitionis ſuipſius.* Reſp. Subordinata & conjuncta non ſunt ſibi invicem opponenda, hæc omnia pertinent ad contritionem, ut homo in ſpeculo legis ſuam deformitatem agnoſcat, de illa ſeriò doleat, & coram Deo juſtiſſimo judice ſe humiliet. 2. *Si contritio eſt opus DEI, quomodo fugit DEUM, & eſt via ad deſperationem niſi accedat* fides? Reſpond. Salutaris contritio ſemper conjunctam habet fidem, ſicut timor filialis Dei dilectionem, jam verò de ſalutari contritione potiſſimùm agimus, quando eam opus Spiritus ſancti eſſe aſſerimus. Quòd contritio ſola in deſperantibus fugit DEUM, id fit per accidens vitio Naturæ per peccatum corruptæ, cujus reſpectu ipſa ſanctiſſima Lex divina dicitur *Miniſterium mortis & damnationis* 2. Corinth. 3. verſ. 7. *operatur iram* Roman. 4. verſ. 15. *auget peccatum &c.* 3. *Ninivitæ de remiſſione peccatorum dubitabant & tamen non fugiebant à DEO.* Reſpond. Non de peccatorum condonatione, ſed de pœnæ temporalis averſione dubitabant, neq; fide deſtituti erant, alias Deo placere non potuiſſent.

An contritio haberi poſſit ſine ſpeciali Dei auxilio.

79. Alteram quæſtionem, *An contritio ſine ſpeciali Dei auxilio haberi poſſit*, tractat Bellarminus cap. 3. & in negantem partem concedendo adverſus Pelagianos neceſſitatem gratiæ probat. Reſp. Spiritus ſanctus veræ converſionis autor eſt non eo modo, ut voluntas humana ex ſe & ſuis viribus naturalibus ei cooperetur, ſed ut ipſi in ſolidum totum converſionis opus ſit tribuendum, donat hominem novis viribus, quibus in operibus bonis poſtea cooperetur, non autem ſopitas excitat & uſum ſive *actum ſecundum tantùm reſtituit*, ut Pontificii recentiores diſputant. Sic enim ſcribit Bellarminus lib. 6. de liber. arbit. cap. 11. *Nos cooperari Deo non ſolùm poſt converſionem, ſed etiam in ipſa regeneratione & initio fidei, ita quidem ut licet liberum arbitrium ſit extenuatum non tamen extinctum in actione credendi.* Quòd Bellarminus negat quosdam ex Scholaſticis ſtatuere, quòd hominis conatus ac voluntas gratiam divinam antevertant, id eſt, negare Solem lucere in meridie, unde enim diſputationes de præparationibus ad gratiam, de merito congrui, de dilectione DEI ſuper omnia ex puris naturalibus, de diſpoſitionibus ad juſtificationem.

An contritio includat odium peccati.

80. In tertia quæſtione, *An contritio includat odium ac deteſtationem peccati præteriti*, habet nos ſibi Bellarminus ὁμοψήφους. Quæ de Luthero attexit, quaſi is neget, contritionem includere peccati odium, facilem habent explicationem, loquitur enim de peccati deteſtatione, quæ oritur ex timore ſervili & pœnam potiùs quàm culpam reſpicit; loquitur comparatè, quòd non tam de contritionis quantitate, quàm de ſeria vitæ emendatione ſoliciti eſſe debeamus; loquitur de vocabuli μετανοίας verâ explicatione, quòd denotet interiorem mentis & conſilii mutationem, non autem actiones externas ſponte ſuſceptas, interim non negat contritionem includere peccati odium.

An contritio includat propoſitum rectè vivendi.

81. Quarta quæſtio eſt, *An contritio includat propoſitum rectè vivendi?* ad quam Bellarminus cap. 6. affirmatè reſpondet, interim fatetur, non concordare Doctores Pontificios, *An illud propoſitum formale eſſe debeat, an verò ſufficiat virtuale atque implicitum.* Reſpond. Salutaris contritio conjunctam habet fidem in Chriſtum, quæ eſt omnium bonorum operum genitrix ac fundamentum. Sed ſi contritio ſit ſola, deprimit potiùs hominem, quàm ut ad ſpem veniæ ac novæ vitæ propoſitū ipſum erigat. Non poteſt eſſe propoſitum verū ac Deo placens novæ vitæ, niſi in homine renovato, non renovatur homo niſi priùs regeneretur, regeneratio autem fit per fidem in Chriſtum, quâ *purificantur corda*, Actor. 15. verſ. 9. Nemo poteſt ſtatuere ſe ſanctam ac Deo placentem vitam agere velle, niſi priùs certus ſit ſe eſſe Deo reconciliatum, neque enim placent Deo opera, niſi perſona priùs ſit ipſi reconciliata, jam verò per fidem certi eſſe poſſumus de Dei gratia. Ergò ad propoſitum ſanctæ & DEO placentis vitæ requiritur fides. Quicquid contritionis nomine ac definitione comprehenditur, per Legem excitatur. Jam verò lex miniſterio ſuo, ubi non adeſt Spiritus vivificans, hominem occidit, & prævaricatorem potiùs efficit, quàm bonorum operum ſtudioſum, jam verò Spiritus vivificans non datur per Legem ſed per Evangelium Galat. cap. 3. verſ. 2. Ac proinde niſi Dominus in Evangelio CHRISTUM animæ noſtræ medicum nobis oſtenderet, ac per fidem in ſanguine ejus nos vivificaret, atque ex inferis contritum hominem reduceret, alterutrum horum contingeret, ut vel in deſperationis barathrum homo abriperetur, vel excuſſo jugo redargutionum ac minarum legis in ſecuritatem epicuræam prolaberetur. Dicta Scripturæ, quæ ex Amos 5. Eſai. 1. & Ezech. 18.

à Bellarmino adducuntur, deſcribunt fructum veræ ac ſalutaris pœnitentiæ, non autem ſolius contritionis, qoemadmodum diſertè Johannes dicit: Matth. 3. verſ. 8. *Facite fructus pœnitentiæ dignos.*

An contritio ſit neceſſaria ad juſtificationem.

82. Quinta controverſia eſt, an Contritio ſit ad juſtificationem neceſſaria, quod probat Bellarminus cap. 8. Reſpond. Ut illi, qui poſt Baptiſmum lapſi, DEO reconcilientur, ac remiſſionem peccatorum conſequantur, omninò neceſſaria eſt contritio. 1. Quia DEUS non niſi pœnitentibus peccata remittere conſtituit, *Evangelizare* jubet; ſed *pauperibus*; *Sanare* vult, ſed *contritos*; *Dimiſſionem prædicat*, ſed *captivis* Eſai. 61. verſ. 1. 2. Ubi non eſt agnitio culpæ, ibi non eſt deſiderium gratiæ, niſi gravitas peccatorum agnoſcatur, medicina animæ repudiatur. Neceſſaria igitur eſt contritio ratione ordinis, non autem reſpectu cujusdam meriti vel etiam medii, per quod DEO reconciliamur, cùm ſolâ fide ſine operibus coram Deo juſtificemur. Juſtificatio enim eſt ex Evangelio, non autem ex lege. Jam verò contritio ex prædicatione legis oritur. Ergò ex contritione, per contritionem vel propter contritionem non eſt juſtificatio. Bellarminus probare conatur contritionem requiri neceſſitate medii ex Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Act. 3. *pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Rom. 2. *Benignitas Dei invitat te ad pœnitentiam, tu autem ſecundùm duritiem tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram.* Apoc. 2. *Movebo candelabrum tuum, niſi pœnitentiam egeris.* Sed quilibet primo intuitu videt, quàm hæc ſint à quæſtione aliena, cùm ſola contritio non abſolvat ſalutarem & integram pœnitentiam, ſed neceſſe ſit, fide corda erigi, cujus reſpectu pœnitentia *εἰς ζωὴν καὶ σωτηρίαν* prodeſt.

Quanta contritio requiratur,

83. Sexta controverſia eſt *de quantitate contritionis*, in cujus explicatione Bellarminus primò conatur oſtendere per noſtram doctrinam de contritione homines adigi ad deſperationem, cùm veram ac ſeriam contritionem neceſſariam eſſe ſtatuamus. *Nulla eſt vera ac ſeria contritio, niſi quæ procedit ex toto corde. Jam verò contritio ex toto corde, perinde ut dilectio ex toto corde, juxta noſtras hypotheſes eſt impoſſibilis.* Hæc eſt fabrica cap. 10. Reſpond. Oſtendimus ſuo loco, phraſin illam ex toto corde duplicem habere ſignificationem, aliquando enim opponitur hypocriſi & ſimulationi, quo ſenſu ac reſpectu fatemur tàm contritionem quàm dilectionem ex toto corde eſſe poſſibilem, quia Scriptura proponit exempla eorum, qui ad DEUM converſi ſunt, eumque dilexerunt ex toto corde. Tum ergò ſenſus phraſeos eſt, ex toto corde, id eſt, non hypocriticè, non ex duplici corde, ſicut Pſalm. 12. verſic. 3. de hypocritis dicitur: *Corde & corde loquuntur.* Aliquando verò ex toto corde diligere notat perfectam & omnibus gradibus abſolutam dilectionem, quâ ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus diligimus; hoc ſenſu ac reſpectu tàm contritionem quàm dilectionem ex toto corde, id eſt, tàm perfectam, qualem DEUS requirit, in hac vita impoſſibilem eſſe dicimus, omnis namque contritio qualis quantave fuerit, peccatorum atrocitati & magnitudini iræ divinæ haudquaquam par eſt. D. Lutherus in conc. de pœnitentia tom. 1. Latin. fol. 14. *Si velles, etiamſi nullus pœniteret, confiteretur, contereretur, atque adeò ſi totus mundus aliter ageret, nec præcepti habitâ ratione pœnitere, ſed amore novæ vitæ & melioris, jam verè pœnites &c. hîc verò invenies, ſi non vis mentiri, te non eſſe talem, ſed potius velles, ut prior vita hæreret, quia ſentis, te omninò adhuc inclinari ad vitam priorem &c. Quid ergò hîc faciemus? Oportet nos eſſe tales, & non poſſumus eſſe tales, omnes ergò damnabimur? abſit, ſed reſpondeamus, oportet ut cognito te tali, non neges te talem, ſed in angulum vadas, & juxta conſilium CHRISTI in abſcondito ores Patrem tuum in cœlis, dicens ſine fictione: Ecce, optimè DEUS, pœnitendum mihi præcipit, ſed talis ſum ego miſer, quòd ſentio, me nolle neque poſſe. Quare tuis proſtratus pedibus, oro miſericordiam & gratiam, fac pœnitentem, quem jubes pœnitere.*

84. Quantam verò contritionem Pontificii requirunt? Bellarminus reſpondet ſex propoſitionibus. *1. Non requiritur ad eum contritionem, quaſi futura ſufficiens ad remiſſionem peccati, ut æqualis ſit magnitudini iræ divinæ. 2 Dolor de peccatis eſſe debet ſummus, ſaltem ut Theologi loquuntur appreciativè. 3. Non eſt neceſſe, ut contritio ſit dolor ſummus intenſivè. 4. Non requiritur certus gradus intenſionis, neque mora ulla temporis ad veram contritionem. 5. Neque illud exigitur, ut tot ſint actus contritionis quot ſunt peccata, modò de omnibus, quæ poſt examen menti occurrunt, ex animo doleamus. 6. Utiliſſimum tamen eſt peccata ſingula amariſſimè & longo tempore ita deflere, ut contritio non ſolùm appreciativè ſed etiam intenſivè & extenſivè ſumma dici poſſit.* Reſpond. Hæc omnia non ex fontibus Scripturæ, ſed ex ciſternis ſcholaſticorum petita ſunt, meritis ac ſatisfactionibus humanis patrocinantur, dogma perpetuæ dubitationis ſtabiliunt & in CHRISTI meritum ſunt injuria. 1. Scriptura docet contritionem non hypocriticam, non ſuperficiariam, ſed ſeriam ex toto corde eſſe debere, ut homo propter admiſſa peccata ſe reum iræ divinæ, pœnarum temporalium & æternarum adeoque gehennæ filium eſſe verè ac ſeriò agnoſcat, ſed doloris vel appreciativè vel intenſivè vel extenſivè ſummi nuſpiam meminit. 2. *Si de majore peccato magis, de minore minùs dolendum; ſi dolor pœnitentiæ æquare vel excedere debet voluptatem, quam peccando accepimus, ſi periculum ſubeſt, ne homo ſeipſum fallat, & dum ſe ad acrem & intenſam contritionem excitare non ſatagit, reverâ ne appreciativè quidem toto corde crimina deteſtetur* (quæ omnia ſunt Bellarmini in hoc capite 11. verba) *ſi dolorem ex contritione ſuſceptum adeò vehementem, acrem & intenſum eſſe oportet, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit*, ut loquitur 1. de pœnit. cap. 4. col. 1168. ex Catechiſmo Romano; *Si nemo certò ſcire poteſt, ſe veram contritionem habuiſſe*, ut loquitur 2. de pœnit. cap. 14. in reſponſ. ad object. 17. an non perpetuis dubitationibus conſcientia hominis conflictabitur, ſatisne ſit contrita necne? quò pertinet, quòd communiter docent Scholaſtici, eos qui non adeò

conte-

Digitized by Google

conteruntur corde & ingemiſcunt pro peccato, ut contritio ſufficiat ad puniendum peccatum, ſi ante expletionem ex hac vita diſceſſerint, ignem purgatorium eſſe ſenſuros. 3. Si per noſtram contritionem expianda eſſent peccata, requireretur omninò contritio non ſolùm appreciativè, ſed etiam intenſivè & extenſivè ſumma. Infinitus eſt Deus qui peccato offenditur, infinita ejus eſt juſtitia, infinita adverſus peccatum ira, utique ergò finitæ contritioni non competit peccatorum expiatio, ſed requiritur infinitum precium, quod Chriſtus noſtri loco præſtitit. Neque eſt, quòd quis obvertat, etiam Chriſti paſſionem ac dolores fuiſſe quoddam finitum, cùm certo tempore fuerint terminati, ſiquidem infinitas meriti ac precii à Chriſto præſtiti non ex temporis duratione, ſed ex perſonæ infinitate æſtimanda eſt; neque enim caro ſola, ſed ipſe Dei Filius in aſſumta carne ſuſtinuit paſſionem, qui eſt infinitus cum Patre & Spiritu Sancto Deus. (agnoſcit hoc ipſe Bellarminus lib. 2. de Juſtificat. cap. 5. ubi rectè diſputat efficaciam meriti à Chriſto præſtiti à perſonæ infinitate dependere) Noſtra verò contritio nullam infiniti vel æquivalentis pro peccato precii rationem obtinet, cùm proficiſcatur à nudo homine, in cujus carne adhuc peccatum habitat, qui nunquam tàm feriò dolet de peccatis admiſſis, quin ex vetuſtate carnis adhuc reliquâ de peccatis denuò delectetur, unde contritionis dolor nunquam correſpoodet voluptati peccandi. Pſal. 19. v. 13. *Delicta quis intelligit?* Pſal. 90. verſ. 11. *Quis conſiderat vim iræ ſuæ, & quis, ut par eſt, timet indignationem tuam?* 4. Si noſtra contritio ita poteſt creſcere, ut non ſolùm ſit appreciativè ſumma & ad remiſſionem peccati ſufficiens, ſed etiam ut intenſivè & extenſivè ſumma ſit, quid ergò opus fuit, Chriſtum pro peccatis noſtris fieri attritum & humiliatum? cùm non ſolùm ſufficiens, ſed & ſuperabundans contritio noſtra eſſe poſſit. 5. Denique membra diviſionis non ſunt ἀντιδιηρημένως oppoſita. Ut enim dolor ſit appreciativè ſummus, hoc eſt, ut juxta Bellarmini explicationem voluntas pluris æſtimet peccati deteſtationem, quàm ullius boni conſecutionem, aut alterius mali evitationem omninò requiritur, voluntatem ſummo conatu niti, ut judicio rationis exactè ſatisfaciat, & ſummo conatu peccatum deteſtetur, quæ eſt definitio doloris intenſivè ſummi, ac proinde dolor appreciativè ſummus includit dolorem intenſivè ſummum, ſi non formaliter, tamen virtualiter.

An contritio ſit cauſa remiſſionis peccatorum.

85. Septima controverſia eſt, *Verum contritio ſit cauſa remiſſionis peccatorum*, quod affirmat Bellarminus cap. 12. Reſpond. 1. Scholaſtici non conſentiunt in explicatione hujus quæſtionis, quidam contritionem tantùm volunt eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum, plerique verò ſtatuunt eſſe meritum de congruo, ut Lombardus 2. ſentent. diſtinct. 27. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus &c. quorum ſententia verior & Scripturis ac Patribus conformior Bellarmino videtur. Richardus 4. ſent. diſt. 17. art. 1. q. 7. meritum de condigno eſſe ſtatuit *Anima* (inquit) *per contritionem meretur de condigno peccati mortalis remiſſionem, ſi aliquis motus contritionis eam ordine naturæ præcedit.* Catech. Trident. pag. 290. *Ex quo licet cognoſcere veræ contritionis eam vim eſſe, ut illius beneficio omnium delictorum veniam ſtatim impetremus.* ** Franciſcus Victoria relect. 1. de poteſt. Eccleſ. *Homines alioqui acres & docti* (Scholaſtici, præſertim Scotiſtæ) *hic in hac diſputatione peccant & errant ex eo quod non benè ſentiant de contritione putantes primò quod contritio eſt ita ſufficiens ad remiſſionem peccatorum, ut q. ex juſtitia debeatur remiſſio & gratia poſitâ contritione, unde etiam provenit, ut meritum ponant congruum ad primam gratiam contra Apoſtolum Paulum non conſiderantes, quod quacunque diſpoſitione poſita in peccatore eſt omninò tanta liberalitas in collatione gratiæ & tam gratis remittuntur peccata, ſicut data fuit gratia Adæ in primo ſtatu, imò magis, nec oportet imaginari aliud meritum, niſi puram miſericordiam divinam. Nec plus contritio eſt meritum ad gratiam vel remiſſionem peccatorum, quàm bona opera ſunt meritum ad prædeſtinationem. Hæc enim erat bona pars erroris Pelagiani, ſi ego quicquam intelligo.* ** Petrus à Soto varius eſt, modò aſſerit Catholicam Eccleſiam credere, *contritionem non eſſe meritum remiſſionis peccatorum, ſed diſpoſitionem neceſſariam, ut per eam juſtitiam veram conſequamur*: modò dicit *noſtram contritionem reddere nobis Deum propitium ac eſſe meritum vitæ æternæ ac mereri integram remiſſionem peccati.* 2. Contritio non eſt meritum remiſſionis peccatorum, quia gratis remittuntur peccata & nullum opus bonum eſt meritorium propriè ſic dictum, ut ſuo loco demonſtrabitur; nec medium, quia contritio eſt ex lege, jam verò juſtificamur fide ſine operibus legis & deſtituitur facultate apprehendendi Chriſtum. Quod Bellar. regerit, gratis nos juſtificari, licet merito contritionis juſtificemur, cùm ipſa contritio ſit donũ Dei, nec ſit meritum ex condigno ſed ex congruo, ea de re in articulo Juſtificationis pleniùs agetur, hac vice repetimus oppoſitionem Apoſtolicam Roman. 11. v. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus,* Roman. 4. v. 6. *beatitudo eſt illius hominis, cui Deus juſtitiam imputat ſine operibus.* Ejuſdem momenti ac ponderis eſt etiam hæc exceptio, Chriſtum contritione ſuâ promeritum eſſe, ut & noſtra contritio expiet peccata, ac proinde per meritum contritionis noſtræ nihil derogari Chriſti merito. Quid hac de re ſtatuendum ſit, ſuo loco nimirum in articulo de Juſtificat. docebitur, hac vice repetimus locum ex Apol. Confeſſ. Wirteberg. cap. de contrit. p. 514. *Chriſtus mortuus eſt non eo conſilio, eo uſu & fine, ut bona noſtra opera acciperent meritum & dignitatem expiandi peccata, ſed ut mala noſtra opera, quæ ſeveritas judicii Dei non tantum in peccatis, ſed etiam in ipſis bonis operibus noſtris invenit, expiarentur coram* D E O. *Chriſtus, inquam, paſſus eſt non pro bonis noſtris operibus, ut ipſa expient peccata, ſed paſſus eſt pro peccatis, pro peccatis inquam, ut hæc expiarentur, non propter noſtras actiones vel paſſiones, ſed propter ſolas actiones & paſſiones ſolius Chriſti. Et quia contritione ſeu agnitione peccatorum per ſe nondum agnoſcitur paſſio ſeu meritum Chriſti, ſed tantùm fide per Evangelium Chriſti, ideò dicimus ſolâ fide nos fieri participes placationis Chriſti.* Et pag. 515. *Cùm Spiritus S. relinquat bona opera in homine*

propter carnem imperfecta & vitioſa, quomodo Filius Dei à quo procedit Spiritus ſanctus infunderet in ea tantam majeſtatem, ut placarent iram Dei? tanta eſt gravitas iræ divinæ, ut ad eam univerſus orbis contremiſcat, & tu putas hunc omnis Creaturæ tremorem vitioſis hominum operibus ſedari poſſe? 3. Si contritio eſſet cauſa remiſſionis peccatorum, poſitâ contritione poneretur peccatorum remiſſio, jam verò contritione poſitâ non ſtatim ponitur peccatorum remiſſio, cùm plerunque graviores ſint de admiſſis peccatis dolores in illis, qui per deſperationem ruunt in exitium, quàm in electis & ſalutarem pœnitentiam agentibus. 4. Neceſſaria tamen eſt contririo in vera ac ſalutari pœnitentia, ut ſuo loco oſtendimus, ideò quidam diſputant, Contritionem eſſe cauſam ſine qua non remiſſionis peccatorum, cùm abſque contrione nulla fiat peccatorum remiſsio. Eſt autem cauſa ſine qua non, quæ non quidem agit in efficiendo eo, quod fit, ſed ita adeſt, ut ſine ea non fieret effectus, verè tamen ac propriè non eſt cauſa. Hæc illi, quæ commodè & dextrè accipienda ſunt, ne gratuita peccatorum remiſſio labefactetur.

86. Quomodo vero probat Bellarminus, Contritionem eſſe cauſam efficientem ac meritum de congruo remiſsionis peccatorum: Adducit Scripturæ Dicta, Patrum teſtimonia & rationis pondera. De Dictis Scripturæ gloriatur, quòd ſint apertiſsima & ad quorum teſtimonia nullam adhuc legerit noſtrorum reſponſionem.

1. Ez. 18. Vivificabit animam ſuam.

1. Ezech. 18. v. 27. Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam vivificabit. Vivificare animam ſuam utique eſt aliquid facere ad ſuam juſtificationem. Reſp. Deſcribitur in dicto Prophetico pœnitentia ejuſdemque ſalutaria fructus. Pœnitentia deſcribitur à conſequenti videl. ab emendatione vitæ, non quòd formaliter poenitentiam conſtituat vel eandem penitùs abſolvat, ſed quia ejuſdem eſt immediatum conſequens ac indubitatum teſtimonium. Tales deſcriptiones ſynecdochicæ in Scriptura ſunt uſitatiſsimæ, per quas ex parte totum, ex ſigno ſignatum, ex conſequente antecedens intelligitur: ponuntur enim notiora & manifeſtiora ob oculos, ut inde ea quæ oculis minùs ſunt obvia, cognoſcantur, veluti ſi ex fructibus arborem cognoſcere quiſpiam alium doceret. Sic ergo procedimus. Averſio ab impietate locum habere nequit, niſi adſit fides in Chriſtum, ſiquidem *fide purificantur corda* Act. 15. v. 9. *fide datur Spiritus S.* renovationis autor Galat. 3. v. 2. proinde illa ab impietate ad Deum converſio includit fidem in Chriſtum. Fructus poenitentiæ ſtatuitur animæ viviſicatio, eſt autem phraſis Hebræa ſæpiſsimè in Scriptura obvia, vivificabit animam, hoc eſt, vitam ſervabit, non peribit ſed vivet. Ergo nequaquam ex dicto Prophetico elici poteſt, quòd homo ſeipſum poſsit vivificare, cùm ſit *in peccatis mortuus*, Epheſ. 2. verſic. 1. ſed Chriſtus eſt *vita noſtra*, Johan. 14. v. 6. non ſolùm merito ſed etiam efficaciâ, per verbum ipſius ex morte peccatorum in vitam ſpiritualem revocamur. Johan. 5. verſic. 25. ab ipſo, non autem ex nobis vita proficiſcitur, ipſe vivificat, nos vivificamur Exod. 1. verſic. 17. *obſtetrices vivificarunt pueros Iſraeliticos.* Denteronom. 20. verſic. 16. *Non vivificabis ullam animam populorum iſtorum.* Joſ. 2. verſ. 13. *Vivificabitis Patrem meum*, hoc eſt, in vita conſervabitis. Sic Levit. 13. verſ. 13. Johan. 6. verſ. 25. Jud. 21. verſ. 14. Proverb. 17. verſ. 15. vide tract. de lib. arbitr. §. 42. Weigenmeierum in tabb. Gramm. Hebr.

2. Facite vobis cor novum: ibid.

87. 2. In eodem capite per Propheram Deus jubet: *Facite vobis cor novum & Spiritum novum, nimirum per pœnitentiam. Ergo ſi dum convertimur, facimus nobis cor novum, utique converſio erit juſtificationis cauſa.* Reſp. oſtendimus ſuo loco ex præceptis potiùs ἀδυναμίαν quam δύναμιν noſtrarum virium probari poſſe, cum ex lege ſit cognitio peccati. Proinde non poteſt inferri, quòd nobiſmetipſis cor novum ac Spiritum novum facere poſsimus, cùm præcepto illud facere jubeamur, ſed Deus eſt, *qui aufert cor lapideum & dat cor carneum.* Ezech. 11. v. 19. cap. 36. v. 26. *qui creat cor mundum in nobis*, Pſal. 51. v. 12. iſta novi cordis creatio non hominis ſed Dei actio eſt. Adde quòd cum hoc verbo Domini conjuncta ſit Spiritus ſancti operatio, dum enim nos jubet cor renovare, ſimul hoc ipſum per miniſterium verbi & Spiritum ſanctum donat, ut poſsimus quod à nobis requirit. Auguſt. de grat. & lib. arbitr. cap. 15. *Meminerimus ipſum dicere, facite vobis cor novum & Spiritum novum, qui dicit, dabo vobis cor novum & Spiritum novum. Quomodo ergo quòd dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? quare jubet, ſi ipſe daturus eſt? quare dat, ſi homo facturus eſt, niſi quia dat quod jubet & adjuvat, ut faciat cui jubet? per gratiam ſit ut homo ſit voluntatis bonæ qui prius fuit voluntatis malæ.* Vid. tract. de l. arb. §. 71.

3. Ion. 3. Vidit Deus opera eorũ

88. 3. *Jona 3. v. 10. Vidit Deus opera eorum, qui cõverſi ſunt de via ſua mala & miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus eſt ut faceret eis. Hoc loco cauſa redditur, cur miſertus ſit Dominus Ninivitarum, quia converſi ſunt de via mala.* Reſp. fructus ſalutaris pœnitentiæ eſt reconciliatio cum Deo & averſio vel certè mitigatio poenarum, non ratione contritionis, ſed reſpectu fidei in Chriſtum, quâ ſolâ juſtificati pacem habemus, Rom. 5. v. 1. Deſcribitur ergo qualitas eorum quorum miſertus eſt Dominus, quòd fuerint corde contrito & humiliato, quòd converſi ſint de via ſua mala; deſcribitur ordo, quem Deus in miſerando ac ſanando obſervet, non autem meritum vel cauſa, propter quam Deus miſeretur & peccata remittit. *Si enim eſt ex gratia, jam non operibus, alioquin gratia non erit gratia.* Rom. 11. v. 6. addendum tamen quòd per contritionem etiam fide deſtitutam mitigatio poenarum temporalium impetrari poſsit, ut docet Exemplum Achabi, 1. Reg. 21. v. 27. perindeut bona opera non renatorum præmiis temporalibus à Deo remunerantur, ſed gratuitam peccatorum remiſsionem ac juſtitiam Deo placentem ſine vera in Chriſtum fide nemo conſequitur.

4. Pſ. 51. ſacrificium Deo Spiritus contribulatus.

89. 4. *Pſ. 51. v. 19. ſacrificium Deo Spiritus contribulatus: at ſacrificiũ Deũ placare & gratiã impetrare ſolet.* Reſ. quædam ſacrificia ſunt ἱλαστικά quædam εὐχαριστικά, unicũ N. T. ἱλαστικὸν ſacrificium eſt paſsio & mors Filii Dei; piorũ contritio ad ſacrificia Euchariſtica pertinet, non enim *placat Deum*, ſed *placet Deo*. Loquitur a. Propheta

ta Regius de ſalutari piorum contritione, quæ conjunctam habet fidem in Chriſtum, per quam miſericordiæ divinæ participes fiunt verſic. 3. *lætitiam Spiritus conſequuntur* v. 14. *& ſacrificia juſtitia Deo offerunt* v. 21. Proceditur igitur à non diſtributo ad diſtributum in hac collectione Spiritus contribulatus eſt gratum Deo ſacrificium. E. eſt ἱλαςικόν. Si noſtrâ contritione Deum placare poſſemus, cur neceſſe fuit Filium Dei in ara crucis ſe offerre Deo in odorem ſuavitatis? Epheſ. 5. v. 1.

5 Dan. 4 *Redime peccata tua eleemoſynis.*

90. 5. *Dan. 4. v. 24. Peccata tua eleemoſynis redime.* Tob. 12. v. 9. *Eleemoſyna à morte liberat & ipſa eſt, quæ purgat peccata.* Ergo pœnitentes ex congruo per contritionem & eleemoſynas Deum placant. Reſp. 1. analogia fidei docet remiſſionem peccatorum, redemtionem à morte, & vitam æternam eſſe gratuitum Dei donum propter Chriſtum promiſſum ac fide acceptandũ, cui ſententiæ tã multis ac diſertis ſcripturæ teſtimoniis confirmatæ non debent opponi quædam obſcura & impropria ex libris Apocryph. qualis eſt Tobiæ liber, petita, ſed horum obſcuriorum & impropriè dictorum talis quærenda interpretatio, ut cum perpetua ac clara illa ſcripturæ ſententia non pugnent. 2. D. Chemnit. part. 2. Loc. in cap. de paupertate p. 419. diverſas, non tamen contrarias, ſed fidei analogiæ accommodatas dictorum iſtorum explicationes profert. Quidam (inquit) Danielis dictum hoc modo interpretantur, quòd complectatur Propheta doctrinam de pœnitentia ſicut in V. T. uſitatum eſt Eſai. 1. v. 16. *Deſinite perverſè agere.* Pſal. 37. v. 27. *Declina à malo & fac bonum &c.* & brevitas facit obſcuritatem. Certum autem eſt veram pœnitentiam conſtare tribus partibus, contritione, fide & novâ obœdientiâ, ſuadet igitur Regi, ut quia in juſtitiâ & expilationibus ſubditorum peccaverat, oſtendat nunc dignos pœnitentiæ fructus per juſtitiam & beneficentiam. Certum deinde eſt & hoc, quòd converſis & agentibus pœnitentiam promittitur remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna. Evangelium v. addit illuſtrem & perſpicuam explicationem, quòd hæc beneficia donentur, non propter dignitatem operum, vel præteritorum, vel præſentium, vel ſequentium, ſed gratis propter Chriſtum. ac manifeſtè oſtendit, hæc dona in vera poenitentia accipi non contritione nec fructibus poenitentiæ, ſed ſolâ fide, & Daniel in ipſa obſcuriori brevitate expreſſè tamen mentionem facit juſtitiæ fidei. Hactenus Chemnitius cui interpretationi convenit verbum Chaldaicum פְּרֻק Peruk, hoc loco uſurpatum, quod ſignificat abrumpere, ſiſtere, auferre, Geneſ. 27. v. 4. Exod. 32. v. 2. *In juſtitia peccata tua abrumpe*, qualem verò juſtitiam intelligat, patet ex cap. 9. v. 7. *tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei*, v. 18. *non in juſtitiis noſtris proſternimus deprecationes noſtras in conſpectu tuo, ſed in miſerationibus tuis multis,* Fidei ergo juſtitia eſt, per quam à peccatis liberamur, eandemque dilectione & operibus miſericordiæ comprobatam reddere debemus, quibus tamen nihil coram Deo meremur, cùm ſint jam ante DEO debita, cùm ſint imperfecta, nec ulla inter ea & peccata noſtra proportio. 3. Cum hac interpretatione conſentit ea, quam Brentius proponit. Quia eleemoſyna non eſt meritum remiſſionis & vitæ æternæ, nec eſt organum applicationis, ſed fructus poenitentiæ, ideò dicitur à morte redimere & liberare à peccato, quia teſtificatur de fide, ſicut fructus de bonitate arboris. quâ fide accipitur remiſſio peccatorum, & Chriſtus inhabitat in cordibus. Hùc pertinet regula Theologica: *Multa tunc fieri dicuntur, quando facta eſſe manifeſtantur.* 4. Peccata quidam in hoc dicto accipiunt de poenis peccatorum temporalibus, quas certum eſt poenitentiâ mitigari. Neq; Rex quærit, neq; Daniel reſpondet de modo adipiſcendi vitam æternam, ſed de remotione poenæ temporalis. Rex fuerat crudelis Tyrannus, ideò prædicebatur ipſi gravis poena, de cujus remotione ſolicito Regi Propheta reſpondet, eam averti poſſe per beneficentiam in pauperes, docet enim Exemplum Achabi 1. Reg. 21. v. 27. etiam externam non renatorum oboedientiam præmiis temporalibus & averſione poenarum temporalium remunerari. Bellarminus ipſe lib. 4. de poenit. cap. 8. de hoc loco Propherico ſic ſcribit: *Quidam autores volunt ſententiam Danielis eſſe mulcam, ac ſubintelligi alia verba, quibus ad agendam pœnitentiam & quærendam reconciliationem Daniel Regem ſit cohortatus, ac tùm demum addiderit de expianda pœna.* 5. In Apologia Aug. Confeſs. traditur talis interpretatio, quòd eleemoſyna liberet non à culpa præteritorum peccatorum, quorum remiſſionem ſolâ fide in Chriſtum nos conſequi perpetuus eſt Scripturæ conſenſus, ſed à futuris peccatis; dum enim bona opera exercentur, peccata vitantur, vel quòd Deus ſervat ſuos, ne in tragica peccata incidant; huic interpretationi quodam modo conſentit Dictum Cypriani, quod habetur cap. Miror diſtinct. 1. de poenitentia. *Eleemoſyna à morte liberat, non utique ab illa morte liberat, quam ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & à qua nos ſalutaris Baptiſmi & Redemtoris noſtri gratia liberavit, ſed ab ea, quæ per delicta poſtmodum ſerpit.* 6. Tobiæ liber eſt extra Canonem, poſſunt tamen per mortem intelligi poenæ peccatorum temporales, quas Deus ſepè tollit aut mitigat, quando erga egentes ex fide & charitate benefici ſumus. Pſal. 41. v. 2. *Beatus qui intelligit ſuper egenum*, v. 4. *Dominus fulciet eum in lecto doloris.*

6. *Luc. 7 Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.*

91. 6. *Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Hoc loco dilectio ſive contritio ex dilectione, quam lachrymæ teſtabantur, apertiſſimè dicitur cauſa remiſſionis peccatorum, ſiquidem particula illa, Quoniam, cauſalis eſt. Reſponſ. particula ὅτι non eſt cauſalis, ſed rationalis ſive ratiocinativa: Quemadmodum dicimus: læſus eſt multùm, quia iraſcitur multùm; ita Chriſtus etiam ab effectu ad cauſam antegreſſam declarandam ratiocinando progreditur. Dilexit multùm, Ergò remiſſa ei ſunt peccata multa, perinde ut 1 Joh. 3. v. 14. Apoſtolus argumentatur: *Scimus quod de morte translati ſumus in vitam, quia fratres diligimus*, ubi itidem ex effectu demonſtratur cauſa. Hanc eſſe genuinã verborum Chriſti ſententiam probamus. 1. Ex reipſa. Dilectionem noſtram non eſſe cauſam dilectionis divinæ & remiſſionis peccatorum evidenter docetur 1. Joh. 4. v. 20. *In hoc eſt caritas,*

non

non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum Redemtorem. Ac ſi dilectio noſtra eſſet cauſa remiſſionis peccatorum, aut eſſet cauſa inſtrumentalis aut meritoria. Cauſa inſtrumeotalis dici nequit, cùm promiſſio Evangelica de remiſſione peccatorum aptehendatut fide, non áutem dilectione. Sed nec meritoria eſſe poteſt, ubi n. locum habet meritum pro peccatis, ibi excluditur gratuita eorum remiſſio. 2. Ex circumſtautiis textus v. 42 docet Chriſtus peccata, ſpiritualia debita noſtra remitti gratis, cùm non ſimus ſolvendo, quomodo ergo dilectio hujus fœminæ poteſt dici meritoria cauſa remiſſionis? verſ. 50. fidei tribuitur, quòd per eam ſervata ſit hæc fœmina & pacem conſcientiæ aſſecuta; ex v. 42. apparet ſcopum Parabolæ eſſe, ut oſtendatur, eum debitorem plus diligere, cui plus remittitut, quòd ſi dilectio ſtatueretur cauſa remiſſionis peccatorum, Parabola Chriſti foret inepta, quòd abſit. verſic. 47. immediatè ſequitur, cui paululum remittitur, is minus etiam diligit, ubi ipſa peccatorum remiſſio dilectionem præcedere dicitur. Effectus igitur ejus eſſe nequit, ex quibus verbis etiam hoc apparet præteritum *dilexit* conſuetudine Hebraicâ poſitum eſſe pro præſenti, hoc ſenſu: *remiſſa ſunt ei peccata multa, quia diligit multum.* 3. ex teſtimonio graviſſimorum Interpretum. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 116. hinc oſtendit, plus *Deum diligi ab eo, cui plura peccata adimittuntur.* Baſil. in conc. de Baptiſm. *ἵνα ὀφείλοντι πολὺ, πολὺ καὶ ἀφιθήσεται ἵνα περισσότερον ἀγαπήσῃ.* Ambroſ. l. 6. in Lucam pag. 79. *Reddamus licet crucem pro cruce, funus pro funere, nunquid reddimus, quod ex ipſo & per ipſum, & in ipſo habemus omnia? reddamus ergo amorem pro debito, caritatem pro munere, gratiam pro ſanguinis pretio. Plus enim diligit, cui donatur amplius.* Theoph. in h. l. *ὅτι ἠγάπησε πολὺ τὸ πίστιν, πίστιν ἐνεδείξατο πολλήν.* Lyra in hunc locum. *Particulam Quoniam non cauſaliter ſed conſecutivè intelligendam eſſe* dicit. **Gregor. in comm. Loc. 7. quemadmodum à Thoma hom. 33. in Evang. affertur. *Utrorumque debito dimiſſo, quis amplius largitorem debiti diligat Phariſæus interrogatur* (Vides Gregorium hunc locum de dilectione quã debiti remiſsionem ſecuta eſt interpretari) Ambr. in h. l. *Quoniam nihil eſt, quod digne Deo referre poſſimus va mihi ſi non dilexero. Audeo dicere non reddidit Petrus & ideo plus dilexit, reddamus erga amorem pro debito, caritatem pro munere, gratiam pro ſanguinis precio.* Canus l. 12. c. 12. ea de loco iſto literis coóſignavit quã opinionem Pontificiorum ita evertunt, ut ea de induſtria ſcripſiſſe videatur. **Quid quòd evidentia textus quoſdam Pontificios Scriptores idem fateri coëgit, quos Stapletonus in ſuis Antidotis ſugillat. Certè Didacus Stella ſic vertit: *idcirco dilexit multùm,* manifeſtè noſtram probans ſententiam. **Salmeron tom. 1. pag. 327. *Quia, quoniam, conjunctiones ſunt cauſam reddentes vel à priori, ut frequenter faciunt, vel à poſteriori, juxta illud. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniã dilexit multùm, probat remiſſionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magna, Simile eſt illud* Pſal. 17. v. 6. *Ego clamavi quoniam exaudiſti me, id eſt, effectus promta exauditionis tua reddit me clamoſum in precibus non dubitantem de exauditione.*

92. Patrum teſtimonia, quæ Bellarminus affert, in quibus *pœnitentia Deum mitigari & placari, lacbrymis peccata ablui contritionem mereri veniam &c.* aſſerunt, non ſunt ejuſdem generis. 1. intelligenda enim ſunt de ſalutari pœnitentia, cui conjuncta eſt fides in Chriſtum Mediatorem, cujus ſolius *ſanguis mundat nos ab omnibus peccatis* 1. Johan. 1. v. 7. 2. in genere loquendi homiletico & ad pœnitentiam hortatorio verſantur, ideoque vehementiùs quandoque rhetoricantur. Sixt. Senenſis lib. 6. Biblioth. annotat. 152. *Concionatorum verba non ſemper eo rigore accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt, multa enim per hyperbolen enunciant & inculcant vel occaſione locorum, perſonarum, temporum adducti, vel affectionum impetu vel orationis curſu rapti.* Chryſoſtomo hoc interdum contingere agnoſcit Barrhad. tom. 1. in Concord. Evang. liber 8 cap. 6. 3. Petrus Caniſius lib. 2. de virg. Deipara c. 16. agnoſcit verbum merendi à Patribus laxius uſurpari, quâ de re plura ſuo loco. Et recognoſcat Bellarminus ſua verba lib. 2. de gratia & lib. arbitr. c. 14. in reſp. ad 3. *Patres cùm ad populum verba facerent, ea dicebant, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad opera bona.* 4. alibi commodiùs loquuntur & ſententiam ſuam disertè explicant. Chryſoſt. hom. 80. ad pop. Antioch. *Ne tua confidas pœnitentia, tua namque pœnitentia tanta nequit delere peccata, ſi ſola foret pœnitentia, jure timeres, ſed poſtquam cum pœnitentia commiſcetur fides & Dei miſericordia, confide quoniam tuam vincit nequitiam ſola Dei gratia.* Idem in hypomn. in Eſa. *Dixerit aliquis, licetne per pœnitentiam conſequi ſalutem? prorſus licet. Cùm omnem vitam in peccatis contriverim fiamne ſalvus ſi me pœnituerit? prorſus fies. Id unde? ab ipſa Domini tui erga nos benignitate non ex tua pœnitentia. Pœnitentia enim tua non prævalet tantam abſtergere maculam.* Hilar. in Pſal. 66. *Deus ex copia bonitatis ſua miſericordiam in peccatorum remiſſione largitur & peccatorũ remiſſio nõ eſt probitatis meritũ, ſed ſpontanea indulgentia.* Greg. l. 1. in Ezech. hom. 7. *Juſtus advocatus noſter juſtos nos defendet in judicio, quia nosmetipſos & cognoſcimus & accuſamus injuſtos, non ergo in fletibus, non in actibus noſtris, ſed in advocati noſtri allegatione confidamus.* Gloſſa de pœnit. diſt. 1. cap. 1. *Si ſubtiliter intueamur, gratia Dei, non contritioni attribuenda eſt peccatorum remiſſio.*

Dicta Patrum.

93. Denique rationes affert Bellarminus duas 1. *Oratio peccatoris placat Deum ac veniam impetrat. Ergo multò magis converſio, quæ eſt orationis cauſa, non erit inanis, ſed aliquid faciet ad remiſſionem impetrandam.* 2. *Actus pœnitentia eſt à Spiritu S. & ad juſtificationem diſponit. Ergo ſuo modo erit cauſa juſtificationis, neque enim S. ſanctus per hujuſmodi actum nos diſponens, nihil facit, aut nullius precii ſive meriti eſt, quod facit in ordine ad juſtificationem.* Reſp. 1. quis verò noſtrûm dicit, vel converſionem vel orationem eſſe inanem? imò verò ſalutaris converſio & ex fide perfecta oratio ſunt requiſita noſtræ cum Deo reconciliationis ac peccatorum remiſsionis. 2. Interim tamen ſua cuique converſionis parti aſſerenda eſt proprietas. Contritio eſt fidei anteãbulo, per quam cor hominis

Rationes.

minis à Spiritu ſancto præparatur, ut ſit capax gratiæ divinæ. Fides in Chriſtum eſt organum illud ληπτικὸν, quo cor contritum ac humiliatum promiſſionem Evangelicam de remiſſione peccatorum gratuita amplectitur. Bona opera ac nova obœdientia ſunt fructus fidei adeoque totius converſionis. 3. Oratio non per modum meriti peccatorum veniam impetrat, ſed quia procedit ex fide miſericordiæ divinæ & merito Chriſti innitente. Ergo quòd Deus placatur piorum oratione, illud rectè intelligendum eſt, non quòd ipſa hujus actionis dignitas, vel utloquuntur, opus operatum mitiget iram Dei, nam ſi id eſſet meritum hujus operis, cur multiloquium in oratione rejiceretur, & cur oratio fieret aliquoties in peccatum? nec ita intelligendum eſt, quòd Chriſtus infundat ſuum meritum noſtræ orationi, ut ipſa ſit placatio cœleſtis iræ & expiatio pro peccatis, ſed quia fides exerit ſeſe per preces, intuetur promiſſiones Dei, quibus roboratur ac confirmatur, apprehendit Chriſtum, propter quem ſolùm Deus nobis invocantibus eſt propitius, & quia Deus invenit in nobis Chriſtum per fidem, ideò in nos ipſum invocãtes effundit omne genus beneficiorum non propter invocationis meritum, ſed propter Chriſti meritum. Vide Apol. Conf. Witteb. cap. de contritione pag. 517. 4. omnia renatorum bona opera ſunt à Spiritu ſancto, quia ſunt fructus Spiritus, & tamen juxta Apoſtolum fide ſine operibus juſtificamur, quâ de re plura dicentur in articulo de juſtificatione.

An contritio remittat peccata ante abſolutionem. 94. Octava controverſia eſt, *An contritio perfecta cum voto Sacramenti conjuncta remittat peccata ante Sacerdotis abſolutionem*, ad quam Bellarminus libri hujus 2. de pœnitentia cap. 13. affirmatè reſpondet. Nos contritionem ſalutarem, hoc eſt, cum fide in Chriſtum & ſerio vitæ emendandæ propoſito conjunctam ad peccatorum remiſſionem obtinendam ſufficere judicamus, ſi vel maximè in caſu neceſſitatis abſolutio Sacerdotis non accedat, quæ tamen fidei confirmandæ ergò, ſi haberi poteſt haudquaquam negligenda. Neque hoc negatum it D. Chemnitius, quòd à Bellarmino ipſi tribuitur, ſed contritinnem ſolam, abſque fide in Chriſtum, quæ verbo abſolutionis confirmatur, ad peccatorum remiſsionem ſufficere negat, contritionem in hac vita perfectam eſſe negat, per eandem peccatorum remiſsionem obtingere negat, quod & nos negamus. Contradicit a. ſibi Bellarminus, hoc n. loco diſputat, contritionem ſi perfecta ſit & votum Sacramenti Baptiſmi aut Abſolutionis adjunctum habeat, omninò reconciliare hominem Deo & peccata remittere, etiam antequam Sacramentum reipſa percipiatur, idque multis argumentis probat & contrarias rationes refellit, poſteà v. lib. 3. de pœnit. cap. 3. col. 1349. apertè ſcribit contrarium: *Si non eſſent*, inquit, *Sacerdotes judices, nec verè peccata remitterent, ſed ſolùm annunciarent eſſe remiſſa, nemo perterret ex eo ſolùm, quòd Sacerdotem reconciliantem habere non poſſet, qui enim credit ex ſententia adverſariorum, jam habet remiſſionem, etiamſi nemo ſit, qui id verbis proteſtetur. At S. Auguſtinus in Epiſt. 180. ad Honoratum apertè ſcribit aliquot reconciliari cupientes & proinde in Chriſtum credentes in æternum perire, quòd ante moriantur, quàm à Sacerdote abſolvi potuerunt.* Hactenus Bellarminus apertiſsimè ſibi contradicens.

An omnia peccata verè pœnitentibus remittantur. 95. Nona controverſia eſt, *an omnia peccata verè pœnitentibus remittantur*, quod rectè affirmat Bellarminus caput. 15. contra Novatianos, cùm Spiritus ſanctus non ſolum abſque ulla exceptione peccatorum omnium remiſsionem verè pœnitentibus promittat, Ezech. 18. v. 22. c. 36. v. 25. & alibi paſsim, ſed etiam *gratiam ſuper peccata exuberare* diſertis verbis teſtatur Rom. 5. v. 20. adde quòd meritum & ſatisfactio Chriſti pro peccatis noſtris præſtita ſint infiniti ponderis ac valoris. Origenes lib. 2. in Jobum: *Omne peccatum per indulgentiam veniam accipiet, & omnis qui ſincerè pœnituerit, remiſſionem & miſericordiam à Deo conſequetur & inveniet.* Hilar. can. 18. in Matt. *Non eſt fas nos ex præſcripto legis dandæ veniæ numero concludi, cùm per Evangelii gratiam ſine modo nobis à Deo fuerit indulta.* Ambroſ. l. 1. Ep. 3. *Tantæ pietatis eſt Dominus, ut & ipſi Judæ donâſſet veniam, ſi Chriſti expectâſſet miſericordiam.* Gregor. in cap. 6. Job. *Verâ pœnitentiâ quamvis multa & graviſſima ſint peccata, per miſericordiam Dei facilè relaxantur.* Mar. Victor. *Nulla eſt hominis tam dira nefandi culpa, Deus quam non animo clementi remittat, ſi modò pœniteat facti &c.* Quæ de peccato in Spiritum ſanctum quod eſt irremiſsibile, Bellarm. c. 16. diſputat, ſuum habuerunt ſuperius locum in tract. de peccatis actual. §. 107. & ſeqq.

An contritio imperfecta ſit bona. 96. Decima quæſtio eſt *de contritione imperfecta ſive attritione, quæ oritur ex timore ſervili, an ſit bona?* intelligitur autem ſervilis timor, quo peccator Deum minantem ac punientem ita fugit, ut ſolius pœnæ ſugiendæ causâ à peccatis perpetrandis caveat, & de perpetratis doleat, hunc Bellarminus cap. 17. bonum ac utilem eſſe & à Deo excitari probat. Reſp. terrores ex comminationibus legis & ſenſu pœnarum in conſcientia orti ſunt principium converſionis, quo reſpectu boni ac utiles dici poſſunt, (Aug. tract. 9. in 1. Epiſt. Johan. dicit, *timorem pœnarum ita inducere caritatem, ſicut ſeta ſutoris introducit linum*) per accidens igitur utiles ſunt, ſive potius fiunt, accedente ſcil. per divinam gratiam fide & charitate, ideò addit Auguſt. *Seta primò intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum, ſic timor primò intrat, non autem manet, quia perfecta caritas foras mittit timorem*, interim tamen illi ipſi terrores converſionem non abſolvunt, nec per ſe ac ſuâ naturâ utiles ſunt, ſed oportet ut accedat fides, quâ conſcientiâ iterum erigitur, ne à terroribus ac pavoribus iſtis in deſperationem homo abripiatur. Accedente igitur fide ex timore ſervili fit timor filialis Deo placens, qui ex amore Dei ac juſtitiæ peccatum odiſſe ac deteſtari incipit, in quo conſiſtit quotidiana renatorum pœnitentia. Servilis timor ex libero arbitrio metu tantùm pœnæ ortus, ſi ſolus ſit, hominem facit hypocritam ac proinde Deo placere nequit, cùm per illum homo fugiat Deum, ac tacito quodam odio eum interiùs in corde ſuo proſequatur. Auguſt. lib. 1. ad Bonif. cap. 9. *Aliud eſt voluntate benefaciendi benefacere, aliud autem ad malefaciendum ſic inclinari, ut hoc faceret, ſi impunè poſſet: & ſic profectò in ipſa intus voluntate peccat qui non voluntate, ſed timore non peccat.* Id. l. 3. ad Bonif.

Boniſ. cap. 4. *Qui carnali metu pœna aliquid facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit, mavult enim omnino non facere, ſi permittantur impunè, atque per hoc in ipſa voluntate intus reus eſt, ubi ipſe, qui præcipit, inſpicit Deus.* Epiſt. 144. ad Anaſt. *Inaniter putat ſe victorem peccati, qui pœna timore non peccat. Quia etſi foris non impletur negotium cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis.* Quando Lutherus pronunciat contritionem ex timore ſervili ortam atque à fide ſejunctam, facere hominem hypocritam & magis peccatorem, quid aliud dicit, quàm quòd Apoſtolus Rom. 7. v. 13. *Peccatum per legem fieri ſupra modũ peccans peccatum. v. 8. gignere in homine omnem concupiſcentiam,* verſ. 9. *per legem reviviſcere &c.* interim non ſimpliciter & abſolutè improbat Lutherus ſervilem illum timorem ſive attritionem (ut agnoſcit Epiſcopus Roffenſis art. 5. adv. Lutherum) ſed pugnat contra Sophiſtas, qui ſtatuunt pœnitentem ex attrito virtute abſolutionis fieri contritum & ſic juſtificari. Cur autem hoc nomine Bellarminus Lutherum accuſat, cùm Gregor. de Valent. tom. 4. in Thom. diſp. 7. q. 2. puncto 3. disertè ſcribat: *Nos aſſerimus ſi quis propter pœnas tanquam propter maximum quod horret malum ſummèq; avertendum de peccatis doleret, omnino fore malum, quoniam oriretur ex perverſiſſimo ſui amore.*

Confeſſio. 97. Atque hæc dicta ſint de contritione, de confeſſione ſequitur. Confeſſio, de qua hoc loco quæritur, in genere eſt peccatorum manifeſtatio. (Auguſtinus vocat *confeſſionem fraudis*, eandemque à *confeſſione laudis* diſtinguit. Vide enarrationem Pſal. 49. & 115. ubi inter confeſſionem laudantis & gementis diſtinguit.) ** Lutherus in der Warnungsſchrifft an die zu Fräckfurt am Mayn Anno 1533. tom. 6. Germ. Jen. f. 109. a. §. Und ſolches. Beichten iſt ein alt deutſch wort / mit zweien u geſchrieben / welches mit der Zeit in ein i. iſt verwandelt vnd Beicht außgered worden / wie viel andere Teutſche Wörter mehr alſo verdorben ſind. Von welchem alten Teutſchen worte Bejichten die H. Biſſchoffe Confeſſores, Bejichter / das iſt / Bekenner genennet worden / dann Beichten heiſt bekennen / wie auch im Gericht das wort noch in ubung iſt Vrjicht / vnd die art zureden / das jicht er / das hat er bejicht / bejahet. ** Reſpectu efficientis hoc modo dividi poteſt, ut quædam ſtatuatur *publica*, quædam

Publico. *privata.* Publica confeſsio eſt, quâ tota communio præeunte miniſtri voce peccata ſua confitetur, eorumque remiſsionem petit, ſive id fiat ordinariè in quotidianis precibus ſive extraordinariè in publicis calamitatibus vel præſentibus vel impendentibus. Levit. 16. v. 21. *Imponet Aaron ambas manus ſuper caput hirci & confitebitur ſuper illud omnes iniquitates filiorum Iſrael & omnes prævaricationes eorum cum omnibus peccatis eorum, & ponet illa ſuper caput hirci.* Fagius in paraph. Chald. illius loci refert Formulam in Confeſsione illa à Sacerdote pronunciari ſolitam. *O Domine peccaverunt, iniquè egerunt, prævaricati ſunt coram te populus tuus domus Iſrael. Obſecro Domine, remitte nunc peccata & iniquitates & prævaricationes, quibus peccaverunt, iniquè egerunt & prævaricati ſunt coram te populus tuus domus Iſrael, ſicut ſcriptum eſt in lege Moſis ſervi tui.* 1. Sam. 7. verſic. 6. *Iſraëlitæ hauriunt aquam, & effundunt eam coram Domino, ac jejunant die illâ dicentes. Peccavimus Domino* Nehem 9. verſic. 1. *Filii Iſraël congregaverunt ſe in jejunio & cum ſaccis.* v. 2. *& ſteterunt & confeſſi ſunt peccata ſua & iniquitates Patrum ſuorum.* Danielis 9. verſic. 5. *peccavimus, iniquitatem fecimus & impiè egimus, ac rebellavimus & receſſimus à mandatis tuis & judiciis tuis.* Vide etiam Jud. 10. v. 10. 2. Paral. 30. v. 15.

98. Privata confeſsio eſt, quâ privatus quiſpiam peccatum ſuum confitetur. ** Tres ſunt *Privato.*
ſpecies Confeſsionis. 1. quâ coram DEO totam noſtram vitam peccati accuſamus hanc, Lutherus tom. 3. Jen. Germ. in Hiſt. Leonh. Keiſers f. 443. b. vocat eine Glaubensbeichte. 2. quâ proximo offenſo noſtess transgreſsiones fatemur & cum ipſo reconciliari quærimus, das iſt eine Liebesbeichte / Matth. 6. v. 35. Jacob. 5 v. 3. qua *miniſtro Eccleſiæ* vel in caſu neceſsitatis cuivis Chriſtiano peccata noſtra fatemur, ut conſolationem accipiamus. Das iſt die Rathß oder Kirchenbeichte. ** Aliàs reſpectu objectorum quadruplex conſtitui poteſt, vel n. fit coram Deo vel coram tota Eccleſia, vel coram Eccleſiæ miniſtro, vel coram proximo. Privata confeſsio coram Deo eſt, quâ quis ex corde contrito & humiliato peccata ſua in quotidianis precibus Deo confitetur, ac remiſsionem illorum per Chriſtum petit. Pſal. 32. v. 5. *Peccatum meum notum feci tibi & iniquitatem non operui; dixi, Confitebor adverſum me prævaricationes meas Domino, & tu dimiſiſti iniquitatem peccati mei,* (non operui, ſed aperui, ut operires. Cùm homo peccatum detegit, Deus tegit, cùm verò celat, Deus nudat) 1. Joh. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra, ipſe fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Privata coofeſsio coram tota Eccleſia eſt, quâ privatus quis delictum ſuum, quo Eccleſiam offendit, publicè confitetur. Hæc primitivæ Eccleſiæ potiſsimùm fuit uſitata, ut ex Irenæo, Tertulliano ac Cypriano conſtat. Cùm n. poſt Apoſtolorum tempora divulgata in omnes populos Evangelii prædicatione Magiſtratus politicus nondum Eccleſiæ Chriſtianæ nomen dediſſet, & verò inter Chriſtianos publica ſcandala ſæpiùs exorirentur, ibi ad conſervandam diſciplinam, & ad occurrendum publicis ſcandalis confeſsionem peccatorum publicam, quam ἐξομολόγησιν vocabant, à lapſis exegerunt, quin & pœnas quaſdam eis impoſuerunt, quibus veram ſuam pœnitentiam teſtatam redderent, & pro ſcandalo Eccleſiæ ſatisfacerent. Vide B. Rhenanum in annotat. in Tertullianum de pœnitentia. Hæc Confeſsio coram Eccleſia facta ſubdividi poteſt in voluntariam & coactam. Voluntaria eſt, quâ rei enormium delictorum ſeipſos ſponte apud Præſules Eccleſiæ deferebant, ac delicta ſua publicabant, externis ſignis ſeriam contritionem teſtati ac vitæ emendationem polliciti. Coacta eſt, qua rei publici criminis, & tamen id confiteri erubeſcentes, ac pœnas ſuſcipere detrectantes, ab Eccleſia compellebantur ad publicam ἐξομολόγησιν Iren. lib. 1. adv. hæreſ. c. 9. mentionem faciens mulierculatum à Marco Valentiniano ſeductarum, quæ factum ſuum confiteri noluerũt, dicit, ꝙ ἐπαμφοτερίζουσι καὶ τὸ τῆς παροιμίας πεπόνθασι,

θαοι, ὅτι ἴξω, ὅτι ἴσω. Euſeb. lib. 6. cap. 2. commemorat de Philippo Gordiani filio cùm in Eccleſia populi precibus communicare vellet, quòd non ſit ab Epiſcopo permiſſus, niſi priùs confiteretur. Ad hanc confeſſionis ſpeciem quodammodo referri poſſunt Exempla Achani, à quo publicam delicti confeſſionem Joſua exigit capit. 7. v. 19. & inceſtuoſi Corinthii, quem Apoſtolus per excommunicationem adegit ad publicam peccati deprecationem 1. Cor. 5. v. 5. 2 Cor. 2 v. 7. quemadmodum ad priorem confeſſionis ſpeciem, quodammodo referri poteſt Exemplum mulieris peccatricis, quæ in locum convivii progreſſa lachrymis peccatum ſuum fatetur, Lucæ 7. v. 38. Privata confeſſio coram Eccleſiæ miniſtro eſt, quâ peccator coram Eccleſiæ miniſtro peccata ſua in genere, vel certa quædam in ſpecie, imprimis ea, quibus conſcientia ipſius angitur & propter quæ conſilio ac conſolatione indiget, humiliter confitetur, ac abſolutionem in Chriſti nomine ſibi conferri petit, ad hanc confeſſionis ſpeciem quodammodo referri poſſunt Exemplum Davidis, qui ad Prophetam Nathanem dicit: *Peccavi Domino* 2. Sam. 12. v. 13. & Iſraelitarum iſtorum, *qui baptizabantur a Iohanne confitentes peccata ſua* Matth. 3. v. 6. Privata confeſſio coram proximo nihil aliud eſt, quàm mutua & fraterna reconciliatio, quâ is, qui proximum verbo vel facto offendit, pœnitentiâ ductus ſe peccâſſe confitetur, ſibiq́ue ignoſci petit. Matth. 5. v. 23. *Si attuleris munus tuum ad altare, & illic memineris, quod frater tuus habeat aliquid contra te,* verſ. 24. *omitte illic munus tuum coram altari, & abi, primùm reconciliâre fratri tuo.* Matth. 18. v. 22. Luc. 17. v. 4. non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties fratri in nos peccanti ac deprecanti remittendum eſſe Chriſtus docet. Jacob. 5. v. 16. Confitemini invicem peccata veſtra & orate alii pro aliis.

An improbetur confeſſio. 99. Hæ confeſſiones ſpecies omnes ac ſingulæ à nobis non ſolùm non improbantur, ſed etiam commendantur. 1. Publica peccatorũ confeſſio coram DEO in Eccleſiis noſtris ſingulis diebus Dominicis recitari ſolet ac publicis Eccleſiæ precibus conjungi. 2. Privata peccatorũ coram DEO confeſſio ſingulis diebus, imò horis neceſſaria eſt, quam toties verè pii faciunt, quoties ex inſtituto Chriſti precantur, *Domine, dimitte nobis debita noſtra.* Hujus confeſſionis neceſſitas patet 1. ex divino mandato, Num. 5. v. 7. *Confitebuntur peccatum ſuum.* Eſdræ 10. v. 11. *Confitemini Domino Deo veſtro.* Nehem. 1. v. 6. *Confitere peccata filiorum Iſrael.* 2. Ex promiſſione divina, Prov. 28. v. 13. *Qui tegit ſcelera ſua, non aget proſperè, qui verò confitetur & derelinquit, miſericordiam conſequetur* 1. Johan. 1. v. 9. *Si confiteamur peccata noſtra fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata.* 3. Ex verè pœnitentium Exemplis: 2. Sam. 12. v. 13. cap. 24. v. 10. 1. Paral. 22. v. 17. Pſal. 32. v. 5. Pſal. 41. v. 5. Pſal. 51. v. 6. &c. 4. Ex periculo, quod conſequi ſolet omiſſam confeſſionem Pſal. 32. v. 3. *Cum tacui inveteraverunt oſſa mea.* 3. Nec improbamus publicam ἐξομολόγησιν eorum, qui enormibus & atrocibus delictis Eccleſiam offenderunt, quin potiùs ad conſervandam diſciplinam Eccleſiaſticam, ad explorandam prolapſorum pœnitentiam & ad occurrendum publicis ſcandalis apprimè utilem eſſe dicimus. 4. Privata coram Eccleſiæ miniſtro confeſſio, quam auricularem vocant, quamvis non habeat expreſſum ac ſpeciale mandatum, ac proinde non ſit abſolutæ neceſſitatis, tamen cũ plurimas præſtet utilitates paulò pòſt enumerandas ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ pars ſit non poſtrema, publico Eccleſiæ conſenſu recepta, ideò nequaquam temerè vel negligenda vel abroganda, ſed piè ac in vero Dei timore, præſertim ab illis, qui ad ſacram Synaxin accedunt, uſurpanda. 5. Deniq; fraternam illam reconciliationem non tantùm utilem, ſed etiam neceſſariam dicimus, utpote ab ipſo Chriſto tàm ſeriò requiſitam. Cùm Chriſtiani ſint fratres, ideò perpetuum inter illos vigere debet feſtum propitiationis.

100. Quæ verò ſunt utilitates iſtæ, quas præſtat privata coram Eccleſiæ miniſtro confeſſio, & quæ ſunt illæ cauſæ, propter quas in Eccleſiis noſtris retinetur? Plures omninò eædemq́ue ſatis prægnantes. *Utilitates confeſſionis coram miniſtro Eccleſiæ.* Retinetur enim 1. propter ſpecialem abſolutionem ac territarum conſcientiarum conſolationem. Quando Chriſtus Apoſtolis & ipſorum ſucceſſoribus poteſtatem dat remittendi peccata Matth. 18. v. 18. Johan. 20. v. 22. non ſolùm publicum Evangelii præconium ipſis cõmendat, ſed etiam in ſpecie verè pœnitentibus peccatorum remiſſionem annunciari jubet. Generaliter enim pronunciat, *Quicquid ſolveritis in terra, ſolutum erit in cœlo: Et quorumcunque remiſeritis peccata, remiſſa erunt.* (Sicut & Nathan Davidi 2. Sam. 12. v. 13. Chriſtus Paralytico Matthæi 9. v. 2. & mulieri peccatrici Luc. 7. v. 48. in ſpecie remiſſionem peccatorum annunciant.) Proinde ritus privatæ abſolutionis non modò publicum teſtimonium eſt hujus articuli, quòd lapſi reſipiſcentes ab Eccleſia ſunt recipiendi (quo ipſo Petrus Alexandrinus refutavit Meletium, deliria Catharorum amplectentem teſte Epiphan. hæreſ. 68.) ſed & territis atque anxiis conſcientiis mirificam conſolationem præſtat. Quamvis enim promiſſio Evangelii in genere pertineat ad omnes verè contritos & contractos, interim tamen teneræ & peccatorum ſenſu contritæ conſcientiæ non poſſunt ſemper firmâ fide ſtatuere, ad ſe quoque Evangelicam promiſſionem pertinere, ideoque peccatorum remiſſio in ſpecie ipſis denunciata, non poteſt non mirum in modum illas erigere. 2. Propter neceſſariam explorationem, an quis ad Euchariſtiam admittendus ſit nec ne? Cùm enim Apoſtolus graviter moneat, ut quilibet ſeriò ſeſe probet, qui de illo pane Euchariſtico manducare, & ex calice Euchariſtico bibere velit, *ne judicium ſibi manducet ac bibat, adeoque reus corporis & ſanguinis Domini fiat.* 1. Cor. 11. v. 28. & 29. ideò acceſſuris ad ſacram Synaxin debira præparatio ſummè neceſſaria eſſe conſtat; jam verò rudiores probationis ac præparationis modum ignorant, illi ergo in privata confeſſione informandi ſunt ac de peccatorum atrocitate, iræ divinæ gravitate, ſatisfactinnis à Chriſto præſtitæ dignitate; de vera corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra cœna præſentia, vera pœnitentia omnibus acceſſuris neceſſaria, & ſeria vitæ emendatione graviter admonendi. Viciſſim cùm miniſtri Eccleſiæ ſint *Diſpenſatores myſteriorum Dei* ab ipſo Chriſto conſtituti, 1. Cor. 4. v. 1. & ſeriò illis incumbat, cavere, *ne ſacrum detur canibus ac margaritæ projiciantur porcis* Matth. 7. v. 6. *Cumq́; non tantùm is ſit reus corporis & ſanguinis Chriſti, qui indignè*

accedit, ſed etiam qui ſciens ac volens indignis porrigit, docente Cypriano ſerm. 5. de lapſis, adeò ut Chryſoſtom. *ſuum profundere ſanguinem, quàm ſancta Domini contemtoribus divini judicii reis diſtribuere malit*, hom. 83. in cap. 26. Matth. ideò explorationem illam etiam miniſtro Eccleſiæ ſummè neceſſariam eſſe relinquitur. 3. propter debitam eorum qui ad ſacram Synaxin accedunt, præparationem. Cùm enim non omnes eodem animo, eodemque fine accedant, ideò rudiores in hac privata confeſſione poſſunt admoneri, cùm huc colloquium ſit vice examinis catechetici, in quo profectus auditorum exploratur; torpentes excitari, delinquentes corrigi, tentatis conſilium dari & omnes Eccleſiaſtici miniſterii partes ſingulis adminiſtrari juxta Exemplum D. Pauli Actor. 20. v. 31. *Scitis, quòd per triennium nocte ac die non ceſſaverim cum lachrymis monere unumquemque veſtrûm.* Præſtò etiam ſunt exempla eorum, qui non ſolùm coram Deo, ſed & coram miniſtro peccata ſua confeſſi ſont. Numer. 14. v. 40. 1. Regum. 8. v. 47. 2. Paral. 6. v. 37. 2. Samuel. 12. v. 13. Matth. 3. v. 6. ** *Weigeliani.* 1. confeſſionem & abſolutionem privatam prorſus rejiciunt. Vide Weigeliũ part. 2. Poſtil. p. 297 246. 2. nullum hominem abſolvere poſſe, ſcribunt. Vide Weigel. l. alleg. p. 291. 295. 3. in cujusvis hominis poteſtate eſſe remiſſionem peccatorum modò ipſe remittat proximo ſuo docent. Vid. eund. l. cit. p. 354. 358. Privatæ quoque confeſſioni & abſolutioni iniqua eſt *Calvinianorum.* 1. Theoria. Vide Calvin. in def. ſecund. contra Weſtphalum p. 712. Genev. 1593. & alios. 2. Praxis perluſtra Eccleſias reformatas. 3. Hypotheſis, Deum non remittere peccata verè & efficaciter per homines, ſed ex ſe & per ſe, id eſt immediatè, & ſicubi Scriptura Evangelio & Sacramentis tribuat remiſſionem peccatorum, *intelligendum id eſſe, prout ratio vocabulorum ἀπὸ τ... refert, quæ ita comparata eſt, ut in inſtrumentis, honeſtandi eadem gratia, tribuantur effecta, quæ alioquin propria ſunt cauſæ efficientis.* Beza part. 1. reſp. ad colloq. Mõpelg. p. 31. part. 2. reſp. p. 115. 116. Gryn. in præf. Theor. Theol. ad Joachim. à Berga in diſput. Heidelb. Ann. 84. theorem. 6. aphor. 4. 4. inevitabilis abſoluti decreti neceſſitas, quam qui defendit, cogitur ſtatuere, confeſſionem & abſolutionem ſaltem quoad reprobos, ex intentione Dei eſſe inefficacem. Calv. 3. Inſtit. c. 24 n. 13. Piſc. ad duplic. Vorſtii part. 1. p. 25. &c. Sed privatam confeſſionem in Eccleſiis noſtris retinemus. 1. *propter Scripturæ autoritatem.* Exempla ſunt Gen. 3. in Adamo. 2. Sam. 12. in Davide, Matth. 9. in paralytico Actor. 16. in præfecto carceris. 2. *propter typorum claritatem.* Num. 5. ſi vir, vel mulier peccaverit Lev. 14. leproſi in ſpecie aſpergi jubentur. 3. *propter miniſtrorum commoditatem*, ne ad cœnam admittantur publicis flagitiis infames, 4. *propter auditorum utilitatem*, ut territę conſcientię cõſolatione erigantur.**

101. Inde profluunt honorifica illa privatæ confeſſionis præconia, quæ extant apud Origenem, Cyprianum, Hieronymum, Chryſoſtomũ, Baſilium, Auguſtinum, & reliquos. Ex quibus B. Rhenanus in ſcholiis in Tertull. de pœnit. p. 542. ſic ſcribit: *Confeſſionem privatam ſaluberrimam eſſe nemo poteſt inficiari, ſi moroſitatem & ſcrupuloſitatem nimiam amputemus. Quid enim per Deũ immortalem utilius habere poſſit Eccleſia ad continendam diſciplinam, quid commodiùs quam privatam iſtam confeſſionem ad populum in neceſſariis erudiendum? ubi horulæ ſpatio plus proficit Laicus quam triduanâ concione. Nam dum è ſuggeſtu declamat Sacerdos, perpauci diligenter auſcultant, multi alìorſum cogitando diſtrahuntur, quidam juxta proverbium ὄνοι λύρας, vel propter obtuſitatem ingenii, vel ob materiæ ſublimitatem, cujus non ſunt capaces, etiamſi curioſè auſcultent, non tamen percipiunt quod dicitur. Atqui hic tum res ipſius tum Sacerdotis reverentia attentum reddit hominem, & doctrina quam illic cum petente communicat ad ejus captum attemperatur. Itaque quod D. Cyprianus diſciplinæ encomium pronunciat, mihi libet accommodare confeſſioni. ut dicam eam retinaculum fidei, ducem itineris ſalutaris, fomitem ac nutrimentum bonæ indolis. Magiſtram virtutis.* Inde etiam Symbolica Eccleſiarum noſtrarum Scripta eandem approbant. Auguſtana Confeſſ. art. 11. *de Confeſſione docent, quòd privata abſolutio in Eccleſiis retinenda ſit, quanquã in confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio.* Artic. Schmalcald. part 3. art. 8. *Nequaquam in Eccleſia confeſſio & abſolutio abolenda, præſertim propter teneras & pavidas conſcientias ac propter juventutem indomitam & petulantem, ut audiatur, examinetur & inſtituatur in doctrina Chriſtiana:* Denique inde promanant Lutheri & Philippi de hac confeſſione judicia. Luther. in Epiſt. ad Francoſ. Ann. 33. ſcripta: *Si mille & iterum mille mundi eſſent, malim omnia amittere, quàm minimam hujus ritus particulam aboleri permittere.* Vide tom. 2. Witteb. fol. 252. tom. 6. fol. 114. tom. 7. fol. 12. tom. 8. fol. 351. tom. 9. fol. 547. tom. 12. fol. 362. ** It. in der Warnung an die zu Franckfurt am Mayn tom. 1. Jenenſi fol. 110. a. tom. 6. Germ. Jenenſ fol. 109.** Philippus in explicat. Evangel. Dominical. MSta ultimo vitę anno tradita Domin. 1. poſt Paſcha. *Amate illum morem privatæ abſolutionis, Nam ſi ille mos aboleretur, qualis eſſet Eccleſia, etiam ille mos teſtimonium eſt, quòd in Eccleſia ſit remiſſio peccatorum.* ** Idem tom. 4. operum p. 736. recenſet utilitates privatæ Confeſſionis.** Quid quod Calvinus & qui eum ſequuntur, quamvis privatam illam confeſſionem in praxi haudquaquam obſervent, eam tamen alicubi approbant? Calvinus 4. Inſtit. cap. 1. §. 22. *Presbyteri pias conſcientias promiſſionibus Evangelicis in ſpe veniæ & remiſſionis confirmare debent, idque tàm publicè quam privatim, prout neceſſitas poſtulat. Sunt enim permulti, qui pro ſua infirmitate ſingulari pacificatione indigent, & Paulus non tantùm pro communi concione, ſed etiam per domos teſtificatum ſe refert fidem in Chriſtum, & unumquemque ſigillatim admonuiſſe* Actor. 20. Petrus Martyr. claſſ. 3. locor. com̃. c. 38. §. 28. *Non tollimus utilitatem, quæ ex confeſſione eſſe poſſet, quæ ſit homini docto & pio, nempè ut homines conſolationem habeant & inſtituantur, modo libera relinquatur. Unde ſi confeſſio ejuſmodi quæ ſit libera, nec adigat ad enumerationem peccatorum, alicubi retineatur, nõ ſchiſma propterea facimus, modò non conſtituant peculiarem Dei cultum. Si quis commodum ſibi provenire putet, non debet hujusmodi auxilium detrectare.* ** Similia occurrunt apud Zvinglium de vera & falſa religione p. 297. Calvin. lib. 3. Inſtit. c. 4. §. 13. lin. 21. Bezam. lib. 1. Epiſt. 20. p. 126. Zanch. in Miſcell. p. 63. Braurius in Exam. Apoſtaſiæ Cudſemii parte 1. c. 16. *privatam*

vatam

*vatam abſolutionem in quibusdam Evangelicis Eccleſiis receptam minimè damnamus: liberam verò & indifferentem eſſe novimus.*** Bucan. loco 30. p.296 *Nihil impedit quin privatus aliquis paſtorem ſuum conſulat & animi ſui ſecretum vulnus aperiat, & ab eo conſolationem Evangelii expectet. Quin etiam ſiſtant ſe Paſtori oves, quoties ſacram cœnam participare volunt, ut vel conſolationem, vel inſtitutionem, vel admonitionem ſibi privatim accommodatam accipiant, modò abſit tyrannis & ſuperſtitio, eſt enim paſtoris officium δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους, h.e. publicè & privatim populum Dei Evangelicâ doctrinâ docere & conſolari hujus eſt Exemplũ Davidis apud Nathanem* 2.Sam.12.v.13. Qua in parte rectè diſcedunt à Cinglio qui in lib. de vera & falſa religione ſic ſcribit: *Audacia eſt eorũ, qui perhibuerunt clavibus hominem certum fieri, qui niſi per fidem intus certus eſt. Fruſtra dices: liber es. Non enim tuo verbo ipſum magis potes certũ reddere quàm muſcam elephantum facere, cùm dixeras elephas es &c.* (at vitioſè ſibi invicem opponuntur abſolutio & fides pœnitentis, cùm per illam hæc confirmetur.)

Confeſſio auricularis Pontificia.

102. Præter has ſalutares atque utiles Confeſſionis ſpecies aliam adhuc urgent & propugnant Romanenſes ſecuti Concil. Trident. ſanctionem ſeſſ.14.cap.5. & decretum Pontificis c. omnis utriusque ſexus de pœnit. quam his hypotheſibus includunt. 1. quòd confeſſio requirat omnium & ſingulorum mortalium peccatorum, quæ poſt diligentem præmeditationem & diſtrictum examen in memoriam venerunt, ab omnibus qui ad annos diſcretionis pervenerunt, quotannis certo tempore in aures Sacerdotis denarrationem: **Petrus à Soto cont. conf. Wirteb. *vera fides agnoſcit neceſſariam eſſe omniũ peccatorum lachrymalem confeſſionem.*** 2. quòd non ſolùm peccata mortalia, ſed etiam circumſtantiæ, quæ peccati ſpeciem mutant vel illud aggravant, in confeſſione ſiut recenſendæ. Meth. Confeſſ. p.216. *Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando, Peccaſti dices, ut ſit confeſſio vera.* 3. quòd ſpecialis illa enumeratio peccatorum jure divino ſit neceſſaria, ac proinde ſub ipſo ſalutis diſcrimine facienda, adeò ut peccatum illud, cuius coram Sacerdote nulla facta eſt confeſſio, non remittatur. 4. quòd talis confeſſio ſit meritoria, quâ peccatum deleri & per exiguâ confuſione illa, quam confitentes coram Sacerdote patiantur, ingentem confuſionem, quam aliquando in die judicii paſſuri ſint, redimi exiſtimant. 5. quòd ideò talis confeſſio corã Sacerdote ſit neceſſaria, quia Sacerdotes conſtituti ſunt ſpirituales judices, ut de ſingulis & univerſis peccatis cognoſcant, & pro menſura delictorũ ſatisfactiones imponant, adeò ut quotquot ſine abſolutione Sacerdotis moriuntur, Deo reconciliari haudquaquam poſſint. Judiciariam verò illam quam ita vocant Sacerdotũ poteſtatem revocant ad hæc capita. 1. quòd coram Sacerdotibus omniũ & ſingulorum peccatorum mortalium facienda ſit enumeratio. 2. quòd ſine ipſorum ſententia ac judicio nullus lapſus quamvis pœnitens, Deo reconciliari poſſit. 3. quòd certas ſatisfactiones pœnitentib. imponunt. 4. quòd caſus quosdam judicio ſummi Pontificis reſervant, ac proinde irritam habent abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam jurisdictionem non habet, quam à ſolo Pontifice in alios Epiſcopos ac Sacerdotes derivari autumant. Hanc eſſe brevem Synopſin omnium eorum, quæ de confeſſione & judiciaria Sacerdotum poteſtate diſputantur, patet ex Concil. Trid. ſeſſ.14.can.6. & ſeqq. Catech. Rom. part.2.cap.5. Bellarmino lib.3. de pœnit. per totum.

103. Nos ſpecialem illam omnium peccatorum coram Sacerdote enumerationem jure divino neceſſariam vel meritoriam eſſe, negamus, quin eandem impoſſibilem eſſe dicimus & miſeram animarum carnificinam, nuſpiam in ſcripturis mandatã eſſe aſſerimus. Antequam verò Bellarmini argumenta ex Scripturis audiamus, recenſebimus diſputationes Doctorum Juris Canonici & Scholaſticorum, quibus diſertè nobiscũ negant confeſſionem illam auricularem, quæ omnium delictorum enumerationem complectitur, eſſe juris divini. Gratian. diſt.1. de pœnit. cap. Quamvis adducit veterum ſententias in utramq; partem, quarum tamen bona pars agit de confeſſione ſolenni, tandem in dubio relinquere videtur, utrum quis obligetur ad confitendum, an non, ſiquidem prolixam diſputationem ſuam concludit his verbis. *Quibus autoritatibus ac rationum momentis utraque ſententia innitatur, in medium breviter expoſuimus, cui autem harũ potiùs adhærendum ſit, lectoris judicio reſervatur, utraque enim fautores habet religioſos & prudentes viros.* Theod. Cantuarienſ. Epiſc. apud Gratian. *Quidam Deo ſolummodo confiteri debere debent, ut Græci.* Gloſſat. diſt.5. de pœnit. initio capituli in pœnit. quærit, quando inſtituta fuerit hæc confeſſio, poſt recitatas aliorum opiniones, ſubjicit hæc. *Sed meliùs dicitur, confeſſionem iſtam inſtitutam fuiſſe à quadam univerſalis Eccleſiæ traditione potiùs quàm ex V. vel N. Teſt. autoritate.* Et poſt pauca: *Confeſſio eſt neceſſaria in mortalibus quidem apud nos, apud Græcos verò non, quia non emanavit ad illos traditio.* ** Gloſſatorem illum quidam vocant *Bartholomæum Brixienſem.* Vide in gloſſa diſtinctionis 5. ad illa verba, *In pœnitentia autem ipſius judicium.*** Panormitan. & Felin. in cap. omnis utriusque ſexus, ſtatuunt, non per Dei ſed hominũ traditionem confeſsionem auricularem ordinatam eſſe. Johannes Scotus ibidem cunctanter admodum ac dubitanter incedit. *Videtur* (inquit) *rationabilius tenere, quòd confeſſio cadat ſub præcepto divino poſitivo, ſed tunc oportet videre, an explicitè in Evangelio a Chriſto immediatè, quia patet, quòd non in veteri lege, an ab ipſo explicitè in aliqua doctrina Apoſtolica an nec ſic, nec ſic, ſed dato a Chriſto & voce tenus ab Apoſtolis Eccleſiæ promulgato. Primum iſtorum eſſet magis conveniens tenendum, ſi poſſit evidenter haberi iſtud præceptum ex Evangelio. Nec oportet ad hoc adducere illud* Matth.16. *Tibi dabo claves regni cœlorum, quia non eſt niſi promiſſio de datione futura. Si aliquid in Evangelio valet, ad hoc videtur illud* Joh.20. *Quorum remiſeritis peccata &c.* Et paulò pòſt: *Si omninò contendas, quòd per rationes poſitas in iſto membro non probatur fuiſſe datum ex verbis Evangelii, nunquid dicemus ſecundùm, ſcil. quod illud præceptum habetur ex verbis alicujus Apoſtoli, dicitur quòd ſic de illo verbo* Jacob.5. *Confitemini alterutrum peccata &c. ſed nec per hoc videtur mihi, quòd Iacobus præceptum hoc dedit, nec præceptum a Chriſto promulgavit. Primùm non, unde enim ſibi autoritas obligandi totam ECCLESIAM, cum eſſet Epiſcopus Eccleſiæ Iheroſ-*

roſolymitanæ, niſi dicas illam Eccleſiam in principio fuiſſe principalem, & per conſequens ejus Epiſcopum principalem Patriarcham, quod non concederent Romani. Nec quòd illa autoritas propriè pro tempore illo erat ſibi ſubtracta. Nec ſecundum videtur, quia Apoſtoli publicantes præceptū Domini in Scripturis ſuis utebantur modo loquendi, per quem potuit innoteſcere, quod erant præcones Chriſti, ut patet per illud 1. Cor. 7. *ut quādo vult publicare illud præceptum Domini de non dimittenda uxore dicit, præcipio non ego ſed Dominus, quando autem vult facere propriam perſuaſionem, dicit de cohabitatione viri converſi ad fidem cum ſua uxore infideli vel è contra, quia hoc licet ſit ſine contumelia Chriſti, non tamen eſt neceſſarium. Dico ego non Dominus, Alioqui non poſſet Eccleſia conſtare, quod ipſe ut præco publicaret præceptum, niſi vel ex præcedentibus vel ſequentib. manifeſtaret ſe eſſe in illa publicatione præconem. Utrumq; etiam membrum ſimul probatur per illa verba annexa. Dicendo enim confitemini alterutrum non magis dicit, Confeſſionem faciendam eſſe Sacerdoti quàm alii, ſubdit enim, orate pro invicem ut ſalvemini, ubi nullus diceret ipſū inſtituiſſe nec promulgâſſe præceptum divinum, ſed intellectus ejus eſt ſicut in illo verbo: Confitemini alterutrum perſuaſio ad humilitatem, ut ſcil. generaliter nos confiteamur apud proximos peccatores, juxta illud* 1. Joh. 1. *Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, ita per ſecundum perſuadet ad caritatem fraternam, ut ſcil. per caritatem fraternam ſubveniamus nobis invicem, apparet ergò illud non eſſe de jure divino promulgato per Scripturam Apoſtolicam. Vel igitur tenendum eſt primum membrum. ſc. quod ſit de jure divino promulgato per Evangelium, ut in ſecundo vel tertio membro eſt declaratum. Vel ſi illud non ſufficiat, dicendum eſt tertium, ſc. quod eſt de jure divino poſitivo promulgato à Chriſto Apoſtolis. ſed Eccleſiæ promulgato per Apoſtoles abſque omni Scriptura, ſicut multa alia tenet Eccleſia oretenus per Apoſtolos ſibi promulgata ſine Scriptura &c.* Hactenus Scotus, Nicol. de Orbellis 4. ſent. diſt. 17. fatetur ex Scripturis eam non poſſe probari. Cumprimis verò latè hac de re diſputat Biel. Scholaſticorū compilator, quem audiemus ex 4. ſent. diſt. 17. q. 1. *Quod confeſſio in actu neceſſaria ſit, varij varijs modis oſtendere conantur, licet pleriſque inſufficienter. & quidem non poteſt ſufficienter oſtendi ex neceſſitate remiſſionis peccati, quamvis remiſſio peccati ſit neceſſaria ad ſalutem, non tamen ex hoc inferri poteſt, quod Confeſſio, de qua loquimur, ſit neceſſaria ad ſalutem, tum quia ad remiſſionem peccati eſt alius modus ſufficiens ſine confeſſione in actu ſcil. contritio cordis, per quam peccatum remittitur priuſquam Sacerdoti confiteatur, tùm quia confeſſio ſecundum probabiliorem opinionem præexigit remiſſionem peccati per contritionem præviam: Si dicas, requiritur in voto. E. aliquando in actu.* Reſponſ. *Petit hac probatio principium, poteſt enim quis habere ſufficientem contritionem abſque confeſſionis voto. Alii neceſſitatem confeſſionis oſtendere nituntur ex neceſſitate præcepti, ſed quale illud ſit, diverſificantur: De jure naturali non eſt, ſic enim in ſtatu cujuſcunque legis fuiſſet neceſſaria, & quod hominū hæc confeſſio facienda de occultis, nullâ ratione naturali nec aliquo illi conſono probatur. De qua ergò lege eſt? ſunt opiniones, Una tenet, quòd Confeſſio ſit de lege poſitiva Eccleſiæ:* Gloſſ. de pœnit. diſt. 5. cap. 1. *melius dicitur eam à quadam generali ſive univerſali Eccleſiæ traditione, quàm ex N. vel V. Teſt. autoritate: Gloſſam ſequitur Panorm. c. omnis de pœnit. & remiſſ. Scotus contra hanc opinionem ſic arguit: non videtur quòd Eccleſia tanquam pia mater tam oneroſum & arduum præceptum imponeret omnib. Chriſtianis, niſi eſſet præceptum divinum. 2. non invenitur, ubi ab Eccleſia hoc inſtitutum ſit. Theologi communiter dicunt, quod confeſſio ſit de lege divina poſitiva, ſed à quo & ubi inſtituta non ſimiliter ſentiunt. Bonaventura dicit, q. ſit à Chriſto inſinuata, ab Apoſtolis inſtituta & à Iacobo promulgata. Scotus hanc ſententiam improbat; nam Sacramenta non poſſunt inſtitui niſi à ſolo Chriſto, quia nemo poteſt inſtituere Sacramenta, niſi qui & efficaciā dare poteſt. Iacobi verba idem explicat, q. non agant de confeſſione ſacramentali, ſed quòd ſint perſuaſio quadam ad humilitatem, per quam generaliter nos ipſos eſſe peccatores fatemur & orationes mutuas expetimus. Scotus aliter probat, quòd ſit de jure divino, quia recuperatio gratiæ fit per Sacramentum pœnitentiæ, quilibet a. qui amiſit gratiam, tenetur neceſſitate præcepti dilectionis facere q. in ſe eſt ad ejus recuperationem. E. Si dicas per contritionem etiam remitti peccata, reſpondet Scotus: viam recuperandi gratiam per Sacramentū pœnitentiæ eſſe faciliorem & tutiorem.* Sed, inquit Biel, *hæc reſponſio ſatis apparet, ſi eſſet vera opinio Scoti, q. per Sacramentum pœnitentiæ ſine contritione ſolo obice remoto peccatum remitteretur, ſed oppoſita opinio eſt communior & Sanctorum dictis conformior. Richard. 4. ſent. diſt. 17. tenet, quòd confeſſio ſacramentalis eſt de jure divino expreſſo in Evangelio Ioh. 20. ubi Chriſtus dat Apoſtolis & eorum ſucceſſorib. poteſtatem judicandi ac remittendi miniſterialiter peccata, quibus autem datur poteſtas judicandi, etiam datur poteſtas cognoſcendi, cognitio autem fit per accuſationem peccatorum. Si dicas, datur Apoſtolis poteſtas judicandi, ſed non imponitur neceſſitas peccatoribus confitendi. Reſp. Richardus, Nullus eſt judex meus in re aliqua, in qua non teneor facere niſi quantum voluero.* Sed, inquit Biel, *hæc ſolutio non excludit replicam, quia frequenter conſtituitur partibus judex arbitrarius & tamen non imponitur partibus neceſſitas ſe ſubmittendi. Dicendum finaliter inquit Biel, præceptum de Confeſſione ſacramentali promulgatū à Chriſto & Apoſtolis & per ipſos Apoſtolos promulgatū eſt Eccleſiæ verbo & facto ſine omni Scriptura, ſicut & multa alia tenet Eccleſia oretenus per Apoſtolos publicata ſine Scriptura.* Hæc omnia Biel, quæ totam hanc cōtroverſiā illuſtrare poſſunt. Huc pertinet, quòd B. Rhenanus in Scholiis in Tertull. p. 542. ſcribit. *Tertullianus de exomologeſi publica, i. e. actu pœnitentiæ coram Eccleſia facit mentionem (cujus etiam Leo Papa meminit de pœnit. diſt. 1.) eamq; eleganter ob oculos ponit, quâ majores noſtros ſtatim poſt initia naſcentis Eccleſiæ ſeveriſſimè uſos conſtat, ex qua niſi multum fallimur confeſſio ſecreta ſumſerit originem &c.* Et poſteà, *Ab eo non abhorrent juris Pontificii Interpretes quidam non incelebres, cùm inſtitutam ab Eccleſia confeſſionem tradunt. Nam exomologeſi publica, i. e. actus pœnitentiæ coram Eccleſia, ut veteri inſtrumēto deſumtū, ex publica privata nata videtur, occultorum criminum occulta.* p. 544. *Clancularia admiſſorum confeſſio, quantum conjicimus, nata eſt ex iſta exomologeſi publica per ultroneam hominum pietatem, ut peccatorū occultorum eſſet & exomologeſis occulta: nec enim uſque præceptam olim legimus.* Eraſm. in annot. cap. 19.

Actor.

Actor.p.227. *vel hinc colligi poteſt, fuiſſe & antiquitus nonnullā confeſſionem mula acta vita, ſed apertam opinor & in genere, quam nec ipſam legimus exactam abs quoquam. Ceterum quæ nunc recepta eſt clancularia, quæ in aurem fit, videtur ex conſultationib. privatis eſſe nata, quæ ſolent apud Epiſcopos fieri, ſi quis ſcrupulus urgeret animum.* Idem in Epiſt. de Concord. Eccl. *Nondum perſuaſum eſt horum temporum ſacramentalem confeſſionem fuiſſe à Chriſto ipſo inſtitutum.* Maldō. Jeſ. in ſumm. q. 18. art. 4. *Sunt etiam inter Catholicos, qui nullum putant eſſe præceptum divinum de confeſſione, ut omnes Decretorum Interpretes & inter Scholaſticos Scotus.* Poſteà addit. *Sed tamen hæc opinio aut jam declarata eſt ſatis tanquam hæreſis, aut operæpretiū faceret Eccleſia, ſi declararet eam eſſe hæreſin.* (At hęc non poſſunt ſimul conſiſtere, aut declarata eſt hæc opinio pro hæreſi aut declaranda. Priùs ſtatuit Bellar. lib. 3. de pœnit. c. 1. in Audianis eam damnatam eſſe ſtatuens. Poſterius Maldonato videtur, cui declaratio Tridentini Concilii non videtur ſatis aperta) Valcutian. libr. 2. de Miſſa c. 4. *Panormitan. & Gerſon Confeſſionem ſecretam non eſſe neceſſariam contenderunt.*

Argumenta contra neceſſitatem auricularis confeſſionis Pontificiæ. *1. Caret mandato, promiſſione & exemplis.*

104. Specialem igitur illam peccatorum coram Sacerdote enumerationem non eſſe neceſſariam his demonſtramus argumentis. 1. Quod caret mandato & promiſſione Dei, ac deſtituitur inſuper exemplis verè pœnitentium, illud non poteſt nec debet ſub periculo ſalutis conſcientiis imponi. Atqui ſpecialis illa peccatorum coram Sacerdote enumeratio caret mandato & promiſſione Dei, deſtituitur inſuper exemplis verè pœnitentium. Ergò non poteſt nec debet ſub periculo ſalutis conſcientiis imponi. Major patet ex Scripturæ perfectione, ex traditionum & *ἐθελοθρησκείων* qualitate, adeoq; ex N. Teſt. natura. Nov. Teſt. eſt fœdus gratiæ ac libertatis; jam verò conſtat in V. Teſt. ſpecialem illam peccatorum enumerationem non fuiſſe neceſſariā, quod etiam adverſarii concedunt; ergò non eſt probabile, tam onerοſum & arduum præceptum (ut Scotus de Confeſſione loquitur) in Novo demum Teſtamento à Chriſto fuiſſe inſtitutum. Quæ verò ex Scripturis pro ſtabilienda hujus confeſſionis neceſſitate afferuntur, ſuum inferiùs habebunt locum. Quinimò non modò nullum de neceſſitate ſpecialis hujus enumerationis peccatorum in Scripturis extat mandatum, ſed etiam præſtò ſunt exempla eorum, quibus abſque prægreſſa tali peccatorum enumeratione remiſſa ſunt peccata, Matth. 9. v. 2. paralytico annunciatur à Chriſto peccatorum remiſſio, quorum ſpecialem confeſſionem nondum ediderat; eodem modo mulieri peccatrici Lucæ 7. v. 48. peccata remittuntur. Lucæ 15. v. 18. filius aſotus generali confeſſione peccati & emendationis promiſſione edita ex gratia recipitur: ita quoque in univerſum apud peccatores verè pœnitentes ſpeciali enumeratione peccatorum minimè opus eſt, ſed ſufficit generalis confeſſio, ſi ex pœnitenti & fideli corde proficiſcatur. Lucæ 19. v. 8. Chriſtus generali confeſſione Zachæi contentus eſt, & ad eam pronunciat abſolutionem. *Hodiè ſalus facta eſt domus tua.* Jam verò Chriſtus Apoſtolos & eorum ſucceſſores non aliter miſit quàm ipſe miſſus fuit Joh. 20. v. 21. inde D. Petrus Actor. 2. verſ. 38. pœnitentiam requirit, confeſſionem peccatorum ſpecialem non requirit. *Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisq; veſtrûm, in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti.* Excipit Bellar. 3. de pœnit. cap. 18. verba illa: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, non ita accipienda eſſe, quaſi eodem modo debuerint Apoſtoli omnia facere, quo à Chriſto fiebant, alioqui enim non debuiſſent baptizare in remiſſionem peccatorum, quia Chriſtus ſine Baptiſmo remiſit peccata, nec debuiſſent per impoſitionem manuum dare Spiritum ſanctum, quia Chriſtus non manus imponendo ſed inſufflando Spiritum ſanctū dedit. Miſit ergò Chriſtus Apoſtolos ſicut miſſus fuerat à Patre, quia poteſtatem eis dedit ligandi & ſolvendi, ut ipſe à Patre acceperat. Sed tamen accepit ipſe ut Filius, & proinde talem ac tantam, ut poſſit etiam ſine Sacramentis juſtificare, dedit autem eam Apoſtolis & miniſtris, ac proinde longè minorem & Sacramentis aliisque mediis à ſe inſtitutis alligatā.* Reſp. 1. certum eſt Chriſtum non ſolùm *διακονικῶς* miniſterialiter, ſed etiam *αὐτοκρατορικῶς* in operibus miniſterii egiſſe, vel certè agere potuiſſe, cùm ſit verus Deus, cumque ipſi ut hominis filio data ſit omnis poteſtas in cœlo ac in terra, ac proinde etiam *αὐτεξουσία* remittendi peccata. Sed quando ad Apoſtolos dicit: *Sicut Pater miſit me, ita & ego mitto vos*, non loquitur de illa authentica & *αὐτοκρατορικῇ*, ſed de miniſteriali poteſtate, quâ & ipſe in operibus miniſterii uſus eſt, quamque Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus commendavit. 2. Quemadmodum igitur Chriſtus abſque prægreſſa ſpeciali peccatorum enumeratione in miniſterio ſuo pœnitentibus remiſit peccata; ita quoque Apoſtoli & eorum ſucceſſores in miniſterio Eccleſiaſtico divinitùs ſibi demandato ad exemplum Chriſti ſe accommodent, nec novas leges hominum conſcientiis imponant. 3. unde etiam in hiſtoria Act. Apoſtolicor. nullum invenitur veſtigium, quod Apoſtoli ſpecialem peccatorum enumerationem à quoquam verè pœnitentium exegerint. Ex quo evidenter apparet, quòd Apoſtoli eo modo, quo Chriſtus pœnitentibus peccata remiſerint abſque ſpeciali illa peccatorū enumeratione. 4. inter Baptiſmum & ſpecialem peccatorū enumerationem magna eſt diſparitas. De Baptiſmo in remiſſionem peccatorum adminiſtrando diſertum & expreſſum Apoſtoli acceperant mandatum Matth. 28. v. 28. Marc. 16. v. 15. Sed de exigenda ſpeciali peccatorum enumeratione nullū extat verbum. Præterea quamvis Chriſtus ipſe Baptiſmum non adminiſtraret, tamen per Apoſtolos eum adminiſtrabat Joh. 4. v. 2. ergò non ſolùm mandatum, ſed & exemplum baptizandi habebant, quod ipſum de ſpeciali illa peccatorū confeſſione itidem nequit probari. Deniq; Baptiſmi Sacramentum eſt *factu facillimum, intellectu auguſtiſſimum, & obſervatione caſtiſſimum;* Auguſt. lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 9. Sed ſpecialis illa peccatorum enumeratio ſub periculo ſalutis impoſita eſt miſera animarum carnificina. 5. Manuum impoſitione velut ceremoniâ quâdam antiquiſſima & ab ipſo CHRISTO uſurpatâ liberè utebantur Apoſtoli in officii ſui partibus: ſed quis non videt, multis paraſangis ab ea differre ſpecialem illam enumerationem, quam nec in V. Teſt. uſitatam, nec à Chriſto exactam fuiſſe conſtat. 6. Ergò tum demū hoc Bellarmini effugium haberet locum, ſi probatū de-

diſſet, peculiare mandatum de exigenda à pœnitentibus ſpeciali peccatorũ enumeratione Apoſtolos à Chriſto accepiſſe, quod ipſis obſtiterit, quò minùs eodẽ modo peccata remiſerint, quo Chriſtus ea verè poenitentibus remiſerat.

2. Exigit rem impoſſibilem.

105. 2. Quicquid verè ac ſeriò poenitentes ad rem impoſſibilem obligat, illud tanquam ad ſalutem neceſſarium non eſt eis imponendum. Specialis illa peccatorum enumeratio verè ac ſeriò pœnitentes ad rem impoſſibilem obligat. Ergò non eſt eis tanquam ad remiſsionem peccatorum & ſalutem neceſſarium imponendũ. Majoris veritas eſt manifeſta. Non enim hoc loco quæritur de contumacibus & ſecuris peccatoribus, qui lege Dei peccata arguente ac damnante ſunt terrendi, ſed de anxiis & contritis conſcientiis, quæ peccata ſeriò agnoſcunt & deplorant, ac reconciliari Deo ex toto corde deſiderant, utrũ ab illis ſpecialis peccatorum enumeratio ſit exigenda? Deinde non quæritur, an verè poenitentibus utile ſit quædam in ſpecie peccata, præſertim ea, quæ conſcientiam maximè angunt, coram Sacerdote enumerare: ſed an ſpecialis peccatorum enumeratio, velut ad remiſsionem peccatorum & ſalutem neceſſaria, illis ſit imponenda. Denique verbum imponendi reſpicit ſtatutum illud humanum, quo talis peccatorum enumeratio à poenitentibus exigitur, cùm de eo diſertum aliquod mandatum Dei non extet. Minor itidem manifeſta eſt, cùm *ſepties in die cadat juſtus* Prov. 24. v. 16. cùm *Iobus vereatur omnia opera ſua.* cap. 9. v. 28. cùm David conqueratur Pſal. 19. v. 13. *Delicta quis intelligit?* cùm renatis quotidiè ſit precandum, *Dimitte nobis debita noſtra* Matth. 6. v. 12. B. Rhenan. in Tertull. de pœnit. p. 545. *Scholaſtici nimium argute homines talem confeſſionem privatam reddiderunt, ut gravis & ſanctus Theologus ſæpè teſtatus ſit, eam juxta illorum deuteroſes impoſſibilem eſſe.* Excipit Bellar. lib. 3. de poenit. c. 17. & 21. *Non exigi abſolutè omnium omninò peccatorum enumerationem, ſed eorum ſolùm, quæ poſt diligentem memoriæ excuſſionem occurrunt, qualis etiã requiritur in ea, quæ fit Deo, quam ipſi mece non negemus eſſe neceſſariam.* Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. reſtringit ad mortalia. *Ex his* (dicunt Patres Concilii) *colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri.* Reſp. Cur igitur alibi generaliter loquitur? lib. 3. de poenit. c. 9. *Non poſſunt Sacerdotes congruam pœnitentiæ actionem injungere, niſi peccata omnia accuratè cognoſcerentur.* ibid. *Neceſſarium eſt, ut ſigillatim peccata omnia Sacerdotibus detegantur.* Excutiendum eſt hoc loco, quorum peccatorum confeſſionem Romanenſes requirant. Mittimus autem tenebras ſuperiorum temporum ante exortam Evangelii lucem, in quibus certum eſt, quamplurimis illam adhæſiſſe opinionem, quod ſimpliciter & abſolutè omnium peccatorum enumeratio ſit neceſſaria, inde enim vulgatum illud dicterium: *Non confeſſum non remiſſum*: inde quidam etiam poſt impetratam abſolutionem ſtatim redierunt & denuò confeſſi ſunt peccata, quorum memoriam recolere poterant, ſicut de Doctore quodam commemorat Luth. quòd in ipſo ſacræ Euchariſtiæ uſu quædam in aurem Sacerdotis demurmurârit. Videbimus quid hac de re ipſi inter Scholaſtici & Pontificii Scriptores diſputent; ſtatutum illud Pontificis & omnis utriusq; ſexus Bonaventura extendit etiam ad venialia, cujus ſententiã multos Scholaſticos ſequi ſcribit Maldon. in ſumm. q. 18. art. 4. Alii ſtatuunt, quòd habens mortalia ſatisfaciat huic ſtatuto, confitendo mortalia ita, ut non teneatur ad confesſionem venialium, ſi tamen non habet mortalia, teneri eum ad confesſionem venialium ſemel in anno: hanc opinionem recitat Thomas 4. ſent. diſt. 17. & ſatis concordat Richardus ibid. Contrarium tenent Scotus, Durandus, Paludenſis 4. ſentent. diſt. 17. q. 2. art. 4. ſtatuentes, quòd habens ſola venialia ad Confesſionem ſacramentalem non teneatur. Biel id probat hoc argumento. Nemo tenetur de illis confiteri, ad quorum contritionem non tenetur. Sed de venialibus non eſt habenda contritio. Has pugnas Concilium Tridentinum dirimere voluit, quando ad ſola mortalia præceptum confesſionis reſtringit, ſed Bellarminus maluit generaliter loqui; faciendam eſſe Confesſionem eorum, quæ poſt diligentem memoriæ excusſionem occurrunt, ut innueret venialium confeſſionem faciendam, ſi non occurrant mortalia. Catech. Roman. part. 2. cap. 2. de Sacram. pœnit. q. 40. *In confeſſione curandum eſt, ut integra & abſoluta ſit, omnia enim & ſingula peccata mortalia enumeranda ſunt, quantumvis etiam occultiſſimè lateant, & ejus generis ſint, quæ duobus tantùm extremis Decalogi præceptis interdicuntur.* q. 41. *Si quis ex iis, quæ enumerari debent, aliquid prætermittit, tum non ſolùm ex confeſſione illa nullum commodum talis conſequitur, ſed novo ſcelere ſe obſtringit. Nec ſolùm peccatorum actus, ſed & circumſtantias, præſertim eas, quæ peccatum aggravant & in aliud genus mortalis peccati trahunt, percenſendas eſſe ſtatuunt, nimirum ut ſatisfactio imponenda gravitati culpæ reſpondeat.* Suarez. tom. 1. diſp. 22. §. 2. *Actiones aliæ ſpeciem mutant, hujusmodi eodem præcepto divino debemus confiteri quoad mortalia. Aliæ ſpeciem non mutant, quarum inſuper aliæ peccatum augent & aggravant, aliæ minuunt. Quæ notabiliter aggravant peccatum in confeſſione explicare eſt neceſſarium, cujus generis ſunt ſeptem, prima quis, ſecunda quid, tertia propter, quarta quomodo, quinta quibus auxiliis, ſexta ubi, ſeptima quando.* Exigunt inſuper debitam ac legitimam diligentiam in hoc conſcientiæ examine. Si quæras, quanta diligentia requiratur? reſpondet Scot. tanta quantam apponeret quis ad aliquid multum arduum inquirendum, quod ſibi eſſet cordi. Ex his ſatis apparet, quòd omnium peccatorum mortalium, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem occurrunt, ſpecialem enumerationem cum omnibus circumſtantiis Sacerdoti faciendam eſſe ſtatuant, in qua ſententia hoc deſideramus. 1. quòd procedat ex falſa illa hypotheſi, quaſi peccata quædam ſint ſuâ naturâ venialia, cùm tamen omnia peccata etiam minutiſſima ex ſe & ſua natura ſint mortalia, licet non negemus in renatis quædam tantùm eſſe mortalia, ideò ut ſuo loco demonſtratum fuit. 2. quòd ne quidem determinatè hujus univerſalitatis præceptum ex Scripturis Propheticis vel Apoſtolicis afferri poſſit, quin potiùs conſtat Chriſtum & Apoſtolos generali peccatorum enumeratione fuiſſe contentus. 3. quòd nihilominus confeſsio illa, qualem Bellarminus

requi-

requirit, ſit conſcientiarum carnificina, quippe qua ſemper dubitare coguntur, an ſatis dignam ac debitam adhibuerint diligentiam in conſcientiæ examine, an receſſus cordium ſatis diligenter exploraverint, an non plura peccata & noſſe & enumerare potuerint, an circumſtantias quaſdam peccati ſpeciem mutantes vel aggravantes omiſerint. 4. ſi peccata quædam nec cognita nec enumerata pœnitentibus remittuntur (utpotè ea, quæ poſt diligentem diſcuſſionem memoriæ non occurrunt) conſequens eſt, ſpecialem peccatorum enumerationem non eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariam, cùm ſit coram Deo par ratio eorum, quæ cognoſcuntur & enumerantur, ac eorum, quæ non cognoſcuntur nec enumerantur, utraque facta ſunt contra legem Dei, utraque offenderunt Deum, utraque temporales & æternas pœnas promeruerunt. Maldon. in ſumm. q. 18. art. 8. *Unus finis confitendi eſt, ut obligaret homines, ne ipſi judices eſſent, an habeant peccatum & an illud ſit mortale, an veniale, quia plerunque imperiti ſunt, ideò cogendi ſunt exponere, quicquid fecerunt, Sacerdoti, ut judicet, peccarunt necne; & proprius finis confeſſionis eſt, ut peccatores vi clavium obtinerent remiſſionem peccatorum.* (Ex his colligimus, ſi ideò Sacerdoti exponenda ſunt peccata, ut judicare poſſit, quænam ſint mortalia, quæ venialia, tum omnes actiones, omneſque cogitationes, quæ peccati mortalis naturam induere poſſunt, exponenda erunt. Si peccata ideò exponenda ut remittantur, etiam venialia erunt exponenda, aut illa non indigebunt remiſſione.) 5. hæc ipſa determinata (ut ita loquar) confeſſionis univerſalitas non exigitur vel ſuſcipitur debito fine, videlicet ut pœnitentes conſolationem adverſus illa peccata, quæ maximè agunt ac premunt conſcientiam, accipiãt, ſed ut ex opere operato peccatorum remiſsionem promereantur & *temporali ac perexiguâ hac confeſſione liberationem ab ingenti confuſione in die judicii redimant*, ut Bellarminus loquitur 3. de pœnit. cap. 12. 6. Longè diſpar ratio eſt inter confeſsionem eam quæ fit Deo, & eam quæ fit Sacerdoti. Illa expreſſum mandatum & promiſsionem habet, hæc verò utroque deſtituitur. Deus eſt καρδιογνώστης corda & renes probans, cujus oculi Sole ſunt lucidiores, à quibus nihil eſt abſconditum, qui occulta omnia olim in lucem proferet, ipſi igitur ſeria & ſincera peccatorum confeſsio quotidie facienda. Interim tamen gratuita peccatorum remiſsio à DEO propter Chriſtum promiſſa non pendet à merito quodam confeſsionis noſtræ, nec ſpecialem omnium peccatorum enumerationem eo modo exigit, ut eâ non accedente locum habere nequeat, ſed verè contritis & in Chriſtum credentibus ex ſola gratia obtingit, nihilominus utile eſt ſingula divinæ legis præcepta, & peccata adverſus ea commiſſa in ſpecie excutere, ut vera cordis contritio & humiliatio in nobis creſcat, ac promiſsio Evangelica magis dulceſcat.

3. Evangelium transformat in legem.

106. 3. Quicquid Evangelium in legem transformat & neceſſariam conſcientiis verè pœnitentium & in Chriſtum credentium conſolationem eripit, illud probari nec poteſt nec debet. Confeſsio illa, quam Romanenſes exigunt, Evangelium transformat in legem & neceſſariam conſcientiis verè pœnitentium & in Chriſtum credentium conſolationem eripit. E. Confeſſio illa, quam Romanenſes exigunt, probari nequit. Majoris veritas evidens eſt, cùm diſcrimẽ Legis & Evangelii in Eccleſia accuratè retinendum eſſe, ſuo loco demonſtratum fuerit, cumq; *omnia quæ ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*, Rom. 15. v. 4. Minorem ſic probamus. Evangelium docet, pœnitentibus & in Chriſtum credentibus gratis ex fide obtingere peccatorum remiſsionem non propter operum noſtrorum merita. Roman. 4. v. 16. *Ideò ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio.* Sed Romanenſes ſtatuunt, promiſsionem Evangelicam pendere ex ſpeciali illa enumeratione peccatorum tanquam ex merito, & cùm nemo certus eſſe poſsit, an debitam adhibuerit diligentiã in hac enumeratione neceſſariam, ideò incerta redditur promiſsio, & conſcientia perpetuis cõflictari cogitur dubitationib⁹. Scot. 4. ſent. q. 4. *Confeſſio confert remiſſionem culpæ ejus, qui attritus accedit non ponens obicem, alias pœnitentia non eſſet Sacramentum novæ legis.* Biel. 4. ſent. diſt. 17. q. 1. *Varii ſunt fructus confeſſionis. 1. remiſſio pœnæ totius vel partis, remiſſâ enim culpâ per contritionem pravià vel concomitantem manet alia debitrix pœna temporalis, quæ in toto vel in parte dimittitur ſecundum diſpoſitionem confitentis & tam ex virtute clavium, quâ Confeſſor habet facultatem aliquid remittendi, quàm ex merito Confitentis, cõfeſſio enim eſt valdè pœnalis. E. etiam pars ſatisfactionis. 2. Meritum præmii beatifici propter obœdientiam quam exhibet legi Dei & Eccleſiæ, quod tantò majus eſt, quantò opus difficilius. 3. Inſtructio pœnitentis particularis, quæ multò fructuoſior, quam generalis. 4. Taxatio ſatisfactionis facta à Confeſſore, quæ propter poteſtatem clavium reddit ſatisfactionem efficaciorem ad pœnæ remiſsionem, quàm ſi ſolo confitentis arbitrio aſſumta ſit. 5. Meritum obœdientiæ in ſervando & explendo ſatisfactionem injunctam, & plures alii fructus numerari poſſent:* Hactenus Biel. Bellarmin⁹ 1. de pœnit. c. 4. *Confeſsio à morte liberat, paradiſum aperit, & ſpem tribuit ſalutis.* lib. 3. de pœnit. c. 12. *Rubor, quem inter confitendum patimur, pars quædam eſt ſatisfactionis pro admiſsis: perexiguâ confuſione, quam corã uno ex conſervis noſtris patimur, redimimus ingentem illam confuſionem, quam alioquin in die judicii pateremur.* c. 21. *Scholaſtici non dicunt per confeſsionem nos mereri remiſsionem peccatorũ niſi fortè ex congruo.* Huc pertinet Hiſtoria ad cõfeſſionis utilitatem ac neceſsitatem amplificandam ſæpiùs olim recitata. Adultera ſuſcepit pro more peccata ſua ſacrificulo enumeranda. Nec longè ab eo ſpectaculo aberat ſanctus quiſpiam Pater, haud ſcio, num de familia Dominici, an Franciſci, certè ſingulari intuendarum ſpiritualiũ rerum dono ornatus. Cùm igitur adultera cœperat initiò recitare quædam, neſciu quæ, peccata, viſus eſt ſibi vir ille videre ex ore adulteræ alterum poſt alterũ buſonẽ egredi, aut poti⁹ exilire. Poſtquam a. buſones in pavimento ſaltarent, & quò ſe proripiãt, circumſpicerent, ecce tibi, alius buſo inuſitatæ magnitudinis videtur capitulum ſuũ alternis, nunc ex ore adulteræ proferre, nunc retrahere, donec ſe per gulam in ventrem, unde aſcenderat, iterum reciperet. Quod cùm factum eſſet, vide mihi, quæſo, mirandum ſpectaculum: buſones qui ante exierant, omnes uno impetu

reſiliunt in os adulteræ, & ab ipſa quaſi devorari videntur. Cùm igitur vir ſanctus, ſecum attonitus cogitaret, quid ſibi hæc viſio vellet, venit vox de cœlo, ac interpretatur bufones eſſe peccata, & hos quidem, qui initiò egreſſi fuerant, ſignificare ea peccata, quæ mulier ingenuè confeſſa eſſet: illum autẽ qui caput in ore nunc protulerit, nuoc retulerit, ſignificare adulterium, quud miſera mulietcula deſignaverat, & cogitaverat quidem confiteri, ſed pudore tandem victa, reticuerat. Itaque factum ſit, ut & reliqua peccata, quæ antè fuerant confeſſa, haberentur coram Deo perinde ac ſi non eſſent vel confeſſa vel expiata. Atqui ſi confeſſio eſt meritum remiſſionis peccatorum, quomodo juſtificamur gratis, fide ſine operibus legis, credendo non operando, ex Evangelio, non ex lege &c. Quid quòd Canones quidam disertè dicunt, confeſſionem auticularem non facere ad remiſſionem peccatorum. Sic enim in illis legimus diſt. 1. de pœnit. cap. Qui natus. *Cùm ante confeſſionem ſimus reſuſcitati per gratiam & filii lucis facti, evidentiſſimè apparet, quòd ſolâ cordis contritione ſine confeſſione oris peccatum remittatur.* cap. omnis. *Non in confeſſione peccatum remittitur, quod jam remiſſum eſſe probatur, ſit itaque confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ non ad impetrationem veniæ.* cap. Quidam Deo. *Confeſſio quæ ſoli Deo ſit, quæ eſt juſtorũ, purgat peccata, ea v. quæ Sacerdoti ſit, docet qualiter purgentur peccata.* Excipit Bellarm. 3. de pœnit. c. 21. 1. *in Evangelio etiam conditionem operũ requiri ad juſtificationẽ*, quâ de re latè diximus in tractat. de Evangelio & in tract. de Juſtificatione plura dicentur. 2. *ex noſtra ſententia remiſſionem pendere ab enumeratione peccatorum coram Deo.* Reſp. Non tanquam ex merito, nec eo modo ut ſit ſimpliciter neceſſaria omnium peccatorum enumeratio, ſed confeſſio illa, modo ſalutaris ſit, eſt ſetiæ contritionis & fiduciæ de remiſſione peccatorum coram Deo declaratio, in hypocritis & deſperabundis à fiducia in Chriſtum remota eſt, ideò etiam ſalutaris non eſt nec DEO placet. 3. *mendacium eſſe, quòd gratuitæ condonationi ſubſtituantur merita enumerationis & ſatisfactionis.* Reſp. an non disertè impugnant noſtram ſeotentiam, quâ ſtatuimus in vera pœniteotia requiri contritionem ac novam obœdientiam, interim tamen ſolâ fide in Chriſtum gratis nobis peccata remitti? an nõ diſerta eſt Apoſtolica oppoſitio Rom. 11. v. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* 4. *ſimilia confeſſionis encomia extare apud Patres.* Reſp. Loquuntur de confeſſione ſalutari coram Deo, quę cum vera contritione, fide in Chriſtum & vitæ emendatione conjuncta eſt, tribuũt parti, quod pœnitentiæ convenit reſpectu ſalvificæ in Chriſtum fidei. Porrò quòd per doctrinam de confeſſione, prout à Pontificiis proponitur, neceſſaria conſolatio contritis eripiatur, patet inſuper ex eo, quòd talem demum confeſſionem probant, quæ ex corde ſufficienter contrito procedat & quam ſatisfactiones debitę conſequuntur, jam verò nemo ſcit, an ſit ſufficienter contritus, an dignam adhibuerit diligentiam in confeſſione, an ſatisfactiones perfectè impleat. Neve in abſolutione aliqua ſuperſtes maneat conſolatio, monet Bellarminus 2. de pœnit. c. 14. eum qui dicit: *Ego te abſolvo, non affirmare ſe abſolutè abſolvere, cum non ignoret, multis modis fieri poſſe, ut non abſolvat, licet ea verba pronunciet, nimirum ſi is, qui Sacramentum ſuſcipere videtur, fortè non habeat ſuſcipiendi intentionem, vel non ſit ritè diſpoſitus, aut obicem ponat.* Et lib. 1. de pœnit. cap. 17. *Accedente verbo Abſolutionis ad Elementum confeſſionis, Sacramentum perficitur quidem quod attinet ad eſſentiam, ſed non omninò integrè & perfectè, ſi partes integrales conſiderentur*, ad quas ſatisfactiooem requiri in ſuperioribus docuerat.

107. 4. *Confeſſio Pontificia non ſolùm in dubitationem perpetuam inducit, ſed etiam miſera eſt conſcientiarum carnificina.* B. Rhenanus in præfat. in lib. Tertull. de pœnit. pag. 545. *Iohannes Geilerius gravis ac ſanctus Theologus, vir magno rerum uſu præditus, cujus ego Parentalibus jam decrepiti interſui adoleſcens, familiariter verſabatur cum Cœnobitis ſanctioribus, cum Carthuſiis, quos ſæpiuſculè intervisebat, cum Franciſcanis arctioris inſtituti, à quibus peregrè venientibus intervisebatur; ab his diſcebat, quibus tormentis quorundam piæ mentes affligerentur ob confeſſionem, cui ſatisfacere, ut ipſis videbantur, nequirent. Similes querelas ad eum deferebant Sanctimoniales, proinde motus fuit, ut libellum ederet in lingua Germanica, cui titulum fecit* von dem Beichtwehl *hoc eſt, de merbo confeſſionis, quo negabant eſſe triſtiorem qui eo tenebantur. Erat Carthuſianus, qui propter confeſſionem, quæ ei ſemper ob inexplicabilem circumſtantiarum vim imperfecta videbatur, ſed ipſe perfectiſſimam eſſe fruſtra contendebat, huc miſeriarum venerat, ut omnem ſalutem deſponderet & apocarteresin cogitaret. Hujuſmodi homines ei libuit illo libello conſolari, ſed quod antea fecerat in Scriptis ſuis paſſim Iohannes Gerſon pius ac ſincerus Theologus &c. Itaque Geilerio non diſplicebat Confeſſio, ſed moroſitas illa & anxietas quorundam, quam docent aliquæ recentiorũ ſummulæ, quæ juſtius alibi locum habeant, quàm in Bibliothecis. Hoc eſt nimirum artem tradere & methodũ alicujus rei, quam ipſe non probè calleas &c.* Hactenus Rhenanus. Eidem malo etiam occurrere voluit Taulerus concione 68. fol. 169. Ich rathe euch/vnd mahne euch/vnd bitte euch/daß ihr lernet Gott innerlich vnd lauterlich beichten alle ewre Gebrechen/vnd lernet euch jhm gründlich ſchuldig geben/vnd weget vor jhm gröſslich vnd ſehr ewer Gebrechen mit Leid/vnd daß ihr euch nicht ſetzt auff viel auswendiges langes beichten/viel zu ſagen von ewren täglichẽ Gebrechen/wenn da iſt wenig fürganges an/vnd benimt den Beichtvättern jhre Zeit/vnd machet jhnen Verdroſſenheit vnd Vnluſt. Von dieſem viel ſagen/ſo fallen die Gebrechen nicht abe/vnd als ich vor mehr geſprochen habe/die Beichtiger haben keinen Gewalt vber die Gebrechen/kehret euch zu euch ſelber mit Bekentnis ewer ſelber/denn diß außwendig ſagen ohn das innerliche bringet wenig fromen/rc. Huc referendæ ſunt variæ illæ de confeſſione controverſiæ, quæ & confitentis & Sacerdotis animum in difficultates inexplicabiles & dubitationes perpetuas conjiciunt. Conditiones legitimæ confeſſionis numerant ſedecim, quas Richardus 4. ſent. diſt. 17. art. 3. q. ult. complectitur his verſiculis: 4. Eſt carnificina conſcientiarum.

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda,

Integra

Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelarata,
Fortis & accuſans & ſit parere parata.

Inde naſcuntur variæ quæſtiones, an prædictæ conditiones ſint omnes de neceſſitate confeſſionis? utrum nominatio perſonæ, cum qua quis peccavit, ſit neceſſaria ad peccati confeſſionem? (** *Sic ſi infirmus quiſpiam propter imbecillitatem loqui non poſſit, ſignum antẽ aliquod edat veræ cõtritionis, quo ſe peccaſſe ſignificet ac abſolutionem petat, tamen eum abſolvi non poſſe, mordicus propugnant Soto, Ledeſima, Canus & Navarrus, atq; ſic hæc ſalutaris confitendi medicina ab imperitis & importunis Medicis multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata eſt, quibus conſcientiis quas extricare & levare debebant, laqueos injecerunt & tanquam tormentis quibuſdam excarnificarunt.* Georg. Caſſander in conſult. Aug. Confeſſ. p. 109.**) Utrum requiratur ad confeſſionem, quòd fiat genu flexo, capite diſcoperto & hujuſmodi? Utrum confitentes propter gloriam vanam vel alium malum finem, peccent mortaliter? Utrum confitens peccatum, quod non fecit, peccet mortaliter? Utrum omne mendacium dictum in confeſſione ſit peccatum mortale? Utrum confeſſio facta ſit neceſſariò reiteranda? ubi aſſignant aliquot caſus, in quibus confeſſus tenetur iterum confiteri eadem peccata videlicet 1. quando confitetur ei, qui non poteſt abſolvere. 2. quando confitetur ſcienter ei, qui non poteſt ligare vel ſolvere. 3. quando quis non confitetur integrè omnia peccata mortalia, de quibus non eſt legitimè confeſſus uni confeſſori, etiamſi confiteretur diverſis confeſſoribus, ſed ſcienter tacet aliquod peccatum mortale, vel de quo dubitat, utrum ſit mortale peccatum, vel aliquid aliud, quod eſt de neceſſitate confeſſionis, ut puta circumſtantiam quæ mutat ſpeciem & hujuſmodi ex verecundia vel aliquo quocunque reſpectu. 4. quando quis obliviſcitur pœnitentiam injunctam vel contemſit facere. 5. quando confitetur ſine contritione vel attritione debita, quæ ſufficiat ad gratiæ ſuſceptionem cum Sacramento, puta quod eſt in voluntate peccandi vel ex mala intentione confitetur, vel non vult ſatisfacere quod tenetur & hujuſmodi. 6. quando quis recidivat. 7. quando quis confitetur peccatum, à quo ſuus Confeſſor non potuit abſolvere. 8. propter peccati obliti recordationẽ. 9. quando quis ante completam pœnitentiam committit aliquod mortale. 10. cùm quis confitetur excommunicatus exiſtens. Quærunt ulterius, Utrùm ſit confitendũ per verba obſcura? Quid ſtatuendum ſit de eo, qui confitetur Sacerdoti qui dormit aut eum non intelligit? Quæ peccatorum circumſtantiæ neceſſariò exprimendæ? Quid dicendum de eo, qui confitetur ſolummodò, ne reddatur notatus in populo? Utrum dividens confeſſionem ſatisfaciat? Utrum peccata manifeſta confitenda? Num venialia confitenda? An homo teneatur ſtatim confiteri peccato mortali perpetrato? quod Scotus dicit eſſe dubium, Bonaventura diſtinguit inter religioſos & laicos, alii requirunt opportunitatem temporis & confeſſoris. Utrum poſſit quis confiteri per interpoſitam perſonam vel ſcriptum? Utrum qui reſpondet Confeſſori, ad interrogata ſatisfaciat? Utrum confitens teneatur acceptare omnem pœnitentiam, quam Confeſſor ipſi vult jungere? Utrum infideles teneantur ad confeſſionem? utrum pueri? utrum non habens mortale teneatur ex præcepto Eccleſiæ confiteri ſaltem ſemel in anno? Utrum etiam Papa teneatur confiteri? utrum poſſit diſpenſari cum aliquo, ut non teneatur confiteri? An ſi deſit Presbyter, teneatur quis confiteri Laico in caſu neceſsitatis? Lombardus & Thomas affirmãt, Scotus & Richardus negãt. An ſoli Sacerdoti confitendum? An omni Sacerdoti confitendum? ubi dicunt proprio ſaltem confitendum eſſe ſcilicet extra caſum neceſsitatis, ſed quærunt ulterius, quis dicatur proprius Sacerdos? ubi enumerant 1. Papam. 2. Legatum in tota provincia. 3. Pœnitentiarium ejuſdem Legati in provincia. 4. Archiepiſcopum. 5. Epiſcopum in tota Diœceſi. 6. Archipresbyterum Eccleſiæ cathedralis. 7. Vicarium generalis Epiſcopi. 8. Presbyterum Parochialem in tota Parochia. 9. Vicarios præfatorum. 10. Omnes habentes licentiam ab aliquo prædictorum. 11. Proprium Sacerdotem ejus qui eligitur à Papa & reliquis. 12. Quemlibet Presbyterum parochialem vagabundorum proprium Sacerdotem eſſe dicunt. Sed hinc aliæ naſcuntur quæſtiones, An illi qui non habent executionem ordinum, poſsint licentiari ad audiendas confeſsiones? An ſcholares, mercatores, mercenarii &c. commorantes in aliqua parochia poſsint abſolvi ab illis Sacerdotibus, à quibus poſſunt abſolvi parochiales illius parochiæ? quid dicendum ſit de peregrinis viatoribus? quid de illis qui in diverſis locis commorantur æqualiter, aut in diverſis caſtris habent domicilia? An poſsint proprii Sacerdotes autoritatem ſuam aliis delegare? Utrum ex conſuetudine poſsit induci, ut quis confiteatur ad libitum cui vult? De qualitate Confeſſoris, de abſolutione, de pœnitentiæ injunctione &c. itidem innumeræ moventur quæſtiones, in quibus explicandis Canoniſtæ & Scholaſtici tot protulerunt diſtinctiones & ſubdiſtinctiones, tot exceptiones ac diffuſiones, ut negari nõ poſsit, Confeſsionem illam Pontificiam eſſe miſeram animarum carnificinam. Referendi etiam ad hunc locum centenarii interrogationum, per quas examinari jubentur illi qui ad confeſsionem accedunt, quarum claſſes conſtituuntur juxta decem præcepta Decalogi, juxta præcepta Eccleſiæ, juxta quinque ſenſus, juxta ſeptem peccata mortalia, ſecundùm ſeptem opera miſericordiæ, &c. de quibus videantur ſummæ caſuum conſcientiæ, Aphoriſmi confeſsionum à diverſis editi, liber Confeſsionum Card. à Dieterich Stein.

108. 5. Confeſsio Pontificia multis laborat incommodis, qua de re ita diſſerit Chriſt. Hoffmannus in commentariis de pœnitentia lib. 2. part. 2. cap. 7. *Quis tradidit hominibus hoc jus tam tyrannicè de ſecretorum confeſſione præcipiendi? quam nõ modò nemo amare poteſt, aut pià mente præſtare, verùm etiam ex æquo omnes oderunt, ut moleſtiſſimum conſcientiæ onus &c. facit igitur peccatum, ubi nullum eſt, & tamen illaqueat conſcientias imperitas & involvit eas in mortalia delicta? Vere enim peccatum eſt quicquid credis* 5 *Multis laborat incommodis.*

peccatum

peccatum eſſe, & cum conſcientia delicti hoc facit, vel omittit, etiam ſi natura ſuâ nō ſit peccatum. Sic ergo peccant graviter, qui oderunt hanc difficilem ſecretorum confeſſionem, cujus ſe exiſtimant debitores eſſe tanquam pii & neceſſarii operis coram Deo &c. meros igitur hypocritas, efficit ex illis, qui exiſtimant ſe iſti confeſſioni ſatisfacere, quam non poſſunt ſinceriter amare, alios autem qui illius difficultatem & impoſſibilitatem planè intelligunt & credunt, tamen ſe ejus debitores eſſe protrudit cum indignatione & ira atq; blaſphemiis contra Deum in æternæ mortis deſperationem. Dubitari non poteſt. innumera millia animarum hypocriſi, ſimulatione, tædio, pudore & deſperatione hujus coactæ cōfeſſionis enecata fuiſſe ac perdita, ut eſt fortuna earum traditionum, quæ cum oppreſſione libertatis Chriſtianæ, quam in Eccleſiam invehuntur. Hæc ille. Referendum ad hæc incommoda, quòd ſecretà cum ſcandalo audiuntur, quæ tacita & tecta non poſſunt lædere conſcientias audientium confeſſionem, quodque majori cum ſcandalo caſtis auribus tales proponuntur interrogationes, quas æterno ſilentio ſopiri æquius erat. Legantur interrogationes quas profert Angelus de Claviſio, in ſumma caſuum conſcientiæ à folio 148. uſque ad folium 156. ubi tamen addit, quòd multas interrogationes omiſerit, in illis etiam hæ ſunt: Circa ſextum præceptum, ſi fuit ſcortator, ſi ſeſe polluit qualitercunque, ſi voluntariè cogitavit de hujuſmodi peccatis, circa conjugatos ſi negavit debitum petenti, ſi cognovit cauſa ſatiandæ libidinis, ſi cognovit habens intentionem ad alteram, ſi uſus eſt matrimonio extra vas, vel modo indebito, ſi tempore menſtrui, ſi tempore impregnationis, ſi in diebus feſtis &c. ** Tolet. lib. 3. in ſumma caſuum conſcientiæ cap. 7. fol. 156. *Iſti qui peccatum molliciei patiuntur, propriis ſe polluentes manibus, tenentur exprimere perſonam, quam mente concipiebant, ſi aliquam tenebant mente, mutantem ſpeciem & tenentur etiam exprimere in uno actu ſucceſſivè, ſi plures intendebant & Confeſſor debet iſta exigere.* cap. 8. *Idem intelligendum eſt de eo, qui omnia peccata proferre non poteſt ut muto, qui motu ſolùm poteſt aliqua exprimere, non omnia.* ** Hinc ſcribit Acoſta Jeſuita lib. 6. de procuranda Indorum ſalute cap. 16. *Theologus quidam optimè cōſultum ire Indicis dixit & ſcripſit, ſi confeſſionum obligatio tolleretur, ne tot & tam gravia ſacrilegia perpetrare cogantur,* huic verò ita occurrit. *Si perverſis remedio quovis abutentibus iſtæc erit ratio medendi, tolle matrimonia, ne ſint adulteria & ſic de aliis, ne bonum malitia convertat in vitium, quin potius apud ſapienter & rectè omnia æſtimantem, pluris eſt, quòd pauci electi per medicinam ſanantur, quàm quod plures reprobi per illius abuſum deteriores fiunt.* Hæc Acoſta, cui reſpondemus aliam eſſe ordinationum divinarum, aliam humanarum traditionum rationem, illæ nulla habita ratione abuſuum conſervandæ ſunt, hæ verò propter abuſum generalem tolli poſſunt. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. Laicos à ſcripturarum lectione ideò arcendos eſſe diſputat, *quia in illis referatur adulterium Davidis, inceſtus Thamar, mendacia Iudith, quæ ne Laici imitentur, periculum ſubeſſe arbitratur*; de argumenti valore non diſputo, ſed ex hac hypotheſi arguo, propter periculum ſcandali prodigioſas illas interrogationes in confeſſione longè majori jure omittendas eſſe.

109. 6. Confeſſio illa, qualem Romanenſes exigunt, non fuit in primitiva Eccleſiæ Apoſtolicæ vicina uſitata, nec ſcrupuloſa omnium peccatorum enumeratio ſub periculo ſalutis tanquam jure divino neceſſaria à confitentibus exacta. *6. Non fuit uſitata in primitiva Eccleſia.* Gratianus c. in pœnitentia. diſt. 5. de pœnit. *Plures religioſi etiam confeſſionem ſecretam non neceſſariam eſſe cenſuerunt, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus & alii Patres Græci.* ** Gratianus veritatem proponit quæſtionem, *Utrum ſolâ cordis contritione & ſecreta ſatisfactione abſque oris confeſſione quiſquam poſſit Deo ſatisfacere?* affert autem triplicem reſponſionem, prima eſt eorum, qui dicunt, quemlibet criminis veniam ſine confeſſione factâ Eccleſiæ & Sacerdotali judicio poſſe promereri, in qua expedienda capitibus 37. diſtinctionis primæ occupatus eſt. Secunda eſt illorum, qui ſentiunt ſine confeſſione oris & ſatisfactione operis neminem à peccato poſſe mundari & in hac abſolvenda per 50. capita progreditur, ſcilicet uſque ad 87. caput, ſimul etiam cap. 88. & 89. demonſtrat, quibus modis autoritates primæ reſponſioni faventes aliâ interpretatione exponi poſſint. Tertia reſponſio eſt ipſi Gratiani, quam poſt caput 89. ſubjicit his verbis. *Quibus autoritatibus vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis & Confeſſionis nitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem horum potius adhærendum ſit lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros:* ** Vide ſupra. B. Rhenanus præfat. in Tertull. de pœnit. p. 544. *Non aliam ob cauſam complurium teſtimoniis hic uſi ſumus, quam ne quis admiretur Tertullianum de clanculariâ illa peccatorum confeſſione nihil locutum, quæ quantum conjicimus, nata eſt ex iſta exomologeſi.* In quibuſdam exemplaribus ita legitur. *Publicâ exomologeſi uſi ſunt antiqui multis ſeculis priusquam iſta ſecreta naſceretur, de qua Tertullianus nihil habet, quæ penitus id temporis ignorabatur.* Hoc Rhenani teſtimonium Index Expurg. p. 19. deleri jubet. Idem refert Polyd. Virg. lib. 6. de rer. inventoribus c. 1. ſed in eandem incumbit ſpongiam. Deleatur ait Index Expurgat. p. 196. Porrò illud Gratiani de privata Confeſſione judicium veriſſimum eſſe ex ſequentibus conſtat. Ambroſ. lib. 10. in Luc. cap. 22. *Ideo flevit Petrus, quia culpa obrepit ei, non invenio quid dixerit, invenio quòd fleverit, lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego, ſed quod defendi non poteſt, ablui poteſt, lavant lachrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri, veniæ fletus conſulit & verecundiæ.* Aug. lib. 10. Conf. c. 3. *Quid mihi ergo eſt cum hominibus, ut audiant confeſſiones meas, quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos? curioſum genus ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam. Quid à me quærunt, qui ſim, cùm nolunt à te audire qui ſint, & unde ſciunt, cum à me ipſo de me ipſo audiunt, an verum dicam, quandoquidem nemo ſcit hominum quid agatur in homine, niſi Spiritus hominis qui in homine eſt.* Chryſ. hom. 2. in Pſ. 50. *Solus Deus te confitentem videat. Si cōfunderis alicui dicere quæ peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua, non dico*

ut

ut confitearis conſervo. Nunc autem neq; neceſſarium præſentibus teſtibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquiſitio abſque teſte ſit hoc judicium, ſolus te Deus confitentem videat, Deus qui non exprobrat peccata tua, ſed ſolvit peccata propter confeſſionem. homil. 5. de incompreh. Dei natura tom. 5. col. 1185. *Non te in theatrum conſervorũ duco, neu hominibus peccata tua detegere coger, repete coram Deo conſcientiam tuam, te explica, oſtende Medico præſtantiſſimo vulnera tua, & pete ab eo medicamentum.* homil. 4. de Lazaro: *Dic tu peccata tua prior, ut juſtificeris, cur igitur te quæſo pudeſcis & erubeſcis dicere peccata tua? Cave enim homini dixeris, qui tibi exprobret. Neq; enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat, ſed ei, qui Dominus eſt, ei qui humanus eſt, ei qui Medicus eſt, oſtendis vulnera.* hom. 31. in Epiſt. ad Hebræos c. 11. *Non dico tibi ut te producas in publicum, neque ut te apud alios accuſes, ſed obœdire te volo Prophetæ dicenti, revela Domino viam tuã. Ante Deum, ergo confitere peccata tua, apud verum judicem cum oratione delicta pronuncia, non lingua ſed conſcientiæ tuæ memoria & tunc demum crede miſericordiam te poſſe conſequi, ſi habueris in mente tua peccata continuè.* Caſſian. collat. 20. c. 8. ** Andr. Fricius lib. 4. de Eccleſ. c. 9. *Conſcientia oneranda non ſunt anxia peccatorum & circumſtantiarum nõ neceſſariarũ enumeratione.* Leo Papa c. Quamvis diſt. 1. de pœnit. *Quamvis plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium hominum hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedio arceantur, dum aut erubeſcunt aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, pro quibus poſſint legũ conſtitutione percelli.* Caſſand. in conſult. art. 11. *Nec certè de hac re controverſia ulla fuiſſet futura ſi non ſalutaris confitendi medicina ab imperitis & importunis Medicis multis inutilibus traditiunculis infecta & contaminata fuiſſet, quibus conſcientiis quas extricare & levare debebant, laqueos injecerunt, eaſque tanquam tormentis quibuſdam excarnificarunt.* Johan. Ripa ſcriptor. Pontificius de peſte curanda cap. 8. *Græci qui ſoli Deo confitentur in ſecreto, non peccant, quia conſtitutio c. Omnis utriuſq; ſexus non fuit ab Eccleſia Orientali recepta, ſicut nec lex Sacerdotibus prohibens matrimonium.*** *Si verecundiâ retrahente revelare coram hominibus erubeſcis illi quem latere non poſſunt confiteri jugi ſupplicatione non deſinas, qui & abſque ullius verecundiæ publicatione curare & ſine improperio peccata donare conſuevit.* Bellarminus excipit 1. *Ambroſium loqui de pœnitentia Petri eo tempore facta, quo nondum inſtituta fuerit ſacramentalis confeſſio.* Reſp. benè habet, neq; in poſterum inſtitutam eſſe paulò pòſt docebim⁹. Item *lachrymas confeſſionem quandam eſſe.* Reſp. rectiſſimè, ſed ſpecialem enumerationem peccatorum non continent. 2. *Auguſtinum nõ loqui de confeſſione ſacramentali, ſed de confeſſione peccatorum præteritorum per Baptiſmum dimiſſorũ.* Reſp. quidam neceſſitatem confeſſionis referũt etiam ad peccata ante Baptiſmum commiſſa. Sic enim habetur in ſumma Angelica. *Utrum omnes tenentur ad confeſſionem?* Reſp. *quod ſic, omnes qui peccatum mortale commiſerunt & tam infideles quàm fideles ſecundum Richardum in 4. ſent. diſt. 17. ita quod non confitens peccatum mortale commiſſum tam ante Baptiſmum quàm poſt, ſi habet copiam idonei confeſſoris, memoriam peccati & tempus & loquelam ad confitendum omninò damnabitur, cùm ſit de jure divino præcepta, veruntamen prout confeſſio præcepta eſt ab Eccleſia, ut fiat ſemel in anno, non ligat niſi fideles,* contra hos igitur militabit Auguſtini dictum. Oſtendatur autem diſparitas remiſſionis ex Scripturis, quòd requiratur confeſſio ſpecialis peccatorum commiſſorum poſt Baptiſmum, contra verò non requiratur enumeratio admiſſorum ante Baptiſmũ adde, quod ratio Auguſtini ſit generalis. Unde ſciunt, qui de me ipſo audiunt, an verum dicam? 3. *Chryſoſtomum & Caſſianum loqui de exomologeſi publica per Nectariũ abrogata.* Reſp. de Hiſtoria Nectarii paulò pòſt videbimus. Chryſoſt. ſemper opponit confeſſionem coram hominib⁹ & coram Deo, confeſſionem factam intra conſcientiam cogitatione, & eam quæ fit lingua, illã neceſſariam dicit, hanc verò minimè, ut ex ipſis verbis manifeſtum; quod Bellarminus regerit, *Chryſoſtomum loqui de confeſſione, ut ordinatur ad confuſionem & erubeſcentiam, quæ pars dici poteſt ſatisfactionis, non ut ordinatur ad abſolutionem Sacerdotis,* in eo principium petitur. Obſerva Bellarminum diſcedere à Gratiano Pontificum autoritate confirmato, qui Auguſtinum, Ambroſ. & Chryſoſtomum de ſecreta confeſſione locutos eſſe agnoſcit.

110. 7. *Nectarius Epiſcopus Conſtantinopolitanus propter flagitium Diaconi in templo cum nobili fœmina commiſſum confeſſionem auricularem abrogavit,* referente Socr. lib. 5. c. 19. Sozom. lib. 7. c. 16. Tripartita lib. 9. c. 35. Niceph. lib. 12. c. 28. E. nõ judicavit eam eſſe jure divino ſimpliciter neceſſariam. Bellarm. 3. de pœnit. c. 14. probare conatur publicam confeſſionem tantùm abrogatã eſſe à Nectario. Sed diſcedit à Thoma Waldenſi, quem aliàs magnifacit, is tom. 2. c. 14. agnoſcit, ſimpliciter fuiſſe abrogatam confeſſionem: diſcedit à Petro Soto, qui ſcribit in ſcholiis conſ. Witteb. *Nectarium Deo aliquando hac de re redditurum rationem:* diſcedit à Socrate & Sozomeno, qui disertè ſcribunt, *Presbyterum tenacem ſecretorum fuiſſe conſtitutum* (atqui illud in publica exomologeſi non fuit neceſſarium) item: *permiſſum eſſe a Nectario, ut unuſquiſq; ſecundum cõſcientiam ſuam ad ſacra myſteria participanda accederet,* adde quòd in privata confeſſione flagitium erat admiſſum, illam igitur, non autem publicam publicorum peccatorum exomologeſin abrogatam eſſe relinquitur: Deniq; quo jure licuit Nectario ritum publicæ pœnitentiæ additũ propter ſcandalũ removere, eodẽ jure in abroganda ſpeciali peccatorũ enumeratione præter jus divinũ introducta & multis periculis obnoxia uti poſſum⁹. Quicquid igitur ſit de facto Nectarii, illud potiſſimum inquirendum, an ſpecialis peccatorum enumeratio jure divino ſit neceſſaria, de eo igitur audiamus Bellarminum.

7. Eſt à Nectario abrogata.

111. Is lib. 3. de pœnit. cap. 2. & ſeqq. ex Scripturis oſtendere conatur Confeſſionem omniũ peccatorum mortalium eſſe jure divino neceſſariam. 1. Potiſſimùm cauſæ ſuæ robur quærit in cap. 16. & 18. Matthæi, ac cap. 20. Joh. in quibus poteſtas ſolvendi ac ligandi, retinendi ac remittendi peccata, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus datur. *Chriſtus* (ait) *inſtituit Sacerdotes judices*

Argumenta pro ſtabilienda confeſſione Pontificia.

1 Ioh. 20. Quorum cunque remiſeritis peccata, &c.

dices ſuper terram cum ea poteſtate, ut ſine ipſorum ſententia nemo poſt Baptiſmum lapſus reconciliari poſſit, ſed nequeunt Sacerdotes rectè judicare, niſi peccata cognoſcant. E. jure divino tenentur, qui poſt Baptiſ. lapſi ſunt, peccata ſua Sacerdotibus aperire. Reſp. 1. Canoniſtæ & quidam ex Scholaſticis negant hoc argumentum neceſſariò concludere. *Datur Apoſtolis poteſtas judicandi* (inquit Biel. 4. ſent. diſt. 17. q. 1.) *ſed non imponitur neceſſitas peccatoribus confitendi.* Si dicat Richardus, nullus eſt judex meus in re aliqua, in quanō teneor facere, niſi quantum voluero, reſpondet Biel. *hæc ſolutio non excludit replicam, quia frequenter conſtituitur partibus judex arbitrarius & tamen non imponitur partibus neceſſitas ſe ſubmittendi.* 2. Scotus, qui neceſſitatem confeſſionis ex jure div. deducit, alio probationis genere utitur. *Non videtur* (ait) *quod Eccleſia tanquam pia mater tam oneroſum & arduum præceptum imponeret omnibus Chriſtianis, niſi eſſet præceptum divinum.* At num Deus minoris miſericordiæ, quàm Eccleſia? 3. In verbis Chriſti Joh. 20. immediatè præcedit. *Sicut Pater me miſit, ita & ego mitto vos.* At ubinam Chriſtus ſpecialem omnium peccatorum remiſſionem exegit? 4. ubi Apoſtoli eam leguntur exegiſſe? quorum praxis optimè interpretatur Chriſti verba. Legantur Acta Apoſtolica, & evidenter conſpicuum erit, quomodo Petrus, Paulus, & reliqui Apoſtoli clavibus his fuerint uſi. 5. Loca adducta ſunt à quæſtione aliena, loquuntur enim de abſolutione, quæritur autem hoc loco de confeſſione. Si dicas, abſolutionem præquirere confeſſionem: reſp. à confeſſione generali, quæ ex his textibus quodammodo deduci poteſt ad ſpecialem omnium peccatorum enumerationem, Item à confeſſione ſpeciali quorundam peccatorum pia & libera, ad confeſſionem Pontificiam non valere conſequentiam. 6. ut autem tota res ſit evidentior, de poteſtate remittendi vel retinendi peccata Apoſtolis & ipſorum ſucceſſoribus data uberius dicendum erit. Concedimus haud inviti datam eſſe Apoſtolis non verbalem, ſed realem, non imaginariam & fictā, ſed veram poteſtatem peccata hominibus remittendi, ſed quæritur, qualis ſit illa poteſtas, ac quibus terminis includatur? ad quod ex ſcripturis reſpondemus. Miniſtri lapſos Deo reconciliant, non poteſtatem aliquam judiciariā propriâ autoritate exercendo, ſed alienum beneficium Chriſti ſcil. impertiendo, *remiſſionem peccatorum in omnes gentes prædicando & teſtimoniū de Chriſto perhibendo* Luc. 24. v. 47. & 48. *myſteria Dei diſpenſando* 1. Cor. 4. v. 1. *miniſterio reconciliationis & legationis pro Chriſto fungendo* 2. Cor. 5. v. 18. *Proinde*** quod Dominus dixit: *quibus remiſeritis &c.* Apoſtolus dixit Antiochenis Actor. 13. v. 38. *Nos vobis annunciamus remiſſionem peccatorum per Chriſtum.* 2. Cor. 5. v. 18. *Chriſti nomine legatione fungimur, velut Deo precante per nos, oramus Chriſti nomine, reconciliamini Deo.*** & iterum *quod Chriſtus dicit: Accipite Sp. S. quorū remiſeritis peccata &c.* optimâ ratione conferri poteſt cum eo quod apud Marcum dicit: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ,* hoc eſt, ſuſcipite miniſterium Spiritus Sancti quod eſt officium prædicandi Evangelii in toto orbe terrarum, hoc enim officium eſt clavis cœleſtis regni. *Qui ergo crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Hoc eſt habere recluſas & apertas fores cœleſtis regni. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Hoc eſt habere fores regni cœlorum clauſas, Apol. Confeſſ. Wirteb. p. 524. 7. Duplex igitur eſt remiſſio peccatorum authentica & miniſterialis, αὐθεντικὴ & διακονικὴ, illa ſolius Dei propria eſt, *quippe cui ſoli peccatur* Pſal. 51. v. 6. ac proinde *ſolus* hoc modo *peccata remittere poteſt* Marc. 2. v. 7. hæc verò miniſtris Eccleſiæ eſt conceſſa. Iren. lib. 4. c. 57. p. 290. *Quomodo Chriſtus peccata nobis dimittere poterat, quæ debebamus noſtro factori & Deo, ſi non eſt Dominus.* lib. 5. cap. 15. p. 338. *Quomodo rectè remiſſa ſunt peccata, niſi ille ipſe in quem peccavimus, donavit remiſſionem.* Tertull. de Bapt. p. 707. *Neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, niſi Deus ſolus.* Cypr. ſerm. 5. de lapſis, p. 153. *Solus Dominus miſereri poteſt, veniā peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus ipſe poteſt largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris.* Cyrill. lib. 12. in Johan. cap. 56. *Certè ſolius veri Dei eſt, ut poſſit à peccatis homines ſolvere. Cui enim alii prævaricatores legis liberare à peccato licet, niſi legis ipſius autori.* Gregor. Nyſſen. lib. de orat. pag. 19. *Remittere peccata eſt ſolius Dei:* 8. Quare ſi judicium vel poteſtas judicialis pro miniſteriali accipiatur, Item pro accurata illa diſcretione, quam obſervare debent miniſtri, ne ligent ſolvendos, vel ſolvant ligandos, concedimus illis tale judicium. Si verò intelligatur proceſſus ille judiciarius, qui in æſtimatione quantitatis ac qualitatis peccatorum conſiſtit, ac pro peccatorum quantitate certas ſatisfactiones vel mulctas pecuniarias imponit, talem poteſtatem miniſtris denegamus, quippe quam à Chriſto illis conceſſam eſſe probari nullâ ratione poteſt; hac de re Ambroſii ſententia citatur in jure Canonico. *Verbum Dei dimittit peccata, Sacerdos exhibet officium & nullius poteſtatis jura exercet, miniſter enim alieni promiſſi ac beneficii eſt, non Dominus.* Idem lib. 3. de S. S. c. 19. *Cum ipſe Dominus dixerit, accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt, Ecce quia per Spiritum S. peccata donantur, homines autem in remiſſione peccatorum myſterium ſuum exhibent, non jus alicujus poteſtatis exercent, neque enim in ſuo ſed in Patris & Filii & S. S. nomine peccata dimittuntur. Iſti rogant, divinitas donat, humanum enim obſequium, ſed munificentiæ ſupernæ eſt poteſtatis.* Hier. in c. 16. Matth. *Id juris & officii habent Evangelici Sacerdotes, quod olim ſub lege habebant legales in mundandis leproſis.* Ibid. *Iſtum locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, ut vel damnent innocentes, vel ſolvere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Levit. 13. & 14. de leproſis, ubi jubentur ut oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc a Sacerdote immundi fiant &c. Quomodo ergò ibi leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit: Sic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter, non eos qui ſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cùm peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quivè ſolvendus.* Idem in cap. 14. Eſa. *Funibus peccatorum unusquisque conſtringitur, quos funes atq; vincula ſolvere poſſunt & Apoſtoli imitantes Magiſtrum ſuum,*

ſuum, qui eis dixerat: Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Solvant autem eos Apoſtoli ſermone Dei & teſtimoniis Scripturarum & exhortatione virtutum. Chryſoſt. homil. 9. de pœnit. *Medicina hic locus eſt non judicii; non pœnas ſed peccatorum remiſſionem tribuit pœnitētia.* Marſilius Patavinus in defenſore pacis part. 2. c. 6. *Aliter Deus ſolvit vel ligat, aliter Eccleſia, id eſt, Sacerdotes. Ipſe enim per ſe tantùm dimittit ita peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula & à debito æternæ mortis ſolvit, non autem hoc Sacerdotibus conceſſit, quib. tamen tribuit poteſtatem ligandi & ſolvendi, id eſt, oſtendendi homines ſolutos vel ligatos. Unde dominus leproſum ſanitati priùs per ſe reſtituit, deinde ad Sacerdotes miſit, quorum judicio oſtenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum jam vivificatum obtulit diſcipulis ſolvendum, quia etſi aliquis apud Deum ſolutus ſit, non tamen in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per judicium Sacerdotis. In ſolvendis ergò culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Evangelicus & judicat, ſicut olim Legalis in illis, qui contaminati erant leprâ quæ peccatum ſignat.* Hæc Marſilius ex Lomb. 4. ſent. diſt. 18. lit. E. & F. cujus verba: ** §. 4. *Tunc ſententia Sacerdotis approbatur Dei judicio, cum ita procedit ut eorũ merita* (quos abſolvit vel excommunicat) *non contradicant.* Petrus Aſilus de Tyrann. Pontificum cap. 5. p. 107. citat dictum Weſſeli. *Clavis poteſtatis nihil operatur ſine clave pietatis.***

An judiciaria quadam poteſtas Miniſtris Eccleſiæ data ſit.

112. Quomodo verò probat Bellarminus, judiciariam poteſtatem ex autoritate abſolvendi Sacerdotibus datam eſſe? 1. urget metaphoram clavium, *quæ ſolent dari non ad ſignificandum oſtiũ eſſe clauſum vel apertum, ſed ad aperiendum & claudendum reipſa. Item apud homines claves dari ſolent Magiſtratibus in ſignum poteſtatis. 2. Ligare & ſolvere non ſignificant denunciare vel declarare, ſed reipſa vincula injicere aut demere. 3. retinere eſt remittere nolle, negatur igitur remiſſio illis, quibus noluerint Sacerdotes remittere. 4. Evangelium omnibus indefinitè prædicandum, ſed peccata non ſunt omnibus indefinitè remittenda, verùm certis hominibus, iis ſcilicet quos Sacerdotes judicaverint abſolvendos. 5. Spiritus S. inſufflando ſimul datus fuit, ut oſtenderetur peccata remitti extinguendo ac diſſolvendo. 6. Patres docent Sacerdotes ex poteſtate remittere peccata. 7. Si Sacerdotes non eſſent judices, nemo periret ex eo ſolùm, quod Sacerdotem reconciliantem habere non poſſit, at hoc Auguſtinus aſſerit. Si Sacerdos non aliter abſolveret, quàm annunciando divinas promiſſiones, non niſi fruſtrà ac ridiculè abſolverentur ſurdi & ſenſibus deſtituti. Si abſolutio eſſet annunciatio remiſſionis peccatorum, vel temeraria eſſet vel ſuperflua. Cùm enim miniſter dicit, remittuntur tibi peccata, aut abſolutè hac pronunciat, aut ex hypotheſi, ſi videlicet credas, & ut oportet, pœnitentiam agas. Si abſolutè, temerè id pronunciat, cùm ignoret, an is qui reconciliationem petit, ſit verè pœnitens & fidem habeat, qualis requiritur. Si verò eſt abſolutio conditionalis, non poteſt talis abſolutio certum facere pœnitentem. Denique ſi abſolutio non eſſet actus judicialis, ſed ſimplex annunciatio divinæ promiſſionis, non minus abſolvere poſſit Laicus ac fœmina.* Hæc Bellarm. Reſp. 1. libenter concedimus, abſolutionem non eſſe tantùm declarationem ejus, quòd jam ante intus in pœnitente factum eſt, ſed etiam efficax medium, per quod Chriſtus verè pœnitentibus confert quod promiſit. Nequaquā igitur dicimus, poteſtatem clavium tantùm in ſignificando conſiſtere, quòd pœnitentibus cœlum apertum ſit, ſed abſolutionem dicimus eſſe talem annunciationem remiſſionis peccatorũ, quæ efficax ſit virtute Spiritus ſancti, qui per illam offert, applicat & obſignat remiſſionem peccatorũ agentibus pœnitentiam & credentibus, eandemq; in cœlis ratam eſſe. Tam verè miniſterio Apoſtolorum & aliorum Eccleſiæ miniſtrorũ peccata pœnitentibus dimittuntur, quàm verè auditores ſuos ſalvare dicuntur 1. Tim. 4. v. 16. 2. Interim tamen immotum manet diſcrimen inter poteſtatem αὐτεξούσιον & miniſterialem. Solus DEUS remittit peccata principaliter & αὐτεξουσίως utens Sacerdote tanquam præcone & miniſtro remiſſionem hominibus annunciante, Chriſtus igitur propriè eſt judex, paſtores ſunt miniſtri. Chriſtus aperit ut cauſa principalis ac *Dominus domus* Hebr. 3. v. 6. Miniſter aperit ut cauſa inſtrumentalis ac diſpenſator myſteriorum in illa domo conſtitutus 1. Cor. 4. v. 1. agit igitur non propriâ poteſtate vel autoritate, ſed duntaxat ratione miniſterii, proinde quemadmodum Propheta Nathan ad Davidem nequaquam dicebat, Ego tranſtuli peccatum tuum, ſed *Dominus tranſtulit*: ita miniſtri Eccleſiæ non dicunt, Ego ex autoritate & poteſtate propria, ſed ego miniſter Chriſti & Eccleſiæ in Chriſti nomine peccatorum remiſſionem tibi annuncio. ** Gregor. hom. 26. in Evang. *Tunc vera eſt abſolutio præſidentis, cùm æterni arbitrium ſequitur judicis, quod benè quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quã videlicet demonſtrat, quia priùs mortuum Dominus vocavit & vivificavit dicens. Lazare veni foras; poſtmodum is, qui vivens egreſſus fuerat, à diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt. Cumque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus inſtitis, tunc dixit diſcipulis. Solvite eum & ſinite abire. Ecce illum diſcipuli jam viventem ſolvunt, quem Magiſter reſuſcitaverat mortuum. Si enim diſcipuli Lazarum mortuũ ſolverent, fœtorem magis oſtenderent quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quod illos debemus per autoritatem paſtoralem ſolvere, quos autorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam vivificare &c.* ** 3. Si à voce Sacerdotis abſolventis abſolutè penderet remiſſio peccatorum, conſequens foret, miniſtrum non ampliùs hypotheticè ſub conditione fidei ſed categoricè ex plena poteſtate pronunciare debere abſolutionis formam, inde iterum conſequeretur, hypocritis qui pœnitentiam & fidem ſimulant, verè obtingere peccatorum remiſſionem, quia vocem Sacerdotis abſolventis audiunt; viciſſim illis, quibus per injuriam vel incuriam ligata ſunt peccata, verè ligata eſſe. Si enim abſolutio eſt realis peccatorum ablatio in impœnitentibus, etiam ligatio erit realis poſitio in pœnitentibus. 4. Si miniſtri ex autoritate judiciali peccata remitterent, ſequeretur objectũ miniſterii eſſe peccatorum quantitatem ac qualitatem; Sed Scriptura hoc nuſpiam aſſerit, quin potiùs uſum miniſterialis illius poteſtatis ad ſeriam contritionem & fidem in Chriſtũ reſtringit. Quicunque teſtantur ſe ex animo propter peccata dolere, in Chriſtum credere & emendationem vitæ ſeriò amplecti, illis peccata Deus remitti juſſit, qui verò peccata nondum agno-

ſcunt, nec de illis ſeriò dolent, nec in Chriſtum credunt, ſed ſecurè pergunt, illis peccata retineri idem juſſit. 5. Proinde ad uſum poteſtatis miniſterio Eccleſiaſtico conceſſæ nequaquam requiritur ſpecialis & articulata peccatorum enumeratio; Miniſtri Eccleſiæ juſſi ſunt gratuitam peccatorum remiſſionem per & propter Chriſtum verè pœnitentibus annunciare, nuſpiam verò acceperunt mandatum certam ac definitam ſingulorum peccatorum perſolutionem vel pecuniâ vel ſatisfactionis operibus redimendam à pœnitentibus exigere, atque eo fine ſpecialem peccatorum enumerationem requirere. 6. Non eſt quòd obvertatur, miniſtrum falli poſſe, niſi in ſpecie omnia enumerentur peccata; etenim an non idem in confeſſione peccatorum Baptiſmo præmiſſa fieri poteſt & factum eſt Actor. 8. v.13.? adde quod in ſpeciali illa confeſſione itidem hoc accidere poſſit, unde enim Romanenſis Sacerdos exactè novit, confitentem nihil reticuiſſe, atque in circumſtantiis nihil omiſiſſe? monendi igitur ſunt homines ac ſeriò quidem monendi in abſolutione non cum hominibus, ſed cum Deo cardiognoſta, qui non irridetur. Act.1.v.24. Gal.6.v.7. ſibi negotium eſſe, miniſtris hoc dominium in conſcientias & cordium alienorum ſcrutinium non eſt mandatum; ſi qui verò fideli Paſtoris commonitione poſthabitâ pœnitentiam tantùm ſimulāt & ex hypocriſi abſolutionem petunt, Deum graviter offendunt, nec ullum ex abſolutione ſortiuntur fructum, ſed gravius potiùs judicium accerſunt. 7. Nec eſt, quòd quis obvertat, hac ratione omnem abſolutionis certitudinem tolli, ſi ex conditione pœnitentiæ & fidei dependere dicatur, neque enim ex quantitate contritionis vel fidei de abſolutione judicandum eſſe dicimus, ſed ſeriam contritionem, ac veram non hypocriticam fidem, neceſſariam eſſe ducimus, jam verò quilibet ſeipſum probare poteſt, an verè agnoſcat ac deteſtetur peccata, ac verè in Chriſtum credat 2. Cor. 12. verſ. 5. *Vos ipſos tentate an ſitis in fide.* 8. Quod Bellarm. dicit, *multos perire ex eo ſolùm, quod Sacerdotem reconciliantem habere non poſſint*, in eo & ſibiipſi & veritati contradicit. Si enim contritio ſeria in caſu neceſſitatis ſufficit, ut ipſemet aſſerit. 2. de pœnit. cap.13. utique Sacerdotis abſolutio non erit abſolutè neceſſaria. Si in caſu neceſſitatis Catechumeni abſque Baptiſmo decedentes per fidem ſalutis fiunt participes, conſequens eſt eodem modo abſque Sacerdotis abſolvētis voce veram pœnitentiam agentes ſalutis participes fieri. Reconciliatio cum Deo haudquaquam ex voce Sacerdotis abſolventis abſolutâ quadam neceſſitate dependet, ſed ex vera ad Deum converſione, ac viceverſa damnatio non ex carentia Sacerdotis, imò ne quidem ex ligatione, ſed ex impœnitentis & incredulitate dependet. 9. Breviter, miniſtri Eccleſiæ ſunt legati Dei, illis igitur remittant peccata, quibus Deus ea remitti vult; illis retineant, quibus Deus ea vult retenta. ** Bellarminus ſic argutatur. *Etiamſi privati lites, quas inter ſe habent ſine publicorum judicum ſententia componere poſſunt, tamen eas lites componere non poſſunt, quas cum Rege ipſo habent, niſi illum adeant, quem loco ſuo Rex judicem eſſe voluit. Sic peccata omnia cauſa ſunt, quas cum Deo habemus, & ideo cum Deus judicium de peccatis Sacerdotibus permiſerit in Eccleſia ſua, non poſſunt, qui in Eccleſia ſunt, ſi ejuſmodi cauſas habeant, ſine Sacerdotum judicio cum Deo reconciliari.* Reſp. Deus non eſt deterioris conditionis quàm ſunt Principes iſti inter homines. Cùm ergo Principes multas cauſas ipſimet cognoſcant decidantque & ſuos hoſtes abſolvant ſæpenumero inſciis & invitis Conſiliariis ac Judicibus inferioribus, cur ergo Deo hoc non ſit licitum? ** Efficax omninò eſt reconciliatio ſubditorum cum Rege per Legatum facta, interim non eſt authentica, ſed miniſterialis, non abſolutæ neceſſitatis, ſed liberæ diſpoſitionis; non judiciaria ſed legataria: ex quibus de reliquis, utpote de abſolutione facta ſurdis & phreneticis: de abſolutione per Laicum in caſu neceſſitatis facta judicium fieri poteſt, illam improbamus, hanc acceptamus.

113. Altera claſſis dictorum Scripturæ à Bellarm. adducta continet *varios confeſſionis typos* *2. Ex typis & allegoriis V.T.*
& allegorias ex V. T. adductas. Reſp. Oſtendimus ſuo loco, ex typis & allegoriis non poſſe firma & apodictica argumenta deduci, niſi ipſa Scriptura applicationem oſtendat. Articuli fidei ex propriis & perſpicuis Scripturæ dictis probandi ſunt, poſtea demum adhiberi poſſunt allegoriæ, ex *ſolo ſenſu literali ducuntur firma argumenta*, ſcribit ipſe Bellarmin. lib. 3. de verb. Dei cap. 3. Videamus tamen quas allegorias texat. *1. Deus exigit peccati confeſſionem ab Adamo & Eva, item a Caino* Geneſ. 3. & 4. *ubi exigitur confeſſio non ſolùm cordis, ſed etiam oris, nec ſolùm in genere, ſed etiam in ſpeciali, nec tantùm coram Deo, ſed etiam coram ejus miniſtro, nam interrogatio illa facta eſt per Angelum in forma humana apparentem, ut patet ex eo, quod ambulabat in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* Reſp. Hæc exempla ſunt à quæſtione aliena, quia primorum parentum & Caini confeſſio non homini, ſed ſoli Deo facta eſt. Figmentum eſt à textu alienum, quòd confeſſio illa facta ſit Angelo in forma humana apparenti Geneſ. 3. v. 8. *Audierunt vocem Iehova Dei deambulantis in horto.* Chaldæus habet vocabulum Meimerah, Filium Dei denotans. verſ. 11. *Nonne dixi tibi, de arborella non comedes &c.* vides illum loqui, qui præceptum priùs dederat, hoc eſt, Deum ipſum verſ. 12. qui mulierem Adæ adduxerat, verſ. 15. *Qui inimicitias ponit inter ſemen mulieris ac ſerpentem*, quæ omnia non niſi uni Deo competunt. Caini confeſſio conjuncta fuit cum deſperatione, ergò magis adhuc aliena eſt à quæſtione. Neque nos improbamus graviora delicta curatoribus animarum aperiri, ut conſcientia firmiori conſolatione erigi poſsit, ſed omnium omninò peccatorum enumerationem jure divino neceſſariam eſſe negamus. *2. Iudicium de lepra commiſſum fuit Sacerdotibus*, Levit. 13. verſ.14. *quod Chriſtus approbat Matth. 8.* Reſp. Epiſtola ad Hebræos Levitici Sacerdotii typum diligenter exponit, nuſpiam autem ex eo miniſtris N. Teſt. talem judiciariam poteſtatem aſsignat. Concedimus miniſtris Eccleſiæ judicium de ſpirituali lepra, ut peccata manifeſta arguant & contumaces tranſgreſſores excludant, ſed ex eo nondum evincitur, omnia etiam occultiſsima delicta in confeſsione enumeranda eſſe. Adde quòd Sacerdotes leproſos nec

mundos vel immundos fecerunt, ſed tantùm ſignificarunt, quod Bellarmini ſententiæ adverſatur? ** 1. Sicut Sacerdotibus licuit de ſola lepra & non de aliis morbis cognoſcere: ita miniſtris in N. T. licebit de ſolis peccatis diſpicere & videre, quomodo illa curentur, ſeque rebus politicis non immiſcere. 2. Sicut Sacerdotes nullum dicebant eſſe leproſum, niſi qui verè leprâ erat infectus, nec mundum in quo veſtigia & reliquiæ quædam hærebant: ita decebat Pontificios peccata non fingere vel excogitare in iis, qui nulla habent vel quæ peccati nomen non merentur, neque puros & ſanctos proclamare qui ulceribus & ſceleribus ſcatent. 3. Quemadmodum omnibus Sacerdotibus licebat de lepra cognoſcere ac judicare vel de immunditie vel ſanatione ſic cuilibet pio in N. T. conceſſum erit proximum peccatis territum verbo Evangelii ſolari & rem. pecc. ei annunciare quia omnes ſunt Spirituales *Sacerdotes* Apoc. 1. v. 6. 1. Pet. 2. verſ. 5. ** Totum Leviticum Sacerdotium fuit typus Chriſti, qui in ara crucis pro ſpirituali lepra, id eſt, pro peccatis totius generis humani perfectiſſimum obtulit ſacrificium per ſanguinis effuſionem, cujus aſperſio fit per verbum Evangelii à miniſtris Eccleſiæ prædicatum. Leproſus à Chriſto ad Sacerdotem ablegatur, non ut per eum mundaretur, ſed ut agnitâ & probatâ ipſius munditie, juxta præſcriptum legis pro eo offerretur, atque ut miraculo hoc Sacerdotum obſtinatio convinceretur. 3. *Num. 5. Levit. 5. Divinitùs mandatur peccatorum confeſſio, cui adjungitur loco cujuſdam ſatisfactionis oblatio Sacrificii.* Reſp. Hæc confeſſio nequaquam eo fine requiſita fuit, ut præfiguraret ſpecialem omnium peccatorum enumerationem in N. T. inſtituendam, ſed ut eſſet indicium veræ pœnitentiæ, atq; ut pro ratione delicti ſacrificia offerrentur, non quidem in ſatisfactionem quandam (quę ſententia planè Judaica eſt) ſed in typum unici ſacrificii propitiatorii in ara crucis à Chriſto offerendi, quod pii Iſraëlitæ fide intuebantur & peccatorum remiſſionem hoc modo conſequebantur. Hodiè in N. T. poſtquam Filius Dei *unâ oblatione conſummavit omnes qui ſanctificantur* Heb. 10. verſ. 14. non ampliùs requiruntur diſtinctæ hoſtiæ vel diverſæ ſignificationes pro diverſis peccatis, ſed unius ſacrificii fructus per verbum Evangelii credentibus confertur. Lyranus in cap. 16. Levit. *Sacerdos poſitâ utraque manu ſuper caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël & univerſa delicta atque peccata eorum, non explicando* (inquit) *omnia in particulari, quia impoſſibile erat, tum propter brevitatem temporis, tum quia Sacerdos non omnia peccata populi ſciebat, ſed in generali.* ** Lutherus tom. 1. Jen. Germ. in libro. *An Pontifex poſſit præcipere Confeſſionem*, memorat in Papatu pro ſtabilienda confeſſione privata etiam adductum fuiſſe locum Prov. 27. v. 23. *Agnoſce vultum pecoris tui, tuosque greges conſidera.* Atqui 1. in Vet. Teſt. nondum fuit inſtituta auricularis confeſſio. 2. Salomon ibi loquitur de cura rei œconomicæ. 3. ſi vel maximè ad Eccleſiaſticos paſtores hunc locum referre velimus, nondum tamen auricularis confeſſio ex eo elici poſſet, cùm aliâ ratione oves ſuas poſſint noſcere quam per auricularem confeſſionem. ** 4. Matt. 3. & Marc. 1. *Multi accurrunt ad Baptiſmum Johannis confitentes peccata ſua*, quod in ſpecie factum fuiſſe Bellarminus ſtatuit. Reſp. Evangeliſtæ disertè dicunt, quod exiverit ad Johannem *Hieroſolyma & omnis Iudæa & omnis regio circa Iordanem*; ſi omnes ad Baptiſmum Johannis accedentes omnia & ſingula peccata confeſſi fuiſſent, Johannes in toto miniſterii tempore nihil aliud egiſſet, quàm quòd ſecus arbuſtum deſidens confeſſiones ſingulorum audiviſſet. Adde, quòd de confeſſione ante Baptiſmum textus agit, in qua ſingulorum peccatorum enumerationem neceſſariam eſſe negant: frivolum eſt, quòd Bellarminus obvertit, *Chriſti Baptiſmum eſſe à Johannis Baptiſmo diverſum, cùm ille ex opere operato peccata omnia quoad culpam & quoad pœnam remittat, hic vero minimè*, quâ de re ſuo loco. ** Catharinus objicit Cajetano inter 200. illos errores etiam hunc, quod ſtatuat *Venientes ad Baptiſmum Johannis peccata ſua confeſſos fuiſſe non auriculari confeſſione, ſed in genere, id eſt, non peccata ipſa, ſed ſe peccatores eſſe.* Item qui legitur Actor. 19. *Confitebantur actus ſuos, non pertinere ad Sacramentalem Confeſſionem.* Chronologi colligunt, illo ipſo tempore, quod in V. T. confeſſioni & afflictioni addictum fuit, Johannem Baptiſtam prędicaſſe in deſerto Baptiſmum pœnitentiæ; utique ergo non aliter coram Johanne confeſſi fuerunt innumeri homines quàm aliàs confiteri ſolebant eodem tempore in ſolenni, generali & publica confeſſione, nimirum generaliter. ** 5. Joh. 11. *Apoſtoli jubentur Lazarum a vinculis funeralibus ſolvere.* Reſp. Textus disertè non exprimit, num Apoſtolis an Judæis aſtantibus Lazari amicis dictum ſit, Solvite eum. Si præter Apoſtolos alii etiam ſolverunt Lazari vincula, ſequetur etiam Laicos abſolvere poſſe, quod Bellarm. negat. Maldonatus in comment. hujus loci p. 914. *Non explicant Evangeliſta, quibus hoc Chriſtus mandaverit, ſed dubium non eſt mandâſſe Judæis, qui aderant; ut ſuis ipſi manibus factum quodammodo miraculum tangerent, eumq; omnium bonorum autorum eſſe ſententiam paulo antè docuimus, Auguſtinum, Gregorium & Bedam excipio, mandâſſe Judæis, ut dum ipſi manibus ſuis vincula ſolverent, cognoſcerent verum eſſe Lazarum, qui jam mortuus fuit; aſſerunt Chryſoſtomus, Ambroſius, Theophylactus, Rupertus, Euthymius, Leontius, Theodoretus, Cyrillus &c.*

114. Tertia claſſis dictorum Scripturæ alia quatuor teſtimonia continet. 1. Act. 19. *Multi credentium veniebant confitentes & annunciantes actus ſuos*, ubi per actus intelliguntur peccata, per τὸ ἀναγγέλλειν ſpecialis eorum enumeratio. Reſp. Chryſoſt. hom. 41. in Acta locum de miraculis accipit, quem ſequitur D. Lutherus. Credentes veniebant confitentes & annunciantes acta ſua, hoc eſt, publicè cum gaudio prædicabant, quid Deus per eos feciſſet, ſicut *ſeptuaginta diſcipuli cum gaudio reverſi miracula Dei celebrant.* Luc. 10. v. 17. Sed demus de confeſſione peccatorum agi, nondum tamen evictum, de ſpeciali peccatorum confeſſione agi, demus etiam de ſpeciali quorundam peccatorum confeſſione textum loqui, nondum tamen ſequitur, omnium omninò peccatorum enumerationem neceſſariam eſſe & quidem jure divino. Exemplum proponitur, quod imitari in pari caſu poſſumus, non autem lex præſcribitur abſolutè

3. Ex dictis N. T. Actor 19. confitebantur actus ſuos.

omnes obligans. Nec evinci poteſt, confeſſionem illam Sacerdotibus factam, ſed circumſtantiæ textus docent, publicam hanc fuiſſe annunciationem & confeſſionem in toto Chriſtianorum cœtu factam, ut Eraſmus in annotationibus ex verbo ἀναγγέλλειν oſtendit. Denique an credentes illi jamdum baptizati fuerint, nec ne itidem ex textu colligi nequit, in quo non parum momenti, quod ad hanc quæſtionem attinet, ſitum eſt. Lorinus Jeſuita in hunc loc. *Ex hoc loco Caniſius, Gregor. de Valentia, Lindanus, Alphonſus de Caſtro, Hoſius, Tapperus, Eccius, Petrus à Soto, Baronius, Salmeron & plures alii pro privata & ſacramentali confeſſione concludunt. Equidem terreor tam multorum judicio, ne definitè aliquid judicem. Non auſim tamen illud Baronii, certum eſt uſurpare. Nam excipere quiſquam poſſit, ſermonem non eſſe de jam baptizatis, ſed de Catechumenis jam animo ac voluntate propenſis ad religionem Chriſtianam, ut non raro in hiſtoria hac ſuperiore tota, in qua ante Baptiſmum quidem credidiſſe dicuntur, credentes converſi ad Dominum, quanquam non ignorem abſolutum nomen credentium, ſicut & fidelium, de conſummatè Chriſtianis, hoc eſt, baptizatis intelligi. Adhæc Lucas videtur de illis loqui, quos antè nominaverat, gentiles & Iudæos, qui nimirum timore correpti propter caſos exorciſtas à Dæmonibus ad Apoſtolum confugiunt. Poſtremò Baſilius, cujus me penitus autoritas opprimeret, fallor niſi contrarium indicat: ait enim in Act. Apoſt. eos Apoſtolis peccata confeſſos, a quibus & baptizabantur. Idem docet Athanaſius. Accedat, quod nullus ex antiquioribus Theologis probat hoc ex loco confeſſionem ſacramentalem neq; vel Catechiſmus Concilii Tridentini, neque ex recentioribus aliqui, qui hoc tamen argumentum accuratè ſunt perſecuti, imo aliqui negant hic agi de illa, aut ex illo Baſilii teſtimonio probari. Andreas Vega, verba* (inquit) *ex Actibus referri poſſunt ad confeſſionem quandam in genere, quæ tempore Apoſtolorum a ſuſcipientibus Chriſti fidem fiebat, antequam daretur iis Baptiſmus Chriſti. Euſebius* (lib. 3. de demonſtr. Evang. cap. 8.) *planè exponit eos immediatè prius fuiſſe gentiles & non Chriſtianos. Auguſtinus idem ſignificat. Arator item diſertè ita ſentit, ideò confeſſos & libros ſuos combuſſiſſe, ut impetrarent Baptiſmum. Porrò quòd alii ex verbis græcis argumentantur, illorum noſtro non magis concludit ſacramentalem confeſſionem ex voce* ἐξομολόγησις *hoc loco, quàm apud Baptiſtam*, Marc. 1. v. 5. *ubi eadem vox habetur*. Hactenus Lorinus. 2. 2. Corinth. 5. *Dedit nobis Deus miniſterium reconciliationis, pro Chriſto ergo legatione fungimur. Qui mittuntur Legati cum poteſtate reconciliandi inimicos Regis cum ipſo Rege, non poſſunt rectè munere ſuo defungi, niſi cognoſcant ex epiſtolis, quid egerint, quam graviter regiam majeſtatem læſerint, quam ſatisfactionem perſolvere ſint parati &c. Ergo poteſtas reconciliandi neceſſario ſert ſecum poteſtatem cognoſcendi cauſas reorum.* Reſp. Etiam in V. T. miniſterium illud reconciliationis vigebat & tamen in V. T. ſpecialem peccatorum enumerationem neceſſariam fuiſſe ipſe Bellarmin⁹ negat. In Baptiſmo reconciliamur Deo, eſt n. Baptiſmus ἐπερώτημα τῆς ἀγαθῆς συνειδήσεως 1. Pet. 3. v. ult. atqui in confeſſione ante Baptiſmum ſpecialem peccatorum confeſſionem requiri, itidē Bellarm. negat, falſa igitur eſt argumenti hypotheſis, quod Legati non poſſint reconciliare ſubditos Regi, niſi de omnibus ipſorum offenſis priùs conſtet. Ac ſi vel maximè evinceretur, in reconciliationibus inter homines hoc requiri, nondum tamē ſequeretur in reconciliatione hominum cum Deo idem neceſſarium eſſe. Miniſtri reconciliant homines Deo per prædicationē verbi, ſicut eodem in loco Apoſtolus teſtatur. Chriſtus nuſpiam juſſit à verè pœnitentibus omnium peccatorum enumerationem exigere, ac certas pœnas ipſis injungere, ſed eos à peccatis abſolvere, pœnitentiam ac remiſsionem peccatorū inter homines prædicare juſsit, nuſpiam etiam vel Chriſt⁹ vel Apoſtoli exemplo ſuo ſpecialem peccatorum enumerationem à reconciliandis exigendam eſſe docuerūt. Sufficit indicia veræ pœnitentiæ in lapſis videre, ſive in genere, ſive in ſpecie peccata ſua confiteantur. Publicanus in genere profitetur ſe miſerū peccatorem Luc. 18. v. 13. idem tamen Deo reconciliatur. 3. Jacob. 5. *Confitemini invicem peccata veſtra, id eſt, confitemini homines hominibus, qui abſolutione indigetis illis, qui poteſtatem habēt abſolvendi.* Reſp. Loquitur Apoſtolus de privata offenſarū deprecatione, quæ eſt veræ caritatis τεκμήριον, principium igitur petitur, & à verbis textus diſceditur, quando hoc dictū ad ſpecialem peccatorū enumerationem Sacerdoti faciendam applicatur. Quid n. num cōfiteri eſt enumerare ſingula peccata? num ἀλλήλοις ſive invicem cōfiteri, eſt Sacerdoti confiteri? in eodem verſiculo ſequitur, *Orate pro vobis invicem*, num pro ſolis Sacerdotibus orandum? Eraſmus in annotat. hujus loci p. 523. *ſentit Iacobus de quotidianis offenſis Chriſtianorum inter ſeſe, quos cōtinuò vult reconciliari, παραπτώματα magis ſignificat errata & lapſus, quam peccata. Si de confeſſione ſenſiſſet, quam dicimus partem Sacramenti pœnitentiæ, non adjeciſſet ἀλλήλοις vobis invicē, ſed Sacerdotibus.* Gloſſ. interlin. *Confitemini alterutrum, i. e. coæqualibus, peccata, i. e. leviora delicta, ſed gravioris lepræ culpam Sacerdoti pandere debemus.* 4. 1. Joh. 1. *Si cōfiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, hac intelligenda ſunt de confeſſione ſingulorum peccatorum coram hominib. cùm non extet promiſſio de remittendis peccatis illis qui Deo confitentur, enimq; Sacerdos fruſtra quibuſdam peccata retineret, ſi per confeſſionem Deo factam invito Sacerdote abſolverentur.* Reſp. Locus agit de confeſsione peccati coram Deo, cui ſoli peccamus, qui ſolus peccata nobis remittit. Opponit Apoſtolus hæc duo, dicere quòd non habeamus peccata & confiteri peccata, priùs generatim accipiendum eſt, utique ergò & poſteriùs. Unde Auguſtinus locum illum ſic exponit: *Si non dixeris Deo, quod es, damnat Deus, quod in te invenies. Non vis ut ille damnet? tu damna. Vis ut ille ignoſcat? tu agnoſce, ut poſſis DEO dicere, averte faciem tuam a peccatis meis.* Quâ verò ſpecie negari poteſt, non extare promiſsiones de remittendis peccatis illis, qui Deo confitentur? an non diſertè Propheta Regius contrarium teſtatur Pſal. 32. v. 5. *Peccatum meum notum feci tibi & iniquitatem meam non operui, dixi, confitebor adverſum me prævaricationes meas Iehova & tu dimiſiſti iniquitatem peccati mei. v. 6. Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus tempore oportuno.* Quo fine David aliive Sancti in precibus confitentur Domino peccata ſua? nonnè ut remiſsionem eorum gratuitam

2. Cor. 5. Dedit nobis miniſterium reconciliationis

Iacob. 5. Confitemini peccata veſtra.

1. Ioh. 1. Si confiteamur peccata noſtra.

gratuitam impetrent? quando juxta Chriſti inſtitutionem oramus peccata noſtra confitentes, *Dimitte nobis debita noſtra*, an non remiſsionem peccatorum conſequimur? an de exauditione harum precum dubitandum? Quod additur, invito Sacerdote neminem quantumvis verè pœnitentem per confeſsionem coram Deo peccatorum remiſsionem conſequi poſſe, id & veritati & quibuſdam Canonibus contradicit, vide c. Convertimini diſt. 1. de pœnit. Lomb. 4. ſent. diſt. 17. Papam non papam Oſiandri pag. 59. &c. ergóne ſi ex odio vel invidia Sacerdos ſolvendũ liget, judicio Sacerdotis remiſsio divina alligata erit? num temeritas illa Deo probatur? num fides pœnitentis carebit ſuo fructu? abſit.

Teſtimonia Patrũ & Conciliorum. 115. Altera claſsis argumentorum pro ſtabilienda ſpeciali peccatorũ enumeratione petitur *ex teſtimoniis Conciliorũ & Patrũ*. Reſp. 1. hoc probationis genus eſt ſecundarium, nec juris divini neceſsitatem, ſed Eccleſiæ ordinationem & conſuetudinem probat. ** De Conciliis illis Bellar. ipſe ſcribit c. 5. *Teſtimonia Conciliorum, quæ adferemus, etſi nõ apertè contineant, Confeſſionem eſſe juris divini, continent tamẽ antiquam conſuetudinem.* ** 2. Diſtinguendum inter Scriptores veteres ac recẽtiores. Priores loquuntur de exomologeſi publica, quæ longo tempore in Eccleſia priſca uſitata fuit, ut teſtantur autores ſuperiùs adducti. 3. Exomologeſi publicorum delictorũ publicæ ſucceſſit ea, de qua Tripartit. lib. 9. c. 35. ſic ſcribitur: *Quoniã omninò nõ peccare divinũ & ultra humanam naturam eſſe cognoſcitur, peccantib9 a. & pœnitentiam agentib. veniam Deus dari præcepit, qui v. confiteri refugiunt, majus peccatorũ onus acquirunt, propterea viſũ eſt antiquis Pontificibus, ut velut in theatro ſub teſtimonio Eccleſiaſtici populi delicta pandantur, & ad hanc rem Presbyterũ bonæ converſationis, ſervantemq́; ſecretũ ac ſapientem virũ ſtatuerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, delicta propria fatebantur.* Nicephorus lib. 12. hiſt. c. 28. ex Sozom. *Quandoquidẽ nihil peccati admittere nõ humanæ, ſed divinæ & immortalis naturæ propriũ eſt, nos antè per tranſgreſſionem ſemel peccandi hereditatem adivimus, delictorũ eis veniã Deus concedere juſſit, qui legitima & convenienti pœnitentia uſi deinceps ſimul peccatũ & averſantur & confitentur. Grave n. Epiſcopis, qui proximè poſt Chriſtum fuère, viſum eſt, in media plebe vel in theatro noxã confiteri, quapropter ex Presbyteris unũ delegere, qui probatæ vitæ eſſet & ſimul taciturnus & prudens, apud quem per pœnitentiam reſipiſcentes commiſſa ſua proferrent &c.* Leo Papa, ut habetur in decret. de pœnit. diſt. 1. cap. Quamvis. *Multa ſunt quæ non expedit ſic publicè dici, nec homines facilè dicunt propter inimicos, ne exprobrent & ne ad tribunalia rapiantur.* Ideò iſtũ improbabilem morem removet ac ſubjicit: *ſatis fit, ut accedant Sacerdotem qui oret pro illis & clam dicat.* 4. ſic ergo ex publica exomologeſi orta eſt privata, nondũ tamẽ legib9 aſtricta ad omniũ peccatorum enumerationem, vel ad certas temporũ vices: nondũ etiam acceſſerat opinio meriti, ſed eo fine delictorũ confeſſio fiebat, ut pœnitẽs conſcientiæ informationẽ & conſolationem in certis calib' acciperet. 5. Ex quo intelligi poteſt, quando Irenæus occultorum delictorũ confeſſionem factam eſſe innuere videtur lib. 1. c. 9. & lib. 3. c. 4. illud nondũ evincere, quòd auricularis confeſſio legibus neceſſitatis ad omniũ peccatorũ enumerationem aſtricta in uſu fuerit, occaſione n. exomologeſeos publicæ ad confeſſionem etiã ſecretorum peccatorũ ſunt progreſſi, ſicut Bellarmin. de muliere in hiſtoria Nectarii ſcribit lib. 3. de pœnit. c. 14. *tametſi peccatum occultũ eſſet, neq́; Presbyter ei mandaſſet, ut illud populo patefaceret, ipſa tamẽ cùm alia peccata quæ publica erant, publicè confiteretur longius progreſſa, quàm par erat, etiã hoc peccatũ confeſſa eſt.* Idem de mulierculis illis à Marco hæretico ſeductis dicim9, quòd in publica exomologeſi ad quorundam etiã ſecretorũ confeſſionem liberè ſint progreſſæ. Irenæus disertè dicit, ꝙ mulier quædam Diaconi uxor à Marco corrupta, poſteà vi magno labore converſa *ἅπαντα χρόνον ἐξομολογουμένη διετέλεσε πενθοῦσα καὶ θρηνοῦσα*, at num judicabimus eã perpetuò ad Sacerdotis pedes proſtratam delictũ ſuũ confeſſam fuiſſe? & ſi magno labore ea converſa fuit, quomodo delictũ ejus occultũ eſſe potuit? De Tertulliano, Cypriano, Origen. & reliquis videantur B. Rhenanus in præfat. & ſcholiis in librũ Tertull. de pœnitent. & D. Chemn. in exam. Concil. Trid. cap. de Conf.

116. Tertia claſſis rationes continet, *Confeſſio* *Rationes.*
1. eſt antiqua. 2. difficilis. 3. utilis. 4. miraculis cõfirmata. Reſp. hæc omnia nondum evincunt juris divini ſanctione ſpecialem omniũ peccatorũ enumerationem eſſe neceſſariã. Antiquitas nobis Chriſtus eſt, & ſemper ad archiva Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum recurrendum. Confeſſio generalis & in ſpecie quorundã peccatorũ, quę conſcientiam agunt, utilis eſt, ſed omniũ peccatorum ſpecialis & diſtincta enumeratio cum omnib. circumſtantiis nõ ſolùm difficilis, ſed etiam impoſſibilis. non eſt probandum, ſi magis nos pudeat corã ſacrifico, quàm coram Deo, ſummus pudor, ſi in nobis ſit mica fidei, oritur ex cogitatione pręſentiæ Dei. Neq; omne, ꝙ difficile & conſcientiis oneroſum, à Dei inſtitutione originem duxiſſe exiſtimandum. Imperatorum colla à Pontificibus Romanis conculcari, durum ac difficile cœptum fuit, num juri divino id congruũ eſſe dicemus? Scribæ & Phariſæi onera gravia & *δυσβάστακτα* alligabant, eademq́; humeris hominũ imponebant Matth. 23. v. 4. num ex præſcripto juris divini ea deſcendiſſe judicabimus? ** Aug. 14. de civ. Dei. c. 9. *Non quia durum aliquid, ideo rectum.* ** Nec miracula articulum fidei conſtituunt, niſi expreſſis ſcripturæ teſtimoniis fuerit confirmatus.

117. Confeſſioni reſpondet correlatè Abſolu- *Abſolutio.*
tio, cuj' doctrinam & praxin itidem non purè ac ſincerè tractant Romanenſes. 1. dum poteſtatẽ claviũ in *αὐθεντίαν* quandam judiciariam cõvertunt. 2. dum abſolutionis efficaciam ad quantitatem contritionis, qualitatem confeſsionis & opera ſatisfactionis aſtringũt, atq; hac ratione certitudinem fidei, quæ primarius abſolutionis finis eſt, tollunt. ** Huc referendus eſt & Cuglii error, quando lib. de vera & falſ. relig. *Audacia eſt, ait, eorum, qui perhibuerunt clavib. hominem certum fieri, qui per fidem intus certus eſt. Fruſtra dices, liber es. Non n. tuo verbo ipſũ magis potes certum reddere quã muſcam elephantum facere, cùm dixeris, elephas es.* (At hæc eſt præpoſtera oppoſitio fidei & abſolutionis, cùm abſolutio ipſam fidem pœnitentis principaliter reſpiciat & confirmet. **) 3. dum quorundam lapſuum remiſsionem ſoli Pontifici Romano Petri ſucceſſori re-

ſervant, quin etiam pronunciât *nullius momenti abſolutionem eam eſſe, quam Sacerdos in eum profert, in quem neque ordinariam neq; ſubdelegatam juriſdictionem habet* Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 7. cùm tamen omnibus Apoſtolis æqualiter dictũ ſit, Quorumcunque remiſeritis peccata, & quicquid ſolveritis &c. Ambroſ. 1. de pœn. c. 2. *Deus diſtinctionem nõ facit, qui miſericordiam ſuã promiſit omnibus, & relaxandi licentiam Sacerdotib. ſuis ſine ulla exceptione cõceſſit.* 4. dum linguâ Latinâ populo ignotâ abſolutionem plerunq; pronunciant. Inde Johannes Gaſtius in Memorabilib⁹ ſuis refert, quòd Sacerdos quidam Nobilem Latinitatis ignarum nec pœnitentem, nec in futurum à peccatis abſtinere volentem, ut aureum nummum ab ipſo acquireret, hâc formâ abſolverit: *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſolvat, ſi vult, & dimittat tibi peccata tua, quod ego non credo, & perducat te ad vitam æternam, quod eſt impoſſibile.* 5. Dum in quibuſdam abſolutionũ formulis merito Chriſti Sanctorum & propria opera addunt. Sanè Bellarminus lib. 1. de pœn. c. 4. vocat hoc impudens mendacium Heshuſii, mox tamen concedit tales formulas poſt abſolutionẽ piæ cujuſdam precationis loco à nonnullis adhibitas eſſe. Extant autem diſtinctæ formulę, utpote Antonii Archiepiſcopi Florentini in libro de confeſſ. *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti & merita B. Mariæ virginis & omnium Sanctorum & Sanctarũ merita, & quicquid boni feceris vel propones facere & mala quæ ſuſtinebis, ſint tibi, &c.* Bartholomæi de Chaymis: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnia bona, quæ feciſti & facturus es, & adverſa quæ ſuſtinuiſti & ſuſtinebis ſint tibi in pœnitentiã & remiſſionem peccatorũ & in augmẽtum divinæ gratiæ.* Lutherus tom. 4. Jenenſ. lat. fol. 51. in cap. 2. ad Galat. recitat hanc formulam abſolutionis Monaſticæ. *Parcat tibi Deus frater: Meritum paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti & B. Mariæ ſemper virginis & omnium Sanctorum, meritum ordinis, gravamen religionis, humilitas confeſſionis, contritio cordis, Bona opera quæ feciſti & facies pro amore Domini noſtri Ieſu Chriſti cedant tibi in remiſſionem peccatorũ tuorũ, in augmẽtum meriti & gratiæ & in præmium vitæ æternæ.* Vide Urbanum Regium, qui notis eam illuſtravit. Lib. Cerem. Pontif. fol. 231. b. *Precibus & meritis B. Mariæ ſemper virginis, B. Michaëlis Archangeli, B. Johannis Baptiſtæ, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum miſereatur veſtri omnipotens Deus & dimiſſis peccatis veſtris perducat vos ad vitam æternam.* In Hortulo animæ Anno 1599. Dillingę iterùm edito, talis proponitur forma: *Precibus & meritis B. Mariæ virginis & omnium Sanctorum perducat nos Dominus ad regna cœlorum.* Vide etiam Benedictionale Eccleſię & Diœceſis Ratisbonenſis editum Norinb. Anno 1491. Breviarium prædicatorum excuſum Venetiis Anno 1503. in quibus conſimiles abſolutionis formulæ extant.

Satisfactio.

118. Atq; hæc dicta ſint de Confeſſione, reſtat excutienda tertia pœnitentiæ pars, videlic. ſatisfactio. Duplex a. eſt ſatisfactio pro peccatis, una corã Deo, altera coram hominibus de utraq; diſtinctè agendũ. Deus cùm non ſolùm miſericors ſed etiã ſummè juſtus ſit, ideò ad impetrandã peccatorũ remiſſionem coram Dei judicio omninò ſatisfactio quędã neceſſaria eſt, per quam juſtitię ipſius ſatisfiat. Hanc v. ſatisfactionem p. o peccatis totius humani generis ſolus Chriſt⁹ præſtitit, ut ſuo loco contra Photinianos docebitur. Porrò Chriſtus non tantùm pro originali, ſed etiam pro actualibus peccatis hominũ ſatisfecit, quod tamen quidam ex Scholaſticis negant, ac nobis ipſis pro actualibus peccatis ſatisfaciendum eſſe ſtatuunt. Thomas opuſcul. 58. de Sacram. Altaris cap. 1. *Sicut corpus Domini in altari pro debito originali ſemel oblatum in cruce, ſic offertur jugiter pro noſtris quotidianis delictis.* Bonav. 3. ſent. diſt. 20. q. 3. *Homo poteſt ſatisfacere pro ſuo actuali peccato, ſed non pro originali. Nam pro peccato originali nemo potuit ſatisfacere, niſi Chriſtus Deus & homo. De actuali autem poteſt purus homo adjutus gratiâ ſatisfacere, ſed ſatisfactione ſemiplena, quæ ſuppletionem & complementum recipit à Paſſione Chriſti.* Guil. Altiſiodorenſis in 3. ſent. diſt. 12. *Si Abraham & alii antiqui Patres ſtatim poſt mortem petiiſſent vitam æternam, quam meruerant ex condigno, dictum illis fuiſſet, reddite quæ debetis ſcil. ſatisfactionem pro peccato originali, & quoniam nullus homo purus potuit ſatisfacere, ideò neceſſarius fuit adventus Chriſti.* Horum ſententiam amplectitur Ambroſ. Catharinus Epiſcopus Compſanus ſcribens, *Paſſionem Chriſti pro originali peccato & actualibus Baptiſmum antecedentibus ſatisfeciſſe, ſed in Miſſa offerri Chriſtũ pro peccatis Baptiſmũ & primam juſtificationem ſequentibus.* ** Aug. Conf. in art. de abuſu Miſſę. *Acceſſit opinio, quæ auxit Miſſas privatas in infinitum videl. quod Chriſtus ſua paſſione ſatisfecerit pro peccato originis & inſtituerit Miſſam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus.* Bellarminus in judic. de libro Concord. mendac. 18. dicit *hoc eſſe mendacium.* Atqui in eo ipſo loco citat opuſculum Thomæ Aquin. qui cap. 1. id diſertè aſſerit, ibidem docet, *pro peccato originali ſufficere ſacrificium crucis ſemel oblatum, quia peccatum originis non repetitur, ſed pro peccatis actualibus quæ ſæpius committuntur inſtituta eſſe quotidiana remedia Sacramenti altaris & alia, quæ juvent ad impetrandum à Deo, ut ſuper peccatores clementer reſpiciat, eiſque deſiderium converſionis inſpiret & ad juſtificationem quærendam & obtinendam diſponat.* Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 14. puncto 6. *Cum duplex ſit genus peccati ſcil. actualis & originalis, nemo Catholicorum eſt qui non fateatur ad utriuſq; generis peccatũ delendum veniſſe Dei Filium.* Sed mox ſui oblitus in eod. cap. addit. *Chriſtum præcipuè propter originale peccatum veniſſe & gloſſam ordinariam*, quæ in dicto Johannis, *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi* originale intelligit, non ſolum allegat ſed etiam probat.** Huic affine eſt, quod Andreas Vega lib. 13. in concil. Trident. cap. 36. contendit *ſatisfieri à nobis pro culpa*, & Ruardus Tapperus in explic. articuli 6. Lovanienſium diſputat *poſſe hominem ſatisfacere DEO pro culpa & pœna æterna per actus quoſdam, qui ordine naturæ ſequantur gratiæ gratum facientis infuſionem & præcedant peccatorum remiſſionem*, in quam ſententiam citat Thomam 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 2. quin eò progreditur, ut ſcribat tom. 1. fol. 141. *Chriſti meritum non mereri nomen perfectæ ſatisfactionis.*

An Chriſtus pro originali tantum peccato ſatisfecerit.

119. Contra hos demonſtrandum eſt, non pro originali tantùm, ſed etiam pro actualib⁹ peccatis hominum à Chriſto ſatisfactum eſſe. 1. Scri-

Argumenta pro parte negante.

ptura ubiq; indefinitè loquitur, quando de Chriſti ſatisfactione pro peccatis præſtita tractat, nuſpiam verò limitationem illam addit, quòd pro ſolo originali peccato Chriſtus ſatisfecerit. Joh.1 v.29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi* (nominatur peccatum in ſingulari ut univerſaliter intelligatur, omne quod peccati rationem habet, totam peccati molem & omniũ vitiorum mundi colluviem in Chriſtum eſſe translatam & pro eo ſatisfactũ) Eſ.53.v.5. *Vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus propter iniquitates noſtras* 1.Pet.2.v.24. *Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum &c.* Jam verò ipſe Bellar. ſcribit lib.3. de pœnit. cap.4. col.1359. *Scriptura cùm abſolutè loquitur de peccatis, de omnibus peccatis intelligi ſolet & debet, & ſi liceret exponere de quibusdam non de omnibus, abſurdiſſima ſententia in divinis literis invenirentur.* 2. Scriptura non ſolùm indefinitè, ſed etiam univerſaliter de ſatisfactione Chriſti loquitur. Eſ.53. v.6. *Omnes nos velut oves erravimus, unusquisq; ad viam ſuam declinavit, & Iehovah conjecit in eum iniquitates omnium noſtrûm.* v.12. *Peccata multorum tulit.* Tit.2.v.14. *Chriſtus dedit ſemetipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate* ἀπὸ πάσης ἀνομίας. 1.Joh.1.v.7. *Sanguis Ieſu Chriſti Filii Dei emũdat nos ab omni peccato* ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας. 3. ſpecies actualiũ delictorum in quibusdam Scripturę dictis diſertè exprimitur. Eſ.53.v.6. *unusquisque ad viam ſuam declinavit, & Iehovah conjecit in eũ iniquitates omnium noſtrûm* (ergò illę iniquitates Chriſto impoſitę, per quas homines declinant in viam ſuam) Rom.3.v.12. & ſeqq. actualia peccata longâ ſerie enumerantur, poſteà ſubjicitur v.24 nos ab illis *juſtificari gratis per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu* 1.Cor.6.v.9. & 10. actualia delicta commemorantur, v.10. ſubjungitur, quod fideles Corinthii ab illis *abſoluti ſint, ſanctificati & juſtificati per nomen Ieſu.* Hebr.9.v.14. *Sanguis Chriſti purgat conſcientiam ab operibus mortuis,* jam verò opera mortua ſunt ipſa actualia peccata mortem promerentia & afferentia 1.Pet.1.v.18. *redemti dicimur à vana converſatione, quã ex Patrum traditione acceperamus, non caducis rebus* v.19. *ſed precioſo ſanguine Chriſti velut agni immaculati* 1.Joh.2.v.1. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem.* Chriſtus intercedit pro nobis peccatoribus. fundamentum iſtius interceſſionis in ſatisfactione pro peccatis præſtita conſiſtit, ideò enim Chriſtus pro nobis intercedens exauditur, quia pro peccatis noſtris in ara crucis ſatisfecit. 4. Quæcunq; peccata lex accuſat & execratur, pro illis Chriſtus ſatisfecit. Atqui omnia & ſingula peccata, non ſolùm originale, ſed etiam actualia lex accuſat & execratur. Ergò pro omnib. & ſingulis peccatis Chriſtus ſatisfecit. Propoſitio extat. Gal.3.v.13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, maledictus omnis qui pendet in ligno.* Aſſumtio eſt manifeſtæ veritatis, cùm ſonora voce lex inſonet atque intonet: *Maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis* Deut.27.v.ult. 5. Satisfactio Chriſti eſt precii ac valoris infiniti propter perſonæ infinitatem, utiq; igitur ſufficiens eſt pro omnibus omninò peccatis. 6. Si Chriſtus pro ſoli originali peccato ſatisfeciſſet, ita ut pro actualibus culpis nobis adhuc ſatisfaciendum reſtaret, dimidia ſolùm pars redemtionis Chriſto relinqueretur, alterâ & quidem majori parte ad homines translata. Chriſtus enim ſolùm pro uno, homines autem pro multis peccatis ſatisfacerent. Jam verò Scriptura uni Chriſto totum redemtionis opus transſcribit, *qui eſt unus Dei ac hominum mediator* 1.Tim.2.v.5. *qui torcular calcavit ſolus* Eſ.63.v.3. *ac perfectos reddidit unâ oblatione omnes qui ſanctificantur* Hebr.10.v.14. Obſerva autem nervum argumenti fortiùs conſtringi poſſe, quando urgetur extenuatio peccati originalis, quà illud ſtatuitur minimo veniali peccato minus eſſe. August.4. de Trin.c.13. *Chriſtus morte ſuâ, uno veriſſimo ſacrificio pro nobis oblato, quicquid culparũ erat, unde nos principatus & poteſtates ad luendâ ſupplicia jure detinebant, purgavit, abolevit, extinxit.* lib.1. de peccat. remiſſ. & mer.c.13. *In Chriſto, in quo omnes juſtificamur, non tantùm originalis, ſed etiam ceterorum quæ ipſi addidimus peccatorum remiſſionem conſequimur.* lib.2. de peccat remiſſione cap.20. *Fuſo ſanguine ſine culpa omnium culparum chirographa deleta ſunt:* libr.7. de civ.Dei.cap.31. *Paſſionem Chriſti vocat ſingularè illud ſacrificiũ, quo à peccatis omnib. mundamur.* Ansh. in c.9. Heb. *Chriſtus in ſanguine ſuo redemtionem omnium invenit, non temporalem, ſed æternam, quia tantùm ſuit precium, quod dedit, ut æternam redemtis libertatem inveniret. Delevit enim tam originalia quàm actualia peccata & omnem juſtificationem exhibuit & regnum cœlorũ aperuit.*

120. Nec ſolùm pro peccatis actualibus Chriſtus ſatisfecit, ſed etiam pœnas peccator. noſtrorum in ſeſe recipiendo pro pœnis temporalib. & ęternis propter peccata nobis debitis plenam ſatisfactionem noſtri loco præſtitit, quod his confirmatũ damus argumentis. *An Chriſto pro pœnis peccatorum noſtrorũ ſatisfecerit.* 1. Sublatâ culpâ tollitur etiam debitum pœnæ ex Natura perpetuæ relationis. Atqui Chriſtus in ſe ſuſtulit peccatã noſtra Eſa.53.v.6. Joh.1.v.29. 1.Pet.2.v.24. Ergò etiam pœnam peccatis debitam in ſe tranſtulit & per conſequens à debito pœnæ luendæ nos liberavit. Tertull. lib. de Bapt.c.5.p.221. *Exemto reatu eximitur pœna.* 2. Scriptura emphaticè dicit ipſam pœnam peccatis noſtrã debitam Chriſto impoſitam eſſe Eſa.53.v.5. *Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum* מוּסַר שְׁלֹמֵנוּ עָלָיו muſar Schelomênu alaſ, h.e. ipſe caſtigatus eſt, ut eſſet nobis pax. Omnes pœnæ temporales & æternæ, corporales ac ſpirituales nomine maledictionis cõtinentur; jam verò Chriſtus *factus eſt pro nobis* κατάρα *ſive maledictio, ut à maledicto legis nos liberaret* Gal.3. v.13. Intueamur hîc ipſam hiſtoriã Paſſionis, cruciatuũ ac mortis Chriſti, quæ teſtatur graviſſimas illas pœnas peccatis noſtris debitas Chriſto irrogatas eſſe, ut in judicio Dei ab illis liberaremur. Eſ.53.v.5. *Vulneratus eſt propter peccata noſtra attritus propter iniquitates noſtras.* Pœna peccati eſt maledictio legis, *at Chriſtus nos liberavit à maledicto legis* Gal. 3. v. 13. Pœna peccati eſt dominium Satanæ, *at Chriſtus nos liberavit à poteſtate Satanæ,* Heb.2.v.14. Pœna peccati eſt ira Dei, jam verò *Chriſtus nos liberavit ab ira ventura.* 1.Theſſ.1.v.10. Poena peccati mors eſt, jam verò *Chriſtus liberavit nos à morte.* Oſ.13.v.14. Pœna peccati eſt infernus & ęterna damnatio, jam v. *Chriſtus nos liberavit ab inferno & æterna damnatione* Rom.8.v.1. 4. Juſtitia Dei non permittit idem peccatum bis puniri, jam v. propter peccata noſtra *percuſſit* filium dilectiſſimũ. Eſ.53.v.4. E. non puniet ea in reconciliatis, qui ſatisfactionis

per Chriſtum præſtitæ participes fiunt. 5. Si pro peccati pœnis adhuc nobis ſatisfaciendum eſſet, nondum perfecta foret Chriſti ſatisfactio, nondum abſolutum redemtionis opus, nondum omnia per ipſum conſummata. Atqui ipſemet in cruce exclamat, *Conſummatum eſt*, ex quo Epiſtola ad Hebræos colligit, quòd *unicâ oblatione conſummaverit in perpetuum eos, qui ſanctificantur* cap. 10. v. 14. Unde ſatisfactio per Chriſtum præſtita dicitur ἀπολύτρωσις ad ſignificandã plenariam liberationẽ, ut rectè alicubi notat Chryſoſtom. Si pro ſolo originali peccato vel pro ſola culpa, Chriſtus ſatisfeciſſet, potius ἡμιλύτρωσις quàm ἀπολύτρωσις ipſius ſatisfactio dicẽda foret. **D. Luther in der Vermahnung an die Geiſtlichen zu Augſpurg An. 30. tom. 5. Jen. Germ. f. 81. Was iſt das anders geſagt / du muſt für deine Sünde gnug thun / als ſo viel? du muſt Chriſtum verleugnen / deine Tauffe widerruffen / das Evangelium läſtern / GOtt lügen ſtraffen / die Vergebung der Sünde nicht glauben / Chriſti Blut und Tod mit Füſſen tretten / den Heil. Geiſt ſchänden / durch dich ſelbſt mit ſolchen Tugenden gen Himel fahren. Vide ibid. de dictis Patrum, quæ pro ſatisfactione adducuntur.** Bellar. lib. 5. de amiſſ. grat. & ſtat. peccati c. 20. *tunc peccatum omninò perfectè cenſetur remiſſum, cùm non ſolùm culpa, ſed etiam omnis pœna fuerit remiſſa.* (Ergò à contrario ſenſu, ſi pœna nondũ eſt remiſſa, ipſum peccatum nondum eſt perfectè remiſſum.) 6. Si pro pœnis peccatorũ ſatisfacere poſſumus, pars redemtionis à Chriſto ad nos transfertur, ſicut Biel diſputat 4. ſent. diſt. 14. *Chriſti Paſſionem non eſſe ſolam & totalem cauſam meritoriam ſalutis noſtra.* Atqui ipſe *torcular calcavit ſolus*, Eſa. 63. v. 3. Auguſt. ſer. 141. de temp. *Chriſtus communicando nobiscum ſine culpa pœnam & culpam ſolvit & pœnam.* **Idem lib. 4. ad Bonifac. cap. 4. *Sicut ſolus Filius Dei factus eſt filius hominis ut nos ſecum filios Dei faceret: ita pro nobis ſolus ſuſcepit ſine malis meritis pœnam, ut nos per ipſum ſine bonis meritis conſequeremur indebitã gratiam.*** Thom. part. 3. q. 49. art. 3. ad quæſtionem, an per paſſionem Chriſti liberati ſimus à pœna peccati, affirmatè reſpondet, atque addit liberationem factam eſſe dupliciter. 1. *Directè, in quantum Paſſio Chriſti fuit ſufficiens & ſuperabundans ſatisfactio pro peccatis humani generis, exhibitâ autem ſatisfactione tolli reatum pœna. 2. Indirectè in quantum Paſſio Chriſti eſt cauſa remiſſionis peccati, in quo fundatur reatus pœna.* **cap. Filius Dei diſt. 4. *Filius Dei carnem peccati ſuſcepit & pœnam ſine culpa ut in carne peccati & culpa ſolveretur & pœna.* Caſſand. in conſult. artic. de bon. operib. *Hanc doctrinam ſummo conſenſu veteres omnes tradunt, fiduciam remiſſionis peccatorum etiam eorum qua poſt regenerationem admittuntur & ſpem venia ac vita aterna in ſola Dei miſericordia & merito Chriſti eſſe collocanda.*** Quid quòd ipſe Bellar. veritatis ſplendore coactus diſertè ſcribit lib. 2. de Indulg. cap. 10. col. 1592. *Chriſtum ſatisfeciſſe Deo Patri pleniſſimè pro reatu culpa & pœna temporalis & aterna omnium peccatorum* (pro quo igitur nobis ſatisfaciendum erit?) lib. 1. de Indulg. c. 4. *Quidam Lovanienſes tenuerunt ſolis Chriſti ſatisfactionibus remiſſam pœnam temporalem.*

An nos poſſimus ſatisfacere pro peccatorum pœnis.

121. Ex his ulterius colligimus verè pœnitentes & in Chriſtum credentes nec pro peccatis, nec pro peccatorum pœnis Deo ſatisfacere poſſe, cùm ſint homines ſub peccatũ venundati, vel teneri, cùm per fidem perfectiſſimę ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ fiant participes, quod his comprobamus firmamentis. 1. Scriptura noſtram cũ Deo reconciliationem ſic deſcribit, quòd Deus *peccatorum noſtrorum non recordetur amplius* Jerem. 31. v. 31. Sed *projiciat ea poſt tergum* Eſa. 38. v. 17. *deleat inſtar nubis* Eſa. 44. v. 22. *demergat in profundum maris* Mich. 7. v. 19. *non imputet, ſed tegat* Pſal. 32. v. 1. Ergo non revocat ea ad calculum, neq; pœnas pro illis exigit à reconciliatis. Si enim peccata Deus adhuc punit, utiq; imputat. Si vindicat, recordatur: ſi ad judicium vocat, tecta non habet: ſi examinat, poſt tergum non projecit: ſi inſpicit, non obliterantur inſtar nubis. Si ventilat, non demerſit in profundum maris. Auguſt. enar. 2. Pſ. 31. nõ longè à principio. *Cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere, ſi noluit advertere, noluit animadvertere. Si noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoſcere, maluit ignoſcere. Tecta peccata quare dixit? ut non viderentur. Quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata.* Hieron. in eund. Pſal. *Quod tegitur, non videtur, non imputatur, quod non imputatur non punitur.* In veterib. Canonibus & Gloſſis recitatur verſiculus:

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit,
Aut nihil aut totum te lachrymante dabit:

deſumtum hoc eſt ex illo Proſperi: *Ex toto veniã dabit & non dimidiabit.* **Auguſt. vel quicunq; alius autor libri de vera & falſa poenit. c. 9. tom. 4 p. 514. *Quadam impietas infidelitatis eſt ab illo quo juſtus & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam.* Thom. p. 3. q. 86. art. 3. ex Auguſtin. *Deus omnia peccata remittit ſimul & perfectè.*** 2. Plenaria peccatorum remiſſio cum debito ſatisfactionis pro poena adhuc præſtandæ non poteſt conſiſtere. Pro quo adhuc exigitur ſatisfactio, illud nondum plenè remiſſum, quod patet exemplo creditoris, qui à debitore ſibi adhuc ſatisfieri poſtulat, quem nemo dicit condonâſſe debitori ſummam: viciſſim verò cùm donatur univerſum debitum, tollitur obligatio ad ſolvendam etiam minimam debiti partem. Chryſoſt. in Pſal. 50. *Ubi miſericordia, pœna locus non eſt.* E. ſi pro peccatis Deus adhuc ſatisfactionem exigit, nondum plenè erunt remiſſa. 3. Gratuita peccatorum remiſſio cum operibus ſatisfactoriis propriis non conſiſtit. Quod enim per merita & ſatisfactiones noſtras obtinetur, illud gratis nobis dari nemo dixerit. Jam verò tota Scriptura teſtatur, Deum ex gratuita miſericordia ſine ullo operum noſtrorũ merito peccata nobis remittere propter Chriſtum Mediatorem. E. nulla ſatisfactio hîc locum habet. Si nulla exigitur ſatisfactio, ergò nec pœnæ quippiam reſervatum, pro qua adhuc ſit ſatisfaciendum. 4. Illuſtre exemplũ, quomodo Deus credentibus in Chriſtum peccata dimittat, proponitur in Parabola Chriſti Matth. 18. v. 27. ubi debitori ſervo non ſolùm ipſum debitũ donatur, ſed & poena carceris relaxatur. 5. Ead. eſt ratio omnium eorum, qui coram Deo juſtificantur, & ipſi reconciliantur, ut oſtendit Apoſt. Rom. 4. ubi ex Abrahę exemplo generalem juſtificationis doctrinam colligit. Jam verò latro in cruce vi ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ per fidem apprehenſæ, ſine ullo ſatisfactionis propriæ interventu protinus in Paradiſum eſt receptus.

6. Ora-

6. Oramus pro peccatorum remiſſione quotidie. E. agnoſcimus nos pro illis ſatisfacere non poſſe. Matth.6.v.12. *Dimitte nobis debita noſtra*, ubi obſerva peccata appellari debita, lege enim Naturæ Deo creatori noſtro debemus obœdientiam, ac ſi non obœdiamus illi, debemus pœnam, ex quo apparet, peccata appellari debita non ſolùm ratione culpæ, ſed etiam imò vel maximè ratione pœnę, proinde quando debitorum remiſſionem petimus, non ſolùm culpæ ſed & poenæ condonationem petimus, ac pro neutro horum nos ſatisfacere poſſe agnoſcimus. 7. Juſtitia divina infinita eſt, nec patitur ſibi ſatisfieri, niſi per æquivalens pretium, unde etiam neceſſe fuit, Chriſtum Mediatorem eſſe θεάνθρωπον, ut ἰσόῤῥοπον λύτρον pro peccatis noſtris præſtare poſſet. Jam verò bona opera Sanctorum non ſunt infiniti cujuſdam valoris ac precii, quin potius ſunt imperfecta & multis modis cõtaminata, ut ſuo loco pleniùs docebitur. Ergò non habent vim ſatisfaciendi. Quòd verò quidam diſputant, opera noſtra vim ſatisfaciendi habere ex Chriſti Paſſione, illud ἄνευ γραφῆς aſſeritur, quin & gloriæ partem Chriſto Redemtori detrahit, *qui ſolus calcavit torcular* Eſa.63.v.3. & *peccatorum noſtrorum purgationem fecit* (non operibus noſtris vim ſatisfaciendi ac promerendi communicando) ſed *per ſeipſum* Hebr.1. v.3.8. Quicquid boni agimus, illud omne jam ante Deo debitum eſt jure creationis, redemtionis & ſanctificationis. Deus omnia corporis membra, omnes animæ vires nobis dedit. E. omnia illa ad ſervitium Dei conferre jure creationis tenemur. Filius Dei ex poteſtate Satanæ nos liberavit, & in regnum gratiæ tranſtulit. E. totis viribus in ipſius regno ipſi ſervire tenemur. Spiritus ſanctus nos regeneravit ac renovavit. E. bona opera cùm ſint fructus Spiritus, Deo potius nos debitores conſtituunt, quàm ut Deum nobis debitorem faciant. Item ſi quid boni facimus, non ex nobis facimus, ſed ex Dei gratia, ergò non poſſumus ſatisfacere ex noſtro. Luc.17.v.10. *Si omnia feceritis, quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Sic ergò colligimus. Si pro peccatis vel peccatorum poenis ſatisfacere poſſemus, illud fieri oporteret vel per opera juxta normam legis divinæ facta, vel per cultus electitios & ἐθελοθρησκείας. Atqui per neutrum horum ſatisfacere poſſumus, ſiquidem opera legi divinæ conformia jam antè multis modis Deo ſunt debita, ἐθελοθρησκείαι autem nõ placent Deo. Auguſt. lib.1. meditat. cap.38. *Hoc ſcio, quòd quia creaſti me, deberem tibi meetotũ, ſed quia redemiſti me & dediſti ſanguinem tuum in precium pro me, deberem tibi plus quàm me, quanto tu es major me pro quo dediſti te.* ** Ephrem. tom.1. pag.142. *Tametſi in terra mille annos viveremus, ne pro uno quidem colapho illi unquam ullo modo, prout deceret, reddere æquivalens, dignasque gratias referre poſſemus.* Macarius homil.15. *Si fieri poſſet, ut quis ab eo die, quo conditus orbis ad extremum uſque judicii diem viveret, atque per omne id tempus non laboraret modo verum etiam extrema quaque ſupplicia pro Deo pateretur, nondum eſſent labores ejus & cruciatus digni, quibus æterna vita præmium redderetur.* Auguſtin. in Pſal.129. *Vendere homo ſe potuit & venundatus fieri ſub peccato, redimere ſe ab iniquitatib. non poteſt. Ille ſe potuit redimere, qui ſe non potuit vendere. Qui non commiſit peccatum, ille eſt redemtor à peccato, ipſe redemit Iſrael ab iniquitatib.* Bernhard. ſerm.38. in Cant. *Peccata tua maxima ſunt & nimium multa. Nequaquam pro tot & tantis, nec ſi te excories, ſufficies ſatisfacere.* Idem tract. de paſſ. Dominic.30. col.1635. *Quid poteris largitori tuo dignè rependere. Dedit te tibi, quando te creavit ut eſſes: reddidit te tibi, cùm recreavit, ut bonus eſſes: dedit in viaticum tibi, ne in via deficias corpus & ſanguinem ſuum ſe verũ Deum & hominem verũ: Et in quid rependes ſi pro eo q; dedit te tibi, quando te creavit, vicem nequis rependere, quid denique pro eo rependes, quod ſe tibi dedit? Certè ſi te millies poſſes rependere, quid eſſes tu in comparatione Dei? repente tamen quemadmodũ potes, repende te totũ illi, qui ſe totum tibi, & dedit & reddidit & his non contentus ſe quoque totum tibi dedit.** Anshelm. lib.1. Cur Deus homo. cap.20. *Totum quod es & quod habes & quod potes, debes &c. ſi meipſum & quicquid poſſum, etiam quando non pecco, tibi debeo ne peccem, quid pro peccato reddam?* Idem in lib. de miſeria hominis. *Verum eſt, conſcientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem, ſed certum eſt, quòd miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem.* ** Chryſoſt. de B. Philogonio. *Ego teſtificor & fidejubeo, fore ut ſi noſtrûm quisque qui peccatis obnoxii ſumus recedens à priſtinis malis ex animo vereq; promittat Deo, ſe poſtea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deo requirat ad ſatisfactionem ulteriorem.** Bernh. iterum de verb. Orig. *Nemo unquam Deo totum reddit, quod debet, cùm peccata contra maxima ſint & multa, ut pro tot ac tantis, nec ſi te excories, ſatisfacere ſufficiat.* Lyra in c.18. Matth. *Peccator nõ habet, unde ſatisfaciat pro peccato.* **Baſil. in c.1. Eſa. *Una expiatio peccati, nimirũ ſanguis ille pro mundi ſalute effuſus.* Landſperg. in Ench. Chriſt. mil. *Non cogites te pœnitentiæ opera facturum pro peccatis tuis. Hæc enim opera tua quantula putas ſunt ad tot peccatorum acervos, omnia opera tua cognita, minora quam ut ſatisfaciant pro peccatis tuis.* ** Anton. Marinar. Carmel. in orat. ad Patres Conc. Trid. *Nunc gravia ſuperioris vitæ commiſſa commemorant* (caro & Satan) *quorum non potuerunt* (Chriſtiani) *condignã exhibuiſſe ſatisfactionem, ſed illi reſpondent: gratis per Chriſtum nobis, quia ſatisfacere non poteramus, remiſſa ſunt peccata, non eſt quod cogitemus, quia ſolvendo ſumus, ne dignitati mortis Chriſti deerabamus.* **Caſſand. in conſult. art.12. ſub tit. de confeſſ. *De hac ſatisfactione non erit tantũ conquerendi locus, ſi ex Eccleſia ſententia hunc in modum doceatur, quod ſola paſſio & mors unigeniti Filii Dei ſit ſatisfactio & propitiatio pro peccatis noſtris, ſive eo, quod ex origine contraximus, ſive iis, quæ ante vel poſt regenerationem ex carnis infirmitate commiſimus, quæ ſatisfactio offertur & applicatur nobis Miniſterio Evangelii, i.e. verbi & Sacramentorum, accipitur autem fide, quæ Dei donum eſt:** 9. Exempla eorum, qui per veram converſionem Deo ſunt reconciliati teſtantur abſq; ullis propriis ſatisfactionibus peccata ipſis remiſſa eſſe & peccatorum poenas condonatas. Ambroſ. lib.10. in Luc.22. *Lachrymas Petri lego, ſed ſatisfactionem non lego,* citatur in Jure Canon. c.1. diſt.1. de poenit. 10. Si noſtræ ſatisfactiones ad reconciliationem cũ Deo requiruntur, nunq; de reconciliatione poterimus eſſe certi, ſed perpetuis dubitationum fluctibus agitari nos oportebit, nun-

quam

quam enim ſcire poſſumus, quando pro pœnis ſufficienter Deo ſatisfactum ſit. Jam vero Apoſtolus contrarium pronunciat Rom. 4. v. 16. *ideò ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio.* Roman. 5. v. 1. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* tt. Denique jubemur *condonare nobis invicem*, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, *καθὼς ſicut & Chriſtus condonavit nobis*, ita & nos Col. 3. v. 13. Atqui non ſolùm culpam, ſed & pœnam condonare debemus proximo, multò igitur magis Deus, qui eſt *ipſa caritas* 1. Joh. 4. v. 16. & culpam & pœnam reconciliatis condonabit.

Satisfactio coram hominibus. 122. Hæc de ſatisfactione corã Deo dicta ſint, quam ſoli Chriſto Redemtori vindicamus. Satisfactionem coram hominib. conſtituere poſſumꝰ duplicem, Publicam & privatam. *Publica.* Publica ſive Canonica & Eccleſiaſtica ſatisfactio in primitiva Eccleſia uſitata, fuit pars Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quâ illis, qui vel fidem in perſecutione abnegaverant, vel in manifeſta & atrocia crimina prolapſi fuerant, certæ quædam mulctæ ac caſtigationes imponebantur (quarum deſcriptio extat apud Tertull. lib. de pœnit. Euſeb. l. 5. c. 28. l. 6. c. 25.) non ut per illos peccata coram DEO expiarent,
1. ſed ut animi pœnitentium explorarentur, verẽ-
2. ne an ficte eos admiſſorum poeniteret, ut Eccle-
3. ſiæ ſcandalizatæ externâ iſtâ poenitentiæ decla-
4. ratione rurſus ſatisfieret, denique ut reliqui his
ſpectaculis ad peccata majori ſtudio vitanda ac declinanda excitarentur. Cumque Eccleſia tum temporis deſtituta eſſet Magiſtratu Chriſtiano, ideò his ritibus & hac ſeveritate publicè teſtatum fecit, ſe graviora illa ſcelera deteſtari & nequaquam in ſuis tolerare. **Luther. tom. 5. Jen. German. an die Geiſtlichen auffm Reichßtag zu Augſpurg verſamlet f. 51. b. Wenn ſie (die Papiſten) doch ſolch gnugthun für die Sünde hetten weißlich unterſchieden/nemlich alſo/daß es geſchehe gegen die Menſchen nicht gegen Gott/wie Chriſtus Matt. 5. vñ 18. anzeiget/wie es vorzeiten auch die Heil. Väter gebraucht und die Chriſten/ſo geſündiget hatten/lieſſen dafür gnung thun für der Kirchen und den Brüdern/wie es die Wort mitbringen daß ſie zwey/drey/ſiben Zahl haben Buſſe aufferlegt ꝛc. ſo were Chriſtus doch blieben mit ſeinem gnugthun für uns in Himmel/aber hiemit weren in Gottes Dienſt/in Stifften und Klöſter und Ablaß nicht auffkommen/und were den groſſen GOtt auch nicht ſoviel zugangen ꝛc.** Hieron. in c. 6. Matth. *Fateor longè aliam eſſe rationem de criminum pœnitentia & ſatisfactione, de qua Eccleſia, quando læſionem accepit & offenſa eſt, publicè ſuum judicium interponit, indicens ſatisfactionem publicam & ſeveriorem, ut innoteſcat omnib. verè pœnitere, qui prompto animo ſuſcipiant, quicquid Eccleſia decreverit.* Auguſt. in Ench. ad Laurent. c. 65. *Quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo, cui dicitur: Gemitus meus à te non eſt abſconditus, rectè conſtituuntur ab his, qui Eccleſiæ præſunt tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata, extra eam quippe non remittuntur.* De hac Canonica ac diſciplinari ſatisfactione dicimus cum Dom. Chemnitio part. 2. Exam. Concil. Trident. cap. de ſatisfact. pag. 368. *Optandum eſſet ex ritibus illis veteris Eccleſiæ aliquid poſſe in uſum reduci ſine ſuperſtitione & falſis opinionibus, diſciplinæ & exempli gratiâ.* Hæc ille rectiſſimè, cùm experientia teſtetur, in extrema hac mundi ſenecta licentiam ſcelerum creſcere & diſciplinam Eccleſiaſticam labefactari ab illis, quos cuſtodes ac defenſores illius eſſe par erat. Satisfactio privata *Privata.* eſt, quâ proximo verbis vel factis à nobis læſo ſatisfacimus per offenſæ deprecationem, & ablati reſtitutionem. Hanc ſatisfactionem in vera poenitentia neceſſariam eſſe ſtatuimus, quamvis enim coram DEO non ſit pro peccatis compenſatio, aut propitiatoria ac meritoria quædam ſatisfactio, tamen divinitùs eſt præcepta ac veræ poenitentiæ ac dilectionis indicium eſt Matth. 5. v. 23. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid adverſum te*, verſ. 24. *relinque ibi munus tuum coram altari & vade, priùs reconciliare fratri tuo.* Huc pertinet vulgatum illud; *Peccatum non remittitur, niſi ablatum reſtituatur.* Chryſoſtomus: *Si cogitatu offendiſti, cogitatione reconciliare; ſi verbis offendiſti, verbis reconciliare; ſi operibus offendiſti, opere reconciliare.* ** Cæterùm quòd noſtræ ſatisfactiones applicent ſolummodò, quòd Chriſti promeruere illa opinio non ſolùm à Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 4. ſed & à tribus inſuper Pontificib. Pio V. Gregorio XIII. Clemente VII. vapulat.**

Diſſenſiones Pontificiorum de ſatisfactione. 123. His ita diſtinctis & explicatis progredimur ad Scholaſticorum & Pontificiorum de ſatisfactione doctrinam, ubi primò notamus ipſorum diſſenſiones. Quidam enim diſputant, pro ipſa culpa à nobis ſatisfieri poſſe; quidam dicunt pro culpa nos non poſſe ſatisfacere, ſed tantùm pro poena. Sed hîc iterum occurrunt divortia ſententiarum. Quidam enim diſputant, ipſam poenam æternam peccatis debitam virtute clavium mutari in temporalem, ut pro ea ſatisfacere poſſimus; quidam verò ſtatuunt & culpam & poenam æternam remitti per contritionem, remanere verò obligationem ad aliquam poenam temporalem, cujus pars virtute clavium remittatur, pars altera impoſitis vel ſpõtè ſuſceptis ſatisfactionibus expietur, quam ſententiam recentiores plerique amplectuntur. Audiamus ipſorum verba. Thomas p. 3. q. 49. art. 3. ad quæſtionem, Cur injungatur poenitenti poena ſatisfactoria, ſic reſpondet, *ut conſequamur effectum paſſionis Chriſti, oportet nos ei configurari: Configuramur autem ei in Baptiſmo ſacramentaliter, in pœnitentia per aliquid pœnalitatis vel paſſionis quam in nobis ipſis ſuſtinemus, quæ tamen multò minor ſufficit, quàm eſſet condigna peccato, cooperante ſatisfactione Chriſti*, ubi vides, ſatisfactiones ordinari ad remiſſionem culpæ. Scotus 4. ſent. diſt. 15. quæſt. 1. dicit, quòd *ſatisfactio ſit operatio exterior laborioſa ſeu pœnalis voluntariè aſſumta ad puniendum peccatum commiſſum à ſe*, & 4. ſent. diſt. 16. quæſt. 2. ſic explicat. quòd intelligendum ſit *concurrente merito paſſionis Mediatoris, quia Deus decrevit non ſuſcipere aliquod opus vel tolerantiam tanquã ſatisfactionem æquivalentem niſi quatenus conjungitur per fidem paſſioni ſatisfactoriæ Mediatoris* Anton. part. 3. tit. 14. cap. 20. *ſatisfactio curat peccata præterita recompenſando & à futuris præſervat cavendo.* Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. ſic loquitur: *Divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur.* Et poſtea.

Dum

Dum ſatisfaciendò patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur. Tapperus in explic. art. 6. Lovan. Vega lib. 13. in Concil. Trid. cap. 36. *pro culpa & pœna æterna ſatisfieri à nobis poſſe diſputant.* Cajetan. in tract. de contrit. q. 4. *Pœna illa quæ luenda reſtat poſt culpæ remiſſionem eſt illa ipſa pœna ſenſus, quam in gehenna pati debuiſſet peccator remotà ſolùm æternitate.* Sed Bonaventura 4. ſent. diſt. 15. q. 2. inter culpam & pœnam diſtinguit. *Cùm peccator* (inquit) *peccat, ſe ad pœnam æternam obligat, cùm autem divina miſericordia juſtificat ſeu vivificat, omnem remittit culpam & reatum pœnæ æternæ. Sed quia miſericordia non poteſt præjudicare juſtitiæ cujus eſt mala punire, ideò ſic ſolvit à culpa & pœna, ut tamen remaneat obligatus ad aliquantulam pœnam temporalem. Compromiſit autem Dominus in rectores Eccleſiæ tanquam in arbitros, per quos imponatur pœna peccatoribus, & Domino ſatisfiat principaliter, Eccleſiæ autem per conſequens.* Diſcordant etiam in aliis de ſatisfactione quæſtionibus. Quidam enim ſtatuunt, nullum opus vel paſſionem eſſe ſatisfactionem æquivalentem peccato, niſi per fidem conjungatur paſſioni ſatisfactoriæ Chriſti, alii contrà diſputant, etiamſi non intervениſſet meritum Chriſti, tamen hominem habentem gratiam ſeu caritatem poſſe Deo pro peccatis ſatisfacere. Petrus Tataretus in repert. in 4. ſent. diſt. 15 q. 1. f. 523. *Licet Deus potuit nos obligare, ad ſemper reddendum ſibi honorem pro beneficio creationis, tamen noluit propter fragilitatem humanæ naturæ, quæ non poteſt hoc, quia ſic obligaremur Deo ſemper & pro ſemper, quod eſt falſum.* f. 524. *Ideò dico duo, primò quicunque peccator poteſt ſatisfacere de peccato commiſſo, ſecluſo merito paſſionis Chriſti de potentia Dei abſoluta, ſed non de potentia ordinata, niſi merito paſſionis Chriſti. Probatur iſta concluſio quoad primam partem, quia ſi Verbum non fuiſſet incarnatum vel pro nobis paſſum, prædeſtinatus ad vitam æternam potuiſſet ſatisfacere ad vitam abſque merito paſſionis Chriſti.* Ita quærunt an ſatisfactionem neceſſe ſit fieri in caritate? Alexander Alenſis, Thomas, Bonaventura & Richardus affirmant, cùm ſine gratia & caritate nemo poſſit placere. Sed Scotus 4. ſent. diſt. 15. q. 1. in contrariũ diſputat, *eum qui verè pœnitet ſemel & recipit ſatisfactionem ſeu pœnitentiam impoſitam, quantumcunque poſtea recidivet, nunquam teneri niſi ad unicam illam ſatisfactionem implendam & ſi eam compleat in caritate melius eſſe, quia non tantùm ſolvit pœnam, ſed etiam meretur gloriam.* Durandus primam opinionem dicit duram ſecundam minùs ſecuram. Biel. 4. ſent. diſt. 16. q. 2. dub. 2. *Scoti opinio magis concordat divinæ miſericordiæ.* Quærunt, an opus ſatisfactorium in caritate factum mereatur aliquem gradũ gloriæ ultra remiſſionem pœnæ? quod Biel. dub. 6. confirmat tali argumento. *Eſt quædam condignitas operis ex gratia & Spiritus ſancti inhabitatione eliciti ad præmium beatificum eſſentiale. Ergo nullum opus meritorium ſufficienter præmiatur, per quodcunque bonum inferius beatitudine ſive temporale ſit ſive æternum.* Quærunt, an alius pro alio ſatisfacere poſſit, quod affirmant ſub hac diſtinctione. *Quædam ſatisfactio impoſita eſt à Sacerdote, quædam verò aſſumitur ex propria voluntate. Prior requiritur ab eo ipſo, qui acceptavit, niſi occurrat impedimentum legitimum puta infirmitas corporis &c. tunc enim eam per alium poteſt facere; poſterior poteſt fieri per alium. 1. quia poteſt quis alteri impetrare primam gratiam, per quã juſtificetur. Ergo & remiſſionem pœnæ ipſi poteſt impetrare. 2. non eſt minor communio Eccleſiæ militantis inter ſe, quam ejus cũ defunctis, jam verò poteſt vivus pro defunctis ſatisfacere. Ergo etiam pro vivis. 3. eſt hoc in uſu Eccleſiæ.* Hæ ſunt rationes Biel. dub. 8. ſed Bonavent. 4. ſent. diſt. 20. Rich. 4. ſent. diſt. 15. addunt hanc limitationem, *modò is, pro quo alter ſatisfacere cupit, ſit de eo contritus.* At ſi alius pro alio ſatisfacere poteſt, an non homo conſtituitur hominis redemtor? Cajetan. in Thom. p. 3. q. 48. art. 5. *Satisfactio pro aliis genus quoddã redemtionis eſt, quia ſoluto precio alter à pœna liberatur.* Quærunt an talis pro alio ſatisfaciens etiam pro ſeipſo ſatisfaciat? Reſpondet ſum̃a Angelica Claviſii, diverſas de eo opiniones eſſe, ſibi placere eam opinionem, quod *tale opus ſit ſatisfactorium etiam pro ſeipſo, non tamen ex debito, ſed per divinã miſericordiam, qua magis attendit caritatem quam opus.* Dici etiã poſſe quod *pro alio ſit ſatisfactorium per modum ſolutionis pœnæ, pro ſeipſo per modum meriti de congruo.* Quærunt an ſatisfactio in peccato mortali facta ſit valida vel iteranda? de quo iterũ diverſę ſunt ſententię. Rich. in quodlib. 1. q. 10. ſtatuit, *quod talis ſatisfaciat præcepto confeſſoris, nec teneatur reiterare, interim non ſatisfacere pœnæ debitæ in purgatorio.* Alii diſtinguunt, quod *actiones pœnitentiæ, ex quibus manet aliquis effectus poſt ſatisfactionis actum non ſint iterãdæ, ut eſt jejunium, eleemoſyna & hujusmodi, aliás autem quæ non relinquunt aliquem effectum, oportet iterare ut ſunt orationes & hujusmodi.* Panor. in c. quod quidem de pœnit. & remiſſ. & alii ſtatuunt, *quòd non valeat, ſed ſimpliciter ſit iteranda.* Scot. 4. ſẽt. diſt. 15. q. 1. circa fin. varias diſtinctiones quęrit, iterandam tñ neceſſariò eſſe negat.

124. Audiamus de ſatisfactione Bellarminũ, is lib. 4. de pœnit. c. 1. primò diſtinguit inter *ſatisfactionem perfectam, quæ fit ad abſolutam & perfectã æqualitatem (ut cùm actio contumelioſa inter duos homines æquales recompenſatur per aliam contrariã tantùm habentem honoris, quantum alia habuerit contumeliæ) & imperfectam quæ fit ad æqualitatem imperfectam, ut cum is, qui pertulit jacturã decem millium aureorũ, ſatisfieri ſibi patitur ceſſione omniũ bonorũ, licet ea bona ad ſummã tot miliũ non perveniant,* priorem inter Deum & homines non poſſe locum habere concedit, cùm *quicquid ſumus aut habemus, à Deo ſit; cumq; per peccatum infinitum bonũ lædatur,* poſteriorem v. quæ acceptatione & donatione eius cui fit, hîc locũ habere concludit. Deinde monet, *pro amicitia refirmanda non poſſe hominẽ Deo ſatisfacere, interim tamen juſtitiæ æqualitatem ſuâ ſatisfactione reſtaurare, i. e. debitum pœnæ, quod poſt culpæ remiſſionẽ manet, per opera bona redimere.* Reſp. 1. Diſcedit Bellar. ab iis. qui diſputant. peccatorem ſatisfactione ſuâ vindicare offenſam divinã com̃iſſam, ut hoc modo reſtituatur ſibi amicitia divina, h. e. pro ipſa etiam culpa ſatisfieri à nobis poſſe, quib. frigidè reſpondet, *non eſſe neceſſe nunc de his ſubtilitatibus diſputare.* 2. Scot. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. ſatisfactionẽ in genere definit, quod ſit *redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti,* atqui hęc definitio nõ poterit imperfectæ illi ſatisfactioni accommodari. 3. Definitiones illas Bellarm. nudè proponit,

Bellarmini de ſatisfactione diſſertatio.

non

non autem deducit ex fundamentis Scripturæ, quæ ſunt proprium Theologiæ principium. 4. Scriptura unicam agnoſcit ſatisfactionem pro peccato, eandemque perfectiſſimam, quæ æqualiter reſpondet divinæ juſtitiæ; ut enim juſtitiam divinam prædicat infinitam, ita quoque infinitam Chriſti ſatisfactionem eidem opponit, qui & nos Deo reconciliavit, & pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recepit. Eſa. 63. v. 3. Col. 2. v. 14. Hebr. 1. v. 3. 5. Huic perfectiſſimę & infinitæ Chriſti ſatisfactioni nuſpiam adjungit vel ſubordinat noſtram, adeò ut nec nomen nec res ſatisfactionis noſtræ in Scriptutis occurrat. Spiritus ſanctus in Scripturis non ſolùm baptizatis, ſed etiam poſt Baptiſmum in peccata prolapſis ac feriò contritis unicum Chriſtum propitiatorem proponit, ac illius ſatisfactionem prædicat, nuſpiam verò propriam ſatisfactionem ab illis exigit 1. Joh. 2. v. 2. Roman. 8. v. 34. 6. Quinimò cum juſtitia divina ſit infinita, ideò fieri nequit, ut noſtrâ ſatisfactione imperfecta æqualitas ejus reſtauretur. Neque eſt, quòd obvertatur, juſtitiam hîc conſiderandam eſſe ut contemperatam divinâ miſericordiâ, quia contemperatio illa tantùm in Chriſti merito per fidem nobis applicato locum habet. 7. Eſt igitur implicatio contradictionis, quando ſtatuitur ſatisfactio quædam imperfecta, is certè qui pro debito decem millium aureorum exiguam pecuniæ ſummam recipit, nunquam ſibi ſatisfactum eſſe dicet, ſed ad ſatisfactionem neceſſariò requiritur proportio Arithmetica, quod illi Scholaſtici animadvertunt, qui virtutem ſatisfactionis conſtituunt in caritate, ex qua operibus noſtris infinita quædam dignitas accedat, cùm caritas ſit Spiritus ſancti donum. Catechiſmus Romanus p. 308. ex Chriſti merito ſatisfactionis vim & dignitatem arceſſit. *Ejus* (inquit) *quanta ſit vis, ex eo colligitur, quòd tota a Chriſti Domini paſſionis merito pendet, à quo duo illa maxima bona conſequimur, alterum, ut immortalis gloriæ præmia mereamur, alterum ut pro peccatis noſtris ſatisfaciamus*: quò alludit Bellarminus, quando in hoc capite ſcribit: *ut ſatisfactio ſit aliquo modo ad æqualitatem oportet, ut ſicut offenſio habuit infinitatem quandam ex parte objecti, Sic habeat ſatisfactio aliquam infinitatem ex parte principii ſatisfacientis: proinde requiritur, ut opera ſatisfactoria fiant à Spiritu Dei hominem inhabitante, ſive ab ipſo homine ut membro Chriſti ac Filio Dei jam per gratiam & caritatem effecto &c.* quà de re ſuo dicetur loco. 8. Inter reformationem amicitiæ & reſtaurationem juſtitiæ, id eſt, inter ſatisfactionem pro culpa, & inter ſatisfactionem pro pœna non poteſt ita diſtingui, ut alterum meritò Chriſti, alterum verò noſtris ſatisfactionibus tribuatur, ſiquidem omnis peccator eſt contrarius divinæ juſtitiæ Eſa. 59. v. 2. 1. Joh. 3. v. 4. invertitur igitur Naturæ ordo ſi ponatur peccatoris reconciliatio cum Deo & reformatio amicitiæ antequam juſtitiæ ejus ſatisfactum ſit, ideò fundamentum reconciliationis noſtræ cum Deo Scriptura ſtatuit perfectiſſimam Chriſti ſatisfactionem, cui cùm omnia ſerantur accepta, nihil vel meriti vel ſatisfactionis nobis relinquitur. Viciſſim ad perfectam peccatorum remiſſionem (qualem in Baptiſmo fieri concedunt) pertinet remiſſio culpæ & univerſæ pœnæ ſive ſit temporaria ſive æterna. Quòd ſi in remiſſione peccatorum poſt Baptiſmum ſolummodò culpa & pœna æterna remittitur, non autem temporalis, ad cujus remiſſionem neceſſaria ſint opera ſatisfactoria, conſequens eſt, ſatisfactiones noſtras quodammodo ad remiſſionem peccatorum pertinere, ſiquidem præſupponitur, Deum non remittere totam offenſam in remiſſione culpæ, ſed aliquid de offenſione retinere, quod effundat in pœna temporali, quam poſt condonationem culpæ imponit & pro illius offenſæ remiſſione noſtrorũ operum ſatisfactionem requiri. Perinde igitur eſt, ſive dicamur pro pœna ſive pro culpa, i.e. parte illa culpæ, quæ per pœnas temporales expianda adhuc reſtat ſatisfacere. Agnoſcit hoc quodammodo ipſe Bellarminus ideò lib. 4. de poenit. cap. 1. dicit *non eſſe neceſſe, ut de his ſubtilitatibus agatur, an ſcil. pro culpa an pro pœna ſatisfiat*, manifeſtius adhuc cap. 13. ejusdem libri. *Licet ſit valde probabilis ſententia Thomæ, Durandi, Paludani & aliorum, non rectè ſatisfieri per opera aliàs debita, tamen non eſt improbabilis ſententia Adriani & Cajetani per opera aliàs debita ſatisfieri poſſe, cùm ſatisfactio, quam Deo reddimus, non pertineat ad ſolam juſtitiam, ſed etiam ad amicitiam* (cur ergò hoc loco diſtinguit inter reformationem amicitiæ & reſtaurationem juſtitiæ?) Idem lib. 4. de poenit. cap. 9. *Hic apertiſſimè agnoſcit Baſilius, ſatisfactionem condignam eſſe debere & eam proportionem cum peccato exigere, ut verè per eam offenſio compenſetur.* 9. Si per noſtras ſatisfactiones Deo reconciliamur, non ampliùs fide ſine operib. gratis juſtificamur. 10. Obſervandum autem πρῶτον ψεῦδος totius hujus diſputationis de ſatisfactione. Diſputant quidam ex Scholaſticis, ut apparet ex Biele 3. ſent. diſt. 19. art. 3. dub. 2. per Chriſti paſſionem nos hoc modo liberatos eſſe, quòd *plus placuerit Deo hac voluntas Chriſti ſecundum hominem voluntariè mortis eligentis ex tanta caritate elicita, quàm omnium hominum diſplicuere peccata, propter opus tam acceptabile Chriſti, quod pro reconciliatione generis humani obtulit Trinitati, Trinitas omnib. Chriſto incorporatis remiſit peccatum &c.* ex quo apparet, quod fundamentum ac pondus ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ non conſtituant in infinitate perſonę ac in infinita quadam vi & efficacia meriti formaliter ei inhærente, & juſtitiæ divinæ perfectè ſatisfaciente, ſed in miſericordiæ divinæ acceptatione, quâ Deus paſſionem Chriſti ex tanta caritate profectam ratam ac gratam habuerit, ex quo ulterius deducunt, etiam noſtra opera ex caritate profecta eſſe ſatisfactoria licet in gradu inferiori. Sed ſalſitatem hujus hypotheſeos oſtendimus in tractatu de perſona & officio Chriſti §. 165. & ſeqq. Mediatorem noſtrũ ideò oportuit eſſe θεάνθρωπον, ut ſufficiens λύτρον ꝑ peccatis noſtris perſolvi atq; hoc modo juſtitiæ divinæ ſatisfieri poſſet. Thomas p. 3. q. 46. art. 2. diſputat, quòd *Deus ſine ſatisfactione hominis remittere poſſit peccata, cùm non habeat aliquem ſuperiorem*. Atqui Deus ita miſericors eſt, ut ſit etiam ſimul juſtus, miſericordia non excludit in eo æternam juſtitiam, ergò non potuit peccatum ſalvâ divinâ juſtitiâ absque æquivalente precio in Dei judicio homini remitti, unde Cyrillus concludit lib. 2. Theſauri cap. 7. *Unicum medium ac remedium liberationis noſtræ Filii Dei incarnationem ac paſſionem eſſe potuiſſe.* Durandus 4. ſent. diſt. 15. duobus argumentis

pro-

probare conatur, quòd Chriſtus ſecundùm ſtrictum rigorem juſtitiæ divinæ non potuerit ſatisfacere, primò, *Quicquid erat in Chriſto ſecundùm humanam Naturam erat obligatum Deo & ei debitum, ideò non potuit eſſe ſatisfactio de condigno pro quocunque peccato conſiderando naturam operis vel rei, ſed ſolùm potuit eſſe ſatisfactio ſecundùm acceptationem gratuitam.* (Reſp. Opera Mediatoris exequitur Chriſtus ſecundum utramque naturam, ergò non ſunt humanæ tantùm naturæ opera, ſed actiones & paſſiones ſunt ſuppoſiti, quod quo fine negetur, iterum hic apparet, nimirum ut fundamentum noſtrarum ſatisfactionum ſternatur. Si enim Chriſtus ut homo juſtus, non autem ut θεάνθρωπος ſatisfecit, etiam juſti potuerunt ſatisfacere) Deinde *paſſio Chriſto non fuit tanta, quanta infernalis pœna peccatis debita, Ergò ſecundum acceptationem non autem ſecundum rigorem juſtitiæ fuit ſatisfactio.* (Reſp. Chriſtus in ſanctiſſima ſua anima ſenſit dolores verè infernales, ut ſuo loco oſtendimus, quamvis verò infinitas temporis ſive æternitas non ſit in illis doloribus, tamen perſonæ infinitas ſatisfactioni illi infinitamvim & efficaciam conciliat.) Biel 3. ſent. diſtinction. 20. q. un. diſputat contra Anſhelmum, quod non fuerit ſimpliciter neceſſarium Filium Dei incarnari ac mori ad redimendum genus humanum, cùm aliis rationibus ac mediis homini leproſo ſuccurri potuerit, *poſſet* (inquit) *Deus remittere peccatum per ſolam non imputationem, poſſet per alium ſatisfieri, potuiſſet quilibet pro ſe ſatisfacere, ſi data fuiſſet prima gratia ſine merito &c.* quæ omnia ex eo oriuntur, quod rigor divinæ juſtitiæ non conſideratur, ac magnitudinem ſummi ac inenarrabilis iſtius beneficii, quòd Filius Dei propter nos & ſalutem noſtram de cœlo deſcendit, ac Homo factus eſt, non mediocriter obſcurant, denique noſtris ſatisfactionibus viam ſternunt.

An remiſſâ culpâ maneat debitum luenda pœna.

125. His præſuppoſitis aggreditur Bellarminus Acropolin controverſiæ de ſatisfactionibus & primò conatur probare, quòd *ſæpè remiſſa culpa maneat debitum luendæ pœna, cùm David poſt impetratam veniam adulterii ac homicidii punitus ſit morte filii.* 2. Sam. 12. *cùm ob numeratum populum etiam poſt remiſſam culpam optio ei detur ut eligat bellum, peſtem vel famem.* 2. Sam. 24. *cumque ex aliis exemplis* Exod. 32. Num. 14. & 20. 1. Cor. 11. *idipſum manifeſtum ſit, denique cùm morti temporali etiam pii ſint obnoxii.* Reſp. 1. Si ex illis calamitatibus, quas pii per pœnitentiam Deo reconciliati adhuc ſuſtinent colligendum foret, non omnem peccati pœnam remiſſam eſſe, eâdem ratione ſequeretur, etiam in Baptiſmo non fieri plenam culpæ & pœnæ remiſſionem. Conſequens eſt falſum Ergò & antecedens. Connexio argumenti eſt firmiſſima, ſiquidem infantes baptizati morbis & calamitatibus ſunt obnoxii & quandoque ſtatim poſt Baptiſmum moriuntur, baptizati adulti à morbis non liberantur per Baptiſmū, ſed iis adhuc manent obnoxii, teſte experientiâ. Conſequens negat ipſe Bellarm. ſic n. ſcribit cap. præcedente col. 1419. *Poſſet Deus univerſum debitum pœnæ condonare, ut certum eſt eum facere cùm primùm per Baptiſmum nos in filios recipit.* Procedimus igitur hoc modo. Calamitates temporales, quas ſuſtinent pii poſt impetratam peccatorum remiſſionem, aut ſunt hujus, aut futuræ vitæ (ex hypotheſi Pontificiorum, illi enim ſtatuunt non ſolùm hujus vitæ calamitatibus ſed etiam purgatorii ignis flammis ipſos ſubjectos eſſe, niſi ſufficientem in hac vita præſtiterint ſatisfactionem, quâ de re cùm in tractatu de purgatorio ex profeſſo diſputetur, ideò hac vice de calamitatibus hujus vitæ tantùm agemus) Illas diſtinguimus hoc modo, ut quaſdam dicamus aliunde contractas (Scholaſtici vocant *Pœnalitates*) quaſdam verò ſpontè attractas, eaſdemque vel civiles à Magiſtratu irrogatas, vel alterius generis, quas DEUS ipſe infligit, quæ iterum ſunt communes vel ſingulares. Quod attinet calamitates aliunde, hoc eſt, ex peccato originali contractas, eas manifeſtum eſt per pœnitentiam nec in Baptiſmo nec extra Baptiſmum penitùs tolli, cùm concupiſcentia prava adhuc in carne locum habeat (licet mortificata ac refracta) cumque baptizati etiam ſint pœnis peccati originalis temporalibus obnoxii. Quod attinet pœnas civiles ſpontè attractas, illas itidē non tollit pœnitentia, nec in Baptiſmo, nec extra Baptiſmum, quia Evangelium non abolet politias, ac intereſt Reipublicæ, quam facinoroſi turbarint, delicta non manere impunita. Si per Baptiſmi ſuſceptionem pœnæ civiles remitterentur, multi eum ſuſciperent propter ſcelerum anteactorum impunitatem & hujus vitæ commoditatem: relaxationem tamen quandam pœnarum civilium converſis ex Judaiſmo Magiſtratus quandoque concedit, quod ſuo loco relinquim9. Quod attinet calamitates illas, quas Deus ipſe reconciliatis infligit, quæ à civilib. per Magiſtratum irrogatis diſtinctæ ſunt, libenter concedimus, pios etiam poſt impetratam peccatorum remiſſionem, non ſolùm communibus hujus vitæ calamitatibus (Scripturâ & experientiâ teſte) obnoxios eſſe, ſed etiam quibuſdam ſingulares calamitates in hac vita imponi, quod exempla in medium adducta probant. 3. Interim tamen nec ſemper nec omnibus Deus ſingulares pœnas illis, quibus peccata remittit, in hac vita imponit, ut teſtantur exempla, Paralytici Matth. 9. Mulieris peccatricis Luc. 7. Publicani Luc. 18. Zachæi Luc. 19. Petri Matth. 26. ac proinde non poteſt generaliter dici, quòd poſt remiſſionem culpæ maneat debitum luendarum ſingularium pœnarum, videtur id ipſe Bellarminus agnoſcere; unde ſtylum ſic informat, *remiſſa culpa non ſemper remitti debitum pœna* lib. 4. de pœnit. cap. 1. Item *poſt remiſſam culpam ſæpè remanere debitum pœna.* lib. eod. c. 2. Si non ſemper remiſſâ culpâ remittitur etiam debitum pœnæ. E. aliquando remittitur & culpa & pœna. Si poſt remiſſam culpam ſæpè remanet debitum pœnæ. E. hoc non eſt univerſale & perpetuum, ac proinde propriè non poteſt vocari debitum, quippe quod ſemper exolvendum. 4. Illud verò neceſſariò explicandum propter quas cauſas & quo fine tales ſive pœnę ſive calamitates reconciliatis à Deo imponãtur, videl. nō ut ſint merita remiſſionis peccatorū vel cōpenſationes poenæ æternę vel ſatisfactiones pro peccatis, ſed ut ſint primò reſpectu aliorum publica indicia judicii divini adverſus peccata, Num. 12. v. 14. 2. Sam. 12. v. 14. 1. Pet. 4. v. 17. *Si judicium incipit à domo Domini, quis finis erit eorum, qui non cre-*

dunt Evangelio. Deinde reſpectu ipſorum piorum ſunt memorialia præcedentium & cautelæ futurorum, ideò enim pii ſubjiciuntur poſt reconciliationem vel communibus calamitatibus vel peculiaribus pœnis, ut hac commonefactione ſubinde magis accendatur & creſcat in eis odium & deteſtatio peccati, timor Dei, fides ſolicitè curans ut gratiam retineat & in bonitate permaneat, diligentia cavendi peccata, ut reprimantur & mortificentur pravæ inclinationes. Sunt etiam exercitia pœnitentiæ, quæ debent eſſe perpetua, fidei, obœdientiæ in cruce, ſpei, petitionis & expectationis auxilii per liberationem vel mitigationem, utque ſemper circumferant teſtimonium, ipſis propter peccatà pereundum fuiſſe, niſi propter Filium reciperentur, item ne arrogent ſibi laudem juſtitiæ propriæ, ne efferant ſe ſuper cæteros peccatores, ſed verâ & humili infirmitatis confeſſione Deo ſeſe ſubjiciant. Hæc omnia D. Chemn. in Examine Concil. Trident. part. 2. cap. de ſatisfact. pag. 370. ἐπιτιμητικῶς εἰπεῖν ſunt admonitionis de reliquiis peccati in carne adhuc hærentibus, ſunt frena ad coercendam carnem, ne in poſterum peccato indulgeat, ſunt exempla, quibus alii ad peccati odium incitantur, ſunt Inſtrumenta, illuſtrandæ gloriæ Dei inſervientia, quò pertinet illud Chryſoſtomi homil. 28. in 1. Cor. *Cùm corripimur à Domino, magis eſt admonitionis quàm damnationis, medicina quàm ſupplicii, correctionis quàm pœna.* Idem homil. de pœnitent. & confeſſ. *Ne peccantes & inutiles manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium, ſed vidit hoc manifeſtè, quod peccatis ipſis non minus damnoſum ſit non puniri, propter hoc imponit pœnam, non exigens ſupplicium de peccatis, ſed ad futura corrigens.* Auguſt. de peccat. merit. & remiſſ. lib. 2. cap. 33. *Qui dicunt, ſi peccato mors iſta corporis accidiſſet, non utique poſt remiſſionem peccatorum, quam Redemtor nobis tribuit, moreremur, non intelligunt, quomodo res quarum reatum Deus ſolvit, tamen eas ad certamen fidei ſinit manere, ut per illas erudiantur & exerceantur proficientes in agone juſtitiæ.* cap. 34. *(calamitates) ante remiſſionem ſunt illa ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem vero ſunt certamina exercitationesque juſtorum.* **Idem tract. 124. in Johann. circa med. *Et remiſſis peccatis tolerat homo miſeriam, in quam tamen ex peccato venit: vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ temporaliter tenet hominem pœna, etiam quem jam reum non tenet culpa;* Ibid. *Productior eſt pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna.* in Pſ. 102. tom. 8. fol. 1166. *Quod pateris, unde plangis, medicina eſt, non pœna; caſtigatio eſt, non damnatio.* Theodoretus in Pſal. 32. *Pſaltes non dicit, remiſiſti mihi peccatum, ſed impietatē peccati, quod ſic interpretatur.* οὐ πρὸς ἀξίαν μὲν τῆς παρανομίας ἐκόλασας, ἀλλὰ τὴν μὲν ὑπερβολὴν τῆς ἁμαρτίας συνεχώρησας, συμμέτρῳ δὲ παιδείᾳ τὴν θεραπείαν ἐπέθηκας. *Non condignâ pœnâ me peccatorem puniſti, verùm exceſſum quidem peccati remiſiſti, mediocri animadverſione medicinam adhibuiſti.* Auguſt. iterum lib. 22. contra Fauſtum cap. 67. dicit, *Davidem veniam accepiſſe non niſi ad ſempiternam ſalutem, quia non præter miſſa in illo ſecundum DEI comminationem flagella paternæ diſciplinæ, ut & confeſſus in æternum liberaretur & afflictus temporaliter probaretur.*** 13. de civ. Dei cap. 4. *Ad hoc relinquitur animæ experimentum ſeparationis à corpore quamvis ablato jam criminis nexu, quoniam ſi regenerationis Sacramentum continuò ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides enervaretur, quæ tum eſt fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum videtur. Fides autem robore atque certamine in majoribus duntaxat ætatibus etiam mortis fuerat ſuperandus timor, quod in ſanctis Martyribus maximè eminuit, cujus profectò certaminis nulla eſſet victoria, nulla gloria, quia nec ipſum omninò poſſet eſſe certamen, ſi poſt lavacrum regenerationis jam ſancti non poſſent perpeti mortem corporalem.* 5. Urget Bellarminus *calamitates illas reconciliatis impoſitas eſſe pœnas propriè dictas & reſpicere ad præteritum peccatum.* Reſp. de vocabulis non odiosè pugnabimus, an ſc. afflictiones illæ reconciliatorū vocandæ ſint pœnæ peccatorum, (**Poſſunt ſano ſenſu vocari *pœnæ* non more Papiſtico q. ſint ſatisfactoria, ſed more Scripturæ quæ 1. Corinth. 11. vocat κρίματα quia infliguntur propter peccata non tamē ad internecionem vel damnationem, ſed ut poſthac diſcant cautius ambulare. Sunt interim illæ poenæ alio reſpectu indicia amoris Dei, quia *quem filium diligit, hunc caſtigat* 1. Corint. 11. Hebr. 12. Lutherus in ſchol. Joel 2. in aſſert. articulor. ſuorum art. 5. Item tom. 1. Witeb. fol. 53. expreſſè vocat *pœnas.* Phil. tom. 1. opera Luth. Lat. Witeb. fol. 484. Chytr. in c. 25. Levit. Kirchn. in meth. explicat. in loco de poenit. fol. 811. Chemnit. part. 2. Exam. cap. 10. de operibus ſatisf. fol. 264. Leyſerus in cap. 49. Geneſ. Selnecc. in pædag. Gesner. in cap. 45. Gen. f. 851. Heſhuſius in examine edito Helmſteti 1586. in quo priorem ſententiam ſuam, quod non ſint poenæ, correxit, refert n. ſe admonitum eſſe hac de re à paſtorib. in præfat. Epiſt. prioris ad Corinth. Anno 73. Jon. 3. v. 9. *Quis ſcit an convertatur Dominus à furore iræ ſuæ,* quem locum noſtri exponunt de averſione temporalium calamitatum. Pſal. 6. v. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me.* Balduin. in comm. cap. 3. Rom. q. 4. diſtinguit inter *pœnam ſupplicii* & *pœnam caſtigationis* ſive probationis. Poena ſupplicii, quæ propriè poena dicenda eſt & pro peccatis admiſsis debita, una cum peccatis remittitur pœna caſtigationis ſeu probationis, quæ propriè crux & calamitas appellanda etiā piis in hac mortalitate ſuſtinenda relinquitur.**) an verò paternæ caſtigationes, interim tamen hoc certum eſt, magnum eſſe diſcrimen inter afflictiones, quæ infliguntur impiis & quæ imponuntur reconciliatis: illæ ſunt ſigna offenſæ Dei, quæ teſtantur perſonam illam eſſe ſub ira Dei, hæ verò non proveniunt à Deo irato, ſed propitio, *humiliante quidem filios hominum, ſed non ex corde nec abjiciente eos,* Thren. 3. v. 33. Nazianz. in ενιᾶ. dicit *quod ſine amaræ ſagittæ ex dulci manu Dei.* Illæ ſpectant ad emendationem & ſalutem piorum, hæ vero ſunt teſtimonia, imò principia æternæ poenæ. Negari certè nequit perpetuam eſſe relationem inter culpam & poenam, ubi igitur facta eſt remiſsio culpæ, ibi poena propriè dicta locum habere nequit, quid quòd remiſsio peccati nihil aliud ſit, quam

con-

condonatio poenæ? ſiquidem peccatum originale quoad radicem ac fomitem (mortificatum tamen & refractum) ſemper manet in renatis, peccatum actuale; ratione actus tranſit; quando verò remittitur, non ex facto infectum redditur, ſed tantùm reatus pœnæ tollitur, ergò pugnant inter ſe invicem, peccatum verè remiſſum eſſe, & tamen pœnam propriè dictam propter peccatum adhuc ſuſtinendam eſſe. ** Auguſt. lib. 1. retract. cap. 9. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, pœna peccati eſt.* Thom. p. 1. 2. q. 87. art. 7. & 8. docet, *omnem pœnam quæ merè & propriè eſt pœna, eſſe propter aliquam culpam.* Perer. in Geneſ. cap. 9. pag. 541 n. 163. *Si pœna propriè ſumatur, neceſſariò reſpondet peccato, nec ſine eo poteſt eſſe, ſiquidem per pœnam compenſatur & reficitur æqualitas juſtitiæ per peccatum violata.* Bellarm. lib. 1. de pœnit. cap. 7. *Culpa eſt cauſa pœnæ, cùm ex culpa obligatio naſcatur ad pœnam* lib. 3. de Laic. cap. 11. *Culpa & pœna relativa ſunt.* Quæ Bellarmini teſtimonia ſunt ipſimet opponenda, quando lib. de matrim. cap 17. ex 6. de reg. juris reg. 23. inquit. *Sine culpa, niſi ſubſit cauſa non eſt aliquis puniendus* & ſubjicit. *Non ſolùm culpam ſed etiam cauſam ſubeſſe oportet, ut quis nullo modo puniri poſſit.* Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. diſtinguit *inter pœnam, quatenus conſideratur ſecundùm rationem pœnæ* h. e. *ſtrictè & accurratè & tum non debetur niſi peccato, & inter pœnam, quatenus conſideratur ut medicina, & tum aliquis nempe pius interdum punitur ſine ipſius culpâ, quippe quæ ipſi propter Christum condonata, ſed non ſine cauſa.* **

An reatus pœnæ poſſit bonis operibus redimi.

126. Cap. 3. Conatur Bellarminus probare *reatum pœnæ temporalis, qui interdum remanet poſt amicitiam cum Deo reformatam, bonis operibus redimi poſſe.* Reſp. Quemadmodum non ſemper, nec omnibus reconciliatis, nec æqualiter ſingulares poenæ pro peccatis in hac vita imponuntur; ita quoque bono Dei conſilio quibusdam mitigantur, quidam ab illis penitus liberantur, quidam ad mortem uſque ſub illis laborare coguntur, inde in vera pœnitentia & humiliatione pii poſſunt ſanè liberationem & mitigationem calamitatum, interim tamen voluntati divinæ ſe le totos ſubjiciunt, ac benevolo Dei conſilio liberum relinquunt, an & quando ab illis liberare velit. Sic ergo per veram ac ſeriam poenitentiam mitigantur vel etiam planè auferuntur poenæ temporales, non quòd opera ejus ſint ſatisfactiones vel compenſationes pro peccatis vel merita reconciliationis, ſed quia caſtigationibus illis DEUS nihil aliud quærit, quàm ut accendatur vera humilitas, exciteeur odium ac deteſtatio peccati, ac mortificatio veteris hominis, proinde quando Deus talia exercitia poenitentiæ, fidei ac novæ obedientiæ in reconciliatis videt, tunc habet id, quod caſtigationibus illis quærere ſolet, ideò poenas illas propter Chriſtum μεσίτου καὶ ἱκέτου vel auſert, vel mitigat, (ſicut Daniel orat. cap. 9. verſic. 17. *propter Dominum exaudi nos & reſpice exilium noſtrum*) nec tamen ſemper, nec in omnibus poenis illud contingit, id quod ipſe Bellarminus agnoſcit, ſic enim ſcribit: *pœnas temporales hujus vitæ interdum non poſſe redimi, ſed neceſſariò perpetiendas eſſe, talis imprimis pœna mors eſt, quam nullus quamtumvis juſtus ullo pio opere avertere potuit, talis fuit poena Davidis per mortem filii inflicta &c.* agnoſcunt hoc verè pii, ideò totos ſe divinæ voluntati in paternis illis caſtigationibus ſubmittunt, petunt, ne Deus intret in judicium cum ipſis, ſed ut liberet vel mitiget, vel ſi eas manere velit, ut det patientiam ac ſalutarem ἔκβασιν.

An opera ſatisfactionis ſponte ſuſcipi poſſint.

127. Cap. 4. diſputat Bellarminus *opera laborioſa, quibus reatus poenæ temporalis expietur, ſponte ſuſcipi poſſe*, ubi affert exempla eorum qui in cinere & favilla egerunt poenitentiam, jejunarunt, ſaccis ſe induerunt. ** Gretſerus in Virgidem. pag. 156. *Sanguis Chriſti expiavit & abluit peccata noſtra, at non ſine inſtrumentorum interventu in quibus & profeſſionis religioſæ externa indicia, cilicium, veſtitus Monaſticus, tonſura.* ** Reſp. illi quorum jejunia, cilicium, lachrymæ &c. in Scripturis deſcribuntur aut fuerunt verè pii veram ac ſalutarem agentes poenitentiam, ut Job, David, Daniel, Ninivitæ, Petrus &c. aut hypocrytæ ut Achab. Illi externis iſtis corporis afflictionibus teſtati ſunt ſeriam cordis ſui contritionem, quæ in calamitatibus ſive publicis, ſive privatis, atque in lucta tentationum acui & creſcere ſolet, non autem eo fine illas ſuſceperunt, ut pro peccatis vel poenis peccatorum ſatisfacerent, cùm ipſimet fateantur & agnoſcant ex gratuita miſericordia propter Chriſtum Mediatorem ſibi peccata remitti Job. 9. v. 3. *ad mille non potero tibi unum reſpondere.* Pſal. 130. v. 3. *ſi peccata imputare decreveris, quis ſuſtinebit?* Pſal. 143. verſ. 3. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo.* Dan. 9. v. 7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei.* v. 17. *Exaudi nos propter Dominum.* Nec Deo præſcribunt terminum vel modum liberationis in poenis temporalibus, ſed totum hoc humilis fidei obedientiâ paternæ Dei voluntati reſignant, ut teſtatur exemplum Ninivitarum & Davidis. Quòd hypocritas attinet, illi externâ ſuâ humiliatione & afflictione ſponte aſſumtâ averſionem vel prorogationem temporalium poenarum impetrant, non per modum vel meriti vel ſatisfactionis, ſed quia externa obedientia externo remuneratur præmio, ſicut aliàs opera non renatorum moraliter bona præmiis hujus vitæ à Deo ornantur, ut ſocietas humana conſervetur & externa diſciplina commendetur *habent mercedem ſuam*, dicit de illis Chriſtus Matth. 6. verſic. 3. *Habent quidem* (dicit Apolog. Confeſ. Wirtenb. cap. de Poen. pag. 504.) *bona opera quæ impoenitentes faciunt* (abſque peccati agnitione & fide) *ſuam laudem ſuaque merita* (præmia) *coram hominibus & in his terrenis beneficiis, coram Deo a. tantum abeſt, ut ad expianda peccata & ad promerendum favorem Dei aliquid faciant, ut ſic eò transferantur, habeantur velut peccatum, ſicut Scriptura loquitur ariolandi & velut ſcelus idololatriæ.* Ergò ſi vera ac ſeria in corde eſt contritio, externa illa indicia ſponte conſequentur, ſi vero ex hypocriſi afflictiones illæ ſponte aſſumantur & quidem hoc fine, ut per eas Deo ſatisfiat, corde interim nondum verè contrito, ac fide in Chriſtum Mediatorem deſtituto, tum quid de illis Deus judicet, manifeſtum eſt ex Eſa. 58. v. 5. *An tale eſt jejunium, quod elegi, ut affligat homo per diem animam ſuam? an ut incurvet ſicut juncus caput ſuum & ſaccum & cinerem ſternat?* Hac de re Tauler. concil. 4. fol. 10. ſic ſcribit: Etli-

chen Menſchen genüget nit an der Myrrhen / die jhnen GOtt gibt / ſondern wollen jhr auch mehr auff ſich laden / vnnd machen böſe Heupter vnd krancke Phantaſeyen / vnnd haben lang gelitten / vnd viel / vnd thun den Dingen nit recht / vnd wird jhnen wenig Gnade daraus / dann ſie bawen auff jhre eigne Auffſetze / es ſey in Pœnitentz oder Abſtinentz / oder in Gebet oder Andacht / ſo muß Gott jrer Müſſigkeit erbeiten (erwarten) biß daß ſie das jre gethan/ꝛc. **Apud Zuinger. l. 3. vol. 27. *Fulco Andegavenſis Comes ſatisfacturus pro peccato quodam indutus maleſici damnati veſtitu, cum duobus Comitibus ad ſepulchrum Domini contendit; ita ut eorum alteri ſe collo reſti illaqueandum & trahendum traderet, alteri virgas præberet quibus ſe tergo læſum laceratumq́; eodem ageret vociferantem.* Admitte Domine miſerum Fulconem periurum & fugitivum tuum. Lutherus anno Chriſti 1498. ipſe vidit Magdæburg. Principem quendam Anhaldinum fratrem Adolphi Præpoſiti Merſburgenſis indutum cucullo Monaſtico gerere ſaccum, quo colligebant panem mendicantes Monachi tom. 6. Germ. Jen. fol. 9. & 20. ** *Seipſum judicare*, 1. Corinth. 11. verſ. 28. *& corpus caſtigare*, 1. Cor. 9. v. 27. nequaquam ſignificat ſponte ſuſcipere afflictiones corporis hoc fine, ut Deo ſatisfiat pro peccatis vel peccatorum pœnis, ſed excuſſâ ſecuritate peccata agnoſcere ac deplorare, radicem peccati mortificare, carnis cupiditates reprimere, pravas concupiſcentias refrenare, corpus in ſervitutem redigere &c. alibi n. improbat Apoſtolus, *ſi debitus honor corporis non reddatur*, Col. 2. v. 23. Bellarmin. dicit, *illud tum demum improbari ſi fiat ex ſuperſtitione*; rectè ſubſumimus a. ſuperſtitioſum eſſe in afflictionibus corporis vel modum excedere vel ſatisfactionis causâ eaſdem ſuſcipere, cùm utrumque mandato Dei deſtituatur.

An opera ſatisfactoria rectè injungantur à Sacerdotibus

128. Cap. 5. Bellarminus probare inſtituit, *opera ſatisfactoria rectè à Sacerdotibus injungi*. 1. Matth. 18. *dantur eis claves ad ſolvendum & ligandum, ut igitur à culpa pœnitentes abſolvunt, ita quoque poſſunt ac debent eoſdem ad certa pœnitentiæ opera alligare.* ** Pinellus Jeſuita lib. 2. de pœnit. cap. 2. *Poenitens, qui rei perſonam ſuſtinet, paratus eſſe debet, ſatisfactionem quæcunque illi in hac vita à Confeſſario tanquã judice imponetur, perficere.* ** Reſponſ. ſicut peccatorum remiſſio ac ſolutio tantùm pœnitentes reſpicit, ita peccatorum alligatio ac retentio tantùm ad impœnitentes ſpectat. Turpiſſima igitur confuſio eſt clavis ſolventis ac ligantis, quando verè poenitentibus peccata adhuc vel ex toto vel ex parte retinentur ac ligantur. Nuſpiam certè Chriſtus juſſit, ut Apoſtoli poenitentibus imponerent poenas ſatisfactorias, ſed *in nomine ſuo poenitentiam ac remiſſionem peccatorum prædicare* juſſit, Luc. 24. verſ. 47. nuſpiam vel Chriſtus, vel Apoſtoli poenitentib. certas mulctas indixiſſe leguntur, ſed gratuitam peccatorum remiſſionem annunciant & à peccatis in poſterum cavere jubent. Inceſtuoſum Corinthiacum Apoſtolus *Satanæ tradidit in carnis interitum, ut Spiritus ſalvus fieret*, cùm in peccatis ſecurè pergeret, cùm verò ex animo converteretur & ad meliorem frugem ſe reciperet, abſque ullius ſatisfactionis interventu eum recipiebat. Gloſſ. interlin. Matth. 18. quæcunque alligaveritis ſc. *vinculo anathematis.* Gloſſ. ordin. *à Deo veſtra ſententia confirmatur vel ad recipiendum poenitentem vel ad abjiciendum contumacem.* Idipſum oſtendit etiam connexio textus. Cùm n. in præcedentibus juſſerit Chriſtus præfractum peccatorem habere velut Ethnicum & publicanum, h. e. ſeparare ab aliis fidelibus per excommunicationem & cenſuram Eccleſiaſticam, ſubjungit hæc verba. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, ligata erunt*, oſtendens cenſuram illam coram Deo ratam fore. Auguſt. de verb. Dom. ſerm. 16. circa medium, *Hoc audivimus Dominum ita monentem & tantà curà præcipientem, ut etiam hoc adderet continuò. Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis &c. Cœpiſti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra, ſed ut juſte alliges vide, nam injuſta vincula dirumpit juſtitia.* 2. *In primitiva Eccleſia poenitentibus ſatisfactiones ſunt impoſitæ.* Reſp. multis modis differunt exercitia ſatisfactionum canonicarum in veteri Eccleſia uſitatarum, à ſatisfactionib9 Pontificiis. Illæ irrogabantur tantùm pro delictis notoriis, erant enim pars publicæ pœnitentiæ, hæ verò etiam pro occultis & quibuslibet peccatis in confeſſione expoſitis irrogantur. Illæ requirebant opera legi divinæ conformia, humiliationem, deprecationem, eleemoſynas &c. hæ verò, ἐθελοθρησκείας plerunque continent, ut peregrinationes ad ſtatuas ſanctorum, flagellationes, roſaria, participationes operum ſupererogationis à Monachis ac Monialibus præſtitorum &c. Illæ exigebantur hoc fine ut conſtaret de vera ac ſeria poenitentia, ut Eccleſiæ pro ſcandalo ſatisfieret, ut reliqui exemplo ſeveritatis iſtius admonerentur de cavendis delictis & moribus cautè regendis; hæ verò referuntur ad tribunal Dei, ut coram eo ſint ſatisfactiones pro peccatis admiſſis vel certè pro poena illorum temporali, in quam æternam commutatam eſſe ſtatuunt. Illæ abſolutionem præcedebant, hæ v. eandem ſubſequuntur. Illæ non laxabantur niſi vel Naturæ imbecillitas vel præſens mortis periculum laxationem quandam exigeret, nam in mortis articulo pax per abſolutionem & communicationem Euchariſtiæ dari præcepta fuit, nondum impletis ſatisfactionibus illis Canonicis teſte Cypriano lib. 3. Epiſt. 17. & Euſebio lib. 6. c. 34. hæ vero nundinationibus indulgentiarum redimi, vel etiam per alium impleri poſſunt, ut rectè ſcribat D. Chem. part. 2. Exam. c. de ſatisf. p. 368. *Pontificios, qui veterum ſententiis pro ſatisfactionibus pugnant, antiquas ſatisfactiones non habere.* 3. Rationes docent, congruum eſſe ut poenitentibus poſt Baptiſmum lapſis mulctæ imponantur, *qui peccant ante Baptiſmum majori miſericordia digni ſunt, quàm qui poſt Baptiſmum peccant, cùm illi in tenebris ignorantiæ, hi in lumine fidei & agnitionis Dei verſentur: Juſtitiam divinam omnino ſatisfieri oportere, poenitentiam eſſe medium animæ vulneratæ, ideò exigere uſtiones, inciſiones, pharmaca amara: ſatisfactiones ipſis poenitentibus & aliis utiles eſſe.* Reſp. Spiritus S. non ſolùm antè Baptiſmum ſed etiam poſt Baptiſmum lapſos ad unicam Chriſti ſatisfactionem in ara crucis præſtitam deducit, nuſpiam verò talem differentiam ſtatuit, ut remiſſionem peccatorum ante Baptiſmum gratuitam eſſe dicat, pro illis verò quæ poſt Baptiſmum committun-

Google

tuntur, ſatisfactionem exigat. 1. Joh. 2. v. 1. *Hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſi quis a. peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, videlicet Ieſum Chriſtum juſtum.* v. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,* Hebr. 4. v. 15. *non habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed tentatum in omnibus ſimiliter abſque peccato.* v. 16. *accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam,* Rom. 3. v. 25. *Deus propoſuit Chriſtum ἱλαςήριον per fidem in ſanguine ejus.* Monſtretur vel unicum Scripturæ pronunciatum, in quo talis differentia inter lapſos ante Baptiſmum ac poſt Baptiſmum ſtatuatur? Bellarminus dicit, graviùs illos peccare, qui poſt Baptiſmum in lumine fidei conſtituti peccant: rectè, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd poſſint vel debeant ſuas afferre ſatisfactiones. Majus ac minus non variant rei ſpeciem. Si ergo majores ſatisfactiones exiguntur ab illis, qui gravius peccant poſt Baptiſmum, aliquæ etiam licet minores exigendæ erunt ab illis, qui minus peccaverunt ante Baptiſmum. Juſtitiæ divinæ per noſtra opera ſatisfieri poſſe non ſolùm præter, ſed etiã contra Scripturam aſſeritur, quæ unicam Chriſti ſatisfactionem eandemque perfectam & infinitam prædicat. Opera quædam à pœnitentibus exigenda vel iiſdem imponenda eſſe concedimus, ſi de Canonicis ſatisfactionibus in primitiva Eccleſia uſitatis, vel de exercitiis pœnitentiæ, pietatis ac novitatis vitæ, qualia ſunt oratio, Eleemoſyna, jejunium, tolerantia affectuum &c. vel etiam de caſtigationibus civilibus ac Eccleſiaſticis diſciplinæ conſervandæ ergò impoſitis intelligatur, ſecùs ſi de indebitis ac ſupererogationis operibus vel ἐθελοθρησκείαις, hoc fine requiſitia, ut pro peccatis ſatisfiat, accipiantur. ** Atque tales ſatisfactiones pœnitentibus imponere eſt illis fiduciam unicè ſatisfactionis Chriſti excutere: eſt perfectionem ſatisfactionis Chriſti abnegare: eſt humana commẽta & opera pro Chriſto hominibus obtrudere: eſt Deum injuſtitiæ accuſare, quaſi qui unâ Chriſti ſatisfactione pro culpis noſtris non contentus aliam à nobis exigeret: eſt omnem conſolationem conſcientiis ſenſu iræ divinæ oppreſſis nefariè eripere. **

Quot ſint opera ſatisfactoria

129. Cap. 6. diſputat Bellarminus *opera ſatisfactoria eſſe præcipuè tria, videlicet Jejunium, ad quod revocantur ea omnia, quæ corpus affligunt, ut cilicia, cineres, flagellationes. Eleemoſyna, ad quam revocantur omnia opera miſericordiæ, & Oratio, ad quam revocantur ea omnia quæ Deo propriè exhibentur, ut laudes, gratiarum actiones, contritionis & confeſſionis actus.* Reſp. de tota hac re alibi ex profeſſo agetur, an ſc. opera noſtra in judicio Dei ſint ſatisfactoria ac meritoria, item an præter perfectam obœdientiam legi debitam adhuc opera quædam ſupererogationis à nobis præſtari poſſint. Obſerva a. duas illas rationes, quibus Bellarminus hoc loco probat, rectè tria præcipuè ſatisfactionum genera à Theologis ſtatui. *Una* (inquit) *cauſa eſt, quòd debeamus Deo ſatisfacere per ea bona, quæ noſtra ſunt, quoad ejus fieri poteſt. Habemus autem tria genera bonorum; animi, quæ Deo damus per orationem; corporis quæ DEO damus per jejunium; externa, quæ Deo damus per eleemoſynam. Altera ratio eſt, quòd omnia vitia revocantur ad concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ. Jejunium comprimit concupiſcentiam carnis, eleemoſyna concupiſcentiam oculorum, id eſt, avaritiam, oratio ſuperbiam vitæ.* Reſp. At jam antè omnia noſtra Deo debemus, cùm ex totis viribus ipſi ſervire juſſi ſimus; jam antè concupiſcentias pravas refrenare ac mortificare tenemur, quomodo igitur vel bonorum divinitùs conceſſorum elargitione, vel concupiſcentiarum mortificatione pro admiſſis peccatis ſatisfacere poſſumus? Mirum verò eſt, orationem ac preces inter ſatisfactoria ac meritoria opera referri, cùm in illis extremam noſtram indigentiam ac infirmitatem teſtatam faciamus! Nec ſufficit, exempla afferre eorum, qui jejunârunt, orârunt ac eleemoſynas dederunt, quis n. niſi extremè impius hæc improbaret? ſed demonſtrandum erat, ſatisfactionis cauſâ opera illa à verè piis ſuſcepta eſſe. Porrò Bellarmino quidem in hac generalitate hoc quidem loco ſubſiſtere placuit, alii verò diſputant de Quadragena, ſeptena & Carena, quæ quid ſint vel potiùs olim fuerint, cognoſci poteſt ex libro, qui continet cauſas recuſati Concilii Tridentini pag. 103. & Apolog. Confeſſ. Wirtenb. pag. 556. ubi ex Roſario parte. 3. titulo de Indulgentiis ſic ſcribitur: *Quid Carena.* *Notandum, quòd Indulgentiæ conceduntur variis modis, & exprimuntur diverſis vocabulis. Carina ſeu Carena ſecundum gloſſ. ſuper Ca. accepiſti de ſponſa duarum, eſt vulgare Italicorum. Et dicitur carina à carentia hominum, vel etiam cibariorum. Nam in illis quadraginta diebus homines includuntur in aliquo loco ſecreto juxta Eccleſiam, ubi non habent conſortium hominum. Unde & in ſupradicto c. accepiſti, injungitur cuidam, qui acceperat quandam in uxorem, quam alter ſibi deſponſavit, hoc, faciat carinam, id eſt, quadraginta dies in pane & aqua, cum ſeptem ſequentibus annis pœniteat. Ut n. colligitur ex geſtis ſummorum Pontificum, differentia eſt inter ſeptenam vel ſeptenarium, quadragenam & carenam, quæ etiam carentina aliquando dicitur.* *Quid Quadragena.* *Nam Clemens Papa prius inſtituit quadragenam, per quam deſignavit pœnitentiam quadraginta dierum, cum ſeptem annis ſequentibus, quam pœnam injungebat ratione unius peccati mortalis: ita quod per iſtos quadraginta dies pœnitentes excludebantur ab Eccleſia & incedebant capite diſcooperto, ſparſo crine, & poſt eoſdem dies injungebatur eis pœnitentia ſeptennis, videlicet, quòd per eoſdem ſeptem annos feriis ſecundis ſemel uterentur lacticiniis, quartis feriis uno ferculo concernente jejunium. Sextis verò feriis haberent tria fruſta panis, cinere intincta & intra hos ſeptem annos non utebantur carnibus, nec vino, nec etiam lecto, balneo: ſed dormiebant in terra aſpera vel etiam lapide.* *Quid Septena.* *Quibus annis expletis, licuit ipſos primo communicare corpore dominico. Septenam autem Innocent. Papa injungebat primus pro uno peccato mortali, ſic quod die dominico debebant uti lacticiniis bis in die: feria ſecunda jejunare uno ferculo concernente jejunium: feria tertia utebantur bis lacticiniis ſive ovis: feriâ quarta utebantur pane & potu aliquo ſemel in die: feria quinta ſimiliter lacticiniis & ovis: feria ſexta ſolo pane & aqua ſimul: die verò Sabbathi ibant peregrinatum, per Eccleſias, viſitando limina ſanctorum, quando melius potuerunt comede-*

re lacticinia ſemel. Quibus expletis, prahabitâ abſolutione licuit ipſos communicare corpore dominico, & vocabatur hujuſmodi pœnitentia ſeptenaria, vel ſeptena Innocentii. Sed carena ſive carentina erat pœna includens pœnitentiam quadragena & ſeptena, quia ſic pœnitentes abſtinebant à cibis, & à converſatione hominum & jejunabant in pane & aqua quadraginta diebus. Item poſt hoc imponebatur eis ſeptennalis pœnitentia, juxta arbitrium Sacerdotis, ut jejunarent qualibet ſeptimana unum diem, & dicerent certas orationes, aut facerent aliqua pia opera, qua pœnitentia injungebatur pro quolibet peccato mortali, ſecundum canones, licet modo canones pœnitentiales ſunt arbitrarii. Modo autem Papa dans quadragenam vel ſeptenam, vel carenam in literis indulgentiarum pratendit abſolvere illos, qui debitè utuntur indulgentiis, vel tantam gratiam conferre remiſſionis, quantam iſti per eaſdem pœnitentias meruerunt. Et ſic per annum pœnitentialem confert tantam gratiam remiſſionis, quantam homo meretur per ſe pœnitendo per annum.

An poſſimus verè Deo ſatisfacere.
1. Eſa 1. Quieſcite pe- verſè agere &c.

130. Cap. 7. & 8. Bellarminus probare conatur *verè nos ſatisfacere Deo poſſe pro reatu pœna temporalis.* 1. Eſa. 1. v. 17. *Quieſcite perversè agere, ſi peccata fuerint velut coccinum, ut nix dealbabuntur, ubi remiſſio plena ac perfecta peccatorum velut præmium quoddam promittitur illis, qui in operibus miſericordia ſe exercuerint,* quod dictum repetit c. 15. Reſ. deſcribitur in hoc loco vera pœnitentia à ſuis propriis & genuinis fructibus, qui ſunt ceſſare à malo & facere bonum; vitioſè igitur opponuntur à Bellarmino reſipiſcentes & illi qui lavantur per contritionem, ac qui in bonis operibus ſe exercent, ſiquidem omnes verè reſipiſcentes ſeriam contritionem in corde ſentiunt, fide in Chriſtum Mediatorem ſeſe iterum erigunt & *fructus pœnitentiâ dignos* faciunt Matth. 3. v. 8. Porrò remiſſio peccatorum promittitur pœnitentiæ, non q. contritio noſtra vel emendatio vitæ ſit meritum remiſſionis peccatorum, ſed quia fides, cujus anteambulo eſt contritio, & pediſſequæ bona opera, in Chriſto Mediatore gratiam Dei ac reconciliationē quærit, ſic ergò deſcribit Propheta, quibus & quo ordine, nōa. propter quid Deus velit peccata remittere. Eſa. 43. v. 24. *Servire me feciſti in peccatis tuis* v. 25. *Ego ego ſum, qui deleo prævaricationes tuas propter me & peccatorum tuorum non recordabor amplius.* 2. Dan. 4. v. 24. *Peccata tua redime eleemoſynis.* Prov. 16. v. 6. *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Reſp. de loco Danielis actum fuit ſuperiùs. §. 89. qui tamen ad quæſtionem propoſitam directè non pertinet, Rex enim Nabuchodonoſor erat impius & non ſolùm pœnæ, ſed & culpæ remiſſione indigebat, jam verò hoc loco quæritur de ſatisfactione pro pœna præſtanda ab illis, qui jamdum Deo reconciliati ſunt. Occurrit Bellarmin. *verba Danielis intelligenda eſſe de perfecta remiſſione peccati, quoad culpam & pœnam, ita ut cohortatio ſit ad magnas & frequentes eleemoſynas, quibus primùm diſponatur Rex ad reconciliationem & ſic placet Deum, ex congruo & gratiam reconciliationis impetret, deinde etiam pœnam ex condigno redimat;* ubi meritò quis quærat, quid ergò Chriſtus fecit? quomodo conſiſtit gratuita juſtificatio ac peccatorum remiſſio cum meritis illis ex congruo & condigno? ſuum hæc alibi habebunt locum. Dictum Salomonis beneficentiam & benignitatem erga proximum commendat, quæ ſi ex corde pœnitente & in Chriſtum credente proficiſcantur, Deo tam grata ſunt, ut corporales pœnas vel auferat vel mitiget illis, qui graviter deliquerant Pſal. 41. v. 2. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, in die mala liberabit eum Dominus.* v. 4. *Jehovah fulciet eum in lecto doloris;* neque verò id meritum vel ſatisfactionem quandam noſtram infert, cùm opera illa jam antè ſint Deo debita, ſint immunda, ſint imperfecta, nec vel peccatorum vel iræ divinæ quantitati reſpondeant. Urget Bellarminus vocem redemtionis, quam dicit æquivalere ſatisfactioni, ac parùm abeſt, quin inferat, nos aliqua ex parte eſſe noſtri Redemtores, ſed in Hebræo eſt vox כִּפֵּר Cipper, texit, operuit, abſcondit. In eodem c. v. 14. *Ira Regis nuncius mortis, vir ſapiens* יְכַפְּרֶנָּה Jechapperænnah *placabit eam* Eze. 43. v. 20. declaratur hæc vox ἐξιλαστικῶς per חִטֵּא chattah mundavit. *Obſervandum eſt* (ſcribit Froſterus in voce כִּפֵּר) *cum hoc verbum hominibus tribuitur, quòd ſignificet actionem & miniſterium, quo ablato peccato aut immunditie expurgatâ aut amota ira & offenſa, gratia, favor, reconciliatio, expiatio, munditiès quæritur. Cum verò Deo attribuitur, tum ſignificat peccatum vel reatum peccati vel iram, vel offenſam tegere, abſcondere, remittere, removere, è conſpectu, quod eſt fieri propitium, condonare, parcere, non imputare amplius aut punire.* LXX. reddiderunt, ἐλεημοσύναις καὶ πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτίαι. In Hebræo eſt בְּחֶסֶד וֶאֱמֶת bechæſeth veæmæth, *in miſericordia & fide*, unde quidam hoc referunt ad miſericordiam Dei benigniſſimi patris, à quo ſolo omnis peccatorum noſtrorum expiatio propter Chriſtum fide apprehenſum nobis obtingit, cum ſequenti verſiculo addatur. *Cum benevolentia perſequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddet ei.*** Tremellius ita vertit *Benignitate & veritate purgantur peccata;* benignitate ſc. patris miſerentis, quem ſenſum probat vox Hebraica כפר unde propitiatio & propitiatorium derivantur, quibus vocabulis Chriſtus ſignificatur Rom. 3. v. 25. 1. Joh. 2. v. 2. Hanc interpretationem manifeſtam facit vetus interpres, loco ſic reddito. *Miſericordia & fide redimitur iniquitas.* Scimus a. nos redemtos non niſi precioſo ſanguine Agni immaculati. *Fide purificari dicuntur corda* Act. 15. v. 7. inſtrumentaliter ſcilicet, ita quoque hoc loco.** 3. Matth. 3. v. 8. *facite fructus pœnitentiâ dignos, quod non ſolum vitæ novitatem requirit, ſed etiam ut talia opera faciamus, quæ valeant delere peccata, ut malefacta laborioſis operibus puniamus, ut ſcelera bonis operibus redimamus.* Reſponſ. manifeſtum eſt de novitate vitæ Bsptiſtam agere, quam converſis ad Dominum præſcribit, non ut per eam pro peccatis anteactis ſatisfaciant, ſed ut gratos ſe DEO præſtent & à recidiva caveant, ideò ſubjungitur verſic. 10. *Securis ad radicem arboris poſita eſt, omnis arbor quæ non facit fructus bonos, excinditur*, ubi proponitur αἰτιολογία, cur fructus pœnitentiâ dignos facere debeant. Lucæ 3. verſic. 11. in ſpecie declaratur, quid per illos fuctus pœnitentiâ dignos Baptiſta intellexerit. Quærenti enim turbæ, quid faciendum ſit, reſpondet. *Qui habet duas tunicas impertiat non ha-*

2. Dan. 4. Redime peccata tua eleemoſynis.
Prov 16. Miſericordiâ redimitur iniquitas.

3. Matth. 3 facite fructus pœnitentiâ dignos.

habenti & qui habet eſcas ſimiliter faciat. verſ. 13. quærentibus publicanis quid ipſis in poſterum faciendum ſit, reſpondet: *nihil amplius, quàm quod conſtitutum vobis eſt, exigite.* v. 14. quærentibus militibus, quid faciendum illis ſit, reſpondet: *neminem concutite, neque calumniemini, ſed contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, quæ omnia ad vitæ novitatem pertinere negari nulla veritatis ſpecie poteſt, eam verò uſitatâ ſcripturæ phraſi fructus pœnitentiâ dignos Baptiſta vocat. Sic Epheſ. 5. v. 9. Gal. 5. v. 22. bona opera vocantur *fructus Spiritus*, Matth. 13. v. 8. *fructus ſeminis cœleſtis*. c. 21. v. 34. *fructus ſpiritualis vineæ*. Johan. 15. v. 2. *fructus palmitum Chriſto vera viti inſertorum.* Philip. 1. verſ. 11. *fructus juſtitiæ*. Jac. 3. v. 17. *fructus ſuperna ſapientiæ &c.* Conferimus etiam locum Actor. 26. v. 20. ubi teſtatur Apoſtolus *ſe annunciaſſe gentibus ut agerent pœnitentiam & converterentur ad Deum opera facientes digna pœnitentiâ*, jam verò ex hiſtoriâ prædicationis Apoſtolicæ non poteſt evinci, Paulum converſis talia ſatisfactoria opera impoſuiſſe, ſed fructus illos & opera pœnitentiâ digna in novitate vitæ paſſim collocat, in ſolo autem Chriſto gratuitam peccatorum remiſſionem fide quærendam eſſe docet, perindeut & Johanues Baptiſta pœnitentibus monſtravit *agnum DEI qui tollit peccata mundi* Johan. 1. v. 29. Chryſoſt. in h. l. *ſi verè vos pœnitet, ut pro vobis fertis, ſic vivite, ut appareat vos reſipuiſſe & ex animo priſtina vita pœnitentiâ teneri.* Dicuntur igitur bona opera fructus pœnitentiâ, i. e. iis qui reſipuerunt digni, ſicut Philip. 1. v. 27. eadem phraſi jubentur renari *Evangelio dignè*, Epheſ. 4. v. 1. *vocatione dignè*, Coloſſ. 1. v. 10. 1. Theſſ. 2. v. 12. *Deo dignè ambulare*, id eſt, pro ut decet eos, qui ad Deum per

4. 2. Cor. 7 *exigitur vindicta.*

Evangelii prædicationem ſunt converſi. 4. *Paulus 2. Corinth. 7. v. 11. inter fructus ſalutaris triſtitiæ ponit vindictam.* Reſp. vindicta illa ſive ſerius dolor contritionis omninò requiritur in vera pœnitentia, non ut per eam Deo ſatisfaciamus, ſed propter fines alios. 5. *Sacrificia in V. T. fuerunt compenſatoria ac ſatisfactoria.* Reſp. id verò planè Judaicum eſt ſomnium toties à Prophetis reprehenſum, ſacrificia fuerunt typus unici illius propitiatorii ſacrificii in ara crucis à Chriſto offerendi, per quem etiam in V. T. ſancti peccatorum remiſſionem conſecuti ſunt. Quæ de meritis operum noſtrorum attexuntur, ſuum habebunt inferiùs locum.

5 *Sacrificia V. T. fuerunt ſatisfactoria.*

Dicta Patrum.

131. Cap. 9. producit Bellarminus *Dicta Patrum.* Reſp. 1. pleraque veterum Dicta loquuntur de ſatisfactionibus Canonicis, quæ erant pars publicæ pœnitentiæ, à quibus quantum diſtent ſatisfactiones Papiſticæ, ſuperiùs vidimus. 2. In quibusdam agunt de fraterna deprecatione & damni proximo illati reſtitutione, quæ eſt ſatisfactio quædam coram hominibus, non autem coram Deo. 3. in quibusdam ſatisfactionis nomine intelligunt vitæ emendationem vocabulo illo à ritu ſatisfactionum publico ad fructus pœnitentiæ translato. (Satisfacere apud Scriptores profanos idem eſt, quod ſeſe approbare cuipiam officiis. Cic. in 1. Epiſt. famil. *Ego omni officio ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio, mihi ipſe nunquam ſatisfacio.* Sic & Veteres hoc intelligunt, quod homines dum fide operentur, Deo ſe, prout poſſunt, approbent. Cùm veniam peccatorum petunt, quodammodo ſe purgant & ſatisfaciunt, quemadmodum cùm quis læſit quempiam, ſatisfacere ſolet ei dolendo, interponendo preces, & offerendo ſua obſequia, læſus dicit, jam mihi ſatisfactum, quamvis injuriæ illatæ recompenſatio non ſit facta. Auguſt. (vel quicunq; alius autor) de dogmaribus Eccleſiaſt. cap. 54. citante Gratiano diſtinct. 3. de pœnit. *Satisfactio pœnitentiæ eſt cauſas peccatorum excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere.* Chryſoſt. in cap. 3. Matth. homil. 10. *Quomodo poterimus fructus pœnitentiâ dignos facere? utiq; ſi peccatis adverſa faciamus? aliena rapuiſti, incipe jam donare propria, longo es tempore fornicatus a legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugis &c. injuriam vel opere vel ſermone cuiquam feciſti? refer benedictionis verba conviciis & percutientes te nunc officiis, nunc beneficiis placere contende.* homil. 47. in Matth. *Vides quia vita recta magis ceteris omnibus juvat. Rectam autem vitam appello non jejunandi laborem, non cilicii ac cineris lectulum, ſed ſi pecuniam non aliter quam oportet, deſpicias, ſi caritate ardeas, fameſcentes pane tuo nutrias, ſi ſuperior irâ ſis, ſi gloriam inanem non concupiſcas, ſi invidia non detinearis.* 4. Veteres ut ritus illos ſatisfactionum hominibus magis cõmendarent, ſæpè cohortatoriè ac πανηγυρικῶς de illis ſunt locuti & vocabulis redemtionis, compenſationis, ſatisfactionis &c. liberiùs uſi, ideò dicta ipſorum ad analogiam fidei reducenda, non autem ex illis contra gratuitam peccatorum remiſſionem pugnaudum. Agnoſcit hoc quodammodo ipſe Bellarminus ſic enim ſcribit lib. 4 de pœnit. cap. 1. *Si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico amicum reddant, atque adeò pro expianda culpa ſatisfaciant, interpretandi ſunt de ſatisfactione ex congruo non ex condigno.* Et quilibet videt quid tribuendum ſit huic argumento Irenæi lib. 3. cap. 37. ubi de pœnitentia Adami tractat. *Per ſuccinctorium* (inquit) *in facto oſtendit ſuã pœnitentiam foliis ficulneis ſeipſum contegens exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minùs corpus ejus vexare potuiſſent, condignum tamen inobœdientiæ amictum fecit, conterritus timere Dei & retundens petulantem carnis impetum.* **Rectiùs Auguſt. 13. de civit. Dei cap. 13. *Foliis ficulneis, quæ fortè à perturbatis prima comperta ſunt, pudenda texerunt.*** Ita quoque Cypriano in ſerm. de eleemoſyn. hoc excidit. *Delicta quæ ante Baptiſmum commiſſa fuerunt, Chriſti ſanguine & ſatisfactione purgari, ſordes verò poſtmodum contractas eleemoſynis abini.* Orig. homil. 12. in Levit. *pleniſſimam pœnitentiæ ſatisfactionem requiri dicit, antequam Chriſtus intret ad animam peccatis ſibi conſciam.* 5. Denique in quibusdam commodiùs & Scripturæ conformiùs loquuntur, ut vidimus ſuperiùs. Chryſoſtomus homil. in Pſalm. 50. *Ubi miſericordia efflagitatur, ira ceſſat, ubi miſericordia petitur, pœna locus non eſt.* homil. 9. de pœnitent. *Medicina hic locus eſt non judicii, non pœnas ſed peccatorum remiſſionem tribuit pœnitentia.* Homil. de Philogonio: *Ego teſtificer ac fide jubeo, ut ſi noſtrum quisque qui peccatis obnoxii ſumus, recedens à priſtinis malis ex animo, verèque promittat Deo ſe poſtea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirat ad ſatisfactionem ulteriorem, benignus enim eſt*

Gloſſa juris Canon. diſt. de pœnit. pag. 355. *Imponitur pœnitentia pro peccato, ut humilitas exerceatur, & ne diſciplina Eccleſia deſeratur, & ut ſatisfiat Eccleſiæ quæ ſcandalizata eſt.* Biel. 4. ſent. diſt. 40. q. un. dub. 1. quærit, cùm peccata ſint remiſſa, quare adhuc injungatur ſatisfactio? Reſpondet autem *illud ideo fieri, ut pœnitentes caveant recidivam & aſſueſiant ad* OPERA BONA (atqui aliud eſt cautela, aliud medela) atque hæc dicta ſint de ſatisfactione: an exceptiones Bellarmini, quas à cap. 11. uſque ad finem libri profert, argumentis noſtrorum ſatisfaciant, ex ſuperioribus & ex mutua collatione intelligi poteſt.

Indulgentia Papales.

132. Ex ſatisfactione originem ducunt Indulgentiæ Papales ac Jubilæi, de quibus cùm prolixi extent noſtrorum commentarii Bellarmino aliisve Romanæ Thaidis amaſiis oppoſiti, ideò breviſſimè de illis agemus. ** Godſc. Holem. Dom. 2. poſt paſcha ſermon. 2. Keiſersb. de mieis fol. 43. *Qui nihil dat vel fecerit, non conſequitur Indulgentias. Idoneitas in ſuſcipiente Indulgentias requirit tria C. Contritionem, Confeſſionem & Contributionem***. Fabrica Indulgentiarum talis eſt, ſtatuunt Chriſtum ſatisfeciſſe quidem pro peccatis noſtris ac pœnâ eorum æternâ, interim tamen pro temporali pœna nobis ipſis ſatisfaciendum eſſe, idque vel operibus ſponte ſuſceptis vel à Sacerdote injunctis in hac vita, vel pœna in purgatorio luenda poſt hanc vitam. Ne verò reſiduæ iſtæ pœnæ partim ob durationem temporis, partim ob cruciatuum atrocitatem intolerabiles fiant, ideò Indulgentias excogitarunt, quibus pœnas illas relaxari & redemi poſſe ſtatuunt, modò certâ pecuniæ ſummâ Indulgentiales literæ ab Officialibus Romani Pontificis redimantur. Neque ſolùm pro relaxandis pœnis, ſed etiam pro peccatis ac factis futuris, pro illiciſo gradu matrimonii, pro eſu caſei & butyri tempore Quadrigeſimali Indulgentię dabantur, præſertim in Jubilæo pleniſſimæ, unde res tandem eò redibat, ut Johannes Tezelius æruſcator Pontificius & Indulgentiarum præco impudentiſſimus à Papa in Germaniam Anno 1517. miſſus contenderet, *nullum eſſe adeò magnum peccatum, etiamſi quis per impoſſibile matrem DEI violaſſet, quin poſſit ſolvi; animas de purgatorio ſtatim evolare, ubi contributio in ciſta fuerit conjecta; nolle ſe de poſteriori loco in regno cœlorum cum Petro optionem inire, cùm ſuis indulgentiis plures ab interitu animas redemerit, quàm Petrus Evangelii ſui prædicatione.* D. Lutherus tom. 1. operum, Sleidanus lib. 1. Hiſtoriæ & alii complures. Porrò in hoc Indulgentiarum theſauro, cujus pronum-condum conſtituunt Romanum Pontificem contineri dicunt 1. ſuperabundans Chriſti meritum, 2. opera Sanctorum, quæ ſint vi meriti Chriſti æternæ vitæ meritoria, ac pro pœnis peccatorum ſatisfactoria, 3. paſſiones Sanctorum, quæ fuerint longè plures & graviores, quàm reatus pœnæ temporalis exigeret, cui ob proprias culpas obnoxii fuerant. Hunc theſaurum Pontifex Romanus, cui ſoli claves illi9 traditas eſſe diſputant, applicat & diſpenſat vel per ſe immediatè, ut fit in Jubilæo præſertim, vel mediatè per Epiſcopos metropolitanos, Legatos Apoſtolicos, ſummos pœnitentiarios &c. Applicat autem eum vel viventibus vel defunctorum animabus in purgatorio æſtuantibus, idque per ſuffragia vivorum, hoc eſt, per miſſas, vigilias, jejunia, orationes, atque alia opera meritoria ac ſatisfactoria ordinum Monaſticorum. Clemens VI. in Bulla Jubilæi, *Papa tantam habet in purgatorio & in inferis poteſtatem, ut quantum quantum velit animarum numerum, quæ in iſtis locis cruciantur per ſuas indulgentias liberare & confeſtim in cœlis ac beatorum ſede collocare poſſit.* ** Comp. Theol. verit. lib. 7. cap. 5. *Papales indulgentiæ proſunt defunctis in purgatorio, ut patet, quia crux datur aliquando pro duabus, vel quatuor vel decem animabus. In Eccleſia enim eſt theſaurus meritorum tàm Chriſti, quàm defunctorum, de quo ſolus Papa, qui claves habet hujus theſauri pro neceſſitatibus Eccleſiæ poteſt accipere & diſpenſare. Alii autem ſicut Epiſcopi non habent in his poteſtatem generalem, ſed limitatam & non niſi per ſummi Pontificis diſpenſationem. Dicendum ergo, quod Papa propriè non abſolvit defunctos à pœna, ſed quaſi pro eis ſolvit de communi theſauro Eccleſiæ, ſicut aliter liberat creditor debitorem, dum à debito eum abſolvit & aliter amicus debitoris, dum pro eo debitum ſolvit.***

Argumenta contra indulgentias.

133. Indulgentias illas dicimus: 1. niti falſis hypotheſibus, iiſdemque compluribus, quales ſunt, Sanctorum merita, opera ſupererogationis, ſatisfactiones pro pœna temporali poſt remiſſionem culpæ adhuc debitæ, purgatorii flammæ verè in Chriſtum credentibus ac DEO reconciliatis poſt mortem adhuc timendæ, peculiaris quidam theſaurus in templis B. Petri ac B. Pauli Apoſtolorum, B. Johannis Lateranenſis & B. Mariæ Romæ reconditus, ſumma & abſoluta poteſtas Romani Pontificis in terra & purgatorio, &c. ** In bullis ſuperiorum temporum homines vocabantur ad limina Apoſtolorum, progreſſu temporis etiam in reliquis templis hic theſaurus inventus fingitur. Quo vero argumento vel indicio probant, vim meritorum nominatim in quatuor illa templa Romam delata, cùm plerique ſancti Romam ne quidem viderint? Chriſtus theſaurum indulgentiarum, quas morte ſua nobis promeruit, non depoſuit Romam, ſed juſſit *prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnibus gentib.* Luc. 24. verſ. 74. neque unum tantummodo œconomum vel diſpenſatorem illarum indulgentiarum conſtituit, ſed omnibus Apoſtolis æqualiter præcepit. *Quorumcunque remiſeritis peccata, &c.* nec aureum quendam malleum, ſed malleum legis Jerem. 23. verſ. 29. & claves regni cœlorum ipſis tradidit. Matth. 16. verſ. 18.** Quod Chriſti ipſius ſatisfactionem, quam ad hunc theſaurum referunt, attinet, grato corde agnoſcimus & prædicamus, peccatorum remiſſionem precioſo Chriſti ſanguine partam, eſſe inæſtimabilem & infinitum theſaurum Eccleſiæ concreditum, quæ ex eo verè pœnitentibus & in Chriſtum credentibus diſpenſat veras & coram DEO ratas indulgentias, ſic huic ipſi veriſſimæ ac pleniſſimæ CHRISTI ſatisfactioni injuriam facit Romanus Pontifex, quòd addit illi ſatisfactiones Sanctorum, quòd diſpenſationem ejus ſibi ſoli vendicat, quòd cœleſtem hunc theſaurum pecunia vendere per ſimoniam quandā intolerabilē nō veretur. **Deſtituuntur inſuper Indulgentiæ omni fundamento Scripturæ. Jā verò Chriſtus manifeſtavit diſcipulis *quicquid à Patre cœleſti audivit.* Joh. 15, 15. Paul9 *manifeſtavit Epheſiis omne Dei conſilium* Act. 20, 27.

Fuiſſet

Fuiſſet è re Eccleſiæ theſaurum illum, quem vocant inexhauſtum, manifeſtari.** 2. repugnat e Scripturæ ſacræ multis modis, quippe quæ teſtatur primò *unum eſſe Mediatorem Dei & hominum videlicet Jeſum Chriſtum*, 1. Tim. 2. v. 3. *qui eſt propitiatio pro totius mundi peccatis*, 1. Johan. 2. v. 2. *qui torcular calcavit ſolus* Eſa. 63. v. 3.** extra ipſum non eſt Salvator. Eſa. 43. v. 25. non eſt in alio quoquam ſalus. Act. 4, 12.** ſecundò Sanctorum opera eſſe imperfecta, & multis infirmitatibus contaminata. Eſa. 64. verſ. 6. unde & ipſi indigent remiſſione peccatorum, Pſal. 32. verſ. 6. *cùm nemo coram DEO innocens ſit* Exod. 34. v. 7. ac proinde nequidem pro ſuis, nedum pro aliorū peccatis ſanctos poſſe ſatisfacere, ac legem DEI nequidem perfectè implere, nedum opera ſupererogationis præſtare poſſe. **Omnes ſancti fateri coguntur, quod *gratia Chriſti coram Deo juſtificentur* Actor. 15. v. 11. omnes coguntur precari: *Remitte nobis debita noſtra* Matth. 6. omnes coguntur Dei judicium deprecari Pſal. 143.** inde Epiſtola ad Hebr. 12. v. 24. evidens diſcrimen ſtatuit inter Paſſionem Chriſti & Paſſiones Sanctorum, dum dicit: *Chriſtum N. T. Mediatorem meliora loqui, quàm ſanguis Abel* loquitur, nimirum quia impollutus Martyrum ſanguis vindictam exigit, Chriſti verò immaculatus ſanguis veniam peccatorum impetrat. Leo Epiſt. 83. *Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona juſtitiæ, ſingulares quippe eorum mortes fuere, nec alterius quisquam debitum ſine ſuo perſolvit.* Tertiò Deum ex gratuita miſericordia propter unicum meritum Chriſti credentibus in eum condonare & culpam & pœnam Matth. 18. v. 27. adeò *ut peccatorum noſtrorum ampliùs recordari nolit.* Jerem. 31. verſ. 31. ut hac ratione *gratia exuberet ſupra peccatum*. Rom. 5. v. 21. quartò bona ſpiritualia gratis nobis contingere, ac proinde non poſſe nec debere pecuniis emi vendivé Matt. 10. v. 8. Act. 8. v. 20. hoc enim eſt *cauponare verbum Domini & in avaritia fictis verbis negotiari.* Vide Taxam pœnitentiariam libro, qui continet cauſas recuſati Concilii Tridentini, ſubjectam. 3. repugnare ipſis hypotheſibus Pontificiorum. Etenim ſi per Indulgentias contingit pleniſſima omniū peccatorum indulgentia, *remiſſio à pœna*, ut loquitur Pontifex in Bulla Jubilæi Anno 1600. quomodo adhuc jubentur de peccatorum remiſſione & gratia Dei dubitare, qui indulgentias illas conſecuti ſunt? Si Pontifex Romanus abſolutam ac liberam poteſtatem habet, animas quas velit è purgatorio liberandi, næ oportet ipſum eſſe admodum durum, qui miſeras animas ex eo non confeſtim liberat, atq; avarū, qui propter pecunias priùs in Jubilæo expendendas diutiùs eas torqueri ſinit.** Ambroſius de Naboth. *Infelix cujus in poteſtate eſt tantorum animas à morte defendere & non eſt voluntas* (loquitur de divite, ſed poteſt transferri ad Pontificem Indulgentias tàm carè vendentem) In horis B. Mar. Virg. ad uſum Sarisbur. paulò minùs quàm annorum undecies mille millenorum Indulgentia pro recitatione certarum precularum offertur. Samſon Mediolanenſis ex venalibus Leonis X. indulgentiis ſummam 1200000. ducatorum collegiſſe dicitur. Pontifex in bulla Jubilæi anno 600. promittit *pleniſſimam omnium peccatorum indulgentiam, remiſſionem & veniam illis, qui certis diebus quatuor templa devotè viſitant;* ſed Doctores Pontificii multas addunt reſtrictiones, utpote Indulgentias. 1. *non valere ad remiſſionem culpæ mortalis vel venialis.* Bellarm. lib. 1. de Indulg. c. 7. D. Förner vom Ablaß und Jubeljahr/ p. 35. 2. *non valere ad remiſſionem pœnæ æternæ, nec prodeſſe illis, qui vivunt in peccato mortali & ſunt extra Dei gratiam.* Cur ergo (malum) Papa omnium peccatorum pleniſſimam indulgentiam promittit, quid ergo aliud ſunt *peccata*, quàm culpa? quid aliud *omnia peccata*, quàm mortalia & venialia? quid *remiſſio pleniſſima* aliud quàm remiſſio culpæ & pœnæ? 3. *non valere ad remiſſionem pœnarum naturalium, civilium, & divinarum, quæ non ſunt ſubjecta clavibus Eccleſiæ.* Ad quid ergò? reſpondent *ad remiſſionem pœnæ temporalis, quæ poſt pœnitentiam in hac vita vel in purgatorio luenda reſtat.* Peſſimè igitur miſeri homines amplis illis Papalium bullarum promiſſis de pleniſſima omnium peccatorum remiſſione decipiuntur. Vehementer ſe torquent in explicatione quæſtionis, quomodo Indulgentiæ animabus defunctorum in purgatorio ſudantibus applicentur. Olim quidem creditum fuit & hodie à quibusdam defenditur, Papæ jurisdictionem eſſe illimitatam & extendere ſe in purgatorium, ita ut animabus in purgatorio indulgentias per modum abſolutionis communicare poſſit Vide Godſcalc. Holem Dom. 2. poſt paſcha ſermon. 2. Bonav. lib. 4. diſt 20. q. 5. unde D. Theodoricus Morung Canonicus Herbipolenſis, Bambergenſis & Eichſtetenſis Anno 1489. pro hæretico declaratus, quod hoc concedere noluerit. Vide Appendic. Faſcic. temp. à Johann. Piſtor. ante apoſtas. edit. Franc. anno 1584. Eò etiam inclinant quidam ex Jeſuitis, quâ de re vide diſputat. anno 1600. de Indulgentiis habitam in qua theſi 52. ſic legitur. *Etſi probabilis eſt ſententia aſſerentium jam, reſtrictam ſublatamque eſſe Epiſcoporum poteſtatem ad concedendas defunctis indulgentias: æquè tamen probabilis, ſi non probabilior eſt eorum, qui id negant. Credibile etiam eſt Pontificem ſummâ ſuâ poteſtate utentem, tot tantasque indulgentias largiri defunctis poſſe, ut evacuato purgatorio omnes animæ ad cœlū evolēt.* Hæc diſputatio à Petro Stevartio in cenſura prædicatur *elegans, docta & orthodoxa veritati conſentanea.* Reliqui tamen ſcriptores Pontificii communiter ſtatuunt, *jurisdictionem Papæ ſummi indulgentiarum diſpenſatoris non extendere ſe ad purgatorium.* Bellarm. 1. de Indulgent. cap. 14. D. Förner vom Jubel-Jahr/ pag. 207. quomodo ergo Papa ex ficto illo theſauro animabus in purgatorio quippiam communicare poteſt? nemo poteſt abſolvere vel condemnare eos, qui jurisdictioni ſuæ non ſunt ſubjecti. Reſpondent, *id fieri non per modum abſolutionis, ſed per modum ſuffragii* Hülffsweiſe; ubi verò modus ille ſuffragii in ſcriptura vel Patribus proponitur? quomodo modum ſuffragii deſcribant vide Heilbrunn. Papatum pag. 134.** Si CHRISTI ſatisfactio eſt precii ac valoris infiniti, cur Sanctorum ſatisfactiones illi adjunguntur? Si operum ac paſſionum pleniſſimam mercedem jamdum receperunt ſancti, quomodo ipſorum ſatisfactiones aliis denuò applicari poſſunt? Si doctrina de imputatione meriti CHRISTI

per

per fidem eſt figmentum Lutheri, quod putativam introducit Juſtitiam, quæ eſt audacia, quod Sanctorum opera & Paſſiones (quo nomine etiam Monachorum ἐθελοθρησκείας intelligunt) aliis applicari poſſe ſtatuunt? Si ſatisfactio impoſita à Confeſſario eſt utiliſſima, quia *coercet à peccando, conducit ad habitus vitiorum eradicandos, ad iram Dei placandam* (ut totidem verbis ſcribit Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 5.) næ indulgentias oportet eſſe pernicioſas, quippe quæ ſunt remiſſiones iſtarum ſatisfactionum definiente Tolleto lib. 6. de Inſtruct. Sacerd. cap. 22. Si Romanus Pontifex ad abſentes poteſt mittere plenas indulgentias, cur tantis ſumtibus homines Romam peregrinari jubentur? 4. deſtitui teſtimonio primitivæ ECCLESIÆ. Tertullianum lib. de pudic. cap. 22. *Si peccator es, quomodo oleum facula tua ſufficere & mihi & tibi poterit.* Antonin. Archiepiſc. Florentin. part. 1. tit. 10. cap. 3. *De Indulgentiis nil expreſſè habemus ex Scriptura ſacra, nec etiam ex dictis antiquorum Doctorum, ſed modernorum.* Sylveſter Prieras Lutheri adverſarius expreſſè poſuit hanc propoſitionem: *Indulgentia non innotuere nobis autoritate Scriptura, ſed Eccleſia Romana & Romanorum Pontificum.* Epiſc. Roffenſis art. 18. contra Luth. *Quis jam mirari poteſt, quòd in principio naſcentis Eccleſia nullus fuit indulgentiarum uſus?* Alph. de Caſtro lib. 8. contra hereſ. p. 255. *Inter omnes res, de quibus in hoc opere diſputamus, nulla eſt, quam minùs apertè ſacra litera prodiderint, & de qua minus vetuſti Scriptores dixerint.* Gregor. de Valent. lib. de Indulgent. cap. 2. *Objici poſſit, Gratianum & Lombardum, qui ante annos 400. vixerunt, de Indulgentiis nihil meminiſſe, Reſpondeo tunc cùm vixerunt, uſus erat ſeverioris pœnitentia, quâ poſt deferveſcente Indulgentiarum uſus increbuit.* Bellarminus lib. 4. de pœnit. cap. 5. *In articulo mortis dabatur pœnitentibus communio, etiamſi nulla aut non plena praceſſerat ſatisfactio* (Eccleſiaſtica) *ſed tamen admonebantur, ut ſi fortè ſupervixerint, integrè pœnitentiam ſibi injunctam explerent.* (Ex quo intelligitur, quid fuerint veterum indulgentiæ, videlicet relaxationes ſatisfactionum illarum Eccleſiaſticarum, vel propter infirmitatem naturæ vel in articulo mortis nullo pecuniæ cujusdam interventu conceſſæ. De theſauro Indulgentiarum Romanarum, de operibus ſupererogationis in theſauro illo reconditis nihil tum temporis notum erat.) Idem omnibus penſitatis concludit lib. 2. de Indulgent. & Jubil. cap. 10. *Sufficit ad indulgentias & bullas defendendas Eccleſia autoritas, qua non tam conſtanter indulgentias pradicaret & in Conciliis Oecumenicis approbaret, niſi divinitùs ſibi traditam eſſe hujusmodi poteſtatem non ignoraret.* (his tamen contradicunt Oſorius tom. 4. concionum in public. Jubil. pag. 285. & Salmeron. in cap. 2. poſter. ad Corinth. tom. 4. pag. 285. qui audacter ſtatuunt, à tempore Apoſtolorum Indulgentias conceſſas fuiſſe.) 5. Simul ut natæ ſunt, ſimul eaſdem oppugnatas eſſe, quâ de re videantur Centenarii Wolfii, Catalogus teſtium veritatis, aliiq; complures ſcriptores. Eliſabetha virgo Germana Spiritù Prophetico inſignis ſub nomine DEI in avaritiam Romanæ Curiæ ſic detonat: *Dico vobis, quòd iniquitates terra, quas abſcondiſtis propter aurum & argentum, aſcendant coram me, ſicut fumus de igne. Nunquid non anima plus quàm aurum & argentum, quas ſuffocatis in ignem aternum, propter avaritiam veſtram, &c.* Johan. Sariſburienſis in Polycratico ſæpius conqueritur præſertim pag. 296. *quòd Roma menſas auro & argento ornent, & exultent in rebus peſſimis, quòd peccata populi comedant, eis veſtiantur, & in eis multipliciter luxurientur.* Abbas Urſpergenſis ante annos trecentos ſic cecinit: *Gaude Mater noſtra Roma, quoniam aperiuntur Cataracta THESAURORUM in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Latare ſuper iniquitate filiorum hominum, quoniam in recompenſationem tantorum malorum datur tibi pretium, &c.* ** Autor Oneris Eccleſiæ negat *Indulgentias defunctorum animabus in bonum cedere, eaſve Indulgentiarum beneficio è Purgatorii flammis liberari poſſe cap. 15. §. 5. quia Chriſtus Petro poteſtatem dederit ſupra terram non ſub terra.* Ibid. §. 15. *Quid Papa cum mortuis agere poteſt, qui nunc ſuum forum egreſſi ad tribunal juſti Dei devenerunt? Sed nihilominùs Indulgentiarum Concionatores inter alia figmenta proclamant abſurdum ſcandalum, ut comedant ſacrificia mortuorum dicentes: ſtatim ut jactus nummus in ciſtam tinnivorit, evolare animam, pro qua nummus imponitur. Certum profectò eſt, nummo in ciſta tinniento augeri quaſtum poſſe, ſuffragium verò Papa ſeu Eccleſia in ſolius DEI arbitrio conſiſtere.* Idem autor cap. 15. §. 29. *Quidam aſſerunt Indulgentias eſſe pias fraudes, quibus inſipiens populus inducatur atque provocetur ad viſitandum Eccleſias, aliaque bona opera, ſpe placendi Deo, alioquin ea non facturus. Age ob cultum Dei ampliandum nullo pacto, nulla veratione eſt mentiendum, praſertim in eo caſu ubi populus irritatur ad quarendum, qua ſua ſunt, non qua ſunt Jeſu Chriſti. Nam ſeipſum non Deum in tali bono opere finem facit, finaliter enim intenditur ut pœnitentia per Indulgentiam ſublata ſibi ſegni quies ſit potius quàm ut Deo gloria quaratur. Similiter qui indulgentias proclamant, nummorum quarunt contributionem, non hominum ſalutem. Nam etſi pecunia Indulgentiarum exigatur fuco pietatis, utpote ad expeditionem contra infideles, aut ad ſacra adificia, aut in aliam piam cauſam, tamen potior pars hujusmodi pecunia ex Indulgentiis & Jubilais hactenus collecta appenſo eſt fiſco quàm Chriſto, plus redacta in vanitatem quàm pietatem.* Gravamina quæ Imperii Principes in Com. Norinberg. Anno 1522. Oratori Pontificis propoſuerunt, art. 67. *Patrum canonibus ſancitum eſt ſpiritualibus ac manifeſtis peccatis ſpiritualem pœnitentiam ſeu ſatisfactionem imponendam eſſe, ut ſic non pecunia lucrum, ſed potiùs animarum ſalus quaratur, intelligatur. At Eccleſiaſtici Judices & Officiales perperam animadverſis Canonibus dictam ſpiritualem pœnitentiam in tantum exaſperant, aggravant & augent, ut Laici, priusquam eam ſatisfactionem acceptare velint pecuniâ magis ſibi ab ipſis immunitatem comparent. Quare Laici multum premuntur, Eccleſiaſtici contra multum ditantur utpote qui in ſuum privatum commodum & partis agunt munus & judicis, quod in omnibus juribus eſt diſſonum.*

** NICOLAUS KUS Sacerdos Roſtochienſis Magiſter & Baccalaureus formatus Theologiæ circa ANNUM 1511. ſcripſit prolixum librum impreſſum linguâ Saxonica ſub titulo

De

De triplici funiculo, qui continet expoſitionem Decalogi, Symboli & Orationis Dominicæ, in eo multa diſputat contra Papam, præcipuè autem hæc, *Indulgentias eſſe meram deceptionem piorum & qua ſtum* (ſicut & longè antiquior Thomas p. 3 q. 25. art. 5. refert quorundam ſententiam, qui *Indulgentias pias fraudes eſſe dixerunt.*) Fridericus Myconius in libro cui titulus *Somnium*, refert de Patre ſuo, quòd ſæpè ſub mediis Papatus tenebris dixerit, *Indulgentias Papales eſſe retia, quibus caperetur pecunia ſimplicium*; Proceres Germaniæ Anno 1522 in Comitiis Norimbergenſibus conqueſti ſunt *Indulgentias tam largâ manu profundi, ut inde regna non ſolum ære, ſed etiam pietate prorſus ſpoliarentur.* **Weſſelus qui adeò Clariſſimus Doctor Theologiæ fuit, ut etiam *lux mundi* ſit nominatus, in multis punctis alios Doctores graviſſimè taxat, hic teſtatur, *quòd ad Albertum Magnum & Thomam ferè ab omnibus Theologis, Indulgentia reprahenſa damnataq; ſint*, & Albertum ac Thomam hoc ipſum dicentes induit. Idem quoque *nullas certas conſtantes & concordes ſententias de Indulgentiis apud Theologos reperiri poſſe* affirmat. Flaccius lib. de diſſenſ. Pontif. p. 91. Onus Eccleſiæ Anno 1524. publicatum per Joh. Weiſſenburgerum. *Indulgentia paſſim è Roma advolant & in Germaniâ hoſtiatim venerunt & venales in nundinis Simoniacè ubiq; exponuntur. Papales enim Indulgentia publicantur hodie indiſcretè & perversè &c.* Caſſandri ſanum de Indulgentiis judicium vide in Conſult. Lutherus ad doctrinam de Indulgentia accommodat illud Propheticum. *Domine non poſſum veſci ſtercore humano***. Vide quoque centum gravamina nat. German. grav. 3. Editus eſt Landshutæ Anno 1524. liber cujus titulus *Onus Eccleſia*, in quo acriter contra indulgentias diſputatur, præſertim c. 15. & quis publicas illas de Romana curia querelas percenſere poſſet omnes?

Fundamentum Indulgentiarum ex c. 1. Col.

134. Præcipuum Indulgentiarum Papalium robur quæritur in dicto Apoſtoli Coloſſ. cap. 1. verſ. 24. *Gaudeo in Paſſionibus pro vobis, & adimple ea quæ deſunt Paſſiont Chriſti in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Ergò Paulus ac reliqui Sancti paſſionibus ſuis proſunt aliis ad ſatisfactionem. Reſp. Apoſtolus his verbis ſignificat, ſe tanquam unum aliquod corporis myſtici ſub CHRISTO capite membrum, paſſiones illas implere, non quaſi Paſſio CHRISTI inſufficiens quoddam precium ſit Sanctorum paſſionibus adhuc implendum; ſed quia cuilibet membro myſtici corporis ſuum quaſi demenſum crucis diſtribuitur, quæ ſunt ὑϛερήματα illa adhuc implenda. ** Patitur CHRISTUS hypoſtaticῶs in propria carne, σχετικῶς in corpore ſuo myſtico ** neque ad ſatisfactionem quandam pro ſuis vel aliorum peccatis, vel pro peccatorum pœnis (qui honor ſoli CHRISTO competit) ſed ut myſtico corpori prodeſſent ad ædificationem in fide & in verbo Evangelii, ut fideles perſecutionibus illis Apoſtoli in ſuſcepta Chriſti religione confirmarentur, ita enim ſeipſum explicat Apoſtolus 2. Corinth. cap. 1. verſ. 6. *ſive tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute, quæ efficitur in tolerantia earundem paſſionum, quas & nos ſuſtinemus.* Philipp. 1. verſ. 12. *quæ mihi evenerunt, magis ad profectum Evangelii evenerunt.* **Præpoſitio PRO quinque modis accipi ſolet. 1. nonnunquam æquipollet præpoſitioni *DE*. 1. Sam. 9. v. 5. *Solicitus eſt pro nobis*, i. e. de nobis Eſai. 37. v. 21. 1. Cor. 1. v. 4. Phil. 1. verſ. 7. 2. Ponitur ſæpè *loco alicujus* & *vicem alterius* ſeu q. commutationem quandam indicat. Gen. 4. v. 25. dedit ſemen aliud pro Abel. id eſt loco Abelis Gen. 30. v. 2. Exod. 7. v. 1. Prov. 21. v. 8. 3. aliquando commodum notat, ut pro aliquo fieri, ſit aliquid in utilitatem ejus fieri. Job. 13. v. 7. *nunquid pro DEO loquemini iniquitatem.* i. e. in favorem & commodum Dei. Luc. 9. v. 50. Joh. 10. v. 11. bonus paſtor qui non eſt adverſum nos pro nobis 4. non rarò cauſam efficientem & moventem indicat, ut idem ſit quod propter Gen. 21. v. 15. *durè accepit hoc Abraham pro filio*, i. eſt, propter filium Gen. 27. v. 41. 1. Chron. 16. v. 21. Act. 12. v. 23. Eph. 5. v. 31. 5. ſæpè meritum includit & non tantùm utilitatem ſed inſuper ſatisfactionem notat. Sic *ſacrificia* dicuntur *offerri pro peccato*, Lev. 4. v. 3. &c. Eodem ſenſu *Chriſtus* dicitur *paſſus pro mundi vita* Joh. 6. v. 51. *pro peccatis mundi*, 1. Joh. 2. v. 2. pro omnibus Roman. 8. v. 32. &c. Procedit ergò argumentum Pontificium ex meris particularibus. *Pati pro alio* nonnunquam notat ſatisfactionem. Ergò & Pauli paſſio pro Eccleſia fuit ſatisfactoria. Præpoſitio *pro* non ſemper notat vicem aut ſatisfactionem, ſed tantum quando de Chriſti morte & paſſione ſermo fit, is enim *ſolus torcular calcavit* Eſa. 63, 3. & pro nobis pleniſſimè ſatisfecit. 1. Tim. 2. v. 6 Hebr. 2, 15. *Paulus pro Eccleſia paſſus* dicitur, non ut illam redimeret aut pro ea ſatisfaceret (hoc enim ſenſus ſe negat pro Corinthiis crucifixum 1. Cor. 1. v. 13) ſed tantum utilitatis & commodi reſpectu. Pro Eccleſia paſſus eſt i. e. propter Eccleſiam & ejus incrementum, non ſecus ut 2. Cor. 12. v. 15. ait: *libentiſſimè impendar & ſuperimpendar ipſe pro vobis*, i. e. propter vos, veſtrique commodi cauſa. Et 1. Joh. 3. v. 16. *nos debemus animas pro fratribus ponere*, non uti quœ illos redimendo, ſed per mortem noſtram in fide confirmando, ad conſtantiã excitando & alia commoda afferendo. 2. Tim. 2. v. 10. ipſe ſe declarat. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, nempe meam fidem & conſtantiam imitando.* Paſſiones Chriſti ſunt duplices. 1. propriæ, quas ſuſtinuit in cruce in proprio corpore, hæ ſunt ſatisfactoriæ & perfectiſſimæ. 2. appropriatæ, quas non in ſua carne ſed in ſanctis patitur. Act. 9. v. 4. Hæ paſſiones nondum ſunt omne complementum aſſecutæ: & de his loquitur Apoſtolus**. Confirmat hanc explicationem noſtram ipſe Thomas Aquin. p. 3. q. 48. art. 5. reſp. ad 3. *Dicendum eſt, quod paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſia non quidem per modum redemtionis, ſed per modum exempli & cohortationis ſecundum illud: ſive tribulamur pro veſtra exhortatione & ſalute.* Gloſſa interlin. *In paſſionibus quas ſuſtineo pro vobis ſcilicet confirmandis in veritate Evangelii.* Lyran. ibid. *In paſſionibus, id eſt, in carcere quem patior pro vobis gentilibus, eo quod prædicavi Evangelium gentilibus de quibus vos eſtis. Paſſiones autem Chriſti dupliciter dicuntur, uno modo in corpore proprio, in quo ſuſtinuit famem, ſitim & mortem, & ſic acceptendo nihil erat ibi implendum. Alio modo prout patitur in membris ſuis, quæ ſunt fideles, ſecundum quod dicitur: Saule, Saule, quid me perſequeris? Et ſic loquitur hic Apoſtolus.* Bellarminus ipſe lib. 2. de Indulg. cap. 5.

Hic

Hic ſenſus eſt à multis ex noſtris obſervatus & approbatus. Salmeron in cap. Philipp. *σπένδομαι*, id eſt, *immolor ſupra ſacrificium & oblationem fidei veſtræ; vocat mortem ſuam liberationem, non quâ reconciliarentur Deo, ſed quâ confirmarentur in fide.* **Producunt ſecundò Jobi 6. *Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui & calamitas quā patior in ſtatera? quaſi arena maris hæc gravior appareret.* Ergò ſancti plures ærumnas perferunt, quàm ad propriorum peccatorum expiationem opus. *Reſp.* 1. eſt vitioſa verſio. Nam ubi Latinus textus habet, *peccata mea*, quibus iram merui, ibi Hebræi fontes ſimpliciter habent vocem כַּעְשִׂי quæ ſignificat *irriſionem & indignationem meam*, ſicut etiam LXX. reddiderunt, ut & Chaldæus. 2. quid a. Jobus per ſuam iram vel indignationem intelligat, patet ex 3. & 7. capp. ubi diem conceptionis & nativitatis ſuæ execratur & ex carnali impatientia de doloribus ſuis vehementiſſimi querolatur. Quamvis vox כַּעְשִׂי *ira mea* non incommodè paſſivè de Dei ira exponi poſſit. 3. ſenſus eſt, quod ſuas querelas gemitus & ploratus unà cum cauſa illorum quæ in exquiſitiſſimis corporis animique cruciatibus erat, in libella appendi & ad ſtateram examinari deſiderat & mox affirmat, utraque hæc ſimul ponderata fore graviora quàm ſit arena maris, id eſt, majora quàm ut ab homine tolerari queant 4. inter peccata quibus infinita Dei juſtitia offenditur & pœnas temporales nulla eſt proportio. 5. ſi vel maximè Jobus ſuas ærumnas graviores æſtimaſſet quam peccata ſua, tamen hæc non ex inſtinctu Spiritus ſancti, ſed ex impatientia carnis prolocutus fuiſſet. Urgent etiam locum Eph. 3. v. 12. *Nolite deficere propter meas tribulationes, quas pro vobis patior.* *Reſp.* Ideò Paulus tribulationes ſuas propter Epheſios ſeſe ſuſtinere dicit, quia ipſis & aliis gentibus prędicavit Evangelium, cujus cauſa Judæi ipſum perſequebantur & vinctum Romam mittebant, ſicut ex vinculis hæc ad Epheſios ſcribit. Nomē quoq; *indulgētiæ* in Scriptura & Patribus occurrere dicunt. *Reſp.* non de Papæ ſed de Dei indulgentia. Eſa. 63. v. 7. *exaltabo Deum propter omne bonum quod præſtat domui Iſrael ſecundum indulgentiam ſuam* רַחֲמָיו v. 9. *in dilectione & indulgentia ſua redemit eos.* Judith. 8. v. 12. *Indulgentiam ejus fuſis lachrymis poſtulemus.* In his dictis accipitur de Dei miſericordia: alibi uſurpatur pro remiſſione culpæ & pœnæ æternæ. Eſa. 61. v. 1. *miſit me prædicare captivis indulgentiam.* Apoſtolus 1. Cor. 7. v. 6. uſurpat pro permiſſione. *Hoc dico ſecundum indulgentiam.* In primitiva Eccleſia uſurpatur pro relaxatione pœnarum Canonicarum, quæ publicè delinquentibus imponi ſolebant.**

Iubilæus Papalis. 135. Jubilæum primus inſtituit ac celebravit Bonifacius Anno Domini 1300. referente Platina in vita hujus Pontificis, Polydoro Virgilio lib. 8. de rerum Invent. cap. 1. & aliis Hiſtoricis. Fuit hic Pontifex avaritiæ vel maximè deditus, ideò Crantzius lib. 4. Hiſtor. cap. 26. ſic ſcribit: *BONIFACIUS Octavus Jubilæum primus inſtituit, utinam ſolius pietatis gratiâ? Idem voluit centeſimo quoque Anno eum celebrari, ſed Clemens VI. (dubium an amore pecuniæ an deſiderio ſalutis hominum) ſancivit eum celebrari anno quinquageſimo.* Sixtus V. eum ad vigeſimum quintum quemque annum reduxit. Huic Jubilæo ſuo non parùm certè tribuunt. Oſorius tom. 5. conc. in publ. Jubil. *Cum Jubilæus jungitur pœnitentia, indulgentia pleniſſima conceditur, tūc enim procedit ab ea homo tanquam à fonte Baptiſmatis liber ab omni peccato, ut nihil ſit, quod eum tenere poſſit, quin in cœlum evolet, ſi hinc migrares.* pag. 864. *Jubilæum dicere poſſumus tertium Baptiſmum. Sicut Baptiſmus dicitur Indulgentia pleniſſima, quia in eo omnis culpa & pœna deletur, ita Jubilæum dicere poſſumus Baptiſmum, cùm in eo ſimile quid fiat.* Clemens VIII. in Bulla indictionis Anno 600. *Annus Domini placabilis, annus remiſſionis & veniæ jam Dei munere appropinquat, jam tempus acceptabile & dies æternæ ſalutis adveniunt ad redimenda peccata, ad ſalvandas animas.* In Bulla qua celebratio Jubilæi indicitur Clemens: *Angelis de cœlo præcipit, ut animam peregrinantis Romam, ac in via morientis à purgatorio abſolutam ad gaudia perpetua introducant*, cui admodum ſimile eſt illud, quod Conradus Lagus Dantzinger, qui Legatus ad Ruſſos fuit miſſus, retulit, *Epiſcopos Ruſſiæ ex ſingulari Privilegio Papæ Epiſtolam hanc unicuique, ſed pecuniis illam redimenti communicare ſolere, quam deinde velut commeatum quendam in ſepulcrum mortuo apponant, ut ſi quando defunctus ante portas cœlorum veniat, Petrus eo commeatu viſo ſine mora illum intromittat.* Forma Epiſtolæ talis eſt: *MaKaria Dei Gratiâ Archiepiſcopus Kiofæ & Halicz & in tota Ruſſia Domino & amico noſtro S. Petro Dei omnipotentis portitori. &c. Nos ſignificamus & mandamus tibi, ut poſtquam hoc vel illo tempore deceſſit Princeps vel N. N. miniſter Dei, tu in hoc ipſo momento viſis his literis abjecta omni cunctatione nullâ factâ morâ, rectà in regnum Dei ipſum intromittas, nam nos eum ab omnibus ſuis peccatis abſolvimus, & propterea et hoc noſtrum Chriſtianum teſtimonium abſolutionis plena & remiſſionis exacta conceſſimus, ut ea exequi ſcires, &c.* referente Wolfio cent. 16. Anno 1580. pag. 936. **Huc etiam reſpicit Alexander Guaguinus Veronenſis Eques auratus, peditumque Præfectus, quando in deſcriptione Sarmatiæ Europææ de religione Moſcovitarum, omniumque Rhutenorum hæc verba ponit. *Funebre autem ſacrum pro defunctis ideo faciant, quod iis ſuffragiis tolerabiliorem animabus locum impetrari ſperant, ubi facilius extremam diem judicii expectare poſſint, imo etiam cùm aliquis magna autoritatis vir moritur, tunc Metropolitanus ſive Epiſcopus Epiſtolam ad S. Petrum ſcribit ſigillo ſuo & manus ſubſcriptione munitam, quam ſuper pectus defuncti ponit, dans teſtimonium de bonis piisque operibus ejus, utque in cœlum facilius poſt diem judicii admitteretur & Chriſtiana religionis Catholica agnoſcatur, ſubſcribunt.*** Alexander VI. in Jubilæo Anno 1500. celebrato ſupra trecenta millia aureorum acquiſiviſſe ſcribitur, & cùm filius illius Cæſar Borgias ingentem pecuniæ ſummam aleæ ludo perdidiſſet, per jocum dixit: *quid aliud amiſimus, quam peccata Germanorum*, argentum ex Indulgentiis comparatum intelligens, juxta illud Oſeæ 4. verſ. 6. *Peccata populi mei comedent.*

136. Nos Jubilæo illi Romano ex κακοζηλίᾳ Jubilæi Judaici, maximè verò ex Pontificum avaritia originem ducenti opponimus Jubilæum Chriſtianum, de quo Eſa. 61. v. 2. Luc. 4. verſ. 18. Salvator pronunciat, *Dominus miſit me, ut prædicarem* *Iubilæus Chriſtianus.*

carem annum beneplaciti Jehova (annum acceptabilem ſeu placabilem) hic nihil aliud eſt, quàm lætiſſimum Evangelii præconium ex ſinu æterni Patris à Chriſto allatum, in quo gratis omnibus verè pœnitentibus & in Chriſtum credentibus annunciatur liberatio ab omnib. peccatis & peccatorum pœnis propter unicum Chriſti meritum, quod beneficium miniſterio verbi & Sacramentorum itemque abſolutionis privatæ hominibus offertur, ac propriâ cujusque fide applicatur, non centeſimo aut quinquageſimo quoque anno, ſed quocunque tempore jam inde ab initio mundi poſt editam promiſſionem de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, maximè verò in N. T. exhibito jam Chriſto ac prædicato per univerſum orbem Evangelio.

Quinam debeant agere Pœnitentiam.

137. Atque hæc de partibus pœnitentiæ Pontificiæ dicta ſufficiant, redeundum tandem ad veræ ac ſalutaris pœnitentiæ doctrinam ſuperiùs inchoatam. Diximus pœnitentiam complecti contritionem & fidem in Chriſtum, quam ſequatur nova obœdientia, quæritur porrò. Quinam debeant agere pœnitentiam? Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 19. propoſ. 4. ſic ſcribit: *Pœnitentia non eſt omnium hominum, ſed tantùm peccatorum, juſtis enim Deus non poſuit pœnitentiam, ut legimus in oratione Manaſſe*, & Dominus Luc. 15. dicit: *Juſtos non indigere pœnitentiâ.* Nos contrà dicimus, concionem pœnitentiæ poſt lapſum eſſe univerſalem & ad omnes homines pertinere, quod demonſtrant evidentia Scripturæ teſtimonia. 1. in quibus omnibus absque ullo diſcrimine pœnitentia prædicari jubetur. Luc. 24. v. 47. *Sic oportebat Chriſtum pati & reſurgere & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes initio facto Hieroſolymis.* Actor. 17. verſ. 30. *Deus annunciat hominibus, ut omnes ubique agant pœnitentiam* πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν παραγγέλλει v. 31. *eò quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate*, ubi triplex univerſalitatis ſignum occurrit. 2. in quibus Chriſtus & ſancti ipſo actu omnes ad pœnitentiam vocarunt. Matth. 3. v. 17. Marc. 1. v. 14. *cœpit Jeſus prædicare & dicere, pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Eadem fuit prædicatio Johannis Baptiſtæ Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 4. eadem omnium Apoſtolorum Act. 2. v. 38. &c. 3. in quibus omnes dicuntur peccatores coram Deo, utique ergo omnibus neceſſaria eſt pœnitentia. Exod. 34. v. 6. *coram Deo nemo innocens eſt*, 1. Reg. 8, 46. 2. Par. 6. v. 36. Eccl. 7. v. 21. *non eſt homo qui non peccet*, Job. 15. v. 14. *Quid eſt homo ut mundus ſit & ut juſtificetur natus ex muliere?* v. 15. *Ecce in Sanctis ſuis non poſuit ſtabilitatem & cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* v. 16. *quantò magis abominabilis & contemtibilis homo, qui bibit velut aquam iniquitatem?* Pſal. 32. v. 6. *pro remiſſione peccatorum deprecabitur ad te omnis Sanctus.* Pſ. 130. v. 3. *Si peccata imputare decreveris, quis ſuſtinebit?* Pſal. 143. v. 3. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo, quia coram te non juſtificabitur omnis homo vivens.* Proverb. 20. v. 9. *Quis poteſt dicere mundus ſum in corde meo, mundatus ſum à peccato?* Rom. 3. v. 23. *Non eſt diſtinctio, omnes ſi nt peccatores & egent gloriâ Dei.* Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem intravit peccatum in mundum.* 1. Joh. 1. v. ult. *Si dixerimus, nos non habere peccatũ, mendaces ſumus.* Jac. 3, 2. πολλὰ πταίομεν ἅπαντες. Atque hæc omnium Sanctorum ab initio mundi confeſſio eſt, quorum communis vox: *Domine dimitte nobis debita noſtra.* Breviter, *omnis Chriſtianus quotidie pœnitet*, (pœnitentiam agit) *quia quotidie peccat, non quidem admittendo crimina, ſed non faciendo legem. In carne enim adverſante vivit uſque ad mortem, donec caro quoque & corporaliter & ſpiritualiter tota intereat. Incipit igitur in pœnitente contritio, ſed non ceſſat per totam vitam uſque ad mortem*, ut ſcribit D. Luth. tom. 1. fol. 14.

Orat. Manaſſ. pœnitentia non eſt poſita juſtis.

138. Quare igitur Manaſſes dicit, *Pœnitentiam non eſſe poſitam juſtis, ut Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, &c. ſed tantùm peccatoribus?* Reſp. 1. Oratio Manaſſis non eſt in Canone, cùm nec in Hebræo nec in Græco legatur. 2. Verba illa non ſunt accipienda abſolutè & ſimpliciter, quaſi Abrahamus, Iſaacus & Jacobus ac reliqui Sancti non fuerint in peccato originali concepti, ſed ab illo ac peccatis actualibus omnibus planè liberi, cùm non ſolùm generalia Scripturæ dicta, ſed ſpecialis cujusq; Hiſtoria teſtentur contrarium. 3. Verùm comparatè hoc intelligendum, videlicet de notoriis ac atrocibus delictis, de tanto peccatorum cumulo ac gradu, in quem Manaſſes ſe præcipitaverat. Eodem modo dictum Chriſti Luc. 15. verſ. 7. à quibusdam exponitur, videlicet diſcrimen ſtatui inter juſtos ſtantes & peccatores è cœno peccatorum, in quod prolapſi erant, iterum emerſos, ex quo tamen nondum ſequitur, juſtos ſtantes ab omnibus interioribus peccatis ac infirmitatis nævis planè immundos eſſe, cùm omnes cogantur dicere Pſal. 19. verſ. 13. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, ſed enim textui conformius videtur, ſi dicatur juſtorum nomine intelligi hypocritas juſtitiarios, quales erant Phariſæi, *qui confidebant in ſeipſis, quòd eſſent juſti* Luc. 18. v. 8. ac perſuaſione juſtitiæ propriæ tumidi reliquos aſpernabantur. ** Gregor. intelligit de *juſtis tepidis, qui pigri remanent ad exercenda præcipua bona. Alii tumidos Phariſæos, qui ſe ſolos juſta agere & pœnitentiâ nullâ indigere præſumebant*, ut eſt apud Barrad. tom. 3. lib. 3. cap. 19. in Conc. c. 94. pag. 672. Alii intelligant *juſtos non* ἁπλῶς *& ſimpliciter ita dictos; cùm omnes orare neceſſe habeamus, dimitte nobis debita noſtra, ſed* κατά τι *tales ſc. qui non petulanter, perſeveranter, mortaliter peccant & gratiam Dei excutiunt, qui a peccatis immunes quidem non ſunt, verùm hujusmodi qua gratiam Dei non excludant*, ut ait Luc. Brug. tum. poſt. in Luc. 15. vel qui veritatem amplexi ſunt & obliti eorum quæ ſunt à tergo, extendunt ſe ad præfixam metam, quibus nihilominus ſemper orandum. Dimitte nobis debita &c. nec tali indigent pœnitentia quali illi, qui ex profeſſo ſunt peccatores Buc. Luc. 15. Salmer. Barrad. Beza h. l. **

Luc. 15 Juſti non indigent pœnitentiâ.

Quo tempore agenda ſit pœnitentia.

139. Ex his facilè colligitur, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem. *Quo tempore pœnitentia ſit agenda?* Bellarminus lib. 2. de pœnit. c. 9. circa finem hac de re ſic ſcribit: *Præceptum de pœnitentia cùm ſit affirmativum, non obligat quovis tempore, ſed ſolùm certis temporibus, ut cum verſamur in periculo vitæ, cùm accedendum eſt ad confeſſionem, cùm DEUS peculiari inſpiratione nos ad pœnitentiam invitat, &c.* at quantò rectiùs Auguſtinus Epiſt. 105. ad Selenc. *pœnitentia eſt bonorum & humilium fidelium poena quotidiana,*

diana, dum pectora tundimus, dicentes, Domine dimitte nobis debita noſtra, atque in his verbis humiliantes animas noſtras quotidianam quodammodo pœnitentiam agere non ceſſamus. Hieron. in cap. 10. Matth. *Ne ſemel putemus ardorem fidei poſſe ſufficere, ſemper crux portanda eſt, ut ſemper Chriſtum amare doceamus. Ita Apoſtolus portabat jugiter carnis mortificationem in corpore ſuo, quod qui facit, omni tempore ſemper orat, ſemper poenitet.* Epiſt. 45. *Quia ſemper peccamus, ſemper poenitentiam agere & reſipiſcere debemus.* Gregor. in lib. 2. Reg. cap. 2. *Quia quotidie delinquimus, quotidie ad poenitentiæ lamenta curramus.* Cum quo conſentit illud Lutheri tom. 1. propoſ. de Indulg. theſ. 1. *Dominus & Magiſter noſter Jeſus Chriſtus dicendo poenitentiam agite, omnem vitam fidelium poenitentiam eſſe voluit.* Atque hæc eſt illa abnegatio noſtri, mortificatio carnis, & quotidiana crux verè piorum, quam ab omnibus ſuis quotidie Chriſtus requirit. Interim nobis non eſt adverſum, diſtingui inter pœnitentiam illam renatorum quotidianam, & inter ſpecialem illam ſive ſolennem, quæ graviores lapſus ſequitur, vel communioni Euchariſtiæ præmittitur, vel calamitatibus excitatur, ſed hæc ſpecialis ſive ſolennis nequaquam eſſentialiter, ſed tantùm gradibus & externis fortè actibus à quotidiana illa differt.

Fructus veræ pœnitentiæ.

140. Ecquis autem veræ & ſalutaris poenitentiæ fructus? Multiplex omninò, cùm per veram poenitentiam nobis obtingat. 1. Remiſſio peccatorum. Pſal. 32. verſ. 5. *Dixi confitebor adverſum me peccata mea, & tu dimiſiſti mihi iniquitatem peccati mei.* Jerem. 36. verſ. 2. *Deſcribe in libro omnia verba, quæ locutus ſum.* verſ. 3. *ſi fortè audiant domus Juda omne malum, quod cogito eis facere, ut revertantur unusquisque à via ſua mala & propitius ſim iniquitati eorum & peccato eorum.* Sapient. cap. 12. verſ. 19. ἐυελπίδας ἐποίησας τοὺς υἱούς σου, ὅτι δίδως ἐπὶ ἁμαρτήμασιν μετάνοιαν. Lutherus: Daß du wolleſt Buſſe für die Sünde annehmen/ alii ſic reddunt, *in peccatis das locum poenitentiæ.* Marc. 1. verſ. 4. *Johannes prædicabat Baptiſmum poenitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Luc. 24. verſ. 47. *Sic oportebat Chriſtum pati & in nomine ejus prædicari poenitentiam & remiſſionem peccatorum.* Actor. 3. verſ. 19. *Agite poenitentiam & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Actor. 5. v. 31. *Chriſtum exaltavit Deus ad dandam poenitentiam Iſraeli & remiſſionem peccatorum.* 2. Gratia Dei. Eſai. 61. verſ. 1. Luc. 4. verſ. 18. *Dominus miſit me ut alligarem contritos corde, ut prædicarem captivis libertatem & vinctis apertionem carceris, ut prædicarem annum beneplaciti Jehovæ.* Luc. 15. verſ. 7. *Gaudium erit in coelis ſuper uno peccatore poenitentiam agente, plusquam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent poenitentiâ,* quod ibidem in Parabola filii prodigi, quem cum gaudio parens excipit, pulcerrimè declaratur. 3. Juſtitia coram Deo. Luc. 18. v. 14. Publicanus in vera ac ſeria pœnitentia ingemiſcit, *Domine propitius eſto mihi peccatori,* mox ſubjungitur: *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam.* 4. Donatio ac inhabitatio Spiritus ſancti Eſai 57. verſ. 15. *Sic dixit excelſus & ſublimis habitans in ſeculum, & cujus nomen ſanctus &c. habito cum contrito & humili Spiritu, ut vivificem Spiritum humilium & ut vivificem cor contritorum.* Actor. 2. v. 38. *Poenitentiam agite & baptizetur unusquisque veſtrum in remiſſionem peccatorum & accipietis donum Spiritus ſancti.* 5. Exauditio precum. 1. Johan. 3. v. 21. *Cùm cor noſtrum non condemnat nos, fiduciam habemus erga Deum & quod petimus, accipiemus.* 6. Salus & vita æterna. Actor. 11. verſ. 18. *Ergo & gentibus poenitentiam Deus dedit ad vitam!* 7. Liberatio à pœnis temporalibus, vel certè earundem mitigatio. Jerem. 18. v. 7. *Repente loquar adverſus regnum ut evellam & confringam & perdam.* v. 8. *ſin autem convertatur gens illa a malo contra quod locutus ſum, poenitebit & me mali, quod cogitaveram facere ei.* 2. Paral. 12. verſ. 12. *quia humiliati ſunt, averſa eſt ab eis ira Domini, nec deleti ſunt penitùs.* Jon. 3. v. 10. *Vidit DEUS opera eorum* (Ninivitarum) *quod converſi eſſent à via ſua mala, & poenituit ipſum mali, quod locutus fuerat ſe facturum illis & non fecit.* Luc. 13. v. 3. & 5. *Amen dico vobis, niſi poenitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Ergo à contrario ſenſu per veram pœnitentiam mala impendentia averti poſſunt. De nova obœdientia, quæ itidem fructus ac conſequens eſt pœnitentiæ, diximus ſuperiùs. Obſervandum verò hoc loco. 1. pœnitentiæ hæc tribui non ratione contritionis, quaſi illa ſit meritum quoddam ac cauſa remiſſionis peccatorum, ſed ratione fidei, quæ eſt eſſentialis pars pœnitentiæ, quæ apprehendit Chriſtum, & in Chriſto gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, juſtitiam, donationem Spiritus ſancti & vitam æternam gratis accipit; quod ergo partis & quidem primariæ proprium eſt, illud uſitatâ ſcripturæ Phraſi toti tribuitur, præſertim cùm vera ac ſalvifica fides cum vera contritione & novæ obœdientiæ ſtudio ἀδιαμαρτήτως ac nexu indivulſo ſit conjuncta. 2. per veram pœnitentiam remiſſionem peccatorum ac reconciliationem cum Deo ſemper impetrari, interim tamen bono ac ſapienti Dei conſilio verè pios in hac vita cruci ac calamitatibus tum communibus tùm ſingularibus quandoque ſubjectos eſſe, quinimò ad extremum usque vitæ Spiritum ſub pondere crucis laborare interdum coguntur, cujus rei cauſæ Deo conſtant juſtiſſimæ & æquiſſimæ, ac nobis ipſis utiliſſimæ, ut ſuo docebitur loco, quò pertinet illud Auguſtini lib. 2. de civit. Dei cap. 23 *Judicia Dei plenè comprehendi non poſſunt, juſtè reprehendi non poſſunt.*

141. Quod nam tandem efficacius ὁρμητήριον ac incentivum (ut loquuntur) pœnitentiæ agendæ eſſe poſſet, quàm multiplex illa veræ converſionis utilitas? ſed accedunt inſuper cauſæ aliæ non minoris momenti atque ponderis, utpote 1. Dei præcipientis Majeſtas Jerem. 3. verſ. 12. *Revertere ad me rebellis Iſrael, dixit Dominus,* v. 14. *Convertimini filii rebelles, dixit Dominus.* Joel. 2. verſ. 12. *Convertimini ad me ex toto corde.* Talia celeuſmata in Scripturis Veteris ac Novi Teſtamenti paſſim obvia ſunt, quinimò omnium concionum à Patriarchis, Prophetis, ab ipſo Chriſto, Johanne Baptiſta & Apoſtolis habitarum ſumma hæc eſt: *Agite poenitentiam & credite Evangelio.* Actor. 17. verſ. 30. *Deus jubet omnes ubique homines poenitentiam agere.* v. 31. *quia conſtituit diem, in qua judicaturus eſt orbem terrarum in juſtitia.* Hoc mandatum Dei teſtatur de ἰυδοκίᾳ ejusdem, quòd poenitentiâ peccatoris delectetur. Ezech. 33. verſ. 11. *Vivo ego, dicit Do-*

Quæ ad pœnitentiam agendam nos excitare debeant.

mi-

minus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat. Tertullianus lib. de pœnit. pag. 554. *Audaciam exiſtimo de bono divini præcepti diſputare. Neque enim quia bonum eſt, idcirco auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obſequii prior eſt majeſtas divinæ poteſtatis. Prior eſt autoritas imperantis, quàm utilitas ſervientis. Bonum eſt pœnitere an non? quid revolvis? Deus præcipit. At enim ille non præcipit tantùm, ſed etiam hortatur. Invitat præmio ſalutem, jurans, etiam vivo dicens, cupit credi ſibi. O beatos nos, quorum cauſa DEUS jurat! O miſerrimos, ſi nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more ſub dejeratione teſtatur, ſummâ utique gravitate & aggredi & cuſtodire debemus.* Hæc Tertullianus. Quemadmodum Deus ſummo odio habet peccatum, ita quoque ſummè delectatur hominis pœoitentiâ. Quemadmodum ſummè placet homini is qui impugnat & deſtruit capitalem ipſius hoſtem: ita quoque ſummè placet Deo is, qui peccatum per pœnitentiam impugnat & expellit. Peccatum eſt ſumma turpitudo, ſumma deformitas & malitia extremo odio digna. DEUS eſt ſummum bonum, ſumma beatitudo, ſumma pulcritudo, ſuper omnia amandus ac honorandus: ex quo licet colligere, quàm grata & accepta ſit Deo hominis pœnitentia, per quam à ſummo malo ad ſummum bonum convertitur. 2. DEI promittentis benignitas. Clementiſſimus Dominus oun ſolùm ad pœnitentiam nos mandatis ſuis excitat, ſed etiam promiſſis invitat. Ezechiel. cap. 33. verſ. 11. *Convertimini à viis veſtris malis, ut quid moriemini Domus Iſrael.* Malach. 3. verſ. 7. *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus Zebaoth.* Matth. cap. 11. verſ. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Tertullianus lib. de pœnit. pag. 553. *Qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit, dicens ad populum: Pœnitere & ſalvum faciam te. Et iterum: Vivo, inquit Dominus: & pœnitentiam malo quàm mortem. Ergò pœnitentia vita eſt, cùm morti præponitur.* Cyprianus ſermon. de cœna. *Non patitur contriti cordis holocauſtum repulſam; quoties te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem: cùm intueor flentem, ſentio ignoſcentem.* Hûc referenda etiam μακροθυμία Dei, quâ expectat hominis converſionem, eundemque ad ſe reverſum cum gaudio ſuſcipit. Rom. cap. 2. verſ. 4. Luc. 15. verſ. 20. Ambroſius 1. de pœnit. cap. 4. pag. 155. *Expectat DEUS gemitus noſtros, ſed temporales, ut remittat æternos, expectat lachrymas noſtras, ut profundat pietatem ſuam. Expectat converſionem noſtram, ut revertamur & ipſi ad gratiam.* Taulerus ſæpe repetit: Gott iſt ſo jech nach uns / als wolt ihm ſein göttliches Weſen zerrinnen. Raymundus de Sabaude in Theolog. natural. cap. 301. pag. 359. *DEUS videt, qualiter homo tenet in domo ſua, ſcilicet in corde ſuo, quod melius & nobilius hominis membrum eſt, Dei inimicum capitalem & illud, quod DEUS ſummè odio habet, & quod DEO ſummè diſplicet, & non ſolùm tenet, ſed defendit, nutrit & abſcondit atque augmentat & inducit ipſum in domum ſuam voluntariè, imò non in domum propriam, ſed in domum DEI, quia cor de vera juſtitia eſt habitaculum Dei & pertinet Deo. Etiam homo, quod pejus eſt, fecit ipſum inimicum, qui antea non erat & cogitat ſemper, quomodo poterit multiplicare ipſum. Omnia iſta DEUS videt, &c. ideò mirum eſt & ſuper omnia mirabilia, quomodo Deus ſuſtentet tantoperè inimicos ſuos mortales. Et in iſto apparet Dei immenſa clementia & bonitas ſic ſuſtinere & nutrire inimici ſui* (peccati) *receptatores ac celatores; nec poſſet major bonitas excogitari. Et ex hoc apparet, quod Deus non vult hominem perire, ſed expectat ipſum ad pœnitentiam; debet igitur homo propter tantam bonitatem & expectationem Dei currere ad pœnitentiam & ſubitò expellere à ſe inimicum DEI & ſuum, &c.* Legitur in expoſitione Cantici Canticorum ſuper illud cap. 5. Aperi mihi ſoror mea, dixiſſe Rab. Iſſa: *DEUS ſanctus & benedictus ait, filii mei, aperite mihi aperturam unam pœnitentia, quanta eſt foramen acus & ego aperiam vobis aperturas miſericordiæ, per quas currus tranſire poterunt.* Hujus loci propria eſt dulciſſima ſententia Apoſtoli 2. Corinth. 5. v. 20. *pro Chriſto legatione fungimur, Deo velut exhortante per nos, rogamus pro Chriſto, reconciliamini DEO.* Audis DEUM non ſolùm offerre nobis reconciliationem, ſed & quadam bonitatis abundantiâ à nobis petere, ut ſecum in gratiam redeamus. 3. Angelorum delectatio & hilaritas Luc. 15. verſ. 10. *Dico vobis*, inquit Chriſtus, *gaudium erit coram Angelis Dei ſuper uno peccatore reſipiſcente.* Cauſas hujus gaudii expoſuimus in Poſtilla German. Domin. III. poſt Trinitatis: DEUS delectatur hominis converſione, cur non & Angeli, quorum voluntas plenè conformis eſt divinæ? Angelorum charitas ſincera eſt ac perfecta, quid mirum quod in hominis converſione lætentur? gaudent ſocietati ſuæ reſtitutos eſſe eos, quos in tenebris inferni ac Satanæ poteſtate conſtitutos viderant. Tertullianus lib. de pœnit. pag. 558. *Lætantur cœli & qui illic Angeli pœnitentiâ hominis. Heus tu Peccator bono animo ſis, vides ubi de tuo gaudeatur, &c.* Hinc Veteres paſſim repetunt, *Lachrymæ pœnitentium ſunt vinum Angelorum: dum hic ex animo lugemus commiſſa, diem feſtum Angeli agunt in cœleſti curia: quoties benè agimus gaudent Angeli, triſtantur Dæmones; quoties à bono deviamus, Diabolum lætificamus & Angelos noſtros ſuo gaudio defraudamus.* 4. Vitæ noſtræ fragilitas ac fugacitas. Pſal. 39. verſ. 6. *Scire fac me JEHOVAH finem meum & menſuram dierum meorum quæ ſit.* verſ. 7. *ecce ut palmos poſuiſti dies meos & ævum meum tanquam nihil coram te.* Pſal. 90. verſ. 12. *Doce nos, ut ſciamus numerum dierum noſtrorum, ut ambulemus corde ſapiente.* Jacob. 4. verſ. 14. *Quæ eſt vita veſtra? vapor eſt, qui ad exiguum apparet & deinde evaneſcit.* Non eſt in hominis poteſtate, vel unius horæ ſpatium vitæ ſuæ addere, quare cùm morte nihil certius ſit, ac nihil incertius horâ mortis, quomodo quis audebit ſciens ac volens in tanto remanere periculo, per quod incurrere poteſt pœnam æternam ac triſtitiam infinitam? Ne deſperando augeamus peccata, propoſitus eſt pœnitentiæ portus; ne ſperando augeamus, datus eſt dies mortis incertus. *Qui pœnitenti indulgentiam promiſit, ſecurè in peccatis pergenti diem craſtinum non ſpopondit*, ut loquitur PROSPER in ſentent. Auguſt. quo pertinet il-

lud Cypriani tract. 1. contra Demetr. pag. 105. *Quando iſthinc exceſſum fuerit, nullus jam locus pœnitentiæ eſt, nullus ſatisfactionis effectus, hic vita aut amittitur aut tenetur, hic ſaluti æternæ cultu Dei & fructu fidei providetur.* Ergo non differamus noſtrum ad DEUM reditum, donec mors nos conjiciat in loculum, ne cras illud corvinum convertat nobis DEUS in Sarc. Daß nicht das Leben werde zum Nebel/ und der Leib zur Leich. Sicut corvus ex Arca Noæ egreſſus, non eſt reverſus ampliùs, ſed ſuper cadavera requievit: ſic procraſtinator pœnitentiæ ad Eccleſiam non revertitur, ſed fœtoribus mundanarum cupiditatum inſordeſcit. Auguſtinus in Pſal. 102. *Non quæris Deus dilationem in voce corvina, ſed confeſſionem in gemitu columbino.* 5. Vitæ impœnitentis noxa ac deformitas Rom. 2. verſ. 4. *an divitias bonitatis divinæ & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* verſ. 5. *tu autem ſecundùm duritiem tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei.* (θησαυρίζειν notat paulatim acervari Dei iram, ut tandem univerſa depromatur inſtar theſauri Deuter. 32. verſ. 34. *Nonne eſt reconditum apud me, ſigillatum in theſauris meis* verſ. 35. *mea eſt ultio, ego retribuam.* Jerem. 50. verſ. 25. *Dominus aperuit theſauros & arma iræ ſuæ produxit.*) Quid aliud eſt impœnitentis vita, quàm periculoſa à Deo alienatio, Angelorum offenſio & ſervitus Diabolica? Baſil. in orat. exhortat. ad Bapt. τὴν ἁμαρτίαν σήμερον ποιεῖν ὑποβάλλει Σατανᾶς, τὴν δὲ δικαιοσύνην εἰς τὴν αὔριον πείθει λέγων τὴν σήμερον ἐμοὶ καὶ τὴν αὔριον τῷ Θεῷ. *Hodiernum mihi, craſtinum Deo.* **tom. 1. pag. 448. *Serpens eſt & ad decipiendum argutus; intelligit enim quemadmodum nos homines præſens libenter recipimus tempus, omnisque actio humana in præſens contendit atq; ſpectat. Quapropter hodiernum tempus nobis furatur aſtute & ſpem facit craſtini. Poſtquam craſtinum venerit, rurſus malus dividit ſibi hodiernum, craſtinum verò Domino dari petit.*** Sanguis Chriſti pro peccatis totius mundi effuſus eſt, ideò clamat ad omnes peccatores, ut veniant ad pœnitentiam, & recipiant fructum precioſiſſimi hujus ſanguinis, videlicet mundationem à peccatis: quisquis igitur in impœnitentia pergit, ſanguinem Chriſti veluti conculcat. **Remiſſionem peccatorum non habere locum ſine pœnitentia docet Chriſtus Luc. 24. ubi conjungit *prædicationem pœnitentiæ & remiſſionis peccatorũ.* Pſ. 32. *Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Typus hujus rei pulcerrimus proponitur Levit. 16. ubi uno eodemq; die Iſraelitæ in die propitiationis affligunt animas ſuas & hircus portat iniquitates eorum in deſertum.** Quemadmodum balſamum non exerit vires ſuas, ſi in ſaxum quoddam duriſſimum effundatur, ita CHRISTI ſanguis cor durum ac impœnitens non abluit à peccatis. Sicut pœnitentia glorificat Deum, quippe per quam juſtitiæ & miſericordiæ divinæ teſtimonium reddimus, ita impœnitens vita ignominia DEUM afficit, cùm non agnoſcat DEUM eſſe juſtiſſimum judicem ac ſeveriſſimum peccatorum vindicem. Apoc. 16. v. 9. *non egerunt pœnitentiam, ut darent gloriam Deo.* Quid quòd impœnitenti cordi mala conſcientia ſemper conjuncta eſt, quid verò eâ miſerius eſt atque acerbius? *Habitat DEUS in corde contrito & humiliato.* Eſai. 57. verſ. 15. ſed *peccata noſtra*, quæ per pœnitentiam non tolluntur, *dividunt inter Deum ac nos* Eſai. 59. verſ. 2. Ephrem. lib. 1. de compunct. cordis cap. 2. *Dicito mihi, ſi quis te in lutum cœni projecerit & ibi ſemper ſe eſſe fecerit, libenter hoc feres? Si tu, cum ſis cinis & vermis, hoc ſuſtinere non potes, quomodo vis ut impollutus DEUS, qui cum Sanctis & in Sanctis requieſcere ſolitus eſt, in te qui totus fœtidus es ac cœnoſo horore repletus, habitet?* 6. Scandali aliis dati atrocitas. Qui diligit iniquitatem, occidit animam ſuam; nec ſolùm ſuam animam occidit reatu, ſed etiam proximi animam perverſo exemplo. Matth. cap. 18. verſ. 7. *Væ homini, per quem ſcandalum datur.*

142. Hæc omnia non ſolùm pœnitentiam agere jubent, ſed etiam differre ac procraſtinare eandem prohibent. Quamvis enim in iſto adhuc mundo manenti nulla pœnitentia ſit ſera, modò ſit vera, quò pertinet aureolum illud Cypriani ſerm. de cœna Domini fol. 503. *Nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec hora extremitas, nec vitæ enormitas (ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio) excludit a venia, ſed in amplitudine ſinus ſui mater caritas prodigos ſuſcipit revertentes & nolit velit Novatus hæreticus, omni tempore DEI gratia recipit pœnitentes:* Itemque illud Fulgentii Epiſt. 7. pag. 555. *Nulla prolixitas temporis vel æquitati divinæ vel pietati præjudicat, pœnitentia nunquam apud DEUM eſt ſera, in cujus conſpectu ſemper pro præſentibus habentur tam præterita quàm futura:* quin & illud Rab. Samuelis in Medras Thehillim. *portæ orationis quandoque ſunt clauſæ, quandoque apertæ, ſed portæ converſionis nullo tempore clauduntur, ſicut ſcriptum eſt: Spes omnium finium terræ & in mari longè, ſicut enim mare apertum eſt, & quilibet poteſt ſe in eo abluere, ita quandocunque quis converſus fuerit, eum obviis ulnis DEUS excipit;* referente Weidnero in præfat. libri, in quo exponit loca fidei Chriſtianæ præcipua pag. 28. hâc tamen doctrinâ ad carnalem ſecuritatem abuti nequaquam debemus, cùm multos ſoleat ſerotina pœnitentia decipere. Auguſtinus de vera & falſa pœnitentia cap. 17. cùm rarò verum ſit, quod ſerum, ideò graviter nos hortatur Spiritus ſanctus Pſalm. 95. verſ. 7. *Hodiè ſi vocem ejus audieritis*, verſ. 8. *ne obduretis cor veſtrum*, ex quo ita concludit Epiſtola ad Hebræos cap. 3. verſ. 12. *Videte fratres, ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum & incredulum, quod diſcedat a DEO vivo.* verſ. 13. *ſed adhortamini vos ipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ne quis ex vobis obduretur fallacia peccati.* Eccleſiaſt. 5. verſ. 8. *Ne differas converti ad Dominum, nec diem ex die ducas.* verſ. 9. *nam ſubito erumpet ira Domini, & cùm ſecurus eris, profligaberis ac in die ultionis peribis.* ** Ambroſ. in exhort. ad pœnit. *Agens pœnitentiam ad ultimum & reconciliatus ſi exierit, an ſecurus hinc exeas, ego non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. Quod aio, attendite, ego illud planius expono, ne aliquis me male intelligat. Nunquid*

Pœnitentiam non eſſe differendam.

quid dico, damnabitur? non dico, ſed nec liberabitur, dico. An aliud mihi dicis ſancte Epiſcope? Quid tibi dicam, neſcio. Dixi non præſumo, non promitto, prorſus neſcio de voluntate Dei. Vis frater à dubio liberari, vis quod incertum eſt, evadere? age pœnitentiam dum ſanus es. Cyprianus Epiſt. 52. ſect. 15. f. 119. *Non eſt dignus in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum, quique in infirmitate demum atque in periculo cœperit deprecari ubi rogare illum non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit.* Auguſt. homil. 41. tom. 10. f. 526. *Si vis agere pœnitentiam tunc, quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.* Salvian. lib. 1. de avarit. pag. 35. *Peccare non deſinit, quem in extremis ſitum recedere à criminibus ſola tantum facit impoſſibilitas, non voluntas. Qui enim a malis actibus tantùm morte diſcedit non relinquit ſcelera, ſed relinquitur à ſceleribus, ac per hoc neceſſitate excluſus a vitiis & tunc puto peccat, quando ceſſaverit, quia quantum ad animum necdum deſiit.*** Bernhardus ſerm. 1. Epiphanius coll. 69. *Sicut benignitas (DEI) apparuit ultra omnem ſpem, ultra omnem æſtimationem, ita ſimilem expectare poſſumus judicii diſtrictionem. Noli ergo contemnere DEI miſericordiam, ſi non ſentire vis juſtitiam, ſed iram, ſed indignationem, ſed furorem. Ut enim ſcires, quanta diſtrictio ſuccedit, tanta illa manſuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende.. Immenſus enim Deus eſt & infinitus in juſtitia ſicut & in miſericordia, multus ad ignoſcendum, multus ad ulciſcendum &c.* Valde igitur periculoſum eſt ad finem usque vitæ pœnitentiam differre. 1. quò diutiùs differtur pœnitentia, eò redditur poſtea difficilior Proverb. 22. verſ. 6. 2. Poenitentia ea amore DEI filiali, non ex timore poenæ ſervili procedere debet, atqui in extremis poenitens timore mortis & gehennæ ut plurimum ad poenitentiam inducitur. 3. qui in hora mortis poenitentiam demùm agit, is non tam relinquere videtur peccata, quàm à peccatis relinqui. 4. morbi quandoque cum doloribus intentiſſimis & paraphroſyne ſunt conjuncti, quomodo igitur in tali ſtatu de poenitentia verè quis poteſt eſſe ſolicitus? ***Qui ſe totos in omni vita libidinibus dediderunt, qui in deliciis atque luxuriis corda ſua enutrierunt, qui nullis DEI neque minis neque promiſſis, neq; plagis, neq; beneficiis, neque monitis à ſcelerata vita revocari voluerunt, quam in extremo vitæ actu ab ipſa jam penè vita derelicti, ſalutarem pœnitentiam agant; Quid quæſo magis præpoſterum, quàm eo tempore velle te novam vitam inchoare cùm ſpacium vivendi non ſuppetit, qui ſi longiora adhuc vitæ ſpacia haberes, diutius in iniquitate perſiſteres, quemadmodum feciſti quamdiu in vita permanſiſti.* Lud. Granat. Dom. 18. poſt Pentecoſt. conc. 1. pag. 323.** 5. tunc obſervantur oculis conjunx, liberi, cognati, temporalia omnia in momento deſerenda, eorum deſiderio plurimi ita anguntur, ut niſi cor priùs ab illis abſtractum ſit, vix poſſit ad DEUM elevari.

Qua ad contritionem excitandam meditari debeamus.

143. Ceterum ut creſcat in vera poenitentia cordis contritio ac dolor de admiſſis peccatis meditatione complecti nobisque proponere debemus. 1. Inferni poenas inæſtimabiles, quas peccatis noſtris promeriti ſumus, earum gravitatem, diverſitatem atque æternitatem finitus intellectus noſter comprehendere nequit. 2. Vitæ æternæ gloriam ac lætitiam itidem inæſtimabilem, cujus poſſidendæ ſpe per peccata noſtra excidimus. Hujus gloriæ καθ’ ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος itidem non poſſumus comprehendere 2. Corinth. cap. 4. verſ. 17. 3. Judicii extremi ſeveritatem, in quo *abſcondita tenebrarum & conſilia cordium manifeſtabuntur* 1. Corinth. cap. 4. verſ. 5. omnia ibi erunt puriſſimis DEI & Angelorum oculis conſpicua, velut ſolis radiis ſcripta. 4. Peccatorum multitudinem. Pſal. 19. *Delicta quis intelligit?* Pſal. 40. verſ. 13. *comprehenderunt me iniquitates meæ, multiplicatæ ſunt præ capillis capitis mei.* Exactè igitur conſideranda ſunt ſingula Decalogi præcepta, quibus ac quod modis corde, ore & opere peccaverimus, expendenda peccata interiora & exteriora, commiſſionis & omiſſionis, ignorantiæ, infirmitatis & malitiæ; noſtra & aliena quibus participamus. 5. Peccatorum atrocitatem, quæ ex multis conſiderationibus manifeſta fieri poteſt. Per peccata mortalia amittitur DEI gratia, Spiritus ſancti inhabitatio, tranquillitas conſcientiæ, ſalus ac vita æterna. Ergò quanta hæc ſunt bona, tantum malum oportet eſſe peccatum, per quod bonis illis omnibus privamur. Deus eſt ſummum & infinitum bonum, jam verò per peccatum offendimus DEUM, ut que ergò peccatum erit infinitum malum. *Quotiescunque peccamus* (ſcribit Granatenſis lib. 2. memorial. cap. 6. pag. 28.) *practicum illud judicium in corde noſtro exercetur, licet ſubinde non ſentiamus, proponitur ab una parte commoditas peccati, hoc eſt, delectatio aut utilitas ob quam peccamus & ab altera parte offenſa, quâ DEUM provocamus, & amicitia DEI, quæ per peccatum amittitur, ita ut in unam lancem mittatur DEUS & in alteram temporalis utilitas aut momentanea voluptas, homo autem ſtans in medio eligit potiùs divinæ amicitiæ jacturam, quàm exigua utilitate aut voluptate carere. Quid poſſet horrendum magis excogitari, quam præponere rem adeò vilem DEO creatori?* Peccatum infinito & nobis incomprehenſibili odio DEUS proſequitur, quod poenæ damnatorum æternæ ac infinitæ manifeſtant, quantò igitur magis nobis conveniret, infinito quodam odio (ſi poſſibile foret) illud in nobis deteſtari? 6. Beneficiorum divinorum copiam, quam ne cogitatione quidem, nedum verbis aſſequi poſſumus. Quot ſunt in toto univerſo creaturæ, quot ſunt corporis membra, totidem divinæ benignitatis extant teſtimonia. Quid de beneficio redemtionis, vocationis, præſervationis à malo &c. dicemus? an non igitur extremè deteſtandum, quòd tàm benevolum ac munificum Patrem peccatis noſtris offendimus, quòd pro beneficiis ipſius innumeris tàm malam gratiam ei rependimus? Hiſce omnibus & ſingulis diſtinctè, enucleatè & exactè conſideratis convertat ſe peccator piis precibus ad Dominum, peccata ſua humiliter agnoſcat & deploret, atque ea ſibi condonari ſuppliciter petat.

petat, qua in re piis mentibus inſervire poterit Enchiridion illud Meditationum ac precationum, quod non ita pridem in lucem dedimus, ut & hortulus animæ à Dn. Cramero publici juris factus.

Quæ ad excitandã & confirmandam meditari conveniat

144. Contritioni illi veræ ac ſeriæ oportet eſſe conjunctam fidem, hoc eſt, fiduciam divinæ miſericordiæ propter Chriſtum Mediatorẽ nobis promiſſæ, cujus excitandæ augendæ & confirmandæ causâ meditari debet cor contritum. 1. Infinitam Dei miſericordiam. Eccleſ. 2. v. 23. *Quanta eſt majeſtas ejus, tanta ejuſdem miſericordia.* 1. Johan. 4. v. 16. *Deus eſt caritas.* Bernhard. ſerm. 11. in Cant. col. 518. *Major eſt DEI pietas, quam quævis iniquitas.* Serm. 5. in die natalis col. 60. *dicitur Pater miſericordiarum, quia quòd miſeretur proprium eſt illi, ex ſe enim ſumit materiam & velut ſeminarium quoddam miſerendi.* Colligenda igitur emphatica Scripturæ dicta, quæ de miſericordia & caritate DEI immenſa agunt, eademque cordi proponenda & probè infigenda. 2. Infinitum CHRISTI meritum, quippe cùm ſit in unitate perſonæ θεάνθρωπος, *ἰσόμετρον λύτρον* pro peccatis noſtris præſtare potuit ac verè præſtitit, ubi iterum colligenda præcipua Scripturæ dicta, quæ de fructu paſſionis & mortis CHRISTI loquuntur; conſideranda ſunt diſtinctè CHRISTI ſudor ſanguineus, flagella, ſputa, clavi, crux, lancea &c. ut poſſit fidelis anima ex Cantico cap. 1. verſic. 13. dicere; *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur,* Bernhardus ſermon. 22. in Cantica. col. 555. *Copioſa apud DEUM redemtio, prorſus copioſa, quia non gutta ſed unda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit &c.* 3. Promiſſionum Evangelicarum univerſalitatem 1. Timoth. cap. 2. verſic. 4. *DEUS vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* verſ. 5. *Unus enim DEUS unus Mediator DEI & hominum homo CHRISTUS JESUS.* verſ. 6. *qui dedit ſeipſum pretium redemtionis pro omnibus.* 2. Petr. 3. verſic 9. *DEUS non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hæ promiſſiones cùm ſint univerſales, ideò in ſeriis conſcientiæ angoribus etiam ad nos eas pertinere ſtatuamus. 4. Sigilla ac ſignacula promiſſionis, hoc eſt, Sacramenta fidei excitandæ & confirmandæ ergò inſtituta. Per poenitentiam patet nobis reditus ad fœdus priſtinum in Baptiſmo nobiſcum initum, quin & precioſiſſimo ſalutis pignore, videlicet corpore & ſanguine CHRISTI in Cœna paſcimur, quò pertinet etiam ritus privatæ abſolutionis, in qua verè poenitentibus *κατ' ἰδίαν* peccatorum remiſſio annunciatur, quæ coram DEO in cœlis rata. Matth. cap. 18. verſ. 18. 5. Exempla eorum, qui verè ad DEUM converſi, delictorum ſuorum, atrocium licet ac gravium, remiſſionem ſunt conſecuti, utpute primorum parentum, Aaronis, Davidis, Manaſſis, Petri, Publicani &c. 1. Timoth. cap. 1. verſ. 15. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quod CHRISTUS JESUS venit in mundum, peccatores ſalvos facere, quorum ego primus ſum.* verſ. 16. *ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primo oſtenderet CHRISTUS omnem patientiam πρὸς ὑποτύπωσιν eorum qui credituri erant in eum ad vitam æternam.* Auguſtinus de verb. Apoſt. ſermon. 10. *CHRISTUS recipit Paulum inimicum ſuum acriorem, quem cùm ſanaret, nemo in cæteris deſperaret.* Hæc omnia itidem diſtinctè, enucleatè & exactè conſideranda ſunt, ut *in conſpectu DEI cor noſtrum poſſimus erigere* ac tranquillum reddere 1. Johan. 3. verſ. 19. ac firmam de peccatorum remiſſione fiduciam concipere. ** Ambroſius prec. 2. præparante ad Miſſam Tom. 5. fol. 168. *O quam in multis offendi atque offendo, ſed non ſubrepit deſperatio, cùm publicanum in templo juſtificatum attendo, cùm latronem in cruce confitentem & de cruce ad Paradiſum tranſeuntem aſpicio, cùm Mariam poſt multas criminum culpas fonte pietatis ablutam, cùm Petrum poſt negationem Apoſtolatus gratiam recuperaſſe intueor. Sed rogo ineffabilis pietas, ut cui de tantis exemplis præſumere dediſti, gemitus publicani, confeſſionem latronis, lachrymas meretricis, fletuſque negantis Apoſtoli concedas.* **

Definitio pœnitẽtiæ.

145. Ex his quæ de pœnitentia hactenus dicta ſunt, talem ejuſdem colligimus definitionem. Vera ac ſalutaris pœnitentia eſt talis ad DEUM converſio, quâ peccator per Spiritus ſancti gratiam ac miniſterium verbi interiùs movetur, ut agnitis ex legè peccatis ſuis ac ira DEI adverſus illa ſeriò doleat, ac fide in CHRISTUM ex Evangelio concepta ſeſe viciſſim erigat, propter ipſum peccata ſibi remitti certò ſtatuens, quam fidem melioris vitæ propoſitum ac ſtudium & bona opera tanquam fructus DEO grati & pœnitentiâ digni conſequuntur. Converte nos ô DEUS, ut ad te convertamur; allige animæ noſtræ vulnera, ut ſanemur, Amen.

Digitized by Google

DE IVSTIFICATIONE PER FIDEM.

I.

Connexio cum Loco præcedente.

DOCTRINAM DE Pœnitentia convenienti ordine ſequitur Articulus de Juſtificatione. ** Calviniani. 1. errant in articulo prædeſtinationis Ergo & in articulo Juſtificationis, quia iuſtificatio eſt prædeſtinationis Executio. 2. Errant circa definitum, definitionem, cauſam efficientem principalem, inſtrumentalem & obiectum Juſtificationis. 1. Circa definitum, quia iuſtificationem à ſalvatione realiter diſtinguunt. Joh. Piſc. lib. 2. de Juſtif. cap. 3. cui ſuffragantur Neo Marpurg. 2. Circa definitionem quia implicitè Juſtificationem primam & ſecundam ſtatuunt, dum aſſerunt infantes non eo modo iuſtificari, quo adulti Coll. Momp. pag. 49. 495. Beza reſp. 2. ad act. Colloq. pag. 97. Piſc. ad dict. Hoſtin. p. 84. Juſtificari infantes fide aliena. 3. Circa cauſam efficientem principalem. 1. Chriſti ſatisfactionem non omni modè fuiſſe neceſſariam. Calvin. 2. Inſtit. cap. 17. §. 1. Muſc. de Juſtif. pag. 267. quod & Scholaſtici docuerunt. 2. Meritum Chriſti mutilando, partim ratione meriti, partim ratione eiusdem obiecti. Ratione meriti docendo Chriſtum non totali, id eſt, activa & paſſiva obœdientia ſatisfeciſſe. Ratione obiecti, docendo Chriſtum non pro toto mundo ſed pro ſolis electis mortuū. 4. Circa cauſam inſtrumentalē duplicem. 1. Verbum & Sacramenta. 2. Fidem. Verbi & Sacramentorum virtutem annihilant, rationi plus tribuunt. Fidem tollunt per abſolutum decretum. &c. 5. Circa obiectum, dum gentilibus ſalutem aſſcribunt. ** Homini enim peccatori in ſeriis conſcientiæ angoribus conſtituto proponenda eſt Evangelica de Chriſti beneficiis promiſſio, quam verà fide amplexus coram Deo iuſtificetur & ex ſyrtibus deſperationis erutus ad portum ſalutis æternæ provehatur. Neve carnales homines doctrinâ de gratuita noſtri coràm Deo propter Chriſtum iuſtificatione ad ſecuritatem & concupiſcentiarum indulgentiam abutantur, ideò præmittitur locus de Pœnitentia, abſque qua Chriſti beneficia ac DEO placens iuſtitia in nobis locum non habent, Proinde utrumque indiſſolubili fœdere conjungitur, *prædicare in Chriſti nomine pœnitentiam*, & prædicare in eiuſdem nomine *remiſſionem peccatorum* Luc. 24. v. 47. Adde quòd veræ in Chriſtum fidei, quę pœnitentiæ pars eſt facilè primaria, noſtra coram Deo juſtificatio diſertis Scripturæ verbis tranſſcribatur. Rom. 3. v. 28. *Statuimus fide juſtificari hominem abſq; operibus Legis*, cap. 4. v. 15. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides ejus ad iuſtitiam.*

2. ** Apol. Conf. Aug. p. 60. commendat articulum de Juſtificatione à dignitate & ſumma utilitate ac neceſſitate, ad quem locum provocat Form. Conc. art. 3. §. *Cùm autem.* ** Maxima utique hujus articuli dignitas eſt cum pari utilitate & neceſſitate conjuncta, ſiquidem pia & ſincera ejus tractatio debitum honorem Chriſto aſſerit, firmam conſolationem territis conſcientiis oſtendit, diſcrimen Legis & Evangelii communit, πληροφορίαν fidei in vera ac Deo grata invocatione neceſſariam excitat & ad ſerium bonorum operum ſtudium animos piorum inflammat. *Dignitas & utilitas hujus loci.* ** Doctrina de Juſtificatione vocatur *admirabilis juſtitia*, Pſ. 65. v. 6. quia modum ejus invenit is, qui Eſ. 9. v. 6. vocatur *admirabilis*, quique res ſuas in Eccleſia maximè inſtituit & deducit præter & contra omnem rationis humanæ ordinem. Luc. 1. v. 17. vocatur eadem φρόνησις τῶν δικαίων ut oſtendatur nos tum demum rectè ſapere in ſpiritualibus quando articuli hujus doctrinam probè cognitam habemus Pſ. 25. vocatur *ſecretum Domini.* ** Quod igitur de remiſſione peccatorum Auguſtinus dicit in Enchirid. ad Laur. c. 64. *Per hanc ſtat Eccleſia, quæ in terris eſt, per hanc non perit, quod perierat & inventum eſt*; idē de Juſtificatione pronunciare poſſumus, quippe quæ in peccatorum remiſsione conſiſtit Rom. 4. v. 7. unde graviter ſcribit Chem. part. 2. loc. Theol. loc. de juſtif. in princ. *Hic locus eſt tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ & religionis Chriſtianæ, quo vel obſcurato, vel adulterato, vel ſubverſo, impoſſibile eſt puritatem doctrinæ in aliis locis retinere; ſalvo autem hoc loco corruūt per ſe omnes idolomaniæ, ſuperſtitiones & quicquid eſt corruptelarum in omnibus ferè aliis locis.* Deſumſit hoc ex D. Luth. qui in explicatione Pſ. 117. tom. 5. Germ. Jen. f. 159. ſic commentatur. *Modò unicum iſtud doctrinæ Chriſtianæ caput conſervetur ſanum & integrum, Eccleſia manet concors & pura abſque diſſenſionibus & ſectis, quia hoc unicū & nihil quicquā præter illud conſtituit & conſervat Chriſti Eccleſiam.* Vide locum integrum ut & tom. 1. Isleb. f. 18. tom. 4. Lat. Jen. f. 3. ** Id. in præfat. Epiſt. Gal. *In corde meo iſte unus regnat articulus ſc. fides Chriſti ex quo, per quem & in quē omnes meæ diu noctuque fluūt & refluunt Theologicæ cogitationes. Nec tamen comprehendiſſe me experior de tanta altitudinis, latitudinis profunditatis ſapientia, niſi infirmas & pauperes quaſdam primitias & veluti fragmenta.* Ibidem. *Hoc articulo iacente & pereunte iacet & perit ſimul tota cognitio veritatis, eo verò florente florent omnia, bona religio, verus cultus, gloria Dei, certa cognitio omnium ſtatuum & rerum.* Quidam veterū locum de Juſtif. clavem auream vocavit, quæ ſi integra retineatur, portam cœli reſerare; ſi v. adulterata fuerit, non cœli ſed inferni portas reſerare dicitur. **

Idem in comment. Epiſt. ad Galat. fol. 10. *Iacente articulo Iuſtificationis, jacent omnia, itaque ſummè neceſſarium eſt, ut eum perpetuò inculcemus & acuamus, quemadmodum Moſes de ſua lege dicit, Nam ſatis vel nimium non poteſt inculcari & urgeri*. in cap. 21. Gen. *Hic eſt ſummus fidei articulus, quem ſi tollas vel depraves, neque Eccleſia conſiſtere poteſt, neque Deus retinere poteſt ſuam gloriam, quæ eſt, quod ſit miſericors & quod propter Filium condonare peccata ac ſalvare velit.*

ἐτυμολογία & ſignificatio vocabuli Iuſtificationis.

3. Auſpicabimur ab explicatione vocabuli, quæ ad ipſius rei cognitionē nos deducit. ** Nomen *Iuſtificationis* à profanis ſcriptoribus Latinis uſurpatum non legi teſtatur Coſterus in Enchir. c. 6. p. 227. A Græcis uſurpatur tripliciter 1. neutraliter pro *exiſtimare* ſeu *cenſere*. 2. activè pro *ſupplicio afficere* ſeu *punire*. 3. paſſivè ſed bonam in partem pro *juſtitiam conſequi*. צדק in kal eſt *juſtitiam habere*, in Piel *juſtitiam alicui tribuere*, in Hiphil *in judicio aliquem abſolvere & juſtum pronunciare*, in Hithpaël *ſeipſum juſtificare & cauſæ ſuæ bonitatem demonſtrare*. In N. T. vix ulla verbi δικαιοῦν ſignificatio dabitur, quæ non alicui ex V. T. indigitatæ correſpondeat. Varinus δικαιοῦν δύο δηλοῖ τότε κολάζειν καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν. Duo ſignificat, & punire, & juſtum cenſere. ** הִצְדִּיק Hitzdik in Hiphil, *juſtificavit, juſtum pronunciavit, juſtitiam imputavit, accuſatum abſolvit & juſtum pronunciavit* LXX. reddiderunt δικαιοῦν, δικαιοῦσθαι, δίκαιον κρίνειν. Gen. 44. v. 16. *Quid dicemus & quo juſtificabimur?* מַה־נִּצְטַדָּק mah-nitzthaddâk, non eſt, quo nos innocentes eſſe declaremus, ut à reatu furti abſolvamur. Exod. 23. v. 7. *Non juſtificabo impium*, i. e. non abſolvam à culpa, non dimittam impunitum. Prov. 17. v. 15. מַצְדִּיק matzdik, *juſtificans impium*, ὃς δίκαιον κρίνει τὸν ἄδικον, *abominatio eſt coram Domino*. Eſai. 53. v. 11. *In notitia ſui* צַדִּיק zaddik, יַצְדִּיק jazdik, *juſtificabit juſtus ſervus meus multos*. Ezech. 16. v. 51. *Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus, quas feciſti*, i. e. tantâ impietate contaminata es, ut ſorores tuæ, ſi tecum conferantur, quodammodo juſtæ & piæ cenſeri queant. Dan. 8. v. 14. *Et juſtificabitur ſanctuarium*, id eſt, mundabitur, καθαρισθήσεται, ubi uſurpatur paſſivum נִצְדַּק nizdak, Matth. 11. verſ. 19. Luc. 7. verſic. 35. *Et juſtificata eſt ſapientia*, ἐδικαιώθη ἡ σοφία. Syr. וְאִזְדַּדְקַת vea'zdaddckáth, Forſterus in Lexico monet peculiari ſignificandi modo juſtificari ibi accipi pro corripi, argui, reprehendi. *Iuſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, hoc eſt, qui debebant ei tanquam filii obœdire ac ſubjici ſapientiæ, eam ut ſapientiores & Magiſtri reprehendunt. Hanc ſententiam ſequitur Lutherus in verſione germanica, & Brentius in Confeſſ. Wirtenb. p. 286. Alii referunt hanc pericopen ad credentes, *juſtificata eſt ſapientia a filiis ſuis*, hoc eſt, ſi vel maximè increduli ſapientiam Evangelii repudient, credentes tamen eam juſtificant, approbant & recipiunt, quem ſenſum Syriaca paraphraſis exprimit addens copulam ו pro adverſativa. *Sed juſtificata eſt ſapiētia &c.* ** à cultoribꝰ ſuis ſive ſervis Sirac. 4. v. 12. *filii Sapientiæ* dicūtur illi qui quærunt & inveſtigant eā, Baſil. in expoſ. Pſal. 7. pag. 107. τέκνα δὲ σοφίας ὁ κύριος εἶπε τοὺς ἐν τῇ θεογνωσίᾳ μεμορφωμένους, ἐδικαιώθη γὰρ φησὶν ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Chemn. p. 2. Locor. p. 276. *ſapientia eſt juſtificata* id eſt *excuſata & abſoluta filiis ſuis*. Ribera in c. 14. Hoſeæ n. 25. eandem interp. ſequitur. Obſerva emphaticè addi, ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων. ** Chryſoſtomus ita interpretatur: *Sapientia divina omnia tentavit & nihil eorum omiſit, quæ ad converſionem & ſalutem filiorum pertinent*, juſtificata igitur, hoc eſt, abſoluta & excuſata eſt, ita ut culpa perditionis ſit penes ipſos. Eſt, qui juſtificari hic accipit pro abſolvi & liberari ab obligatione, perinde ut uſurpatur Act. 13. v. 38. *Remiſſio ab omnibus, à quibus non potuiſtis juſtificari in Lege Moſis*. Sapientia ex promiſſione Patribus facta quaſi jure quodam obligata erat Judæis, ſed quia illam repudiant qui debebant eſſe filii ſapientiæ, ideò abſoluta eſt ab illo jure ſeu obligatione & libera eſt, ut prædicatione transferatur ad gentes. ** Analogia ſcripturæ oſtendit υἱοὺς & τέκνα denominari ab ea re ad quam pertinent aut cui ſunt dediti. υἱοὶ ἀπειθείας Epheſ. 2. v. 3. υἱοὶ φωτὸς Joh. 12. v. 36. υἱὸς γεέννης Matth. 23. v. 15. υἱοὶ βασιλείας Matth. 8. v. 12. υἱὸς εἰρήνης Luc. 10. v. 6. υἱοὶ ἡμέρας 1. Theſſ. 5. v. 5. &c. τέκνα ἐπαγγελίας. Gal. 4. v. 28. τέκνα ὀργῆς Eph. 2. v. 3. τέκνα φωτὸς Eph. 5. v. 8. τέκνα ὑπακοῆς. 1 Pet. 1. v. 14. ** Luc. 7. v. 29. *Publicani juſtificaverunt Deum* ἐδικαίωσαν *baptizati a Iohanne*, hoc eſt, pronunciarunt Deum juſtum, tribuerunt ei laudem ſapientiæ & juſtitiæ, peccatorum humili confeſſione & Baptiſmi ſuſceptione. In eadem ſignificatione accipitur Pſ. 51 v. 6. *Vt juſtificeris in ſermonibus tuis*, i. e. ut laus juſtitiæ tibi tribuatur. Luc. 10. v. 29. *Legiſperitus ſeipſum juſtificabat*, h. e. laudem juſtitiæ ſibi arrogabat, eodem modo uſurpatur cap. 16. v. 15. Jac. 2. v. 21. *Abraham ex operibus juſtificatus eſt*, h. e. juſtus declaratus. ** צדק in kal ſignificat *juſtitiam habere, juſtum eſſe* poſitivè. Exempla ſunt Pſal. 19. v. 10. Pſal. 143. v. 2. Job. 9. v. 20. 1. In Joho frequenter uſurpatur de juſtitia inhærente, quæ eſt novæ obœdientiæ ſeu bonæ conſcientiæ c. 13. v. 18. c. 34. v. 5. ubi diligenter obſervare jubet Chemnitius juſtitiam illam inhœrentem in Jobi Hiſtoria premi cruce & tentationibus, ne inducat perſuaſionem Phariſaicam. 2. nec tantū neutraliter, ſed ſemel etiam activè ſumitur pro juſtè agere Job. 33. v. 9. & 12. 3. ſemel etiam de juſtitia fidei. Eſai. 45. v. ult. 4. & pulcerrima eſt obſervatio, quod juſtitia fidei ſeu Evangelica reſpectu noſtri ſit in tertia coniugatione id eſt imputativa, reſpectu v. Mediatoris eſt in prima coniugatione id eſt poſitiva. Utramque ſignificationem Latini, notant terminis à vel *coram Domino & in Domino*. Si dicimur *juſtificari* à vel *coram Domino* tunc eſt in tertia coniugatione & ſignificat *nos abſolvi* vel *juſtos pronunciari*. Si v. dicimur *juſtificari in Domino* tunc eſt in prima coniugatione & ſignificat *nos* poſitivè *juſtos eſſe* ſed *in Domino*. 2. Cor. 5. v. ult. 1. Cor. 1. v. 30. צדק in Piel notat *tribuere ſibi* vel *alteri juſtitiam* Jerem. 3. v. 11. Job. 32. v. 2. c. 33. v. 32. Ez. 16. v. 51. הִצְדִּיק in Hiphil ſignificationem habet forenſem atque idem eſt quod in iudicio aliquem *abſolvere & juſtum pronunciare*, ſive id veri fiat, ſive falsò, ſive de Deo dicatur, ſive de creaturis, quemadmodū contrarium הִרְשִׁיעַ *improbificare* ſeu *malificare* non eſt ex bono malum facere, ſed malum vel reum aliquē habere, condemnare הִצְטַדֵּק in Hithpaël ſignificat *ſeipſū juſtificare* δικαιολογεῖν *cauſæq; bonitatem aſſerere* & ſemel tantùm uſurpatur Gen. 44. 16. ſic ergo in nulla coniugatione ſignificat iuſtitiam infundere.

Significatio forenſis demonſtratur,

4. In articulo Juſtificationis hoc verbum habet forenſem ſeu judicialem ſignificationem, quæ & aliàs vulgatiſſima eſt, quod ſequenti confirmatum damus argumento: Quodcunque vocabulum notat actum judicialem & opponitur condemnationi, cujus inſuper cognata & æquipollentia ſunt judicialia, illud forenſem habet ſignificationem. Atqui vocabulo Juſtificationis priora omnia competunt. Ergò etiam poſterius haudquaquam ei denegandum. Minorem confirmamus 1. notat actum judicialem, non ſolùm extra doctrinam Juſtificationis gratuitæ coram Deo, ſed etiam in ipſo Juſtificationis articulo. Prioris membri exempla paſſim ſunt obvia. Eſa.5 v.23. *Vallis, qui juſtificant impium propter munera* מַצְדִּיק δικαιοῦντες iuſtum pronunciantes. Deut.25.v.1. *Si fuerit cauſa inter aliquos & venerint in judicium, judicent eos, juſtificent juſtum*, i.e. abſolvant juſtam cauſam habentē, *& condemnent* (הַרְשִׁיעַ Harſchiah, q. d. improbificent) *impium*. 2.Sam. 15. verſ. 4. *Quis me conſtituat judicem ſuper terram, ut ad me veniant omnes, qui habent litem & judicium & juſtificem eos.* Pſ.82.v.3. *Judicate pauperi & pupillo, pauperem & egenum juſtificate.* Eſ.43. v.9. *Dent teſtes ſuos & juſtificentur.* Poſterioris membri exempla hæc ſunt. Pſal.143.v.2. *Ne intres in judicium tuū cū ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Job.9.v.2. *Scio, quòd non juſtificetur homo comparatus Deo.* v.3. *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei unum reſpondere pro mille.* Luc.18.v.14. Publicanus ſeipſum accuſans & precibus à Deo veniam petens, dicitur *Juſtificatus*, i.e. abſolutus à peccatis *deſcendiſſe in domum ſuam*, ita quoque Lyranus exponit: ** Pſal.143.v.2. non modo fit mentio judicii, ſed & forenſem ſignificationem in verbo *Juſtificari* evincit conſequentia argumentationis Davidicæ. Si juſtificare ſignificaret infundere juſtitiam, nulla eſſet in verbis Davidis conſequentia, ſiquidem ſi Deus cum ſervo ſuo maximè intraret in judicium, tamē poſſet illi Deus juſtitiam infundere. ** Si quis obvertat, juſtificari in Scripturis etiam accipi pro eo quod eſt *approbare, teſtificari, agnoſcere, celebrare, confiteri ut juſtum, tribuere & arrogare juſtitiæ laudem*, proinde non videri ſignificationem hujus vocabuli perpetuò forenſem eſſe, illi reſpondet D.Chemn.part.2.locor. de Juſtif. cap.6.p.628. *Juſtificare in hac ſignificatione tria complecti.* 1. *accuſatum & in judicium deductum abſolvere ab intentato crimine, ne judicialiter condemnetur.* 2. *pro juſto cenſere, pronunciare, recipere & acceptare.* 3. *ita juſtificatis tribuere laudem, teſtimonium & præmia, quæ juſtis & innocentibus debentur*: Proinde ut in omnibus linguis vocabula à ſpecie transferuntur ad genus, ita quoque in hac ipſa Juſtificationis voce contingere, ut γενικῶς in quibuſdam Scripturæ dictis uſurpetur pro celebratione, confeſſione, teſtimonio & arrogatione juſtitiæ, ut ex allegatis Scripturæ locis patet. Breviter, vox Juſtificandi propriè & in genere eſt, iuſtum aliquem pronunciare, ſive is revera iuſtus ſit ſive iniuſtus. Ad Deum relatum uſurpatur vel activè, pro eo quod eſt à peccatis abſolvere & iuſtum pronunciare, vel paſſivè, pro eo, quod eſt Dei iuſtitiam ab aliis agnoſci & prædicari.

2. Quia opponitur condemnationi.

5. 2. Quia opponitur condemnationi, idque itidem non ſolùm extra doctrinam Juſtificationis gratuitæ coram Deo, ſed etiam in ipſo Juſtificationis articulo. Jam verò oppoſita ſunt ſub eodem genere. Prioris membri exempla occurrunt, Deut.25. v.1. *Si fuerit cauſa inter aliquos, juſtificent juſtum & condemnent improbum.* 1.Reg. 8. v. 32. *Judices ſervos tuos condemnando impium & juſtificando juſtum.* Prov.17.v.15. *Qui juſtificat impium & condemnat iuſtum, abominatio uterque eſt coram Deo.* Mat.12.v.37. *Ex verbis tuis iuſtificaberis*, i. e. iuſtus declaraberis, *vel condemnaberis.* Poſterioris membri exempla ſunt, Rom. 5. v. 16. *Judicium quidem ex uno in condemnationem* εἰς κατάκριμα, *gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem* εἰς δικαίωμα. Rō. 8.v.33.& 34. *Quis intentabit crimina adverſus electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis eſt, qui condemnet?* Ut ergò הַרְשִׁיעַ Harſchiah, eſt improbitatis & impietatis aliquem damnare: ita הִצְדִּיק Hizdik, eſt à culpa abſolvere & iuſtum pronunciare. Excipit Bellarm. lib.2.de Juſtif.c.3. iuſtificationem rectè opponi condemnationi, & tamen non ideò ſemper eſſe forenſe vocabulum, *cùm ipſa etiam condemnatio interdū ſit actus iudicis deputantis ad pœnam eum, qui in iudicio reus inventus eſt, interdum autem effectus culpa quæ pœnam commeruit, ſiquidem & Adam nos condemnavit & Deus: ſed Adam nos condemnavit non iudicando nec modo forenſi, ſed imprimendo culpam originalem. Deus autem damnavit, iudicando: ita Chriſtus ſecundus Adam nos primò iuſtificat delendo peccata & infundendo gratiam, ſecundò in die iudicii nos iuſtificabit declarando iuſtos.* Reſpond. Sufficit cauſæ noſtræ, quod Bellarminus fatetur, quotieſcunque condemnatio deſcribitur tanquam actus DEI, tunc ſignificationem vocis eſſe forenſem; Subſumimus enim, In omnibus illis locis condemnatio tribuitur Deo tanquam iuſto iudici & in oppoſitione dicimur iuſtificari fide in Chriſtum, ergò iuſtificatio in illis dictis habebit ſignificationem forenſem. Probandum autem erat Bellarmino, non nudè aſſerendum, quòd cōdemnatio alicubi non ſit forenſe vocabulum. In dicto Apoſtolico Rom.5. nihil ſubſidii inveniet pro ſtabilienda illà altera condemnationis ſignificatione, fatetur enim ipſemet, condemnationem eo in loco ſignificare actionem iudicis, quæ non poteſt eſſe non forenſis & iudicialis, aliam igitur quærit elabendi rimam, ſic ſcribens. *Quamvis condemnatio & iuſtificatio alicubi ſignificent actionem iudicis, ut in illo loco citato, iudicium ex uno in condemnationem &c. tamen quando Deus iuſtificat impium declarando facit iuſtum, quoniam iudicium eius ſecundùm veritatem eſt.* Reſp. Omninò iudicium Dei iuſtū eſt, quando propter imputatam per fidem Chriſti iuſtitiam hominem iuſtificat, quemadmodum etiam iuſtum fuit eius iudicium, quando propter peccata noſtra percuſſit Filium ſuum, ſed ex eo non debet nec poteſt inferri, quod per aut propter inhærentem iuſtitiam nos iuſtificet, aliàs non impius, ſed iuſtus iuſtificaretur, cuius contrarium pronunciat Apoſtolus Rom. 4. verſ. 5. quâ de re poſtea plura.

3. Quia ejus cognata ſunt forenſia.

6. 3. Quia totus iuſtificationis actus deſcribitur per verba forenſia. Exprimitur enim *Judicium* Pſ.143.v.2. *Judex* Joh. 5.v.27. *Tribunal* Rō. 14.v.10. *Reus* Rō.3.v.19. *Accuſator* Joh.5.v.45.

Teſtis

Teſtis Rom.2.v.15. *Chirographum* Col.2. v.14. *Debitum* Matth.18.v.24. *Advocatus* 1.Joh.2.v.1. *Abſolutio* Pſal.32. v.1. Lex coram Dei judicio accuſat peccatorem, ut fiat *ὑπόδικος*. *Obnoxius Deo* Rom.3.v.19. conſcientia *συμμαρτυρεῖ Teſtimonio ſuo comprobat hanc legis* accuſationem Rom.2.v.15. Cumque per peccatum tota hominis Natura & omnia ejus opera ſint miſerè contaminata, ideò nihil invenit, quod judicio Dei opponere poſſit, lex igitur fulmen maledictionis & condemnationis in hominem peccati convictum vibrat, ſed Evangelium monſtrat Chriſtum Mediatorem, qui perfectiſſimâ ſuâ obœdientiâ pro debitis peccatorum noſtrorum ſatisfecerit, ad hunc peccator territus & voce legis dãnatus verâ fide confugit, hanc Chriſti juſtitiam judicio Dei & accuſationi Legis opponit ac hujus reſpectu & imputatione juſtificatur, hoc eſt, à ſententia damnationis abſolvitur & juſtus pronunciatur. Per hunc judicialem proceſſum deſcribit Apoſtolus Juſtificationis articulum, ut contra Epicuræas & Phariſaicas peccati extenuationes eum muniat. Epicuræi opinantur, peccatoris juſtificationem eſſe rem valdè levem, ideò peccatum non admodùm curant. Phariſæi perſuaſionem propriæ juſtitiæ induunt, quâ coram Deo conſiſtunt, ſed quando ſub imagine judicialis proceſſus corã tribunali Dei doctrina Juſtificationis proponitur, Epicureæ & Phariſaicæ illæ cogitationes facilè evaneſcunt. 1. Cor. 4.v.4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus, qui enim me judicat, Dominus eſt.* Hæc omnia non niſi in ſeriis pavoribus & angoribus conſcientiæ rectè intelliguntur.

4 Quia æquipollentia habet judicialia 7. 4. Quia æquipollentes phraſes itidem ſunt judiciales. Juſtificari n. eſt *non vocari in judicium* Pſal.142.v.2. *non condemnari* Joh.3.v.18. *non venire in judicium* Joh.5.v.24. *non judicari* Joh.3.v.18. Publicanus deſcendebat juſtificatus in domum ſuam, *abſolutus ſc. à peccatis*, quorum remiſſionem ſeriis gemitibus fuerat precatus Luc.18. v.14. Apoſtolus Paulus juſtificare exponit per *imputare juſtitiam* Rom.4.v.3. *fidem imputare ad juſtitiam* v.5. *tegere iniquitates, non imputare peccatum* v.7. *remittere peccata* Rom. 3.v.25. *condonare peccata.* Coloſſ.2.v.15. Pertinent etiam hûc ſequentes phraſes, *Deo reconciliari* Rom.5.v.10. *juſtum conſtitui* v.19. *benedictionis participem fieri* Eph.1.v.3. *remiſſionem peccatorum accipere* Actor.10.v.43. *ſalvum fieri* Act.4.v.12. Cumprimis verò elegans hypotypoſis juſtificationis noſtræ proponitur in parabola ſervuli, qui decem millia talentorum Domino ſuo debens & debiti remiſſionem & pœnæ relaxationem ab ipſius gratia impetrat Mat.18.v.27.

Dicta veterum forenſem ſignificationem comprobantia. 8. Veteres Scriptores licet quandoque diſputationum curſu abrepti de ſignificatione vocabuli ex Grammatica compoſitione judicent, tamen evidentiâ dictorum Scripturæ convicti, præſertim in precibus, meditationibus & ſoliloquiis, quando proceſſum illum judicialem corã Dei tribunali ſibi proponunt, genuinam Juſtificationis ſignificationem deprehendunt Juſtinus in Dial. cum Tryph.p.207. *Bonitas & humanitas Dei & immenſitas divitiarum ejus pœnitentiã agentem reſipiſcentemque à peccatis prout per Ezechielem indicat, perinde atque juſtum, quique peccatum non admiſerit, habet.* In Epiſt. ad Diognet.p.386. *In quo alio nos iniqui & impii pro juſtis haberi poſſumus, quã in ſolo Filio Dei? (ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ) ô dulcem permutationem! ô impervestigabile artificium! ô beneficia expectationem omnem ſuperantia! ut iniquitas quidem multorum in juſto uno abſcondatur, juſtitia autem unius faciat, ut multi injuſti pro juſtis habeantur.* Ambroſ. in c.3.Rom. *Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſolâ fide juſtificati ſunt dono Dei.* in c.4.Rom. *Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nulla ab his pœnitentia requiſita opera, niſi tantùm ut credãt.* in c.8.Rom. *quomodo implebitur in nobis juſtificatio, niſi cùm datur remiſſio omnium peccatorum.* Id.ſerm.3.in Pſ.118. *Qui dicit peccata ſua, juſtificatur.* (Bellarm.l.2.de Juſtif.c.13. regerit, *peccati remiſſionem eſſe ipſam juſtitiæ infuſionem*, quâ de re ſuo loco plura) Hier.l.1. contr. Pelag. *Tunc juſti ſumus, quando nos peccatores fatemur, & juſtitia noſtra non ex proprio merito, ſed ex Dei conſiſtit miſericordia.* Aug l. de Spiritu & lit.c.26. *factores legis juſtificabuntur, i.e. juſti habebuntur ac deputabuntur.* l.19. de civ. Dei.c.27. *Ipſa noſtra juſtitia, quamvis vera ſit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tanta tamen eſt, ut potiùs peccatorum remiſſione conſtet, quã perfectione virtutũ. Teſtis eſt oratio totius civitatis Dei, quæ peregrinatur in terris, per omnia quippe membra ſua clamat ad Deum: Dimitte nobis debita noſtra* (Bellarm. excipit l.2.de Juſtif.c.13. *Non excludi perfectionem virtutis, quò minùs ex parte juſtificatio ei tribuatur, cũ dicatur juſtitia vera.* Reſ. Juſtitia novæ obœdiẽtiæ in renatis eſt vera juſtitia reſpectu juſtitiæ Philoſophicę, quę nõ procedit ex fide, nec refertur ad debitum finẽ; interim tamen nõ poteſt coram Dei judicio ſubſiſtere, cùm ſit imperfecta & immũda, adeò ut Sancti in medio curſu bonorũ operũ indigeãt remiſſione peccatorũ Idem l.2. contra Julian. Pelag. *Juſtificatio porrò in hac vita ſecundùm tria illa confertur primò lavacro regenerationis, quo remittuntur cuncta peccata: deinde congreſſione cum vitiis, à quorum reatu abſoluti ſumus; tertiò dum noſtra exauditur oratio, quâ dicimus, Dimitte nobis debita noſtra.* in Pſ.31. *Si juſtificatur impius, ex impio fit juſtus, ſed quomodo? nihil boni feciſti & datur tibi remiſſio peccatorum. Attenduntur opera tua & inveniuntur omnia mala, ſi quod debetur illis operibus, Deus redderet, utiq; damnaret. Quid ergo fit? non reddit tibi Deus debitã pœnã, ſed indebitam gratiam: debebat vindictã, dat indulgentiam.* Ibidem. *Qui ſunt beati? non in quibus non invenerit Deus peccatũ, nam in omnibus invenit, omnes enim peccaverunt & egent gloriâ Dei. Si ergò in omnibus peccata inveniuntur, remanet, ut non ſint beati, niſi quorũ remiſſa ſunt peccata. Hoc ergò Apoſtolus ſic commendavit: Credidit Abrahã Deo & imputatũ eſt ei ad juſtitiam.* Id. in Pſ.54. *Chriſtus juſtificat impium, quomodo autem juſtificat impium, niſi credentem & confitentẽ.* in Pſ.118. *in via fidei pro non peccatoribus habẽtur, quibus peccata non imputantur.* Cyrill. in c.6.Joh. *Fides ſalutem affert & gratia juſtificat, mandata verò legis condẽnant magis.* Oecumen. in cap.3.Rom. ex veteribus. *juſtitia Dei eſt juſtificatio ex Deo, abſolutio & liberatio à peccatis, à quibus lex ipſa abſolvere non potuit nec voluit. Itẽ. quomodo fit juſtificatio? per remiſſionẽ peccatorum, quã in Chriſto conſequimur.*

Bern-

Digitized by Google

Bernhardus ſerm. 1. de annunc. B. Mar. col. 106 Si credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur &c. Sic enim arbitratur Apoſtolus, hominem gratis juſtificari per fidē. Idem ſerm. 23. in Cant. O ſolus verè beatus cui non imputavit Dominus peccatum. Nam quis non habuerit peccatum? Nemo, omnes enim peccavervnt & omnes egent gloria Dei. Quis accuſabit tamen electos Dei? ſufficit mihi ad omnem juſtitiā ſolum habere propitium, cui ſoli peccavi. Et poſtea. Non peccare Dei juſtitia eſt, hominis juſtitia Dei indulgentia. (Bellarm. l. d. regerit, nunquam remitti culpam, quin ſimul infundatur juſtitia. Reſp. ſit ſanè interim ex eo non ſequitur, quòd infuſio juſtitiæ, hoc eſt, renovatio interior ſit formaliter ipſa peccati remiſſio, ſed eſt ejus conſequens, ut ex ſequentibus erit manifeſtum.) Epiſt. 190. Ubi reconciliatio, ibi remiſſio peccatorum & quid ipſa niſi juſtificatio. Gloſſa in cap. 8. Rom. juſtificavit ſcilicet remiſſione peccatorum. Gerlon paſſim præcipit, ut peccator provocet à throno juſtitiæ ad thronum miſericordiæ divinæ. Lombard. 3. ſent. diſt. 19. §. 1. A Diabolo & a morte per Chriſti mortem liberati ſumus, quia ut ait Apoſtolus, in ſanguine ipſius juſtificati ſumus, & in eo, quod ſumus juſtificati, id eſt, a peccatis ſoluti, a Diabolo ſumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat. Et poſtea. Dicimur quoque & aliter per mortem Chriſti juſtificari, quia per fidem mortis ejus à peccatis mundamur. Unde Apoſtolus juſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti. Item, Quem Deus propoſuit propitiatorium per fidē in ſanguine ipſius, id eſt, per fidem paſſionis, ne olim aſpicientes in ſerpentem aeneum in ligno erectum a morſibus ſerpentum ſanabantur. Si ergò rectè fidei intuitu in illum reſpicimus, qui pro nobis pependit in ligno à vinculis Diaboli ſolvimur, id eſt, à peccatis. Agnoſcunt hoc quidam ex ipſis adverſariis, ſic enim Pineda in c. 4. Jobi. Juſtificare ſignificans juſtum declarare, eſt verbū forenſe. Rom. 8. Deus eſt, qui juſtificat impium, quis condemnet? Vega lib. 5. de Juſtific. c. 3. Aliquando juſtificari idem eſt, quod pronunciari juſtum, ut Rom. 6. ubi dicit, enim qui mortuus eſt peccatis, per baptiſmum juſtificatum eſſe à peccatis, quod eſt abſolutum eſſe vocabulum forenſe. Tolet. in c. 2. Rom. hanc ſignificationem in Scripturis dicit eſſe frequentiſſimam. Tilet. In confut. Antverpiēſis Confeſſionis in c. de Juſtif. fatetur, verbum juſtificandi plerunque ſignificare abſolvere, non autem infuſis novis qualitatibus reipſa juſtum facere, quod addit ex c. 5. Rom. manifeſtum fieri: quod apud Paulum ſignificat reipſa juſtum facere, de eò paulò poſt videbimus. Alph. Salmeron tom. 3. comm p. 342. agnoſcit prætet primam & ſecundam (quam alii Pontificii ſtatuunt) eſſe tertiam juſtificationem, cùm quis ſententia judicis abſolvitur & pronunciatur juſtus, ſed addit, quod non niſi poſt hanc vitam juſtis contingat (imo verò cum in hac vita detur peccatorū remiſſio, utique etiam illa juſtificatio ſive abſolutio) Ipſe Bellarminus ſui oblitus 1. de Poenit. c. 10. §. Promiſſionem: Quid eſt remiſſio peccatorū niſi Iuſtificatio? l. 1. de Sacramentis. c. 9. §. Solum: habet analogiam exterior abſolutio, quæ ore pronunciatur (in Sacramento poenitentiæ) cum interna juſtificatione, quæ a Deo efficitur (Atqui miniſter abſolvens non infundit juſtitiam, ſed forenſi ſignificatione juſtificat, h. e. abſolutum pronunciat poenitentem. Ergo ut ſibi conſtet analogia, etiam interior juſtificatio, quæ efficitur à Deo in abſolutione à peccatis ſive in remiſſione peccatorum conſiſtet.)

Aſſenſus quorundā adverſariorum.

9. His non obſtannibus Pontificii juſtificare exponunt per τὸ infundere juſtitiam, Cenſ. Coll. fol. 157. Mirum eſt, cùm Monhemius Grammaticen & Ariſtotelem profiteatur, non potuiſſe ex utraque ſcientia juſtificationis etymon aut veram ſignificationem deprehendere, ut ad Hebraiſmum confugiendum fuerit. Coſter. in Ench. p. 257. Iuſtificare eſt juſtū facere ſeu juſtitiā dare, ſicut calefacere eſt calidum facere ſeu calorem dare. ** Thom. 1. 2. q. 113. art. 1. Iuſtitia paſſivè accepta importat motum ad juſtitiam ut calefactio motum ad calorem, hoc a. fit ſecundùm rationem motus à contrario & ſic juſtificatio importat tranſmutationē à ſtatu injuſtitiæ ad juſtitiā & hoc modo hic loquimur de Iuſtificatione, & quia motus magis denominatur à termino ad quē, ideò hæc trāſmutatio dicitur juſtificatio impij. &c. ** Nobis res erit cū Bellarm. is 1. de Juſtif. c. 1. ſcribit, Iuſtificationis nomen in ſacris literis multis modis accipi. 1. Pro ipſa lege, quæ juſtitiam docet Pſ 118. Iuſtificationes tuas cuſtodiam. 2. Pro acquiſitione juſtitiæ, 1. Cor. 6. hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis. ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis, Rō. 8. quos vocavit, hos Iuſtificavit. c. 4. Credenti in eū, qui juſtificat impiū. 3. Pro incremēto juſtitiæ quo quis ex juſto fit juſtior, Eccl. 18. Ne verearis uſq; ad mortē juſtificari. Jac. 2. Videtis, quod ex operib. juſtificetur homo, & non ex fide tantùm Apoc. 22. Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. 4. Pro declaratione juſtitiæ modo quodam forenſi. Prov. 17. Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt apud Dominum, Eſai. 5. Væ qui juſtificatis impium, &c. ** (Becanus in altera parte diſputationis ſuæ de Juſtificatione Catholicorum c. 1. corrigens Bellarm. duntaxat tripliciter in ſacris literis hoc vocabulum uſurpari docet, probè animadvertens, primam ſignificationem à Bellarm. allatam eſſe ſpuriam, propterea ꝙ non ex fontib. Hebrææ linguæ, ſed ex vitioſa vulgata verſione eſt deducta.) **

Antitheſis: Iuſtificationem ſumi pro infuſione juſtitiæ.

10. Ex his ſignificationibus omnibus quartam tantum propriam & dictis Scripturæ de noſtra corā Deo juſtificatione agentibus convenientē judicamus. Reſpond. igitur 1. Pſ. 119. haberi vocabulum חֻקִּים Chykkim quod LXX. verterunt δικαιώματα, Latinus Interpres juſtificationes, ſatis incommodè, rectiùs enim vertitur ſtatuta, mandata &c. quæritur autem hoc loco, non quomodo Interpres Latinus hoc vocabulo ſit uſus, ſed quomodo in Hebræo & Græco textu propriè uſurpetur. 2. In dictis illis, quæ pro ſecundâ vocabuli ſignificatione demonſtranda adducuntur, vox juſtificationis itidem modo forenſi accipitur pro abſolutione & peccatorum remiſſione, ut oſtendit propria ſedes hujns articuli, ex qua de genuina vocabuli ſignificatione judicium fieri debet, 1. Corinth. 6. v. 11. præcedenti enumerationi ſcelerum opponit Apoſtolus beneficia, quibus Corinthii ad Chriſtum converſi fuerint affecti. Sordibus antegreſſæ vitæ opponitur ablutio, contaminationi ſanctificatio, reatui & condemnationi juſtificatio. Quid quod Juſtificatio à ſanctificatiune diſtinguitur, quomodo igitur eadem eſſe poterunt? per ſanctificationem acquiritur juſtitia novæ oboedientiæ, ſed juſtificatio conſiſtit in remiſſione

Pſ. 119. Iuſtificationes tuas cuſtodiam

1. Cor. 6. Iuſtificati eſtis.

ne

ne peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti, idcò notanter addit Apoſtolus; *Juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti*, cũ quo confer. Act. 4. v. 12. *non eſt aliud nomen ſub cœlo datũ in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Act. 10. v. 43. *huic* (Jeſu Nazareno) *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Actur. 13. v. 38. *per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur & ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moſis juſtificari.* Ex quo apparet, juſtificari in nomine Chriſti, nihil aliud eſſe, quàm fide in Chriſtum accipere peccatorum remiſſionem, ab accuſatione Legis abſolvi & ſalutis participem fieri. Plura de hoc loco inferiùs. 3. Rom. 8. verſ. 30. itidem non pro infuſione juſtitiæ, ſed pro remiſſione peccatorum voa Juſtificandi accipitur, quod & Gloſſa ordinaria agnoſcit; modum juſtificationis cap. 3. & 4. præcedente ſatis clarè expoſuit Apoſtolus, ut non opus ſit dubiis conjecturis, quomodo vocabulum Juſtificandi acceptum velit. Adde quòd immediatè ſubjungit verſ. 33. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt, qui juſtificat.* v. 34. *Quis eſt, qui condemnet* &c. ubi ipſa oppoſitio juſtificationis & condemnationis judicialem hujus verbi ſignificationem evidenter probat. 4. Idem judicium eſto de dicto Rom. 4. v. 5. Oſtendit enim ſeries textus, juſtificationem ibidem deſcribi per imputationem juſtitiæ & peccatorum remiſſionem; *Et qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam. ſicut & David beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus.* Principium igitur petit Bellarminus, dum dicta hæc de juſtitię infuſione accipienda ſtatuit. 5. Eccleſ. 18. v. 22. in Græco ſic legitur, μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι. *Non expectes uſque ad mortis tempus juſtificari & Deo reconciliari, ſed in tempore peccatorum oſtende converſionem tuam,* ut habent præcedentia, hoc eſt, dum adhuc peccare potes, abſtine à peccatis & emenda vitam tuam, aliàs non relinquis peccata, ſed peccata te deſerunt, ac multi ſubitaneâ morte abrepti ſunt antequam pœnitentiam agere poſſent. Nihil hic de incremento juſtitiæ audis, interim non negamus, juſtitiam novæ obœdientiæ ac renovationem quotidiè creſcere debere, ſed in ea non conſiſtit noſtra corã Deo juſtificatio. 6. Jac. 2. v. 20. Juſtificari accipitur pro declaratione juſtitiæ, ut ſuo loco confirmatum dabimus, & agnoſcit Thom. Aquin. in cap. 3. Galat. 7. Apoc. 22. v. 11. diſtinguitur juſtificatio à ſanctificatione. Ergò non eſt par utriuſque ratio; abſit n. ut otioſam ταυτολογίαν textui tribuamus. Vocabulum ἔτι aut actus cujusdam incrementum, aut ejusdem continuationem & perſeverantiam vel reiterationem notat. Priori modo accipitur in ſanctificatione, poſteriori verò in juſtificatione. ** Multi Pontificii accipiunt hunc locum de juſtificatione ſecunda, quæ ab ipſis definitur non per *juſtitiæ infuſionem*, ſed *bonorum operum exercitium*, cum quibus Bellarminus tranſigat. ** Lutherus vertit, Wer fromm iſt/ der ſey immer hin fromm. τὸ ἔτι non ponitur pro μᾶλλον vel πλέον, ſed pro πρότερον. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.* 1. Per continuationem, hoc eſt, qui fide corã Deo juſtificatus, nõ deſiſtat petere remiſſionẽ peccatorũ quotidiè, cũ in carne adhuc habitet peccatum, cujus remiſſio & mortificatio omnibus renatis quotidiè neceſſaria. Ut remiſſio peccatorum ita quoque juſtificatio noſtra renovatur indies ac fides non tantùm in primo initio, ſed quotidiè imputatur credenti ad juſtitiam. Gregor. in Cant. cap. 4. *Quamvis anima mox ut peccat, à juſtitia deviet, tamen dum ſemper credit in eum, qui juſtificat impium, & aſſiduè ſub ejus fide peccata ſua deflet, per aſſiduas ablutiones juſtitiam ſuam retinet.* 2. Per reiterationem. Si in peccata fuerit prolapſus, verâ pœnitentiâ ad Deum redeat, ut à peccatis abſolvatur. Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, hoc eſt, pergat & creſcat in ſanctificatione, ſive ut Apoſtolus loquitur 2. Cor. 7. v. 1. *perficiat ſanctificationem.* Quod ſi vel maximè de juſtitia novæ obœdientiæ locus acciperetur, hoc ſenſu, quòd renatos quotidiè oporteat creſcere & proficere in ſanctitate & juſtitia novæ obœdientiæ ex auditu verbi (quo ſenſu accipit Brentius in Confeſſ. Wirtenb. pag. 287.) nihil tamen accederet cauſæ Pontificiorum; nondum enim ex eo ſequitur, quod illud ſtudium novæ obœdientiæ ac legalis juſtitiæ ſit noſtra coram Deo valens juſtitia, cùm fide non operibus, ea Evangelio & non ex Lege nos juſtificari Scriptura aſſerat. Quinimò cùm juſtitiam, quæ coram Deo valere debet, oporteat eſſe numeris omnibus perfectam, ex eo manifeſtum eſt, juſtitiam novæ obœdientiæ, quam oportet quotidiè creſcere, quæque ex eo imperfectionis convincitur, non eſſe eam, quâ coram Deo juſtificamur. Priorem explicationem, utpote analogiæ fidei & textui magis congruam præferimus.

Rom. 8. *Quos vocavit, hos & juſtificavit.*

Rom. 4. *Credenti in eum, qui juſtificat impium.*

Eccleſ. 18. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.*

Jac. 2. *Abraham ex operib. juſtificatus.* Apoc. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc.*

11. Nihil igitur ſubſidii ea his dictis peti poteſt ad infuſionem, vel incrementum juſtitiæ, id eſt, habitualem vel actualem juſtitiam comprobandam, quarum illam in infuſione qualitatum, hanc in operibus bonis collocant, illam vocant juſtificationem primam, hanc verò ſecundam, aliam igitur quercum excutit Bellarminus & lib. 2. de Juſtif. c. 3. tria producit teſtimonia, ex quibus demonſtrare conatur, *juſtificari per Chriſtum*, non eſſe haberi aut pronunciari juſtum, ſed verè fieri juſtum per adeptionem inhærentis juſtitiæ perfectę. 1. Rom. 5. v. 19. *Sicut per unius inobœdientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obœdientiam juſti cõſtituentur multi*, ubi urget phraſin conſtitui juſtum & antitheſin Adami & Chriſti. ** (Idem facit Becanus p. 1. de Juſtif. c. 2. ſ. 14. *Quemadmodum per inobœdientiam Adæ injuſti ſumus conſtituti, ita per obœdientiam Chriſti conſtituimur juſti. At per Adæ inobœdientiam non formaliter ſed efficienter & meritoriè duntaxat conſtituimur injuſti Ergo etiam per obœdientiam Chriſti non formaliter ſed efficienter & meritoriè duntaxat juſti conſtituimur.*) ** *Per inobœdientiam Adami cõſtituti ſumus injuſti injuſtitiâ in nobis verè & realiter inhærẽte, non autẽ imputatâ. Ergò eodẽ modo per obœdientiã Chriſti conſtituimur juſti, juſtitia nobis inhærente.* Reſp. 1. manifeſta eſt in textu Apoſtolic. oppoſitio inter juſtificationem & condemnationem, & quidem bis repetita v. 16. & 18. Cùm autem oppoſita ſint ſub eodem genere, irrefragabiliter ex eo evincitur, juſtificationem non minùs eſſe actum judicialem, quàm eſt condemnatio. 2. Regerit Bellarm. *Adamum nos condemnaſſe non modo forenſi, nec judicando ſed im-*

Rom. 5. *Per unius obœdientiam juſti conſtituuntur multi.*

pri-

primendo culpam originalem: ita quoque Chriſtum nos juſtificare delendo peccata & gratiam infundendo. Reſp. condemnatio in verbis Apoſtolicis haudquaquam tribuitur Adamo, ſed indefinitè Apoſtolus pronunciat. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, h. eſt, ſicut per Adami delictum in omnes propagatur peccatum, quod illis cedit in condemnationem, coram Deo, propter quod juſtiſſimè à Deo condemnantur (niſi fiat reconciliatio) ita per unius Chriſti meritum propagatur in omnes vera juſtitia & ſalus, ut ex fide juſtificentur. 3. Quare ut condemnatio nunquam fit extra actũ forenſem, ita nec juſtificatio coram Deo ac proinde non poteſt pro infuſione gratiæ ſumi. Ambroſius in hoc loco. *Uno Adæ peccato condemnati ſunt, qui in ſimilitudinem prævaricationis ejus peccârunt, gratia verò Dei per Chriſtum non ex uno delicto, ſed ex multis juſtificavit homines dando illis remiſſionem peccatorum.* Et poſteà. *Sicut per unius delictum omnes condemnationem meruerunt ſimiliter peccantes: ita & in juſtitia unius omnes juſtificabuntur credentes.* 4. Juſtum conſtitui & juſtificari habentur ab Apoſtolo pro æquipollentibus, tàm ergò juſtum conſtitui opponitur condemnationi quàm juſtificari & proinde utrumque habet furenſem ſignificationem. Verbum enim Conſtituendi ſignificat hæc agi coram judicio Dei Roman. 10. v. 3. *propriam juſtitiam conantur ςῆσαι & juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Qui coram Dei judicio propriam juſtitiam erigere & conſtituere laborant, nec ſe humiliant, ut aliam juſtitiam, quam Deus propoſuit, quærant, non ſunt ſubjecti juſtitiæ Dei, hoc eſt illi juſtitiæ, quam Deus in judicio ſuo approbat. Quemadmodum *Deus fecit*, ſive conſtituit *Chriſtum peccatum, ita nos reddimur* ſive conſtituimur *juſti*, 2. Cor. 5. v. ult. utrumque fit per actum quendam judicialem. Adde quòd in hoc cap. 5. v. 9. & 10. idem ſtatuit eſſe juſtificari & reconciliari Deo per ſanguinem Chriſti. Atqui reconciliatio illa ſignificat peccatorum remiſſionem, receptionem in gratiam &c. 5. Peccat Bellarminus extendendo dictum Apoſtolicum ultra collationis tertium. Apoſtolica collatio talis eſt. Ut condemnatio eſt ab Adamo pet peccatum, ita juſtificatio eſt à Chriſto per obœdientiam. Nec ulteriùs hîc progreditur Apoſtolus, cùm applicationis modum in præcedentibus docuerit, videlicet, fide juſtitiam Chriſti nobis imputari cap. 3. & 4. peccatum vero Adæ carnali generatione in nos propagari. **Comparatio inter inobœdientiam Adæ & obœdientiam Chriſti non inſtituitur ſimpliciter ſed ſecundùm quid, nimirum quoad originem & ipſam propagationem tàm condemnationis quàm juſtificationis, non autem quoad modum propagationis, aliàs ſequeretur Chriſti juſtitiam pet carnalem propagationem propagari. Conſiderat Apoſtolus 1. ſalutis ac condemnationis noſtræ cauſas, ſicut enim condemnatio ab Adami inobœdientia, ita ſalus ab obœdientia Chriſti. 2. obœdientiæ & inobœdientiæ *effecta*, ſicut enim per inobœdientiam Adæ conſtituuntur peccatores: ita per obœdientiam Chriſti conſtituuntur juſti. 3. *utrimque ſubjecta.* Sicut enim inobedientia Adæ tranſiit in omnes, ita obœdientia Chriſti præſtita eſt pro omnibus.** Si collatio Adami & Chriſti ultra terminos Apoſtolici textus extenditur, inferri poterit, in omnes omninò homines citra ullum fidei vel incredulitatis reſpectum juſtitiam Chriſti propagari; ſicut per naturalem generationem peccatum Adæ in eos propagatur. 6. Nec conſtat ſibiipſi Bellarm. hoc enim loco ſcribit, *injuſti conſtituimur injuſtitiâ in nobis verè ac reipſâ inhærente, non injuſtitiâ Adami nobis imputata*, contra verò lib. 4. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati c. 10. aſſerit, *peccatum Adæ ita poſteris omnibus imputari, ac ſi omnes idem peccuum patruviſſent*, & recitat dictũ Bernhardi. *Noſtra eſt Adami culpa, quia etſi in illo, nos tamen peccavimus: & nobis juſto Dei judicio imputabatur licet occulto.* Ac docet res ipſa, non poſſe imputationem illam excludi, quamprimùm enim peccârunt primi parentes, ipſorũ transgreſſio teputata fuit totius humani generis transgreſſio, utique ergò nobis omnib. imputata; unde damnati ſumus, antequam nati. **Alii Pontificii addunt locum Dan. 8. v. 14. וְנִצְדַּק קֹדֶשׁ *juſtificabitur* ſeu *mundabitur ſanctuariũ*. Reſp. 1. phraſis illa notat cultus reſtaurationem non juſtitiæ infuſionem, de qua quæritur. 2. verbum eſt in Niphal non in Hiphil de quo potiſſimum hîc quæritur. 3. declarativè poteſt accipi, *ſanctificabitur*, i. e. ſanctum purgatumq; declarabitur.**

12. Alterum dictum, quo conatur Bellarm. probare, juſtificare non eſſe vocabulum forenſe, petit ex Dan. 12. v. 3. *Qui ad juſtitiam erudierunt multos, fulgebunt ſicut ſtellæ*, quod non poteſt trahi ad judices declarantes. Reſp. 1. nec hic locus infuſionem juſtitię probat, doctores enim non infundunt novas juſtitiæ qualitates. 2. Vulgata verſio reddidit, *qui ad juſtitiam erudiunt multos*, ab ea verò diſcedere Bellarmino non erit integrum propter anathema Tridentinum 3. reducitur autẽ hæc ſententia pulcerrimè ad propriam ſignificationem verbi *Juſtificure*. Deus enim juſtificat, h. e. ſolvit, remittit & condonat peccata, ſed utitur ad hoc miniſterio verbi. 2. Cor. 5. v. 19. *Poſuit in nobis miniſterium reconciliationis.* Matth. 18. v. 18. *Quicquid ſolveritis in terra, ſolutum erit in cælo.* Joh. 20. v. 23. *Quorumcunq; remiſeritis peccata, remiſſa erunt.* Deus igitur juſtificat efficienter & principaliter, miniſtri ὀργανικῶς, perinde ut Timotheus *ſeipſum & auditores ſuos ſalvaſſe* dicitur 1. Tim. 4. v. ult. nimirũ ὀργανικῶς per miniſterium *Evangelii, quod eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Roman. 1. v. 16. Etſi Miniſter Evangelii peccatorũ remiſſ. prædicans, non fert ſententiam more judicis authentici & ſummi, facit tamen hoc more præconis ſententiam abſolutionis à Deo ſummo judice in Evangelio patefactam, annuncians. **Flac. in Clav. p. 502. dicit, *verbum juſtificandi h. l. poſitum neq; pro facere juſtum, neq; pro abſolvere ab omni culpa, quod eſt ſolius Dei, ſed pro inſtituere ad juſtificationem, quod reſpexit etiam vulgata verſio & Lutherus, ut ſic miniſtri dicuntur juſtificare ratione θεωρίας per informationem & adhortationem.*** 4. denuò autem nõ conſtat ſibi Bellarm. hoc enim loco ſcribit. *Qui prædicat Evangelium, non pronunciat homines juſtos more judicis, ſed aperit viam ad juſtificationem*; ſed lib. 3. de poenit. cap. 3. diſputat, *Sacerdotes eſſe judices ſuper terram conſtitutos, poteſtatem clavium eſſe poteſtatem judiciarium.* Item, *Si non eſſent Sacerdotes judices, nec verè peccata remitterent, ſed ſolùm annunciarent eſſe remiſſa, nemo periret ex eo ſolùm, quòd Sacerdotem reconciliantem habere non poſſet.*

Dan. 12. *Qui ad juſtitiam erudierunt multos.*

Eſa. 53. In ſcientia ſui ſervus meus juſtus juſtificabit multos.

13. Tertium, in quo præcipuum robur cauſæ collocat Bellarm. petit ex Eſa. 53. v. 11. *In ſcientia ſui ſervus meus juſtus juſtificabit multos.* Reſp. 1. unde probabit Bellar. juſtificare in hoc loco notare infuſionem juſtitiæ? 2. quin potiùs Apoſtolus docet, juſtificationem illam fieri per remiſſionem peccatorum. 3. verbum Hebrǫum in tertia conjugatione ſignificat *juſtum pronunciare, juſtitiam imputare,* ſicut in prima ſignificat juſtũ eſſe poſitivè. 4. Per *ſcientiam* intelligitur vera in Chriſtum fides, quia verba notitię apud Hebrǫos connotant affectum cordis. Chriſtus igitur ſervus Dei, qui *venit in hunc mundum, ut aliis inſerviret,* Matth. 20. v. 28. quiq; *juſtus* eſt, non ſolùm eſſentialiter ſecundùm divinam Naturam & inhæſivè ſecundùm humanam Naturam, ſed etiam activè, qui ſanctiſſimâ ſuâ obœdientiâ & paſſione perfectam peperit juſtitiam, *in notitia ſui,* i.e. dum verâ fide agnoſcitur & apprehenditur, *juſtificabit,* i.e. juſtos pronunciabit, abſolvet & acceptabit, *multos,* h.e. quotquot in ipſum credunt, *& iniquitates ipſorum portabit.* eſt enim *agnus Dei, qui tollit peccata mundi,* Joh. 1. v. 29. ideò enim *juſtificamur per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quia propoſuit eum Deus propitiatoriũ per fidem in ſanguine ejus,* ut habet Apoſtolica hujus dicti paraphraſis Rom. 3. v. 24. & 25. *ac ſcientia ſalutis noſtræ conſiſtit in remiſſione peccatorum* Luc. 1. v. 77. Peccat igitur Bellarm. opponendo ſubordinata. Chriſtus juſtificat meritoriè. Ergò non judicialiter; imò verò Chriſtus in officio Mediatoris non ſolùm perfectam acquiſivit juſtitiam Deo Patre miniſtrando, pro peccatis noſtris laborando & animã ſuam in redemtionem tradendo, ſed etiam beneficia mortis ac paſſionis ſuæ voce Evangelii nobis offert & per fidem applicat.

Compoſitio vocis juſtificare

14. Solenne autem eſt Bellarmino & aliis ex compoſitione vocis argumentari. *Sicut ſanctificare eſt ſanctum facere, ita juſtificare erit facere juſtum.* Reſp. 1. non tàm ex compoſitione vocis Latina, quàm ex uſu linguæ ſanctæ ſtatuendum eſt de vera ſignificatione vocis Juſtificandi. 2. oſtendimus autem ſuperiùs immotis Scripturæ fundamentis, quòd juſtificare הצדיק Hiadik, ſignificet juſtum pronunciare, abſolvere &c. ſed ex nullo Scripturæ loco probari poteſt, quòd juſtificare ſignificet juſtitiam infundere. ** Cùm juſtificatio non ſit phyſica aliqua mutatio, perperam eum calefactione, dealbatione & aliis hujusmodi mutationibus comparatur. ** 3. ne quidem ſanctificandi verbum ſemper ſignificat ex non-ſancto facere ſanctum infuſo ſanctitatis habitu. Jubemur enim *ſanctificare Iehovam exercituum* Eſa. 8. v. 13. petimus *nomen ejus ſanctificari,* Matt. 6. v. 10. quis verò diceret, nos Deum ac nomen ejus ſanctũ facere? 4. Sanctificatio de hominibus uſurpata quandoque accipitur pro imputatione ſanctitatis Chriſti per fidẽ Act. 26. v. 18 *ut accipiant remiſſionem peccatorum & ſortem inter eos, qui ſanctificati ſunt per fidẽ, quæ eſt erga me,* Eph. 5. v. 26. *Chriſtus dedit ſemetipſum pro Eccleſia, ut ſanctificaret eam mundatã lavacro aquæ per verbum.* Heb. 10. v. 10. *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel peractum:* quò pertinet phraſis illa Levitica *Sacerdos ſanctificabit leproſum,* i.e. ſanctũ pronunciabit: quandoq; verò accipitur pro renovatione ſive inhærentis ſanctitatis inchoatione ac cõtinuatione. 2. Cor. 7. v. 1. *perficiamus ſanctificationem &c.* ſi vel maximè ſanctificare ſemper, idem ſignificaret, quod inhærentis ſanctitatis habitu donare, non tamen idem de Juſtificandi voce dicendum foret: In juſtificatione enim homo ſiſtitur tribunali Dei, accuſatur à lege, & reconciliandus eſt priùs Deo, ubi non habetur reſpectus ad inhærentem juſtitiam, ſed ad ſolius Chriſti meritũ fide apprehenſum: ſed in ſanctificatione homo jamdum Deo reconciliatus & à peccatis propter Chriſti meritum abſolutus donatur Spiritu ſancto, qui in ipſo inchoat & perficit ſanctificationem. ** Urgent etiam regulam Grammaticam. *Verba in Kal neutra, in Hiphil activa vim agendi habent & exponũtur* per facere. Reſp. 1. ſi vel maximè concedatur, tamen nondum ſequitur. הצדיק ſignificat *juſtum facere.* Ergò notat juſtitiæ infuſionem: poteſt enim quis juſtus fieri per alterius judicium, pronunciationem & declarationem. 2. verba enim tertiæ conjugationis hoc tantũ important, quod qualitas primæ conjugationis tribuatur alteri vel reipſa, vel permiſſione, vel judicio, aſſeveratione & declaratione alterius. Vide Flacium p. 1. clav. pag. 499. **

15. Nullus igitur à Bellarmino produci potuit Scripturæ locus, qui diſertè & evidenter probaret, quod juſtificare ſignificet juſtitiam infundere. Quare contra Pontificiam hujus vocabuli explicationem concludimus hoc modo. Quæcunq; ſignificatio vocabuli nõ poteſt probari ex Scripturis, præſertim ex propria cujusq; doctrinæ ſede, ſed illi potiùs repugnat & abſurda ſecum trahit, illa rejicienda eſt. Talis eſt ſignificatio illa Pontificia, quâ juſtificatio exponitur pro juſtitię infuſione. Ergò rejicienda eſt. Minor eſt trimẽbris. Primum membrum ex diſcuſſione eorum Scripturæ locorum patet, quæ Bellarm. pro confirmatione ſuæ ſententiæ adduxerat, ea enim vel non petita ſunt ex propria ſede, vel non poſſunt aliter exponi quàm de actu judiciali. Alterum membrum patebit ex argumentis, quæ pro formali juſtificationis cauſa inferiùs producentur. Si quis fundamenta Apoſtolica in toto hoc argumento expendet, deprehendet, nõ poſſe ſignificationem illam cum eis conciliari. Tertium membrum conſpicuum eſt ex analyſi dictorum, in quibus juſtificatio non poteſt pro infuſione juſtitiæ accipi, aliàs ſequetur, iniquos judices juſtitiam infundere impiis. Prov. 17. v. 15. Eſa. 5. v. 23. publicanos Deo infundere juſtitiam Luc. 7. v. 29. Phariſæos & Scribas ſibiipſis juſtitiam infundere Luc. 10. v. 29. cap. 16. v. 15. iisdem abſurdis conflictari hanc vocabuli ſignificationem in propria hujus doctrinæ ſede ſuo loco inferiùs demonſtrabitur. ** Argumentantur denique hunc in modum 1. *Si juſtificatio in hoc negotio non habet aliam ſignificationem quàm forenſem, ſequitur, hominem juſtificari abſque ulla ſui mutatione, quod contrarium Scripturæ.* Reſp. 1. Si mutatio accipitur pro mutatione phyſica vel ejuſmodi alteratione, quâ injuſtitia expellatur & juſtitia infundatur, negamus ejusmodi mutationẽ in ipſo actu juſtificationis prout in judicio Dei conſideratur, fieri, nec uſpiam tale quid Scriptura aſſerit: Si verò mutatio accipitur in genere pro qualicunq; variatione, non negamus in ipſa juſtificatione fieri quandam mutationem, quando enim homo juſtificatur, i.e. à peccatis abſolvitur tunc hac ratione mutari dicitur, ut ex ſtatu iræ transferatur in ſtatum gratiæ nõ propter ali-

quam

quam infuſam juſtitiam ſed propter miſericordiã Dei in Chriſto. 2. mutatio illa quo homo juſtificatus coram Deo fit novus homo, per quam SS. novos motus in homine excitat, ea non pertinet ad ipſum juſtificationis actũ, ſed eſt effectus quidam actum juſtificationis conſequens. 2. *Deus foret injuſtus judex, ſi hominem injuſtum, in quem non priùs infuſa eſſet juſtitia pronunciaret juſtum.* Reſp. Qui hominem injuſtum ſimpliciter & abſque ullo interveniente medio ſatisfactionis juſtum pronunciat, is meritò injuſtus judex pronunciatur. Sed Deus propter Chriſti ſatisfactionem peccata remittit. &c.**

Summa hujus articuli.

16. Porrò totã juſtificationis doctrinam perſpicuâ & mirandâ brevitate complectitur dictũ Apoſtolicum Rom.3 v.34. *Juſtificamur gratis ipſius* (Dei) *gratiâ, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* v.15. *Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ipſius ad declarandam juſtitiam ſuam per remiſſionem præcedentium delictorum.* Exprimitur n. ibi cauſa efficiens principalis juſtificationis, quæ eſt gratia Dei: Cauſa meritoria, quę eſt obœdientia & ſatisfactio Chriſti Mediatoris: Cauſa formalis, quæ eſt remiſſio peccatorum, cauſa inſtrumentalis quæ eſt fides, cauſa finalis, quæ eſt declaratio juſtitiæ ex parte Dei, pax conſcientiæ & vita æterna, ex parte noſtri; Quæ omnia in ſeqq. latiùs ab Apoſtolo tractantur & explicantur.

Cauſa efficiens principalis Juſtificationis.

17. Cauſa efficiens principalis Juſtificationis eſt Gratia DEI. Rom.3.v.24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Eſt autem juſtificatio ſolius & unius veri DEI actio, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Quòd ſit ſolius DEI actio, patet ex eo, quia ipſe *ſolus Dominus Deus noſter, & Salvator non eſt præter eum,* Oſe.13.v.4. *Ipſe ſolus poteſt peccata remittere.* Marc.2,7. *Ipſe ipſe eſt, qui delet iniquitates noſtras,* Eſa.43.v.25. *Unus eſt, qui poteſt ſalvare & perdere.* Jac.4.v.14. Quòd ſit actio Patris, Filii & Spiritus ſancti, patet ex regula Theologica (cujus fundamentum eſt ſimpliciſſima unitas divinæ eſſentiæ & potentiæ) Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa, ſervato tamen ordine & diſcrimine perſonarum: inde dilectio DEI, quæ eſt cauſa efficiens principalis noſtræ juſtificationis tribuitur *Patri* Johan.3.v.16. *Filio* Galat.2.v.10. *& Spiritui ſancto* Rom.5.v.5. inde etiam oritur trajectio Apoſtolica Epheſ.4.v.32. *Deus in Chriſto* ἐχαρίσατο *donavit nobis.* Coloſ.3.v.13. ὁ Χριστὸς ἐχαρίσατο ὑμῖν *Chriſtus donavit nobis.* Sic Rom.8.v.34. *Deus eſt, qui juſtificat:* viciſſim de Chriſto dicitur Eſa.53.v.11. *In ſcientia ſui juſtificabit ſervus meus multos.* 1.Cor.6.v.11. mentio fit totius S.S. Trinitatis, *Juſtificati eſtis per nomen Domini Ieſu, & per Spiritum Dei noſtri:* Cyrill. lib.5. de Trinit. tom.2.p.341. *Non ſeorſim quidem Deus & Pater, ſeorſim autem & propriè Filius, ſed quæ eſſe intelligitur Juſtificatio à Patre, ea omnino eſt & Filii, & quam Filius largitur, ea eſt & Patris,* quò pertinet, quod in Baptiſmo, qui eſt Sacramentum regenerationis & medium juſtificationis noſtræ invocatur ſuper nos nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti.

18. Quidam dicunt, cauſam efficientem principalem juſtificationis eſſe Deum Rom.3.v.26. *ut ſit ipſe* (Deus) *juſtus & juſtificet eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Rom.8.v.33. *Deus eſt, qui juſtificat* Galat.3.v.8. *Deus ex fide juſtificat gentes.* Gratiam autem DEI vocant cauſam impulſivam internam Eph.2.v.4. *Deus qui dives eſt in miſericordia, propter multam caritatem ſuam, quâ dilexit nos, cùm eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto, gratiâ enim eſtis ſalvati &c.* ſed res eodem redit, cùm dilectio DEI & DEUS diligens ſint realiter unũ. Intelligitur autem hoc loco per gratiam DEI, ipſius miſericordia, dilectio & favor, quo credentes in Chriſtum complectitur, quod contra Concil. Trident. ejuſque propugnatores demonſtramus 1. ex Συνωνυμίᾳ. Juſtificatio & Salvatio in Scripturis tribuitur gratiæ, miſericordiæ, philanthropiæ, dilectioni & caritati DEI. Ergò hæc habenda ſunt pro ἰσοδυναμοῦσι. Rom.3.v.24. *Juſtificati gratis per ipſius gratiam.* Joh.3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Eph.2.v.4: *Deus, qui eſt dives in miſericordia, propter nimiam ſuam caritatem, quâ dilexit nos.* v.5. *cùm eſſemus mortui in peccatis, convivificavit nos in Chriſto.* Tit.3.v.4. *Cùm benignitas & humanitas* (ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία) *apparuit Salvatoris noſtri.* v.5. *non ex operibus juſtitiæ, quæ nos fecimus, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos facit.* v.7. *ut juſtificati ipſius gratia heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* 1.Petri 1.v.3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos.* 1.Joh.4.v.9. *In hoc apparuit caritas Dei, quòd Filium ſuum miſit in hunc mundum.* Hebr.2.v.9. *Chriſtus gratiâ Dei pro omnibus guſtavit mortem,* illud Paulus Rom.5.v.8. ſic effert: *Commendat Deus caritatem ſuam, quod adhuc peccatoribus exiſtentibus nobis, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* In parabola Matth.18. miſericordiæ tribuitur debiti condonatio & pœnæ relaxatio v.27.&33. Talia dicta occurrent alibi longè plura. Excipit Bellar.2. de juſtif. cap.3. 1. *Favorem Dei ſatis explicari per vocem gratis, qui enim gratis juſtificat, certè ex benevolentia & liberalitate juſtificat. Illa igitur additio per gratiam, non ipſum favorem ſed aliquid aliud, id eſt, effectum illius favoris ſignificabit, ſcil. juſtitiam ab illo donatam & infuſam, quæ eſt formalis cauſa juſtificationis.* Reſp. ** Scripturæ non eſt inſolens majoris ἐμφάσεως causâ unum vocabulum exponere per aliud, vel duo Synonyma conjungere, aut adverbium addere nomini ejuſdem ſignificationis propter rei certitudinem. Matth.2.v.10. *gaviſi ſunt gaudio magno.* Luc.2.v.9.** Ut illuſtrior igitur eſſet ſignificatio vocabuli Gratiæ ac firmiùs munita contra omnes corruptelas; ideò Apoſtolus addit vocabulum Gratis. Cùm enim gratia DEI nos juſtificantis non ſolùm donet peccatorũ remiſſionem, ſed etiam per Spiritum ſanctum inchoet novos motus, h. e. cùm juſtificatio & renovatio, gratia & donum per gratiam ſemper ſint conjuncta, ideò ne quis opinetur, propter illos novos motus Deo placentes nos juſtificari, ideò additur particula GRATIS, ut ſit ſenſus, nos ſine ullo merito noſtro, imò contra meritum noſtrum coram Deo juſtificari & cauſam acceptationis gratuitæ non eſſe in nobis, ſed in ſolo Deo. D. Chemn. in loco de Juſtif. p.759. ex Scripturis oſtendit vocabulum Gratis 1. opponi ſolutioni precii. 2. ſignificare ſine juſta cauſa, temerè, ex levitate & petulantia. 3. opponi merito ſive ad bonum ſive ad malum. Ex his ſignificationibus prima & tertia huic loco congruunt. Ju-

Gratiam Dei in articulo Juſtificationis denotare ipſius miſericordiam probatur. 1. ex Συνωνυμίᾳ.

Exceptiones Bellarmini.

ſtificamur gratis, hoc eſt, *nihil operantes, neque vicem reddentes*, ut exponit Ambroſius in hoc loco nec præcedentibus operibus meremur nec ſequentibus compenſamus *Deus nihil invenit in nobis, unde ſalvet, multùm autem invenit, unde damnet & tamen ex miſericordia propter Chriſtum nos recipit*, ut ſcribit Auguſt. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli. De Joſepho dicitur, quòd *invenerit gratiam in oculis Domini ſui*, Gen. 39. v. 4. ſed additur. *quia erat vir fortunatus*, h. e. propter egregias virtutes, quas Potiphar animadvertebat in Joſepho, diligebat eum. Ne igitur quis opinetur eodem modo & nos gratiâ DEI juſtificari & ſalvari, addit Apoſtolus particulã Gratis, ut oſtendat Deum in juſtificatione non reſpicere ad dignitatem, meritum ſeu quodcunque aliud nobis inhærens, ut propterea nos in gratiam recipiat; ſed quando invenit in nobis cauſam, cur poſſet damnare, mera gratuitâ bonitate nos acceptat ad vitam æternam. Hæc Chemnit. Invertimus proinde argumentum Bellarmini. Apoſtolus particulam Gratis addit, quando ex gratia nos juſtificari pronunciat. Ergò per gratiam non poteſt intelligi donum aliquod nobis inhærens, infuſus quidam habitus, quo formaliter coram Deo ſimus juſti, ſed denotatur gratuitus DEI favor in Chriſto & propter Chriſtum nos acceptans. 2. *Præpoſitionem* PER *non rectè accommodari favori & benevolentiæ, ſed cauſæ formali aut meritoriæ, aut inſtrumentali. Non enim rectè diceremus, Deus per ſuum favorem aut per ſuam benevolentiã nos juſtificat, rectè autem dicimus, Deus per gratiam inhærentem, per meritum Filij, per fidem & Sacramenta nos juſtificat.* Reſp. Particula PER non habetur in Græco textu, ſed ſimpliciter dicitur: *δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ χάριτι αὐτοῦ.* Adde quòd particula PER ſæpiſſimè cauſam efficientem in Scripturis notet, ** *Per Deum* tanquam cauſam efficientem dicuntur *eſſe omnia* Rom. 11. Hebr. 2. *Chriſtus* dicitur *reſuſcitatus per gloriam Patris*, h. eſt, à glorioſa potentia Patris Rom. 6. 1. Cor. 1. *fidelis Deus, per quem vocati eſtis in conſortium ſanctorum.* ** per Chriſtum omnia facta dicuntur, per Chriſtum dicimur redemti & liberati, ecquis verò negabit Chriſtum eſſe efficientem cauſam creationis & redemtionis? Sic Tit. 3. v. 5. *κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit Deus*, num & hoc loco miſericordia notabit infuſum habitum? 3. *Benevolentiam Dei non eſſe inanem, ſed omnino præſtare atque efficere id bonum, quod alteri vult. E. Deus juſtificans non ſolùm bene vult, ſed etiam juſtos & ſanctos facit.* Reſp. Veriſſimè nos juſtificat DEI gratia ac favor imputatâ nobis per fidem Chriſti juſtitiâ, quam imputationem eſſe veram & efficacem, non putativam vel imaginariam, ut [Be]llarminus ſolet calumniari, patet ex imputatione peccatorum noſtrorum Chriſto facta; eadem DEI juſtificantis gratia dat nobis Spiritum ſanctum per quem Natura noſtra renovari incipit, ſed hæc renovatio non eſt ſtatim perfecta, ſed quotidiè debet creſcere, in futura autem vita perficietur. Neque eſt, quòd Bellarmin. aliquam DEI impotentiam ex eo inferat, agnoſcat potiùs extremam Naturæ noſtræ corruptionem, agnoſcat turpiſſimam peccati intimè adhærentis labem, quę adeò altas in nobis egit radices & quaſi venenũ quoddam omnes animæ & corporis vires pervaſit, ut non priùs plenè extergatur, antequam corpus in cinerem ac pulverem redigatur, agnoſcat perpetuum exercitium pœnitentiæ & humilitatis in his peccati reliquiis nobis propoſitum eſſe: *Multum enim nobis in hac carne tribueremus, niſi uſque ad ejus depoſitionem ſub venia viveremus*, ut elegantiſſimè ac veriſſimè loquitur Auguſtin. 10. de civ. Dei cap. 22. circa finem. Effectus igitur à cauſa & donum per gratiam ab ipſa gratia diſtinguendũ, ac de diſtinctis diſtinctè loquendum.

19. Genuinam illam vocabuli Gratiæ in hoc articulo explicationem demonſtramus. 2. ex oppoſitione. Gratia in tractatione Apoſtolica hujus articuli opponitur operibus, debito, merito, legi &c. E. non poteſt infuſionem juſtitiæ formaliter inhærentis denotare. Rom. 11. v. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. 4. v. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* v. 5. *Ei vero qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam.* v. 16. *ideò ex fide ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio.* Epheſ. 1. v. 5. *Deus prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum.* v. 6. *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua ἐχαρίτωσεν gratos nos habuit ac dilexit in dilecto.* Infuſus habitus eſt cauſa efficiens & principium bonorum operum ex hypotheſi Pontificiorum. Jam verò gratia in articulo Juſtificationis opponitur operibus. E. non poteſt ſignificare infuſum habitum. Gratia in juſtificatione opponitur legi Rom. 3. v. 21. *ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt.* Rom. 6. v. 14. *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Galat. 2. v. 21. *Si per legem juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt.* Galat. 5. v. 4. *Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini, a gratia excidiſtis.* Jam verò donum renovationis & ſanctificationis nihil aliud eſt, quam donatio Spiritus ſancti, per quem *Deus legem ſuam in cordibus noſtris ſcribit.* Jere. 31. v. 33. *atque efficit, ut in præceptis ipſius ambulemus.* Ezech. 36. v. 27. Quod ſi per gratiam intelligitur donum renovationis, quomodo conſiſtit oppoſitio Apoſtolica? Certè infuſum illum juſtitiæ habitum Pontificii deſcribunt potiſſimùm à caritate, jam verò caritas eſt ſumma impletio & ἀνακεφαλαίωσις Legis Matth. 22. v. 37. Rom. 13. v. 11. Huc pertinet inſigne dictum Apoſtoli Eph. 2. v. 8. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis* (nec ex veſtris viribus, nec ex aliquo, quod in vobis inhæreat) *Dei donum eſt, non ex operibus*, ſi reſpectu qualitatis alicujus in nobis hęrentis, vel reſpectu operũ juſtitiæ Deus nos juſtificat, jam non eſt gratia, ſed merces ſeu debitum, Rom. 4. v. 4.

2. Ex oppoſitione.

20. 3. Ex Etymo Hebræo. חָנַן Chanan, ſignificat gratificari, in gratiam recipere, ac ſæpè conjungitur & exponitur per verbum Miſerendi. Exod. 33. v. 19. *Gratioſus ero, cui fuero gratioſus*, id Apoſtolus Rom. 9. v. 15. reddidit: *ἐλεήσω, ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω.* Geneſ. 6. v. 8. *Noah dicitur inveniſſe gratiam in oculis Domini*, quod Heb. 11. v. 7. *Per fidem* factum eſſe aſſerit. 2. Reg. 13. v. 23. *Et miſertus eſt* וַיָּחָן vajachan *Iehova illorum*; Thargum reddidit per וְרַחֵם vachàm, Matth. 15. v. 32. *Miſereor ſuper hac turba*: ibi Syrus habet vocabulum אֶתְחַנֵּן æthchannên. Huc referenda etiam conjugata hujus verbi; *χάρις, χαρίζομαι, χαριτόω.* gratificor, condono, gratis acceptum habeo. Luc. 7. v. 42. *non habentibus unde redderent, ἐχαρίσατο ex gratia condonavit utriſq;* 2. Cor. 2. v. 9. *Cui aliquid donatis χαρίζεσθε, & ego.*

2. Ex etymologia.

Nam

Nam & ego quod donavi κεχάρισμαι, *ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti*. cap.12.v.13. χαρίσασθε *condonate mihi hanc injuriam*. Eph.1.v.6. *in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua* ἐχαρίτωσε *dilectos & gratos nos habuit in dilecto*. Stapl. in antid. Roman.3.p.97. exponit, *multis gratiarum donis replevit*, ſed hoc non congruit verbis antecedentibus, in quibus electi dicimur in Chriſto ante cōſtitutionem mundi v.4. Eph.4.v.32. Col.3.v.13. χαριζόμενοι ἑαυτοῖς *condonantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto vobis donavit*. Coloſſ.2.v.13 χαρισάμενος *donans nobis delicta*. In his ac ſimilibus locis verbū χαρίζεσθαι & χαριτοῦν non poteſt accipi pro infuſione juſtitiæ. E.nec χάρις ita accipi debet. in Latina Lingua favor & gratia habent ſe correlativè. Favor ſignificat activè benevolentiam, quâ alios homines complectimur, gratia verò ſignificat acceptationem, ut ſic loquar, paſſivam, ut cùm dicimus, eſt in magna gratia apud Principem, i.e. acceptus Principi.

4. Ex effectu & circūſtantiis gratiæ.

21. 4. Ex effectis & circumſtantiis illius gratiæ. Galat.1.v.15. *Deus vocavit me per ſuam gratiā*; atqui vocatio eſt opus miſericordiæ divinæ. 2.Tim.1.v.9. *Salvos nos ficit & vocavit nos Deus vocatione ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu ante tempora ſecularia*. v.10. *manifeſtata autem nunc per manifeſtationem Salvatoris noſtri*. Aureus hic locus eſt, non uno modo ſententiam noſtram comprobans: conjunguntur enim propoſitum Dei & gratia ipſius, & gratia illa dicitur nobis data in Chriſto (Ergò nō per inhæſionem nobis competit) & quidem ante tempora ſecularia (cùm nondum eſſemus renovati: jam verò donum renovationis in tempore demum contingit) ac ſeries Apoſtolici textus tale nobis ſubminiſtrat argumentum. Quâ gratiâ electi ſumus ab æterno, eâ gratiâ & non aliâ juſtificamur in tempore. Eph.1.v.5. *Prædeſtinavit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum in ſeſe, juxta* εὐδοκίαν *voluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ejus, quâ caros nos reddidit in dilecto*. Atqui gratiâ Dei, id eſt, miſericordiâ Dei ſumus electi in Chriſto ab æterno Rom.9.v.11. Eph.1.v.4. Ergò eadem gratiâ Dei & non aliâ, id eſt, miſericordiâ Dei in Chriſto juſtificamur. Sic Heb.4.v.16. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur & gratiam inveniamus ad auxiliū opportunum*, per thronū gratiæ non poteſt aliud quicquam intelligi, quàm Miſericordia Dei in Chriſto propitiatorio noſtro nobis obvia, ideò miſericordia & gratia conjunguntur. Referendum hûc inſigne dictum Baptiſtæ Joh.1.v.16. *De plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia*, v.17. *quia lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*, ubi gratia illa 1. dicitur ex plenitudine meritorum Chriſti ad nos deſcendere. 2. opponitur iræ, quam denunciat lex Moſaica. 3. dicitur pro gratia, hoc eſt, gratis nullo noſtro merito nobis contingere, vel quod idem eſt, propter Chriſtum, qui eſt unicus homo in gratia, dicimur & nos in gratiam à Deo recipi. In quibuſdam locis non poteſt ſine inſigni abſurditate gratia exponi pro infuſo habito. Rom.5.v.20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*; finge gratiam ſignificare infuſam juſtitiam & habebis in abundantia delicti abundantiam inhærentis juſtitiæ. Rom.6.v.15. *Peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia?* Si in hac tractatione Apoſtolica gratia ſignificaret infuſum habitum, nullus certè foret locus iſti objectioni. ** *Iuſtitia etiam Dei* uſurpatur de bonitate & miſericordia Dei, quâ credentes in Chriſtum abſolvit à peccatis, in gratiam acceptat &c. quæ vulgò dicitur *juſtitia Dei Evangelica* Rom.1.v.17. *juſtitia imputata*, Rom.4. δικαίωσις ζωῆς Rom.5.v.18. Hoc modo uſurpatur ubicunque in Scriptura agitur de juſtificatione & mentio fit juſtitię Dei Pſal.51.v.16. *Libera me à ſanguinibus & prædicabit lingua mea juſtitiam tuam*. Pſal.71.v.2. *in juſtitia tua libera me Domine*. Inprimis verò Pſal.40.v.10. juſtitia ἐξηγητικῶς exponitur per miſericordiam. *Annunciavi juſtitiam tuam in cœtu multo, non celavi miſericordiam & veritatem tuam*. Pſal.143.v.1. orat David, *Exaudi me Deus propter juſtitiam tuam*, & tamen addit v.2. *ne intres in judicium cū ſervo tuo*. Unde Interpp. frequenter iſta vocabula *juſtitia* & *miſericordia* Dei in articulo Juſtificationis invicem commutant, ut cum Geneſ.19.v.19. Loth diceret ad Angelum in Hebræo. *Magnificaſti miſericordiam tuam*, reddiderunt LXX. δικαιοσύνην. Viciſſim Pſal.103.v.6. cùm David in Hebræo dixiſſet, *facit juſtitias Dominus*, verterunt LXX. ἐλεημοσύνας miſericordias. Similia loca conferantur in Pſal.103.v.6. Geneſ.20.v.13. cap.21.v.23. cap 32.v.10. Quam licentiam ſapientiſſimi iſti viri nō ſumſiſſent, ſi non intellexiſſent, juſtitiam Dei interdum notare ejus miſericordiam, quâ benefacit credentibus.**

Dicta Veterum.

22. Veteres vocabulo Gratiæ pro donis renovationis frequenter utuntur, res enim ipſis erat cum Pelagio, qui concedebat gratiâ Dei nobis remitti peccata, negabat autem ad peccati mortificationem & novam obœdientiam opus eſſe peculiari Dei gratiâ, ſed hominem liberi arbitrii viribus hoc præſtare & legi Dei ſatisfacere poſſe. Hâc occaſione utrumq; Chriſti beneficiū videl. gratuitam Dei benevolentiam acceptantē credentes in Chriſtū ad vitam æternā ac donum renovationis per Spiritum ſanctū nomine gratiæ utplurimum complectuntur veteres, interim tamen quibuſdam in locis gratiam illam, quâ juſtificamur, rectè explicant, videl. de gratuita Dei miſericordia acceptāte credentes propter Chriſtum ad vitam æternam. Ambroſ. in cap.1. Rom. Salutationem Apoſtolicam ita interpretatur, *Gratia, quia à peccatis abſoluti ſumus: pax, quia ex impiis reconciliati ſumus*, in cap.3. Rom. *Gratiam Dei in Chriſto eſſe teſtatur, quia in voluntate Dei à Chriſto redemti ſumus, ut manumiſſi juſtificaremur, ſicut & ad Galatas dicit: Chriſtus nos redemit offerens ſe pro nobis*. in 1.Cor.1. *datam dicit Apoſtolus gratiam à Deo in Chriſto, quæ gratia ſic data eſt in Chriſto, quia ſic conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere, ſolâ fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum*. In cap.2. Eph. *A Deo alienati mortui eramus, gratia autem Dei revocavit nos, h.e. vivificavit nos in Chriſto. Huic dono addit & gentes, ſignificans ſalvos nos gratiâ Chriſti*. Origenes in cap.3. Rom. aſſerit juſtitiam Dei, quæ hic commendatur *eſſe ipſum Chriſtum, qui eſt nobis datus à Deo & ſic donum Dei, neque tamen nobis inhæret, ſed nos ei fide inſitimur*. ** Idē in lib. Reg. homil. unic. *Gratia nobis per fidem primo conjungitur, ſicut & Apoſtolus dicit, gratia ſalvi facti eſtis per fidem. Et mox. Poſt gratiā credulitatis emendatio ſit morum & vitæ converſio*. Baſil. ſer.

de Bapt. *Gratia immenſa humanitatis Dei nos in dilectione Chriſti Ieſu Domini noſtri prævenit, cujus nobis ad mortem uſque obœdientia ſicut ſcriptũ eſt, facta eſt redemtio.* Idem in Pſ. 33. *Non in virtute, non in ſapientia humana, ſed in Dei gratia eſt ſalus.* Cyrill. lib. 5. in Eſa. orat. 2. *Vincit gratia, quæ juſtificat impium & omni labe eos qui miſericordiam conſecuti ſunt, liberat.* Theodor. in 1. Cor. 1. *Gratia donat peccatorum remiſſionem, hac confirmat Dei promiſſionem donans gentibus benedictionem.* Theophyl. in Epiſt. Rom. *Juſtificantur omnes gratis gratia Dei quæ per redemtionem fit, h. e. perfectam libertatem, quam operatus eſt Chriſtus, ipſe enim ſeſe in precium redemtionis dans juſtificavit nos.* Ambroſ. in cap. 11. Rom. *Manifeſtum eſt, quia gratia donum Dei eſt, non debita merces operibus, ſed gratuita ratione, miſericordia interveniente conceſſa.* Et mox: *veniam dare peccantib. non aliud quã gratia eſt.* Hieron. lib. 2. contra Pelagi. *Maximè oſtendit Apoſtolus non in hominis merito, ſed in Dei gratia eſſe juſtitiam, quæ ſine legis operib. credentium ſuſcipit fidem.*** Auguſt. in expoſit. Epiſtolæ ad Galat. cap. 1. *Gratia Dei eſt, quâ nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo: pax autem, quâ reconciliamur Deo.* lib. 1. retract. cap. 25. *Ubicunq; dixi, gratiam eſſe in remiſſione peccatorum, pacem verò in reconciliatione Dei non ſic accipiendum eſt, ac ſi pax ipſa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, ſed quod ſpecialiter nomine gratiæ remiſſionem ſignificaverit peccatorum.* libr. de prædeſtin. & gratia cap. 11. *rectè vivendi donũ* vocat *gratiam ſecundam, eamq; à gratia vocationis* diſtinguit. in Pſ. 144. *Da intellectorem & totum dixit: Gratiâ ſalvi facti eſtis: ubi audis gratiam, gratis intellige. Si ergò gratis, nihil attuliſti, nihil meruiſti,* Fulgent. lib. 1. ad Monimũ. *Accepimus gratiam pro gratia: gratiam glorificationis pro gratia juſtificationis indebita, ut gratia juſtificationis omne meritum malum deleat indebito beneficio.* **Plura loca ex Auguſtino vide apud Carletan. de conſenſ. Eccleſ. Cathol. contra Tridentinos part. 4. cap. 5. pag. 436.**

Adverſariorum teſtimonia.

23. Thomas & Richardus dicunt, quoſdam accipere gratiam pro beneplacito & gratuitâ dilectione Dei, quâ homines eligit, vocat, adoptat & juſtificat: fatentur etiam Paulum ita de gratia loqui Eph. 1. v. 6. & Tit. 3. v. 4. quamvis verò alteram ſignificationem præferant, quâ gratia recipiatur de novis qualitatibus, tamen ſpeculationibus tantùm Philoſophicis innituntur & ſufficit cauſæ noſtræ, receptam adhuc in Eccleſia ſententiam tum temporis fuiſſe, quod gratia in diſputatione Apoſtolica de Juſtificatione ſignificet gratuitam DEI miſericordiam, quâ propter Chriſtum in gratiam recipit & remiſſis peccatis ad vitam ęternam acceptat illos, qui pœnitentiã agunt & fide ad Chriſtum Mediatorem confugiunt. **Bonavent. lib. 2. diſt. 26. dub. 2. *Dicendum, quod Magiſter* (ubi dicit gratiam eſſe virtutem) *non intendit in illo verbo notificare gratiam gratum facientem quemadmodum ad ſuam eſſentiam, ſed quaſi per poſterius & quodammodo per effectum, quia in illos actus non exit gratia, niſi mediantibus habitibus virtutum videlicet fidei & caritatis, ideò notificans gratiam dicit, quod gratia nihil aliud ſit quàm fides cũ dilectione pro eo, q; per illos habitus dicitur gratia in actus exire, per quos innoteſcit nobis.*** Biel. 2. ſent. diſt. 26. quęſt. un. *Gratia accipitur 1. activè, pro gratioſa Dei voluntate dante omnibus liberaliter gratis non ex debito, ita accipitur* Actor. 15. *Credimus per gratiam Dei ſalvari.* Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* (Nota quomodo vocabul. Gratiæ Biel in dictis illis accipiendum eſſe ſtatuat) 2. *paſſivè, pro dono aliquo gratis dato.* art. 2. addit, *concluſionem illam, quod gratia, quâ Deus ad vitam æternam acceptet animam & ejus actum ſit aliquid poſitivum in anima, non poſſe ſufficienter demonſtrari, licet ad hoc plerique Doctores multũ laborent.* **Perer. diſp. 13. in cap. 3. Rom. n. 53. *Nomen gratiæ, cùm hic dicit, juſtificati gratis per gratiam ipſius, licet poſſit ſignificare ſupernaturalem & divinam illam qualitatem à Deo infuſam animæ hominis & in ea inhærentem, quæ eſt juſtus & gratus Deo, videtur tamen potius hoc loco ſignificare gratuitam Dei bonitatem & benignitatem erga hominem, opponit enim Paulus operibus hominum gratiam Dei ſignificans non meritis hominũ quaſi debitam reddi juſtitiam, ſed nullis præcedentibus hominum bonis meritis, imò plurimis malis meritis propter infinitam tamẽ Dei benignitatem & miſericordiam gratuitam dari juſtitiam homini.*** Ipſe Bellar. agnoſcit ſignificationem illam gratiæ, quâ de gratuita Dei miſericordia exponitur, non eſſe à Scripturis alienam. Sic enim loquitur 1. de grat. & lib. arb. cap. 2. col. 542. *Quòd attinet eas Scripturas, quæ faciunt caritatem poſteriorem gratiâ, dicimus eas intelligendas eſſe de gratia, ut ſignificat benevolentiam Dei erga nos, non autem aliquam qualitatem, quæ ſit in nobis.* Et quamvis lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 1. *Gratiam ſimpliciter pro dono gratis dato* accipiat, ſequenti tamen cap. 2. ſui quaſi oblitus *gratiam æternam à temporaria* diſtinguit, illam definit per *amorem, quo nos Deus ante mundi conſtitutionem ab ipſa æternitate dilexit, in cujus gratiæ laudem & gloriam nos à Deo prædeſtinatos eſſe Apoſtolus teſtatur:* hanc verò vocat *beneficia vocationis & juſtificationis, quæ ex æterna gratia, ut effectus ex cauſa derivantur.* Subſumo: eadem eſt gratia ſalvationis & juſtificationis, quæ eſt electionis, ut evidenter patet ex 2. Tim. 1. v. 9. Ergò per gratiam juſtificationis intelligitur Dei favor & dilectio. Cumprimis verò notandum, quod ſcribit Pigg. in lib. 5. de lib. arbitr. *Gratiæ acceptionem variam non ex Scholis, ſed ex divinis Scripturis petemus, quandoquidem in illis ferè imaginantur gratiam Dei qualitatem aliquam increatam animæ noſtræ a Deo vel eandem cum caritatis habitu vel diſtinctam ab eadem. Quæ commentitia univerſa exiſtimo, nec ex Scripturis ullam autoritatem habere.* **Scotus lib. 2. diſt. 27. q. 1. *Gratia formaliter eſt virtus, quæ eſt caritas.* Et paulò pòſt. *Illud propter quod Deus acceptat habens ut dignum beatitudine dignitate quæ eſt in correſpondentia meriti ad præmium, illud dicitur gratia & ita aliquam imperfectionem includit illud quod eſt gratia.***

24. Videamus quibus rationibus contra hanc ſententiam Scholaſtici pugnent. Thom. p. 2. q. 27. artic. 1. mentionem facit quorundam, qui ſtatuerint gratiam gratum facientem nihil creatum in anima eſſe, ſed eam duntaxat eſſe in Deo, videl. gratuitum ipſius favorem, hanc ſententiam ipſe improbat, uſus hac ratiocinatione. *Cùm Deus aliquem acceptare vel diligere dicitur, nihil aliud ſignificatur, quàm Deum velle ei aliquod bonum vel naturale ſed ſupernaturale. Naturale, ut omnibus rebus à ſe conditis vult & ideò largitur etiã bona natu-*

Antitheſis, quòd gratia ſignificet infuſum habitum.

naturalia, unde dicitur omnia diligere. Sap. 11. v. 25. *quanquam horum naturalium bonorum reſpectu nemo dicitur habere gratiam vel eſſe in Dei gratia, ſed tantùm reſpectu ſupernaturalis boni, quod eſt vita æterna, juxta illud Eſa. 64. Oculus non vidit ô Deus, quæ præparaſti diligentibus te, & Rom. 6. Gratia Dei eſt vita æterna* (non quidem poteſt ſimpliciter improbari, quòd Thomas ſtatuit, Deum dici aliquem propriè acceptare ſeu diligere, quatenus ei vult bonum aliquod ſupernaturale, hoc eſt, vitam æternam, interim diſtinguendum erat inter dilectionem Dei generalem, quâ complectitur totum genus humanum, cui Filium ſuum dedit ac beneficia illius per verbum hominibus offert, ut convertantur & vivant: & inter dilectionem Dei ſpecialem, quâ complectitur eos qui credunt in Chriſtum & fide oblata in Evangelio bona apprehendunt: Deinde cum exemplum ponit bonorum ſupernaturalium, quorum reſpectu aliquis dicatur habere Dei gratiam, non ſolùm vita æterna erat nominanda, cùm in cenſu bonorum ſupernaturalium contineantur etiam media, per quæ in poſſeſſionem vitæ æternæ à Deo perducimur, quæ ſunt ex parte Dei verbum & Sacramenta, ex parte noſtra fides in Chriſtum) Subjungit Thomas: *Hæc bona*, ſcilicet vitam æternam, *Deus non vult alicui indigno* (at ſi Deus vitam æternam nullis vellet niſi dignis, quis eam poſſet conſequi? ne quidē *tribulationes hujus vitæ condignæ ſunt ad futuram gloriam*, Rom. 8. v. 13. quantò minùs opera noſtra? vita æterna non eſt dignitatis cujuſdam noſtræ meritum, ſed χάρισμα Θεοῦ gratuitum miſericordiæ divinę donum Roman. 6. verſ. 23. Voluntas Dei de danda hominibus vita æterna non in tempore demum cœpit, ſed eſt æterna, quod enim jam vult Deus idem ab æterno voluit: at quæ dignitas noſtra eſſe potuit ante jacta fundamenta mundi, cùm nondum eſſemus: Apoſtolus evidenter aſſerit 2. Timoth. 1. verſ. 9. *Gratiam illam, quâ Deus vult nobis æternam ſalutem, datam fuiſſe in Chriſto ante tempora ſecularia.* In Chriſto igitur, non in nobis dignitas illa quærenda, propter quam datur vita æterna. Si Deus non vult dare vitam æternam niſi dignis, ſequetur, quòd non elegerit niſi dignos: ſequetur igitur electionem non eſſe gratuitam nec factam ſecundùm propoſitum voluntatis Dei, ſed ex prævisa dignitate noſtra, cujus opinionis falſitatem ſuo loco oſtendimus) Sed regerit Thomas; *ſe non loqui de indigno ſuâ Naturâ, ſic enim omnes ſumus indigni, ſed de indigno ſimpliciter*, contendit enim *Deum per ſuam gratiam facere dignos vitâ æternâ, quoscunque ad vitam æternam pro ſua voluntate gratis ordinavit ac prædeſtinavit, facere autem dignos dono ſui Spiritus infuſo, ut eſt regeneratio*, unde ſubjicit has propoſitiones. 1. *ex Natura ſua hominem non eſſe dignum tanto bono ſc. vitâ æternâ* (hoc eſt immotæ veritatis) 2. *proinde ſi quis ſit dignus, illum eſſe dignum dono ſupernaturali*, intelligit autem donum aliquod creatum, nobiſq; infuſum (nullum creatum bonum nos propriè dignos efficere poteſt tanto bono ſcil. vitâ æternâ, quippe quæ eſt bonum infinitum, ad quod boni creati & infuſi nulla eſt proportio: multò minùs donum aliquod creatum poſt lapſum nobis infuſum dignos vitâ æternâ nos facere poterit, inficitur enim & contaminatur Naturæ noſtræ corruptione, quicquid in nos inſtillatur à Deo boni, unde *omnes juſtitia noſtræ* dicuntur *pannus mulieris menſtruatæ* Eſai. 64. v. 6. adde quòd perpetua ſit oppoſitio inter dignitatem noſtram & gratiam, jam verò ut Aphoriſmus Apoſtolicus ſonat Roman. 6. verſ. 23. *Gratia Dei eſt vita æterna*) 3. *dono hoc ſupernaturali, quo reddimur digni vitâ æternâ Dei voluntatem non moveri ad hoc, ut nos ad vitam ordinet, hoc eſt, prædeſtinet, ſed contrà, ex prædeſtinatione Dei oriri collationem illius boni.* (rectiſſimè dicitur, nihil eſſe in nobis, quod Deum moveat ad prædeſtinationem, quo pronunciato electio juxta præviſionem operum penitùs evertitur, addendum verò & hoc, nihil eſſe in nobis, quod dignitate ſuâ Deum moveat, ut det nobis vitam æternam, hoc eſt, cauſam meritoriam glorificationis non eſſe quærendam in nobis, ut enim Deus ex gratia prædeſtinavit, ita ex gratia juſtificat & ex gratia glorificabit, *ſi verò ex gratia, jam non ex operibus* Rom. 11. verſ. 6.) 4. *hominem dici gratiam habere, non ſolùm ex hoc, quod à Deo diligitur ad vitam æternam, ſed ex hoc, quod datur ei aliquod donum creatum, per quod dignus fiat vitâ æternâ, atque hoc donum dici & eſſe gratiam gratum facientem* (id verò diligentiori diſcuſſione indiget.) Non negamus, Deum in nos conferre varia bona; accendit in nobis fidem, renovat nos per Spiritum ſanctum, efficit & auget in nobis caritatem, ſpem, patientiam, humilitatem &c. Sed nullum ex his donis eſt; quod propriè loquendo nos dignos faciat vitâ æternâ, ſed ex merâ gratiâ propter dignitatem meriti à Chriſto præſtiti per fidem nos recipit; atque ad vitam æternam acceptat, poſtea demum ſequitur renovationis donum, quod cum regeneratione ac peccatorum remiſſione perpetuò quidem conjunctū, interim Naturæ ordine poſterius eſt, oportet enim perſonam priùs Deo reconciliatam eſſe per fidem, in Chriſtum, antequam renovationis donum contingat. Ipſa illa fides, quâ coram Deo juſtificamur, non alicujus meriti vel dignitatis reſpectu nos juſtificat, ſed quatenus apprehendit Chriſtum noſtrā coram Deo juſtitiam. Sin verò terminus dignitatis καταχρηστικῶς accipiatur hoc ſenſu: ſicut Deus nos reputat juſtos, ita quoque ex gratia nos reputat dignos vitâ æternâ, propter CHRISTUM fide apprehenſum, ac quod variorum chariſmatum collatione declaret, ſeſe nos in Chriſto dignatum fuiſſe vitâ æternâ, concedimus. Dignitatis vocem hîc habere locum. Sic Luc. 20. verſ. 35. οἱ καταξιωθέντες *qui digni fuerint habiti ſeculo illo.* 2. Theſſ. 1. verſ. 5. *ut digni habeamini regno Dei.* Apocal. 3. verſ. 4. *ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Hûc pertinet, quod Biel diſputat 1. ſentent. diſtinct. 17. q. 1. artic. 2. *Ideò ſalutem noſtram tribui divinæ gratiæ, quia poſitâ quacunque formâ ſupernaturali in anima poſſit Deus eam non acceptare ad vitam æternam, neque enim poſitâ formâ neceſſitatur Deus ad producendum id, ſine quo illa forma poteſt ſtare. Ergò* (inquit) *Deus quemcunque beatificat, merè, contingenter, liberè & miſericorditer beatificat ex gratiâ ſua, niſi quod Deus miſericorditer ordinavit, quod habens tale donum, mereatur vitam æternam.*

25. Pontificii Scholaſticorum ſententiā ſecuti

ſtatuunt, gratiam Dei in articulo juſtificationis ſignificare qualitatem nobis infuſam, hoc eſt, vocabulum Gratiæ ex prædicamento relationis transferunt in prædicamentum qualitatis, inde Concil. Tridentin. ſeſſ. 6. can. 11. anathema dicit illis, *qui ſtatuunt, gratiam, quâ juſtificamur, eſſe tantùm favorem Dei.* Catech. Rom. cap. de Baptiſmo p. 310. *Gratia eſt divina qualitas in anima hærens ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſasq́ animas pulcriores & ſplendidiores reddit.* ** Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbitr. c. 3. *Theologorum communis ſententia eſt, gratiam eſſe habitum ſupernaturalem à Deo nobis infuſum, quo anima exornatur & perficitur, adeoque juſta, Deoque grata & accepta redditur.* cap. 6. *Certè ſi gratiam juſtificans a virtutum Theologicarum habitibus diſtingueretur jure Concil. Trident. reprehendi poſſet, gratia ergo juſtificans non diſtinguitur ab habitu caritatis.* Coſterus in Enchir. cap. de Juſtif. *In hominis peccatoris juſtificatione immittit Deus pro ſua miſericordia in animam divinum quoddam & admirabile SS. donum, videlicet gratiam quæ eſt qualitas quædam infuſa animæ, per quam non aliter fugantur peccata quã tenebræ adventu luminis.* ** Colonienſis in Cenſur. p. 26. diſputant, *Gratiam Dei in Chriſto, quâ juſtificamur & ſalvamur, hoc eſſe, quod Deus ſervantibus legem promiſerit ſe daturum vitam æternam.* Bellarminus lib. 2. de juſtificat. cap. 3. col. 138. *Gratia juſtificans non eſt ſolùm favor Dei, ſed donum in anima inhærens:* Antequam verò argumenta

Status quæſtionis.

ipſorum excutiamus, verus controverſiæ ſtatus indagandus erit. 1. Non eſt quæſtio, an in quibuſdam Scripturæ dictis vocabulum Gratiæ uſurpetur pro donis ex gratia datis, illud enim haud inviti fatemur, ſed quæſtio eſt, quæ ſit propria & genuina ſignificatio vocabuli Gratiæ in Articulo Juſtificationis, quæ ſcilicet ſit illa Dei gratia, quâ juſtificamur & ſalvamur: ibi verò animadvertimus, Apoſtolum diſtinguere *gratiã & donum per gratiam.* Rom. 5. v. 15. 16. & 17. & juſtificationem tribuere gratiæ, ut à donis per gratiam diſtinguatur, quod comprobant argumenta ſuperius adducta præſertim oppoſitio inter gratiam & opera. Obſervant quidam, quando vocabulum Gratiæ uſurpatur pro donis per gratiam, tunc poni abſolutè, ſed in articulo Juſtificationis cum προσθήκῃ quadam dici gratiam Dei gratiam Chriſti. 2. non eſt quæſtio, an renovatio per Spiritum ſanctum itidem ſit Chriſti beneficium credentibus ex gratia donatum; illud enim itidem haud inviti fatemur: ſed hoc in quæſtione eſt, num illud renovationis beneficium vel ſolùm, vel unà cum reconciliatione ac peccatorum remiſſione denotetur, quando dicimur gratiâ juſtificari & ſalvari, quod negamus. 3. Non eſt quæſtio, an gratuita Dei miſericordia credentes propter Chriſtum in gratiam recipientis & donum renovationis per Spiritum ſanctum ſemper ſint conjuncta, illud enim itidem à nobis conceditur, cùm certum ſit, neminem Deo reconciliari, quin ſimul renovetur, ſed hoc in quæſtione eſt, an propter illud renovationis donum à Deo in gratiam recipiamur, & ad vitam æternam acceptemur, ſive, quod idem eſt, an donum illud renovationis intelligendum ſit, quando gratiâ juſtificari & ſalvari dicimur, quod à nobis negatur. Breviter, gratia juſtificationis & gratia renovationis accuratè ſunt diſtinguenda. Videamus igitur quomodo Bellarmin. ſententiam ſuam probare conetur.

26. Producit aliquot Scripturæ dicta, ex quibus exculpere nititur, gratiam juſtificantem eſſe donum in anima inhærens. 1. *Gratia dicitur donum quod accipimus.* Rom. 5. *Accipientes abundantiam gratiæ & donationis.* Reſp. Demus ſanè in quibuſdam Scripturæ dictis gratiam accipi pro effectis ſeu donis per gratiam, non dum tamen ex eo ſequitur, in diſputatione Apoſtolica de Juſtificatione ſic intelligendum; quò minùs enim ſic accipiamus, prohibent argumenta ſuperiùs adducta, quibus annumerandum etiam iſtud. Si vox Gratiæ in diſputatione Apoſtolica non notat Dei miſericordiam & favorem, ſequetur non enumerari ibi omnes cauſas juſtificationis, & principalem omitti. Conſequens admitti nequit, Ergò nec antecedens. Quòd attinet locum Rom. 5. in eo accuratiſſimè gratia, & donum per gratiam diſtinguuntur, ut non poſſint citra vim quandam textui illatam confundi. verſ. 15. *Non ſicut delictum, ita & donum* τὸ χάρισμα. *Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia* ἡ χάρις τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δωρεὰ ἐν χάριτι *unius hominis IESU CHRISTI in plures abundavit.* verſ. 16. *& non ſicut per unum peccatum, ita & donũ* τὸ δώρημα: *nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem* τὸ δὲ χάρισμα *ex multis delictis in juſtificationem.* verſ. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ accipientes* οἱ τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης λαμβάνοντες *in vita regnabunt per unum IESUM CHRISTUM.* Quid per illam abundantiam gratiæ & donationis juſtitiæ intelligendum ſit, exponitur ibidem ſatis dilucidè, quod ſcilicet ſit gratuita reconciliatio facta per Chriſtum, juſtificatio per ipſius ſanguinem, plenitudo gratiæ ad juſtitiam, juſtificatio vitæ per obœdientiam & juſtitiam Chriſti, &c. verſ. 20. additur, *ubi abundavit delictum,* ὑπερεπερίσσευσεν ἡ χάρις *ſuperabundavit gratia*, ubi eadem περισσείας vox uſurpatur, illa gratiæ ſuperabundantia non niſi per inſignem abſurditatem de donis infuſis accipi poteſt. Adde quòd abundantia illa gratiæ, quæ Epheſ. 2. verſ. 7. dicitur ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος etiam propter hanc rationem non poſſit de infuſis donis accipi, quia donorum ſpiritualium non eſt talis περισσεία & immenſitas in Sanctis, cùm *primitias* tantùm *Spiritus ſancti* accipiant Rom. 8. verſ. 23. Nec eſt, quòd vocabulum δωρεᾶς urgeatur, an non Chriſtus eſt maximum illud donum à Patre cœleſti nobis datum? quis tamen Chriſtum vel Chriſti juſtitiam formaliter nobis inhærere dixerit?

Gratiam, quâ juſtificamur, eſſe donum inhærens. 1. Quia dicitur donum quod accipimus.

27. 2. *Gratia juſtificans dicitur dari per Chriſtum.* Johan. 1. *Lex per Moſen data, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Non autem rectè dicitur facta per Chriſtum benevolentia DEI Patris.* Reſp. Quæ verò abſurditas eſt dicere, factam nobis per Chriſtum benevolentiam Patris? quin potiùs gratia DEI juſtificantis nec debet nec poteſt aliter conſiderari, niſi in

2. Quia dicitur dari per Chriſtum.

Chriſto.

Chriſto Mediatore & Redemtore. Epheſ. 1. v. 6. *Dilexit nos in dilecto*. Deus ſuâ naturâ juſtus eſt, adeoque ipſa juſtitia, ideo odit ac punit delicta, cùm verò Chriſtus pro peccatis ſatisfecerit, inde & ideò jam locum habet Dei juſtificantis gratia, ſalvâ nihilominus manente juſtitiâ nempè propter illam Chriſti ſatisfactionem, quâ de re Anshelmus in libris, Cur Deus homo latè tractat. Conjunguntur in Dicto Johannis gratia & veritas, quæ ex antitheſi legis ſimpliciſſimè explicari poſſunt. Gratia opponitur Legis accuſationi & condemnationi, ſignificat ergò gratuitam reconciliationem, & acceptationem ad vitam æternam propter Chriſtum, quippe per illum non ſolùm prædicatum eſt Evangelium, quod eſt verbum gratiæ, ſed etiam ἐγένετο facta eſt gratia, quia obœdientiâ & paſſione ſua nos DEO reconciliavit & cœleſtia bona in Evangelio oblata promeruit. Veritas opponitur non ſolùm Legis Ceremonialis umbris & figuris per Chriſti adventum completis, ſed etiam legi monſtranti quidem viam juſtitiæ, non autem præbenti vires & facultatem, ſignificat ergo reſtaurationem NATURÆ, hoc eſt, renovationem mentis & vitæ novitatem, quam Chriſtus per Spiritum ſanctum operatur Epheſ. 4. v. 24. *in Chriſto veritas eſt*. Vide D. Chemnic. cap. 20. Harmon. Evangel. Ipſe Evangeliſta ibidem diſertè explicat, quomodo per Chriſtum nobis facta ſit gratia. verſ. 12. *quotquot enim receperunt, dedit eis poteſtatem Filios DEI fieri, his qui credunt in nomen ejus*. verſ. 16. *ex plenitudine ejus omnes accepimus gratiam pro gratia*, hoc eſt, propter illam gratiam, quâ Pater Filium pro nobis ſub lege factum diligit & acceptat, nos etiam ſibi gratos & acceptos habet Rom. 5. v. 15. *Gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in multos abundavit*. Epheſ. 1. verſ. 6. *gratos nos ſibi reddidit in dilecto*.

3. Quia dicitur dari ad menſuram.

28. 3. *Gratia dicitur dari ad menſuram ab ipſo Chriſto*. Eph. 4. *Unicuique noſtrûm data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti. At benevolentia DEI non datur ad menſuram neque à Chriſto*. Reſp. fatemur gratiam in hoc dicto uſurpari pro donis per gratiam datis, probandum erat in propria ſede hujus articuli de Juſtificatione eodem modo accipi.

4. Quia comparatur eſſentiæ quæ datur per creationem.

4. *Gratia comparatur eſſentiæ, qua datur per creationem, inde enim dicimur creari in Chriſto*. Epheſ. 2. *& eſſe nova creatura*, Galat. 5. *atqui id, per quod creatura dicimur, intimum & inhærens eſt*. Reſp. Epheſ. 2. verſ. 10. & Galat. 6. verſ. 15. agitur de regeneratione, quæ fit fide in CHRISTUM, hanc Apoſtolus vocat creationem, cùm ſit veluti ſecunda creatio. Regeneratio illa eſt opus divinæ gratiæ, quæ nec præcedentia nec ſequentia merita noſtra reſpicit, ſed gratis propter Chriſtum nobis contingit. Quemadmodum nemo quippiam confert ut generetur: ita quoque ad ſpiritualem regenerationem nihil quicquam ex pœnu noſtrarum virium conferre poſſumus. Cum hac regeneratione individuo nexu conjuncta eſt renovatio, per quam Natura noſtra incipit legi divinæ conformari, ſed propter illas novas qualitates non regeneramur, DEO reconciliamur & ad hereditatem vitæ æternæ adoptamur, quin potiùs requiritur, ut priùs per fidem in CHRISTUM Mediatorem Deo reconciliemur, per Spiritum ſanctum regeneremur, & ex gratia propter CHRISTUM accipiamus υἱοθεσίαν, antequam in operibus bonis ambulare poſſimus.

5. Quia comparatur luci.

5. *Gratia comparatur luci* 2. Corinth. 6. *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? quæ ſocietas lucis cum tenebris?* Epheſ. 5. *Lux eſtis in Domino*. 1. Joh. 2. *Qui dicit, ſe in luce eſſe & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt. At certè lux non facit corpus lucidum niſi inhæreat. Quomodo ergo poteſt homo juſtificatus dici lucidus, ſi adhuc tenebræ peccatorum in ipſo hærent & gratia lux extrinſecus manet?* Reſp. in illis dictis non propriè gratiâ juſtificans ſed renati ex gratia juſtificati dicuntur lux in Domino & in luce eſſe. Fatemur autem libenter renatos à tenebris ignorantiæ peccatorum, & æternæ mortis liberatos ac à DEO illuminatos eſſe, ſed ex eo nondùm ſequitur, quòd gratia juſtificans ſit inhærens quædam qualitas. Chriſtus ipſe dicitur *Lux vera*, Johan. 1. verſ. 9. *Lux Mundi*, Johan. 8. verſ. 12. nec tamen eſt qualitas nobis inhærens. An remiſſio peccatorum ſit totalis deletio peccatorum, ita ut de illis nihil maneat reliquum, an verò indulgentia DEI peccata non imputantis ad damnationem, alibi expoſitum eſt. Nec dicimus gratiæ lucem extrinſecus manere, ſed interiorem illuminationem nobis confert, quid verò ex eo accedit cauſæ Bellarmini?

6. Quia dicitur caritas in cordibus diffuſa.

6. *Gratia juſtificans dicitur caritas diffuſa in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum* Roman. 5. *quod Auguſtinus exponit de caritate, quâ nos Deum diligimus*. Et in cap. 8. *per gratiam juſtificantem vivere dicimur: Spiritus vivit per juſtificationem. At non rectè dicimur vivere per extrinſecum DEI favorem, cùm nihil ſit magis intimum quam vita*. Reſp. In priori dicto Apoſtolus confirmat hanc propoſitionem quòd ſpes non confundat, argumento eo, quòd caritas Dei, quâ nos ut filios diligit, ampliſſimum habeat teſtimonium in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, quo donati ſumus, perinde ut 1. Johan. 4. v. 13. dicitur: *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*. verſ. 16. *nos cognovimus & credidimus caritati, quam habet DEUS in nobis*. Proinde non poteſt hîc intelligi caritas noſtra, quâ DEUM complectimur, quæ non eſt immotum illud ſpei noſtræ fundamentum, ſed ſpes noſtra fundatur in caritate Dei, quâ nos *diligit in dilecto* Eph. cap. 1. verſ. 6. ** Dicitur illa *caritas diffuſa in cordibus noſtris* quoad effectum, non quoad ſubjectivam inhæſionem vel inhærentiam.** Adde quod in ſequente v. 8. Apoſtolus diſertè ſeipſum explicet, de quâ caritate loquatur, videlicet de illa, quam commendavit in eo, quod Chriſtus pro nobis mortuus cùm adhuc eſſemus peccatores. Hanc interpretationem noſtram confirmat connexio textus & ſequuntur eam Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Gloſſa ordinaria &c. imò communiter omnes teſte Dominico Soto in hunc locum. ** Cajetanus itidem noſtram interpretationem amplectitur, Pererius Origenem ſecutus utramque amplectitur diſp. 2. in cap. 5. Roman. num. 9. Idem ibid. numer. 8. *Sive legamus diffuſa, ſive effuſa, non aliud eâ voce ſignificatur, niſi quod caritas DEI apertè*

ac

ac evidenter declarata eſt per multa & varia dona SS. quæ in nos effudit, id eſt, largè, copioſè ac abundanter contulit. ** Demus verò ex hypotheſi charitatem noſtram hîc intelligi, num propterea gratia, quâ juſtificamur, erit illa charitas? num Apoſtolus dicit per & propter illam charitatem nos juſtificari? In poſteriori dicto nulla fit mentio gratiæ juſtificantis, eſt ergò à quæſtione alienum.

29. Referenda in hunc locum ea, quæ Bellarminus diſputat. l. de gratia & libero arbitrio, cap. 4. ut probet gratiam gratum facientem eſſe qualitatem per modum habitus in homine permanentem. 1. *Rom. 5. per obœdientiam hominis unius juſti conſtituentur multi, hoc eſt, merito obœdientiæ Chriſti reconciliatur nobis DEUS, & ab eo juſtitiâ donamur, quæ eſt qualitas animæ noſtræ infuſa & inhærens, id quod ex antitheſi verborum Apoſtoli probatur. Conſtat enim nos non conſtitui peccatores per imputationem injuſtitiæ quæ fuit in Adamo, ſed per injuſtitiam verè nobis inhærentem per modum habitus.* Reſp. de hoc Dicto Apoſtolico egimus ſuperius §. 11. & 26. ** Carleton. in lib. de conſenſ. Eccleſiæ Cathol. contrà Tridentinos parte 4. cap. 4. pag. 425. oſtendit *Bellarminum ἀσύςατα hoc loco ſcribere, quando ſtatuit juſtitiam nobis à Deo donatam ex merito obœdientiæ Chriſti & juſtitiam nobis inhærentem, quam homo nondum reconciliatus DEO mereri poteſt ex congruo* ** hac vice monemus, Apoſtolum eo loco, quo nos Chriſti obœdientiâ juſtos conſtitui dicit, non habere nomen gratiæ, argumentum igitur eſt à quæſtione alienum. Antitheſis non eſt extendenda ultra comparationis tertium; ** *imputatio peccati* non eſt neganda, quia minatur DEUS Exod. 20. v. 5. *ſe viſitaturum iniquitatem patrum in filiis &c.* id fieri non poteſt, niſi impiis & impœnitentibus filiis imputando peccata parentum. Rom. 5. v. 13. *peccatum non imputabatur, cùm lex non eſſet*, ergo lex hoc facere poteſt, ut peccatum imputetur. ** Scopus Apoſtoli eſt monſtrare fontem ac originem utriusque extremi, juſtitiæ & injuſtitiæ, quarum hæc ab Adamo, illa à Chriſto nobis contingat.

Rom. 5. Per obœdientiam unius juſti conſtituentur multi.

2. *Ioh. 4. aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Fons iſte eſt gratia à Spiritu Sanct. inhabitante diffuſa, quæ per modum habitus animæ inhæret, ex qua fluunt rivuli bonorum operum.* Reſp. ſicut in Prophetis doctrina de pœnitentia & remiſſione peccatorum ſæpè proponitur ſub methaphora ſitis, terræ ſterilis ſeu aridæ & aquæ refrigerantis, refocillantis & vegetantis Eſa. 12. v. 3. cap. 35. verſ. 7. cap. 44. verſ. 3. cap. 55. verſ. 1. Jerem. 2. verſ. 13. Ezech. 47. verſ. 1. Joel. 2. verſ. 18. Zach. 14. verſ. 8. ita quoque Chriſtus hoc loco ſub illis figuris concionatur Samaritanæ ad aquam hauriendam egreſſæ de aqua viva, per quam intelligitur, primò charitas & miſericordia Dei Patris erga nos in Chriſto, deinde meritum & gratia, cujus plenitudo erat in Chriſto, tertiò quòd beneficia illa per Spiritum in credentes effunduntur ad remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Johan. 7. verſ. 38. vocatur autem aqua viva tum ratione fontis, qui eſt in Chriſto, tum ratione effectus, eſt enim aqua vivificans, quâ ſitis agnitione peccatorum & ſenſu iræ divinæ excitata reſtinguitur, ne in æternum eâ torqueamur. Luc. 16. verſ. 24. ſed habeamus vitam æternam. Hæc D. Chemnicius cap. 32. Harmon. pag. 212. Demus verò per aquam intelligi donum aliquod creatum & inhærens, num ex eo ſtatim ſequitur, quòd donum illud intelligatur in Dictis Scripturæ, quæ nos gratiâ juſtificari aſſerunt, aut quod donum illud ſit id, quod nos coram Deo juſtificet? Sanè fides eſt veluti ſitula ex fonte aquæ vivæ, qui eſt Chriſtus, juſtitiam & conſolationem hauriens, interim tamen fons & perennis ſcaturigo manet in Chriſto; ſanè ex fide promanant rivuli bonorum operum, quibus ex gratuita DEI promiſſione propoſita ſunt æterna in nobis præmia: interim tamen illud non contingit ex quodam merito.

Iohan 4. Aqua, quam ego dabo, fiet fons aquæ, &c.

3. *Rom. 5. Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, jam verò donum in corde effuſum non poteſt dici externus Dei favor, ſed aliquid ipſum cor attingens, purgans & renovans, quod eſt gratia habitualis.* Reſp. de hoc dicto egimus §. præcedente. Nec eſt, quòd Bellarminus urgeat vocem ἐκκέχυται, quaſi non poſſit hoc intelligi de caritate, quâ nos DEUS complectatur. Audiat enim Chryſoſtomũ in h. l. *cum dixiſſet* (Apoſtolus) *Spes non pudefacit, addidit & demonſtrationem, inquiens, quod dilectio Dei effuſa eſt in cordibus noſtris, Nec dixit, data eſt, ſed effuſa eſt in cordibus noſtris, liberalitatem oſtendens. Quod enim maximum erat donum, hoc dedit: non cœlum, non terram, non mare, ſed quod his omnibus antiquius ac precioſius erat, & Angelos ex hominibus & Dei Filios & Chriſti fratres effecit? Quid autem hoc eſt? Spiritus ſanctus. Quod ſi nollet magnis nos coronis poſt labores donare, nunquam ante ipſos labores tot tantaque donaſſet bona, nunc verò dilectionis ſuæ fervorem hinc declarat, quod non ſenſim ac pedetentim nos honeſtavit, ſed cumulatè ac plenâ manu bonorum fontem effudit, idque ante ipſa certamina. Quamobrem ut etiam non ſis admodum dignus, ne deſperes, cùm magnum in cauſa Patronum habeas judicis dilectionem, idcirco enim & ipſe per hæc verba, Spes non pudefacit, non ad noſtra merita, ſed ad Dei dilectionem, caritatemq́ erga nos totius negotii laudem retulit.* Hæc Chryſoſtomus cujus explicatio congruit cum vaticiniis Propheticis, in quibus itidem vox effundendi de donatione Spiritus ſancti uſurpatur, ex quibus Apoſtolus eam deſumſiſſe videtur. Eſa. 44. verſ. 3. *effundam aquas ſuper ſitientes.* Ezech. 36. verſ. 25. *effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab iniquitatibus veſtris.* Joel. 2. verſ. 28. *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.* Zach. 12. verſ. 10. *effundam ſuper domum David Spiritum gratiæ & precum.* 4. *Gratia comparatur pignori & ſigillo.* 2. Corinth. 1. *unctioni.* 1. Johan. 2. *ſemini.* cap. 3. *rebus videlicet creatis & permanentibus. Quid enim eſt ſemen DEI in nobis niſi caritas habitualis?* Reſp. per ſigillum, pignus & unctionem in illis dictis ipſe Spiritus intelligitur qui in renatis habitat, & promiſſiones Evangelii in cordibus ipſorũ obſignat, id quod ex ipſis verbis Apoſtoli manifeſtũ, 2 Cor. 1. v. 22. *Deus ſignavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris,* id quod ſic exponitur Eph. 1. v. 13. *obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* v. 14. *qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* Eph. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum S. in quo ſignati eſtis.*

Rom. 5. Caritas Dei diffuſa eſt.

Gratia comparatur pignori, unctioni & ſemini.

eſtis. 1. Joh. 2. v. 27. *unctio docet vos de omnibus.* Demus autem gratiam Dei in his dictis intelligi, detur nobis vel potiùs ipſi veritati, gratiam juſtificationis à gratia renovationis eſſe diſtinguendam. Gratia juſtificationis nihil aliud eſt quàm gratuita Dei miſericordia, quâ credentes in Chriſtum amplectitur, condonat illis peccata, acceptat in filios & hæredes hujus vitæ æternæ: hanc gratiam obſignat Deus in cordibus noſtris per Spiritum ſanctũ, qui *teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſimus Filii Dei*, Rom. 8. v. 16. Gratia renovationis eſt, quæ priorem gratiam ſequitur, non quidem tempore, ſed ordine Naturæ, hæc conſiſtit in interiori mentis ac voluntatis ἀνακαινώσεως, quæ cùm in hac vita nunquam ſit tàm plena ac perfecta, ut nullo amplius indigeat incremento, ideò in ea non poteſt quæri vel conſtitui noſtra coram Deo juſtificatio. 6. *Patrum dicta & rationes*, quas Bellarminus hoc loco adducit, nihil aliud probãt, quàm quòd Deus ex gratia in illis, quos juſtificat & ſalvat, per Spiritum ſanctum ad interiorem renovationem efficax ſit, juſtitiam novæ obœdientiæ & ſatisfactionem in illis operando, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd propter illam ſive habitualem ſive actualem juſtitiam coram DEO juſtificemur. ** Thomas poſtquam argumenta quędam pro more objecerat, cùm tandem contra objectiones illas ſententiam ſuam ſtatuere cœpit, mirifico prorſus innititur fundamento, ſic enim refert 1. 2. q. 150. art. 2. *Sed contra eſt quod ſuper illud Pſal. 103. ut exhiberet faciem in oleo dicit gloſſa, quod gratia eſt nitor animæ ſanctum concilians amorem, ſed nitor animæ eſt quadam qualitas ſicut & pulchritudo corporis. Ergo gratia eſt quadam qualitas.* Atqui gloſſæ ordinariæ autoritas non eſt ſacroſancta in Eccleſia. Nec gloſſæ ſententiam rectè retulit Aquinas, nam integra gloſſæ verba ſic habent. *Gratia ergo & nitor quidam, qui eſt ad hominis conciliandum ſanctum amorem, oleum dicitur.* Sed & Gloſſator ipſe Auguſtini ſententiam quoq; eo loco referre voluit, non corrumpendi ſed abbreviandi ſtudio ab autoris mente detorſit. Auguſtini enim verba ſunt. *Quid eſt exhilaratio faciei in oleo? gratia Dei nitor quidam in manifeſtatione ſicut dixit Apoſtolus, unicuique datur Spiritus ad manifeſtationem.* Atqui Apoſtolus eo in loco 1. Cor. 12. verſ. 7. *non agit de gratia juſtificante ſed de donis Spiritus Sancti.* Obſerva ex Aquinate, hanc opinionem enatam ex hominum ingeniis ſine Scripturæ teſtimonio. Nam ſi potuiſſet hæc ſententia vel Scripturæ vel Patrum teſtimonio confirmari, nõ dubium eſt, quin ea adducturus fuerit Thomas, nec in Gloſſatoris verbis hæſurus. **

An gratia gratum faciens diſtinguatur ab habitu charitatis.

30. Cap. 6. probare conatur Bellarminus *gratiam gratum facientem realiter non diſtingui ab habitu charitatis.* Fatetur autem non convenire in hac quæſtione Theologorum ſententias, quarum ipſe quatuor enumerat. *Quidam* (inquit) *volunt gratiam gratum facientem eſſe habitum re & ratione à charitate diſtinctum & gratiam quidem in ipſa animæ ſubſtantia, tanquam in ſubjecto ſedem habere, charitatem in voluntate* Thom. in 1. 2. q. 100. art. 3. & Cajetanus ibid. Capreolus in 2. ſentent. diſt. 26. Dominicus à Soto lib. 2. de Nat. & gratia. cap. 17. *Alii diſtinctionem inter gratiam & charitatem non realem ſed formalem conſtituunt.* Alenſis pag. 3. q. 69. membr. 2. Albertus & Bonavent. in 2. ſentent. diſt. 26. *Alii gratiam & charitatem neque reipſa, neque formaliter; ſed tantùm ratione diſtinguunt.* Richardus, Scotus, Mayro, Biel, & alii in 2. diſt. 26. Andreas Vega lib. 7. Concil. Trident. cap. 25. *Alii denique nihil intereſſe volunt inter gratiam & caritatem, ac ſolo nomine diſtingui affirmant.* Durand. 2. ſent. diſt. 26. Potuiſſet addere quintam ſententiam, quæ eſt Biels 2. ſent. diſt. 26. q. un. quòd *gratia gratum faciens & caritas differant in connotato, licet realiter ſint indiſtincta & ſubſtractivè idem ſignificent.* Becanus cap. 5. de Juſtificat. *parùm* ſcribit *referre, ſive dicas cum Thoma realiter diſtinctam eſſe gratiam à caritate, ſive idipſum neges cum Scoto, quia neutrum ex Scripturis aut Concilio Trident. efficaciter convinci aut condemnari poſſit.* Vides argumentum Papiſtici conſenſus toties à Bellarmino deprædicati; nec eſt quòd obvertat, hanc controverſiam non pertinere ad Catholicam fidem, ut in principio hujus capitis loquitur, quid enim magis ad fidem pertinet, quàm ſcire, quidnam illud ſit, per quod formaliter coram Deo juſtificamur, ſitne ipſa caritas, vel aliud à caritate diſtinctum? Bellarminus amplectitur tertiam ſententiam, quæ gratiam & caritatem non quidem reipſa vel formaliter, ratione tamen diſtinguit. Reſp. caritatem ad gratiam renovationis ſive gratiam habitualem pertinere non negamus, eam verò eſſe gratiam gratum facientem ſive per aut propter eam nos coram DEO juſtificari totis viribus negamus, quod eum ex quibuſdam Scripturæ dictis malè detortis Bellarminus probare conetur, breviter ea excutiemus. Argumentum ipſius eſt hujuſmodi: *Quibus eadem tribuuntur, illa ſunt omninò eadem nec niſi ſolâ ratione diſtinguuntur. Atqui gratia gratum facienti & caritati eadem tribuuntur. Ergo ſunt omninò eadem.* Reſp. Major non eſt univerſalis, neque enim ea, quæ in quibuſdam conveniunt, ſtatim omnimodè ſunt eadem, unus idemque effectus diverſis cauſis vel concurrentibus vel ſubordinatis tribui poteſt; ſed tranſeat propoſitio major, quomodo Bellarminus probat Minorem? 1. *Gratia dat eſſe quoddam ſupernaturale animæ ex quo dicitur homo Filius Dei per participationem & divinæ conſors Naturæ, id verò totum tribuitur caritati.* 1. Johan. 3. *Videte, qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur & ſimus* cap. 4. *omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.* Reſp. gratia juſtificationis efficit nos Dei Filios non per infuſionem cujuſdam habitus ſupernaturalis, cujus tanta ſit dignitas ac tantus valor coram DEI judicio, ut propter illum nos in gratiam recipiat, & in filios acceptet, ſed per fidem in Chriſtum reddimur Dei Filii. Johan. 1. verſ. 12. ac diligimur in Dilecto Ephes. 1. verſ. 6. fundamentum illius dignitatis ac meriti, propter quod υἱοθεσίας participes reddimur, eſt in Chriſto, non in nobis aut in habitu quodam nobis infuſo. Gratiæ igitur ſive miſericordiæ Dei in Chriſto nos diligentis tribuitur υἱοθεσία nunquam verò & nuſpiam caritati eadem tribuitur. Prius enim dictum non de noſtra, sed de DEI caritate disertè loquitur, *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater*

ποταπὴν

ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν, hoc eſt, quàm caros & gratos nos habuit, videlicet in Chriſto dilecto Filio ſuo Lutherus rectiſſimè vertit: Sehet welche eine Liebe hat uns Gott erzeiget/nimirum ut ſimus Filii Dei, idem eſt, quòd Johan. 1. verſ. 12. dicitur, *ἐξουσίαν dedit Filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus.* Eadem phraſi dicitur Rom. 5. verſ. 11. *reconciliationem accepimus per Chriſtum*, id eſt, reconciliati ſumus. In poſteriore dicto dilectio noſtra non ut cauſa *αἰτίας* ſed ut nota proponitur, ex qua filii Dei agnoſcimur, perinde ut 1. Joh. 3. v. 14. dicitur: *Scimus, quòd translati ſimus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Auguſtinus in h. l. *Quid ſcimus? quia tranſivimus de morte ad vitam. Unde ſcitis? quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unusquisq; ad cor ſuum, ſi ibi invenerit caritatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſiit à morte ad vitam.* 2. *Tunc accipit homo illud eſſe ſupernaturale, cùm regeneratur ac fit nova creatura. Id verò fit per caritatem, nam ſemen, ex quo renaſcimur, eſt verbum Dei.* 1. Petr. 1. Jacob. 1. *verbum illud gignit propriè fidem, eamq; vivam, quæ per dilectionem operatur.* Galat. 5. *Fides ergò viva, id eſt, cum caritate eſt id, per quod renaſcimur.* Reſp. rectiſſimè dicitur nos regenerari per fidem, ac ſemen ex quo renaſcimur eſſe verbum DEI, nec abnuimus, fidem illam per quam renaſcimur, quæque ex ſemine verbi oritur, eſſe vivam & efficacem, ſed vitam & efficaciam regenerandi non accipit à caritate, ſed à Chriſto, quem apprehendit. Eſt enim duplex fidei *ἐνέργεια*, una, qua in Chriſtum Mediatorem verbo Evangelii monſtratum recumbit, ejuſque beneficia apprehendit, altera, quâ per caritatem operatur. Galat. 5. verſ. 6. regeneramur & juſtificamur fide, non ratione poſterioris *ἐνεργείας*, ſed quatenus Chriſtum Mediatorem apprehendit. Vera fides & charitas, regeneratio & renovatio, juſtificatio & ſanctificatio perpetuo quidem nexu ſunt conjuncta, interim tamen cuique tribuendum quod ſuum eſt. 3. *Gratiæ proprium eſt facere hominem Deo dilectum*: at Prov. 8. legimus; *Ego diligentes me diligo*; & Joh. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Reſp. noſtram dilectionem non eſſe dilectionis divinæ cauſam evidenter aſſeritur 1. Johan. 4. verſ. 10. *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos*, verſ. 19. nos ergò diligamus DEUM, quia ipſe prior dilexit nos: oſtendit idem res ipſa, quomodo enim homo peccator Deum diligere poſſet, cujus judicio ad æternam damnationem tenetur obnoxius, niſi priùs reconciliatio antegrediatur? Ergo in allatis dictis non deſcribitur cauſa dilectionis divinæ, ſed ex conſequente effectu deſcribuntur, qui ſint illi, quos Deus diligit, nimirum hi, qui DEUM diligunt, hoc eſt, vera fide & caritate ipſi adhærent: ideò additur in antitheſi: *Qui non diligit me, ſermonem meum non ſervat.* Eſt igitur perpetua, ut ita loquar, reciprocatio dilectionis inter DEUM & pios homines, ſed vera illa Dei dilectio non habet in nobis locum, antequam fide in Chriſtum ipſi reconciliemur. 4. *Gratia eſt vita animæ, at caritas itidem eſt vita animæ.* 1. Joh. 3. *Qui non diligit, manet in morte & nos ſcimus, quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Reſp. tranſlationis illius beatiſſimæ ex morte in vitam cauſa eſt DEI gratia credentes in Chriſtum ad vitam gratis acceptans. Epheſ. 2. verſ. 4. *DEUS qui eſt dives in miſericordia propter caritatem ſuam nimiam*, quâ *dilexit nos* v. 5. *convivificavit nos in Chriſto, gratiâ enim eſtis ſalvati.* Joh. 5. v. 24. *Qui verbum meum audit & credit ei, qui miſit me habet vitam æternam & in judicium non venit, ſed ex morte tranſivit in vitam*; nota autem ac teſtimonium illius *μεταθέσεως* eſt dilectio noſtra, veræ fidei comes individua. Scimus, dicit Apoſtolus, nos ex morte tranſlatos in vitam, quia diligimus fratres. Vides non tranſlationis, ſed ſcientiæ de tranſlatione cauſam conſtitui dilectionem. 5. *Gratia dicitur donum illud per quod in nobis habitat Spiritus ſanctus, at Rom. 5. caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* Reſp. Idem, qui ex gratia juſtificat, dat etiam ex gratia Spiritum ſanctum, ſed donationem illam Spiritus ſancti in nobis habitantis præcedat oportet noſtra cum DEO per fidem in Chriſtum reconciliatio. Oſtendimus etiam ſuperiùs caritatem DEI non noſtram hîc intelligi. 6. *Per gratiam juſtificamur. At* Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Reſp. oſtendimus in loco de pœnitentia. §. 91. Particulam *ὅτι* eſſe ratiocinativam, cùm Chriſtus ab effectu ad cauſam ratiocinando progrediatur. Ex his judicium fieri poteſt de reliquis, quæ in hoc capite Bellarminus affert, perpetuò enim confundit juſtificationem & renovationem, cauſam & effectum, *τὸ* fieri & *τὸ* agnoſci.

31. Diximus hactenus de cauſa efficiente principali Juſtificationis, quæ eſt gratia Dei; ſequitur, ut agamus de cauſa Juſtificationis meritoria, quæ eſt *ἀπολύτρωσις* per Chriſtum facta. Rom. 3. verſ. 24. *Juſtificamur gratis ejus* (Dei) *gratiâ, per redemtionem factam per Chriſtum Jeſum.* verſ. 25. *quem propoſuit Deus propitiatoriū per fidem in ſanguine ejus.* Idem verò eſt, ſive dicatur Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem noſtrum eſſe cauſam meritoriam Juſtificationis, ſive obœdientiam & ſatisfactionem Chriſti eſſe loco meritoriæ cauſæ habendam, quia Chriſtus ut Mediator ac Redemtor, id eſt, ratione ſuæ obœdientiæ ac ſatisfactionis hîc conſideratur. Quare autem poſt lapſum neceſſaria fuerit obœdientia & ſatisfactio Chriſti Mediatoris ad noſtram juſtificationem, id ex eo intelligi poteſt. Deus non ſolùm miſericors, ſed etiam juſtus eſt. Syr. 5. v. 7. *ἔλεος καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ.* Auguſtinus in Pſal. 100. *Homines quando judicant, aliquando victi miſericordiâ faciunt contra juſtitiam & videtur in eis eſſe miſericordia & non eſſe judicium, aliquando verò rigidum volentes tenere judicium, perdunt miſericordiam. DEUS autem nec in bonitate miſericordiæ perdit judicii ſeveritatem, nec in judicando cum ſeveritate amittit miſericordiæ bonitatem.* Leo ſerm. 1. de jejun. decimi menſis. *In Dei operibus atque judiciis nihil vacat à veritate juſtitiæ, nihil à miſeratione clementiæ.* Quare cùm DEUS non ſit ſolùm miſericors & benignus, ſed etiam juſtus, imò ipſa juſtitia, odio habens & puniens peccata ideò ne ipſius juſtitia per peccatum læſa veniret in diſcrimen, intercedere oportuit perfectam pro peccatis ſatisfactionem, ſine qua non poterat genus humanum peccato contaminatum in gratiā recipi. Eſa. 1. v. 27. *Sion in judicio redimetur & captivi ejus in juſtitia.* Vteiſſim cùm Deus ſit

Cauſa meritoria juſtificationis.

ipſa

ipſa immutabilis & æterna veritas, & verò diſertum extet comminationis edictum: *Quacunque die ex arboris vetitæ fructibus comederis, morte morieris.* Geneſ. 2. v. 17. ideò poſtquam homo per præcepti divini tranſgreſſionem judicio Dei ac peccatorum pœnis obnoxius erat factus, ex immenſa & ineffabili Dei miſericordia facta eſt quædam translatio, ut pœnas peccatorum noſtrorum Chriſtus in ſe reciperet, ne divinæ veritatis gloria labefactaretur.

A quibusdam dicitur cauſa impulſiva externa.

32. Hoc juſtificationis & ſalutis noſtræ meritum à Chriſto præſtitum, quidam vocant *cauſam impulſivam externam*, quæ ſcilic. moverit Deum, ut credentes in Chriſtum ab æterno elegerit ad ſalutem, eoſque in tempore juſtificet & ſalvet: ubi tamen addendum eſt; ſatisfactionem & obœdientiam Chriſti hìc conſiderari, ut eſt non nudi hominis, ſed ipſius Filii Dei ſatisfactio & obœdientia, qui à Patre non eſt diviſus nec ſeparatus, ſed eſſentialiter unum cum Patre Johan. 10. verſ. 30. unde notanter dicit Scriptura: *Deus ſuo ſanguine Eccleſiam redemit* Actor. 20. verſ. 29. *Sanguis Ieſu Chriſti Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* 1. Joh. 1. v. 8. nimirum, ut oſtendat ſatisfactionem & obœdientiam Chriſti inde & ideò eſſe tantæ efficaciæ, ac tanti coràm Deo precii, quia eſt ipſius Filii Dei ſatisfactio & obœdientia. Cùm enim hanc ἀπολύτρωσιν nec hominum nec Angelorum quiſquam præſtare poſſet, ſiquidem homines & Angeli jam ante ad obœdientiam Deo præſtandam, homines inſuper ad pœnas pro peccatis ſuſtinendas obſtricti erant, ideò Mediatoris partes in æterno ſacroſanctæ Trinitatis conſilio ipſe DEI Filius in ſe ſuſcepit ac in plenitudine temporis homo factus. *Legi ſemetipſum ſubjecit, ut eos, qui ſub Lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Gal. 4. v. 4. & 5.

Vt & cauſa materialis.

33. Quidam hanc Chriſti Mediatoris obœdientiam vocant *cauſam materialem* juſtificationis, cujus partes ſeu gradus inſigniores ſint; incarnatio, paſſio ac mors, reſurrectio & aſcenſio. Lobechius Diſp. 7. in Aug. Confeſſ. th. 37. Zehnerus in comp. Theol. & alii. Hi reſpectũ habent non tàm ad meritum quàm ad ipſam applicationem: quàm enim Chriſtus Mediator obœdientiam noſtri loco Deo præſtitit, ea in actu juſtificationis per fidem nobis applicatur, proinde quando quæritur, quid ſit illud, per quod ac propter quod ſit juſtitia ſive obœdientia & ſatisfactio Chriſti per fidem nobis imputata. Quod ut rectiùs percipiatur, notandum, quòd Chriſtus ſub tribus potiſſimum rationibus ad juſtificationem noſtram concurrat. 1. *meritoriè*, ipſe enim ſanctiſſimo & perfectiſſimo ſuo merito gratiam juſtificationis nobis impetravit 2. *efficienter*, neque enim à peccatis ſolùm, morte ac Diabolo nos liberavit, & juſtitiam, quæ coram Deo valet, nobis peperit, ſed etiam precioſa iſta bona tàm carè acquiſita in verbo Evangelii nobis offert & per fidem applicat 3. *formaliter* in ipſa applicatione, ſiquidem nullâ aliâ re coram Deo ſumus juſti, quàm juſtitiâ à Chriſto acquiſitâ & per fidem nobis imputatâ.

An Chriſtus Mediator ſit inſtrumentum juſtificationis.

34. Illorum verò ſententiam probare non poſſumus, qui Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem vocant inſtrumentũ juſtificationis. Bellarm. 1. de juſtif. c. 2. *Cauſa efficiens per modum inſtrumenti cõjuncti eſt Chriſti humanitas.* Quamvis enim in exequendis officii Mediatoris partibus Chriſtus *obœdiens factus ſit Patri uſq; ad mortem, mortem autem crucis* Phil. 2. v. 8. atque hoc reſpectu dicatur *Dei ſervus* Eſa. 53. v. 11. tamen cùm actiones & paſſiones Chriſti Mediatoris ac Redemtoris non ſint humanæ tantùm Naturæ, ſed toti perſonæ tribuendæ, ideo in ipſo illo Mediationis ac Redemtionis officio Chriſtus eſt & manet *autor* ac dator *vitæ* Act. 3. v. 15. *Dominus gloriæ* 1. Cor. 2. v. 8. *Iehovah juſtitia noſtra* Jer. 23. v. 6. & cap. 33. v. 16. ideò inſtrumentum juſtificationis vocari haudquaquam debet. **(Cornel. à Lapide in Com̃. cap. 3. Rom. *Sanguinem Chriſti, id eſt, totam obœdientiam Chriſti vocat non meritoriam ſed inſtrumentalem Iuſtificationis cauſam.*)** Per Chriſtum nobis parta eſt juſtitia & remiſſio peccatorum, non tanquam per inſtrumentum ſed ut per eum, qui eſt unus cum Patre & Spiritu ſancto benedictus in ſecula. Nomina officii competunt Chriſto ſecundùm utramque Naturam. Jam v. eſſe Mediatorem ac Redemtorem noſtrum eſt nomen officii. Ergò competit Chriſto ſecundùm utramque Naturam. At quis Chriſtum ſecundùm utramque Naturam inſtrumentum juſtificationis dixerit?

Neo-Photinianorũ error.

35. Porrò Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem noſtrũ eſſe cauſam meritoriã noſtræ juſtificationis conſentiunt omnes, ſolos ſi excipias Neo-Photinianos. **(Concedunt quidẽ Chriſtum eſſe noſtrũ Servatorem *1. Doctrina*, quatenus ſalutis æt. viam nobis añunciavit. *2. Exemplo*, quatenus iſtam viam nobis in ſuâ ipſius perſona commonſtravit & à mortuis reſurgendo manifeſtè confirmavit. *3. communicatione*, quatenus pleniſſima poteſtate in cœlo & terra à Patre acceptâ, ſe vitam æternam nobis daturum probavit & reipſa tandem largiturus eſt. Negant verò eſſe Servatorem. *4. Satisfactione*, quâ mediante morte & paſſione peccata noſtra expiarit, iram DEI placarit, noſq; cum illo reconciliarit.)** qui ſuperiori ſeculo blaſphemũ hunc nõ tàm errorem quàm furorẽ eructarũt & publicis ſcriptis propugnare cœperunt, *Chriſtũ nec per hoc, q. Legi ſubditus perfectâ eam obœdientiâ implevit, nec q. pœnas peccatis debitas ſuſtinuit, vel iram Dei placaſſe, vel juſtitiæ ſatisfeciſſe, imò ne quidem ſatisfactione opus fuiſſe, cum Deus libera voluntate & abſoluta bonitate non ob meritum aliquod Filii peccata condonet & vitæ æternæ participes faciat illos, qui Chriſti verbo credunt & vitæ innocentiæ ſtudent: Chriſtum quidem perfectè impleviſſe legem, ſed ad obœdientiam illam pro ſemetipſo adſtrictũ fuiſſe: Chriſtum dici Redemtorem noſtrum, id verò de Metaphorica quadam redemtione intelligendum eſſe, in qua peragenda nullũ intervenerit precium: Chriſtum dici Salvatorem noſtrum, non quia pro peccatis noſtris ſatisfecerit ac vitam æternam nobis promeruerit, ſed quia ſalutis viam nobis annunciaverit, eandem effuſione ſanguinis ſui confirmaverit & exemplo ſuo præmonſtraverit: deniq; quia poteſtate à Patre accepta vitam æternam nobis ſit daturus.* Hæc omnia infauſtus ille Fauſtus Socinus Neo-Photinianorum πρόμαχος inculcat in lib. de Chriſto Servatore lib. 1. cap. 1. & ſeqq. editis Anno 94. ** *Divina* (inquit) *juſtitia, per quam peccatores damnari merentur pro peccatis noſtris Chriſtus nec ſatisfecit, nec ut ſatisfieret opus fuit.* Vide librum Ochini Monachi Senenſis, quem *in victũ* proclamant in diſp. adv. Volanum p. 112. Diſpu-

tationem de loco Rom. 7. inter Proſperum Dyſſideum & Nobilem quendam a. 3. Item tractatus aliquot Chriſtianæ religionis editos falſo titulo Ingolſtadii Anno 73. Item Synopſin juſtificationis noſtræ per Chriſtũ autore Gratiano Turpiano Gerapolenſi editam Gerapoli Anno 1591. cujus autor Socinus, ut ipſe teſtatur in præfat. libr. de Chriſto Servatore. Socin. in præl. Theol. Heidelb. Academ. à Schmaltz. inſcriptis Anno 609.** Socini veſtigia ſequuntur Chriſtophorus Oſtorodus in ſcripto Germanico adverſus Georg. Tradel. edito Anno 602. ac Schmaltzius in Catecheſi Germanica Racoviæ edita An. 608 cap. 8. pag. 261. ubi aſſeritur, *ſententiam illam de Chriſti ſatisfactione ac merito eſſe erroneam, Scripturis ſacris & rectæ rationi contrariam, plenam ſeductionis & pernicioſam.*** Anno Chriſti 1140 quidã M. PETRUS ABAILARDUS ſatisfactionem Chriſti ſtrenuè negavit, cui deinde aſſenſêre Arnoldus quidam de Brixia & Bilbertus Pictavienſium Epiſcop. Cent. Magd. 12. cap. 5. fol. 849. Anabaptiſtæ eundem fovent errorem referentibus Wigando & Menio. Schmaltzius in Catech. cap. de Chriſti Sacerd. p. 227. noſtram doctrinam de Chriſto ſatisfactionem vocat *fallacem, ſubdolam & erroneam, multisque modis pernicioſam.* Valentin. Gentilis in theſibus (quæ cùm Collegio Theologico in Acad. Witeb. An. 1580 exhiberentur, dignæ ſunt habitæ ut comburerẽtur, referente Polycarp. Liſero in Calvin. conc. 5. part. 2.) blaſphemè ſcribit, *Chriſti ſanguinem non magis ad ſalutem & juſtitiam æternam nobis promerendã profuiſſe, quã cujusvis* (ignoſcat Deus referenti) *porci ac canis ſanguinem.* Oſtorodus part. 2. contra Tradel. p. 208. 209. ait, *dogma de reali & verâ ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris eſſe merum figmentum Trinitariorum.* p. 210. 211. abominatur ut βδέλυγμα illam doctrinam. Mich. Gittichius defenſ. argumentorum ſuorũ contra doctrinam de ſatisf. Chriſti ad M. Lud. Lucium pag. 62. *Quæ de merito Chriſti dicis, mera ſunt humana Commẽta, mera doctrinæ hominum, quib. docendis fruſtra Deum coli ipſa veritas Chriſtus Jeſus aſſeruit & propterea etiam meritò à nobis rejiciuntur.* Oſtorodus in Inſtit. Germ. cap. 36. ſententiam noſtram *errorem* vocat *ridiculum, puerilem, blaſphemum & anilem* pag. 310. 311. &c. Huic errori palliando totus inſervit *Vorſtius.* Vide libr. ipſius de DEO, ipſius prodromum Reſponſum plenius, Orationem Apologeticam, Catalogum 99. errorum, Exegeſin Apologeticam, paraſceven, amicam Collationem &c. *in orat. Apolog. habitâ Hagæ ann. 612. edit. Amſtel. p. 27. ſtatuit Deum remiſiſſe de ſuo jure, nec mortis æternæ pœnam a Chriſto exegiſſe, ſed obœdientiam ipſius tanquam æquipollentem loco ſatisfactionis plenæ acceptaviſſe ac ſi perfecta illa fuiſſet.* Oſtorodus in Inſtit. cap. 36. pag. 298. So iſt nun die Frag/ ob in der Rechtfertigung durch Chriſtum unſere Sünde durch eine Vergeltung und Gnugthuung oder aber durch die Vergebung und Verzeihung weggethan und auffgehaben werden. Der meiſte Theil hält es dafür/ daß ſolches nicht geſchehe ohne Vergeltung und Gnugthuung/ wir aber gläuben ſchlecht durch die Vergebung und Verzeihung. Schmaltz. in exam. 157. errorum err. 46. p. 15. *nec hodie ſub N. F. cuiquã propter Chriſtum peccata remittuntur, ſed tantùm per Chriſtum.* err. 47. p. ead. *probari nequit Deum tunc iratum fuiſſe, cùm Chriſtus in mundum mitteretur, imò placatum eum vel potius propitium ſponte ſua fuiſſe, conſtat, & in teſtimonium ejus, quod propitius nobis eſſet & eſſe vellet, Filium miſit.* errore 58. p. 18. *Quid opus fuit, Chriſtum mereri nobis remiſſionem peccatorum ſiquidem Deus eam ſua ſponte nobis obtulit? quomodo etiam aliquis eam mereri potuit; ſiquidem nullum detur apud Deum meritum? cùm nulla detur obœdientia par divinis promiſſionibus quod ad meritum conſtituendum neceſſariò requiritur.* (Vides fundamentum negati meriti à Chriſto præſtiti.) error. 63. p. ead. *Cùm Chriſtus ſanguinem habuit, offerre ſe non potuit. Cùm verò ſe offerre cœpit, ſanguinem habere deſiit, factus ſc. in Spir. vivif.***

36. Occaſio blaſphemi hujus erroris animadvertitur potiſſimùm duplex. 1. Abnegatio divinitatis Chriſti. Cùm enim Michael Servetus Hiſpanus circa Annum Chriſti 1532. errorem Samoſateni & Photini de Deitate Chriſti renovaret, veſtigiis illius Neo-Photiniani illi inſiſtentes unà cum divina Chriſti Natura etiam ſatisfactionem ejus pro peccatis noſtris præſtitam negare cœperunt; cùm enim nudus homo ἰσόῤῥοπον pro peccatis λύτρον perſolvere non potuerit, ideo negatâ divinitate Chriſti ſatisfactionem ejus negari in proclivi eſt. 2. Abſolutum electionis decretum, quod propugnant Calviniani. Si enim abſolutâ Dei voluntate ſalvandi electi ſunt ad vitam æternam, utique etiam abſolutâ Dei voluntate peccata illis remittuntur, vel certè remitti potuerunt, neque opus erit Chriſti ſatisfactione & merito. Vide D. Graweri diſſertationem oppoſitam Oſtorodo pag. 8. ubi luculenter demonſtrat, ſtante dogmate de abſoluto prædeſtinationis decreto non poſſe Neo-Photinianorum errorem ſolidè refelli. Refero huc verba Calvini lib. 2. Inſtit. cap. 17. ſect. 1. *Equidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri.* Ut & Muſculi in locis communibus cap. de Juſtificat. p. 267. *Si Deus judiciariæ juſtitiæ ſic obſtrictus eſt, ut non liceat ipſi quorum vult miſereri & à peccatis abſolvere reos, quod tamen permultos ſibi Principes & Magiſtratus liberè permittere videmus, conſequitur inania eſſe, quæcunque in Scripturis de gratia & miſericordia Dei leguntur, nec tantum illi poteſtatis eſſe in ipſius creaturas, quantum eſt homini in ſubditos, imò minùs quàm eſt figulo in lutum.* Hæc Muſculus talem peccatorum remiſſionem introducens, quæ ex abſolutâ quadam Dei bonitate & libera voluntate contingat. ** Locum Wolff. Muſculi (in quo docet *Deum non minus abſque ſatisfactione pro nudo beneplacito peccata condonare, quam creditor quiſpiam pro velle ſuo debitum remittere poteſt* in locis Comm. de Juſtif. cap. 3.) maximè contra Coetum Calvinianum urget Fauſtus Socinus p. 224. Sicut & Calvinum ex propriis principiis acriter impugnat p. 221. 222. 227. 284. 285. Idem cum Muſculo ſtatuit Vorſtius in Catalogo errorum Sibrandi Luberti pag. 38. errore 66. ubi expreſſè ſcribit: *idipſum remitti verè non poſſe, quod plena ſolutione jam deletum eſt & vice verſa quod verè condonatum*

Occaſio erroris.

eſt

eſt pro eo plenam ſolutionem juſtè exigi non poſſe. Vide Piſcatorem eleganter contra abſolutum decretum ſuum ex his principiis diſputantem in reſp. apolog. ad Paraſc. Vorſtii pag. 80. 81. ** His adde Neſtorianas illas locutiones, quòd *humana tantùm Natura Chriſti paſſa ſit*, quòd *non ſit realis communicatio idiomatum*, quòd *Chriſtus pro ſeipſo obœdientiam Legi præſtiterit*, quòd *Chriſtus non ſit paſſus pro peccatis totius mundi* &c. & facilè apparebit, quantum detrahatur Chriſti merito. ** Vorſtius in reſp. ad 2. part. diſc. Sladi p. 83. ſcribit, *quosdam ex doctoribus noſtris non ſatis prudenter, imò nec ſatis orthodoxè de ſatisfactione I. C. docere ac ſpeciatim in duobus, quæ ſequuntur, capitibus graviter errare. 1. dum non contenti libera Dei ordinatione, quæ meritò piis omnibus ubique ſufficere debet, abſolutam ac præciſam ſatisfactionis neceſſitatem urgent, quæ ſcilic. à Natura Dei immediatè pendeat, hoc eſt, ab eſſentiali Dei juſtitia, per quam Deus neceſſariò quodvis peccatum condignè punire teneatur, nec ullum omnino delictum gratis citraque pleniſſimam compenſationem remittere poſſit. 2. dum non contenti æquipollentiâ eorum quæ Chriſtus pro nobis perpeſſus fuit ex Dei voluntate plenam quoque pœnarum identitatem exigunt, hoc eſt, dum talem ſatisfactionis Chriſti modum deſcribunt, qui ſummum juris divini rigorem arguit, omnemque veram Dei ἐπιείκειαν & acceptationem excludit, eoque mortem æternam propriè dictam ac deſperationem aliaque id genus pœnas damnatorum proprias reipſâ Chriſto tribuunt. Hæc talia dum inconſideratè aſſerunt, doctrinam ſatisfactionis non modò ſuſpectam ſed & odioſam aliis ad rem preſſiùs attendentibus reddunt &c.* Vide plura contra Chriſti ſatisfactionem à Vorſtio diſputata apud Feſtum Hommium de controv. Belgic. p. 74. ** Refero etiam huc diſputationes Scholaſticorum quorundam, quòd *Chriſtus ſecundùm ſtrictum rigorem juſtitiæ divinæ non potuerit ſatisfacere*, Durandus 4. ſent. diſt. 15. *quòd Deus poſſit ſine ſatisfactione homini remittere peccata, cum non habeat aliquem ſuperiorem.* Thom. p. 3. q. 46. art. 2. *quòd poſſit Deus remittere peccatum per ſolam non imputationem, ac proinde rationes Anſhelmi in libris. Cur Deus homo, nihil probare niſi præſuppoſita divina ordinatione.* Biel. 3. ſent. diſt. 20. q. un. Hæc omnia ſi uno intuitu complexus fueris, facilè apparebit, quæ occaſio blaſphemi hujus erroris Neo-Photinianis extiterit.

Syllogiſmus generalis Neo photinianis oppoſitus.

37. Ceterùm cùm accuratam & prolixam hujus furoris refutationem in Academia Wittebergenſi publicè propoſuerit D. Huterus, quam propediem publici juris procul dubio facturus eſt, cùm Catecheſin Racovienſem Illuſtri illi Academiæ inſcribere χριστομάχοι illi non fuerint veriti, ideò paucis fundamenta Scripturæ huic blaſphemiæ opponenda monſtrabimus & præcipua contradicentium Sophiſmata ſolùm attingemus, reliqua peti poſſunt ex diſſertationibus D. Graweri, Oſtorodo oppoſitis Anno 609. editis. Sic ergo concludimus. Si Chriſtus eo modo 1. Mediator ac 2. Redemtor noſter eſt, ut ſit 3. ἱλασμὸς pro peccatis noſtris 4. per quem ſumus DEO reconciliati 5. qui vitam ſuam dedit λύτρον καὶ ἀντίλυτρον pro nobis, 6. factus pro nobis peccatum, 7. & maledictum, 8. ſuſcipiens in ſe peccata & pœnas peccatorum noſtrorum, ac ſanguinem ſuum pro illis fundens 9. ut deleto, quod contra nos erat, chirographo, 10. à maledictione Legis, 11. ab ira DEI, 12. & ab æterna damnatione liberi, 13. in ipſo coram DEO eſſemus juſti & dilecti, conſequens eſt, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe ac eſſe meritoriam cauſam Juſtificationis. Sed Chriſtus eſt 1. noſter *Mediator* 1. Timoth. 2. verſ. 5. Heb. 8. verſ. 6. cap. 9. verſ. 15. cap. 12. verſ. 24. & 2. *Redemtor* Pſal. 111. verſ. 9. Luc. 1. verſ. 68. cap. 2. verſ. 38. Rom. 3. verſ. 24. 1. Cor. 1. verſ. 30. Epheſ. 1. verſ. 7. Coloſſ. 1. verſ. 14. 1. Tim. 2. verſ. 6. Hebr. 9. verſ. 12. & 15. 1. Petri 1. verſ. 18. Apocal. 5. verſ. 9. eo quidem modo 3. ut ſit ἱλασμὸς *propitiatio pro peccatis noſtris* 1. Johan. 2. verſ. 2. ipſe (Chriſtus) *eſt propitiatio pro peccatis noſtris* (& vi propitiationis illius in ara crucis præſtitæ intercedit pro nobis apud DEUM) 1. Johan. 4. verſ. 10. *DEUS miſit Filium ſuum* ἱλασμὸν *propitiationem pro peccatis noſtris.* Rom. 3. verſ. 24. *Iuſtificamur gratis illius* (DEI) *gratiâ per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu* verſ. 25. *quem propoſuit DEUS* ἱλαστήριον *propitiatorium vel placamen per fidem in ſanguine ejus* (reſpicit Apoſtolus ad propitiatorium V. T. in arca fœderis, quod fuit typus Chriſti Exodi 25. verſ. 17.) 4. per Chriſtum ſumus Deo reconciliati. ** (Photiniani ſibi hac in quæſtione vi veritatis coacti contradicũt. Joh. Somm. in refut. Carolin. p. 33. *Chriſtus tanquam agnus innocens & hoſtia pura ſanguine ſuo in tempore plenitudine pro nobis litavit. ſuoque iſto ſacrificio peccata noſtra expiavit, DEI Patris iram placavit, noſq; jam mundatos ei obtulit.* Schmaltz. in exam. 157. error. p. 16. *Fatemur ſanguinem Chriſti verum precium eſſe redemtionis noſtræ & vim pretii in nobis redimendis habuiſſe, quia verè id nobis præſtitit ſanguis Chriſti, quod precium in aliquo redimendo captivo præſtat* pag. 17. *num refert, quomodo redemtus ſim ſanguine Chriſti, dummodo per eum verè ſim redemtus.*) ** Eſa. 63. verſ. 3. *torcular calcavi ſolus* (puta torcular iræ divinæ, ita enim exponitur Apoc. 19. ubi Johanni apparet Filius DEI, cujus nomen Verbum DEI, is *induens erat veſte aſperſa ſanguine* v. 13. nimirum quia *calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis* verſ. 15. perinde ut apud Eſaiam dicitur verſ. 1. *Quis eſt, qui venit de Edom, rubras veſtes habens de Bazra?* verſ. 2. *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum & veſtimenta tua ſicut calcantis in torculari?* verſ. 3. *torcular calcavi ſolus* &c. Chriſtus igitur iram Dei peccatis noſtris debitam in ſe derivavit & hac ratione nos patri ſuo reconciliavit.) Johan. 1. verſ. 17. *Lex* (quæ *iram operatur* Rom. 4. verſ. 15.) *per Moſen nobis data: gratia autē & veritas per Chriſtum nobis facta* ἐγένετο. Rom. 5. v. 10. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus* v. 11. *per Chriſtum reconciliationem accepimus* 2. Cor. 5 v. 18. *Deus reconciliavit nos ſibi per Chriſtũ* v. 19. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi ipſi, non imputans illis delicta eorum.* Epheſ. 2. verſ. 16. *Chriſtus reconciliavit utroſque* (Judæos & gentes) *in uno corpore per crucem DEO peremtis inimicitiis per eam.* cap. 5. verſ. 2. *tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuavitatis.* Coloſſ. 1. verſ. 20. *in ipſo* (Chriſto) *complacitum fuit per eum omnia reconciliare in ipſum pacificando per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in cœlis* verſ. 22. *re-*

conciliavit nos in corpore carnis ejus per mortem. Chriſtus vitam ſuam dedit λύτρον καὶ ἀντίλυτρον pro nobis. ** ἀντίλυτρον propriè ſignificat *æqualē compenſationem* eine Gegenbezahlung / da man einen Menſchen mit einem andern Menſchen ranſioniret vnd loß kaufft. ** Matth. 20. v. 28. Marci 10 verſ. 45. *Filius hominis venit, ut daret animam ſuam λύτρον pro multis* 1. Tim. 2. verſ. 6. *Unus eſt Mediator DEI & hominum, homo CHRISTUS IESUS, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pretium redemtionis pro omnibus*: inde beneficium Chriſti paſſione ac morte partum dicitur λύτρωσις & ἀπολύτρωσις Luc. 1. verſ. 68. Tit. 2. v. 14. 1. Petri 1. verſ. 18. Hebr. 9. verſ. 15. &c. 6. Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum 2. Cor. 5. v. 21. *eum qui non noverat peccatum, DEUS fecit pro nobis peccatum*, nimirum quia pro peccatis noſtris, quæ DEUS ipſi *impoſuit* & velut agmine facto in ipſum incurrere fecit Eſaiæ 53. verſ. 6. in ara crucis mortuus eſt, ut exponitur 2. Corinth. 5. verſ. 15. Rom. 8. verſ. 3. *Deus mittens Filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne* (Chriſtus in aſſumta carne ſacrificium obtulit pro peccatis noſtris expiandis) 7. Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum. Gal. 3. verſ. 13. *Chriſtus nos redemit à maledictione legis factus pro nobis κατάρα maledictum; ſcriptum eſt enim, maledictus omnis qui pendet in ligno.* 8. Chriſtus ſuſcepit peccata & pœnas peccatorum noſtrorum Pſal. 69. v. 5. *quæ non rapui exolvi.* (Auguſtinus in illum locum. *Non peccavi & pœnas dabam. Solus enim ipſe talis, ipſe verò nihil rapuit, non ſolùm nihil rapuit, ſed etiam quod non de rapina habebat, hoc ſe evacuavit, ut ad nos veniret*) Eſa. 43. verſ. 24. *Servire me feciſti in peccatis tuis, laborare me feciſti in iniquitatibus tuis* v. 25. *Ego ego ſum, qui deleo prævaricationes tuas propter me.* Eſa. 53. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit* verſ. 5. *vulneratus eſt propter prævaricationes noſtras, attritus eſt propter iniquitates noſtras, caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum & livore ejus ſanati ſumus* v. 6. *Iehovah conjecit in ipſū iniquitates omnium noſtrûm* v. 8. *propter prævaricationē populi mei plaga fuit ei &c.* Joh. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit* αἴρει *peccata mundi.* 1. Pet. 2. v. 24. *Chriſtus peccata noſtra* ἀνήνεγκεν *ſurſum tulit ſup lignū in corpore ſuo.* Hûc pertinet *hircus emiſſarius* Lev. 16. v. 20. qui *portabat ſup ſe iniquitates Iſraelitarum*, quem fuiſſe typum Chriſti conſtat ex Joh. 1. verſ. 29. 9. Chriſtus ſanguinem ſuum pro peccatis noſtris effudit. Matth. 26. verſ. 28. *Hic eſt ſanguis meus qui effunditur in remiſſionem peccatorum.* 1. Johan. 1. verſ. 8. *Sanguis IESU CHRISTI Filii DEI* (in ara crucis effuſus) *emundat nos ab omni peccato.* Hebr. 9. v. 13. *Si ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis* verſ. 14. *quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum DEO, emundabit conſcientiam ab operibus mortuis* 10. *Chriſtus delevit chirographum, quod erat contra nos ſcriptum.* Coloſſ. 2. verſ. 14. 11. Chriſtus *liberavit nos à maledictione Legis* Galat. 3. verſ. 21. cap. 4. verſ. 4. 12. *ab ira DEI* 1. Theſſ. 1. verſ. 10. 13. *ab æterna damnatione* 1. Theſſ. 5. v. 10. *Non poſuit nos DEUS ad iram, ſed ad acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtū* v. 11. *qui mortuus eſt pro nobis* 14. in Chriſto ſumus coram DEO juſti & dilecti 2. Corinth. 5. v. 21. *eum, qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut redderemur juſtitia DEI in illo* 1. Cor. 1. v. 30. *factus eſt nobis à DEO juſtitia* &c. Immota igitur perſiſtit concluſio, Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe & eſſe meritoriam cauſam juſtificationis. ** Adverſus dictum Epheſ. 5. v. 1. Socinus part. 2. de Servat. cap. 15. f. 152. & Catech. Racov. de Sacerd. Chriſti f. 331. excipiunt, *juxta Tigurinorum & Caſtellionis animadverſionem poſt verba*, tradidit ſemetipſum, *commatis notam requiri, ut ſequentia verba oblationem ac victimam DEO in odorem fragrantiæ, ſint appoſitio & hoc ſignificent, Deo jucundam rem & tanquam victimam fuiſſe, quod Chriſtus ſeipſum tradidit ac morte ſuam prædicationem confirmavit.* Reſp. at quæ hæc eſt ſententiæ optimè cohærentis mutilatio. 1. Chriſtus tradidit ſeipſum confirmandæ prædicationis ſuę ergo. 2. hoc factum tàm jucunda res fuit DEO Patri, quàm grata olim fuit victima aliqua oblata? de Chriſto & corpore ejus expreſſè dicitur, *quod illud dederit Deo victimam, quæ fuerit Deo gratiſſima pro nobis, id eſt*, vice noſtri ſuſcepta. Ex V. T. ſacrificiis Chriſti ſatisfactio probatur. Quicquid 1. in ſtatu innocentiæ non fuiſſet in uſu, 2. ſed demum juſſu divino cœpit poſt lapſū & quidem cum protevangelio de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis & paſſuro vulnerationem calcanei in illa contritione. 3. & fuit peractum cum concione de futura Chriſti paſſione. 4. & ſuo modo peccata expiavit. 5. ac ſemper tractatum eſt circa locum, in quo Chriſtus eſt paſſus. 6. & non niſi ab illo populo tractari debuit, ex cujus linea Chriſtus prodiit. 7. & non debuit durare niſi uſq; ad completam Chriſti paſſionem, illud ſine dubio habet ſingularem reſpectum ad mortem Chriſti. Sed ſacrificia pecorum talia fuerunt. Ergo. Aſſumtum latè probat D. Frantz. in diſp. de ſacrificiis. Obſerva locum clariſſimum de expiatione per ſacrificia in V. T. Levit. 17. v. 11. *Anima carnis in ſanguine eſt, ego dedi illum vobis ſuper altare ad expiandum animas veſtras, ſanguis ipſe animā expiabit*, quem nota propter Socinum qui part. 2. cap. 12. de Servatore dicit, *nihil evinces nuquam niſi aut re aut verbis victimis illis ſatisfaciendi vim attributam fuiſſe probaveris.* **

38 Excipiunt Neo-Photiniani 1. *Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum non alio modo, quàm quod Deus illo ut internuncio & interprete ad fœdus ſuum cum hominibus pangendum & ſanciendum uſus eſt & per quem illi ad ipſum ejus voluntatis cognitione inſtructi accedere poſſunt, quâ ratione etiam Moſes dicitur Mediator V. T. non autem; quod ſatisfactione pro peccatis noſtris præſtitâ DEUM iratum hominibus placaverit.* Socin. part. 1. de Chriſto Servat. cap. 7. Catech. Racovienſ. cap. 8. p. 273. ** Socin. part. 1. de Chriſto Servat. cap. 7. *Decipiuntur omnes, qui perſuaſum habent, Mediatorem non dici niſi qui duos inter ſe invicem diſſidentes componat & alterum alteri conciliet. Significat v. nomē Mediatoris in ſacris literis nihil aliud, quàm eum, qui medius quidem eſt inter Deum & homines, non tamen qui Deum iratum hominibus placet, ſed quo Deus ut internuncio & interprete ad fœdera ſua pangenda & ſancienda utatur & per quem illi ad ipſum ejus voluntatis cognitione inſtructi poſſint accedere.* Item. *Mediatoris*

Exceptiones Neo-Photinianorum.

diatoris appellatione nihil habet commune cum divina gratia placatione ac perinde Chriſtus dicitur eſſe Mediator Dei & hominum, non quia Deum hominibus placaverit, ſed quia novum & æternum fœdus cum humano genere ipſe Dei nomine ſanxerit & omnem DEI voluntatem, unde ad ipſum Deum acceſſus eſt, hominibus patefecerit. Et poſtea. *Nulla eſt in modo iſtarum ut ita dicam Mediationum (Moſis & Chriſti) differentia, ſed diſcernuntur ea tantum modo, quatenus poſterior mediatio Chriſtus ſcilicet excellentioris fœderis fuerit & præſtantiora promiſſa continentis quàm prior Moſis videlicet mediatio.* ** Reſp. 1. ſubordinata non ſunt invicem opponenda. Chriſtus eſt Mediator inter Deum & homines, non ſolùm quia Deus ipſo ut internuncio ad nos uſus eſt, ſed etiam quia nos DEO reconciliavit, præſtitâ pro peccatis noſtris perfectiſſimâ ſatisfactione. ** Duo ſunt hujus Mediatoris officia. 1. divinæ voluntatis apud homines revelatio. 2. pacificatio h. e. pro parte offendente interceſſio & partis offenſæ reconciliatio. 1. Tim. 2. v. 4. Hebr. 9. verſ. 15. ** Si vel maximè concedatur, Moſen non aliâ ratione dici Mediatorem, quàm quia fuit internuncius DEI & hominum in opere Legiſlationis Exod. 19. verſ. 3. & ſeqq. Deuter. 5. verſ. 5. Gal. 3. verſ. 19. ex eo tamen nondum ſequitur, Chriſtum itidem non aliâ nec perfectiori quadam ratione dici Mediatorem, quàm quia fuit interpres Evangelii. ** Longè ſuperiore atque excellentiore ratione Mediator dicitur Chriſtus quàm Moſes, Moſes enim duntaxat typus fuit veri Mediatoris & per conſequens duntaxat miniſterialis vel inſtrumentalis Mediator, Chriſtus autem verus ac principalis Mediator eſt inter Deum & homines, imò propriè & non typicè Mediator, unde etiam unicus Mediator dicitur 1. Tim. 2. v. 5. quod non poſſet de Chriſto dici, niſi excellentiori ratione Mediator eſſet. ** 2. Neque enim novum vel abſurdum, plura eſſe in typo, quàm in antitypo, præſertim ſi plures typi ſimul ſumti reſpiciant antitypum. Moſes Mediator fuit typus Mediatoris Chriſti, ſacrificia Levitica itidem fuêre typi ſacrificii in ara crucis à Chriſto peracti, quòd ſi vel maximè Moſes non fuit typus Chriſti in opere ſatisfactionis ac propitiationis, num propterea ſatisfactio Chriſti fuerit neganda, quam typi ſacrificiorum Leviticorum adumbrârunt? 3. Quid quòd ipſe Moſes officio Mediatoris functus eſt non ſolùm in Legis promulgatione, ſed etiam in ſolenni ac publicâ propitiatione. Cùm enim Exodi 32. populus Iſraeliticus graviſſimo Idololatriæ peccato DEUM graviter offendiſſet, Moſes ſeſe ſaluti medium inter DEUM iratum & populum internecionem promeritum poſuit ac precibus ardentiſſimis oblatâ ſui ipſius ex libro vitæ deletione iram DEI & internecionem populi avertit. Hûc referendum, quòd Aaron ſummus V. T. Sacerdos incenſo ſacrificii ſui populum expiaverit, cùm adverſus Moſen & Aaronem murmuraſſent atque itidem graviſſimo ſcelere ſe obſtrinxiſſent. Num. 16. v. 47. Quòd ſi Moſes & Aaron fuerunt Mediatores reconciliationis typici, multò magis Chriſtus erit verus reconciliationis ac propitiationis Mediator. 4. Sed enim non eſt noſtris conjecturis liberum relictum, quâ ratione Chriſtus dicatur Mediator, cùm ipſa Scriptura ejus rei cauſam ſatis dilucidè expoſuerit. Sic enim Apoſtolus 1. Tim. 2. v. 4. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire v. 5. Unus enim eſt Deus, unus etiam Mediator DEI & hominum homo Chriſtus Ieſus v. 6. qui dedit ſeipſum precium redemtionis pro omnibus.* Hic exponitur ratio, propter quam Chriſtus dicatur Mediator, nimirum quia ſeipſũ dedit ἀντίλυτρον pro omnibus & vitam ſuam in noſtrûm omnium redemtionem impendit. Negat quidem Socinus exprimi his verbis modum, quo Chriſtus dictus ſit Mediator, cùm de ira Dei adverſus homines in præcedentibus verbis nihil quicquam contineatur, ſed parùm roboris huic rationi ineſt; eo ipſo enim quòd Chriſtus ſeipſum ἀντίλυτρον dediſſe dicitur, ira DEI hujus ἀντιλύτρου traditione placanda, piis mentibus cogitanda relinquitur. Cui enim propter partes Mediatoris ſibi impoſitas vita impendenda, cum non internunctum tantùm, ſed & reconciliationis Mediatorem eſſe manifeſtè cõſtat. Sic Heb. 9. v. 15. *Chriſtus N. T. Mediator eſt, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationũ quæ erant ſub priori Teſtamento repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt ad æterna hereditatis poſſeſſionem.* Hîc denuò exprimitur modus, pacti & confirmati per Chriſtum novi fœderis, videlicet interveniens paſſio & mors Mediatoris, per quam iratum Deum placavit & hominibus reconciliavit

39. 2. *Redemtionis vocem eſſe metaphoricam ac nihil aliud in hac quæſtione ſignificare, quàm ſimplicem liberationem, quæ abſque interveniente vero ſatisfactionis precio ſit facta.* Socin. contra Covetum p. 75. Catech. Racov. cap. 8. p. 276. ** Schm. in ex. 157. error. err. 51. p. 16. *Fatemur ſanguinem Chriſti verum precium eſſe redemtionis noſtræ & vim pretii in nobis redimendis habuiſſe, quia verè id nobis præſtitit Chriſti ſanguis, quod precium in redimendo aliquo captivo præſtat, ſed impropriè id deſcribi dicimus, quia non omnia requiſita, quæ ad redemtionem propriè ſic acceptam pertinẽt, in noſtra redemtione appareãt, nemo enim eſt, cui ſanguis Chriſti ſit datus pro nobis, quod ad redemtionem proprie ſic dictam neceſſe pertinet.* ** *2. Redemtionem ſignificare ſimplicem liberationem.* Reſpond. Detur ſanè, quòd verbum Redimendi quibuſdam in locis ſignificet ſimplicem liberationem abſque interveniente vero precio, ex eo verò nondum ſequitur, etiam illis in locis, in quibus Chriſtus Redemtor noſter dicitur, metaphoricam illam ſignificationem locum habere; ** Quotieſcunque enim non ſimpliciter fit mentio redemtionis, ſed ſimul additur, quod redemtio ſit facta per precium aliquod & precium illud exponitur, tunc non ſimplex liberatio, ſed liberatio ſatisfactioria intelligitur, quo enim fine aliàs precii mentio fieret? Ubi eſt. 1. captivus ſeu redimendus. 2. perſona quæ captivum redimit. 3. λύτρον ſive precium redemtivũ, quod pro eo perſolvit. 4. captivitas, à qua eum redimit. & 5. libertas, in quam eum aſſerit, ibi eſt redemtio propriè ſic dicta. Atqui in noſtra ſpirituali redemtione 1. eſt objectum redemtionis, id eſt, captivi, qui ſunt omnes homines. Zach. 9. Galat. 3. v. 10. 2. cauſa principalis eſt Chriſtus redemtor noſter h. e. propitiatoriũ noſtrum Rom. 3. v. 24. & propitiatio pro peccatis noſtris. 1. Joh. 2. v. 1. 3. cauſa inſtrumentalis ſive medium redemtionis ſanguis Chriſti, qui dicitur ſanguis Teſtamenti Zach. 9. v. 11. Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 14. 4. terminus

à quo redimimur eſt captivitas, ſub qua intelligimus ipſum judicem ſeu dominũ carceris: cuſtodem carceris: carcerem ipſum, ejuſq; adjuncta. Judex eſt ipſe Deus iratus ſive ira & judiciũ Dei Rom. 5. v. 9. Gal. 3. v. 13. Cuſtos carceris eſt Diabolus à quo Chriſtus nos redemit Oſ. 13. v. 14. Num. 1. v. 24. Carcer eſt infern⁹ ſeu lacus, in quo non eſt aqua Zach. 9. Oſ. 13. adjuncta carceris ſunt laquei peccatorum noſtrorum Luc. 1. v. 74. Ebr. 2. v. 14. 5. terminus ad quem eſt Deus, cui nos redimit Chriſtus & libertas in quam nos aſſeruit Luc. 1. v. 74. &c. ** Diſertiſſimè teſtatur Scriptura, quòd Chriſtus ſuo ſanguine tanquam vero redemtionis precio nos redemerit. Rom. 3. v. 24. *Iuſtificamur gratis ipſius gratiâ per redemtionem factam in Chriſto Ieſu.* v. 25. *quem propoſuit Deus* ἱλαστήριον *per fidem in ſanguine ejus*; hîc conjungitur redemtio & placatio per Chriſti ſanguinem facta 1. Cor. 6. v. 20. *emti eſtis* τιμῆς *pretio magno, nimirum non corruptibilib. auro vel argento, ſed* τιμίῳ *precioſo ſanguine velut agni immaculati & incontaminati Chriſti*, ut exponit Petrus 1. Epiſt. 1. v. 18. & 19. ** Diſtinguendũ igitur inter *redemtionem corporalem*, quæ quocunque modo etiam ſine precii interventu fieri poteſt, & *Spiritualem*, quæ non niſi ſanguinis effuſione fieri poteſt. Heb. 9. v. 22. Alii diſtinguunt inter redemtionem judicialẽ & extrajudicialem, hæc ſine λύτρῳ peragi poteſt, illa nunquam. ** Gal. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit à maledictione Legis factus pro nobis maledictum*: hîc itidem exprimitur redemtionis noſtrę precium, nimirum exaltatio Chriſti in ara crucis. Eph. 1. v. 7. Coloſſ. 1. v. 14. *in Chriſto habemus redemtionẽ per ſanguinem ipſius.* Tit. 2. v. 14. *Chriſtus dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret nos ab omni tranſgreſſione.* Hebr. 9. v. 12. *Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſacrarium æterna redemtione inventa.* verſ. 15. ideo *N. T. Mediator eſt, ut morte intercedente in redemtionem earum prævaricationum, quæ erãt ſub priore Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati erant, ad æternæ hereditatis poſſeſſionem* Apoc. 5. v. 9. *mactatus es & redemiſti nos per ſanguinem tuum.* In his ac ſimilibus Scripturæ dictis redemtio Chriſti & verum redemtionis precium perpetuò conjunguntur, ex quo immotè colligitur, quòd redimere in hac quęſtione ſignificet, eo modo aliquem liberare, ut detur pro eo precium vel compenſatio aliqua ſatisfactionis vim habens: inde eſt, quòd verba λυτροῦν, ἀπολυτροῦν, λυτροῦσθαι cum verbis ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν in ſcripturis permutantur. Atqui ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν talẽ emtionem ſeu acquiſitionem notant, in qua verum intervenit precium. ** Objiciunt locum Eph 5. v. 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, *ubi non habet locũ emtio propriè ſic dicta.* Reſp. Senſus eſt, redimentis occaſionem, id eſt, bonis operibus inſiſtendo habentes rationem opportunitatis & occaſiones, punctiq; momenti & articuli temporis, in quo quicquid agendũ eſt commodè geri poteſt, ſeu in id induſtriè incumbentes, ut temp⁹ in hoc mundo utiliter collocemus, nullam occaſionem promovendi gloriam DEI, noſtrumq; proximum juvandi præterlabi ſinentes, tametſi id etiam cum magno aliquo rerũ noſtrarum diſpendio facere oporteat, atque ita non omnino hinc excluditur reſpectus ad aliq; precium. Nam hîc requirit à nobis Apoſtolus ſapientiam illam, quâ uſq; adeo non negligamus occaſionem lucrifaciendi incredulos & circumſpectè inter illos converſandi & quicquid agendum eſt, utiliter agendũ, ut etiã parati ſimus vel dato precio eam redimere, quod conſiſtit in variarũ rerum tolerantia. Theoph. in curarum & voluptatum mundi abjectione & deſpectione, in laborum & moleſtiarum exantlatione, omniumque obſtaculorum depulſione & remotione, & beneficiorum in alios collatione. ** Quod 1. Petr. 1. v. 18. dicitur ἐλυτρώθητε, id 1. Cor. 6. v. 20. exprimitur per ἠγοράσθητε. Rom. 3. v. 24. Eph. 1. v. 7. Coloſſ. 1. v. 14. Hebr. 9. v. 12. & 15. uſurpatur vox ἀπολυτρώσεως Gal. 3. v. 13. cap. 4. v. 5. Apoc. 5. v. 9. ἀγοράζειν καὶ ἐξαγοράζειν. ** Socin. ipſe in Synopſi de Juſtif. p. 7. *Redimendi verbũ propriè pretio dato liberare ſignificat, imò ſi ipſius verbi vim ſpectes, emtionem omnino declarat, quæ ſine precio fieri nequit.* ** Regerunt Adverſarii. *Moſes dicitur* λυτρωτὴς *& fuit typus Chriſti* Act. 7. v. 35. *At Moſes non ſatisfecit pro populo Dei. Ergò & Chriſtus nullo vero precio unquam ſoluto nos redemit.* Reſp. Denuò repetimus, typi & antitypi nõ eſſe parem ac eandem per omnia rationem. Vera eſt collatio. Quemadmodum Moſes populum Iſraeliticum ex ſervitute Ægyptiaca redemit: ita Chriſtus ex ſpirituali ſervitute peccati nos redemit, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd Chriſtus non aliâ ac pręſtantiori quadam ratione nos redemerit, cùm Scriptura toties aſſerat, intervẽniente morte & ſanguinis effuſione tanquam λύτρῳ nos à Chriſto redemtos eſſe, de Moſe tale quid nuſpiam legitur. ** Prov. 13. v. 8. *Redemtura vitæ viri divitiæ ejus.* Reſp. indicat Salomon, quod dives in manus hoſtium incidẽs divitiis ſuis poſſit vitam ſuam redimere. Atque ſic vox *Copher* indigitat precium propriè dictum. **

40. 3. ἱλασμὸν *apud Iohannem nihil aliud ſignificare quàm expiationem, jam verò peccata expiare, non eſt pro ipſis divinæ juſtitiæ ſatisfacere, ſed eorum reatum auferre & ipſa purgare.* Soc. contra Covetum p. 126. Reſp. 1. ἱλασμὸς propriè ſignificat placationem ſeu propitiationem, hoc eſt, talem expiationem, quæ ſimul includit intervenientem propitiationem, quia ἱλάσκεσθαι καὶ ἐξιλάσκεσθαι uſurpantur à LXX. Interpretibus loco verbi Hebraici כפר texit & סלח propitius fuit. Chriſtus igitur dicitur propitiatio pro peccatis noſtris, quia ſanguinis ſui effuſione peccata noſtra expiavit ac DEUM nobis propitium reddidit, unde vi hujus ſatisfactionis à ſe præſtitæ in judicio DEI Advocatus noſter eſt. 2. Subordinata igitur non ſunt ſibi invicem opponenda. Deus ex mera gratia aufert reatum peccatorum, eademque purgat, ſed illa gratia non niſi propter CHRISTI ſatisfactionem ac meritum nobis contingit, unde *per CHRISTUM* dicitur *nobis facta gratia* Johan. 1. verſ. 17. in *CHRISTO* dicimur *electi* Eph. 1. verſ. 4. *in CHRISTO* dicimur *habere redemtionem per ſanguinem ipſius.* verſ. 7. 3. Modum propitiationis ipſa Scriptura refert ad effuſionem ſanguinis Chriſti, negari proinde nequit, CHRISTI propitiationem eſſe ſatisfactoriam propter intercedens λύτρον, quo rectè obſervato ſpontè concidit cavillum adverſariorum, quòd propitiatio quandoque fiat per deprecationem ejus, qui offendit. Cùm enim Deus ſit judex juſtiſſimus, imò ipſa juſtitia, ideò abſq; interventu plenæ ac perfectæ ſatisfactionis

3. Expiare peccata eſt reatum eorum auferre.

propi-

propitiatio illa per nudam ſubmiſſionem vel deprecationem fieri non potuit. 4. Inde Apoſtolus pronunciat, quòd Deus *propoſuerit* Chriſtum *ἱλαςήριον propitiatorium in ſanguine ejus* Rom. 3. v. 25. reſpectu habito ad operculum aureum in arca fœderis, quod fuit typus unici & veri propitiatorii Chriſti, qui ſanguinis ſui effuſione (ut notanter addit Apoſtolus modum propitiationis exprimens) Deum nobis fecit propitium, ut per fidem ad ipſum, *tanquam thronum gratiæ accedentes miſericordiam conſequamur* Hebræor. 4. v. 16. Neque eſt, quòd obvertant adverſarii, *operculum illud vocari propitiatorium, non quia Deum populo Iſraelitico placaret, ſed quia Deus in eo ſe propitium & placatum præbens reſponſa dabat: ita quoque Chriſtum vocari propitiatorium, non quia Deum nobis placaverit, ſed quia Deus in ipſo ſe placatiſſimum nobis oſtendens, voluntatem ſuam per ipſum revelaverit*, quæ etiam hæc conſequentia? num typi ac antitypi eadem per omnia eſt ratio? an ex figuris pugnandum contra manifeſta Scripturæ dicta, quæ aſſerunt, Chriſtum præſtantiori quadam ratione videl. per & propter ſanguinis ſui effuſionem eſſe *ἱλαςήριον*? Invertimus igitur argumentum. Operculum illud aureum non potuiſſet *ἱλαςήριον* appellationem ſortiri, neq; Deus ſeſe propitium ac placatum in eo oſtendiſſet, niſi reſpectum habuiſſet ad Chriſtum, qui morte & ſanguine ſuo Deum placavit, cujus merito & ſatisfactione peccata noſtra contra legem commiſſa teguntur, quò minùs in conſpectum Dei veniant & nos condemnent, ſicut operculum illud tegebat Legis divinæ tabulas in arca reconditas, per quem deniq; noviſſimis temporibus Deus ad nos locutus eſt Hebr. 1. v. 2. ſicut ex propitiatorio inter duos Cherubim ad Moſen olim loquebatur Exod. 25. v. 22.

4. *Reconciliationē eſſe hominum ad ſe invicem.* 41. 4. *Reconciliationem non eſſe hominum cum Deo ſed ſecum ipſis, hoc eſt, gentium cum Iudæis, hominum cum Angelis partam concordiam.* Oſtorod. contra Tradel. p. 230. *atque hanc reconciliationem Deum feciſſe non alicui juſtitiæ ſuæ ſatisfaciendo, ſed nos, qui abalienati ab ipſo eramus, inimicumq; animum, mala multa perpetrantes, adverſus eum gerebamus, ab iniquitatibus noſtris retrahendo & ita coram ſe pro ineffabili benignitate ſanctos atque inculpatos reddendo, hoc eſt, nequaquam Deum tanquam nobis inimicum, per Chriſtum nobis reconciliatum eſſe, ſed tantùm nos, qui inimici eramus Dei, reconciliatos eſſe ipſi per Chriſtum, ut ita reconciliatio noſtri cum Deo nihil aliud ſit, quàm procurata à Chriſto ad Deum noſtra converſio, ac renovatam vel potiùs initam cum Deo amicitiam ſignificet.*. Socin. part. 1. de Chriſto Servatore cap. 8. Catech. Racov. cap. 8. p. 274. Reſpond. 1. Subordinata denuò ſibi invicem opponuntur. Concedimus Apoſtolum Eph. 2. de diſſidio inter Judæos & gentes Coloſſ. 1. inter Angelos & homines per Chriſtum ſublato loqui, ſed ex eo nondum ſequitur, non agi ibidem de diſſidio inter homines & Deum per Chriſti ſatisfactionem ſublato, diſertè enim dicit Paulus Epheſ. 2. v. 16. *Chriſtum utroſque* (Judæos & gentes) *in uno corpore reconciliâſſe per crucem Deo peremtis inimicitiis per eam*: reconciliavit ergò ethnicos non tantùm Judæis, ſed etiam ipſi Deo, ut ſint *propinqui Deo*, verſ. 13. *& aditum ad Patrem habeant*. verſ. 18. *concives Sanctorum & domeſtici Dei facti*. verſ. 16. adde, quòd reconciliatio illa dicitur facta per Chriſti ſanguinem, cujus effuſio non requirebatur principaliter hoc fine, ut inimicitia inter Judæos & gentes tolleretur, ſed ut ſublato peccato, quod nos *à Deo ſejungit* Eſa. 59. v. 2. homines Deo reconciliarentur. Sic poſtquam Apoſtolus dixerat Coloſſ. 2. v. 20. *per Chriſtum eſſe omnia reconciliata, pacificatis per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terra ſunt, ſive quæ in cœlis*, immediatè ſubjungit verſ. 21. *Et vos qui quondam eratis abalienati & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliavit* verſ. 22. *in corpore carnis ſuæ per mortem*, ex quò manifeſtè patet, reconciliationem hominum cū Deo hoc loco haudquaquam excludi, ſed potiùs includi. Ideò enim Angeli cum hominibus in gratiam redierunt, quia per Chriſtum humanum genus Deo eſt reconciliatum, à quo per peccatum turpiſſimè deſciverat. 2. Deo nos per Chriſtum reconciliatos eſſe Scriptura evidenter aſſerit, idque adverſarii concedunt, ſed ex eo nec debet nec poteſt inferri, quòd Deus nobis per Chriſtum non ſit reconciliatus, quin pótiùs unum ex altero ſequitur; Ut enim nos nondum reconciliati à Deo; ita quoq; Deus à nobis nondum reconciliatis diſſidebat. Eſa. 59. v. 2. *Peccata veſtra diviſerunt inter vos & Deum*, utrarumq; igitur partium diſſidentiū reconciliatione opus erat, nec nos Deo reconciliari poteramus, niſi & Deus reconciliaretur nobis: inde Apoſtolus aſſerit, *Nos, cùm adhuc inimici eſſemus, reconciliatos eſſe Deo per mortem Filij ejus* Roman. 5. v. 10. ubi per inimicitiam intelligitur, non tantùm quâ nos à Deo, ſed & quâ Deus à nobis propter peccata diſſidebat, ut ex dicto Prophetico & ex ipſa Dei juſtiſſimi judicis & peccatorum vindicis Naturâ manifeſtum. Sic poſtquam Apoſtolus dixerat 2. Cor. 5. v. 18: *Deum nos reconciliâſſe ſibiipſi per Chriſtum*, ſubjungit verſ. 21. eum: *qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatū*; ubi oſtendit reconciliationis modum, quòd ſcil. peccata noſtra in Chriſtum conjecerit, & hac ratione per Chriſti mortem ac ſatisfactionem nobis iterum placatus ſit. Nec eſt, quòd obvertat Catech. Racov. p. 274. *Deum ipſum feciſſe hanc reconciliationem, quod ſententiam noſtram penitùs evertat*; illud enim nihil aliud probat, quàm quòd Deus ſuam in hoc reconciliationis opere caritatem nobis commendaverit. Rom. 5. v. 8. at in eo ipſo juſtitiam Dei clarè effulſiſſe itidem nobiſcum agnoſcant, quatenus unigenitum Dei Filium pro nobis in mortem, eamque execrabilem tradi neceſſarium fuit, ut noſtri cum Deo reconciliatio locum habere poſſet, unde diſertè additur, Deum nos ſibiipſi reconciliâſſe per Chriſtum, per mortem Chriſti tanquam precium noſtræ redemtionis. Chriſtus igitur nos reconciliavit Deo ſublatis inimicitiæ cauſis, hoc eſt, *expiatis per mortem ſuam peccatis* Hebr. 2. v. 17. propter quæ *eramus Naturâ filij iræ* Epheſ. 2. v. 3. ut impoſterum *dilecti redderemur in dilecto* Epheſ. 1. v. 6. Lombard. lib. 3. ſent. diſt. 19. F. *Quomodo nos diligenti Deo ſumus reconciliati? propter peccatum cum eo habebamus inimicitias, qui habebat erga nos caritatem, etiam cū inimicitias exercebamus adverſus eum, operando iniquitatem. Ita ergò inimici eramus Deo, ſicut juſtitiæ ſunt inimica peccata & ideò dimiſſis peccatis tales inimicitiæ finiuntur, & reconciliātur juſto, quos ipſe juſtificat. Chriſtus E. dicitur Mediator, eò*

quod medium inter Deum & homines ipſos reconciliat Deo, reconciliat autem dum offendicula hominum tollit ab oculis Dei, i.e. dum peccata delet, quibus Deus offendebatur & nos inimici ejus eramus.

5. Voces λύτρον & ἀντίλυτρον eſſe metaphoricas.

42. 5. *Voces λύτρου & ἀντιλύτρου eſſe metaphoricas, illisq; nihil aliud ſignificari, quam quod Chriſtus vitæ ſuæ traditione ac ſanguinis ſui effuſione liberationem è ſpirituali peccati & mortis captivitate impetraverit, nō minùs ac vero redemtionis precio perſoluto captivi liberari ſolent.* Socin. contra Covet. p. 75. Catech. Racov. p. 272. Reſp. In articulis fidei non eſt diſcedendum à literali verborum ſenſu, niſi ipſa Scriptura improprietatem oſtendat, eamq; ſimul exponat, ut alibi docuimus. Quâ igitur audaciâ redemtionem & precium redemtionis metaphoricè interpretari audent, cū hujus ſuæ interpretationis vel potiùs perverſionis nullum afferant ex Scripturis veſtigium? Vera captivitas veram redemtionem ac verum redemtionis precium exigit, nos autem verè eramus captivi in regno Satanę ac mortis propter peccatum, verâ igitur redemtione ac vero redemtionis precio ad liberationem indigebamus. Illud precium ac λύτρον non fuit nec eſſe potuit *corruptibile aurum vel argentum, ſed precioſus Filii Dei ſanguis*, 1. Pet. 1. v. 19. Immota igitur eſt hæc conſequentia. Mors Chriſti in liberatione noſtri intervenit tanquam λύτρον & ἀντίλυτρον. Ergò liberatio illa eſt verè & propriè ſic dicta redemtio. Adverſarii contrà ex præconceptis opinionibus metaphoricam redemtionis ſignificationē Scripturis inferunt & ex ea poſtea concludunt, etiam λύτρου vocem metaphoricè accipiendā eſſe. Regerit Catech. Racov. p. 270. *Dicimur redemti ab iniquitatib. noſtris* Tit. 2. v. 14. *à vana noſtra converſatione.* 1. Pet. 1. v. 18. *ab execratione legis* Galat. 3. v. 13. *jam verò injuſtitia non eſt precium aliquod ſolutum*, Reſp. Quæ verò hæc connexio, ab iniquitatibus noſtris ſumus redemti. Ergò iniquitatib. fuit perſolvendum precium? nū & hoc modo argumentabimur; Captivus à carcere intercedente λύτρῳ redimitur. Ergò ipſi carceri λύτρον perſolvitur. Diſtinguendum eſt inter ipſam precii perſolutionem & inter conſequens illius perſolutionis, quod eſt liberatio ex captivitate. Regerit Catech. p. 272. *In hac redemtione nemo dari poteſt, cui præſtitum fuerit ſolutionis precium, ergò non erit verè & propriè dicta redemtio.* Reſp. *Chriſtus tradidit ſeipſum pro nobis victimā & oblationem Deo.* Eph. 5. v. 2. *Obtulit ſeipſum per Spiritum æternum inculpabilem Deo.* Hebr. 9. v. 14. ** DEO precium hoc non fuiſſe ſolutum Photiniani putant, *cùm Deus ipſe hanc redemtionem procuraverit, atq; ſic potiùs precium dediſſe quàm accepiſſe dicendus ſit.* Reſp. licet DEus ipſe redemtionem procuraverit, tamen quia per Filium eam procuravit, precium omninò accipere potuit.** Deus igitur eſt, cui λύτρον redemtionis noſtræ pſolutū. Is enim juſto ſuo judicio tradiderat nos Satanæ tanquā miniſtro & executori juſtitiæ captivos, illi igitur, non Satanæ, qui fraudibus ſuis nos ſeduxerat & non niſi permittente DEO nos captivos tenebat, perſolvendum erat λύτρον. Diſſerit de hac quæſtione Greg. Nazianz. orat. 42. εἰς τὸ ἅγιον πάσχα p. 691. *Alienum* (inquit) *non fuerit rem ac doctrinam inquirere, à multis quidem neglectam, meo autem judicio ſtudioſè perquirendam. Eccui enim ille pro nobis ſanguis & quam ob cauſam fuſus eſt, ille inquā magnus & nobilis Chriſti tum Pontificis tum ſacrificii ſanguis? Nos enim à Diabolo detinebamur (κατειχόμεθα ὑπὸ τοῦ πονηροῦ) utpotè qui venundati eſſemus ſub peccato, ac vitium cum voluptate commutaſſemus. Quòd ſi redemtionis precium non ulli alii, quam ei, qui captivos tenet, perſolvitur, quæro cui tandem oblatum eſt & quam ob cauſam? Si pravo illi, ô gravem contumeliam, ſi non à Deo ſolùm, ſed Deum quoque ipſum pro redemtionis precio latro accipit, adeoq; inſigne & excellens Tyrannidis ſuæ premium, cujus cauſâ nobis quoq; parci æquum erat: Si autem Patri, primùm quo modo id factum eſt? nec enim ab ipſo tenebamur. Deinde quæ ratio afferri poteſt, ut unigeniti ſanguine Pater oblectetur, qui ne Iſaac quidē à Patre oblatum acceperit, ſed ariete irrationali victimæ locum ſubſtituto ſacrificiū permutarit. Perſpicuū utiq; eſt Patrem quidem accepiſſe, non tamen quod petierit, aut eo opus habuerit, verùm propter conſiliū & adminiſtrationem (διὰ τὴν οἰκονομίαν) & quia per humanitatem à Deo aſſumtam homini ſanctitatem afferri oportebat: ut Tyranno per vim ſuperato (τοῦ τυράννου βίᾳ κρατήσας) nos liberaret atq; ad ſe per interjectum Filium (διὰ τοῦ υἱοῦ μεσιτεύσαντος) reduceret, hoc ad Patris honorem, cui in omnib. reb. cedere perſpicitur, diſpenſantem.* In oratione funebri Philippi Melanchth. refertur, quòd paucis ante obitum diebus idem argumentum in publica lectiune nervosè & perſpicuè ſolverit.

6. Chriſtū dici peccatum, quia pro peccatore fuit habitus.

43. 6. *Chriſtum vocari ab Apoſtolo peccatum, non quod ſit hoſtia pro peccatis, ſed quia pro peccatore fuit habitus.* Socin. contra Covetum pag. 55. Reſp. Imò verò Chriſtus disertè vocatur hoſtia & victima pro peccatis noſtris Eph. 5. v. 2. *Chriſtus tradidit ſeipſum pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν oblationem & ſacrificium Deo in odorem ſuavitatis.* Hebr. 9. v. 26. *Semel in conſummatione ſeculorum ad deſtructionem peccati διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ per hoſtiam ſuum apparuit.* Hebr. 10. v. 12. *Unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextra Dei*: hujus typi fuerunt ſacrificia ἱλαστικὰ Veteris Teſtamenti, in quibus præfigurabatur unicum illud ſacrificium propitiatorium in ara crucis à Chriſto oblatum, quod fide reſpiciebant pii veteres, unde Epiſtola ad Hebræos cap. 11. v 4. dicit; *Abelem fide πλείονα θυσίαν majorem hoſtiam quàm Cain obtuliſſe.* Regerit Catech. Racov. cap. 8. pag. 278. *Non ipſa ſacrificia præfiguraſſe Chriſti mortem, ſed mactationem illius animalis ſemel quotannis peragendam, cujus ſanguine ſummus Pontifex ingrediebatur ſanctum ſanctorum, fuiſſe typum mortis Chriſti: jam verò mactatio illa non fuit ipſum ſacrificiū ſed præparatio & initiū quoddam ſacrificii, quod tum demū ſequebatur, cùm Pontifex cum ſanguine ſacrificii ingrederetur ſanctum ſanctorū: ita quoq; mors Chriſti non fuit ipſum ſacrificium, ſed præparatio & principium ſacrificii, tum demum ſecutum eſt, cùm Chriſtus in cœlum eſt ingreſſus.* Reſpond. Non ſolùm illius animalis mactatio fuit typus ſacrificii Chriſti, ſed etiam bini illi agni quotidiè manè & veſperi offerendi Numer. 28. v. 3. imò omnia omninò Veteris Teſtamenti ſacrificia pro peccatis & delictis expiandis oblata, unde Johannes Chriſtum vocat *Agnum DEI, qui tollit peccata mundi* Johan. 1. verſ. 29. quippe qui figuras ſacrificiorum Leviticorum in corpore ſuo implevit, non in ſua demum aſcenſione, ſed in ara crucis, in qua pro peccatis noſtris mortuus eſt, diſtincta enim ſunt ſacerdotalia illa mune-

munera, ſacrificare & intercedere, prius perfecit Chriſtus in morte & ſanguinis effuſione, poſterius in ſuo ad dextram Patris conſeſſu. Nec eſt, quòd regeratur, *Sacrificia Levitica non habuiſſe vim ſatisfaciendi pro peccatis hominum, ideò eandem quoque morti Chriſti denegandam eſſe*; quamvis enim ſacrificia Veteris Teſtam. per ſe & ex opere operato nec ſatisfecerint pro peccatis nec peccata abſtulerint, interim tamen *ſanctificârunt inquinatos ad emundationem carnis*, ut loquitur Epiſt. ad Hebr. 9. v. 13. Proinde *ſi ſanguis hircorũ & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit inculpatum Deo emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*, ut ibidem Apoſtolus concludit v. 14. Quia mors peccatori debita derivabatur in animal ſacrificandum, eo modo, quo deſcribitur Lev. 16. v. 5. ideò erat quaſi viſibilis commonefactio, impoſſibile eſſe, ut nos ipſos liberemus ex morte & damnatione, ſed opus eſſe quadam victima, quæ *vulneretur propter peccata noſtra, ut livore ejus ſanemur*. Eſa. 53. v. 3. *impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata* Hebr. 10. v. 4. quod ipſum etiam multiplex varietas & crebræ repetitiones ſacrificiorum ſignificârunt: Intelligebant igitur pii Vet. Teſt. requiri perfectius ſacrificium, cujus typi ſolummodò in Leviticis illis ſacrificiis fuêre propoſiti. Quemadmodum enim typicè peccata imputabantur hoſtiæ, quæ pro peccatis offerebatur: ita Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, pro quib. in ara crucis ſeipſum obtulit.

7. Chriſtũ factum eſſe maledictum in quandam legis execrationem incidendo.

44. 7. *Chriſtum pro nobis factum eſſe maledictum non ſubeundo execrationem legis, quam nos ſubire debebamus (illa enim erat mors æterna, quã minimè Chriſtus ſubiit) ſed incidendo in quandam legis execrationem noſtri causâ.* Socin. contra Covet. p. 72. Reſp. imò verò non in quandam Legis execrationem Chriſtus noſtri causâ incidit, ſed ex decreto Dei factus eſt pro nobis maledictũ, voluntariè ſubeundo illam execrationem Legis, quã propter peccata ſubire debebamus. Niſi cãdem maledictioné Legis, quæ nobis debebatur, Chriſtus ſuſtinuiſſet, quomodo nos à maledictione Legis liberâſſet? Quamvis verò mortem æternam non ſubierit (quod fuit ἀδύνατον, cùm fuerit ſui ratione innocentiſſimus & dilectiſſimus Dei Filius; neque hac ratione potuiſſet eſſe Redemtor noſter) tamen verè ſenſit dolores inferni & judicium Dei iraſcentis peccatis noſtris, quæ in ipſum conjecta erant, unde conqueritur, *ſe à Deo derelictum* Pſal. 22. v. 2. Matth. 27. v. 46. atq; hæc animæ anxietas, & *labor* (ut vocat Eſa. c. 53. v. 11.) exprimit ipſi *ſudorem ſanguineum* guttatim in terram decurrentem Lucæ 22. v. 44.

8. Non poſſe probari, quod Chriſtus peccata noſtra & pœnas eorum in ſe ſuſceperit.

45. 8. Chriſtum peccata & peccatorum noſtrorum pœnas in ſe ſuſcepiſſe διαῤῥήδην negant, ideò Scripturæ dicta, quæ id evidenter aſſerunt, variis modis torquent, Eſa. 43. dicunt *non agi de Chriſto, vel ipſius ſatisfactione, ſed de moleſtia Dei* καθ᾽ ἀνθρωποπάθειαν *ſic dictâ, quam propter peccata hominum ſuſtinuerit.* Reſp. Analogia fidei docet, non poſſe hunc locum excluſâ Chriſti ſatisfactione de Deo intelligi, qui extra Chriſtum non habet locum remiſſio peccatorum. Is ſervivit in peccatis noſtris, hoc eſt, propter peccata noſtra, quia *venit ut ipſe miniſtraret ac daret animam ſuam redemtionem pro multis* Matth. 20. v. 28. is etiam laboravit in iniquitatibus noſtris, quia *anima ipſius* in opere redemtionis *laboravit* Eſa. 53. v. 11. propter ipſum delentur iniquitates noſtræ, quia *remittuntur nobis peccata propter nomen ejus*. 1. Joh. 2. v. 12. Idipſum docet oppoſitio in textu v. 22. nõ tuo opere vel ſacrificiorum cumulo miſericordiam meam & peccatorũ remiſſionem promeritus es, ſed mihi ſerviendũ ac laborandum fuit, ut peccata tua delerentur. Nec quenquam turbet, quòd verbis præteriti temporis Deus utatur, cùm tamen paſſio Chriſti nondum contigerit, præterquam enim quòd Prophetis uſitatum eſt propter certitudinem vaticiniorum res futuras verbis præteriti temporis exprimere, reſpectus hîc habetur ad fructum paſſionis Chriſti, qui ſe ad Vet. Teſt. non minùs extendit, quàm ad Novum, unde *agnus* dicitur *occiſus ab origine mundi* Apoc. 13. v. 8. profuit Chriſti paſſio antequam fuit, quid ergò mirum, quod verbis præteriti temporis ea exprimatur? Eſa. 53. dicunt *nihil aliud haberi, quàm quod Chriſtus peccata noſtra abſtulerit, neqnaquam verò quod ea ſuſceperit vel pro illis ſatisfecerit*. Reſp. Sanè Chriſtus peccata & pœnas peccatorum noſtrorum abſtulit, eadem verò in ſe recipiendo, & pœnas peccatorum noſtrorum perſerendo abſtulit, inde Propheta aſſerit ipſum *vulneratum eſſe propter iniquitates noſtras, attritum propter ſcelera noſtra; Deum poſuiſſe in eum iniquitates omniũ noſtrûm*, **Obſerva in dicto Prophetico. *1. Principiũ imponens* quod eſt Deus iratus judex qui in Chriſtũ conjicit omnium noſtrûm peccata. v. 6. *2. Objectum* ſive id quod Chriſto imponitur: id ſunt tum peccata noſtra, tum peccatorum pœnæ peccatis noſtris debitę v. 5. 6. 10. 12. *3. Subjectum* recipiens quod eſt Chriſtus agnus Dei, qui cũ agno & ovè comparatur. *4. modum receptionis*, qui exprimitur vocab. נשא & סבל quæ oneroſam portationẽ in hac miſeria ſignificant, ut patet ex locis parallelis & ex conſequente iſtius impoſitionis ac receptionis, quia Chriſtus propter noſtras iniquitates eſt flagellatus, cõtritus, percuſſus, afflictus, vulneratus. v. 4. 5. 12. *5. finem*, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, livore ejus ſanati ſumus, animam pro nobis poſuit אשם victimam vel ſacrificium pro peccato** Utrumq; igitur Propheta docet, utrumq; per vocabula נָשָׂא βαστάζειν & αἴρειν denotatur, quòd Chriſtus peccata noſtra in ſe receperit & velut grave onus portaverit, ac poſteà demum abſtulerit, poſterius non excludit, ſed potiùs præſupponit prius. Quamvis v. Matth. verba Eſaiæ per ſimilitudinem quandam de ablatione morborum corporaliũ interpretetur c. 8. v. 17. cùm curatio morborum, qui ſunt peccatorũ pœnæ, typus fuerit ſpiritualis illius beneficii, ꝓpter quod Chriſtus in mundum venerat, videl. liberationis à peccato, inanet interim propriã ac principalem textus Prophetici ſententiã non excludi, quòd Chriſtus peccata noſtra & pœnas peccator. noſtror. recipiendo ead. abſtulerit. **In Eſaia idem eſt verbũ quod reperitur. Lev. 16. v. 22. de hirco emiſſario portãte. geſtante, ſeu ferente ſuper ſe peccata totius populi. Et mox è veſtigio ſequitur, quod dolores noſtros ipſe bajulaverit, geſtaverit, ubi eſt verbum *Sabal*, quod tantùm ſignificat *portare & in ſe recipere*. Interpretatio Scripturæ πρώτως deſumenda ex propria ſede. Quare cùm Eſaias Propheta ex profeſſo de peccatorum noſtrorum expiatione & redemtione

loqua-

loquatur, eamque verbis adeò graphicis & emphaticis deſcribat, ut non tam Prophetam quàm Evangeliſtam agere videatur, ideò de ipſius mente ex propriis verbis judicandum. Conſtat autem ex ipſo contextu quod loquatur Propheta de tali peccatorum ablatione, quæ cum oneroſa portatione fuit cōjuncta.** 1.Pet.2. dicunt *verbum ἀνήνεγκεν nihil aliud ſignificare, quàm abſtulit*. Reſp. Imò verò *ἀναφέρειν* ſignificat talem oblationem, quæ cum oneris portatione conjuncta eſt, ideò addit Petrus, quòd Chriſtus *ſuſtulerit peccata noſtra in corpore ſuo ſuper lignum*, hoc eſt, in oblatione corporis ſui peccata noſtra velut molem quandam ſurſum quaſi tulit ſecum in crucem, ergò non ſimpliciter abſtulit, ſed recipiendo ea in ſeſe & pœnas peccatorum noſtrorum portando abſtulit, quemadmodum de hirco emiſſario Lev.16.v.20.& ſeqq. dicitur, quòd *poſita fuerint iniquitates Iſraelitarum ſuper caput hirci, quas ille ſuper ſe portaverit in deſertum*, quo typo ſignificabatur, Chriſto peccata noſtra imputanda eſſe, eademq; ipſum ſuper ſe portaturum.

9. Chriſtū eſſe noſtri causâ mortuum.

46. 9. *Chriſtum propter nos mortuum eſſe ac ſanguinem ſuum effudiſſe, non quaſi loco noſtrûm mortuus ſit, aut ſatisfactionis cujuſdam loco ſanguinem effuderit, ſed quia noſtri causâ mortuus & effuſione ſui ſanguinis viam ſalutis confirmavit.* Oſtorodus contra Tradeliū p.223. Catecheſ. Racov. p.269. **Socin. in prælect. cap.20. *Mori propter peccata ſeu pro peccatis alicujus, ut verba ipſa ſonant, idem eſt ac mori causâ vel occaſione peccatorum illius. Atque ſine dubio is peccatorum alicujus cauſa vel occaſione moritur, qui ideò moritur, ut quis a peccatis retrahatur, utque illi fides fiat, ſi à peccando ceſſet, peccata ſibi condonatum iri ac præterea, ut is condonationem hanc reipſa conſequatur, Cùm igitur Chriſtus ut hæc in nobis fierent, mortuus ſit, meritò propter peccata noſtra ſeu pro peccatis noſtris traditus eſſe & paſſus ac mortuus fuiſſe dicitur, quamvis pro ipſis peccatis noſtris nulli juſtitiæ ſatisfecerit.*** Reſp. Chriſtum mortuum eſſe pro nobis, h. e. commodi noſtri causâ rectè quidem dicitur, modò λύτρον per Chriſti mortem præſtitum iſtâ explicatione non excludatur. Chriſtus enim mortuus eſt eo modo, *ut daret animam ſuam λύτρον ἀντὶ πολλῶν* Matth.20. v.28. Marc.10.v.45. ubi præpoſitio *ἀντὶ* Chriſtum loco noſtrûm mortuum eſſe denotat, ac Chriſti mortem ſatisfactoriam eſſe, vox λύτρου evidenter comprobat. Neq; eſt, quòd obvertant Adverſarii, ** *In ſatisfactione requiritur precium æquivalens, Atqui in Chriſti paſſione non eſt precium æquivalens, cùm tantùm fuerint paſſiones temporales.* E. Reſp. paſſiones Chriſti ratione temporis fuerunt finitæ, Sed ratione valoris & dignitatis perſonæ ſunt precium infinitum. Urget Socin. *apud Deum non eſſe acceptionem perſonæ*. Reſp. eſt fall. phraſeos. Acceptio perſonarum duplex eſt: una quæ fit propter externos & mundanos reſpectus, juxta quos homines perſonas æſtimare ſolent, ut ſunt divitiæ, potentia &c. altera fit propter veram pietatem & virtutem. Prior apud Deum non habet locum præcipuè in negotio ſalutis æternæ, ſed poſterior maximè competit Deo, tanquam juſtiſſimo judici, qui ea quę verè ſunt majora, majora eſſe exiſtimat, nec eſt, quòd opponant, ** *Chriſtum pro peccatis noſtris mortuū eſſe, jam verò non potuit loco ſeu vice peccatorum noſtrorum mori. Ergò quando pro nobis mortuus dicitur, non loco noſtrûm, ſed noſtri causâ mortuus eſſe intelligitur.* Reſp. Non eſt omninò eadem ſignificatio particulæ PRO in his propoſitionibus. Chriſtus mortuus eſt pro nobis & Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris: in priori locutione præpoſitio PRO additur perſonæ & in græco textu habetur vocabulum *ἀντὶ*, quod propriè vicem alterius & permutationem notat: in poſteriori additur rei & in græco textu habetur vocula περὶ vel ὑπὲρ. Chriſtus mortuus eſt ꝓ nobis, ut nos redimeret: pro peccatis noſtris mortuus eſt, ut ea expiaret atq; tolleret. Eo enim modo pro peccatis noſtris Chriſtus mortuus eſt, ut ipſe per ſe juſtus & innocens ex decreto & voluntate DEI peccata noſtra in ſe ſuſceperit, ut *ſint in ipſum conjecta*, ut *pœnas eorum pertulerit*. Pſal.69. v.6. Eſa.53.v.6. Joh.1.v.19. adeoq; ut in judicio DEI æſtimatus ſit *peccatū & maledictio* 2.Cor.5. v.21. Gal.3.v.13. quæ omnia ſi diligenter obſerventur, facilè apparebit diverſitas inter mortem Chriſti & aliorum hominum. **In Scriptura nō eſt infrequens *ἀντὶ* pro ſignificare aliquam commutationem ſeu vicem alterius. Sic Moſes dicitur *Aaroni datus pro Deo*. Exod.7.v.1. *dies dari pro anno* Ezech.4.v.7. *didrachma ſolvi pro aliis* Matt.17.v.27. *impius tradi pro juſto* Prov.11.v.8. Qui factus eſt pro nobis execratio ut nos conſequeremur benedictionē Gal.3. & factus eſt pro nobis à Deo peccatum, ut nos efficeremur juſtitia DEI in ipſo 2.Cor.5.v.21. is ita pro nobis mortuus eſt, ut loco noſtro ſit mortuus & vitā ſuâ morte nobis acquireret. At Chriſtus &c. Qui ita pro altero moritur, ut niſi pro illo fuiſſet mortuus, nequaquam fuiſſet moriturus & illum, cui neceſſariò æternâ morte, niſi hic pro illo mortuus fuiſſet, eſſet moriendum, ſuâ morte ab æterna morte liberat, is vice ſeu loco iſtius alterius moritur. At Chriſtus &c.** Nec ſolùm effuſione ſanguinis Chriſti via ſalutis nobis confirmata eſt, qui eſt finis ejus minùs principalis, ſed etiam parta peccatorū remiſſio, cùm effuſioni illi tanq̃ cauſę diſertis verbis remiſſio pecc. transcribatur Matt.26.v.28. q̃modum alibi redemtio eidem tribuitur. Hebr.9.v.12. 1.Pet.1.v.19. Cumprimis notandum eſt egregiū dictum Prophetę. Dan.9.v.24. *Septuaginta hebdomades determinata ſunt, ut aboleatur prævaricatio & obſignetur peccatum & expietur iniquitas & adducatur juſtitia ſempiterna.* Certè abolere prævaricationem, obſignare peccatum, expiare iniquitatem, adducere juſtitiam ſempiternam non eſt nudè & ſimpliciter remiſſ. peccat. ac viam ſalutis confirmare, ſed etiam cauſam eſſe remiſſionis peccat. & ſalutis. **Photiniani audacter clamant, *ſatisfactionis Chriſti nullā in Scripturis fieri mentionem*. Fauſt. Socin. p.2. de Chriſto ſerv. c.26. Oſtor. Inſt. c.36. p.3. Reſp. recolat Socin. ſua verba quæ oppoſuit Franc. Davidis de J.C. invocatione habita & edita An.95. typis Val. Radekii c.1. *Ridiculum eſt literam eo ſenſu, quo tu facis poſtulare. Non enim uno tantùm verbo, ſed multis ſive ſingulis, ſive pluribus. Simul, eadem ſententia exprimi poteſt, alioqui etiamſi millies diſertè ſcriptū eſſet, poſſe nos a Chriſto, poſtquam in cœlum aſcendit ſummo jure cum cultu & vera cordis fiducia petere, quicquid nobis ſit opus, adhuc tamen negare tibi liceret, Chriſtū invocari jure à nobis poſſe, quia ſcil. hic ipſum invocandi verbum ſcriptum non fuiſſet. Quod longe abſurdiſſimū eſſe teipſum agniturum non deſpero.***

47. Ex

Argumenta Neo-Photinianorum. 1. Nulla eſt talis Dei juſtitia, qua miſericordiæ ejus opponatur.

47. Ex hiſce facili negotio ſolvi poſſunt reliquæ Samoſatenianorum exceptiones, reſtat, ut præcipua eorum Sophiſmata excutiamus. 1. *Nulla eſt talis Dei juſtitia, quæ miſericordiæ ejus opponatur, & cui per Chriſtum ſatisfieri neceſſum fuerit.* Reſp. ** Juſtitia illa judiciaria ſeu vindicatrix puniens impios & infideles, contrà verò liberans inſontes & credentes non quidem contradictoriè, ſed tamen privativè & contrariè opponitur divinæ miſericordiæ. Eademq; conſideratur vel ratione rigoris, quatenus Deus requirit ut tranſgreſſores legis ipſimet debitam ſuſtineant pœnã, vel ratione æquitatis quæ rigorem iſtum mitigat, ut interveniente alterius λύτρῳ pœnæ peccatorũ condonentur.** Sanè juſtitia & miſericordia Dei non ſunt in ſe ac per ſe contrariæ proprietates, cùm ſint ipſa Dei eſſentia; quæ propter ſummam ſimplicitatem nullam omninò contrarietatem admittit. ** (Nunquam Pareus reſpondere poterit Vorſtio in exeg. Apolog. p.133.134. quia ſemel affirmavit, *juſtitiam vindicatricem eſſe quidem Deo naturalem, ſed ita naturalem, quemadmodum homini riſus naturalis eſt.* Vide ipſius comm. in Gen. cap. 2. p. 426.)** interim tamen ratione objecti, puta generis humani, quod per peccatum Deo inviſum erat, requirebatur mirabile illud juſtitiæ ac miſericordiæ divinæ temperamentum, per Chriſti ſatisfactionem impetrandum. (*Non eſt neceſſarium,* inquit Scal. exerc. 312. *ut ſi actiones ſint contrariæ, etiam eſſentialia principia*) Miſericordia Dei juxta Naturam ſuam homini diabolicis fraudibus ſeducto & in peccatũ ac mortem æternã prolapſo parcere voluit, cùm homo per lapſum non deſierit eſſe Dei creatura, Viciſſim verò, juſtitia hominem propter peccatum ad pœnam promeritam depoſcendum eſſe ſtatuit, cui veritas divina ſuum addidit ſuffragiũ, interceſſit igitur Chriſti meritum & ſatisfactio, per quam translatio quædam pœnæ peccatis noſtris debitæ facta eſt, ut ſalvâ Juſtitiâ & veritate ſuâ Deus in gratiam nos reciperet, qua de re pii veteres, præſertim Anshelm. & Bernhard. pulcerrimas habent cogitationes. ** Si lex eſt ſignum voluntatis divinæ juſtiſſimæ, utique Deus vult juſtiſſimâ voluntate id, quod lege expreſſit. Sed verum priùs. David enim legem vocat *Dei juſtitias.* Pſal. 119. v. 12. & homo novus conformis legi dicitur, *creatus ſecundùm Deum* Epheſ. 4. v. 21. & imago Dei, ad quam erat homo creatus, erat perfecta totius hominis ad legem divinam conformatio. Ergò quod lege expreſſit Deus, illud juſtiſſima voluntate vult & quidem immutabiliter, Matt. 5. v. 18. Luc. 16. v. 17. Qui juſtus eſt, ſua Natura non poteſt non ex juſtitia peccata averſari, & punire. Atqui Deus eſt ſuâ Natura juſtus Pſal. 7. v. 12. aliàs enim foret Natura injuſtus. E:** Regerunt Adverſarii, *Juſtitiam Dei punientem peccata nõ eſſe proprietatem in Deo, ſed tantùm effectum voluntatis Dei, & in Scripturis appellari modo iram, modò ſeveritatem.* Catech. Racov. cap 8. p. 266. ex Socino de Chriſto Servat. pag. 8. Reſp. ſanè per juſtitiã Dei in quibusdam Scripturæ locis intelligitur rectitudo & æquitas, in quibusdam etiam veritas Dei, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd juſtitia puniens peccata non ſit eſſentialis Dei proprietas, ſiquidẽ Deus in lege ſeſe manifeſtavit, quòd Naturâ ſuâ abominetur omnem injuſtitiam & iniquitatem, in quam temporalibus ac æternis pœnis animadvertere velit, contra verò, quòd Naturâ ſuâ amet juſtitiam ac innocentiam, eandemque præmiis temporalibus & æternis efficere velit. ** *Si ira & vindicta Dei ita dependet à voluntate Dei abſoluta eſt, ut potuerit homines licet peccantes morti æternæ non mancipare & poſtquã eos morti ſuo edicto mancipavit, illum imperio iterum absq; ſatisfactione intercedente eximere,* ut docent Socin. in diſp. contra Covet. p. 9. 10. & 11. & in prælect. Theol. cap. 16. ſequetur. 1. idem eſſe peccatum & non peccatum coram Deo, cum erga utrumque Naturâ pariter ſit affectus. 2. Peccatum per ſe nihil eſſe, ſed potius opinionem pro divinæ voluntatis arbitrio cenſendam atque 1. Cor. 15. v. 26. peccati vis eſt lex. 3. Dei amorem erga pios & odiũ erga impios non ex naturali juſtitia, ſed ex qualicunq; arbitrio dependere. 4. Nihil Naturæ Dei unquam adverſari, ſic enim eſſet quod impunitũ velle non poſſet. 5. Si Deus idololatriam, blaſphemiam, perjurium vellet, ea non eſſe peccata. Confundunt Photiniani miſericordiam Dei cũ ejus ἐνεργείᾳ & actum ſecundum cũ actu primo. Actus primus ſimpliciter Deo eſt eſſentialis & cum eſſentia Dei convertibilis, uſq; adeò ut miſericordia intra ſimpliciſſimum eſſentiæ divinæ complexum cum ipſa Dei eſſentia ſit quiddam ſimpliciter unum & ταυτὸ actus verò ſecundus dicitur, quatenus reſpectu creaturarum miſericordia foras progreditur & ſic cum voluntate divina concurrit. Voluntas omnibus proprietatib. eſſentialibus in Deo inſervit & per ſe ſine unius vel alterius concurſu nullum effectum producit &c. Lipſ. **Neq; ſolùm luciſſimum illud Legis ſpeculum, ſed etiam comminationes ac promiſſiones Legi divinæ additæ, quin etiam exempla pœnarum ac præmiorum de hac perpetua & immutabili Dei juſtitia evidens ferunt teſtimonium. Quod obvertitur, effectus illos non juſtitiæ, ſed iræ & ſeveritati Dei tribui, nullius eſt momenti, ſiquidem illa ira ac ſeveritas teſtantur de juſtitia Dei in lege expreſſa, quæ in pœna peccatorum præſupponitur; ſanè peccata punire effectus eſt voluntatis divinæ, non autem abſolutæ ac liberæ, ut volunt adverſarii, ſed juſtæ voluntatis, hoc eſt, juſtitiæ in Lege velut in ſpeculo revelatæ. **Schm. in examin. 157. error. err. 52. p. 40. *Juſtitiã talem nego eſſe in Deo naturaliter quæ nullum peccatum impunitum dimittere poſſit, cùm legamus, Deum tardum eſſe ad iram. Quæ enim in Deo ſunt naturaliter, ad ea Deus non tardus eſt, ſed ſemper ea exercet neceſſariò, nec unquam ab eis in ulla actione ſua vel tantillum recedit. Quam verò agnoſco in Deo juſtitiam naturaliter, ea rectitudo eſt & æquitas, quàm Deus tam tunc exercet cùm peccata remittit, quàm cùm eadem punit, hinc juſtum eſſe Deum* Joh. ait 1. Epiſt. 1. v. 9. cùm peccata remittit. ** Si enim ex nudo Dei beneplacito, non autem ex immutabili Dei juſtitia reatus ſivè obligatio peccantis ad pœnam proſtuit, ſequetur, in conſpectu Dei ejusdem valoris eſſe peccatum & non peccatum, imò nihil per ſe eſſe peccatum, ſed tantùm pro arbitrio voluntatis Dei peccatum æſtimari, nec naturæ Dei illud adverſari, quinimò interitum hominum non ex ſolo peccato, ſed ſimul à voluntate Dei & quidem ut cauſa principali pendere; ſi enim Deus potuiſſet homines licet peccantes,

morti

morti æternæ non mancipare, ut volunt adverſarii, ſequetur, quòd non tàm peccato quàm liberæ Dei voluntati hominum peccantium interitus ſit tribuendus.** Nota, quod Schmaltzius in Catech. Racov. p. 32. fateatur, *Deum ideò juſtũ dici quòd de ipſius Natura ſit, æquitatem & juſtitiam ſervare*: & quod Oſtorodus in inſt. Germ. cap. 3. p. 26. ſcribat, *bonitatem tanquam divinam proprietatem præcipuè in perfectiſſima Dei juſtitia in æquitate conſiſtere*, unde ſic argumentamur. Quicquid eſt de Natura Dei, id mutari nequit. Atqui æquitatem & juſtitiam ſervare eſt de Natura Dei. E. eadem mutari nequeunt in Deo. Jam verò ad hanc æquitatem & juſtitiam pertinet, obœdientiam compenſare præmiis, inobœdientiam verò & iniquitatem punire & ſic unicuique ſecundùm opera tribuere. Homines ergò propter peccata aut erant puniendi, aut æquitas Dei mutanda, aut pro peccatis alius quiſpiam ſatisfacere debebat. Graverus.** Neq; eſt quòd libertas voluntatis divinæ urgeatur, Deus enim ut eſt agens liberrimum, ita quoque Naturâ juſtus eſt, contra hanc ſuam juſtitiam non agit Pſalm. 119. v. 137. *Iuſtus es Domine, & juſta ſunt judicia tua*. Prov. 15. v. 9. *Abominatio eſt Domino via impij*, id verò non ex nuda Dei voluntate, ſed ex juſtitia provenit, quæ eſt immutabilis & invariabilis, perinde ut lex illius ſpeculum, Matth. 5. v. 18. *Amen dico vobis: donec tranſeat cœlum & terra jota unũ aut apex unus non præteribit a Lege, donec omnia fiant*. Luc. 16. v. 17. *Facilius eſt cœlum & terram interire, quàm de Lege unum apicem excidere*. Occurrit Catecheſis Racovienſis pag. 267. *Dei juſtitia tribui peccatorum remiſſionem*, Rom. 3. v. 25. 26. 1. Joh. 3. v. 9. *Proinde juſtitiæ divinæ non eſſe proprium peccata punire*. Reſpond. Apoſtolus Rom. 3. v. 25. nequaquam juſtitiæ tribuit peccatorum remiſſionem ſed eam in redemtione per Chriſtum præſtitâ declaratam eſſe docet. tantùm igitur abeſt, ut hic locus convellat ſententiam noſtram de juſtitia Dei puniente peccata, ut eandem potius fortiſſimè cõprobet, quia enim in remiſſione peccatorum oportuit intercedere Chriſti meritum, quem in ἱλαςήριον propoſitum nobis eſſe Apoſtolus aſſerit, ex eo manifeſtum eſt, quòd ſit in Deo eſſentialis juſtitia, qua Natura ſua odit & punit peccata, cui per Chriſti meritum ſatisfieri oportuit, ut remiſſio peccatorum locum habere poſſet. 1. Johan. 1. v. 9. per juſtitiam intelligitur veritas Dei, ut apparet ex addito vocabulo πιςὸς, *ſi confiteamur peccata noſtra, ipſe fidelis eſt & juſtus, id eſt*, verax, *ut remittat nobis peccata noſtra*. Eodem ſenſu etiam priorem locum Ambroſius accipit, Sic enim ſcribit: *Ideò juſtitia Dei dicta eſt, quæ videtur eſſe miſericordia, quia de promiſſione originem habet, & cùm promiſſum Dei redditur, juſtitia Dei dicitur: Iuſtitia enim Dei eſt, quia redditum quod promiſſum eſt.*

2. *Miſericordia Dei non eſt eſſentialis ejus proprietas.*

48. 2. *Miſericordia Dei itidem non eſt eſſentialis Dei proprietas, ſed liberæ voluntatis divinæ effectum, haudquaquam in Chriſti merito fundatum* Rom. 9. v. 15. *Deus miſeretur quorum vult.* Socin. part. 1. de Chriſto cap. 1. p. 9. Reſp. Miſericordia ut & reliqua attributa Dei, quæ operationes ſuas in creaturis exerunt & ad eas relationem quandam habent, conſiderantur dupliciter, primò quatenus intra ſimpliciſſimum divinæ eſſentiæ complexum cum ipſa divina eſſentia ſunt ταυτό τι, quem vocare poſſis actum primum: hac ratione miſericordia eſt naturalis ſive eſſentialis Dei proprietas, hoc eſt, naturalis illa bonitas, qua Deus promtus eſt ad juvandum & benefaciendum hominibus: ſecundò quatenus reſpectu creaturarum foràs quaſi progrediuntur & in illis operationes ſuas exerunt, quem vocare poſſis actum ſecundum, hac ratione miſericordia eſt effectus dependens à miſericordia Dei voluntate, quæ in negotio remiſſionis peccatorum non eſt abſoluta, ſed ordinata; Deus enim remittit peccata non abſolutè omnibus, ſed in Chriſtum credentibus, hoc eſt, fide meritum & ſatisfactionem Chriſti apprehendentibus. Proinde miſericordia, qua Deus peccata remittit, non eſt abſoluta, ſed in Chriſti merito ac ſatisfactione fundata, ut ſuperiùs demonſtravimus. Miſeretur Deus & quidem liberè, quia voluntas non eſt, quæ libera non eſt, interim non excluditur ordo, quem Deus ipſemet conſtituit, quam aliqui vocant voluntatis determinationem, ideò etiam miſericordia Dei & Chriſti ſatisfactio nequaquam invicem pugnant, ſed potiùs amiciſſimè conſpirant; ut enim locum haberet actus ille miſericordiæ, videl. remiſſio peccatorum, oportuit intercedere ſatisfactionem Chriſti, per quam juſtitiæ divinæ λύτρον redemtionis præſtitum. Occurrit Catecheſis Racov. p. 266. *Si miſericordia foret eſſentialis Dei proprietas, Deus nullum unquam puniret peccatũ, quia contra id, quod ipſi naturale, Deus nunquam agit*. Reſp. Deus nõ ſolùm miſericors eſt, ſed etiam juſtus, proinde ut miſericordia & juſtitia non pugnant invicem, ita quoque miſericordiam ſuam exercendo Deus non agit contra juſtitiam, & juſtitiam ſuam exercendo non agit contra miſericordiam. Diſtinguendum enim inter actum primum & ſecundũ miſericordiæ divinæ, ille eſt eſſentialis Dei proprietas, hic verò effectus Dei miſerentis, quem ſi vel maximè non ſemper exerat, ex eo tamen eſſentiali ipſius proprietati nihil decedit.

3. *Deus gratis remittit peccata.*

49. 3. *Scriptura ubiq; fatetur, Deum ex gratia & gratis peccata remittere, ſed cum gratuita peccatorum remiſſione vel maximè pugnat ſatisfactio. Cui enim ſatisfit vel a debitore ipſo vel ab alio quopiam ipſius loco, de eo dici nequit, quòd gratis & ex gratia ipſi remiſerit.* Catech. Racov. pag. 262. **Oſtorod. in Inſtit. cap. 36. p. 299. Schmaltz. in examinat. 157. errorũ err. 80. p. 24. *Quis nimirũ mentis inops non agnoſcat contraria illa eſſe, remiſſio peccatorum & ſatisfactio pro peccatis? Nam ubi remiſſio eſt peccatorum, ibi neceſſe eſt ut nec is qui peccaverat quicquam det, nec is, in quem peccatum erat, quicquam accipiat, ſive ab eo qui acceperat, ſive ab alio. Nam ſi aliquid accipiat, à quocunq; tandem id fiat, remiſſio non erit. At ubi eſt ſatisfactio ſive ab eo qui debebat, ſive ab alio profecta, jam remiſſioni nullus locus relinquitur.*** Reſp. Satisfactio Chriſti adeò non pugnat cum miſericordia Dei gratis peccata remittentis, ut potiùs eandem illuſtret ac ſtabiliat. 1. quia ſatisfactio illa Chriſti Mediatoris eſt effectus miſericordiæ divinæ. ** Apoſtolus & Chriſti ſatisfactionem & gratuitam remiſſionem perpetuò in hoc articulo conjungit. Ergò non eſt hîc oppoſitio, ſed ſubordinatio. Rom. 3 v. 24. *Iuſtificamur gratis gratiâ ejus* (en deſcriptio remiſſ. gratuitæ) *per redemtionem factam in Chriſto Ieſu* (en deſcriptio ſatisfactionis) Eph. 1. v. 7. *In Chriſto habemus*

redem-

redemtionem per ſanguinem ejus (hæc eſt ſatisfactio) *remiſſionem peccatorum ſecundùm divitias gratiæ ejus* (remiſſ. gratuita) Quemadmodũ gratia Dei non deſtruit juſtitiam Dei : ita gratuita remiſſio nõ tollit meritum & ſatisfactionẽ Chriſti, quam exegit juſtitia Dei, inde Paulus mortem Chriſti expiatoriam adſcribit gratuitæ Chriſti dilectioni. Rom. 5. v. 8.** Joh. 3. v. 13. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Rom. 5. v. 8. *Commendat Deus caritatem ſuam, quòd Chriſtus pro nobis mortuus, cùm adhuc peccatores & inimici eſſemus.* Gal. 2. v. 20. *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſũ pro me.* 1. Joh. 4. v. 9. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuũ unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* 2. quia miſericordia Dei peccata remittentis fundata eſt in Chriſto, ac non niſi per & propter Chriſtũ nobis contingit, *Electi ſumus in Chriſto*, Eph. 1. v. 4. *in ipſo benedicimur*, v. 3. *in ipſo grati & accepti reddimur*, v. 6. *in ipſo habemus redemtionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum.* v. 7. *In ipſo juſti ſumus.* 2. Cor. 5. v. 21. *In ipſo denique ſalvamur*, Act. 4. v. 12. 3. Miſericordiæ eſt, quòd Deus Chriſti ſatisfactionem pro nobis præſtitam ratam & gratam habet, ac propter illã peccata credentibus in ipſum dimittit, ſiquidem ſtrictus juſtitiæ rigor propriam exigebat ſatisfactionem & obœdientiam, intervenit igitur miſericordia alienam ſatisfactionem acceptans. Non eſt, quod obvertas, *creditorem acquieſcere & debitum jure remittere, ſive ipſe debitor, ſive alius pro illo ſolvat*, quia Deus nõ erat nudus creditor, ſed etiã juſtiſſimus judex & peccatorum vindex, qui jure non tenebatur alienam ſatisfactionẽ acceptare: peccata etiam non ſunt nuda debita, ſed repugnant inſuper immutabili ac invariabili juſtitiæ Dei in lege revelatæ, nihilo igitur minùs gratuita Dei miſericordia in peccatorũ remiſſione agnoſcẽda ac prædicanda eſt, ſi vel maximè propter Chriſti ſatisfactionem ea nobis contingat. ** A debito pecuniario ad debitum criminale non valet conſequentia. Nam debitor non peccat in creditoris Naturam & eſſentiam, ſicut peccata noſtra Dei majeſtatem offendunt. Deinde Deus ratione juſtitiæ ſuæ non privati cujuſdam creditoris perſonam gerit, qui ſine ullo reſpectu juſti & æqui debitum condonare poſſit, quomodo & quando velit: ſed ſeveriſſimum agit judicium, qui juxta tenorem juſtitiæ ſuæ in lege revelatæ punit ea, quæ contra legem ſunt commiſſa. Lipſ. Gratia illa juſtificationis reſpectu noſtri merè eſt gratuita, ſed non eſt ſimpliciter & omni prorſus modo abſoluta, verum in precio redemtionis per Chriſtũ præſtito fundata. Socin. in prælect. c. 16. p. 87. & 95. *Sicut ſe habet creditor ad debitorem & is cui illata eſt injuria ad illum, qui intulit: ita ſe habet Deus ad peccatorem. Sed creditor debitori & is cui illata eſt injuria, inferenti jure poteſt condonare debitum & culpam abſque ſatisfactione. Ergo. major prob.* Mat. 18. v. 23. Reſp. 1. parabolæ non ſunt extendendæ ultra comparationis tertium. Jam v. ſcopus parabolæ illius eſt agere de privatis offẽſis, quas proximo debemus condonare, non a. de cauſis juſtificationis, vel de myſterio redemtionis. 2. Chriſtus loquitur de remiſſione, ſed non de modo, an fiat per ſatisfactionem, an ſine ſatisfactione. 3. poſito, quod ratio petatur à prima juſtificationis cauſâ, ſc. gratia & miſericordia Dei, ſicut Deus nobis remittit peccata, ita & nos proximo debita remittamus : tamen reliquæ juſtificationis cauſæ non excluduntur, aliàs nec fides requireretur ad juſtificationem, cum illius quoque non fiat ibi mentio, quam tamen Socinus requirit p. 83. nec vitæ puritas & innocẽtia. &c. Ad minor. reſp. debita eſſe duplicia, interna quæ lædunt honorem creditoris & externa ſeu civilia, quæ bona fortunæ reſpiciunt. Jam v. peccata noſtra lædunt Dei majeſtatem. Diſtinguendum etiã inter creditorem privatum & pecuniarium; & inter creditorem publicum & judiciarium, hoc eſt, juſtitiæ exactorem. ** Breviter, particula Gratia noſtram dignitatem, noſtra merita, noſtram ſatisfactionem excludit, nequaquam verò Chriſti ſatisfactionem è medio tollit. Miſericordia Dei peccata remittentis & condonantis eſt gratuita, non autem abſoluta, quæ nullum habeat reſpectum ad Chriſti meritum. Adde quòd adverſarii noſtrorum operum merita defendant, eademque cum gratuita Dei miſericordia conſiſtere poſſe ſibi perſuaſum habeant, quomodo igitur ſatisfactio Chriſti pugnaret cum Dei miſericordia?

4. Chriſto æternâ morte pereundum fuiſſet.

50. 4. *Si Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, eorumque pœnas ſuſcepiſſet, æternâ morte ipſi pereundum fuiſſet, cùm pœna peccatorum noſtrorum ſit mors æterna. At conſequens eſt abſurdum. Ergò & antecedens.* ** Schmalc. in examinat. 157. errorum err. 59. p. 18. *Chriſtus pœnas peccatorum in ſe luendas non ſuſcepit, quia pœna peccatorũ eſt mors nempe æterna, hanc n. vox mortis per ſe plerunque ſignificat & hoc antitheſis, requirit Rom. 6. v. 23. Chriſtus autem non æternam ſed triduanã tantũ mortem pro nobis paſſus eſt.* Id. err. 150. p. 39. *Ex dignitate perſonæ non poteſt ſumi valor actionis. Quis n. dicat, plus valere actionem Regis in ſolvendis pro aliquo centum florenis quã ſubditi Regis idem facientis? Quis item dicat, plus valere actionem Regis ſi Deo obœdientiam præſtat, v. g. ſi ſit ſobrius, quã alicujus hominis plebei, niſi fortè apud Deum ſit προσωποληψία.* **Catech. Racov. p. 261. Reſp. Connexionem Majoris negamus. Quamvis enim non temporalem ſolùm, ſed & æternam mortem peccatis noſtris promeriti eſſemus, tamen per mortem Chriſti temporalem & dolores infernales ad tempus ſuſceptos ſatisfactio pro peccatis noſtris potuit præſtari & præſtita eſt propter perſonæ patientis ac morientis dignitatem. Ratione temporis actiones & paſſiones Chriſti fuerunt finitæ, ſed ratione perſonæ fuerunt infiniti ponderis ac precii, neque enim humanæ tantùm naturæ actiones & paſſiones ſunt, ſed humanæ Naturæ λόγῳ perſonaliter unitæ ſive quod idẽ eſt Chriſti θεανθρώπου, inde igitur paſſio & mors Chriſti eſt ἰσόῤῥοπον pro peccatis λύτρον, quia eſt ipſius Filii Dei paſſio & mors, qui in aſſumta ac perſonaliter ſibi unita humana Natura eandẽ ſuſtinuit, unde Apoſtolus ſanguini Chriſti vim emundandi à peccatis tribuens αἰτιολογικῶς addit, *Sanguis Jeſu Chriſti Filii Dei emundat nos à peccatis*, inde & ideò poteſt ſãguis Chriſti à peccatis emundare, quia eſt Filii Dei ſanguis, 1. Joh. 1. v. 7. perinde ut Act. 20. v. 28. Paulus pronunciat, *Deum ſuo ſanguine διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος Eccleſiam ſibi acquiſiviſſe*; ideò Chriſtus ſuo ſanguine Eccleſiam ſibi acquirere potuit, quia eſt verus Deus, ac proinde ſanguis ejus eſt Dei proprius

prius ſanguis. Res igitur eò redit, quòd infinito noſtro malo, peccato puta, & infinitis pœnis per peccata promeritis opponatur infinitum Chriſti meritum & infinita ejus ſatisſactio. Ut enim peccatum eſt infinitum malum, quia contra infinitum Deum committitur, etiamſi breviſſimo temporis ſpacio perpetretur: ita λύτρον Chriſti eſt infinitum bonum, quia à perſona infinita præſtitum, etiamſi certo & determiato tempore perſolutum. Infinitas temporis in Chriſti paſſione ac morte locum habere nec debuit, nec potuit: non illud, quia reſpectu perſonæ jamdum erat infiniti ponderis ac valoris; non hoc, quia *ἀδύνατον* erat *κρατεῖσθαι τὸν τῦ Θεῦ ὑιὸν ὑπὸ τῦ θανάτυ* Act. 2. v. 24. tribus potiſſimum de cauſis 1. propter unionis perſonalis indiſſolubilitatem. Quamvis unio naturalis animæ & corporis in Chriſti morte ſoluta eſſet, manſit tamen vinculũ unionis perſonalis *ἀδιάλυτον*, *quod enim ſemel aſſumſit ὁ λόγος nunquam deponit*, neceſſarium igitur fuit corpus Chriſti reſurgere, utpote τῷ λόγῳ perſonaliter unitum. 2. Propter divinarum promiſſionum infallibilitatem, Pſal. 16. v. 10. *non derelinques animam meam in inferno, nec dabis, Sanctum videre corruptionem. Semen mulieris conteret caput ſerpentis.* Gen. 3. v. 15. Ergo non ſuccumbet in hoc duello cum morte. Chriſtus eſt *Sacerdos in æternum*, Pſ. 110. v. 4. Ergò non manebit in morte, *à carcere & judicio ſublatus eſt*, Eſ. 53. v. 8. Ergò non relinquetur in ſepulcri carcere; *aſcendet perruptor*, Mich. 2. v. 13. Ergò non erit perpetuò depreſſus: hûc pertinent vaticinia Prophetica de æterno Chriſti regno, quod non potuiſſet inchoare, ſi in mortis captivitate fuiſſet detentus. 3. Propter corporis ſanctitatem. Pſ. 16. v. 10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Noſtra corpora rediguntur in pulverem, quia ſunt *corpora peccati*, Rom. 6 v. 6. habitat in illis peccatum, ſed Chriſti corpus non vidit corruptionem, quia eſt ſanctum, imò ipſius τῦ λόγυ proprium templum & habitaculum. Propter has cauſas non potuit Chriſtus ſubire æternam mortem, ex quo tamen infinitati precii per mortem Chriſti præſtiti, nihil quicquam decedit.

5. Plus deberemus Christo quàm Patri cœleſti. 51. 5. *Si Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, plus ipſi deberemus, quàm Patri cœleſti, qui nihil tale nobis præſtitit. Conſequens abſurdum. Ergo & antecedens.* Catech. Racov. ib. Reſp. vitioſiſſima oppoſitio eſt Chriſti & Patris cœleſtis. **Nũ Menenius Agrippa non ejuſdem erat Naturæ, loci, ordinis ac dignitatis cum reliquis ſenatorib. aut minus illâ plebis ſeceſsione offenſus, cùm intercedendi munere ſuſcepto plebem Patribus reconciliaret?** Quamvis ſolus Filius, non Pater, nec Spiritus ſanctus, humanam Naturam in perſonæ unitatem aſſumſit, atque in aſſumtâ carne redemtionis opus perfecit, ab eo tamen neutiquam vel Pater vel Spiritus ſanctus penitùs ſeparandus. 1. quia communi ſanctiſsimæ Trinitatis conſilio partes Mediatoris ac Redemtoris Chriſto obtigerunt, inde pronunciat Chriſtus, ſe in opere redemtionis *ſic agere, ſicut mandatum ſibi fuerit a Patre*, Joh. 14. v. 31. 2. quia Pater non eſt à Filio ſeparatus, ſed eſt in Filio Joh. 14. v. 10. *Non creditis, quia ego in Patre & Pater in me eſt? verba quæ loquor vobis a meipſo non loquor, Pater autem in me manens ipſe facit opera*, unde notãter dicit Apoſt. 2. Cor. 5. v. 18. *Deus nos reconciliavit ſibi ipſi per Chriſtum.* v. 19. *quoniam Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi non imputans illis delicta eorum.* 3. quia Pater obœdientiam Filii ratam ac gratam habuit, ac ſacrificium illud in odorem ſuavitatis ſuſcepit. Matth. 3. v. 17. *Hic eſt Filius meus dilectus ἐν ᾧ εὐδόκησα.* Eph. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis.* Miranda igitur erat & grato corde prædicanda admirabilis illa & incomprehenſibilis ſalutis noſtræ œconomia, nequaquam verò curioſiùs ſcrutanda, multò minùs diabolicis calumniis deformanda, inter quas eſt illa Samoſatenianorum, quòd *Chriſti miſericordia hâc ratione ſtatuatur major, quàm Patris, cùm ipſe a nemine ſatisfactionem poſtulaverit, quod incertum ſit, an Spiritus ſanctus in reconciliatione fuerit a partibus Patris vel Filij, quod hac ratione Chriſto plus gratitudinis debeamus quam Patri &c.* Atqui una eſt Patris, Filii & Spiritus ſancti divinitas, una voluntas, una miſericordia, una juſtitia, inde utrumque pronunciat Scriptura, quòd *Deus Pater nos dilexerit, & Filium ſuum tradiderit in mortem* Joh. 3. v. 16. Rom. 8. v. 32. & quod *Filius nos dilexerit ac ſeipſum pro nobis tradiderit*. Gal. 2. v. 20. quòd *Chriſtus nos reconciliaverit Deo*. Rom 5. v. 10. & quòd *Deus nos reconciliaverit ſibi ipſi in Chriſto.* 2. Cor. 5. v. 19. Satisfactio Chriſti propriè loquẽdo non reſpicit ſolùm Patrem, ſed divinam juſtitiam, quæ Patri, Filio & Spiritui ſancto communis eſt, abſit igitur calumnia de hoſtili diſſenſione Patris & Filii in hoc admirando reconciliationis opere. Lombard. l. 3. diſt. 19. lit. F. *Reconciliavit nos tota Trinitas virtutis uſu, ſcilicet dum peccata delet: ſed Filius ſolus impletione obœdientia.* ** *Scriptura dilectionem & Patri & Filio tribuit* Joh. 3. v. 16. Gal. 2. v. 20. Eph. 5. v. 25. *& Spiritus Sancto* Rom. 5. v. 5. *attribuit*. Auguſt. 13. de Trinit. c. 11.**

52. *6. Doctrina de ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris præſtita hominibus occaſionem præbet ad flagitia, vel ad minimum in pietate remiſſos ac deſides facit: jam verò teſtatur Scriptura, inter alia etiam hoc fine Chriſtum mortuum eſſe, ut redimeremur ab omni iniquitate.* Tit. 2. v. 14. *& purificati a mortuis operibus ſerviremus Deo vivo.* *6. Doctrina de ſatisfactione Chriſti occaſionem præbet ad flagitia.* Heb. c. 9. v. 14. Catech. Racov. p. 264. Reſp. nequaquam verò ipſa doctrina de ſatisſactione Chriſti ſtudium bonorum operum labefactat, multò minùs peccatis & ſecuritati anſam præbet, ſed peſsimus & deteſtabilis doctrinæ abuſus, inſignis igitur fallacia accidentis in hoc argumento animadvertitur, quin potiùs Chriſtus precioſo ſuo ſanguine à peccatis nos redemit. Ergò non ampliùs ſerviamus peccato. Chriſto carè conſtitit debitorum noſtrorum perſolutio. Ergò non cumulemus ea denuò. Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Ergo non nobis ipſis ac cupiditatib. noſtris, ſed ipſi ac voluntati ipſius inpoſterum vivamus. Ita colligit Scriptura & per Spiritum Dei renovata mens Chriſtiana, ut hac ratione nullũ efficacius ὁρμητήριον, nulli acriores ad pietatem ſtimuli ſint, quàm precioſa illa Chriſti ſatisfactio. Adde quod ira Dei adverſus peccata in illa clariſsimè conſpiciatur, quippè quæ nullâ aliâ re, quàm ipſius Filii Dei paſsione & morte placari potuit, ergóne non reverebimur hanc iram? nũ audebimus denuò eam peccatis voluntariè commiſsis accendere? Hoc ſanè ex doctrina de ſatisfactione Chriſti ſequitur, quòd non poſsimus

ipſimet

ipſimet Deo pro peccatis ſatisfacere, quodque bona opera non ſint eo fine præſtanda, ut per illa ſatisfaciamua Deo pro admiſſis delictis ſed remotio finis falſi non tollit vetns & proprioa bonorum operum fines, quos alibi recenſebimus. Concedimua ſanè, Chriſtum etiam hnc fine mortuum eſſe, ut redemti ab iniquitate ſerviamua juſtitiæ, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd Chriſti mora non ſit λύτρον & propitiatio pro peccatis noſtris; imò verè eſt medicina non ſolùm prophylactica ſed etiam alexicaca ſpiritualium morborum noſtrorum.

53. Atque hæc ſunt Racovienſis Catecheſeos ſopbiſmata doctrinæ de ſatisfactione Chriſti oppoſita ex Socino & Oſterodo repetita, teliqua ſunt minoria momenri, & ex illis quæ antea dicta ſunt, facilem habent ſolutionem.**(Cujusmodi etiam eſt illud Schmalc. in examinat. 157. errorũ err. 83. p. 25. *Chriſtus non ſolum pro nobis non ſatisfecit ſed nec ſatisfacere potuit, cùm ipſemet id totum præſtare obligatus fuerit, quod præſtitit: cùm nemo pro altero pœnam corporalem ſuſtinere queat, cùm Chriſtus ipſemet Deus fuerit, cui ſatisfaciendum erat ex mente Smiglecii, denique cùm non permittat divina juſtitia, ut inſons puniatur pro ſente, præſertim cùm ſens præſto adeſt.* error 124. p. 34. *Vbicunque eſt obœdientia par mercedi, ibi demum meritum eſt. Quia v. nulla obœdiẽtia mercedi, quã Deus daturum ſe promiſit & jam Chriſto dedit par eſt Chriſtus apud Deum propriè loquendo non eſt quicquam meritus.*)** Excipiunt porrò 1. *Si Chriſtus ſatisfeciſſet, omnes homines etiam manifeſtè impij ſalvarẽtur.* Reſ. diſtinguẽdum inter beneficii acquiſitionem & ejuſdem applicationem, illa generalis eſt, ſiquidem Chriſtus ſuâ morte omnibua promeruit peccatorum remiſſionem, hæc verò ſpecialis eſt, quia ſoli credeutea per fidem beneficii illius participes fiunt. Apoſtolus poſtquam pronunciaverat *Deũ in Chriſto nos ſibi ipſi reconciliaſſe.* 2. Cor. 5. v. 18. ſubjungit, quòd *Deus dederit ſibi & reliquis Apoſtolis miniſterium reconciliationis,* per quod nimirum hominea Deo reconcilientur & beneficiorum Chriſti participea fiant. Vide uberiorem explicationem hujus argumenti tom. 2. locorum tractat. de elect. & reprobat §. 119. 2. *Deus nos dilexit, antequam Chriſtus moreretur. Ergò Chriſtus ſuâ morte non ſatisfecit, nec dilectionem Dei nobis promeruit.* Reſp. diſtinguendum inter dilectionem Dei generalem, quâ Deus omnea homines, ut crearuraa ſuas complectitur, quæque movit Deum, ut ab æterno de miſſione Filii & hominibus in Chriſto ad vitam æternam reparandia cogitaret; & ſpecialem, quâ Deus credentea in Chriſtum complectitur, peccara illia remittit & vitæ æternæ actu participea facit: ſpecialis hujus dilectionia cauſa meritoria eſt Chriſti Mediatotis ſatisfactio docente Apoſtolo Eph. 1. v. 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, hominem enim in peccata & mortem æternam prolapſum non potuiſſet Deus ſalvâ juſtitiâ ſuâ tam arctè & ſpeciali illâ dilectione complecti, ut eum vitæ æternæ heredem ſcriberet, niſi ſatisfactio Chriſti interceſſiſſet, cujua ſoli credentes per fidẽ participes fiunt. 3. *Deus præcipit, ut abſque ſatisfactione proximo cendonemus delicta. Ergò & ipſe abſque ſatisfactione aliquâ nobis eadem remiſit.* Reſp. Dei & hominum diſpar eſt ratio. Deua eſt ipſa juſtitia, lex Dei eſt æterna & immota juſtitiæ regula, contra eam cùm committantur delicta, ideò abſque intercedente ſatisfactione à Deo non remittuntur; ſed homo non eſt prima illa juſtitiæ regula, neque πρώτως & principaliter contra hominem delinquitur, ille igitur debet ac poteſt abſque ſatiafactione proximo remittere. Præterea nos multis modis Deo propter offenſas noſtras obnoxii ſumus, æquum igitur eſt, ut citra ſarisfactionem juxta mandatum Dei proximo condonemus, cùm nec nos Deo ſatisfacere poſſimus. Eccl. 28. v. 3. 4. 5. Facilè dat veniam qui ſe veniâ indigere noverit. Deus autem nemini quicquam debet, jure igitur ſatisfactionem à nobis exigere poteſt. 4. *Regula juſtitiæ divinæ hæc eſt, Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur* Ez. 18. v. 20. *contra illam pugnat, Chriſtum innocentem pro nobis puniri.* Reſp. ut miſericordia Dei non pugnat contra illius juſtitiam, ita quoque illa imputatio peccatorum noſtrorum Chriſto facta, quæ eſt admirabile & ſtupendum opua miſericordiæ divinæ, nequaquam illam juſtitiam Dei labefactat: Pater ex immenſa dilectione Filium pro nobis in mortem tradidit: Filius itidem ex immenſa dilectione ſeipſum pro nobis tradidit & peccatorum noſtrorum pœnas ſponte in ſe ſuſcepit; nihil quicquam hîc agitur contra juſtitiæ regulam, ſed inenarrabilea divitiæ miſericordiæ divinæ manifeſtantur. *Regula hæc eſt juſtitiæ divinæ* (ſcribit D. Hunnius in tract. de Juſtif. tom. 1. Col. 557.) *ſi illa æſtimetur ex ultimo rigore ſuo, quando ſine miſericordiæ adjunctione penſitatur, ut videre eſt in lapſis Angelis; at in myſterio redemtionis noſtræ hæc juſtitia temperatur bonitate Dei, &c.*

7. Si Chriſtus ſatisfeciſſet, omnes ſalvarentur.

8. Deus nos dilexit antequam Chriſtus moreretur.

9. Iubemur abſq. ſatisfactione proximo remittere.

10. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.

54. Et de Photinianorum in hoc cœleſtis doctrinæ capite oppugnando furore hæc ſint dicta. Quamvis verò Pontificii itidem ſtatuant Chriſtum eſſe cauſam meritoriam juſtificationia (ſic enim Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 7. *Meritoria* (cauſa) *eſt dilectiſſimus Dei unigenitus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cùm eſſemus inimici, per nimiam caritatem, quâ dilexit nos ſuâ ſanctiſſima paſſione in ligno crucis nobis juſtificationem meruit.* Bellarm. 1. de Juſtif. c. 2. *Efficiens juſtificationis per modum meriti eſt Chriſti paſſio.* lib. 2. de Juſtif. cap 2. *ſi particula Propter ſignificet cauſam meritoriam, nos juſtificari dicemus propter meritum Filii Dei*) tamen ſinceritatem hujus doctrinæ Scbolaſticorum diſputationea ſecuti multis modis labefactant. 1. Negant Chriſtum eſſe mediatorem ſecundum utramque Naturam. Lomb. 3. ſent. diſt. 19. lit. G. *Chriſtus Mediator eſt in quantum homo, nam in quantam Deus non Mediator, ſed æqualis eſt Patri.* ** Idem ſtatuunt Bonav. l. 3. ſent. diſt. 19. q. ult. art. 2. Thom. parte 3. q. 76. Cajet. comment. in part. 3. ſumm. Thom. q. 76. art. 2. Canus in locis pag. 709. Gregor. de Valent. tom. 2. l. 2. de Chriſto part. 2. cap. 4. pag. 166. col. a. lit. D. ** Bellar. l. 5. de Chriſto c. 1. *Eſt ſententia communis Catholicorum* (Romanenſium) *ipſum quidem Mediatorem ſeu principium quod operabatur opera Mediatoris non fuiſſe Deũ ſolum vel hominem ſolum, ſed utrumque ſimul, hoc eſt verbum incarnatum, ſive Deum humanatum. Principium tamen quo illa opera à Mediatore fiebant fuiſſe naturam humanam, non divinam.* ** lib. 1. de Juſtif c. a. Chriſtum vocant cauſam juſtificationis non principalem ſed inſtrumentalem ** Buſæus in diſp. de perſona Chriſti, theſ. 79.

Pontificiorum de cauſa meritoria juſtificationis, opiniones erroneæ.

1. Negant Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundùm utramque Naturam.

Chriſtus eſt Mediator tantùm ſecundum humanam naturam; unde Bellarm. 1. de juſtificat. c. 2. ſcribit: *Efficiens* (Juſtificationis) *per modum inſtrumenti conjuncti eſt Chriſti humanitas*. Atqui ſi divina Chriſti Natura, ejusque operatio ab officio Mediationis excluditur, quomodo obœdientia & ſatisfactio Chriſti erit infiniti meriti, cùm finita ſubſtantia infiniti effectus per ſe & ex ſe cauſa eſſe non poſſit? 2. Negant Chriſtum in paſſione ſenſiſſe iram Dei & pœnas infernales Bellarm. lib. 4. de Chriſto c. 8. *Nova & inaudita impietas eſt, quòd Chriſtus paſſus ſit dolores inferni*. At quid ſibi volunt querelæ, quas in Chriſti perſona Pſaltes Regius profert Pſ. 16. v. 10. *Non relinques animam meam in inferno*. Pſal. 18. v. 6. *Funes inferni ceciderunt ſuper me*. Pſal. 22. v. 2. *Deus mi, ut quid me dereliquiſti*. Pſal. 49. v. 16. *Deus redimet animam meam de poteſt. infern.* Pſ. 69. v. 15. *eripe me de luto, ne infigar*. v. 16. *ne inundet me decurſus aquarum, nec abſorbeat me profundum*. Pſ. 86. v. 13. *eruiſti animam meam ex fovea inferiori*. Non quidem ſtatuimus, Chriſtum poſt mortem in ſuo ad inferos deſcenſu cruciatus infernales ſenſiſſe, quâ in parte Calvinum rectè oppugnat Bellarminus, interim negandum non eſt, Chriſtum paſſionis & mortis tempore, præſertim verò in horto ad radices montis oliveti, cū ſanguinē ſudaret, acerbiſſimos cruciatus, dolores, terrores & anguſtias verè infernales in ſanctiſſima ſuâ animâ & ſic verè iram Dei, legis maledictionem, pœnasque infernales perſenſiſſe, quomodo enim peccata noſtra verè in ſe ſuſcepiſſet, ac perfectā ſatisfactionem præſtitiſſet, niſi iram Dei individuo nexu cum peccatis conjunctam verè ſenſiſſet? Quomodo à maledicto legis nos redemiſſet, factus pro nobis maledictum, niſi judicium Dei irati perſenſiſſet? 3. Negant Chriſtum perfectè pro peccatis & pœnis peccatorum noſtrorum ſatisfeciſſe. Quidam ſtatuunt, Chriſtum tantùm pro originali peccato ſatisfeciſſe, nobis a. pro actualibus ſatisfaciendum eſſe; Ambr. Catharinus Archiepiſcopus Compſanus prolixum volumen de incruento ſacrificio N. T. Romæ edidit, quo aſſerit, *Chriſti paſſionem prodeſſe quidem pro originali & actualibus peccatis ante Baptiſmum, ſequentia verò eſſe Miſſis & bonis operibus expianda*. Sed recentiores videri volunt hoc negare, ſtatuunt Chriſtum pro originali & actualibus peccatis ſatisfeciſſe, ſed pro pœnis peccatorum temporalibus nobis eſſe ſatisfaciendum. ** Comp. Theol. verit. l. 6. cap. 32. *In juſtificatione impij eſt aliquid ex parte Dei, aliquid ex parte peccatoris, aliquid ex parte Eccleſiæ. Ex parte Dei duo, miſericordia quâ malum indulget, & juſtitia quâ emendam aliquantulam exigit vel hic vel in futuro purgatorio. Ex peccatoris parte ſunt etiam duo ſc. Dei amor & dolor, & hæ ſunt duæ molæ, quibus peccatum conteritur. Ex parte Eccleſiæ ſimiliter ſunt duo, primo meritum Chriſti & ſanctorum, ſecundò indulgentia per Papam & Epiſcopos.* ** Quid verò ſit de pœnis æternis? quidam dicunt, Chriſtum non minùs pro illis ut pro peccatis ſatisfeciſſe, remanere igitur tantummodò pœnæ temporalis debitum; quidam verò dicunt, pœnam æternam peccatis debitam poteſtate clavium mutari in temporalem, ut pro ea ſatisfacere poſſimus. Vide tractat. de pœnit. §. 118. & ſeqq. Atqui quantum tribuitur noſtris ſatisfactionibus, tantum honoris & gloriæ decedit Chriſti ſatisfactioni, qui tamen *torcular calcavit* μονώτατος *unus & ſolus* ut habet verſio Symmachi Eſai. 63. v. 3. & ex ea Juſtin. in Dialog. cum Tryph. p. 188. 4. Negant Chriſtum ſuâ obœdientiâ & ſatisfactione talem promeruiſſe juſtitiam, quæ per fidē nobis applicetur, quâve coram Deo conſiſtere poſſimus, quinimò hanc fidem, quâ quis certò ſtatuit propter Chriſti ſatisfactionem peccata ſibi in ſpecie remitti, vocant *Lutheri figmentum* & juſtitiam Chriſti per fidem nobis imputatam vocant *imaginariam & putativam juſtitiam*, ut notum eſt ex Bellarmino lib. 1. de pœnit. cap. 6. mendacio 8. & lib. 2. de juſtificat. cap. 3. At perit hac ratione potiſſimus finis ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ, ſi juſtitia ipſius negatur nobis imputari. 5. Pontificii dolores Mariæ ſic exagerant, ut non minùs eam quàm Chriſtum paſſum eſſe ſtatuant, imò *quia ille extra, hæc a. in corde paſſa, ideo plus etiam eam eſſe paſſam: proinde ut illius paſſionem pater acceptavit pro ſacrificio mundi, ſic etiam hujus ſuſcepiſſe ſacrificium veniſſitatem & ſalutem generis humani, quò & ipſa eſſet perpetua mediatrix inter Deum & hominem. Duo ergo hic altaria Patri preparata: Unum in Corpore Chriſti: alterum in corde Mariæ.* Taulerus in libello paſsionum à L. Surio edito Lugduni. pág. 158. & 346.** Atque hinc B. Mariam ſtatuunt Chriſti adjutricem fuiſſe in opere redemtionis. Sic enim legitur in Mariali Anno 1493. Argentinæ per Martinum Simmium edito in folio lib. primo c. 5. fol. 13. b. *Adultimum fuit Dominus cum ea* (Maria) *& ipſa cum Domino in eodē labore & in eodem opere redemtionis. Mater miſericordiæ adjuvit patrem miſericordiarum in opere noſtræ ſalutis, unde prædictum eſt de prima muliere faciamus ei adjutorium. Quid eſt ergo quod Dominus dicit* Eſai. 63. *Torcular calcavi ſolus & de gentibus non fuit vir mecum? Verum eſt Domine, quòd non fuit vir tecum, ſed mulier unà tecum eſt, quæ omnia vulnera, quæ in ſuſcepiſti in corpore, ſuſcepit in corde* lib. 3. parte 2. *attendendum & jugiter recolendum, quòd tam devota coadjutrix extitit ad mundi redemtionem, ut ſicut non fuit dolor ſicut dolor ille, quem ſuſtinuit filius pro mundi redemtione: ſic non eſſet dolor, ſicut dolor ille, quem ipſa pertulit in corde pro eadē cauſa.* lib. a. part. 1. cauſa 24. *Si Maria pro nobis, qui contra nos. & ſi ipſa eſt quæ juſtificat, quis eſt qui condemnet?* ** Brigitta in revel. c. 3. *Ego Filius Dei benè dicere poſſum, quòd mater mea & ego quaſi cum uno corde ſalvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipſa cordis dolore & amore.* Oſorius tom. 4. p. 530. *Chriſtus in calvaria carnem, Maria immolabat animam.*** Hinc in Antidotar. animæ, f. 118. Ita alloquuntur B. Virginem. *Adoro & benedico ſanctiſſimos pedes tuos, quibus antiqui ſerpentis caput calcaſti.* ** Oſorius tom. 5. p. 139. *Maria eſt mulier illa excellentiſſima, quæ contrivit caput ſerpentis.* tom. 3. pag. 402. *Maria victoria fuit, quæ contrivit caput ſerpentis.*** Neve obvertatur, in denſiſſimis ſuperiorum temporum tenebris hæc eſſe ſcripta & decantata, notandum quòd Vincentius Brunius in Meditat. Feſtorum B. Virginis edit. Colon. Anno 1599. pag. 11. ſic ſcribit. *Cùm Deus decrevit Filio ſuo unigenito pro redimendo genere humano aſſumendam eſſe carnem, ſimul etiam decrevit & prædeſtinavit, quæ deberet eſſe ejus mater*

ter

2. Negant Chriſtum in paſſione ſenſiſſe irā Dei.

3 Negant Chriſtum perfectè pro peccatis & pœnis eorum ſatisfeciſſe.

4 Negant Chriſtum promeruiſſe juſtitiā quæ fide nobis imputetur.

5 Statuūt B. Mariā Chriſti adjutricem fuiſſe in opere redemtionis.

ter & redemtionis noſtræ cooperatrix. Item quòd Dillingæ Anno 1573. editus ſit liber Cantionum à Johanne Leiſentrit / in quo ita docet alloqui B. Virginem, Du Maria rein / durch dein Gehorſamkeit vnd Gottſelig Demütigkeit / haſt dem Teuffel zerknirſcht ſein Häupt / vnd jhn aller ſeiner Macht beraubt. ** Alph. Salmeron tom. 10. tract. 41. p. 339. *Maria ſtetit ſub cruce, ut eſſet corredemtrix, quemadmodum Eva unà cum Adamo malum invexit* ibid. *Ut prior fœmina à viro habuit coſtam, ex qua condita fuit, ita ſecunda Heva hæc* (Maria) *Spiritũ à Chriſto accepit, quo poſſet eſſe aliis auxilio & ſaluti*. Ibid. *Chriſtum matrem ſuam prope crucem vocaſſe ait, ut ipſa mater Filium ſuum in Sacrificium Patri æterno pro toto mũdo offerret, ut Abrahã filiũ ſuum Iſaac ex obœdientia offerre voluit.* ** Gregor. de Valentia & Bellarminus non omninò improbant verſionem illam Geneſ. 3. *ipſa conteret caput tuum*; cum tamen in Hebræo ſit הוא præter unicum exemplar textus Hebraici, quod corrupit Guido Fabricius.

6. Diſputant, ſatisfactionem Chriſti nõ fuiſſe ſimpliciter neceſſariam.

6. Diſputant, non fuiſſe abſolutè & ſimpliciter neceſſariam CHRISTI ſatisfactionem ad remiſſionem peccatorum & ſalutem nobis impetrandam, quod ipſum dignitatem ſatisfactionis illius non mediocriter labefactat. Thom. parte 3. quæſt. 46. artic. 3. *DEUS poteſt ſine ſatisfactione remittere peccata, cùm non habeat aliquem ſuperiorem*. Biel. 3. ſentent. diſtinct. 20. quæſt. undec. *Rationes Anshelmi in libris Cur DEUS homo, nihil probant, niſi procedant ex ordinatione divina præſuppoſita, quia poſſet DEUS hominem non condere, poſſet remittere peccatum per ſolùm non imputationem, poſſet per alium ſatisfieri, potuiſſet quilibet pro ſe ſatisfacere, ſi data fuiſſet prima gratia ſine merito*. Petrus Tataretus in 4. ſentent. diſtinction. 15. fol. 524. *Dico quod quicunque peccator poteſt ſatisfacere de peccato commiſſo ſecluſo merito paſſionis Chriſti de potentia DEI abſoluta, ſed non de potentia ordinata, niſi merito paſſionis CHRISTI. Probatur iſta concluſio, quia ſi Verbum non fuiſſet incarnatum vel pro nobis paſſum, prædeſtinatus ad vitam æternam potuiſſet ſatisfacere ad vitam abſque merito paſſionis Chriſti*. Bellarminus lib. 2. de grat. & libero arbitrio cap. 9. talem prædeſtinationis ordinem in mente divina nobis deſcribit.

Primum prævidit DEUS ſi hominem conderet, eum lapſurum cum omni poſteritate & ſimul vidit, poſſe ſe variis modis liberare vel omnes vel aliquos. Secundo voluit hominem condere & ut laberetur permittere, & quoſdam ex numero lapſorum miſericorditer liberare aliis in maſſa perditionis juſtè relictis. Tertio excogitavit remedia ſalvandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio & paſſio Chriſti &c. quâ de re quid ſentiendum ſit, expoſuimus Tom. 2. loc. tract. de elect. & reprob. §. 197.

7. Fundamentum ſatisfactionis non quærunt in infinita vi meriti Chriſti.

7. Rationem ac precium ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ nõ conſtituũt in infinita vi & efficacia meriti Chriſti juſtitiæ divinæ perfectè ſatisfacientis, ſed in miſericordiæ divinæ acceptatione, quâ Deus paſſionem Chriſti ex tanta caritate profectam ratam & gratam habuerit, ut obtinere poſſint, etiam noſtra opera eſſe ſatisfactoria, utpote ex caritate profecta, licet in minori gradu, cùm caritas non ſit tanta ac tam perfecta. Durandus 4. ſent. diſtinct. 15. *Chriſtus ſecundum ſtrictum juſtitiæ rigorem non potuit ſatisfacere, quia quicquid erat in Chriſto ſecundum humanam Naturam, erat obligatum DEO & ei debitum, ideo non potuit eſſe ſatisfactio de condigno pro quocunque peccato conſiderando Naturam operis vel rei, ſed ſolùm potuit eſſe ſatisfactio ſecundum acceptationem gratuitam* (rectiùs Thomas part. 3. quæſt. 22. art. 3. *Chriſti paſſio relata ad divinitatem conſequitur ex ea infinitam virtutem*: Thomam hac in parte rectè ſentientem ſequitur Bellarminus l. 2. de Juſtificatione cap. 5.) Biel. 3. ſentent. diſtinct. 19. artic. 3. dub. 2. *Remiſſio debiti fit per paſſionem CHRISTI, nam plus placuit DEO hæc voluntas CHRISTI ſecundum hominem voluntariè morientis ex tanta caritate elicita, quàm omnium hominum diſplicuere peccata.*

8. Merito Chriſti addunt merita Sanctorũ.

8. Merito CHRISTI abſolutiſſimo & perfectiſsimo Sanctorum merita conjungunt. In Hortulo animæ Anno 1599. iterum edito ſic orant: *Precibus & meritis B. Mariæ ſemper virginis & omnium Sanctorum perducat nos Dominus ad regna cælorum*. Biel. lect. 29. in Canonem Miſſæ. *Nos ad Mediatores ſanctos eorumque auxilia confugere debemus ac debita veneratione eos ſemper implorare, ut ſalvemur eorum meritis ac votis.* Medicina indulgentiarum Papalium componitur ex merito Chriſti & meritis ſanctorum &c. Vide locum de pœnitentia §. 117. & §. 132. Quid de S. Franciſci ſtigmatis & meritis S. Claræ Monachi confinxerint, notum eſt ex Bernhardino in roſario part. 1. ſermon. 27. pag. 224. ex Conformitatibus Franciſci Anno 1590. Bononiæ recuſis, & ex libro, cui titulus Floſculi Franciſci, nimirum finxerunt, *S. Franciſ. eſſe alterum Chriſtum, qui quinque vulnerum ſtigmatis ſibi ab Angelo in ſolitario quodam loco impreſſis ſervet à morte æterna viros, qui à tempore illius uſque ad finem mundi vixerunt & vivent. Item B. Virg. merito ſuæ virginitatis ſervaſſe mulieres, quæ vixerunt uſque ad tempora Claræ Sanctimonialis, quæ & ipſa merito ſuæ virginitatis eas ſervaverit, quæ porrò uſque ad finem mundi victuræ eſſent.* Cumque Petrus Paulus Vergerius Epiſcopus Juſtinopolitanus huic figmento opponeret librum Italicâ lingua ſcriptum, cui titulus: Diſcorſi ſopra Fiorettidi S. Franciſco, damnatum eſt illud ſcriptum decreto Pauli III. Romanor. Pap. ad valvas Baſilicæ Petri Romæ affixo Anno 1559. die 30. Decemb. ** Turſellinus, citante Poſſevino ſelect. Bibliothec. pagina 295. *Qui Franciſcus erat, jam tibi Chriſtus erit.* Et ſtatim. *Jam Franciſcus erit, qui modò Chriſtus erat.* **

9. Chriſti merito addunt noſtra.

9. Eidem Chriſti merito noſtra ſubordinant atque addunt merita, cùm tamen Scriptura hæc invicem opponat. Roman. 11. verſic. 6. *ſi ex gratia* (propter CHRISTI meritum) *jam non ex operibus noſtris*. Petrus de Palude 4. ſentent. diſtinct. 20. quæſt. 3. *Pro parvulis ſufficit meritum Chriſti, quia non poſſunt mereri, ſed adultis non ſufficit meritum Chriſti cum Baptiſmo, ſed tenentur addere meritum proprium.* ** Index expurgatorius Madriticus pag. 149. Ex libro qui inſcribitur *ordo baptizãdi cum modo viſitandi ægrotos* impreſſo Venetiis A. 1575.

deleantur illa. *Credis non propriis meritis, ſed paſſionis Domini noſtri J. C. virtute & merito ad gloriam pervenire.* Et Paulò pòſt. *Credis quod D. N. I. C. pro ſalute noſtra mortuus ſit & quod ex propriis meritis vel alio modo nullus poſſit ſalvari niſi in merito paſſionis ipſius.*** Coſterus in Enchirid. cap. 7. de meritis bonorum operum. p. 293. *Majorem vim & gloriam meritis & morti Chriſti tribuunt, qui docent illis non ſolum peccata hominibus condonari, hoc eſt, homines à morte animæ ad vitam revocari, ſed eis quoque vires reſtitui dignitatemque conferri promerendi operibus non exiguum hujus mundi, ſed immenſum atque æternum futuræ vitæ ſtipendium.* Leſſius in conſultat. pag. 19. *Meritis operum Chriſti meritum extollitur, quia illud adeò ſtatuitur efficax, ut nobis etiam facultatem merendi contulerit, ſicut omnipotentia D E I commendatur, quando rebus creatis vis unâ operandi non denegatur.* Subterfugium iſtud frivolum ſuo poſteà excutietur loco, hac vide ea Bernh. ſerm. 67. in cant. dicimus. *Deeſt gratia, quicquid meritis deputas.*

10. *Diſputant. Chriſtum ſibi aliquid promeruiſſe.* 10. Diſputant, CHRISTUM non ſolum nobis gratiam & gloriam, ſed etiam ſibi corporis gloriam & nominis exaltationem promeruiſſe. Lombard. 3. ſentent. diſtinct. 18. Thomas p. 3. quæſt. 49. artic. 6. Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 9. ** (Idem ex Calvinianis ſtatuit Zanchius paſſim docens, *Chriſtum ſua obœdientiâ, ſibiipſi vitam æternam promeruiſſe.* Junius ſcribit, *fidem Chriſtianam nihil laborare, ſive dogma illud probetur ſive improbetur.* Piſcator & Vorſtius idem ſtatuunt cum Schol. Piſcator quidem in cap. 2. Philipp. ad v. 9. pag. 173. Vorſtius in Antibellarm. pag. 55. 56. Ravenſpergerus in pentade quinta Cenſuræ & judicii de illuſtrioribus Theologorum quæſtionibus q. 2. ubi pro ſua ſententia citat Bullingerum in Apocal. ſerm. 27. & addit. *Duo ſunt quæ Chriſtum ſibi meruiſſe ſtatuimus videlicet vita æterna & ſumma illa ac ſingularis gloria, qua pro Filio D E I ab omnibus creaturis rationalibus agnoſcitur ac proinde ut verus Deus adoratur, quarum illam ſibi meruit obſervatione legis juxta illud. Qui fecerit ea homo, vivet in eis* Levit. 18. verſic. 5. *Hanc verò per multas ac varias paſſiones atque inprimis per mortem crucis.* Phil. 2. v. 9. Contrarium ſtatuit ipſe Calvinus libro 2. Inſtitutionum cap. 17. §. 6.) ** Atqui Chriſtus ratione ſui nullo indigebat merito, quia in ipſa unione ſecundùm aſſumtam Naturam humanam nomen multò præſtantius Angelis ſortitus eſt & ſuper omnes creaturas evectus; in exaltatione, quæ eſt conſequens & velut præmium quoddam exinanitionis, non data eſt Chriſto nova poteſtas, quam antea per unionem perſonalem non habuerit, ſed collata plena facultas adminiſtrandi ſui regni. ** Vrgent locum Philip. 2. verſ. 9. Reſp. 1. In Græco eſt διὸ quod componitur ex articulo ὃ & præpoſitione διὰ, reddendum igitur, *proinde, quocirca.* Vulg. verſio minus commodè *propter quod.* 2. Scopus Apoſtoli non eſt, ut fiduciam meriti inculcet, ſed ut humilitatis ſtudium commendet, ut à D E O gratuita humilitatis præmia expectemus. 3. χαρίζεσθαι ſignificat *gratis donare* vel *largiri.* Jam verò ubi gratia ſeu donum gratuitum, ibi exulat meritum ſecundùm debitum. Hebr. 2. verſic. 9. *Eum qui modico minoratus quàm Angeli videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Reſponſ. 1. verba rectè ſic ordinantur ut CHRISTUS dicatur factus minor Angelis propter paſſionem. 2. Si vel maximè referantur ad exaltationem, tamen non innuitur effectus meriti, ſed ordo & conſequentia paſſionis ac gloriæ. 1. Petri 1. verſ. 11. τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. ** Quicquid igitur Chriſtus meruit, id nobis meruit, non ſibi, *nobis* enim *natus eſt, nobis datus,* Eſai. 9. v. 6. *nobis factus eſt juſtitia, ſapientia, ſanctificatio & redemtio.* 1. Corinth. 1. Opponimus ergò Bellarmin. Vegam in opuſc. de merit. quæſtion. 6. *CHRISTUS totam ſuam gratiam, totamque gloriam eſſentialem ſine meritis habuit in primo ſuo humanitatis inſtanti.*

11. *Statuunt. Chriſti paſſionem non eſſe ſolam & totalem cauſam juſtificationis & ſalutis noſtræ.* 11. Et quid multis? Bonaventura & Biel. diſputant C H R I S T I paſſionem non eſſe ſolam & totalem cauſam meritoriam juſtificationis & ſalutis noſtræ. Bielis hæc ſunt verba lib. 3. ſentent. diſtinct. 19. concluſ. 5. *Etſi Chriſti paſſio ſit principale meritum, propter quod confertur gratia, apertio regni & gloria: nunquam tamen eſt ſola & totalis cauſa meritoria, quia ſemper cum merito CHRISTI concurrit aliqua operatio, tanquam meritum de congruo vel de condigno recipientis gratiam vel gloriam, ſi fuerit adultus, rationis uſum habens, aut alterius pro eo, ſi caret uſu rationis.* ** Vitus Miletus in diſcuſſ. 600. error. edit. in 4. ann. 604. ſcribit, *Chriſtum eſſe quidem cauſam univerſalem ſalutis noſtræ, ſed tamen nec totalem, nec integram.* Idem ſtatuit Alph. Salmeron tom. 7. tract. 40. edit. Col. 602. pag. 208.** D. Johannes Geilerus Keiſersbergius in concione de aſcenſione C H R I S T I. fol. 73. Der H E R R fuhr auff von eigner Krafft/ das iſt/ von eignem Verdienen / alſo lug du / daß du auch in deinem eignen Verdienen auffahreſt / viel Menſchen ſind / die allein in dem Verdienen J E S V wollen behalten werden. Ja ſprechen ſie / C H R I S T V S hat für vns gelitten / vnnd vns das Himmelreich verdienet / was bedarff ichs denn zu verdienen? Es iſt wahr quoad ſufficientiam, non quoad efficaciam. Meritum Chriſti eſt univerſalis cauſa, ſed non totalis, (der Genüge aber nicht der Krafft nach /) der Verdienſt C H R I S T I iſt die allgemeine aber nicht die gantze Vrſach. Darumb fehlen die Narren die alſo reden / C H R I S T V S iſt G O T T vnnd Menſch geweſen / ſein Verdienſt iſt vnendlich geweſen / etc. Solche Narren verſtehen nicht was Sie ſagen / das Verdienſt des H E R R E N iſt nicht die gantze Vrſach vnſerer Behaltnuß / Du muſt dein Stewer vnd Hülff auch darzu thun. Ruard. Tapp. Decanus Lovanienſ. tom. 1. artic. 6. de Satisfact. pag. 241. expreſsè ſcribit; *Satisfactio Chriſti per ſufficientiam non meretur nomen perfectæ ſatisfactionis, nec redemtio, nec reconciliatio per ſufficientiam hæc merentur nomina.* An hoc ſit doctrinam de cauſa meritoria juſtificationis ſincerè tractare, judicet qui judicare poteſt.

55. Poſt-

Per quid Chriſtus juſtitiam nobis promeruerit.

55. Poſtquam igitur comprobatum dedimus, Chriſtum θεάνθρωπον eſſe meritoriam cauſam Juſtificationis, inquirendum reſtat, per quid Chriſtus juſtitiam coram Deo valentem promeruerit. Reſpondemus ex Scripturis, totam Chriſti obœdientiam tàm activam, quàm paſſivam, tàm vitæ quàm mortis ad illud meritum concurrere. Quamvis enim in compluribus Scripturæ dictis morti & effuſioni ſanguinis Chriſti redemtionis opus tribuatur, id tamen haudquaquam excluſivè accipiendum, ac ſi ſancta Chriſti vita ab opere redemtionis per hoc excludatur, ſed ideò illud fieri exiſtimandum, qua nuſquam illuxit clariùs, quod nos dilexit ac redemit Dominus, quàm in ipſius paſſione, morte ac vulneribus, ut loquuntur pii veteres; & quia mors Chriſti eſt velut ultima linea ac complementum, τέλος, finis & perfectio totius obœdientiæ, ſicut Apoſtolus inquit Philipp. cap. 2. verſic. 8. *CHRISTUS exinanivit ſe factus obœdiens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quid quod planè ἀδύνατον eſt activam obœdientiam à paſſiva in hoc merito ſeparare, quia in ipſa Chriſti morte concurrit voluntaria illa obœdientia, & ardentiſſima dilectio; quarum prior Patrem cœleſtem, poſterior nos homines reſpicit. Johan. 10. verſ. 18. *Nemo tollit animam meam à meipſo, poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Galat. 2. verſ. 20. *Chriſtus dilexit me & tradidit ſeipſum pro me.*

An habitualis Chriſti juſtitia à cauſa meritoria excludatur.

56. Certum igitur eſto, obœdientiam CHRISTI activam & paſſivam eſſe meritoriam cauſam noſtræ Juſtificationis. Sed quid de habituali humanæ Naturæ CHRISTI juſtitia fiet? num illa à merito noſtræ juſtitiæ planè exulabit? minimè verò, cùm obœdientia & ſatisfactio CHRISTI inde atque ideò cedat in commodum noſtrum ac ſit meritoria, primò quia eſt ipſius Filii DEI obœdientia, unde infinita dignitas ac majeſtas perſonæ conciliat infinitam vim, dignitatem atque efficaciam ejusdem merito. Johan. 6. v. 51. *Caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* (inde atque ideò CHRISTI caro pro mundi vita dari potuit, quia eſt ipſius Filii DEI propria caro.) Actor. 20. verſ. 29. *DEUS redemit Eccleſiam ſuo ſanguine.* (inde atque ideò CHRISTI ſanguine redemtionis opus peractum, quia eſt ipſius Filii DEI proprius ſanguis) Galat. 4. verſ. 4. *DEUS miſit Filium ſuum natum ex muliere factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret* (inde atque ideò Chriſtus noſtri loco legem implevit & à maledictione legis nos liberavit, quia eſt DEI Filius & legis ipſius dominus) 1. Johan. 1. verſ. 7. *Sanguis JESU CHRISTI Filii DEI emundat nos ab omni peccato.* (inde atque ideò ſanguis Chriſti nos emundat à peccatis, quia eſt ipſius Filii DEI ſanguis.) Deinde quia eſt innocentiſſimæ, ſanctiſſimæ ac puriſſimæ perſonæ obœdientia. Si enim vel minima peccati ſive originalis ſive actualis labecula CHRISTO adhæſiſſet, nec legem pro nobis implere, nec pro peccatis noſtris ſatisfacere potuiſſet. Hebr. 7. verſ. 26. *Talis decebat ut eſſet nobis Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Auguſtinus 10. de civitate Dei cap. 24. *ideò ſolvere potuit moriendo peccata, quia & mortuus eſt & non pro ſuo peccato.*

Error Piſcatoris de cauſa meritoria.

57. Diſceſſit ab hac ὀρθοδοξίᾳ ſuperiori ſeculo circa annum 1570. quidem Parſimonius vulgò Kargius dictus Antiſtes Onoldinus, paſſivam duntaxat Chriſti obœdientiam ad cenſum cauſæ meritoriæ referendam eſſe ſtatuens, ſed is à viris doctis ac piis admonitus poſtmodùm reſipuit ac dogmatis ſui vanitatem agnovit. Hanc verò opinionem non ita pridem quaſi poſtliminiò revocare & propugnare conatus fuit Johannes Piſcator Herbornenſis, contendens, Chriſtum excluſâ activâ ſive vitæ obœdientiâ, ſolâ paſſivâ ſive mortis obœdientiâ juſtificationem nobis meruiſſe, quâ in parte non ſolùm à Scripturis, ſed etiam à ſuæ fidei aſſeclis homo fanaticus diſceſſit, cùm contrarium diſertè ſtatuant. Calvinus lib. 2. Inſtitut. cap. 16. ſect. 5. Beza in quæſtionib. & reſponſ. fol. 668. & Epiſt. 28. Marlorat. in cap. 4. Galat. Martyr. in locis comm. fol. 721. Catecheſ. Eccleſ. Palat. quæſt. 36. 60. 61. Urſinus pag. 394. Sohn. tom. 2. exegeſ. in Auguſt. Confeſſ. pag. 986 Bucanus in Inſtitut. Theolog. loc. de Juſtific. p. 308. & ſeqq. Polanus in Sympl. Catholic. cap. 9. & in comment. ſuper Daniel. p. 823. & ſequentib. **Idem part. 2. theſ. p. 191. Keckerm. lib. 3. Syſt. Th. p. 342. Witak. in reſp. ad 8. rat. Camp. p. 164. ed. Rup. Foxus in diſp. contra Jeſuit. tom. 3. pag. 1001. ed. Rupell. **Trelcat. in Inſtitut. lib. 2. pag. 76. 151. Quid quòd Synodus Wappinenſis Anno 603. ipſum per literas fideliter admonuerit, *ut dogma hoc non probum atque Evangelio contrarium publicè retractaret, nec impoſterum animos Studioſorum miſerè eodem imbueret aut infirmis ſcandalorum, Collegis diſſenſionum & Pontificiis inſultandi occaſionem præberet.* **Georg. Catlet. in libr. de conſenſu Eccleſ. Cath contra Trident. parte 3. de Juſtif. c. 3. prolixè diſputat contra hanc opinionem Piſcatoris. *Quia* (inquit) *novam litem atque inauditam antea in Eccleſia ſuſcitant nonnulli de obœdientia Chriſti activa, quam negant imputatam nobis eſſe, aut ad juſtificationem noſtram eſſe neceſſariam, hanc novitatem ſuccinctè examinabimus.* Poſtquam multis contra hanc opinionem diſputavit, tandem ſubjungit. *Sufficiant hæc ad hanc novitatem coercendam, quæ nuper ſine autoritate, ſine ratione excogitata eſt, quam Sacra Scriptura, quam Patres è Scripturis ubique convellant, quam Eccleſia magno conſenſu uſque ad Mart. Lutheri tempora ignotam habuit. Nec quiſquam acrius aut illuſtrius in hac re veritatem propugnat, quàm Lutherus ipſe & magni illi è Germania viri, qui in Evangelio propagando Luthero ſucceſſerunt, ut mirum videatur Germano cuiquam hanc novitatem placere potuiſſe.* Idem tamen cum Piſcatore ſtatuunt Martinius Bremenſis, Tilenus Sedanenſis, Goclenius Marpurgenſis, Ravenſpergerus pent. 5. ſubtil. Theol. q. 3. Nec per omnia probari poteſt, quod Lubertus in catal. error. p. 357. ſcribit, *activam quidem obœdientiam Chriſti non eſſe ſeparandam à paſſiva*, interim tamen negat *totam Chriſti humiliationem eſſe λύτρου iſtius ſolutionem, ſed ſolam mortem etiam redemtionis noſtræ pretium.* Piſcatori aſſurgunt D. Pierius in defenſ. Orthod. Confeſſ. p. 191. 192. 193. 194. 195. 196. 199. 200. ubi Pareũ & Urſinum adducit; D. Lud. Crocius in Apolog.

pro Auguſt.Confeſſ.p.402.& in Aſſert. Auguſt. Conf.p. 88.604. Matthiaa Martinius in Chriſtiana & Catholica fide Bremæ Anno 1618. impreſſa p.259.260. *Quomodo ſancta Chriſti conceptio noſtra peccata tegit, ut in conſpectum Dei veniant? 1. quatenus in ea conſideratur Domini altiſſimi exinanitio, in qua exinanitione tota & ſola poſita eſt ſatisfactio pro peccatis noſtris.* p. 298. *Porrò quod ad legis impletionem attinet, ſi ea ſignificet dilectionem Dei ſupra omnia & obœdientiam creaturæ rationali convenientem erga creatorem, exinanitio non fuit. Nam qui debitum Deo officium præſtat, quatenus id abſolutè debitum eſt, is non dicitur ſe exinanire. At Chriſtus ſecundum humanam Naturam DEUM diligendo præſtitit id quod abſolutè debuit* E. D. Henricus Wetzelius in Diſp. Caſſellis habitis Diſp. 14. th. 19. *An obœdientia humiliationis Chriſti ab initio vitæ uſque ad exaltationem ſit res illa, quæ nobis remiſſionem peccatorum acquiſiverit?* Aff. Rom. 5.18.19. Gal. 3.13. Ratio. *Quæcunque enim Chriſtus pro nobis ſuſtinuit & ſubiit volens & quicquid fecit & paſſus eſt, ad quod ipſe tanquam juſtus & DEI Filius non fuit obligatus, illud eſt res illa, quâ juſti ſumus coram Deo. Atqui tota illa obœdientia & humiliatio Chriſti eſt id quod Chriſtus ſuſtinuit.* Deſcripſit hoc ea libro Martinii cujus titulus *Chriſtiana & Catholica fides* edit. Brem. 6.18. p. 299. 663. Ergo cum illo conſeotit in hac quæſtione. Jacob. Strackiua ſub præſidio Goclenii Marpurgi diſputationem habuit, ſub hoc titulo. *Diſputatio Theologica Phyſica ad doctrinam de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo illuſtrandam apprimè neceſſaria*, in qua Piſcatoris opinio defeoditur. Goclenius in Collegio Phyſico Theologica diſp. 9. p. 91. ſcribit, *quod obœdientia mortis Agni innocentis, puri, immaculati, ſancti, Chriſti, nobis ad juſtitiam imputetur, ita ut obœdientia mortis ſit juſtitia & remiſſionis peccatorum cauſa formalis, ſanctitas verò vitæ cauſa ſine qua non.* D. Johan. Crocius in lib. de Juſtificat. Caſſellis Anno 634. edito in deſcribenda cauſa meritoria Juſtificationia non facit mentionem activæ obœdientiæ Chriſti. Quinimò quamdiu Calviniani doctrinam de vera & reali communicatione Naturarum ac de vera communicatione divinæ majeſtatis Chriſto ſecundum carnem facta negant, tamdiu etiam negare coguntur, activam Chriſti obœdientiam ad cauſam meritoriam juſtificationis pertinere. Si enim Chriſtus juxta humanam Naturam non eſt Dominus legis, utiqne ut homo eſt legi ſubjectus obſtrictua ad Deum diligendum ex toto corde &c. ergo dilectione illa ſua non potuit legem pro nobis implere. Videatur Pareus in Comment. Gal. 5. v 4. p. 287. 288. in Epiſt. ad Hebræos 5. v. 8. pag. 237. p. 238. 239. & apparebit. ipſum argumentis Socini non poſſe ſatisfacere. Eſt qui in ſocietatem hujus opinionis etiam Pootificios pertrahere conatur, cùm Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. & Bellarmious ejusdem hyperaſpiſtes liber 1. de Juſtificatione cap. 2. ſolius paſſionis Chriſti in aſſignanda meritoria juſtificationia cauſa mentionem faciant: ſed enim cùm Concilium Tridentinum diſertè addat Chriſtum *ſanctiſſimâ* ſuâ paſſione nobis meruiſſe juſtificationem, cumque Bellarminus lib. 5. de Chriſto cap. 9. ſcribat, Chriſtum ſuia operibua ac laboribus nobia omnibus gratiam & gloriam acquiſiviſſe, denique cùm Colterus in Enchirid. pag. 296. diſertam faciat mentionem operum Chriſti, ſicque activam obœdieotiam cum paſſiva conjungat, idcò nolumus ſiniſtri quippiam de illis hac in parte ſuſpicari.

58. Statum controverſiæ in conſideratione dictatorum Dn. D. Mentzeri ſic format Piſcator. *Ego*, inquit, *obœdientiam Chriſti diſtribuo in obœdientiam vitæ & obœdientiam mortis. Obœdientiam vitæ nomino, quam præſtitit Legi ſanctè ſecundum illam vivendo. Obœdientiam mortis voco, quam præſtitit ſpeciali mandato Patris patiendo & moriendo pro electis. Mortis obœdientiam hanc apello* κατ' ἐξοχὴν *paſſiones alias Chriſti non excludens, ſed à principali eam (idque ductu Scripturæ) denominans. Hæ duæ (ut ita loquar) obœdientiæ accuratè ſunt diſcernendæ & nequaquam confundendæ, nam plurimùm differunt. Quippe ad obœdientiam obligatus fuit Chriſtus jure Naturæ ſive creationis tanquam verus homo & filius Adæ, quantum ad legem moralem, nec non jure fœderis à DEO pacti cum poſteris Abrahami & Iſraelis. Ad obœdientiam verò mortis nullo jure fuit obligatus, ſed jure diverſo nempe voluntariæ ſponſionis.* Hæc Piſcatnr, quæ paſſim repetit in ſua analyſi Nov. Teſtament. & in Epiſt. ad Paſtores Gallicanos Wappinei congregatos. Noa contrà ſtatuimus, CHRISTUM non tantùm patiendo & moriendo, ſed & agendo ſeu perfectâ obœdientia legem implendo, hoc eſt, non ſolùm paſſiva ſed etiam activâ ſuâ obœdientiâ eſſe cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis.

Status controverſiæ.

59. Occaſio erroris primaria eſt Neſtoriana perſonæ Chriſti divulſio. Quomodo namque de operibua θεανδρικοῖς rectè ſentire poteſt, qui fundamentum unionia hypoſtaticæ labefactat? Qui Cinglianam allœoſin amplectitur, nunquam poterit infinitatem meriti â Chriſto præſtiti tueri. Martinius Piſcatoria Collega ſecutus Bezam pag. 25. Incil. & p. 184. ſpic. propoſitionem illam: *DEUS eſt paſſus*, Synecdochicè ſic reſolvendam eſſe ſtatuit. *Caro eſt paſſa: Humana Natura tantùm mortua eſt.* At ſi paſſio & mora Chriſti tantùm humanæ Naturæ, non autem perſonæ competit, quomodo conſtabit ei vis & efficacia ſatisfaciendi pro peccatis mundi. Idem judicium eſt de ſanctis CHRISTI actionibus, quas cùm humanæ tantùm Naturæ actionea eſſe ſtatuant, quid mirum, quòd ab officio redemtionis eas ſecludant? cui peſtilentiſſimo errori opponenda eſt regula illa certiaſima. *Actiones & Paſſiones ſunt perſonæ.* Non igitur agit & patitur tantùm humana Natura, ſed agit & patitur CHRISTUS θεάνθρωπος DEI & Mariæ filiua, perſona, inquam, agit & patitur, nimirum in aſſumta carne, quâ de re plura ſuo loco. Secundaria erroris cauſa eſſe potuit ſingularitatis & novitatis ſtudium, ea quo & aliæ complures novæ interpretationea dictorum Scripturæ originem ducunt, quas in commentariis ſuis Eccleſiæ obtrudit. Quò etiam refero diſputationes illas Scholaſticorum & Pontificiorum, quòd CHRISTUS ſibiipſi promeruit corporis gloriam & nominis exaltationem, quas cupidè amplectitur Piſcator in analyſ. cap. 2. Philipp. pag. 177. ſcribens,

Occaſio erroris.

Chri-

Google

Chriſtum etiam ſibi vitam æternam ſeu beatitudinem cœleſtem promeruiſſe. Itemq; alibi, *Chriſtum ſanctitate vita ſibi promeritum eſſe ſummam illam gloriam, quâ nunc pro Domino omnium creaturarum agnoſcitur & adoratur*, in conſid. dictatorum pag. 45 Refero etiam hûc diſputationes eorum, qui Calvinum ſequuntur, *quod Chriſtus tantùm pro electis paſſus & mortuus ſit.* Si enim illis licuit infinita hominum millia a fructu ſatisfactionis Chriſti ſequeſtrare, etiam ſibi licere Piſcator ſtatuit, obœdientiam Chriſti activam ab ipſa ſatisfactione ſegregare.

Argumenta noſtræ ſententiæ.

60. Ceterùm cum Theologi Gieſſenſes, præſertim Dn. D. Mentzerus in aliquot ſcriptis ** (Videatur & Diſputatio D. Feurb. cont. Combachium th. 177.) ** & D. Eckhardus libro peculiari Piſcatorianam illam ματαιότητα ſolidè refutarint, ideò brevibus ſolùm argumenta noſtræ ſententiæ proponemus ac potiora adverſarii Sophiſmata diſcutiemus. Sic igitur argumentamur. Si Chriſtus Mediator in officio Redemtionis non ſolùm pro nobis mortuus eſt, ſed etiam 1. voluntatem Patris coeleſtis fecit. 2. legem implevit. 3. factus ſub lege. 4. ut per obœdientiam ejus conſtitueremur juſti. 5. & juſtificatio legis in nobis impleretur. 6. cùm ipſe ſit finis Legis ad juſtitiam omni credenti. 7. ac proinde factus nobis à Deo juſtitia. 8. in quo efficimur juſti, conſequēs eſt, non ſolùm paſſivam, ſed etiam activam obœdientiam Chriſti eſſe noſtram coram Deo juſtitiam. Sed verum prius, Ergo & poſterius. Ut connexio Majoris ſit evidens, notandus προσσυλλογισμὸς ille, quòd Chriſtus Mediator in officio Redemtionis legi divinæ ſe ſubjecerit, eandemq; impleverit: atqui quicquid Chriſtus Mediator in officio Redemtionis præſtitit, illud noſtri loco præſtitit, idque imputatur nobis ad juſtitiam coram Deo. Minoris ſingulæ partes ex Scripturis ſunt deductæ. 1. Chriſtus Mediator voluntatem Patris coeleſtis fecit Pſal. 40. verſ. 10. *Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam Deus voluntatem tuam volens & legem tuam in medio cordis mei.* Hunc locum Epiſtola ad Hebræos cap. 10. verſ. 7. diſertè ad Chriſtum refert & expreſſè addit verſ. 10. *Hac voluntate Chriſti nos eſſe ſanctificatos*, hûc referenda illa Chriſti in Novo Teſtamento pronunciata, in quibus paſſim aſſerit, *ſe non veniſſe, ut ſuam, ſed ut Patris voluntatem faceret.* Johan. cap. 4. verſ. 34. capit. 5. verſ. 30. capit. 6. verſic. 38. &c. 2. CHRISTUS implevit legem, Matth. cap. 5. verſ. 17. *Nolite putare, quoniam venerim ſolvere legem aut Prophetas, non veni ſolvere ſed implere*, ubi non ſolùm de genuina legis interpretatione, ſed etiam perfecta ejusdem impletione ſermonem eſſe contextus oſtendit. 3. CHRISTUS *factus eſt ὑπὸ νόμον ſub lege, ut a maledictione legis liberaremur* Galat. 3. verſ. 4. & 5. 4. Per obœdientiam Chriſti juſti conſtituimur. Roman. 5. verſ. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ* verſ. 19. *Sicut enim per inobœdientiam unius hominis peccatores conſtituti ſumus multi: ita per unius obœdientiam juſti conſtituentur multi.* 5. Chriſti beneficio ac merito τὸ δικαίωμα *juſtificatio legis in nobis impletur.* Roman. 8. v. 4. 6. Eſt enim *finis legis* Roman. 10. v. 4. τέλος perfectio & conſummatio atque hac ratione finis. 7. *Factus nobis à Deo juſtitia*, 1. Corint. 1. v. 30. 8. *In quo efficeremur juſtitia*, Perfectè juſti. 2 Cor. 5, 21. Immota igitur conſiſtit concluſio, etiam activam Chriſti obœdientiā eſſe noſtrā coram Deo juſtitiā. ** Sed reſp. ad except. 1. Matth. 5, 17. *Non veni ſolvere legem ſed implere. De ea lege loquitur Chriſtus, ad quam non deſtruendam ſed implendam venit, quamq; in ſubſequente concione enarrandam ſuſcepit. At Ceremoniales & forenſes leges deſtructum venit Epheſ. 2. verſ. 14. moralem implevit & explicandam ſumſit. Ergò. Venit autem Chriſtus ut legem moralem impleret, aut fruſtrà aut ſui aut noſtri causâ. Non primum, ut conſtat. Nec ſecundum ut inferius demonſtrabitur. Ergo.* Excipit Piſcator. *Chriſtum legem impleviſſe non vita ſanctitate ſed doctrina. Ut enim Prophetas ita legem implevit.* At illos doctrina. Ergo. Reſp. Chriſtus venit quidem ut legem impleret explicando ſed non ſolum, verum etiam ut impleret obœdiendo, quod patet 1. ex oppoſitione. Solutio legis eſt non tantùm ejus adulteratio ſed maximè violatio. Ergo impletio non eſt tantùm ſincera ejusdem explicatio ſed maximè ſervatio. 2. ex v. 19. ubi τὸ implere exponitur per τὸ facere. Facere autem legem eſt obœdiendo implere non tantùm explicare. 3. ex Piſcatoris teſtimonio, qui in ſcholiis ſuper hunc locum v. 17. ſcribit, *implere legem eſt præſtare ac facere, quæ lex præcipit.* 2 λῦσαι *quidem violationem notare, ſed non compoſitum* καταλῦσαι. Reſp. 1. quod καταλῦσαι etiam violationem denotet, probat verbum πληρῶσαι quod ſignificat debitam obœdientiam legi præſtare & legi ſervare. Quia ergò illud huic opponitur, ergo eandem ſignificationē habet cum ſimplici λῦσαι. 2. τὸ καταλῦσαι v. 19. per ſimplex λῦσαι exponitur. 2. Rom. 5. v. 18. *Per unius obœdientiam.* Excipit Piſcator. *Obœdientiæ nomine intelligi paſſionem & mortem.* Reſp. falſum hoc, quia 1. Paulus *obœdientiam* explicat per δικαίωμα. At ſola obœdientia mortis non eſt δικαίωμα, aliàs etiam Diaboli haberent δικαίωμα quia patiuntur mortem infernalem. 2. δικαίωμα opponitur παραπτώματι. Ut ergo παράπτωμα eſt ἀνομία, ita δικαίωμα vi oppoſitionis eſt ἐννομία. 3. Inobœdientiam Adami opponit Apoſtolus obœdientiæ Chriſti. Quod ergo per inobœdientiam Adæ intelligitur, ejus contrarium per obœdientiam Chriſti intelligetur. Sed per illā intelligitur actio ἄνομος. Ergo per hanc actio ἔννομος. 4. Obœdire propriè notat actionem legi conformam. 5. talis obœdientia intelligitur per quam juſti conſtituimur v. 19. At per ſolam obœdientiam non conſtituimur juſti, quia nec fur mox dicitur juſtus, licet ſit obœdiens ad mortem. 3. Galat. 4. v. 4. 5. Quo modo nos eramus ſub lege, eo modo etiam Chriſtus fact9 eſt ſub lege. Atqui nos eramus ſub lege non tantum maledictionis & poenarum ſed etiam obœdientiæ ratione. E. Excipit Piſcator, *Chriſtum factum eſſe ſub lege ratione ſolius maledictionis.* Reſp. 1. nos eramus ſub lege non tantùm ratione maledictionis, ſed etiam ratione perfectę obœdientiæ. Totum hoc noſtrum debitum luendum Chriſtus in ſe ſuſcepit. Si igitur ſolam poenam & non ſimul obœdientiam ille præſtitit, non totum debitum ſolvit, ſed præcipuam ejus partem nobis ſolvendam reliquit, quam quia ſolvere non poſſumus, metuendum ne in carcerem

conje-

conjecti æternùm pereamus. 2. Si Chriſtus factus eſt ſub lege ratiooe maledictionis, quam à nobis avertit, certè etiam ratione obœdientiæ idem ſub lege eſt factus, quia juſtitia divina à maledictione non abſolvit, niſi ei obœdientiâ perfectâ fuerit ſatisfactum. 3. Gal. 4. verſ. 21. inquit Apoſtolus *Dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis &c.* ubi τὸ *velle ſub lege eſſe* non notat velle eſſe ſub maledictione, voluntatis enim objectum per ſe eſt tantùm bonum appetibile, ſed ſub obſervantia & obſervatione legis eſſe velle. Eodem modo verſ. 5. *ſub lege eſſe* notat obſervantiam legi perfectam debere. Inſtat Piſcator. *Ve non valet, Filius DEI factus eſt ex muliere ut nos à maledicto legis liberaret. Ergo per incarnationem ipſam facta eſt illa redemtio, ita nec valet. Filius DEI factus eſt ſub lege ut nos redimeret. Ergò per ipſam ſubjectionem facta eſt redemtio.* Reſp. *nobis natus eſt puer* Eſai. 9. verſ. 6. *nobis natus eſt Salvator* Luc. 2. verſ. 11. hoc eſt in noſtrum commodum & utilitatem. Si ergò in noſtram ſalutem natus eſt, per ipſam etiam incarnationem redemtio facta eſſe, negari nequit. Quia enim lex non actionum duntaxat, ſed ipſius etiam Naturæ & nativitatis puritatem atque ſanctitatem exigit, & non actiones modò noſtræ ſunt pollutæ, ſed ipſa etiam Natura & nativitas, ideo ad noſtri juſtificationem & ſanctificationem præter ſanctitatem operationum etiam Naturæ ac nativitatis ſanctitatem à Redemtore noſtro neceſſariò fuiſſe requiſitam.**

Exceptiones Piſcatoris. 61. Excipit Piſcator. 1. *Voluntatem illam cœleſtis Patris, quam Chriſtus Mediator in officio redemtionis implevit, non eſſe intelligendam de lege morali, ſed de ſpeciali mandato ſatisfaciendi ac moriendi pro electis.* Reſp. Prophetia & complementum exactiſſimè ſibi invicem reſpondent jam verò complementum oſtendit, legem moralem io diebus carnis ſuæ Chriſtum impleviſſe. Matth. 5. v. 17. Rom. 8. v. 4. Galat. 4. v. 4. Ergo Prophetia Pſalmi 40. de eadem intelligenda erit. Sanè Chriſtus in arcano Trinitatis conſilio Mediator ac Redemtor conſtitutus partes illas promtiſſimè ſuſcepit, ex eo autem non poteſt deduci, quòd Chriſti obœdieotia activa vel paſſiva non reſpiciat legem moralem, ſed ſpeciale quoddam mandatum cœleſtis Patris. Cùm enim Chriſtus ut Mediator noſtri loco ſeſe ut obœdientem ſervum ex immenſa dilectione Deo ſtiterit & peccata noſtra ſibi imponi paſſus fuerit, ideò etiam in hoc ſuo officio omnia & ſingula legis moralis præcepta perfectiſſimè noſtri loco implevit, ac pœnas peccatis noſtris debitas inſuper ſponte ſuſcepit. Quòd ſi activa Chriſti obœdientia juxta normam legis moralis præſtita à cauſa meritoria juſtificationis excluditur, paſſiva v. non ad legem moralem, ſed ad ſpeciale quoddam mandatum moriendi pro electis refertur, conſequens eſt, Chriſtum nullâ planè ratione nec agendo nec patiendo legi morali pro nobis ſeſe ſubjeciſſe, cujus contrarium ipſe Piſcator ſtatuit pag. 102. conſiderat. *Chriſtus* (ait) *pro nobis & noſtro loco eſt ſubjectus legi*: & in cap. 5. Matth. *Chriſtus implevit legẽ tùm Ceremonialẽ, quatenus pro electis mactatus eſt in ſacrificium expiatorium, tùm moralem partim patiendo, partim agendo.* Quòd pro electis tantùm Chriſtus aſſeritur mortuus, id alibi pleniùs diſcuſſum.

2. Chriſtum pro ſeipſo implevisse legem. 2. *Chriſtum ſanctitate vitæ impleviſſe quidem legem, ſed pro ſeipſo, ut obœdientiâ activâ vitam æternam, paſſivâ verò ſummam gloriam exaltationis ſibi promeretur: non autem pro nobis nec noſtra juſtificationis causâ.* Reſp. ** 1. Si Chriſtus ſui cauſa legem implevit, ſervus & debitor legis fiet qui eſt ejuſdem Dominus. Chriſtus enim ut homo eſt æternus Dei Patris Filius per & propter unionem hypoſtaticam. Filius autem Dei æternus non eſt debitor legis ſed Dominus. Imò ipſe diſertè teſtatur Marc. 2. v. 28. *ſe filium hominis & Dominum Sabbati* & proinde totius Decalogi, quia totus Decalogus eſt divinus. 2. Oboedire legi eamque implere eſt pars officii Meſſiæ. Pro ſe autem officium Chriſtus non ſuſcepit nec eo perfungitur. 3. Sequeretur ipſum etiam λόγον ut Deus eſt qui in humana Natura & per illam obſequium legi præſtitit, ſui cauſa impleviſſe legem, eique ſubjectum eſſe ex debito. Actiones enim & paſſiones Chriſti nec poſſunt nec debent conſiderari ac ſi eſſent tantùm Naturæ humanæ actiones & paſſiones, ſed ut perſonæ. Perſona enim eſt quæ agit & patitur.** Porrò Chriſtus in primo ſtatim incarnationis momento juxta humanam Naturam obtinuit illam majeſtatem & gloriam, ut factus ſit omnium creaturarum Dominus, ſiquidem aſſumta humana per unionem perſonalem in ipſum λόγον ſupra omnes creaturas eſt evecta, quâ non poteſt eſſe major gloria ac majeſtas io coelo & in terra, unde *cùm introducit Pater Filium in orbem, jubet eum adorari ab omnibus Angelis* Hebr. cap. 1. verſ. 6. & Mariæ Filius adhuc in præſepi recumbens *à Magis adoratur* Matth. 2. verſ. 11. pari ratione Chriſtus ut Homo in primo ſtatim incarnationis momento factus eſt heres omnium (quippe DEI Filius) & Dominus vitæ æternæ, proiode vitam æternam ac gloriam adorationis non neceſſe habuit per oboedientiam tanquam meritum quoddam illius demum acquirere, interim non negamus, quòd exaltationem ordine divinitùs ſancito prægreſſa ſit exinanitio, cujus illa fuit conſequens & velut præmium quoddam, quò referenda dicta Pſalm. 110. verſ. ult. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Philip. 2. verſ. 9. *factus eſt obœdiens Patri uſque ad mortem, mortem autem crucis, διὸ καὶ propterea ſuperexaltavit eum DEVS*: id alibi ſic exponitur, Chriſtum *per paſſionem intraſſe in ſuam gloriam.* Luc. 24. verſ. 26. Chriſtum *ideò mortuum eſſe ac reſurrexiſſe, ut mortuis ac viventibus dominetur,* Rom. 14. verſ. 9. *Per paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Heb. 2, 9. **Gloria Chriſti hominis, quâ adoratur & glorificatur pro Domino omniũ creaturarum eſt, effectum ſeu immediatum conſequens unionis hypoſtaticæ. Ergò non eſt merces oboedientiæ. Particulę διὸ propter propterea non ſemper ſunt notæ cauſæ meritoriæ, ſed crebrò tantùm conſequentię Act. 20. v. 26. Heb. 3. v. 7. 2. Pet. 1. v. 10.** Relinquitur igitur non ſui cauſa, ſed propter nos Chriſtum impleviſſe legem, quod qui negat is finem miſſionis Chriſti adeoq; totam ſalutis noſtrę œconomiam negat, ac credentes omnes adhuc Legi obnoxios eſſe ſtatuit. Nec eſt, quòd obvertat Piſcator, *Sanctitatem vitæ pertinere ad conſtitutionem perſonæ Mediatoris, ac proinde non concurrere ad meritum juſtificationis*; ſiquidem Chriſtus non tum demum, fuit Mediator conſtitutus, cùm in ara crucis ſeipſum offerret in ſacrificium, ſed à primo inde incarnationis momento

eſt

eſt noſter Jeſus, Mediator ac Redemtor, ſufficit enim ad perſonæ Mediatoris conſtitutionem perſonalis unio divinæ & humanæ Naturæ, quicquid poſtea in officio Mediatoris Chriſtus egit ac paſſus eſt, id non concurrit ad conſtitutionem perſonæ Mediatoris, ſed ad partes officii pertinet, ac propter nos & noſtram ſalutem peractum eſt.

3. Chriſtū factum eſſe ſub lege tantum ratione paſſionis.

3. *Chriſtum factum eſſe ſub lege ratione ſolius maledictionis, hoc eſt, paſſionis.* Reſp. imò verò non ſolùm ratione pœnæ, ſed etiam ratione activæ obœdientiæ factus eſt Legi ſubjectus, ut ex tota Chriſti Hiſtoria manifeſtè apparet, quod confirmatum damus hoc argumento ex ipſo contextu Apoſtoli deſumto. Quomodo nos eramus ſub lege, eo modo Chriſtus noſtri loco ſeſe ſiſtens factus eſt ſub lege. Atqui nos eramus ſub lege non ſolùm ratione pœnæ ac maledictionis, ſed etiam ratione jugi atque oneris graviſſimi. Ergò etiam Chriſtus utroque modo factus eſt ſub lege. Idipſum apparet ex phraſi Apoſtolica verſ. 21. dicite mihi, qui ſub lege eſſe vultis οἱ ὑπὸ νόμον εἶναι θέλοντες, ubi non poteſt phraſis illa aliter accipi, quàm ſub obœdientia & obſervatione Legis eſſe. Si uno tantùm modo videlicet ratione pœnæ & maledictionis Chriſtus noſtri loco factus eſt ſub lege, non autem ſimul ratione perfectiſſimæ obœdientiæ, ſequetur nos adhuc obligari ad præſtandam numeris omnibus perfectā legi obœdientiam, quod ipſū non minùs quàm maledictio legis eſt *jugum importabile*, Eſai. 9. verſ. 4. Actor. 15. verſ. 10. illius verò jugi atque oneris facta eſt à nobis in Chriſtum translatio, qui totum noſtrum debitum non ſolùm partem ejus in ſe ſuſcepit. Vide Theodor. Auguſtinum, Anſhelmum, quin & ipſum Calvinum in hunc locum.

4. Nomine obœdiētiæ intelligi paſſionem Chriſti.

4. *Obœdientiæ nomine intelligi paſſionem & mortem Chriſti.* Reſp. imò verò obœdientia πρώτως καὶ κυρίως actionem reſpicit, ſine qua ne cogitari quidem poteſt; definimus igitur hanc obœdientiam ex Hebr. 10. verſ. 5. & ſeqq. quòd ſit voluntaria Chriſti Mediatoris actio, quâ cum delectatione voluntatem Patris cœleſtis fecit ad noſtri ſanctificationem. Nec poſſe activam obœdientiam in loco Rom. 5. excludi, docet oppoſitio primi & ſecundi Adami. Quemadmodum inobœdientia primi Adami fuit actio, mandati ſcilicet divini transgreſſio & complectitur non ſolùm pœnam, ſed etiam culpam; ita obœdientia ſecundi Adami, videlicet Chriſti, non ſolùm conſideranda eſt in perpeſſione pœnarum, ſed etiam in activa ejus obœdientia. Quid quod disertè pronunciat Apoſtolus, *Gratiam Chriſti ſuperabundare delictum Adæ?* quòd ſi per & propter inobœdientiam Adæ non ſolùm pœnis ſumus ſubjecti, ſed etiam concreatâ integritate ſpoliati & peccatores conſtituti, quâ veritatis ſpecie aſſeri poteſt, Chriſtum ſolummodò pro peccatis noſtris eſſe paſſum, non autem activâ ſuâ obœdientiâ perfectam ſanctitatem fide nobis imputandam peperiſſe? hâc ratione delictum Adæ ſuperabundabit Chriſti gratiam.

5. Sanctam vitâ Chriſti nuſquā referri ad cauſam meritoriam.

5. *Nuſquam commemorari ſanctam vitam Chriſti tanquam eam rem per quam juſtificemur, quave nobis ad juſtitiam à DEO imputetur, ſed tantùm ſanguinem Chriſti fuſum ſcilicet cum ſenſu iræ DEI propter peccata noſtra, quæ Chriſtus expianda in ſe ſuſceperat.* Reſpond. per commemorationem paſſionis & mortis non excluditur obœdientia CHRISTI activa, quæ cum ea arctiſſimo & individuo nexu eſt conjuncta, ſiquidem Chriſtus *in vita paſſivam habuit actionem, in morte paſſionem activam ſuſtinuit, dum ſalutem operaretur in medio terræ*, ut pulcerrimè loquitur Bernhard. ſer. 4. hebdom. pœnoſæ col. 124. Ergo non activâ ſolâ & ſeorſim, nec paſſivâ ſolâ & ſeorſim, ſed utraq; conjunctâ & proinde plenâ, integrâ & perfectâ Chriſti obœdientiâ toti legi divinæ præſtita per fidem apprehenſâ juſtificamur. Nec poteſt juſtitia legis in nobis impleri, niſi per imputationem perfectæ obœdientiæ Chriſti, quam agendo & patiendo præſtitit; ſola perpeſſio pœnarum non eſt juſtitia legis ſed perfecta cum lege conformitas, aliàs ſequeretur damnatos perfectiſſimè implere legem, cùm exquiſitiſſimas peccatorum ſuorum pœnas ſuſtineant.

6. Chriſtum eſſe finem legis, quia leges ceremoniales abolevit.

6. *Chriſtum eſſe finem legis, quia Ceremoniales Leges ſuo adventu complevit, & à maledictione legis ſuâ paſſione nos liberavit.* Reſp. hæc ſuo quidem loco rectè dicuntur, ſed impletio legis moralis ab obœdientia Chriſti non eſt excludenda. Manifeſtum eſt ex textu, Apoſtolum præcipuè loqui de lege morali, ex qua Judæi captabant juſtitiam, hujus igitur legis moralis τέλος, id eſt, perfectionem & conſummationem Chriſtum eſſe pronunciat, ſcopus Apoſtoli eſt convincere Judæos, quòd fruſtrà ex lege quærant juſtitiam, cùm aſpernentur eum, qui juſtitiam illam, quæ coram Deo valet, jamdum acquiſierit perfectâ ſcilicet legis impletione, eandemque fide acceptandam in Evangelio offerat, unde ſic argumentamur. Quam obœdientiam lex à nobis exigit, & nos præſtare non poſſumus, eam CHRISTUS noſtri loco præſtitit, & legem pro nobis implevit. Atqui obœdientiam etiam activam perfectiſſimam lex à nobis exigit, & nos præſtare non poſſumus. Ergò obœdientiam etiam activam perfectiſſimam CHRISTUS noſtri loco præſtitit, & legem pro nobis implevit.

7. Chriſtum factum eſſe nobis juſtitiam per ſacrificium mortis.

7. *CHRISTUM factum eſſe nobis juſtitiam per ſacrificium mortis ac nos fieri juſtos remiſſis paſſionis CHRISTI merito peccatis.* Reſp. vera & perfecta coram DEO valens juſtitia complectitur non ſolùm peccatorum remiſſionem, ſed etiam juſtitiæ CHRISTI imputationem, ut ſuo loco demonſtrabitur. Illa CHRISTI juſtitia eſt activa, & conſiſtit in obœdientia erga divinam legem. Ergò activa CHRISTI obœdientia non poteſt excludi à juſtificationis merito. Obſervanda cumprimis pulcerrima antitheſis in dicto Apoſtolico 2. Corinth. 5. verſ. ultim. *Eum qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos fieremus juſtitia DEI in ipſo.* Quomodo DEUS Chriſtum pro nobis fecit peccatum, eo modo Chriſtus factus eſt nobis juſtitia, vel quod idem eſt, nos efficimur juſtitia, hoc eſt, juſti in ipſo. Atqui Deus eo modo Chriſtum pro nobis fecit peccatum, ut imputaret ei peccata noſtra & pœnas peccatorum noſtrorum ipſi imponeret. Ergò & nos ſumus juſti in Chriſto non ſolùm liberatione à peccati reatu, ſed etiam imputatione perfectæ Chriſti juſtitiæ: pœnis peccatorum noſtrorum reſpondet Chriſti paſſio; deformitati ipſorum reſpondet ſanctiſſima ejus obœdientia, quæ eſt veſtis illa juſtitiæ, quâ Chriſtus Mediator credentes induit.

Argu-

Teſtimonia veterum.

62. Argumenta contra novam illam opinionem formari poſſunt longè plurima, quæ ex Scriptis noſtrorum ſuperiùs allegatis petantur; hac vice oſtendemus, pios veteres ſuum in hac quæſtione non denegare nobis conſenſum. Juſtinus in ἐκθ. πίς. p. 299. *Quandoquidem peccato ſuo Adam morti genus humanum ſubjecit & naturam cunctam debito obnoxiam reddidit, Deus exiſtens Filius & homo transgreſſionem lapſumque Adæ revocavit atque abolevit (ἀνακαλεῖται) ac quatenus homo, cùm ſine crimine innocenter vitam egit (ἀμέμπτως πολιτεύεται) tum voluntariam ſubiit mortem, per converſationem quidem ſummam & exactam lapſum evacuans (διὰ τῆς ἄκρας πολιτείας ἀφανίζων τὸ παράπτωμα) per mortem autem indebitam debitum extinguens: quatenus verò Deus & quod ſolutum erat, reſtituit & mortem ipſam prorſus ſolvit,* Irenæus lib. 5. adv. hæreſ. cap. 14. (juxta Gallaſii diſtinctionem) *Quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes ejus præceptum, in ſecundo autem Adam reconciliati ſumus, obædientes uſque ad mortem facti &c.* Poſteà addit cap. 15. *Propter hoc in noviſſimis temporibus in amicitiam conſtituit nos DOMINUS, per ſuam incarnationem Mediator DEI & hominum factus, propitians quidem pro nobis Patrem in quem peccaveramus, & noſtram inobædientiam conſolatus.* cap. 18. *ſoluta eſt ea quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio per præceptum legis quod ſervavit filius hominis non transgrediens præceptum Dei.* Ambroſius in 2. Corinth. 4. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Adam enim forma mortis eſt cauſa peccati: Chriſtus verò forma vitæ eſt propter juſtitiam, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus.* Chryſoſtomus homil. 10. in Epiſt. ad Romanos cap. 5. p. 98. ad Comm. *Apoſtolus ſurſum ac deorſum voci hujus UNIUS inſiſtens, ea aſſiduè in medium affert, cùm dicit: Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introiit, & ſi unius peccato multi mortui ſunt, &c. nec deſiſtit: ut cùm Judæus dixerit: Quo pacto uno rectè agente Chriſto univerſus orbis ſalvus factus eſt? poſſis illi reſpondere, quo pacto uno non obædiente Adam univerſus orbis condemnatus eſt.* Cyrill. lib. 11. in Johannem cap. 25. *Per obædientiam & juſtitiam Chriſti in quantum ſeipſum legi ſubjecit, quamvis legis autor eſſet, benedictio & vivificatio, quæ per Spiritum eſt, ad totam noſtram penetravit Naturam.* lib. 12. in Johannem cap. 16. *Locupletati ſumus per ſecundum Adamum per obædientiam & benedictionem, autor enim legis ut Deus, mandata legis ſervavit ut homo.* De recta fide ad Reginas: *Quando dicit Scriptura per obædientiam unius juſtificatos eſſe multos, non hominem ſimpliciter quempiam nobis ſimilem in hoc derelictum eſſe dicimus, ſed incarnatum potiùs unigenitum & obædientem pro nobis factum Patri. Non enim fecit peccatum, neque dolus inventus eſt in ore ejus, ſicut ſcriptum eſt.* Primaſius in cap. 11. ad Rom. *Chriſtus nihil propter ſe aut fecit aut paſſus eſt, ſed propter ſalutem omnium.* Leo 1. Epiſt. 70. quæ eſt ad Juvenalem Epiſcop. Hieroſolym. *Ut repararet omnium vitam, recepit omnium cauſam & vim veteris chirographi, quod plus inter omnes non debuit, pro omnibus ſolvendo vacuavit, ut ſicut per unius reatum omnes facti fuerant peccatores, ita per unius innocentiam omnes fierent innocentes, inde in homines manante juſtitiâ, ubi eſt humana ſuſcepta Natura.* Damaſcenus lib. 3. de orthod. fid. cap. 24. *Quemadmodum* (Chriſtus) *paſſiones ſuſtinuit nobis victoriam adverſus ipſas & brabeum comparans (νίκην βραβεύων) ſic & oravit nobis viam nobis ſternens aſcenſionem ad DEUM & pro nobis omnem juſtitiam implens, ut dicebat ad Johannem, nobisque per ſeipſum reconcilians Patrem.* Anshelmus in cap. 4. Galat. *Filius Dei factus eſt ſub lege, id eſt, ſubditus eſt legi, non quia ipſe quicquam legi deberet, qui nam eſt Legiſlator & Judex, ſed ut eos, qui ſub lege poſiti, legis onera portare nequiverant, ſuâ compaſſione juvaret ac de ſervili conditione, quæ ſub lege erat ereptos in adoptionem filiorum, quæ per gratiam eſt, ſuâ largitate deduceret. Factus eſt ſub lege, ut eos qui ſub lege erant, redimeret, id eſt, ut à legis ſervitute liberaret, ſicut & mortem ſubire dignatus eſt, ut eos, qui mortis dominium evadere non poterant, à morte redimeret.* In libro meditat. *Jam lætus optime Creator culpis ignoſce meis pro dilecti Filii tui laboribus immenſis. Jam quæſo ejus pietati mea impietas, ejus modeſtiæ mea perverſitas & manſuetudini donetur ferocitas. Jam ejus humilitas meam ſuperbiam, patientia ejus meam impatientiam, benignitas duritiam, obædientia inobædientiam, tranquillitas inquietudinem, dulcedo amaritudinem, ſuavitas iram, caritas lucrifaciat crudelem obſtinaciam.* Bernhardus ſerm. de verbis Pſalmi, Quis aſcendet in montem, &c. *Chriſtus non ſolum pro omnibus vixit, ſed etiam pro omnibus mortuus eſt.* ſermon. ad milites templi; *Quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? quia & juſtus erat. Profectò namq; cùm homo eſſet, potuit mori. Cùm juſtus eſſet, non debuit gratis. Quid enim? num peccavit, & omnes tenentur rei & unius innocentia ſoli reputabitur uni? unius peccatum omnibus operatum eſt mortem & unius juſtitia uni vitam reſtituet? aut plus potuit Adam in malo, quàm Chriſtus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi & Chriſti juſtitia non pertinebit ad me? illius me inobædientia perdidit & hujus obædientia non proderit mihi.* Pertinent hûc omnia illa veterum dicta, in quibus Chriſti juſtitiam (quæ abſque obœdientia activa ne cogitari quidem poteſt) nobis imputari aſſerunt, quæ ſuo loco enumerabuntur; in quibus verò tantùm paſſionis, mortis & ſanguinis Chriſti mentionem faciunt, Synecdochicè loqui intelligendi ſunt, ut res ipſa manifeſtè teſtatur.

Argumenta Piſcatoris. 1. Scriptura nuſquam meminit obœdientiæ activæ.

63. Sophiſmata Piſcatoris potiora hæc ſunt. 1. *Scriptura præſertim verò Apoſtolus in hac tota diſputatione de Juſtificatione nunquam meminit activæ obædientiæ, ſed tantùm paſſivæ, hoc eſt, fuſi ſanguinis.* Reſp. contrarium teſtantur dicta ſuperiùs allata. Juſtificationem Apoſtolus definit non ſolâ peccatorum remiſſione, ſed etiam Juſtitiæ Chriſti imputatione, ut apparet ex cap. 4. Rom. verſ. 6. & 7. & ſuo loco pleniùs oſtendemus. Jam verò juſtitia illa Chriſti conſiſtit in perfecta obœdientia erga legem, quam activam eſſe quis tandem negare poterit? Deus peccatorem juſtificans non agit nec agere poteſt contra legem, quippe quæ eſt æterna & immota norma juſtitiæ divinæ, requiritur igitur in juſtificatione perfecta cum lege conformitas, quam cùm in homine peccatore reperiri ſit ἀδύνατον, ideò neceſſe eſt intercedere imputationē juſtitiæ Chriſti, qui non ſolùm pro peccatis noſtris ſatisfecit,

Digitized by Google

fecit, ſed etiam legem divinam perfectè implevit, propter Chriſtum igitur homo peccator juſtificatur, hoc eſt, à peccatis abſolvitur & juſtus pronunciatur imputatâ ipſi per fidem Chriſti juſtitiâ.
** Aut juſtificamur ſecundùm Decalogum aut contra Decalogum. Non contra quia Decalogus eſt immota regula divinæ voluntatis ejusque juſtitiæ. Ergo ſecundùm Decalogum. Si hoc ergo aut ſecundum Decalogum à nobis ipſis impletum aut ab alio. Non à nobis Ergo ab alio videlicet Chriſto, ergo non ſolâ paſſione & morte Chriſti juſtificamur. Non enim lex Dei impleri poteſt per ſolâ paſſionem. Ergo juſtificamur per obœdientiam activam & paſſivam Chriſti. Ubi tamen nota reſpectu Chriſti nos juſtificari ſecundum Decalogum, quia pro nobis eum ſervavit non verò reſpectu noſtri, quia nos ipſi in nobis cum multis modis violavimus.** Proinde quamvis in aſſignando juſtificationis merito Scriptura interdum tantùm mortis & ſanguinis Chriſti mentionem faciat, eſt tamen activam obœdientiam Chriſti excludi neutiquam ſtatuendum, cùm arctiſſimo vinculo activa & paſſiva obœdientia ſint conjuncta, ſiquidem paſſio Chriſti nobis non prodeſſet, niſi eſſet ipſius Filii Dei voluntariè ac ſponte ex ſummâ dilectione noſtri & obœdientia erga Patrem morientis paſſio, ac niſi cum eadem pleniſſimâ ac perfectiſſima erga legem obœdientia, adeoque totius Naturæ & omnium actionum cum lege conformitas eſſet conjuncta; quinimò in ipſa ἀκμῇ paſſionis clarè conſpiciuntur præſtantiſſimæ virtutes in lege requiſitæ, videlicet ſummus amor Dei & ardentiſſima erga genus humanum dilectio, humilitas, patientia, obœdientia, fiducia, invocatio, ſpes &c. viciſſim paſſio Chriſti non in horto demùm cœpit, ſed per totum vitæ curriculum duravit, διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος γεννηθῆναι ὑπέμεινε dicit Juſtin. in Dial. cum Tryph. pag. 222. *ſuſtinuit nativitatem ex virgine*, in circumciſione profudit ſanguinem, fugit in Ægyptum, famem, ſitim, frigus, convitia, calumnias, labores in prædicando, & quid non paſſionis ac moleſtiæ perſenſit? activam igitur & paſſivam obœdientiam Chriſti divellere eſt rerum ordinem invertere, & pro tota Chriſti juſtitia & obœdientia tantùm partem aliquam illius ſubſtituere. 2. *Chriſtus ut verus homo tenebatur obœdire Deo Creatori, pro ſe igitur activam obœdientiam legi præſtitit.* **Piſcat. in Bibl ad cap. 2. Luc. fol. 234. ad v. 51. in reſp. apol. ad paraſc. Vorſtii part. 2. cap. 8. p. 157. Rolloeus Scotus in lib. de vocat. efficac. p. 32. ita argumentantur cum Socino part. 3. diſp. de Chriſto cap. 5. p. 277. *Chriſtum ut verum hominem jure creationis pro ſeipſo debuiſſe Deo obœdientiam vitæ totius plenam, quapropter illâ nihil nobis promeruiſſe.* ** R. Filius hominis eſt Dominus Sabbathi Matt. 12, 8. Marc. 2, 28. & ſic etiam totus legis.** Regerit Piſcator. *Si Chriſtus non fuit legi ſubjectus. Ergo licuit ipſi contra quartum præceptum monitis parentum refragari vel alia Decalogi mandata violare.* Reſp. 1. Quod Chriſtus ſecundum legem ſubditus fuit parentibus, id ſtatui exinanitionis eſt tribuendũ & in eo ſumma Chriſti humilitas agnoſcenda, quia creator non tenetur obœdire creatori. 2. Non ſequitur, ſi Chriſtus non fuit legi ſubjectus, ergo cauſa violare ipſi licuit. Nam & DEUS Pater & SS. licet non ſint ſubjecti legi, non tamen cauſam violant Sc. ex Naturæ ſuæ perfectione & conditione. Idem de Chriſto ſtatuendum**. Si Chriſtus eſſet ψιλὸς ἄνθρωπος obſtrictus fuiſſet legi, jam verò in unitate perſonæ eſt verus DEUS, proinde ſui ratione non fuit legi obſtrictus, πρῶτον ψεῦδος hujus argumenti, adeoque erroris hujus univerſi conſiſtit in eo, quod actiones & paſſiones Chriſti conſiderantur, ac ſi eſſent tantùm Naturæ humanæ actiones & paſſiones. Atqui perſona eſt quæ agit & patitur, *ac in operibus quæ pertinent ad officium Mediatoris utraq; Natura agit quod ſibi proprium eſt, cum communicatione alterius*, ut habet regula Concilii Chalcedon: nefaria igitur ac Neſtoriana eſt divulſio, ſi ἀποτελέσματα Mediatoris, ad quæ utriusque Naturæ ἐνέργειαι concurrunt, uni tantummodò Naturæ aſcribantur. Obœdientia Chriſti non eſt Naturæ tantùm humanæ actio, ſed CHRISTI θεανθρώπου, qui *ut nobis natus ac datus* Eſa. 9. v. 6. ita etiam pro nobis *ſub lege factus*, Galat. 4. v. 4. & eſt τέλος *impletio legis*, non pro ſe, *ſed ad juſtitiam omni credenti* Rom. 10. verſ. 4. Vide Bezam in qq. & Reſp. fol. 670. ubi rectè monet: *Filium Dei non propter ſe, ſed propter nos hominem eſſe factum. Ergo etiam non ſibi, ſed nobis & propter nos legi factum eſſe debitorem.* 3. *Si obœdientia vitæ Chriſti nobis ad juſtitiam imputaretur, non fuiſſet opus Chriſtum pro nobis mori, quia mortuus eſt pro nobis injuſtis.* 1. Petr. 3. v. 18. *& ut juſtitiam Dei nobis acquireret.* 2. Cor. 5. verſ. ult. *Ergò non acquiſiverat eam ſanctè vivendo.* Reſp. perpetuus Elenchus διαιρέσεως in his & ſimilibus argumentis recurrit. Ad obœdientiam Chriſti non ſolùm ſancta ejus vita, ſed etiam paſſio & mors pertinent, hæc igitur non ſunt divellenda ac ſeparanda.** Paſſio Chriſti ejusque ſatisfactio ſeu impletio legis non ſunt duæ diſtinctæ ſpecies obœdientiæ, quarum una absque altera vel perfectionẽ ſuam obtinere vel juſtificare poſſit, ſed ſunt unius obœdientiæ diſtinctæ partes ſimul coeuntes ad conſtituendum unum integrum, quod cum amiſſione unius partis perfectionem ſuam ſimul amittit. Debitum namque noſtrum erat geminum, perfecta ſc. obœdientia & perpeſſio pœnæ. Utrumque debitum Chriſtus disertè præſtare debuit, ideò ſcriptura ipſa actionem & paſſionem conjungit** Si ſtatueremus ſola vitæ ſanctitate excluſa Chriſti morte partam nobis eſſe juſtitiam, locum fortasſis haberet hoc argumentum, jam verò ab obœdientia Chriſti nequaquam excludimus ipſius paſſionem & mortem, ſed eidem arctiſſimè illam conjungimus, hoc eſt, activam & paſſivam obœdientiam ad opus redemtionis neceſſariam fuiſſe dicimus; ſola activa non ſuiſſet ſufficiens, quia pœna erat ferenda propter peccata humani generis expianda; ſola paſſiva itidem non fuiſſet ſufficiens, quia expiatis peccatis nihilominus requirebatur perfecta obœdientia juxta omnia & ſingula legis præcepta; utrumque igitur Chriſtus fecit, *iniquitatem expiavit & perfectam juſtitiam adduxit* Dan. 9. verſ. 24. *ut Chriſtus Mediator agnoſcitur* (verba ſunt D. Mentzeri in explicatione hujus Argumenti) *non ex uno tantùm vel altero Argumento apud Prophetas propoſito, ſed concurrere oportet & conſentire omnia & ſingula de ipſo vaticinia: ita ad nos redimendos non ſufficit unum & alterum illius opus ſive paſſio, ſed omnia & ſingula concurrere oportet, quæ divina lex exigit.* 4. *Lex obligat vel ad pœnam vel ad obœdientiam, non autem ſimul*

2. *Chriſtus ut verus homo tenebatur obœdire Deo.*

3 *Non opus fuiſſet Chriſtum pro nobis mori.*

4. *Lex obligat vel ad pœnam*

vel ad obœdientiam. *adnternmque.* *Jam verò Chriſtus liberavit nos à pœna videlicet à damnatione legis, ad quam eramus propter peccatum obligati. Ergò non fuit neceſſe Chriſtum pro nobis obœdire legi.* Reſp. Majorem ſic limitamus. Lex obligat vel ad pœnam vel ad obœdientiam nimirum creaturas rationales nondum in peccatum prolapſas. Verbi gratiâ, ſanctos Angelos obligat tantum ad obœdientiam, nullo autem modo ad pœnam; Adamum in ſtatu innocentiæ tantùm obligavit ad obœdientiam, non autem ſimul ad pœnam (niſi ſub conditione) ubi enim nulla eſt transgreſſio, ibi pœna locum non habet. **Diſting. igitur inter ſtatum integritatis ac ſtatum lapſus & corruptionis**. Sed creaturas rationales in peccatum prolapſas lex obligat ad pœnã & ad obœdientiam, ad obœdientiã ideò, quia ſunt creaturæ ratiõales: ad pœnam verò, quia ſunt in peccatum prolapſæ. Sic Adamus poſt lapſum & omnes ejus poſteri obligantur ſimul ad pœnam & ad obœdientiam, quia juri obligationis ad obœdientiã per lapſum nihil quicquam deceſſit, quin potiùs nova obligatio videlicet ad pœnam propter peccatum ſuſtinendam eidem acceſſit. Chriſtus igitur & Adæ & noſtrûm omnium loco ſeſe ſiſtens legem perfectè implevit & pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recepit. Hanc reſponſionem ipſe Piſcator agnoſcit eſſe veriſſimam, ideo etiam hoc argumento pro ſtabilienda ſua opinione non utitur, ſic enim ſcribit in conſiderat. pag. 42. *In propoſito enunciato utrumque disjunctum verum eſt, ſaltem reſpectu certi temporis, quippe ante lapſum Lex Dei obligabat hominem & ad obœdientiam & ad pœnam. Sed ad obœdientiam ſimpliciter, ad pœnam ſub conditione. Poſt lapſum antè ſimpliciter Lex hominem non renatum obligat, & ad obœdientiam & ad pœnam & quidem ſimpliciter: ad obœdientiam propter jus creationis, ad pœnam propter jus judicii & propter obœdientiam non præſtitam.*

5. Nos non teneremur obœdire legi. *5. Si Chriſtus pro nobis ſive noſtri loco legem implevit, nos non tenemur legi obœdire, conſequens eſt falſum, Ergo & antecedens.* Reſp. argumentum hoc petitum ex Schola Samoſatenianorum, qui itidem verentur, ne per doctrinam de ſatisfactione Chriſti frigeſcat ſtudium bonorum operum, quod eâ potiùs accendi ſuperiùs oſtendimus. Diſtinguendum igitur inter obœdientiam Legis, quam requirit Moſes & quam CHRISTUS nobis præſcribit. Moſes imponendo nobis grave & intolerabile onus rigidæ, perfectæ, cum comminatione æterni exitii conjunctæ & ad æternam vitam aſſequendam præſtandæ obœdientiæ; ab hoc onere & jugo CHRISTUS perfectiſſimâ ſuâ obœdientia nos liberavit, quam per fidem nobis donat; interim tamen non tribuit licentiam peccandi, ſed cum fide datur Spiritus ſanctus, qui ad ſpontaneam obœdientiam Deo creatori, redemtori & ſanctificatori præſtandam nos impellit, quæ quamvis in hac vita non ſit numeris omnibus perfecta ac proinde nec vitæ æternæ meritoria, Deo tamen, utpote ex filiali dilectione & fide in Chriſtum profecta placet.

6. Chriſtus unicâ oblatione conſummavit ſanctificandos. *6. Chriſtus unicâ oblatione conſummavit ſanctificandos.* Hebr. 10. v. 14. *Ergò obœdientia Chriſti activa non requiritur ad juſtitiam noſtram.* Reſpond. Apoſtolus à ſanctificatione noſtri nequaquam excludit obœdientiam Chriſti activam, cùm disertè pronunciet nos *voluntate Chriſti* ſeipſum Deo in ſacrificium offerentis ſanctificatos eſſe, verſ. 10. ſed conſummationem beneficii nobis partii iſti oblationi in ara crucis aſſcribit, ſicut & Chriſtus in cruce exclamat τετέλεςαι, *conſummatum eſt* Johan. 19. verſ. 30. Obœdientia Chriſti in primo ſtatim incarnationis momento cœpta duravit per totam vitam, ſed in oblatione illa in cruce peracta ſuam quaſi ἀκμὴν ac τελείωσιν eſt ſortita, ergo ut in aliis rebus conſummatio non excludit ſed præſupponit initium ac progreſſum, ita quoque oblatio Chriſti in cruce non excludit, ſed potiùs præſupponit activam ejusdem obœdientiam. Vocula μιᾶς ſolitariam cauſam exprimere Piſcatori videtur, ſed notandum eſt eam non opponi activæ Chriſti obœdientiæ, quam autor Epiſtolæ in verbis præcedentibus disertè cum oblatione illa conjungit, ſed pluralitati & crebræ repetitioni Leviticarum oblationum, quibus in Novo T. excluſis per unam & ſolam Chriſti in ara crucis oblationem ſanctificati dicimur. Si particula ſola excluderet reliquas obœdientiæ Chriſti partes, conſequens foret paſſiones oblationem in cruce antegreſſas eâdem excludi, quod ne ipſe quidem Piſcator concedit.

64. Expoſitâ cauſâ juſtificationis principali & meritoriâ, recto ordine ſuccedit cauſa inſtrumentalis. *Cauſa inſtrumentalis Juſtificationis.* Bellarm. lib. 1. de Juſtif. cap. 2. ad claſſem cauſæ inſtrumentalis refert humanitatem Chriſti, quod à nobis probari non poteſt nec debet, cùm procedat ex falſa illa hypotheſi, quòd Chriſtus ſit Mediator tantùm ſecundùm humanam Naturam, cui opponenda eſt regula, quod actiones & paſſiones non ſingulis Naturis ſeorſim, ſed toti perſonæ ſint attribuendæ. Neque eſt quòd huc trahantur appellationes veterum, præſertim Athanaſii ac Damaſceni, quibus humanam Chriſti Naturam vocant *inſtrumentum Deitatis* ſcilicet unitum, non enim hoc loco quæritur de diſcrimine Naturarum à ſe invicem diſtinctarum, ſed de apoteleſmate quod ſecundùm utramque Naturam Chriſto competit, ac proinde uni Naturæ ſeorſim non eſt tribuendum. Chriſtum igitur θεάνθρωπον, non ſolam Chriſti humanitatem, quæ nec eſt, nec agit ſola, dicimus eſſe cauſam meritoriam, non inſtrumentalem Juſtificationis. Inſtrumentalis verò cauſa ex parte DEI ſunt verbum & Sacramenta, per quæ & in quibus beneficia Chriſti hominibus offeruntur: ex parte noſtra fides, quæ oblata in verbo & Sacramentis bona amplectitur ſibique applicat, inde quidam cauſam organicam Juſtificationis dicunt aliam eſſe *internam* fidem ſcilicet, aliam *externam*, verbum ſcilicet & Sacramenta. Si quis accuratè velit loqui, cauſam inſtrumentalem reſpectu DEI vocaverit Miniſterium verbi & diſpenſationem Sacramentorum, ut innuatur verbum DEI in Miniſterio Eccleſiaſtico prædicatum & annunciatum, ac Sacramenta prout adminiſtrantur & diſpenſantur hic intelligi, per quæ media Spiritus ſanctus in cordibus hominum vult eſſe efficax & fidem in illis accendere, augere & confirmare Lucæ 24. v. 47. *Sic oportebat Chriſtum pati & reſurgere a mortuis tertiâ die &* prædicari *in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum* Actor. 13. v. 38. *per Chriſtum* annunciatur *vobis remiſſio a peccatis*

& ab

Digitized by Google

& ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari. Roman. 10. verſ. 17. *fides ex* auditu, *auditus verò per verbum Dei* 2. Cor. 5. verſ. 18. *Deus nos reconciliavit ſibi per Chriſtum & dedit nobis* miniſterium *reconciliationis.* Verbum igitur tùm ἀκουστὸν tùm ὁρατὸν eſt cauſa inſtrumẽtalis juſtificationis, nimirum in legitimo uſu divinitùs conſtituto & ordinato quod ſimilitudine D. Brentii à ſceptro Regis Ahaſveri non quieſcente ſed contacto deſumta in tract. de Evang. §. 47. latiùs declaravimus. Inſtrumentalis cauſa reſpectu hominis accipientis eſt fides ſeu cor fidele, illuminatum a Spiritu ſancto & fide donatum, unde Apoſtolus dicit *corde nos credere* Rom. 10. v. 10. intellige fide imbuto ac donato, inde vulgatum illud, quòd fides ſive cor fidele ſit manus mendica, quæ cœleſtia bona in Evangelio oblata recipit. De verbo & Sacramentis ſuus erit dicendi locus, de fide hîc quędam dicenda erunt uberiùs, cùm doctrinam de fide adverſarii variis modis corrumpant.

Fidei ſignificata. 65. Fidei vocabulum quas obtineat in ſacris & profanis literis ſignificationes, diligenter exponit Flacius in libro, cui hunc ipſum titulum fecit.** Auguſt. ſerm. 27. in dictum Apoſt. Hebr. 11. *Laus fidei a me explicari nullatenus poteſt, à fidelibus cogitari poteſt.* Clem. Alexand. lib. 2. ςρωμ. ἡ συνέχουσα τὴν ἐκκλησίαν ἀρετὴ ἡ πίστις ἐστι, δι' ἧν σώζονται οἱ ἐκλεκτοί. Damaſc. lib. 4. orthod. fid. cap. 12. πίστει τά τε ἀνθρώπινα, τά τε πνευματικὰ συνίσταντας. *Fide omnia humana & ſpiritualia conſtant***. Scriptores profani πίστεως & fidei nomine intelligunt. 1. fidelitatem, animiq; conſtantiam in ſervandis promiſſis ac contractibus, hinc phraſes illæ, πίστιν διδόναι, καὶ πίστιν συντίθεσθαι. Cic. 1. offic. *Fides eſt dictorum conventorumque conſtantia & veritas, ſic dicta quod fiat, hinc dare fidem,* frangere fidem, Punica fides, Græca fides; hac ratione fides activè uſurpatur. 2. aſſenſum & fiduciam quam adhibemus rei compertæ & explicatæ. Ariſt. 4. Topic. cap. 5. ἡ πίστις ἐστὶ ὑπόληψις σφοδρά. Theogn. πίστει χρήματ' ὄλεσσα. Eſt enim πίστις à πείθω, doceo & perſuadeo, docendo enim de alicujus rei veritate & bonitate homines perſuadentur, hinc phraſes habere fidem, eſſe aliquid ſupra fidem &c. hac ratione fides paſſivè uſurpatur & relationem habet ad dicentis fidem activam ſive veracitatem, cùm notet affectum quo credimus dicentis veracitati aut fidelitati, quòd ea, quæ loquitur, vera ſint, quæque promittit, reipſa ſit præſtiturus. 3. ἔλεγχος ac probationem alicujus rei, inde πίστεις ἔντεχνοι probationes artificiales, facere alicui fidem, hoc eſt, afferre argumenta perſuadendi, quibus ad fidem habendam promoveatur, hac ratione fides eſt medium, per quod paſſiva illa (ut ſic loquar) fides efficiatur. Hæ tres ſignificationes etiam in ſacris literis ſuo modo occurrunt, de prioribus duabus ſic ſcribit Auguſtinus in lib. de Spiritu & litera c. 31. *De hac fide nunc loquimur, quam adhibemus, cùm alicui credimus, non ea quam damus, cùm alicui pollicemur, nam & ipſa dicitur fides. Sed aliter dicimus, non mihi habuit fidem, aliter autem, non mihi ſervavit fidem. Nam illud eſt, non credidit, quod dixi: hoc non fecit, quod dixit. Secundum hanc fidem, quâ credimus, fideles ſimus DEO, ſecundum illam verò, quâ fit quod promittitur, etiam DEUS ipſe fidelis eſt nobis.* ** Cic. lib. 1. offic. *Credamus quia fiat quod dictum eſt appellatam fidem.* Ciceronẽ ſequitur Auguſtin. Epiſtol. 19. ad Hieron. *Fides in Latino ſermone ab eo dicitur appellata, quia fit, quod dicitur.* Sed convenientior eſſe videtur illorum ἐτυμολογία, qui fidem à *fidendo* derivatam cenſent. πίστις dicitur à πείθω vel πείθομαι notante Budæo & Flacio part. 1. Clav. p. 308. πείθω eſt idem quod *ſuadeo* vel *ſuadendo doceo.* Simpl. l. 3. de an. πίστις μὲν τέλος, ὁδὸς δὲ ἐπὶ ταύτην τὸ πείθεσθαι.** Ad tertiam ſignificationem quodammodo referri poteſt, *quòd doctrina cœleſtis, quæ eſt medium & objectum fidei, dicitur fides.*

66. Proinde ad tres illas claſſes referemus quotquot in Scripturis occurrunt fidei ſignificationes. 1. Denotatur hâc voce fides, ut ita loquar, activa, hoc eſt, veritas & conſtantia in dictis & factis. Ad hanc claſſem pertinet, primò quòd DEO tribuitur fides ſive fidelitas ac veracitas Pſalm. 33. verſ. 4. *Omnia opera ejus in fide.* Romanorum cap. 3. verſ. 3. *Incredulitas hominum fidem DEI non evacuat,* hoc eſt, DEUS manet fidelis & verax in promiſſionibus, ſi vel maximè homines non adhibeant illi fidem. 2. Quòd de Chriſto Mediatore dicitur. Eſa. 11. verſ. 5. *Fides cinctorium renum ejus,* hoc eſt, promiſſa ſua conſtantiſſimè ſervabit. 3. Quando de hominibus fides ſive fidelitas, candor & veracitas prædicantur. 2. Sam. 15. verſ. 20. *Tibi ac fratribus tuis erit miſericordia & fides.* Jerem. 7. verſ. 28. *Periit fides & ablata eſt ab ore eorum,* cui opponitur ſeria admonitio, quòd veritatem quisque debeat ſectari & candidè cum proximo agere; quidam tamen per fidem ibi intelligunt veram doctrinam. 4. Quando in ſpecie nomine fidei intelligitur conſtantia in retinenda doctrinæ cœleſtis veritate ſemel agnita. Romanorum cap. 1. verſ. 8. *Fides veſtra annunciatur in toto mundo.* 1. Theſſ. 1. verſ. 8. *In omni loco fides veſtra, quæ eſt ad DEUM profecta.* 5. Quod de viduis laſcivientibus Apoſtolus pronunciat, eas *primam fidem irritam feciſſe,* ubi per primam fidem Athanaſius lib. 6. de Trinit. Hieron. in præfat. epiſt. ad Titum & Vincentius Lyrin. intelligunt primum pactum in Baptiſmo cum Chriſto initum ac ſolennem illam promiſſionem, quâ Diabolo & operibus ejus fideles renunciarunt: alii intelligũt profeſſionem miniſterii circa pauperes & ægrotos curandos. 2. Denotatur hac voce fides, ut ita loquar, paſſiva, qua credimus & aſſentimur DEI verbo. Ad hanc claſſem pertinent variæ fidei acceptiones, utpote 1. quin ſumitur pro fide hiſtorica, quâ non tantùm Deo ſed & hominibus credere dicimur. Exod. 14. verſ. 31. *Crediderunt Jehova & Moſi ſervo ejus.* Johan. 5. verſ. 46. *Si crederetis Moſi,* hoc eſt, ſi doctrinam illius pro vera haberetis, *etiam mihi crederetis, de me enim ille ſcripſit.* 2. quando ſumitur pro generali aſſenſu, quo in genere creditur DEUM eſſe juſtum & miſericordem ac Filium Redemtorem in mundum miſiſſe, ſed in ſpecie non fit applicatio. Jacob. 2. verſ. 19. *Credis DEUM unum eſſe, rectè facis, etiam Dæmones credunt, & contremiſcunt.* 3. Duabus hiſce ſignificationibus affinis eſt ea, quâ accipitur pro nuda fidei profeſſione ac jactantia. Jacub. 2. v. 14. *Quid prodeſt, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? nunquid poterit illa fides ipſum ſalvare?* 4. Quando accipitur pro fide

miraculorum à quâ abeſſe poteſt fides juſtificans. Matth. cap. 17. verſ. 20. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis &c.* 1. Corinth. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* 5. Quando fidei voce intelligitur cognitio libertatis Chriſtianæ. Rom. 14. verſ. 22. *Tu fidem habes? penes teipſum habe coram DEO.* 6. Quando accipitur pro fide juſtificante, quæ eſt ex agnita divini verbi veritate per Spiritum ſanctum divinæ gratiæ ſive miſericordiæ per Chriſtum Redemtorem in promiſſione Evangelica fiducialis apprehenſio ad ſalutem æternam, ideoque notitiam, aſſenſum & fiduciam complectitur. Rom. 3. verſ. 26. *DEUS juſtificat eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Galat. 2. verſ. 16. *Quoniam ſcimus, non juſtificari hominem ex operibus legis ſed per fidem Jeſu Chriſti, & nos in Jeſum Chriſtum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Jeſu Chriſti.* 3. Denotatur hoc vocabulo objectum ac principium fidei, videlicet doctrina cœleſtis divinitùs revelata. Lomb. 3. ſent. diſtinct. 23 lit. C. ex Auguſtino lib. 13. de Trinit. cap. 2. *Aliud ſunt ea quæ creduntur, aliud fides, quâ creditur, & tamen nomine fides cenſetur utrumq; & illud ſc. quod creditur, & id quo creditur.* ** *Fides qua creditur vocatur fides materialis; fides quâ creditur, fides formalis, quia fides, quæ creditur, eſt fidei quâ creditur objectum, quod aliàs materia circa quam dici ſolet. Fides vero, quâ creditur, eſt πεποίθησις & πληροφορία in animo credentis.* ** Ad hanc claſſem pertinet 1. quando in genere vocabulum Fidei pro tota cœleſti doctrina accipitur. Galat. 6. verſ. 10. *dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei,* hoc eſt, eos qui eandem nobiſcum profitentur religionem. ** Gal. 1. v. 23. Qui perſequebatur nos, nunc evangelizat fidem, quàm olim vaſtabat. Tit. 1. verſ. 13. redargue eos, ut ſint ſani in fide. ** Jud. 1. verſ. 3. mentio fit *ſemel traditæ ſanctis fidei,* id eſt cœleſtis doctrinæ prædicatæ. 2. quando in ſpecie uſurpatur pro doctrina Evangelii Rom. 3. verſ. 27. *per legem fidei gloriatio eſt excluſa,* id eſt per doctrinam Evangelii. Gal. 3. v. 2. *Ex operibus Legis ſpiritum accepiſtis, an ex auditu fidei,* id eſt, ex prædicatione Evangelii. 3. huic affinis eſt ſignificatio, quando accipitur pro adventus Chriſti in N. T. prædicatione ac plena manifeſtatione eorum. quæ ſub Ceremoniarum obſcuritate latebant. Gal. 3. v. 23. *Priusquam veniret fides ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem, quæ revelanda erat.* 4. Quando accipitur pro præcipuis & fundamentalibus doctrinæ cœleſtis capitibus perſpicuè in verbo Dei propoſitis. Rom. 12. v. 6. *habentes Prophetiam ſecundum analogiam fidei.* ** Alii ſic procedunt fides accipitur 1. pro *nuda fidei profeſſione* Jac. 2. v. 14. 2. pro *vera de fide doctrina* Rom. 1. v. 5. Epheſ. 4. v. 5. 1. Tim. 1. v. 19. 3. *pro aſſenſu* Joh. 4. v. 50. Act. 13. v. 8. & cap. 14. v. 22. 4. pro πληροφορίᾳ vel *fiducia* Matth. 8. v. 10. cap. 15. v. 28. Luc. 17. v. 5. 5. pro *conſtantia in religione* Rom. 1. v. 8. 6. pro *toto curſu vitæ & pietatis* 2. Cor. 1. v. 24. 7. pro *conſcientia* Rom. 14. v. 23. 8. pro *fide miraculoſa* Matth. 17. v. 20. 21. Marc. 11. v. 12. 1. Cor. 13. v. 2. 9. pro *conſtantia in ſervandis promiſſis* Pſ. 25. v. 10. Pſ. 86. v. 15. Rom. 3. v. 3. 10. pro *fidelitate in faciendo officio* Tit. 2. v. 10. 11. pro *juſtitia* Pſ. 119. v. 75. 12. pro *rebus creditis* ſeu impletione promiſſionũ Gal. 4. v. 25. Lomb. 3. ſent. diſt. 23. lit. C. *Accipitur fides tribus modis: ſcilicet pro eo quo creditur & eſt virtus: & pro eo quod creditur & non eſt virtus: & pro eo, in quod creditur, quod aliud eſt ab eo, quo creditur.* Bonav. lib. 3. ſent. diſt. 23. fol. 225. b. decem modis fidem accipi dicit: *1. pro ſponſione. 2. fidelitate. 3. conſcientia. 4. Sacramento fidei. 5. aſſenſu. 6. cognitiõe cõprehenſionis. 7. habitu fidei informis. 8. habitu fidei formatæ. 9. actu. 10. objecto fidei.* Alex. Alenſ. p. 3. q. 74. mẽb. 1. ponit acceptiones 11. Albertus M. tantùm 5. in 3. diſtinct. 23. art. 1. ad 3. Alph. à Caſtro, ſeptem in ſumma de hæreſ. verbo Fides hær. 2. Vega novem in tract. de juſtif. q. 1. Gregor. de Valent. decem lib. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 1. col. 6. 7. & 8. 1. Eſt fides Chriſtianæ religionis. 2. eſt fides externæ profeſſionis. 3. eſt fides miraculoſæ operationis. 4. eſt fides hiſtoricæ revelationis. 5. eſt fides juſtificationis. Decem fidei ſignificata reperiuntur in Scripturis. 1. ſignificat prima capita religionis Chriſtianæ, quod vulgò dicitur Symbolum Apoſtolicum. Hebr. 6. v. 1. 2. doctrinam Evangelii Rom. 1. v. 5. c. 3. v. 27. 3. agnitionem myſteriorum divinorum. Rom. 12. v. 3. 4. profeſſionem doctrinæ ſonantem in Eccleſia Roman. 1. v. 8. 5. fidem miraculorum 1. Cor. 13. v. 2. 6. conſcientiam per Evangelii doctrinam confirmatam 2. Cor. 1. v. 24. 7. conſtantiam & veritatem in dictis & factis Jer. 5. v. 3. 8. notitiam Hiſtoriæ de Chriſto & rebus divinis. Jac. 2. v. 9. 9. aſſenſum Hiſtoriæ. Act. 13. verſ. 8. 10. *παῤῥησίαν* ſeu fiduciam, quæ Chriſtum cum omni ſuo merito amplectitur, quæ eſt fides ſalvifica. **

66. Hoc loco agimus de fide Juſtificante, quæ complectitur notitiã, aſſenſum & fiduciam. *Fides juſtificans quid ſit.* (** Fides conſideratur. 1. *materialiter* ratione omniũ actuũ, qui in fide juſtificante concurrunt, licet non omnes juſtificent. 2. *formaliter,* quatenus juſtificat. Priore reſpectu in certas partes diſpeſcitur, ubi tamen ſciendum, cùm fides non ſit totum vel integrale vel eſſentiale, nec partes ipſi tales aſſignari, ideoque in quadam latitudine utimur hoc partium termino, nihil aliud intelligentes, quam diverſos actus ſe invicem conſequentes & in fide juſtificante concurrentes. Poſteriori reſpectu eſt tantùm fiducia ſeu fiducialis meriti Chriſti apprehenſio, ideoque hoc ſenſu partes diverſas non agnoſcit. **) Reſpectu notitiæ & aſſenſus refertur ad intellectum atque objecti loco habet omne & ſolum DEI verbum in Scripturis Propheticis & Apoſtolicis nobis revelatum: reſpectu fiduciæ refertur ad cor ſive voluntatem, atque objecti loco habet promiſſiones Evangelicas de Chriſto Mediatore: hinc profluit regula Theologica. *Scriptura, quando de fide loquitur, interdum magis reſpicit ad notitiam interdum magis ad fiduciam.* It. *Quædam de fide dicuntur magis reſpectu notitiæ, quædam magis ratione fiduciæ:* ** quò ſpectat illud Bernhardi: *Fidem aliam eſſe præceptorum, quâ credimus DEO: aliam ſignorum, quâ credimus Deum: aliam promiſſorum, quâ credimus in Deum.* Aug. tract. 29. in Joh. *Credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum.* Luth. in poſt. Eccleſ. Domin. 1. Adv. *Fides Hiſtorica eſt potiùs fides de Chriſto quã in Chriſtum.* ** & pertinet huc diſtinctio Auguſt. quam proponit tract. 29. in Joh. ſerm. 61. de verbis Domini in enar. Pſ. 77. ſerm. 181. de temp. de cogn. veræ vit. cap. 37. ac ſæpius repetit. *Aliud*

eſt

eſt credere in Deum, aliud credere Deum, aliud credere Deo. Credere Deo eſt credere, vera eſſe, quæ loquitur, quod & mali faciunt, & nos credimus homini ſed non in hominem. Credere Deum eſt credere, quod ipſe ſit Deus, quod & mali faciunt. Credere in Deum eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere & ejus membris incorporari. Per hanc fidem juſtificatur impius, ut deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari. Quæ omnia ex ſequentibus erunt clariora. addatur tamen Lomb. 3. ſent. diſt. 23. lit. D.

S. *Quod ſit notitia.* 67. Fidem eſſe notitiam **probari poteſt 1. à *fidei ſynonymis* Luc. 1. v. 77. Tit. 1. v. 1. 2. à *claris Scripturæ teſtimoniis* Eſ. 53. v. 11. Hebr. 11. v. 3. 3. ab *attributo fidelium*, qui dicuntur *cognoſcere* & *intelligere* Matth. 13. v. 23. Joh. 6. v. 69. Gal. 4. v. 9. Epheſ. 1. v. 17. 4 à *fidei oppoſitis*, quæ ſunt ſtultitia Luc. 24. v. 25. ignorantia Actor. 17. v. 23. cæcitas Rom. 11. v. 28. 5. ab *aſſenſu*, qui notitiam ſemper præſupponit. Cuicunque tribuitur conſideratio & certiſſima perſuaſio, illud non potius eſt ignorãtia quã notitia, ſiquidẽ in ignorantia nec cõſideratio, nec pleniſſima perſuaſio invenitur. Sed fidei competit conſideratio & certiſſima perſuaſio. Rom. 4. v. 19. & 21. E. **Nos h. l. demonſtramus 1 ab Etymlogia πίστις deducitur à πείθω, quod ſignificat doceo ac perſuadeo. Act. 19. v. 8. *Paulus cum fiducia loquebatur, διαλεγόμενος καὶ πείθων docens & ſuadens ea quæ ſunt de regno DEI.* Ergò ut πείθειν notat actum docentis videlicet doctrinam de Deo proponere & inculcare: ita πίστις notat ejus effectum, videlicet id quod docendo ac ſuadendo in cordibus hominum efficitur, notitiam ſcilicet quandam ac perſuaſionem ex actu docentis in animo ortam. De obſcuris & non intellectis perſuaderi haudquaquam poſſumus, requiritur igitur ut lux notitiæ in mente prius accendatur. 2. Ex ſynonymia. Ipſa Scriptura definit fidem per ſcientiam. Eſa. 53. verſ. 11. *In ſcientia ſui* בְּדַעְתּוֹ bhedachthó *ſervus meus juſtus juſtificabit multos.* Radix eſt יָדַע Jadah ſervit, cognovit, intellexit, Joh. 7. v. 3. *Hæc eſt vita æterna ἵνα γινώσκωσι, ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*, ubi Syrus uſurpat vocem יָדַע Jadah Luc. 1. v. 77. *ad dandam ſcientiam ſalutis.* Job. 19. v. 25. *Scio quod Redemtor meus vivit,* יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי Jadáchthi goali. Novi Redemtorem meum. **Job. 19. v. 25. ידעתי *ſcio ac certus ſum.* Præmittit conjunctionem vel ad ſignificandum conſenſum cum aliis fidelibus ſi ſumatur copulativè. *Et ego ſcio cum reliquis:* vel ad affirmationem ſtabiliendam, cui particula iſtæc nonnunquam inſervit initio ſententiæ, ut rectè vertatur *Certò ſcio*, quæ certitudo magis confirmatur tum per pronomen אֲנִי *& ego ſcio optimè*, ſcientia mihi familiari & tam certa ac ſi oculis haurirem vel ipſo experimento didiciſſem, tum per originalem ſignificationem verbi ידע quæ omnem dubitationem excludit & affert firmam mentis adhæſionem ad rem ſatis ſuperque exploratam Gen. 48. v. 19. *Scio, fili mi, ſcio.* Sic etiam ſumitur Gen. 22. v. 12, Pſ. 138. v. 2. Pſ. 143. v. 3. ** Hebr. 11. verſ. 3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei πίστει νοοῦμεν.* 3. Ex conjugatis. Homo vel animus fidelis vocatur illuminatus, intelligens, ſapiens, illuſtratus. Epheſ. 5. verſ. 8. *Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in Domino,* Oſeæ 4. verſ. 10. *Quis ſapiens & intelliget iſta? prudens & ſciet iſta?* Matth. 13. verſ. 23. *Qui audit verbum & intelligit, & affert fructum.* Epheſ. 1. verſ. 17. *ut Deus det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus.* verſ. 18. *Illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus.* Col. 1. verſ. 9. *ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intelligentia ſpirituali ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ.* 4. Ex oppoſitis. Incredulitas appellatur *ignorantia.* Actor. 17. verſ. 23. & 30. *tenebræ.* Eſai. 9. verſ. 1. Matth. 4. verſ. 15. Luc. 1. verſ. 79. Joh. 1. verſ. 5. *cæcitas.* Rom. 11 v. 25. Eph. 4. v. 18. *inſipientia, ſtultitia.* Rom. 10. v. 19. Luc. 24. v. 25. Ergo à contrario ſenſu fides erit ſcientia, ſapientia & intelligentia. 5. Ex fidei Natura & proprietatibus. **Fides eſt ἔλεγχος teſte Apoſtolo Heb. 11. v. 1. Atqui πᾶσα ἀπόδειξις eſt ex προϋπαρχούσης γνώσεως teſte Ariſtotele in frontiſp. poſter. analyt. Ergo fides eſt ex præexiſtente cognitione.** Fides eſt aſſenſus, Ergo & notitia, quia rei ignotæ non poſſumus aſſentiri. Fides eſt fiducia. Ergo & notitia, quia in rem ignotam non poteſt ferri fiducia. Fides nos in corde certos, pacatos & quietos reddit, utique ergo requiritur, ut fundamentum, cui innititur, perſpectum atque cognitum habeat. 2. Timoth. 1. verſ. 12. *Scio cui credidi & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Fide recumbimus in divinas promiſſiones, requiritur igitur ut vim ac ſenſum earum pernoſcamus. 6. à deductione ad abſurdum. Si fides eſt ignorantia, quis erit uſus miniſterii? quis fructus prædicationis? quæ neceſſitas inſtitutionis? **Si fides ſalvifica non eſt notitia, ſequetur eam eſſe inferiorem fide Diabolorum, fides namque illa, quæ eſt vacua omni notitia, eſt inferior illâ quæ eſt veſtita notitiâ. Fides autem Diabolorum habet notitiam Jac. 2. v. 17.** Si fides eſt ignorantia, quorſum jubemur *probare Spiritus, cavere Pſeudo-Prophetas, omnia probare & quod bonum eſt tenere, ſolius Chriſti vocem ſequi, alienam verò negligere?* 1. Joh. 4. v. 1. Matth. 7. v. 15. 1. Theſſ. 5, 21. Joh. 10. 4. 5. at nihil horum præſtari poterit ab eo, qui veritatem in ſingulis fidei articulis non habet cognitam. 7. à teſtimonio veterum. Origenes in Jobum tract. 1. *Sicut nihil eſt delectabile hominibus ſine luce, ſic ſimiliter nihil eſt delectabile DEO ſine fidei lumine.* Auguſt. 11. de civitate Dei cap. 3. *Canonicæ Scripturæ fidem habemus de his rebus quas ignorare non expedit, nec per nos ipſos noſſe idonei ſumus.* In lib. qq. V. & N. Teſt. q. 113. *Quanquam omne, quod facit DEUS, rationabiliter & providenter factum credendum ſit, melius tamen puto, ſi poſt fidem etiam cauſa facti poſſit adverti, ut quod creditur, non ignoretur, unde Dominus ait; hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEUM & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, primum enim credi debet, ſicut à Propheta dictum eſt, deinde ſciri, quod creditur: quia jam fidelem & in hac re diligentem adjuvat Spiritus ſanctus, ut cognoſcens intelligat fidei rationem, tunc enim plenum habet gaudium credulitatis ſuæ, ſi, quod credit intelligat. Hoc eſt enim fidei robur, hoc immobile fundamentum credulitatis addiſcere Sacramentum.* Cyrill. lib. 11. in Joh. cap. 16. *Fides quid aliud eſt, quam vera DEI cognitio, fide enim cognitio fit? teſtatur id Eſaias dicens. Si non credatis, non intelligetis.* Theophylact. in 1. Timoth. 2. c. *Salutem intellige, quæ per fidem paratur, & ad veritatis cogni*-

tionem, id eſt, *ad fidem qua DEO præſtetur, hac namque dici ſola veritas poteſt.* Bernh. ſerm. 2. de trib. Magis. *Cognoſcite & intuemini, quam oculata ſit fides, quàm lynceos oculos habeat, diligentiùs conſiderate. Cognoſcit DEI Filium lactentem, cognoſcit in ligno pendentem, cognoſcit morientem, ſiquidem latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt; iſte clavis infixum, hi pannis envolutum.* 8. à confeſſione ipſorum adverſariorum. Biel. 3. ſent. diſt. 23. q. 2. *Fides eſt notitia adhæſiva, certa & firma veritatis ad religionem pertinentis per revelationem accepta.* Dominicus à Soto in cap. 1. Rom. *per fidem apprehendimus, id eſt, cognoſcimus, unde dependeat & in quo conſiſtat juſtitia & ſalus noſtra.* Jacob Faber in comm. ſuper Richard. 1. de Trinitate cap. 1. *In fide ratiocinationem quærere eſt, debiti oculo umbraculum ſubtendere, ne perſtringatur ab inſigniori lumine. Ergò qui poteſt abſque ratiocinatione illa, quæ ſunt fidei, intueri, longè inſignius videt & cognoſcit, quàm qui ratiocinationem efflagitat & quærit, ut is ſincerius ſolem agnoſcit, quem tantus fulgor non hebetat ex adverſo continentem, quàm qui ut illum videat, manum viſus opponit ac obumbrat.* Colterus in Enchiridio cap. 4. pag. 189. *Fides eſt ſpecies quædam cognitionis, & quæ fide tenemus, certiſſimè credimus.*** Pererius lib. 5. in Geneſ. q. 4. tribuit fidei *lumen & contemplationem Dei*, quam confert cum contemplatione Dei in patria ex Thoma 2. 2. q. 5. art. 1. Pineda in comment. ſuper Jobum cap. 19. verſ. 25. p. 96. num. 1. *Fidei cognitio & obſcura hæc ſcientia divinorum ſolâ viſione beatâ inferior eſt claritate, æqualis certitudine, reliquis omnibus aliis ſcientiis longè ſuperior atque certior.* Gregor. de Valent. tom. 1. diſputat. in Thom. diſp. 1. q. 1. punct. 3. col. 28. A. *In aliis Scripturæ locis illa quæ cognoſcuntur per fidem hoc ipſo ſolum quod certa ſunt ſciri dicuntur ut Job. 19. Scio quod Redemtor meus vivit.* Catech. Romanus juſſu Trid. Conc. & Pii V. Pontif. evulgatus fidem ſic deſcribit. *Cùm finis, qui ad beatitudinem homini propoſitus eſt, altior ſit, quàm ut humanæ mentis acie perſpici poſſit, neceſſe ei erat, ipſi à Deo cognitionem accipere, hæc verò cognitio nihil aliud eſt quàm fides.* Caniſius in Catech. *Fides eſt donum Dei ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit & nobis per Eccleſiam credendam propoſuit.***

Argumenta Bellarmini quod fides non ſit notitia.

68. Hiſce contradicit Bellarminus, qui ut fundamentum poneret implicitæ illius ſive carbonariæ fidei in Papatu commendatæ uti etiam dubitationis, lib. 1. de Juſtificatione cap. 7. probare conatur, *fidem juſtificantem non eſſe notitiam & aſſenſum*; ac ſub finem capitis concludit: *Myſteria fidei quæ rationem ſuperant, credimus non intelligimus, ac per hoc fides diſtinguitur contra ſcientiam, & melius per ignorantiam quàm per notitiam definitur?* Reſpondemus autem Bellarminum ſibi ipſi & veritati repugnare. In præcedenti enim capite col. 944. dicit *fidei proprium eſſe pleniſſimè ſcire*, quomodo igitur per ignorantiam definienda erit? ** cap. 5. col. 940. fatetur, *actum fidei in Epiſt. Hebr. 11. verſ. 3. per vocem intelligendi* *deſcribi*. It. *fidem repræſentare res ſperandas*. cap. 6. tribuit fidei *conſiderationem intellectus, firmiſſimam ſcientiam & quidem certitudinem ſcientiæ* ex cap. 4. Rom.** in titulo hujus 7. c. dicit, *fidem juſtificantem non tam eſſe notitiam, quàm aſſenſum*: concedit igitur eſſe aliquo modo notitiam, vocula enim tam comparationis eſt, non excluſionis. Vitioſè autem concludit Bellarminus à remotione unius ſpeciei ad remotionem generis. Quamvis enim fides non ſit notitia ex principiis humanæ rationis deducta vel illis ſuperſtructa (quam Apoſtolus vocat *ſapientiam hujus mundi* 1. Cor. 3. v. 19. *humanam*. 1. Cor. 2. v. 13. *carnalem*. 2. Cor. 1, 12.) ex eo tamen nondum ſequitur, quòd nullo modo ſit notitia, ſed ignorantia (cùm ne Philoſophica quidem fides, licet à ſcientia & ſapientia diſtinguatur, per ignorantiam definiatur) quin imò eſt notitia quædam ex illuminatione Spiritus ſancti & revelatione Evangelii, in mente hominis accenſa. Deinde quãvis fides non ſit notitia intuitiva omnes cauſas & proprietates objecti rationis lumine attingens eſt tamen notitia ſpiritualis tantum de objecto ſibi propoſito cognoſcens, quantum ad ſalutem in via hujus vitæ requiritur. **Cognitio verſatur vel circa quæſtionem *An ſit*, vel circa quæſtionem *quod ſit* & *propter quid.* Ibi rei exiſtentia, hîc eſſentia, cauſa & modus cognoſcitur. Illam vocant notitiam certitudinis, quia res certò quoad exiſtere ſuum cognoſcitur, hanc evidentiæ cum præterea ejus quidditas vel per ſenſum vel per rationem apodicticam innoteſcit. Priorem cognitionis ſpeciem non poſteriorem intelligimus quando myſteria per fidem ſciri ſtatuimus. Diſtinguendum etiam inter *γνῶσιν* & *ἐπιστήμην*. Illa notat cognitionem rei in genere qualiſcunque ſit, hæc ſimul cognitionem in ſpecie rerum duntaxat neceſſariarum per demonſtrationes à priori. Fides non eſt *ἐπιστήμη* ſed *γνῶσις*.** Denique quamvis notitia fidei ſuos habeat gradus, ut in quibusdam hominibus ſit illuſtrior & clarior, in quibusdam verò obſcurior & tenuior, tamen magis ac minus non variant ſpeciem, proinde etiam infirma ac languida fides non eſt ignorantia ſed notitia quædam. His probè obſervatis facilè reſponderi poteſt ad Bellarmini argumenta. 1. Eſai. 7. *Niſi credideritis, non intelligetis, ibi videmus fidem non eſſe intelligentiam, ſed gradum ad intelligentiam.* Reſp. verba Hebræa ſic habent verſ. 9. אִם־לֹא־תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ im-lo-thaaminu, ki-lo-theaménu, verbũ אמן bis ponitur in ſubjecto & prædicato propoſitionis. *Si non creditis, non permanebitis non eritis ſtabiles*, ut Bened. Arias vertit, quia verbũ אָמַן Aman in Niphal ſignificat verax, firmus, conſtans, ſtabilis fuit. ** Vatablus. *Si non credatis id inde fit, quod non eſtis ſtabiles.*** Thargum vertit תִתְקַיְּמוּן tithkaimun non permanebitis, Lutherus, Gleubet ihr nicht/ ſo bleibet ihr nicht. Symm. *οὐ διαμενεῖτε.* Quòd ſi vel maximè ſecuti verſionem LXX. Interpretum & Latinam vulgatam legamus. Niſi *credideritis, non intelligetis*, nihil tamen accedit ſententiæ Bellarmini. Senſus enim non eſt, credendo viam parari, ad intelligendum ea, quæ proponebantur, ſed potius credendo ea intelligi, ſicut Hebr. 11. verſ. 3. dicitur, *Fide intelligimus condita eſſe ſecula.* Quin imò ſi vel maximè amplectamur non ſolùm lectionem, ſed & interpretationem Bellarminianam, quòd credendo via paretur ad intelligentiam, nondum tamen ſequeretur, fidem eſſe ignorantiam, quia per intelligentiam accipienda eſſet uberior cognitio cauſarum & proprietatum in myſteriis, quæ ſimplici fidei obœdientiâ priùs

1. Eſ. 7. Niſi Crediderotis, non intelligetis.

credi-

credidimus propter dicentis autoritatem; hac verò intelligentia fidem ſequente non excluderetur intelligentia illa, quæ præcedit fidem, vel certè cum fide individuo nexu conjuncta eſt, ea: ſc. quâ cognoſcimus, id, quod credendum nobis proponitur, ſolido verbi divini fundamento inniti: Breviter, prius credimus τὸ ὅτι, poſtea intelligimus τὸ διότι.

2. 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem & noverim omnia myſteria. 2. 1. Corinth. 13. *Apoſtolus diſtinguit notitiam myſteriorum à fide tanquam duo diverſa dona. Si habuero omnem ſcientiam & noverim myſteria omnia & omnem fidem*, & 1. Corinth. 12. *enumerans dona DEI dicit, alii dari ſermonem ſcientiæ, alii ſermonem ſapientiæ, alii fidem, &c. Ergò fides non erit notitia ſeu ſcientia.* Reſpond. confunditur fides miraculorum & fides juſtificans. Apoſtolus loquitur non de fide juſtificante, ſed de fide miraculorum, quæ in primitiva Eccleſia adhuc viguit. Si habuero (inquit) omnem fidem, *ita ut montes transferam.* Præterea diſtinguendum eſt inter eximiam & exactam myſteriorum notitiam, atque aliquam eorum cognitionem; quamvis cum fide juſtificante non ſemper ſit conjuncta eximia illa & exacta myſteriorum notitia, cujus mentionem facit Apoſtolus, quæq; peculiaribus quibusdam Spiritus ſancti organis competit, aliqua tamen eorum quæ fundamentum ſalutis concernunt, myſteriorum cognitio omninò ad fidem requiritur.

3. 2. Cor. 10. In captivitatē redigimus omnem intellectum. 3. 2. Cor. 10. *Apoſtolus dicit ſe per Evangelii prædicationem in captivitatem redigere omnem intellectum in obſequium Chriſti. At certè non eſt neceſſe captivare intellectum, ubi eſt notitia veritatis.* Reſp. repetenda hoc loco diſtinctio inter ſapientiam hujus mundi, quæ ex principiis naturalibus ortum habet ac rationis lucem ſectatur; & inter ſapientiam cœleſtem, quæ ab illuminatione Spiritus S. orta verbi lucem ſectatur; captivationem igitur intellectus requirit Apoſtolus, ut fides noſtra non nitatur rationis dictamine, ſed immoto Dei verbo, à quo non patiamur nos abduci ſpecioſis argumentis ex penu rationis humanæ depromtis, neqnaquam verò puerilem levitatem ex ignorantia quidvis credendi præcipit, nec ſpiritualem σύνεσιν excludit. 1. Corinth. 14. verſ. 20. μὴ παιδία γίνεσθε ταῖς φρεσίν. Epheſ. 4. verſ. 14. *non ſimus parvuli, fluctuantes nec circumferamur omni vento doctrinæ.*

4. Fidei obœdientia requiritur. 4. *Apoſtolus obœdientiam fidei requirit, at ſi per fidem notitia præberetur, quorſum obœdientia in credendo opus eſſet?* Reſpond. Idem recurrit paralogiſſimus; obœdientia fidei ſcrupuloſum rationis humanæ ſcrutinium in myſteria fidei, nequaqnam verò lucem ſpiritualis cognitionis excludit; ſcientiam hujus mundi, non autem ſcientiam Dei à fide ſemovet: ſapientiam carnis, non autem Spiritus amputat. Idem nec quicquam aliud dicunt veteres, quorum teſtimonia Bellarminus adducit.

5. Apprehenſio præcedit fidem. 5. *Apprehenſio non eſt fides; ſed aliquid fidem præcedens. Poſſunt enim etiam infideles apprehendere myſteria fidei.* Reſp. vitioſa collectio. Apprehenſio ſine aſſenſu non eſt fides: Ergò ad fidem non pertinet apprehenſio: imò verò id ex eo ſequitur, quòd fides non ſit nuda apprehenſio ſive notitia, ſed inſuper etiam aſſenſus, cui nos inſuper addimus fiduciam.

6. Confuſa notitia ſufficit ad fidem. 6. *Apprehenſio propriè non dicitur notitia, ſi ſit rudis & confuſa qualis ad fidem ſufficit.* Reſp. Concedimus eſſe gradus notitiæ, interim non eſt fides, licet ſit tenuis & languida, quæ non aliquam requirat notitiam, aſſenſus enim neceſſariò prærequirit notitiam, cùm non poſſimus niſi rei cognitæ aſſenſum præbere.

7. Fides ſequitur autoritatē. 7. *Aſſenſus duplex eſt: alter ſequitur rationem ſive evidentiam rei, alter autoritatem proponentis: prior dicitur propriè loquendo notitia, poſterior fides.* Reſp. Fides non eſt talis quædam notitia, quæ rationem & evidentiam rei ſequitur, ex eo autem non ſequitur, quòd nullo modo ſit notitia, quin potius perfectius cognoſcimus, quæ fide, quàm quæ ratione cognoſcimus, ut ex Commentatore Richardi paulò ſuperius audivimus. Thom. 2. 2. q. 4. artic. 8. coucludit, quod *fides certior ſit aliis virtutibus intellectualib. cùm innitatur divinæ veritati, reliquæ verò rationi humanæ, aliæ tamen certiores ſunt, quo ad nos, quia intellectus plenius eas aſſequitur.*

Objectum fidei quatenus eſt notitia. 69. Fidei, ut eſt notitia, objectum proprium & adæquatum eſt Dei verbum in Scripturis Propheticis & Apoſtolicis propoſitum. Romanor. cap. 10. verſ. 17. *Fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, quò pertinet diſſertatio de perfectione ſacræ Scripturæ, ex quâ promptè ſequitur, fidem intra ſphæram revelati verbi ſe continere, atque eidem tanquam fundamento unicè inniti. Excluduntur igitur hac objecti notatione primò *traditiones humanæ, quas pari pietatis affectu ac reverentia cum Scripturis Canonicis ſuſcipiendas eſſe* Concilium Tridentinum ſtatuit, quod cùm in ipſo Concilio Jacobo Nachianti Foſſæ Clodiæ Epiſcopo durum videretur, ſiquidem nihil ſit, quod cum Evangelio conferri poſsit, pronter hoc juſſus eſt à Legatis Tridento diſcedere & Romam ad impetrandam à Pontifice veniam abire referente P. Vergerio in Epiſt. ad Regem Poloniæ fol. 119. Atqui incertæ illæ traditiones quomodo præbere poterunt certum & immotum fidei fundamentum? Excluduntur deinde hac objecti determinatione rationis humanæ extra verbi limites progreſſæ cogitata. 2. Petr. 5. v. 16. *Non ſecuti ſumus doctas fabulas*, v. 18. *ſed vocem audivimus cœlitùs allatam*, v. 19. *& habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ* verſ. 20. *hoc primum ſcientes, quod omnis Prophetia Scripturæ non ſit propriæ interpretationis.* verſ. 21. *non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti DEI homines.* Opponit Apoſtolus σεσοφισμένοις μύθοις arte excogitatas fabulas & vocem cœlitùs allatam; rationis cœcæ ſomnia & verbi revelati lucem; prophetiam humanâ voluntate allatam & inſpirationem coeleſtem, quâ impulſi locuti ſunt & ſcripſerunt ſancti DEI homines, Prophetæ ſcilicet & Apoſtoli, ideo fides noſtra ipſorum fundamento eſt ſuperſtructa. Epheſ. 2. verſ. 20 Rationis humanæ extra verbi limites progreſſæ cogitata itidem ſunt lubrica & incerta, οἱ γὰρ λόγοι καταπαλαίουσι τοὺς λόγους. *Ratione excogitata ratione diſſolvuntur*, ut Fridericus Sapiens Saxoniæ Elector dicere fuit ſolitus, quumodo igitur certum & immotum exhibebunt fidei fundamentum.

2. Quid ſit aſſenſus. 70. Portò fides non ſolùm eſt notitia, ſed etiam aſſenſus, neque n. ad fidem ſufficit doctrinã cœleſtẽ noſſe, ſed oportet eidẽ aſſenſum præbere. Ad φωτισμὸν igitur ſive ἐπίγνωσιν accedere de-

bet συγκατάθεσις conſenſus & judicium approbans ea, quæ in verbo credenda proponuntur, hic aſſenſus pulcerrimè Hebr.4.verſ.2. vocatur κρᾶσις τῆς πίστεως καὶ τοῦ λόγου. hinc Damaſc. l. 4. de fide orth. cap.12. fidem definit, quod ſit ἀπολυπραγμόνητος συγκατάθεσις. Thom. 2.2.q.6.art. 1. *ad fidem duo requiruntur. 1. ut homini credibilia proponantur. 2. aſſenſus credentis ad ea quæ proponuntur.* q.2.art.1. *Credere ſecundùm Auguſtinum eſt cum aſſenſione cogitare* l. de prædeſt. Sanctorum c. 2. Certum igitur eſto fidem præter notitiam complecti aſſenſum, quod & Bellarm. concedit lib.1. de Juſtific. c.7. ſed quòd præter notitiam & aſſenſum complectatur etiam fiduciam, id verò totis viribus negat & impugnat, ideò c. 5. probare inſtituit, fidem juſtificantem non eſſe fiduciam miſericordiæ, ſed ſolùm aſſenſum firmum ac certum, ad ea omnia, quæ Deus credenda proponit, qua in parte pleroſque Pontificios ſcriptores Bellarm. ſibi habet ὁμοψήφους (non tamen omnes ut poſteà apparebit) propter decretum Concil. Trid. ſeſs.6. Can. 12. *Si quis dixerit fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum vel eam fiduciam ſolam eſſe, quâ juſtificamur, anathema ſit.* Atqui cum in objecto fidei videl. in verbo revelato contineatur promiſſio Evangelii de gratuita Dei miſericordia & peccatorum remiſſione propter Chriſtum Mediatorem, & v. fides aſſentiatur omni Dei verbo, quomodo fides non erit fiducialis apprehenſio Chriſti, vel quod idem eſt, fiducia divinæ miſericordiæ propter Chriſtum in verbo Evangelii oblatæ? πρῶτον ψεῦδος erroris Pontificii eſt ignoratio doctr. Evangelii propriè & κυρίως ſic dicti, quod cum lege confundunt, ut ſuo loco uberiùs oſtendimus.

3. Quod ſit fiducia, probatur 1. ab etymologia. 71. Demonſtrandum igitur erit, fidem eſſe fiduciam, quod ex ſequentibus conſtat argumentis. 1. ab etymologia. Fides & fiducia πίστις καὶ πεποίθησις unam eandemque habent originem. πίστις à tertia perſona præteriti paſsivi πέπεισται; πεποίθησις à verbo διαθέσεως mediæ πέποιθα, utrumque eſt à πείθω, quod non ſolùm ſignificat *doceo*, ſed etiam *perſuadeo*, & cognationem habet cùm Hebræo פָּתָה patháh, ſuaſus, *perſuaſus, inductus fuit.* E. cùm in verbo Evangelii offeruntur cordibus contritis beneficia Chriſti Mediatoris, inde perſuaſionem & fiduciam concipiunt de miſericordia Dei propter Chriſtum ac Deo veraci bona promittenti ex animo credũt.** (Chriſtus in concione egregia Joh.6. fidei tribuit 1. ὁρᾷν *videre.* 2. θεωρεῖν *cognoſcere.* 3. πιστεύειν *credere.* 4. φάγειν vel τρώγειν καὶ πίνειν *edere* vel *manducare & bibere*, ut demonſtret certa membra, quæ ad fidem *juſtificantem requiruntur. Vide Harm. Evang. c.78. p.196.* ὁρᾷν exprimit notitiam, θεωρεῖν aſſenſum, πιστεύειν fiduciam, φάγειν v. ſpecialem applicationem. ὁρᾷν eſt ea, quæ verbo Dei patefacta ſunt, certâ perſuaſione veriſsima eſſe ſtatuere, non aliter quàm ſi propriis oculis eadẽ vidiſſet. θεωρεῖν eſt ea quæ audimus vel videmus perpẽdere. πιστεύειν eſt confidere, ut uſus vocabuli in Scripturis & profanis autoribus oſtendit. φάγειν eſt cibum vitæ ac panem cæleſtem ſpeciali applicatione intrò aſſumere.)** 1. Joh.3. v.19. *in conſpectu ejus πείσομεν perſuadebimus cor noſtrum*, ubi exponitur lucta illa piorum, qui ex conſideratione peccatorum & magnitudinis iræ divinæ turbantur, & à corde proprio accuſantur; ſed per verbum Evangelii iterum eriguntur & confirmantur, ut verbo Dei potiùs quàm illis internis diffidentiæ motibus obſequantur אֱמוּנָה æmunáh deſcendit à radice אָמַן Amán certus, firmus, ſtabilis fuit: in Hiphil הֶאֱמִין Hæmín certò credidit, fidem habuit, confidit, ut Rab. David. Kimchi monet. inde vox Amẽ deducitur, quę ſignificat, *ratum ſit, ratum erit*, & additur promiſsionibus illis, utpote certiſsimis, cùm reſpondeat אֱמוּנָה æmunah ſive fides, utique erit fiducia. Exod. 17. v. 12. *& erant manus ejus* אֱמוּנָה *fideles*, in veritate, uſque ad occaſum Solis, hoc eſt, firmę, ſtabiles conſtantes in elevatione, ut exponit Abenezra, ἐστηριγμέναι ut habent LXX. Veritas promiſsionum dicitur אֱמֶת æmæth, propter firmitatem & conſtantiam, huic igitur correſpondet ex parte noſtra אֱמוּנָה æmunáh, firma & fiducialis apprehenſio. Fides veracitatis in Deo eſt mater, fundamentum & baſis fidei noſtræ, quæ tota dependet ex fide aut veracitate Dei. Quo nonnulli referunt Apoſtolicum illud Rom.1. v.17. *Juſtitia Dei revelatur in Evangelio ἐκ πίστεως εἰς πίστιν ex fide* Dei promittentis & offerentis *in fidem* hominis credentis & recipientis. Referendum ad hanc vocabuli etymologiam, quod ex Laurentio Valla adducit Budæus. *Laurentius* (inquit) *perſuaſionem propriè vocari poſſe contendit, quàm Latini Chriſtiani fidem Græci πίστιν appellant*, hoc eſt, *certam quandam opinionem & ſententiam, quam nobis perſuaſimus, id quod mihi Laurentius rectè cenſuiſſe videtur, cùm à verbo Græco πέπεισμαι id eſt perſuaſi mihi, πίστις apud nos dicatur, quam nos fidem dicimus.* 2. ex conjugatis, πιστεύειν ſignificat confidere, πιστὸς fidelis. E. πίστις notat fiduciam. *2. Ex conjugatis.*
Matth.24. v.45. *Quis putas eſt πιστὸς δοῦλος φρόνιμος fidelis & prudens ſervus?* Luc.16. v.11. *Si in iniquo Mammona non fuiſtis πιστοὶ, quod verum eſt, quis πιστεύσει concredet vobis.* Job.2. v.24. *Jeſus non credebat ſe eis*, hoc eſt, non converſabatur cùm illis fiducialiter. ** Phocyl. λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος. *Populo ne confidas verſuta n. eſt multitudo.* Ariſtot. in politicis ſæpe repetit. *proprium eſſe Tyrannidis & oligarchias μὴ πιστεύειν τοῖς πολλοῖς.* ** Rom.3. v.2. *Judæis concredita ſunt eloquia Dei* ἐπιστεύθησαν fidei ipſorum commiſſa ſunt. 3. ex ſynonymia. Fides appellatur ὑπόστασις Heb.11. v.1. παρὰ τὸ ὑφίστασθαι quia firmiter ſtat, non cadit aut fugit certiſsimâ & immotâ fiduciâ in Dei promiſsionib. acquieſcens, quam ſignificationem præter uſitatam ſubſtantiæ ſive ſubſiſtentiæ notionem huic voci competere patet ex c.3. ejuſdem Ep. v.14. *Participes facti ſumus Chriſti, ſi principium ὑποστάσεως uſque ad finem firmum retinuerimus*; id v.6. ſic exponitur *domus Chriſti ſumus, ſi fiduciam & gloriationem ſpei uſq; ad finem firmã retinuerimus.* Eodẽ ſenſu Paul. 2.Cor.9. v.4. & 2.Cor.11. v.16. ὑπόστασιν gloriationis vocat certam & immotã animi confidentiam. ** Eſ.26. v.3. Fides eſt יֵצֶר סָמוּךְ *figmentũ fultr.* quod fulcit ſe ac nititur in Chriſto Salvatore & ipſius verbo ** LXX. uſurpant pro ſpe & expectatione. Ruth.1. v.12. Pſ.39,8. Ez.19. v.5. Nec inſolẽs planè hæc ſignificatio in ſcriptorib. claſſicis. Polyb. l.6. de Hor. Coclite: καταπλαγέντας τὴν ἐπιφορὰν τῶν ἐχθρῶν, οὐχ οὕτω τὴν δύναμιν, ὡς τὴν ὑπόστασιν αὐτοῦ καὶ τόλμαν καταπεπληγμένων τῶν ἐναντίων, *3. Ex Synonymia.*
ubi

ubi ὑπόστασις imperterritam animi confidentiam ſignificat. Plutarchus; *illis qui ſe dedebant, parcebatur, ὑφισταμένους autem trucidabant.* In Demetr. *Nemine hoſtium ὑφισταμένου ſed fugientibus & relinquentibus oppida.* Synelius: *nudus armorum ὑποστάς.* Suidas: *geſſit ſe ὑποστατικῶς in periculis.* Vide Chemn. part. 2. locorum. p. 670. Fides etiam vocatur πεποίθησις confidentia, fiducia. 2. Cor. 3. v. 4. *fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum.* Epheſ. 3. verſ. 12. *In Chriſto habemus προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ acceſſum in confidentia per fidem ejus.* Synonymon fidei eſt etiam παῤῥησία Epheſ. 3. verſ. 12. *in Chriſto habemus fiduciam.* 1. Johan. 3. verſ. 21. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* 1. Joh. 4. v. 14. *hac eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, dabit nobis, &c.* Item πληροφορία certa perſuaſio, metaphora ducta eſt a navibus quæ plenis ſeu inflatis velis incitatæ feruntur. Roman. 4. verſ. 20. *Abraham confortatus eſt fide dans gloriam DEO,* verſ. 21. πληροφορηθεὶς *pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere.* Coloſſ. 2. verſ. 2. *inſtructi in caritate & in omnes divitias τῆς πληροφορίας τῆς συνέσεως.* Heb. 10. verſ. 22. *accedamus cum vero corde, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως in certitudine ac abundantia fidei.* Verbum ἀπειθῶν Johan. 3. verſ. 36. Syrus reddidit verbo valdè ſignificanti טְפַס quod ſignificat animi acquieſcentiam. *Qui non conſentit vel acquieſcit Filio. E. fides erit animi acquieſcentia ac fiducia.* 4. a collatione locorum parallelorum V. & N. T. Quæ enim in V. T. confitentibus & fiduciæ, ea in N. T. credentibus & fidei tribuuntur. Quod Pſ. 2. verſ. ult. dicitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.* חוֹסֵי־בוֹ Choſé-bho à rad. חָסָה chaſáh fidit, confidit, id Marc. 16. v. 16. ſic exprimitur. *Qui crediderit, ſalvus erit.* Quod Eſai. 26. verſ. 3. dicitur: *ſervabis pacem, quia in te confiſum eſt,* id Rom. 5. v. 1. ſic effertur. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Quod Proverb. 3. v. 5. dicitur? *Confide Jehovæ toto corde,* id Act. 8 v. 37. ſic effertur. *Si credis ex toto corde.* Quod Pſ. 31. v. 1. dicitur: *In Domino confido, non confundar,* id Rom. 10. v. 11. Apoſtolus ſic exprimit: *dicit Scriptura, omnis qui crediderit in illum, non confundetur.* V. T. in precibus requirit fiduciam. Pſ. 62. v. 9. *Confidite in Domino & effundite coram ipſo corda veſtra.* N. T. fidem in illis requirit Matth. 21. v. 22. *Omnia quæcunque petieritis in oratione credentes accipietis.* Jacob. 1. v. 6. *poſtulet in fide nihil hæſitans.* Confer etiam dictum Chriſti Johan. 16. v. ult. *Confidite, θαρσεῖτε, ego vici mundum,* cum dicto Johannis 1. Epiſt. 5. v. 4. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, nempe fides noſtra.* 5. ab exegetica declaratione qua fides per fiduciam explicatur. Pſ. 78. verſ. 22. *Quia non crediderunt in Deum nec confiſi ſunt in ſalute ejus* לֹא הֶאֱמִינוּ וְלֹא בָטְחוּ lo hææminu velo bathchu, radix eſt בָּטַח bathách confidit, ſpem & fiduciam poſuit. Mich. 7. verſ. 5. *Ne credatis in ſocium, nec confidatis in Principem.* Job. 39. verſ. 14. *Nunquid confides in eo, quòd magna ſit fortitudo ejus?* v. 15. *nunquid credes illi, quòd reddat ſemen tuum?* 1. Johan. 5. v. 13 *hæc ſcripſi vobis, ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomen filii Dei.* v. 14. *& hæc eſt fiducia quã habemus apud eũ, &c.* 6. ex oppoſitis. opponitur fidei juſtificanti ἡ διακρίσις Rom. 4. v. 20. Abraham εἰς ἐπαγγελίαν τοῦ θεοῦ οὐ διεκρίθη τῇ ἀπιστίᾳ, *non hæſitavit diffidentia,* ut reddidit Latinus interpres. Ergo fides Abrahæ fuit confidentia ſive fiducia, quã totus à divina gratia pendens & promiſſioni credens certò ſe conſecuturum ſciebat, quæ erant promiſſa. Jac. 1. v. 6. Poſtulet in fide μηδὲν διακρινόμενος. Vide etiam Matth. 22. v. 21. Marc. 11. v. 23. Opponitur etiam fidei τὸ διστάζειν in bivio verſari. Matth. 14. v. 31. ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας. *Parva fidei quare dubitaſti?* τὸ μετεωρίζεσθαι in ſuſpenſo eſſe, hinc illinc agitari, ſicut naves fluctibus agitatæ, & ſicut meteora in aere, ſuſpenſo animo modò huc, modò illuc inclinare. Luc. 12. v. 29. μὴ μετεωρίζεσθε, in verſu præcedente eos vocat ὀλιγοπίστους, quos prohibet ita diſtrahi ſuis dubitationibus. Theoph. in h. l. μετεωρισμὸς λέγει τὸν περισπασμὸν καὶ τὴν τοῦ λόγου ἀστατον, περιφορὰν ἄλλο καὶ ἄλλο ἐνθυμουμένου. Paſſim etiam opponitur fidei ἡ ὀλιγοπιστία parva fiducia Matt. 6. v. 3. cap. 8. v. 26. cap. 14. v. 31. cap. 16. v. 8. Luc. 12 v. 28. Item φόβος timor & metus Luc. 8. v. 50. Marc. 5. v. 36. *Ne metuas tantùm crede.* Eſa. 28. v. 16. Qui credit non feſtinat. Atqui hæſitatio, diffidentia, dubitatio, ſolicitudo, ὀλιγοπιστία ſunt in voluntate. E. & fides illis oppoſita erit in voluntate. 7. ab objecto fidei, quod eſt promiſſio gratiæ in Chriſto Mediatore, ut paulò pòſt demonſtrabitur. Fides juſtificans amplectitur promiſſionem Evangelicam de beneficiis Chriſti Mediatoris, eandemque ſibi applicat. Nuda notitia non amplectitur illam promiſſionem. Ergo fides juſtificans non eſt nuda notitia Rom. 4. v. 16. *ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio,* atqui omnes promiſſiones in Chriſto ſunt Amen 2. Cor. 1. v. 20. id eſt, includunt Chriſtum Mediatorem, ſine quo Deus nihil nobiſcum agit. Objectum ergò fidei eſt promiſſio de Chriſto, quam non nuda notitiâ ſed certâ cordis fiduciâ nos oportet amplecti. D. Lutherus dicere fuit ſolitus. *Qualis eſt copulatio maris & fæminæ in legitimo matrimonio, videlicet indiſſolubilis, talis quoque fides & promiſſionis connexio.* Promiſſio non eſt firma nobis, i. e. noſtri reſpectu, niſi apprehendatur fide: ac fides eſt inanis imaginatio, niſi nitatur promiſſione velut petrâ & anchorâ. 8. à Natura, proprietatibus & effectis fidei. Forma & quaſi anima juſtificantis fidei eſt fiducialis Chriſti cum omnibus beneficiis in verbo Evangelii oblatis apprehenſio. Johan. 1. verſ. 12. *Quotquot eum receperunt ἔλαβον dedit eis poteſtatem filios Dei fieri* Rom. 5. v. 11. *per ipſum* (Chriſtum) *accepimus reconciliationem ἐλάβομεν* Gal. 3. verſ. 14. *ut promiſſionem Spiritus accipiamus λάβωμεν per fidẽ.* Heb. 4, 16. *accedamus cum fiducia ad thronũ gratiæ ut accipiamus* ſeu conſequâur λάβωμεν *miſericordiam.* c. 9. v. 15. *ii qui vocati ſunt, promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis.* Ex quibus dictis patet, fidem juſtificantem amplecti, recipere, apprehendere ſibique applicare Chriſtum & in Chriſto gratiam Dei, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & ſalutem æternam, id verò de nuda notitia prædicari non poteſt.** Fiduciæ eſt Chriſtum Salvatorem *quærere* Eſ. 55, 6. Am. 5, 4. *avidè expetere* & q. *anhelare ad ipſum* Pſ. 42, 2. 3. Pſ. 119 v. 20. Cant. 2, 3. Eſ. 26, 8. & 9. c. 55, 1. Matt. 5, 6. *ad expeditum Redemtorem venire* Matt. 11, 28. Joh. 6 v. 35. Heb. 4, 16. eundem cum ſua juſtitia apprehendere Rom. 9, 30. omni acceptione complecti 1. Tim.

4. ex locis parallelis.

5. ab ἐξηγήσει.

6. ex oppoſitis.

7. ab objecto.

8. ab effectibus & proprietatibus.

1. Tim. 1. v. 15. merita ipſius ſibi appropriare Gal. 3. v. 26. Philip. 1. verſ. 21. pleno conatu cordis iis ea ferri & ſuaviſſimè in iis acquieſcere, Roman. 4. verſ. 21. Hebr. 10. verſ. 22. hinc dixerunt veteres: *fidem non tantum eſſe apprehenſivam, quod ad notitiam & aſſenſum pertinet, ſed eſſe quietativam, quod eſt fiduciæ proprium.* Meiſ. Cuicunque porro fidei non competunt illi effectus, quos Scriptura fidei juſtificanti tribuit, ea non eſt juſtificans. Sed fidei, quæ tantum eſt notitia & aſſenſus, ac non ſimul fiducia, non competunt effectus quos Scriptura fidei juſtif. tribuit. E.** Sic fidei juſtificanti tribuitur ὑπόστασις, πληροφορία, παῤῥησία, πεποίθησις, ut conſtat ex dictis Pauli ſuperiùs adductis, itemque καύχησις ſive καύχημα Rom. 5. v. 2. *Per Chriſtum habemus acceſſum fide in gratiam illam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Philipp. 3. verſ. 3. καυχώμενοι ἐν χριστῷ καὶ οὐκ ἐν σαρκὶ πεποιθότες, ubi καύχησις καὶ πεποίθησις ut æquipollentia conjunguntur. Item θάρσος, Matth. 9. verſ. 2. Paralytico, cujus fidem Chriſtus reſpiciebat, dicitur: θάρσει τέκνον. Atqui hæc omnia non nudam aliquam notitiam vel aſſenſum notant, ſed vel ipſam fiduciam vel fiduciæ qualitatem & inſignia effecta. 2. Paral. 20. v. 20 dicit Joſaphat ad milites ſuos: *Credite in Dominum Deum veſtrum & roborabimini; credite Prophetis ejus & proſperabimini,* ubi requirit fiduciam in divinam promiſſionem de liberatione ex manu hoſtium, & fiduciæ huic robur animi & proſperitatem pollicetur.** Photiniani ſtatuunt fidem juſtificantem conſiſtere in duobus. 1. *in fiducia. 2. nova obœdientia.* Oſtorodus c. 2. Inſtit. p. 17. §. 1. So iſt nun an GOtt glauben anders nichts denn daß der Menſch ſeine Zuverſicht auff ihn ſetze vnd ihm gehorſam ſey. Per *fiduciam* non intelligit appræhenſionem meriti Chriſti quippe quod prorſus negat, ſed tantum ſpem in ſola Dei miſericordia abſque omni ſatisfactionis reſpectu poſitam. Per *obœdientiam* intelligunt non ſolùm animum obœdiendi per ſerium pietatis affectum ſed etiam ipſam actualem obœdientiam. Profert autem Oſtorodus 4. argumenta. 1. Pſal. 78. v. 21. 22. *Deus dicitur iratus Iſraelitis quia non crediderunt ipſi, hoc autem credere nihil fuiſſe aliud dicit, quam non confidere Deo, nec ipſi obœdire ut pateat ex v. 7. 8. 9. 10.* Reſp. ἀπιστίαν Judæorum conſiſtere in diffidentia libenter concedimus, quæritur a. de iſtius objecto & modo. Reſpuerunt illi non tantùm gratiã Dei, ſed etiã promiſſiones de Meſſia, ejusque merito per ſacrificia Levitica adumbrato. 2. fiducia & obœdientia duplex eſt: altera legalis, altera Evangelica. Fiducia legalis nititur Dei gratia in genere. Evangelica Chriſti merito in ſpecie. Obœdientia legalis in bonis operibus, Evangelica in fiduciali appræhenſione conſiſtit. Proindè cùm fides juſtificans dicitur fiducia & obœdientia, concedi hoc poteſt ſenſu Evangelico, non poteſt ſenſu legali. Dicta legalia nõ ſunt opponenda fidei Evangelicæ in merito Chriſti fundatæ, quia hæc ſunt ſubordinata. 2. *Dan. 6. v. 23. Dicitur ipſum è lacu leonum incolumem eductum eſſe, quia credidit Deo ſuo, hanc autem fidem nil aliud notare niſi fiduciam de auxilio Dei & obœdientiam clarius eſſe* aſſerit, *quam ut probatione indigeat.* Reſp. 1 concedimus fidem Danielis eſſe fiduciam promiſſionibus Dei nixam, unde autem probabit, excluſas eſſe promiſſiones de Meſſia & ejus interceſſione? 2. Si Daniel Deo ex toto corde obœdivit, utique Meſſiam agnovit & in merito ejus ſpem poſuit, quia ut hoc fieret, Deus aliquoties præcepit. 3. alia eſt liberatio à periculis corporis, alia à peccatis & pœnis animæ. In illa confugimus ad promiſſiones de auxilio: in hac ad promiſſiones de Chriſti merito & efficacia: ibi fides conſideratur ut virtus, quam Deus ex gratia remuneratur, hîc ut apprehenſio meriti, quam ad juſtitiam imputat. 3. *Ninivitæ dicuntur credidiſſe in Deũ Jon. 3. 4. quæ ipſa tamen fides non niſi per opera & novã obœdientiam deſcribitur.* Reſ. 1. fidem Ninivitarum ſecuta eſt remiſſio peccatorum: *nulla autem fit remiſſio ſine ſanguinis effuſiõe.* Heb. 9, 22 quare illa ipſa fides veniã impetrãs reſpexit ſanguinẽ, non hircorum terreſtrium, qui ad tantum opus per ſe inſufficiens. Ergò ſanguinem futuri Meſſiæ agni immaculati, *qui tollit peccata mundi* Johan. 1. v. 29. 2. Si fides juſtificans conſiſtit in ſacris, jejuniis & aliis hujusmodi operibus, qualia de Ninivitis referuntur, tum & Phariſæi verè crediderunt & hypocritæ juſtificantem fidem habent, quippe qui operibus iſtis pariter navant operam. 3. Si Ninivitæ credendo obœdiverunt DEO aut omnia aut quædam tantùm præcepta obſervarunt. Si omnia, ergo & illud de credendo in Chriſtum & apprehendendo ejus merito quod mandatum præcipuum eſſe 1. Joh. 3. verſ. 23. dicitur. Si quædam fides fuit hypocritica & manca, quam juſtificare aut peccatorum veniam conſequi, ne ipſi quidem Photiniani aſſerunt. 4. Licet per verba, *crediderunt Deo,* potiſſimum intelligatur aſſenſus quem præbuerunt Jonæ tanquam Legato Deo futurum ſupplicium annuncianti, non tamen ob id excludi debet fiducia: nam fides eſt ſimul aſſenſus & fiducia. concurrit in Ninivitis utrumque, tum aſſenſus quoad comminationes Dei, tum fiducia quoad promiſſiones quæ reſpiciunt partim peccati remiſſionem non niſi per Chriſtum acquiſitam: partim pœnæ ablationem revertentibus ex gratia promiſſam. 4. *Hebr. 11. varia fidelium exempla recitantur, ſolius verò aſſenſus & fiduciæ generalis mentio habetur.* Reſp. 1. dicta, quæ probant fidem eſſe aſſenſum, non opponi debent aliis quæ docent fidem eſſe fiduciam in Chriſti merito fundatam, ſunt enim hæc ὑπάλληλα. 2. de Abele dicitur, v. 4. *quod fide uberiorem hoſtiam Deo obtulerit.* At hoc intelligi nequit de fiducia generali, ſed imprimis de fiduciali apprehenſione πρωτευαγγελίου *quod ſemen mulieris contritu-rum ſit caput ſerpentis*: quò pertinent ſacrificia quæ fuerunt typus Meſſiæ &c. 3. fides Enochi non fuit aſſenſus tantùm ſed inprimis fiducia in Meſſiam, nulli n. patet cœlum niſi per iſtum ingredienti. Moſes verſ. 26. dicitur *majores divitias æſtimaſſe theſauro Ægyptiorum,* τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ, ergo fides Moſis reſpexit non Deum duntaxat in genere, ſed Meſſiam in ſpecie & quidem ejus ὀνειδισμὸν ſeu ignominiam, quam in cruce perpeſſus eſt & per quam nobis meruit vitam æternam. 4. in exemplis capite illo allegatis deſcribitur quidem juſtificans, at inprimis ratione effectuum & exercitiorum, qualia ſunt fiducia generalis, patientia, fortitudo, conſtantia, humilitas &c. Scopus enim Apoſtoli eſt hortari ad perſeverantiam, ut apparet ex cap. 10. v. penult. inde

propo-

propoſuit cap. 11. exempla fidelium, qui varia ſubierunt pericula, ut oſtenderet, eam demum veram eſſe fidem, cujus vis & robur nullis calamitatibus frangatur: quare non eſt mirum, quod fiduciæ in Chriſti merito poſitæ non faciat expreſſam mentionem &c. Interim in exercitiis illis fidei prærequiritur apprehenſio CHRISTI, quippe in quo ſolo omnes promiſſiones ſunt *ναὶ κỳ ἀμὴν.* 2. Corinth. 1. verſic. 20. & ſine quo DEI auxilium oobis polliceri haud poſſumus: quis enim certò illud expectabit, niſi prius ſtatuat, DEUM ſibi per Chriſtum reconciliatum eſſe? Meiſner. in diſputat. de fide juſtif. Contra Photinianos obſerva cumprimis 1. voces æquipollentes fidei quod ſit ἔλεγχος, *πληροφορία, παῤῥησία, πεποίθησις, θάρσος,* quæ oſtendunt fidem oon definiri per *vitæ innocentiam.* 2. Lex & fides contra diſtinguuntur Galat. 3. verſic. 12. Sed puritas vitæ legi non contra diſtinguitur. Ergo. 3. Juſtitia quâ coram DEO ſumus juſti, non revelatur in lege Roman. 3. verſ. 21. Gal. 3. verſ. 22. Puritas vitæ in lege revelatur.) Socin. part. 4. de Chriſto Servat. cap. 11. fol. 388. *Quamvis ex Pauli verbis videatur apertè colligi, fidem quâ Abrahamus juſtificatus fuit, fuiſſe DEO promittenti, ipſum multarum gentium Patrem futurum, &c. fidem adhibuiſſe,* hoc eſt, eû vera dicere *ſibi perſuaſiſſe, animadvertendum eſt tamen, rem aliter ſe habere. Ea enim promiſſio Abrahæ non ſine tacita conditione facta eſt, quæ itidem in ipſo fœdere ſanciendo fuit expreſſa, quemadmodum ſcriptum eſt* Geneſ. 17. *ut ambularet coram DEO & eſſet perfectus, hoc eſt, ipſi Deo parere non recuſaret.* Reſp. cap. 16. præced. refertur, quod Sara de vulva ſua emortua deſperans hortata fuerit maritum, ut cum ancilla Agare prolis ſuſcitandæ cauſa conjugium contraheret, cui conſilio Abraham obtemperat, ſed DEO id diſplicuit, ideò, cap. 17. Abrahamum in viam mandatorũ ex viis Ethnicis revocat, *ut ambulet coram ſe & ſit perfectus,* id eſt, ne in fide inchoata vacillet, ex ſe & Sara omninò proditurum ſemeo, Itidem ut in vitæ ſanctioris moribus tanquã veræ fidei indubitatis indiciis ambulet. Vorſtius conſentit cum Photinianis ideò fidem definit per *fiduciam obſequioſam* ac diſputat, *neminem poſſe verè credere niſi habeat animum obœdiendi.* At 1. Quodcunque fidei juſtificanti, quâ juſtificanti opponitur in ipſo juſtificationis actu per id fides juſtificãs quâ juſtificãs eſſentialiter definiri nequit, ſeu illud nõ poteſt eſſe pars fidei juſtificantis quâ juſtificantis. Atq; fidei juſtificanti quâ juſtificanti opponitur obœdientia actualis. Ergo. 2. Per quod fides operatur, idipſum non eſt fides juſtificans. Sed fides operatur per obœdientiam, quia operatur per bona opera & inprimis per caritatem Galat. 5. verſ. 6. Ergo. Schmaltz. in examinat. 157. errorum err. 78. pag. 23. *Satis ſunt ad juſtificationem hæc duo. DEI gratia & noſtra fides, cujus forma & complementum eſt obœdientia.* error. 122. pag. 33. *anima fidei, ut ſunt opera bona, ſit præcipuè caritas, hæc enim omnium operum bonorum præcipuũ eſt.* Piſecius in reſponſ. ad 3. rat. Camp. pag. 43. *Fidem intelligo obœdientiam illam ſub ſpe boni promiſſi DEO præſtandam. Ita Irenæus. Credere DEO eſt facere voluntatem ejus.* Socin. in libr. quod Evang. pag. 22. *Fides in Chriſtum ſeu per Chriſtum in Deum, qua juſtificamur, eſt ea fiducia, quæ verè ac propriè eſt fiducia, nempe Chriſto ſeu DEO per Chriſtum planè confidere, id eſt, ſub ſpeca conſequendi, quæ à Deo per Chriſtum iis ſunt promiſſa qui ipſius Chriſti præcepta ita ſervaverint, ut meritò obœdientes dici poſſint, ipſi Deo & Chriſto obœdire.* Ad. 1. arg. Photin. ex Pſalm. 78. Reſp. reprehenduntur Iſraëlitæ verſic. 22. quod in Deum non crediderunt, tamen in reliquis verſibus etiam malos fructus incredulitatis Pſalmiſta reprehendit, ac proinde illa bonæ opera ad quæ verſ. 7. 8. 9. & 10. hortatur opponuntur non ſoli incredulitati, ſed etiam malis fructibus incredulitatis. Præterea verſ. 22. reprehenduntur Iſraëlitæ non ſolùm propterea quod noo crediderunt in Deum, ſed etiam quod non ſperaverunt in ſalute ſeu auxilio DEI, cui peccato opponitur ſpes verſic. 7. nec tamen ſequitur quod ſpes ſit fides; ſed eſt virtus à fide diſtincta. 1. Corinth. 13. v. 11. Denique quando Iſraëlitæ propter incredulitatem reprehenduntur, eſt locutio Synecdochica, ponitur enim incredulitas pro omni impietate quæ ex ea ſequitur. Ad 2. argum. Photin. ex Dan. 6. Reſp. licet uni ſubjecto varia tribuantur, tamen non ſequitur, quod illa inter ſe ſint eadem, aliàs quia uni eidemque homini juſtificato tribuuntur fides, ſpes & caritas, conſequens foret ea omnia eſſe eadem. Etiam bona opera in hac vita habent gratuitam remunerationem, ideòque non poteſt dici, quod illud propter quod Daniel ex lacu liberatus, ſit fides. Præterea exemplum Danielis à quæſtione eſt alienum, fides enim Danielis ibi non conſideratur in actu juſtificationis & quatenus eſt juſtificans, ſed io exercitio alicujus boni operis quatenus Daniel patienter injuſtam pœnam perferebat. Ad 3. argum. Photin. ex Jon. 3. Reſp. falſum eſt, quod *quicquid audita concione Prophetica in Ninivitis ſubſecutum, ſit fides,* nam in vera pœnitentia non ſolum fides eſt, ſed etiam ſequuntur fructus fidei. Ad 4. argument. ex Heb. 11. Reſp. *Fides* illa *ſanctorum* non quidem fuit ſine obœdientia, non tamẽ propterea quatenus juſtificans, eſt obœdientia: deſcribitur enim ibi fides non in actu juſtificationis ſed in exercitio operũ. Abrahæ fidem reſpectũ habuiſſe ad Chriſti meritũ colligitur ex Rom. 4.** Effectus fidei juſtificantis verè ſtatuuntur remiſſio peccatorum. Actor. 10. v. 13. *Huic* (Chriſto) *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum*: Juſtificatio. Rom. 10. v. 4. *Chriſtus eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti*: υἱοθεσία. Joh 1. v. 12. *dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus*: tranquillitas conſcientiæ. Rom. 5. verſ. 1. *Juſtificati fide pacem habemus*: liberatio à damnatione legis. Rom. 8. v. 1. *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto*: ſecuritas ſpiritualis. Rom. 10. v. 11. *Qui credit in eum, non confundetur*: benedictio cœleſtis. Gal. 3. v. 9. *Qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abrahamo*: purificatio cordis. Act. 15. v. 9. *fide purificans corda eorum*: victoria Satanæ. Eph. 6. v. 16. *in omnibus ſumentes ſcutũ fidei, quo poſſitis ignea tela nequiſſimi extinguere* 1. Pet. 5. v. 9. *huic reſiſtite fortes in fide.* Victoria mundi. 1. Joh. 5. v. 4. *fides eſt victoria noſtra, quæ vincit mundum*: patientia in adverſis

Rom.

Rom.5.v.3. *Juſtificati fide gloriamur in afflictionibus*: acceſſus ad Deum. Rom.5.v.2. *Per Chriſtũ habemus acceſſum fide in gratiam illam, in qua ſtamus*: obſignatio veritatis. Joh.3.v.33. *Qui accipit teſtimonium ejus, ſignavit, quod Deus verax ſit*: dilectio Dei & proximi. Luc.7.v.47. *remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*. Gal.5.v.6. *fides efficax eſt per dilectionem*: ſpes futuræ gloriæ. Rom.5.v.1. *Juſtificati fide pacem habemus* v.2. *& gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei*: confeſſio veritatis creditæ & cognitæ. 2.Cor.4.v. *habentes eundem ſpiritum fidei &c. & nos credimus propter & quod loquimur*: invocatio Gal.4.v.6. *quia eſtis filii Dei* (per fidẽ) *miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantẽ Abba* Pater. Rom.10.v.14. *Quomodo invocabunt eum in quẽ non credunt?* obœdientia ergà Deũ Heb.11.v.8. *Abraham cùm vocaretur, fide obœdivit, ut exiret in locũ quem accepturus erat in hereditatem, neſciens quò iret*. Denique vita & ſalus æterna. Joh.3.v.16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filiũ ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat ſed habet vitam æternã*. v.36. *Qui credit in filium habet vitam æternam*. Marc.16.v.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Atque inſignes illi effectus nõ poſſunt nudæ notitiæ tribui, ut conſtat. E. fides juſtificans non eſt nuda notitia. 9. à typicis & metaphoricis fidei deſcriptionibus. Joh.3.v.14. *Sicut Moſes exaltavit ſerpẽtem in deſerto: ita exaltari oportet filium hominis*. v.15. *ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitã æternam*. Quemadmodũ Iſraelitæ aſpicientes æneum ſerpentẽ certâ cordis fiducia nitebãtur promiſſione Dei, quòd à morſu ignitorum ſerpentũ hoc aſpectu liberandi ſint: ita fides juſtificans eſt perſpicaciſſimus cordis intuitus, quo Chriſtũ in ara crucis exaltatũ reſpicim9, certò ſtatuẽtes, propter illũ nobis contingere liberationẽ à vulneribus quæ infernalis ſerpẽs nobis inflixit, adeoque vitam & ſalutem æternã. Joh.3.v.33. *Qui credit* ἐσφράγισεν *obſignavit, q. Deus verax ſit*. De quibus non dubitamus, ſed certi ſum9 ita ut in illis acquieſcamus iisdẽq; ſtare velimus, ea obſignamus, & quæ hoc modo obſignata ſunt illis firmiter inhæremus: ſic per fidẽ obſignamus, quod Deus verax ſit, h.e. promiſſionem gratiæ in verbo veracis & omnipotentis Dei agnitã & oblatã ita in corde amplectimur ut verâ fiducia illã quaſ. obſignemus Eſ.55.v.1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, venite, emite abſq; argento*. Joh.4.v.14. *Qui biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed aqua, quã ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Joh.6.v.22. *Operamini nõ cibũ qui perit, ſed qui permanet in vitã æternã quẽ filius hominis dabit vobis*. v.29. *hoc eſt Dei, ut credatis in eũ, quẽ miſit Pater* v.35. *Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet, &c.* v.51. *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendit: ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*. Ap.21.v.6. *Sitiẽti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis*. c.22.v.17. *Qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis*. Ex quib. locis colligitur, quòd fides ſit ſpiritualis paſtus animæ, jam v. cibus & potus ut alere poſsit, non ſolùm contrectandus, ſed etiã aſſumendus & concoquẽdus: ita non ſufficit noſſe doctr. Evangelii eidemque aſſentiri, ſed & fiducialis apprehenſio promiſsionum ac ſpecialis earundem applicatio requiritur. 10. ab exemplis fidei. Qualia ſunt fidei exempla, talis etiam eſt ipſa fides, cum omnia exempla debeant eſſe conſentanea illi regulæ, cui declarandæ & illuſtrandę ſubjiciuntur. Jam v. exempla fidei juſtificantis in ſcripturis allata nõ nudam notitiam & aſſenſum, ſed cumprimis etiam fiduciam notant. E. & fides talis erit. Aſſumtum variis exemplis confirmari poteſt. Rom.4.v.18. *Abraham contra ſpem in ſpem credidit*, (contra ſpem quam concipere poterat ex conſideratione Naturæ credidit in ſpem ex conſideratione potentiæ divinæ conceptam.) v.19. *& non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum*, v.20. *in remiſſione etiam Dei non heſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo*. v.21. *pleniſſimè ſciens quia quæcunque promiſit, potens eſt & facere*. Certè hæc fides Abrahæ non fuit nuda notitia & aſſenſus, ſed etiam plena cordis fiducia in promiſsionem Dei veracis & omnipotentis recumbens. Matth.9.v.22. dicit Ch. ad hæmorrhouſam, *fides tua te ſalvam fecit*, ea v. ſic deſcribitur, quod dixerit in corde ſuo: *ſi ſolùm tetigero veſtimentũ ejus, ſanabor*. v.21. Mat.15.v.28. dicit Ch. ad Cananæã: *O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut vis*. Deſcribitur a ibi graviſsima lucta fidei, quâ tentationes de indignitate & particularitate hæc fœmina fortiſsimè vicit, ideò magna fides ejus prædicatur; fiducia eſt, quæ verbo inhærens tentatiões vincit non nudâ notitiâ vel aſſenſu. Heb.11. varia afferuntur exempla eorum, qui fidem exercuerunt & demonſtrarunt in militia ſpirituali, in ſtudio bonorum operum &c. quæ oſtendunt fidẽ non ſolùm eſſe ἔλεγχον firmum aſſenſum, ſed etiam ὑπόστασιν firmam fiduciam, quæ non cedit nec fugit, ſed omnes impetus viriliter ſuſtinet. v.24.&25. de Moſe dicitur, *quòd fide elegerit potius affligi cum populo Dei, quàm temporariis peccati cõmodis perfrui*: hic fidei aſſcribitur electio, electio a. eſt voluntatis, ergò & fides erit in volũtate. 11. à teſtimoniis veterum, quæ adducit Dn. Chemn. in locis Theologicis. Delibabimus pauca. reſervatis ceteris ad locum de certitudine gratiæ. Cyprian. ſerm.4. de mortal. nõ longè à principio: *Si juſtus es & fide vivis, ſi verè in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus & de pollicitatione Domini ſecurus. quòd ad Chriſtum voceris, amplecteris & quod Zabulo careas, gratularis &c.* Et poſtea: *Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utiq; pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonib. atq; actib. ſuis ſcires, nunc Deus tecum loquitur & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo recedenti immortalitatẽ pollicetur atq; æternitatem & tu dubitas h.e. Deũ omnino non noſſe, h.e. Chriſtum credentiũ Magiſtrum peccato incredulitatis offendere, h.e. in Eccleſia conſtitutum fidẽ in domo fidei non habere*. Circa finẽ: *Si in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis ejus habeamus, & non moriemur in æternum*. l.2. Ep.6. *Chriſtus dat credentibus tantum, quantum ſe credit capere qui ſumit*. Origin. in cap.13. Mat. Mat. *Quemadmodum in corporibus naturalibus quidam attractus ineſt quibusdam ad quadam, veluti magneti lapidi ad ferrum & bitumini quod dicitur naptha ad ignem, ita fides ad divinam virtutem*. Gregor. Nyſs. orat.6. in Cant. Cant. pag.368. dicit, *nos fide Chriſtum recipere, ut intret conclave noſtrum, quod cor noſtrum eſt, perveniat, & rurſũ receptum fide retinere, ut illic permaneat* Ambr.l.2. in Luc.c.2.§. de Sim. & Anna. *Qui vult dimit-*

9 *à typicis & metaphoricis deſcriptionibus.*

10. *ab exemplis.*

11 *à teſtimoniis veterum.*

dimitti, veniat in templum, veniat in Ieruſalem, expectet Chriſtum Domini, accipiat in manibus verbum Dei, complectatur velut quibusdam ſuæ fidei brachiis (quemadmodum ergò Simeon brachiis corporalibus Chriſtum complexus eſt, ita fide ſpiritualiter eum amplectimur) in 1. Cor. 1. *ſolâ fide gratis accipimus remiſſionem peccatorum.* Auguſt. tract. 29. in Johannem: *Credere in Chriſtum eſt credendo amare, credendo diligere, credendo in illum ire & membrum ejus effici.* tract. 48. in Johan. *Quærebant eum apprehendere. Utinam apprehenderent, ſed credendo & intelligendo, non ſæviendo & occidendo! Non apprehenderunt eum, quia manus fidei non habuerunt. Mente verbum apprehendere, h. e. Chriſtum rectè apprehendere.* ſerm. 8. de verbis Dom. *interrogo nunc credisne ô peccator Chriſto? dicis, credo. Quid credis? gratis univerſa peccata tibi per ipſum poſſe remitti, habes quod credidiſti,* in med. cap. 14. *omnis namque ſpes & totius fidei certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine Chriſti, qui effuſus eſt propter nos & noſtram ſalutem, in ipſo reſpiro & in ipſi confiſus ad te venire deſidero.* Chryſoſt. hom. 54. in cap. 29. Gen. *Ita benè fidamus his, quæ à Deo promiſſa ſunt, atque ſi jam impleta eſſent.* Theophyl. in cap. 11. Marc. *Qui magna affectione credit, cor ſuum omninò extendit in Deum & quid facit? unitur illi & ferveſactum cor ejus magnam certitudinem ſumit, quod voti compos fiat.* In cap. 8. Lucæ: *Sicut ſi quis afferret oculum ad lumen lucens, vel ſtipulam ad ignem, ſtatim operationem illorum experiretur: ita & illa* (hæmorrhnuſa) *afferens fidem ad eum, qui ſanare poterat, ſtatim ſanitatem adepta eſt: neque enim cogitabat vel diuturnitatem morbi vel deſperationem Medicorum, vel aliud quippiam, ſed credidit tantùm & ſalvata eſt, & ut videtur, priùs tetigit Chriſtum mente quàm corpore.* Idem in cap. 4. Rom. *Abraham præter omnem ſpem humanam divina fuit voluntati confiſus, non hæſitavit, h. e. nihil prorſus habuit quod ille ambigeret, quin ſtatim per fidem fortior eſt effectus.* Bernh. (de quo Dn. Chemn. rectè pronunciat, quod plus lucis in articulo Juſtificationis habuerit, quàm reliqui) pulcerrimè in locis aliquam multis hanc rem pertractat ſerm. 2. de annunc. *Neceſſe eſt primo omnium credere, quod remiſſionem peccatorum habere non poſſis, niſi per indulgentiam Dei, ſed adde ut credas & hoc, quod per ipſum peccata tua donentur, &c.* ſerm. 3. de ſept. fragm. *Tria conſidero, in quibus tota ſpes mea conſiſtit, caritatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis &c.* Locum integrum poſtea expendemus. ſerm. 61. in Cant. *Ego verò fidenter quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant.* Talia in hoc ſcriptore occurrunt longè plurima. Lyra in cap. 11. Hebr. *teſtatur, fidei objectum eſſe non tantùm verum, ſed etiam bonum in quod feratur.* Refero hûc præclara D. Lutheri dicta, quibus fidei naturam declarat, tom. 1. Lat. fol. 539. *Paulus cùm tribuit Juſtificationem fidei, loquitur de fide apprehenſiva Chriſti, quæ facit Chriſtum in nobis efficacem eſſe contra peccatum, legem, mortem.* Ibid. *Fides acquiſita ſtat velut piger manum ſub aſcella abſcondens & dicit: Iſta nihil ad me. Fides vera extenſis brachiis amplectitur læta Filium Dei pro ſeſe traditum, & dicit: Dilectus meus mihi & ego illi.* tom. 4. Lat. fol. 57. *Fides purè eſt docenda, quod ſcil. per eam ſic conglutineris, ut ex te & Chriſto fiat quaſi una perſona, quæ non poſſit ſegregari, ut cum fiducia dicere poſſis. Ego ſum Chriſtus, h. e. Chriſti juſtitia, victoria, vita eſt mea. Et viciſſim Chriſtus dicat: Ego ſum ille peccator, h. e. Ejus peccata, mors ſunt mea, quia adhæret mihi & ego illi, conjuncti enim ſumus per fidem in unam carnem & os.* Eph. 5. *ita ut hæc fides Chriſtum & me arctius copulet, quàm maritus uxori eſt copulatus.* fol. 116. *Fides eſt pertinaciſſimus intuitus, qui nihil aſpicit præter Chriſtum victorem peccati & mortis & largitorem juſtitiæ ſalutis & vitæ æternæ.* 12. à confeſſione ipſorum adverſariorũ. 12. à confeſſione Adverſariorum.
Lomb. lib. 3. ſent. diſt. 19. lit. A. *Dicimur & aliter per mortem Chriſti juſtificari, quia per fidẽ mortis ejus à peccatis mundamur, unde Apoſtolus: Juſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti: Et item: quem Deus propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, i. e. per fidem paſſionis: ut olim aſpicientes in ſerpentem æneum in ligno erectum à morſibus ſerpentum ſanabantur. Sic ergò rectè fidei intuitu in illum reſpicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli ſolvimur, i. e. à peccatis, & ita à Diabolo liberamur, ut nec poſt hanc vitam in nobis inveniat quod puniat.* diſtinct. 23. lit. D. *Credere in Deum eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere & membris ejus incorporari. Per hanc fidem juſtificatur impius, ut deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari.* Dominicus à Soto lib. 2. de Nat. & grat. cap. 6. ex profeſſo quidem diſputat fidem nõ eſſe fiduciam, interim fatetur, *nomine fiduciæ exprimi certam firmamq; fidem.* Cajetan. in enarrat. dicti Moſaici, Credidit Abraham Deo. *Moſes non dicit, Abrahamum crediſſe Deo ſed in Deo, hoc enim plus eſt: nam credere Deo eſt fidem habere illius verbis ut veracibus, credere autem in Deo inſuper addit fiduciã in Deo.* Eraſm. in expoſit. ſymbol. Catech. 2. p. 44. *Deum crediderunt & Philoſophi plerique, Deo credunt & Dæmones, ſed ſoli pij credunt in Deum, ſive in Deo, nihil enim refert qui totam fiduciam, totamq; ſpem fixerunt in Deo.* Idem Jac. 1. v. 6. fidem vertit *per fiduciam,* quam verſionem Pontifex Leo X. commendavit in cap. 12. Luc. p. 155. *fides eſt fidentis, ſic enim nos abutimur Chriſtiani.* in cap. 1. Rom: *Fidem frequenter ſacræ lit. uſurpant pro fiducia erga Deum, ut non multum differat à ſpe.* Jac. Veldius conc. in Evang. Dom. 2. Quadrag. de fide Syrophœniſſæ ait: *in ea attendenda eſſe ſuæ ipſius nuditatis agnitionem, Dei benignitatis certã perſuaſionem, infatigabilis fidei orationem, oris claram confeſſionem.* Nauſea Viennenſ. Epiſcop. lib. 3. cap. 1. Catechiſmi contendit, *ſummã cognationem ſummamq; ſimilitudinem eſſe inter ſpem & fidem, adeò ut non benè diſtingui queant.* Id. lib. 1. cap. 12. *Fides eſt conſtans firmaq; animi per S. S. de Dei majeſtate omnipotentia & bonitate deq; illius promiſſis indubitata perſuaſio qua ut verbis ejus certam fidem habet, ita & de ejus erga ſe bonitate omnia ſibi indubitatò pollicetur, cum demerendo quoslibet, tam ipſi gratificari quàm referre gratias ſtudet.* Claudius Guilliaud. in cap. 6. Joh. ſcribit, *opus Dei vocari à Chriſto fidem, quæ eſt certa de bonitate Domini perſuaſio, confidensque ſalutis ab eo expectatio.* Et poſtea: *Credere in Chriſtum non eſt res à Chriſto geſtas noviſſe, has enim novit Satan, qui tamen illã juſtitiã non eſt juſtificatus, nec iſt meminiſſe aut mente revolvere Chriſtum natũ eſſe, paſſum eſſe, reſurrexiſſe & cœlos aſcendiſſe: nam & impij horum omnium meminerunt, & de his cogitantes nihilo meliores effecti, ſed credere in Chriſtum eſt certo apud ſe*

ſtatuere, per Chriſtum contingere juſtitiam & vitam æternam eiq; toto corde, tota anima, totis virib. inhærere. Hoc qui fecerit, omnia Chriſti bona complectitur, illiq; ex animo adhæreſcet. **Ludovic. Granat. Dom. 18. poſt. Pentec. concil. 1. tom. 4. p. 322. *Rectiſſimè ut apparet, dicetur nomine fidei in Evangeliis cùm ei tribuitur ſalus aut conſecutio omnium, quæ volumus, complecti utrumque nempe & aſſenſum illum firmum in credendis de Deo ac Chriſto & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi ratio ad credulitatem, & aſſenſum illum mentis, in quibusdam verò ad ipſam fiduciam. Ita enim duo hæc adinvicem cohærent, ut nec fiducia eſſe poſſit ſine credulitate, nec credulitas ſine fiducia quicquam impetret à Deo, utque fiducia magnitudo ex credulitatis perfectione naſcatur. Certè dum dicimus: confido huic verbo Dei, quorū remiſeritis peccata, remittuntur eis, in verbo confido, illa duo ſimul comprehendi videntur. Eſt enim ſenſus, adeò perſuaſus ſum, illud eſſe verum, ut inde etiam mihi certò ſperem per Sacerdotes remiſſionem peccatorum.* Gregor. de Valent. tom. 3. diſp. 1. q. 1. punct. 1. col. 7. C. Frequenter *fiducia quadam, ſeu firma ſpes, futurum id, quod eſt promiſſum, nominatur fides.* Et paulò pòſt. *Atq; etiam a Latinæ linguæ autorib. nonnunquam videri poteſt accipi id vocab. in ea ſignificatione, ut à Terent. in Heaut. At mihi fides apud hūc eſt, nihil me iſtius facturū.* ** Georg. Caſſand. in conſult. de Auguſt. Confeſſ. c. de Juſtif. *Ipſum Chriſti meritū ad remiſſ. pecc. nobis imputatur, atq; h. e. quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem ad juſtitiam, eam videl. fidem, quā credimus in eum qui Chriſtū ſuſcitavit à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra & reſurrexit propter juſtificationem noſtrā.* **Idem in conſult. in c. de Juſtif. ex Enchir. Chriſtianæ relig. in Concil. Colon. An. 36. edito citat hęc verba. *Fatemur verum eſſe, ad juſtificationem hominis omninò requiri, ut homo certò credat non tantum generaliter, quod propter Chriſtū verè pœnitentib. remittantur peccata, ſed & quod ipſi homini remiſſa ſint peccata propter Chriſtum per fidem.* Subjicit Caſſand. *Ad juſtificationem conſequendā requiritur talis fides, qua homo exemplo Abrahæ ad promiſſionem Dei non hæſitet propter diffidentiam ſed præter ſpem in ſpem credat, Deum videl. credenti in eū, qui ſuſcitavit I. C. à mortuis, qui traditus erat propter debita noſtra & reſurrexit propter juſtificationem noſtrā imputaturum hanc fidem ad juſtificationem & peccata non imputaturum.* ** Corn. Janſen. in Harmon. Evangel. art. 4. pag. 13. *Ad juſtificationem conſequendam requiritur talis fides, quâ homo exemplo Abrahæ ad promiſſionem Dei non hæſitet per diffidentiam, ſed præter ſpem in ſpem credat.* cap. 32. pag. 206. *Rectiſſimè dicitur nomen fidei in Evangeliis, cum ei tribuitur ſalus aut conſecutio omniū, quæ volumus, complecti utrumq; nempe & aſſenſum illum firmum in credendis de Deo & Chriſto, & fiduciam ex illius omnipotente bonitate conceptam, quamvis in quibusdam locis magis videatur haberi reſpectus ad credulitatem & aſſenſum illum mentis, in quibusdam verò ad fiduciam. Ita n. duo hæc adinvicem cohærent, ut nec fiducia eſſe poſſit ſine credulitate, nec credulitas ſine fiducia quicquam impetret à Deo, utq; fiducia magnitudo ex credulitatis perfectione naſcatur. Certè dùm dicimus, Confido huic verbo Dei dicto ſacerdotib. Quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis, in verbo confido duo illa ſimul comprehendi videntur: Eſt n. ſenſus, adeò perſuaſus ſum, illud eſſe verum, ut inde etiam mihi certò ſperem per ſacerdotem peccat. remiſſ.* in cap. 30. Harm. p. 197. *fides communiter hic & in ſimilibus locis accipitur pro fiducia, ut intelligantur diſcipuli ideò vocari ὀλιγόπιστοι, h. e. parum fidentes & modicæ fidei, quia non ſatis confidebant ſe eſſe tutos Chriſto dormiente, nec habuerunt perfectam illam in Deum fiduciam, quā habere debuiſſent.* Staplet. in prompt. morali Dom. Pentec. loc. 6. *Creditis in Deum, etiam in me credite, h. e. in Deum fiduciam habete & in me.* Bellarm. lib. 2. de grat. & lib. arb. c. 3. & lib. 1. de Juſtif. c. 15. *Credere eſt Chriſtum recipere.* Coſter. in Ench. p. 313. *Credere eſt fide apprehendere.* **Idem part. 1. concil. p. 521. *Ad fidem hanc, qualem Chriſtus vidit* Matt. 9. v. 2. *non ſufficit credere, quod vera ſint, quæ in Scripturis Deus dixit, hoc n. & peccatores Catholici faciunt, ſed oportet promiſſionib. ejus inniti & quod promiſit generatim, firmiter credere te accepturū.* p. 525. *Confidebat paralyticus, ſed ad majorem fiduciam hortatur eum Chriſtus, quia Deo non poſſumus nimium fidere.* ** Ne verò illa apprehenſio ac receptio de nuda notitia intelligatur, conjungenda ſunt Scripturæ dicta, quæ teſtantur, credentes fide in Chriſtum accipere remiſſionem peccatorum & vitam æternam, quod de nuda γνώσει dici haudquaquam poteſt.

Exceptiones Bellarmini.

72. Bellarm. lib. 1. de Juſtif. cap. 11. quibusdam ex argumentis illis noſtris reſpondere conatur. Videamus quid afferat. 1. dicit, *vocem ὑποστάσεως Heb. 11. v. 1. fidei attributam non ſignificare certā expectationem & fiduciam divinæ miſericordiæ, ſed ſubſtantiam, quia quæ futura ſunt, non habent ullam ſubſiſtentiam vel fundamentū niſi in intellectu per fidem: atq; hoc modo commodè & propriè accipitur* Pſal. 39. & Heb. 3. *quod confirmat autoritate Chryſoſtomi in c. 12. Hebr.* Reſp. noſtra interpretatio, quâ per ὑπόστασιν accipimus fiduciā & certam explicationem, convenit cum etymologia, *dicitur enim ὑπόστασις ab ὑφίστασθαι, firmiter ſtare, non fugere, aut cedere, cum uſu* ſcriptorū Græcorū, ut oſtendunt dicta ſuperiùs adducta cū LXX. Interp. qui Hebr. תּוֹחַלְתִּי thohálthi *expectatio mea,* reddiderunt per ὑπόστασιν Pſal. 39. v. 8. conjunge Ruth. 1. v. 12. Ezech. 19. v. 5. Mich. 5. v. 7. cū locis parallelis 2. Cor. 9. v. 4. & c. 11. v. 17. Heb. 3. v. 14. cum teſtimonio recentiorū ſcriptorum. Eraſm. in annot. *ὑπόστασιν dixit certitudinem & id cui aliquid innititur ac fulcitur* 2. ab ea igitur temerè non recedimus. Interim non adverſatur nobis, quod Chryſoſt. & Theophyl. vocab. ὑπόστασις hoc modo interpretātur, quòd fides ideò dicatur ἐλπιζομένων ὑπόστασις, quia facit illa quodammodo ſubſiſtere & præſentia eſſe, quæ nondum ſunt in Natura: hoc enim non pugnat cū fiducia, cujus propriū eſt divinæ promiſſioni tàm firmiter inhærere, ut res promiſſas intimè complectatur, apprehendat, ſibiq; applicet: & quæ adhuc ſperantur, illa tanquam pręſentia nobis ſiſtat, atq; omnem de illis dubitationem excludat. Ex quo etiam patet vanitas exceptionis, quam addit Bellar. *Fides* (inquit) *definiente autore Epiſt. ad Hebræos eſt ὑπόστασις rerū ſperandarum. Atqui expectatio rerum ſperandarū ſive vita æterna non eſt fides juſtificans etiam ſecundū adverſariorū doctrinam, quippe quam per fiduciam divinæ miſericordiæ definire ſolent. Ergò ſi vel maximè concedatur, per ὑπόστασιν notari expectationem & fiduciam, nondū*

1 ὑπόστασις ſignificat ſubſtantiam non fiduciam.

tamen

tamen ex Apoſtolica illa definitione ſententia illorũ quicquam accederet. R. ſubordinata non ſunt invicem ſibi opponenda. Eadem eſt juſtificans fides, quæ certò ſtatuit propter Chriſtum ſibi peccata remitti, ſeque propter eundem vitæ æternæ participem eſſe. Neq; hac ratione fides cum ſpe confunditur, quia ſpes revelationem filiorũ Dei & vitæ, quæ in Chriſto adhuc abſcondita eſt, expectat, fides autem promiſſioni divinæ inhærens tam certò ſibi eam promittit, ac ſi jam dum ipſo actu plenariã ejus poſſeſſionem obtineret.

2. Dicta de fidei certitudine intelligenda ſunt de fide Catholica.

2. *Dicta Scripturæ, quæ certitudinem fidei commendant, intelligenda eſſe de fide Catholica, qua credimus id omne quod Deus revelat, non pro fiducia aut confidentia.* Rom. 4. *Abraham credidit contra ſpem in ſpem, h. e. credidit ob divinam promiſſionem ſe poſſe ſperare filium ex Sara, quem naturaliter ſperare non poterat. Illud autem non hæſitavit diffidentiâ, ſignificare poſſet, fidem Abrahæ fuiſſe inſignem, ut fiduciam quoq; pepererit: ac diffidentia hoc in loco poſita eſt pro incredulitate, cùm in Græco ſit ἀπιστία. Denique Apoſtolus evidenter aperit, quæ fuerit fides Abrahæ, cum ait: pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit, Deus potens eſt & facere, omnipotentiam itaque credidit Abraham, Deum autem omnipotentem eſſe, fide tenemus non fiducia.* Reſp. metuendum Bellarmino fulmen Concilii Tridentini, quod prohibet à vulgata verſione Latina diſcedere, illa verò ἀπιστίαν vertit per diffidentiam, πίστις igitur erit fiducia. Et quàm frigidam Abrahæ fidem tribuit Bellarminus! Non ſolùm credidit Abraham ſe poſſe ſperare Filium ex Sara, ſed re ipſa ſperavit & promiſſioni divinæ innitens plenâ fiduciâ ſtatuit ſibi datum iri filium. πληροφορία illa, quam fidei Abrahæ tribuit Apoſtolus, non ſolùm notat talem perſuaſionem, quâ mens divinæ promiſſioni tanquam rei veriſſimæ aſſentitur, ſed etiam eam, quâ cor plenâ fiducia in promiſſionem divinam recumbit. Adde quòd Abraham credidiſſe dicitur in ſpem contra ſpem, in ſpem promiſſionis contra ſpem Naturæ: jam verò ſpes eſt in voluntate, ergò fides Abrahæ non ſolâ poteſt notitiâ definiri: Idem oſtendit graviſſima illa lucta fidei in Abrahamo, quâ acceptâ promiſſione de ſemine venturo, nihilominus jubebatur filium ſuum immolare, id quod è diametro illi promiſſioni videbatur repugnare. Reſpexit quidem Abrahæ fides in omnipotentiã Dei, ſed & promiſſionis verbũ reſpexit, in quod firmâ animi fiduciâ recubuit. Cumq; fidem Abrahæ peperiſſe fiduciam Bellarm. concedat, cur fiduciam illam ad fidem pertinere negat? Ex fide Hiſtorica ſive ex notitia promiſſionum per efficaciam Spiritus ſancti naſcitur fiducia, quæ eſt fidei juſtificantis veluti anima, quâ promiſſiones divinas nobis applicamus ac certâ animi πληροφορίᾳ illis innitimur. Ad dicta Marc. 11. & Jacob. 1. in quibus fides requiritur in precibus, reſpondet Bellarmin. *ea intelligenda eſſe de fide Hiſtoricâ, quâ omnipotentiam Dei ſine ulla dubitatione credimus.* Reſp. imò verò non ſolùm omnipotentia Dei, ſed etiam ac cumprimis promiſſio ipſius gratuita in precibus reſpicienda, hæc ſunt veluti duo crura fiducialis illius certitudinis, quæ in precibus requiritur, quæve omnem dubitationis fluctuationem excludit. *Unum enim ex duobus indubitanter ſperare poſſumus, aut dabit id quod petimus, aut illud quod noverit nobis eſſe utilius*, ut loquitur Bernhard. in medit. devotiſs. cap. 6. col. 1196. Hiſtorica illa fides, quâ in genere credimus Dei omnipotentiam, veritatem ac miſericordiam, nõdum ad hoc ſufficit, ut juxta Dei voluntatem petamus, ſed requiritur inſuper ut promiſſiones Evangelicas in ſpecie ad nos quoq; pertinere ſtatuamus, illisq; firmâ & immotâ animi fiduciâ adhæreſcamus: Unde vis veritatis coegit Bellarminum, ut tandem ſubjungeret: *Non eſſet abſurdũ aut contra ſententiam noſtram, ſi quis diceret, Jacobum loqui de fide, quæ gignit fiduciam ac per hoc non ſolum incredulitatem, ſed etiam diffidentiam excludere.* Rectiſſimè loquitur Apoſtolus de fide, quâ promiſſionem abſque ullâ hæſitatione amplectimur, quæ fides gignit fiduciam, imò eſt ipſa fiducia, ut ex collatione dicti 1. Joh. 5. v. 14. Superiùs evicimus.

3. Timor opponitur fidei, quia ex fide oritur fiducia.

3. dictis illis, in quibus timor & ὀλιγοπιστία fidei opponuntur, hoc obvertit, *illud ideò fieri quia fiducia ex fide oritur, quæ tamen cum fide non ſit confundenda.* Reſp. oppoſita ſunt ſub eodem genere proximo, jam verò hæſitatio, diffidentia, timor, ſolicitudo opponuntur ipſi fidei, non autem alicui effecto fidei. Ergò erunt ſub eodem genere proximo. Fiduciam ex fide oriri concedimus, ſi fidei nomine intelligitur nuda notitia promiſſionum, ex qua per operationem S. S. fides juſtificans oritur, vel ſi fiduciæ nomine accipiatur fiducia roborata & cõfirmata, quæ eo modo ex fide juſtificante oritur, quò alias dona ac chariſmata SS. in piorum cordibus incrementa ſolent capere: nec tamen à fide ſegreganda eſt illa fiducia, quin potiùs eſt illa ipſa fides juſtificans, quam Scriptura toties commendat. Si enim fiducia illa ad fidem pertinere negatur, ad quam virtutem Theologicam tandẽ pertinebit? *ad ſpem* reſpondet Bellarmin. At ſpes eſt futurorum expectatio, jam verò fiducia reſpicit bonũ præſens in verbo Evangelii oblatum: Bonum promiſſum ut futurum ſpes reſpicit & expectat: bonum promiſſum ut præſens fides reſpicit & apprehendit.

4. Apoſtolus Rom. 4. non loquitur de promiſſione remiſſionis peccatorum, ſed multiplicanda poſteritatis.

4. ad egregium Apoſtoli dictũ Rom. 4. *ideo ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio,* ubi promiſſioni tribuitur certitudo ac firmitas non ſolùm ratione ſui, quòd ob veritatem & omnipotentiam promittentis ſit certa, ſed etiam ratione noſtri, quòd nobis quoq; firmiſſima ac certiſſima ſit, quatenus eam fide amplectimur, nobisq; applicamus, hoc regerit Bellarm. *Apoſtolum non loqui de promiſſione remiſſionis peccatorũ, ſed de promiſſione factâ Abrahæ, quod Pater futurus ſit multarum gentium, ſive de promiſſione vocationis gentiũ ad juſtitiam & Salutem, quæ contingat non ex lege Moſis, vel ex operibus ex liberi arbit. viribus factis, ſed ex fide Jeſu Chriſti, per quam fidem non intelligatur fiducia, ſed fides hiſtorica, cum in verbus ſeqq. dicatur fides omnipotentia Dei.* Reſp. non ſolùm promiſſionem vocationis gentiũ, ſed etiam promiſſionem de remiſſ. pecc. in his verbis intelligendã eſſe, totus capitis cõtextus oſtendit. Ut n. Abrahæ facta eſt promiſſio de multiplicatione ſeminis & vocatione gentium: ita nobis in Evangelio facta eſt promiſſio de remiſſ. peccat. Ergò ut Abraham indubitatâ cordis fiduciâ promiſſionem amplexus eſt: ita & nobis convenit firmâ & immotâ cordis fiduciâ Evangelicam de remiſſ. pecc. promiſſionẽ amplecti, ut ſimus ſpirituales Abrahæ filii, *qui eſt pater omnium credentium, v. 11. cujus fidei veſtigia ſectari debemus, v. 12. neq; n. propter ipſum ſolum, ſed & propter nos ſcriptũ eſt, quod fides ipſi reputata ſit ad juſtitiam, v. 23.*

Siquidem & nobis reputabitur credentibus in eum, qui juſtificat impium, v. 24. Finge promiſſionem accipiendam eſſe tantum de vocatione gentium, non autem de remiſſione peccatorum, quomodo fides Abrahæ erit exemplar & norma fidei noſtræ? quomodo poterimus veſtigiis credentis Abrahæ inſiſtere? ex verbis illis Apoſtoli: *Sicut ſcriptum eſt, quia Patrem multarum gentiū conſtitui te*, v. 17. nunquam poterit Bell. exculpere, quod de promiſſione vocationis gentium tantùm loquatur Apoſtolus, excluſâ promiſſione de juſtitia & remiſſione peccatorum, ſiquidem verba illa adducuntur, non ad oſtendendum, quæ ſit illa promiſſio, quam ſecundùm gratiam dixit eſſe firmam, ſed ad oſtendendum, ꝙ verbis immediatè præcedentib. dixerat, Abraham eſſe patrem omnium noſtrum. Ac detur ſanè intelligi promiſſionem de vocat. gent. nondum tamen ſequitur, eam ſolam intelligi, cùm totius capitis contextus oſtendat, intelligendam etiam eſſe promiſſionē de juſtitia & remiſſione peccatorum, in cujus applicatione, h. e. juſtificatione Abrabam Pater omnium credendum exempli loco proponitur. Porro an operū nomine intelligantur ea tantùm, quæ ex viribus liberi arbitrii facta ſunt. Item an Deus alicui in ſpecie dicat, remittuntur tibi peccata, h. e. an extet ſpecialis promiſſio de remiſſione peccatorum, ac num fiducia in illam promiſſionem recumbens ſit poſterior remiſſione peccatorum, quæ omnia Bellarminus hîc immiſcet, de illis ſuus erit diſſerendi poſtea locus. Id verò præteriri nequit, quòd Bellarminus negat *fidem Abrahæ, quam Apoſtolus commendat, fuiſſe fiduciā, cùm reſpectum habeat ad Dei omnipotentiā.* Egregia verò probatio! Reſpexit quidem Abrahæ fides Dei omnipotentiam, ſed non ſolam, verum etiam & cum primis ejuſdem promiſſionem, quam utpote à veraci ac omnipotente profectā certâ cordis fiduciâ amplexus eſt: *ideò ex fide* (dicit Apoſtolus) *ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.* Quare cùm fides miſericordiam, veritatē & omnipotentiam promittentis DEI reſpiciat, non poteſt non totâ cordis fiduciâ promiſſioni inhærere, ac citra dubitationem complementū ejuſdem ſibi polliceri. 5. fidei objectum eſſe promiſſionem gratiæ, quā in ſpecie ſibi applicet, totis viribus Bellarm. negat, & obvertit, *fidem juſtificare, quia augendo pavores diſponit ad juſtitiam, & quia excitat propoſitū bene vivendi*: It. *promiſſiones Evangelij eſſe conditionales, cùm fidem & Sacramenta requirant, ideò non poſſe eā nobis fide ſpeciali applicari, cùm nemo ſciat, an credat, ſicut oportet.* Sed hæc omnia in capite de objecto fidei juſtificantis & in quæſtione, an & quâ ratione fides juſtificet, diſcutientur.

5. Fidei objectū non eſt promiſſio gratiæ.

Antitheſis Pontificiorum.

73. Expoſitis argumentis noſtris, quib. fidem eſſe fiduciam cōprobavimus, iiſdemq́; ab inſultu adverſariorū vindicatis, reſtat ut ſententiā & argumenta Pontificiorū in hac quæſt. excutiamus. Bellar. l. 1. de juſtif. c. 4. ſecutus Conc. Trid. negat *fidem definiendā eſſe per fiduciam, cùm in intellectu ſolùm, non a. in voluntate ſedem habeat.* Ex Thoma monet, *fiduciā nihil aliud eſſe, quam ſpem roboratā, ideò fidem cum ſpe confundi, ſi per fiduciam definiatur.* Sander. in lib. de Juſtif. ſic informat quæſt. *Utrum aſſenſionis, quæ verbo Dei præbetur, aut etiā fidei Chriſtianæ ulla pars exiſtat, ut quis abſque ſpeciali revelatione Dei confidat, & certò ſtatuat, ſibi remiſſa eſſe peccata, aut ſe Filiū Dei eſſe, nec ne?* reſpōdet a. his verbis: *Aſſenſionis*, inq t, *nulla pars eſt, ut quis id, ꝙ non audivit, verum eſſe confidat; a fide v. alienum eſt, ut certò ſtatuat ſibi remiſſa eſſe peccata, & ſe Filiū Dei eſſe.* Pigg. eò progreditur, ut ſcribat, *fidem juſtificantem à nobis definitā eſſe monſtrum & Chimæram* cùm pro ſubjecto ei intellectū & voluntatem tribuamus. Ruard. Tapper. in explic. art. 9. *Fides, quâ quis firmiter credit, & certò ſtatuit ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata, ſeq́; poſſeſſurum vitam æternam, nullū habet in ſcripturis teſtimoniū, imò iiſdem adverſatur.* Improbant igitur, ꝙ fidem juſtificantem ſtatuamus eſſe fiduciam, contrà v. diſputant, fidem hiſtoricam & miraculorum & promiſſionum unam eſſe, atq; illam non eſſe propriè notitiā aut fiduciam, ſed aſſenſum certum atq; firmiſſimū ob autoritatem primæ veritatis, malunt etiam vocare fidem Cathol. vel dogmaticam, quàm hiſtoricam. Vide Bellar. lib. 1. de Juſtif. c. 4 ſub fin. Lomb. lib. 3. ſent. diſt. 23. B. ſic definit. *Fides eſt virtus, quâ credūtur quæ non videntur* Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. *Fides importat aſſenſum intellectus ad id, quod creditur.* Coſter. in Enchir. p. 189. *Fides eſt habitus ſeu qualitas quædā divinitùs menti infuſa, quâ intellectus firmiter aſſentitur in omnib. quæ à Deo ſunt revelata.* ** *Subjectum* fidei ꝙ vel *adæquatum* (ꝙ rem adæquatè poſſidet) eſt homo. *Subjectum quo* vel primariū (quo mediante res poſſidetur) eſt geminū nempe partim intellectus, partim voluntas hominis. Aliud ſubjectū eſt inhæſionis, aliud perfectionis. Illud ſemper eſt ſubſtātia, quippe cui ſoli inhærent accidentia. Hoc eſſe poſſunt qualitates ac facultates quib. nonnunquā veluti ſubjectis attribuūtur habitus & virtutes, quoniam his perficiuntur & ad agendum expeditæ redduntur. Subjectum inhæſionis primarium non eſt niſi unicum, ſed perfectionis poteſt eſſe geminum. Exemplum in imagine DEI, in lib. arbitrio. Tale ſubjectum fidei primariū ſive inhæſionis eſt anima rationalis vel cor humanū, ut Scriptura loquitur, habet a. ſubjecta duo perfectionis, nempe tū intellectū, qui per notitiā & aſſenſum: tum voluntatem, quę per fiduciam inſtruitur & perficitur. *Meiſn.* **

74. Primarium ac præcipuū argumentū, quo probare volunt. fidem non eſſe fiduciam, petunt ex diſtinctione facultatum animæ. *Impoſſibile eſt, ut una eademq́; numero qualitas diverſis inſit ſubjectis, ergò una eademq́; virtus non poteſt eſſe in duabus potentiis genere diſtinctis. Iam v. fides eſt in intellectu. Ergo nullo modo pertinebit ad voluntatem.* Reſp. 1. Argumentum petitum eſt non è Schola Spirit. ſancti, ſed ex principiis Philoſophicis, veritati igitur ex Scripturis demōſtratæ nihil quicquam derogare poterit. Scriptura intellectum & voluntatem non diſtinguit, ſed ſimpliciter cordi & notitiam & fiduciam, & affectus tribuit, quod ex infinitis locis apparet. Quicquid igitur Philoſophi de diſtinctione facultatū animæ diſputent, ſimplicitas Chriſtiana inhærens Scripturis reſpōdere poterit, *corde nos credere ad juſtitiam*, Rom. 10. v. 10. ex quo fundamento originem ducit regula Theologica. *Verba notitiæ apud Hebræos ſæpe connotant affectum cordis.* 2. ipſi Scholaſtici fidem quodammodo ad voluntatem referunt, quorum autoritatem, præſertim v. Thomæ, non poterit Bellar. repudiare Thom. 2. 2. q. 4. art. 2. *Credere eſt actus intellectus, ſecundū quod movetur à voluntate ad aſſentiendum, procedit a. hujuſmodi actus & a voluntate & ab intellectu, quorū utrumq;*

Fidem non eſſe fiduciā Quia impoſſibile eſt, ut una qualitas diverſis inſit ſubjectis.

na-

natum eſt per habitum perfici, & ideò oportet, quod tamen in voluntate ſit aliquis habitus, quã in intellectu, ſi debet actus fides eſſe perfectus. 1.2 q.66.art.4. *Credere eſt actus propria voluntate aſſentire.* Inde eſt, quòd ad quæſt. *an fides ſit major & minor*, his diſtinctionib. reſpondeat 2.2.q.5.art.4. *Si conſideretur fides ex parte objecti, ſic formale objectum fides eſt ſimplex & unũ ſc. a prima veritas, ſecundum hoc fides eſt una: ea verò quæ materialiter credenda proponuntur, ſunt plura, & ſic poteſt unus plura explicitè credere quam alius. Si conſideretur fides ſecundum participationẽ ſubjecti, fides dupliciter eſt major, primò ex parte intellectus propter majorem certitudinem, ſecundò ex parte voluntatis propter majorem promtitudinem.* Biel.3.ſent.diſt.23.q.2. art.3.dub.4. *Fides eſt virtꝰ intellectualis, quia cauſatur ab actib. intellectus elicitis, ſcil. aſſentire verbo certo ex autoritate teſtis, Eſt tamen ex parte moralis, quia acquiritur ex actib. voluntatis imperatis. Nam apprehenſo vero certo, ſed inevidenti & ita non ſufficienter probato, non cogitur intellectus aſſentire, ſed quantũ de ſe eſt, poteſt non aſſentire, adeò ſi aſſentit firmiter, volens aſſentit & ita ex imperio voluntatis.* 3. Durandus in 1.ſent.diſt.3.q.4. exiſtimat, *voluntatem & intellectũ non eſſe potentias reipsâ diſtinctas, ſed unã eandemq́ entitatem abſolutã, quæ tamen propter ordinem & relationẽ ad diverſos actꝰ, vid. ad functiones intelligendi & volendi duarũ potentiarũ rationem ſortiatur*, quam opinionem aliquot argumentis ſtabilire conatur. Aureol. apud Capreol.1.ſent.diſt.3.q.3. adductis quibusdã ex Ariſtotele locis probare conatur, in eadem ipſum fuiſſe ſententia. Quamvis v. Conimbricenſes l.3. de anim.c.13.q.3.art.2. Durandi rationes conentur refellere, ex eo tamen apparet, rẽ hanc, ne quidem apud Philoſophos eſſe certã & expeditam, q̃ intellectus & voluntas ſint potentię realiter diſtinctæ, quãdo igitur doctrina de fide ex ſcripturis deducta hoc principio Philoſophico everti poterit? Quid quòd Scalig. acutiſſimus ſeculi noſtri Philoſophus cùm Durando facit, ſic n. ſcribit exerc.307.ſect.3. *Voluntas eſt intellectꝰ extenſus ad habendum aut faciendum, q̃ cognoſcit.* Et poſtea: *In homine voluntas eſt intellectus promotꝰ.* ſect.4. *Voluntas à te jungitur cum intellectu, ab Ariſtot. v. in tertio de anima, una res eſſe ſtatuitur, diverſa v. ſolâ ratione, i.e. modo ſuo*, ſect.15. *Dicimus intellectum & voluntatem non eſſe accidentia, neq; abſoluta, neq; relativa: neq; realiter, ut vulgò loquuntur, differre à ſe invicem, neq; utrumvis ab eſſentia animæ. Eſſentia animæ ſine reali poteſtatum disjunctione eſt principium ſibiipſi αὐταρκὲς, i.e. q̃ ſit ſatis ſibi ad producendas effectiones ſuas &c. Intellectꝰ ac voluntas etſi ſunt una res, tamen diſtinguuntur ratione. Sunt n. affectus animæ proprii, non accidentales, ſed una res cum ipſa, ſicut unum, bonum, verum, ſunt affectus ipſius Entis, una ſane res atq; ead. cum ipſo Ente. Sic una res, anima, intellectus, voluntas. Anima tamen eſſentiam dicit, intellectus vero eſt ipſa eſſentia, ut apprehendit: voluntas eſt idẽ, q̃ illa eſſentia intelligens atq; extendens ſeſe ad illã rem cognitam potiandã.* Hæc Scalig. ſubtiliſſime. 4. Ne illi quidem, qui intellectum & voluntatem realiter differre ſtatuunt, abſolutam univerſalitatem huic pronũciato tribuunt, q̃ una virtus non poſſit eſſe in duab. potentiis. Thom.1.2.q.56 art. 2. *Aliquid dicitur eſſe in duob. primò ſic q̃ ex æquo ſit in utroq;, ſic impoſſibile eſt unam virtutem eſſe in duab. potentiis: ſecundo ordine quodã & ſic una virtus poteſt pertinere ad plures potentias, ita q̃ in una ſit, principaliter & ſe extendat ad alias per modum diffuſionis, vel per modũ diſpoſitionis.* Quid ſi eod. modo dicamus, fidem juſtificantem eſſe in intellectu per modũ diſpoſitionis? notitia n. illa Hiſtorica nondum abſolvit fidem juſtificantem, ſed oportet accedere fiducialem apprehenſionem & ſpecialem promiſſionum Evangelicarũ applicationem, unde à quibusdam in definitione Juſtificantis fidei unicum ſolùm aſſignatur genus, hoc modo, quòd ſit ex agnita divini verbi veritate per Spir.S. divinæ gratiæ ſive miſericordiæ per Chriſtum Redemtorem in promiſſione Evangelica fiducialis apprehenſio ad vitã æternam: nimirũ ut obviam eatur calumniis adverſariorũ, qui exiſtimant, triformem quandã chimeram introduci, ſi fides per notitiam, aſſenſum & fiduciam definiatur. 5. ſed ne quid ſuperſit dubii, dicimus, fidem juſtificantẽ eſſe in corde hominis, h.e. in animo tanq̃ proprio ſubjecto: hujus n. fidei eſſe duas q. partes, nempe notitiam cum aſſenſu conjunctam & fiduciam, reſpectu notitiæ cum aſſenſu conjũctæ dicimus eam eſſe in intellectu, reſpectu fiduciæ in voluntate, reſpectu utriusque in intellectu & voluntate ſimul, h. eſt, in corde ſive animo hominis. *Corde n. creditur ad juſtitiam.* Rom. 10. v.10. Sicut voluntas ante ſe requirit intellectum: ita fiducia in Chriſtum eſſe non poteſt ſine ipſius notitia. 6 Declarationis gratiâ hũc afferri poteſt τὸ εἶναι juſtitię originalis, q̃ cõplectitur lucem notitiæ in mente, rectitudinem voluntatis, atq; affectuum cum lege DEI conformitatem: τὸ εἶναι lib. arbitrii, q̃ eſt *mentis & voluntatis facultas mixta ex intelligentia & appetitu rationali*, ut loquitur Thom.p.1.q.83.art.3. nec tamen quisq̃ inventus, qui per has juſtitiæ originalis & lib. arbitrii definitiones Chimærã quandam introduci ſenſerit.

75. Primam argumentorũ claſſem, quib. fidẽ non eſſe fiduciam demonſtret, petit Bellar. ex dicto Apoſt. Heb.11.v.1. Fides eſt ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, q̃ eſſe fidei juſtificantis definitionem ex antecedentib. probat, eamq; ſic explicat. *Fides eſt ſubſtantia rerũ ſperandarum, h.e. fides eſt q. vita & anima rerum, quæ ſperantur, quoniam eas apprehendens ac menti repræſentans facit eas quodãmodo eſſe præſentes ac vivere: Eſt etiam demonſtratio ſive convictio eorũ, quæ non apparent, quia intellectum facit aſſentiri illis, quæ non intelligit. Quare cũ fides definiatur per aſſenſum, non erit fiducia.* Reſp. ἀναπόδεικτον eſt, ex poſitione unius partis procedere ad excluſionẽ ſeu negationem partis alterius. Proinde non valet conſequentia. Fides eſt aſſenſus. Ergò nõ eſt fiducia, imò v. eſt & aſſenſus & fiducia, ut ſuperiꝰ demonſtravimus. Sed probare nititur Bellarm. excludi fiduciam ab Apoſtolo in hac definitione: 1. *fides dicitur ſubſtantia, quia facit præſentia ea, quæ ſunt alioqui futura: at repræſentare eſt actus intellectus, non voluntatis, in qua eſt fiducia.* Reſp. oſtẽdimus ſuperius, ὑπόστασιν rectè verti per fiduciã & immotam animi confidentiam, nec tamen improbamꝰ, ſi per ὑπόστασιν intelligatur baſis & fundamentum, quia fides promiſſionibus DEI tanq̃ fulcro cuidam certiſſimo innititur & reſiſtit variis hoſtibus, ut oſtendunt exempla huic definitioni ſubjuncta. 2. ἔλεγχος *ad intellectum pertinet, ejꝰ n. eſt convinci argumentis, cujus eſt aſſentiri & judicare.* Reſp. Fides dicitur ἔλεγχος, quia eã certitudinis demonſtrationem præſtat, quâ non ſolùm

Hebr. 11. fides eſt ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων.

lùm mentis ad aſſenſum flectitur, ſed etiam volũtas, convincitur, ut promiſſiones divinas à mente intellectas tanquam firmiſſimas amplectatur, ſibiq; in ſpecie applicet. 3. *Fide intelligere dicimur aptata eſſe ſecula. Atqui intelligere eſt actus mentis.* Reſp. Quædam dicuntur de fide ratione notitiæ, quædam reſpectu fiduciæ, ut ex Janſenio ſuperius audivimus; ea quæ probant fidem eſſe notitiã, noo ſtatim negant eam eſſe fiduciam. 4. *Fide Noe metuens aptavit arcam. At fiducia non gignit metum, ſed expellit, proinde fidei actus in Noe fuit, certò credere diluvium.* Reſp. timor ſervilis non conſiſtit cum fide & dilectione benè a. timor filialis, ſive εὐλαβεία, quæ commendat Apoſtolus, unde in Pſalmis hæc duo ſæpiſſimè conjunguntur, *Dominum timere, eidemq; confidere.* Noah non ſolùm credidit veritatem divini judicii in prædictione diluvii, ſed etiam promiſſionem de conſervatione ſui in diluvio, quæ non niſi fiduciâ potuit apprehendere. Adde quod Noah dicatur *juſtitia, quæ per fidem eſt, heres conſtitutus*, quæ v. ſit illa juſtitia fidei, ea pro feſſo in Epiſtolis ad Rom. & Gal. exponitur: nimirum Noahus fide apprehendit promiſſionem de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis, per illam fidei juſtitiam *invenit gratiam corã Domino.* Geo.6.v.8. 5. *Fidei actus deſcribitur, quod ſit credere Deum eſſe & remuneratorem eſſe, at hoc non poteſt torqueri ad fiduciam.* Reſp. actus fidei ratione notitiæ eſt credere, quod Deus ſit & quod remunerator ſit: actus fidei ratione fiduciæ eſt Deo gratiam ſuam in promiſſionib. Evangelicis offerenti confidere, & hac fide promiſſa bona amplecti. Unus fidei actus non opponendus eſt alteri, cùm eidem ſubordinetur, ſiquidem fiducia nõ fertur in rem incognitam, prærequirit igitur notitiam. Quando v. negari poteſt, fidem ab Apoſtolo definitam cõplecti etiam fiduciam, cùm non ſolùm vox ὑποστάσεως ſed etiã exempla definitioni ſubjuncta manifeſtè id teſtentur. *Fide Abel uberiorem hoſtiam Deo obtuliſſe dicitur, quàm Cain.* v.4. id v. de nuda notitia intelligi haudquaq; poteſt, cùm & Cainus crediderit eſſe Deum, quippe cui ſacrificium obtulit, ſed intelligendũ eſt de fiduciali apprehenſione primi Evangelij, quod ſemen mulieris contriturum ſit caput ſerpentis, hanc promiſſionem Abel verâ fide amplexus ac teſtificatus eſt mactatione victimarũ, quod propter peccata agnoſcat, ſe reum eſſe æternæ mortis, nec quicquam in ſe invenire, quo poſſit Dei gratiam mereri, ut a. mors peccatis debita derivetur in animal ſacrificandum, ita ſe certò ſtatuere, quod ſemen mulieris ſive promiſſus Meſſias pro peccatis generis humani in ara crucis moriturus ſit, propter illum peccata ſibi remitti ſtatuit. *Per fidem Abel conſecutus eſt juſtitiæ teſtimonium.* v.4. atqui nuda notitia nequaq; coram Deo juſtificat. *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem & ante translationem teſtimonium obtinuit ſeſe Deo placuiſſe.* v.5. atqui nudâ notitiâ Deo non placemus, cùm hypocritæ & impii quoq; fidem hiſtoricam habeant, quos tamen Deo placere nemo dixerit. Idem de reliquis eſto judicium. Fide n. illa quam Apoſtolus comendat, non potuiſſet per patientiã ſeſe exercere & varia dona ac beneficia accipere, niſi per eand. credentes amplexi fuiſſent promiſſionẽ gratię de Chriſto Mediatore; quando in cruce patiẽtia exerceri & auxiliũ expectari poterit, niſi prius fide ſtatuamus Deũ eſſe nobis per Chriſtũ reconciliatũ?

Roman. 4. Abraham 76. Pergit Bellar. & c.6. alia Scripturę adducit teſtimonia, ex quib. probet fidem non eſſe fiduciam. 1. Rom.4. *Abraham non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, &c. in repromiſſione Dei non haſitavit diffidentiâ, ſed confortatus eſt fide, dans gloriã Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit Deus, potens eſt & facere: Hic deſcribitur fides juſtificans per propoſitionem unã negantem, non conſideravit corpus ſuum emortuum: unam affirmantem, pleniſſimè ſciens: jam verò conſiderare & ſcire ad intellectum pertinet, non ad volũtatem.* Reſp. ἀνακολούθως uſitata recurrit. Fides eſt aſſenſus in intellectu. Ergò non eſt fiducia in voluntate, imò verò hæc in fide juſtificante non ſunt oppoſita ſed ſubordinata. Fidem eſſe aſſenſum non negamus, ex eo verò conſequi, quòd non ſit fiducia, id verò totis viribus negamus. Idem de Abrahæ fide dicimus, eam non fuiſſe ſolùm aſſenſum, ſed & plenam cordis fiduciam, objectum enim ac fulcrum fidei ipſius ſtatuitur promiſſio Dei veracis & omnipotentis, hanc non ſolo aſſenſu ſed & fiduciâ firmâ Abraham eſt amplexus & contra ſpem Naturæ ac rationis credidit in ſpem promiſſionis divinę, nec hęſitavit diffidentiâ, ſed roboratus eſt fide. Ergò primum ex objecto videl. promiſſione, deinde ex oppoſito, videl. diffidentia, deniq; ea adjuncto videl. πληροφορίᾳ evidenter colligimus, Abrahę fidem fuiſſe firmam & immotam cordis fiduciam. Promiſſio requirit non ſolùm aſſenſum generalem, ſed & fiduciam & applicationem ſpecialem. Diffidentię propriè opponitur fiducia. De fide Abrahæ negatur diffidentia. Ergò fiducia de eadem prædicatur. Bellarmin. cum aliter effugere non poſſit vim oppoſitionis, deſerit vulgatam tranſlationem ac per ἀπιστίαν intelligit incredulitatem quod per Concil. Trident. ipſi minimè licet. πληροφορεῖν propriè notat firmam & immotam perſuaſionem ex certitudine Verbi & promiſſionis in animo ortam, ita ut voluntas toto impetu feratur in id, quod cognitio in verbo miniſtravit, eſt enim πληροφορεῖσθαι plenis velis ferri. Naves, quę plenis & inflatis velis feruntur, rectâ ſeu curſu rectiſſimo contendunt ad locum præfixum, celerrimè currunt, nuſquã hærent, nec ſcopulos circumſpectant, quæ omnia ad fidem promiſſionib. divinis firmiter inhærentem accommodari poſſunt. Roberto Conſtantino videtur hoc verbum in tertia ſyllaba ſcribendum per ω quaſi ſit ἀπὸ τοῦ φωρᾶν, id eſt, comperire, deprehendere, cujus conjectura fortaſſis etiam Bellarmino placuit, cùm & ipſe eo modo ſcribat: ſed præterquam quod non dicitur πληροφωρεῖσθαι, ſed πληροφορεῖσθαι, Græci codd. conſtanter ſcribunt per ο μικρὸν adde, quod φωρᾶν propriè ſignificet in furto deprehendere, quæ ſignificatio hîc inepta eſt. Porrò ut hoc loco dicitur Abraham *in ſpem contra ſpem crediſſe*, ita Hebr.6.v.11. vocatur πληροφορία τῆς ἐλπίδος. *Cupimus unumquemq; veſtrûm ſtudium oſtendere ad πληροφορίαν ſpei uſque ad finem, ne ſitis ſegnes, ſed imitatores eorum, qui per fidem & patientiam promiſſionem hæreditarunt*: ex qua ſententia facili negotio colligi poteſt πληροφορίαν fidei non tantum ad mentem pertinere, ſed etiam complecti illos motus animi, qui ex certa perſuaſione conſequuntur; ſpem enim in voluntate eſſe omnes fatentur. Vidit hoc Piſtorius, ideò in theſibus de juſtif. negat πληροφορίαν ad fidem pertinere, apertiſſimè non ſolùm Apoſtolo, ſed & Bellarmin. contradicens.

non infirmatus eſt fide.

77. Al-

1. Cor. 13. Fides à ſpe diſtinguitur.

77. Alter locus ex 1. Cor. 13. *Nunc manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc: ubi à ſpe diſtinguitur. Iã verò fiducia nihil aliud eſt quàm ſpes roborata, unde Iobi 8. dicitur. Spes hypocritæ peribit & ſicut tela aranearum fiducia ejus. Et pro eo quod dicit David Pſal. 39. Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*, dixit Jerem. 17. *Beatus vir qui confidit in Domino & erit Dominus fiducia ejus. Itaque fiducia ex fide quidem oritur, non autem poteſt eſſe eadem cum fide.* Reſp. 1. argumentum petitum eſt ex Thoma 2. 2. quæſt. 129. art. 6. ubi ſcribit *fiduciam nihil aliud eſſe quàm ſpem roboratam.* Notandum verò fiduciam latiùs patere quàm ſpem, nec eſſe terminos convertibiles. Duplex enim eſt fiducia, alia ſpei, alia fidei. Illa bonum promiſſum ut futurum reſpicit & expectat: hæc verò idem ut præſens reſpicit & apprehendit. Spei fiducia conſiſtit in certa expectatione boni promiſſi: fidei autẽ fiducia conſiſtit in fiduciali apprehenſione boni oblati. Refero huc, quod Bonaventura ſcribit 3. ſent. diſt. 26. artic. 1. quæſt. 5. *duplex eſt certitudo una fidei, altera ſpei.* 2. Inde etiam πληροφορία & fidei & ſpei tribuitur, Heb. 10. v. 22. *Accedamus cum vero corde ἐν πληροφορίᾳ πίστεως.* cap. 6. v. 11. *Cupimus quemque veſtrûm ſtudium oſtendere ad πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος.* Verè agentibus pœnitentiam & in Chriſtũ credentibus promiſſa eſt Dei gratia, reconciliatio & peccatorum remiſſio, hanc promiſſionem fide recipimus & promiſſa bona nobis oblata ut præſentia amplectimur: non ſperamus nos olim demum in gratiam Dei recipiendos ac peccatorum remiſſionem futuro tempore accepturos, ſed fide ſtatuimus, nos propter Chriſtum Mediatorem Deo placere & peccata propter eundem nobis remitti: hæc igitur eſt fiducia fidei. Præter hæc bona verè pœnitentibus & in Chriſtum credentibus promiſſa eſt liberatio ex cruce, revelatio gloriæ, translatio in Eccleſiam triumphantem, &c. hanc promiſſionem itidem amplectimur, ſed promiſſa illa bona, cùm nondum ſint præſentia, ideo fiduciali apprehenſione ea non poſſumus apprehendere, ſed ſpe eadem expectamus, quæ ſpes cùm nitatur Dei verbo, itidem certa & immota eſt, unde dicitur *non confundere*. Rom. 8. v. 5. 3. Approbamus igitur & commendamus illam collationem dictorum Scripturæ, quâ Bellarminus uſus fiduciam ſpei competere demonſtrat, agnoſcat verò & approbet ipſe quoque collationem illam dictorum Scripturæ, quâ ſuperius nos uſi demonſtravimus, etiam fidei competere fiduciam. 4. Quin imò fiducia illa ſpei fundamenti loco habet fiduciam illam, quam fidei tribuimus, nec ſine ea poteſt ulla ratione ſubſiſtere. Nemo enim liberationem ex cruce & revelationem gloriæ certitudine ſpei expectare poteſt, niſi prius fide ſtatuat, Deum per & propter Chriſtum ſibi reconciliatum eſſe. Quando calamitates teſtimonium dicunt de ira Dei peccatis noſtris debita, præſertim v. quando exauditio differtur, tũc conſciẽtia ante omnia de hac quæſtione ſolicita eſt, An Deus ſit placatus, nec poteſt liberatio vel mitigatio calamitatũ ſperari, niſi prius fides ſtatuat, Deum eſſe reconciliatum. Inde Apoſtolus Paulus ſententiam Propheticam, *Juſtus ex fide vivet*, quę de conſervatione in periculis ex Chaldæorum irruptione metuendis ſpecialiter agit, rectiſſime ad articulũ Juſtificationis accomodat. Rom. 1. v. 17. Pari ratione peccata noſtra nos convincunt, indignos nos eſſe vitâ æternâ & electorum gloria, non poſſunt igitur tanta bona certò ſperari, niſi prius fide ſtatuamus, Chriſtum ſanctiſſima ſua obœdientia & ſatisfactione eadem promeruiſſe ac propter ipſam gratis ea donari. 5. Propter arctiſſimam illam fidei & ſpei conjunctionem, vocabula Fidei & Spei quandoque latius accipiuntur, ut invicem permutentur, negari interim nequit, ſi propriè velimus loqui, fidem à ſpe diſtinctam eſſe, cùm fides ſit apprehenſio promiſſionis & beneficii in ea oblati præſentis, ſpes autem expectatio boni promiſſi futuri. 6. Fiduciam ex fide oriri concedimus, quo vero ſenſu id accipiendum ſit, ſuperius indicatum eſt. Ex notitia & aſſenſu divinæ promiſſionis oritur fiducia, ſed ex eo tàm non ſequitur, fidem non eſſe fiduciam; quàm ſi quis colligere velit: Deus novit ſuos. Ergo illa Dei notitia non complectitur favorem & benevolentiam, quinimò verba notitiæ apud Hebræos ſæpius connotant affectum & motum voluntatis, qui notitiam illam conſequitur.

78. 3. Ex 2. Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Per fidem intellectus ducitur captivus in obſequium Chriſti, quia cogitur credere, quod non intelligit. Ergo fides ad intellectum non ad voluntatem pertinet.* Reſp. 1. Conſequentiã negabit ipſe Thom. de Aquino, cui multum tribuit Bellarm. is enim voluntati tribuit quòd cogat intellectum aſſentiri illis quæ in verbo proponuntur, ut ſuperius ipſum diſſerentem audivimus. 2. Dictum Apoſtoli probat fidem eſſe in intellectu, ratione notitiæ & aſſenſus: nequaquam vero negat eſſe in voluntate ratione fiduciæ: hęc enim ſibi invicem non repugnare ſuperiùs evicimus. 3. Non deſcribitur fides juſtificans à ſuo formali, vel à proprio objecto, ſed effectus quidam ac vis ſpiritualis ejuſdem exprimitur, ut ergo effectus rei non tollit formale ipſius, ita quoq; captivatio illa intellectus ſub obſequium Chriſti non tollit proprium fidei formale, quod eſt Chriſti beneficia in verbo Evangelii oblata apprehendere ſibique applicare. 4. Quinimò ut fides captivat intellectum, ut aſſentiatur articulis fidei, licet cum ratione humana pugnare videantur: ita quoque convincit & captivat quaſi voluntatem ut ſuperatis omnibus dubitationibus promiſſiones Evangelicas firmâ fiducia amplectatur, licet ſenſui carnis noſtræ videantur repugnare.

2. Cor. 10. In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.

79. 4. Ex cap. 3. Epheſ. *In Chriſto habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus. Quod ſi habemus acceſſum ad Deum in confidentia ſeu fiducia per fidẽ, certò ſequitur ut fides nõ ſit fiducia ſed fiduciæ cauſa, alioqui ſenſus hujus loci eſſet, habemus acceſſum in confidentia per confidentiam.* Matth. 9. *itidem fiducia à fide diſtinguitur. Confide Filia, fides tua te ſalvam fecit, ubi ad fiduciam concipiendam excitatur mulier, quæ jam fide fuerat ſanata.* 1. Tim. 3. *Fiducia in fide acquiri dicitur, quia poteſt eſſe fides ſine tali fiducia.* Reſp. 1. argumentũ invertimus. Ex fide juſtificante oritur confidentia ac παῤῥησία. Atqui ex ſola notitia Hiſtoriæ vel etiam ſolo aſſenſu abſque fiduciali apprehenſione Chriſti non oritur confidentia ac παῤῥησία, ut patet exemplo hypocritarũ. Ergo fides juſtificans non eſt ſola notitia vel ſolus aſſenſus abſq; fiduciali apprehẽſione Chriſti. Itẽ dicimur habere fiduciã in fide, quomodo ergo fiducis

4. Eph. 3. Fides diſtinguitur à fiducia.

cia poteſt à fide ſeparari? 2. Apoſtolus igitur non tam fidem à fiducia, quàm unius fidei diverſos actus, apprehenſionem ſcilicet promiſſionis Evangelicæ de Chriſto Mediatore, atq; inde ortam in animo fiduciam diſtinguit, ac fiducialem illum ad Deum acceſſum per fidem eſſe ac in fide conſiſtere docet. 3. Nec improbamus eorũ ſententiam, qui in his dictis fidem à ſuis exercitiis, effectis & adjunctis deſcribi ſtatuunt. Fiducia eſt forma fidei juſtificãtis, quaten° certâ animi perſuaſione promiſſionem gratiæ amplectitur, eadé nihilominus eſt effectus fidei, quatenus in exercitiis ſuis creſcit & plenior redditur. Negari n. non poteſt, fidem juſtificantem habere ſuos gradus & incrementa, ac diſcrimen eſſe inter fidem modicam, infirmam & languidam; ac inter fidem magnam, robuſtam ac validam, unde diſcipuli orant. Luc. 17. v. 5. *Domine adauge nobis fidem*; quando fides exercetur, naſcitur inde confidentia & παῤῥησία ad Deum ſicut Apoſtolus pronunciat. Rom. 5. v. 1. *nos fide juſtificatos pacem habere apud Deum.* Declarari hoc poteſt ſimili exemplo. *Dat Deus Spiritum ſanctum petentibus.* Luc. 17. v. 13. & tamen nemo rectè orat ſine Spiritus ſancti gratia, quippe qui eſt *Spiritus gratiæ & precum.* Zach. 12. v. 10. nimirum hoc intelligendum eſt de incremento & augmento donorum Spiritus ſancti, *quia habenti dabitur, non habenti auferetur id quod habet.* Matth. 13. v. 12. ita quoq; *per fidem habemus acceſſum in fiducia,* & tamen nulla fides, modo vera ſit, eſt ſine aliqua fiducia, creſcit verò & augetur in exercitiis ſuis. Aug. ſerm. 36 de verb. Dom. *Fides fundit orationem & oratio fuſa impetrat fidei firmitatem.* 4. Simpliciſſima eſt eorum interpretatio: ſententiam dicti Apoſtolici eſſe eam, quòd ex fide in Chriſtũ oriatur fiducia erga Deum patrem, ut in omnibus neceſſitatib° μετὰ πολλῆς παῤῥησίας cum accedamus. Cùm enim fide Chriſtum amplectimur, ac propter eum ἐλευθερίας nobis contingere ſtatuimus, non amplius fugimus Deum, ſed liberè & confidenter ipſum tanquam patrem adimus & compellamus, perinde ut Apoſtolus dicit Roman. 5. v. 1. *Juſtificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* v. 2. *per quem habemus acceſſum fide in gratiam illam in, qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei.* Hebr. 10. v. 19. *habentes fiduciam ad introitum Sanctorum in ſanguine Chriſti.* v. 22. *accedamus cum vero corde, ἐν πληροφορίᾳ πίστεως,* ubi fidei iſti, per quam acceſſum habemus ad Deum, manifeſtè tribuitur παῤῥησία. Hujus loci eſt obſervatio illa quòd παῤῥησία propriè ſignificet libertatem, alacritatem. Act. 4. v. 29. *ſervis tuis loqui μετὰ πάσης παῤῥησίας.*

5. Objectũ fidei ſunt omnia, quæ Deus revelavit. 6. Actus fidei eſt credere, non confidere.

80. 5. *Objectum fidei ſunt omnia quæ Deus revelavit. Fiducia autem tam latè non patet.* 6. *Actus fidei eſt credere non confidere. Ergo fides non eſt fiducia.* Reſp. de objecto fidei proprio & adæquato diſſeretur ſuo loco, hac vice repetimus Cornelii Janſenii Epiſcopi Gandavenſis regulã cap. 32. Harm. Evang. propoſitam. *Quædam dicuntur de fide reſpectu notitiæ, quædam reſpectu fiduciæ.* Fidei reſpectu notitiæ actus eſt credere, objectum eſt omne Dei verbum nobis revelatũ. Fidei reſpectu fiduciæ actus eſt confidere ſive fiducialiter apprehendere: objectum eſt promiſſio Evangelica de Chriſto Mediatore, ſive quod idem eſt, Chriſti obœdientia & ſatisfactio in verbo Evangelii nobis oblata. Ergo non eſt quòd Bellarmin° dicat, ſi credere uſurpatur in ſcripturis pro confidere, nos cogi ut abſurdiſſimè atque ineptiſſimè loca plurima explicem°, exempli gratia, Joh. 14. *Non creditis quia ego in patre & pater in me eſt?* Act. 8. *Credo Filiũ Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam.* Et poſtea *ſi in corde tuo credideris, quia Deus eum ſuſcitavit à mortuis ſalvus eris.* Hæc & ſimilia (ait Bellarm.) nõ poſſunt niſi ineptiſſimè accipi pro fiducia. Reſp. imò verò ineptiſsimum eſt Bellarmini argumentum ex particulari ductũ. Non enim ſequitur. In quibuſdam Scripturæ dictis non poteſt credere per confidere explicari. Ergo in nullis locum habet iſta explicatio, & per conſequens fides non eſt fiducia. Atqui oſtendimus ſuperius, Scripturam ipſam pluribus in locis credere pro confidere interpretari, neq; hoc negare poteſt Bellarm. qui lib. 1. de Juſtif. c. 11. concedit *diffidentiam.* Rom. 4. poſitam pro *incredulitate*, ex vi igitur oppoſitionis fiducia ponitur pro fide. Neq; verò abſurdum erit, ſi quis in allegatis locis fiduciam quoque connotari dixerit. Chriſtus non ſolùm ſimplici aſſenſu vult hoc credi, quòd Pater ſit in ipſo & ipſe in Patre, ſed & fiduciâ cordis per ipſum tanquam Mediatorem ad Patrem accedere nos jubet, unde initio capitis dicit. *Creditis in Deum, etiam in me credite,* q̃ Stapletonus ſic παραφράζει. *In Deum fiduciam habete & in me.* Eunuchus non ſolùm credidit Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, ſed & in ipſum tanquã Mediatorem promiſſum & exhibitũ omnem cordis fiduciam collocavit. Nec hiſtorica illa fides, quã credimus Chriſtum eſſe à mortuis ſuſcitatum, ad juſtitiam & ſalutem efficax eſt, cùm & Dæmones hoc credant, ſed requiritur, ut credamus Chriſtum *propter peccata noſtra mortuum & propter juſtificationem noſtram reſurrexiſſe.* Rom. 4. v. 25.

An homõ poſſit eſſe certus de Dei gratia.

81. Ad hunc locũ pertinet quæſtio de certitudine juſtitiæ & gratiæ, *an ſcil. miſer peccator, quãdo in vera ac ſeria pœnitentia fide ex verbo Evangelii per Spir. S. concepta, apprehendit promiſſionẽ gratiæ, & in ea ſimul Chriſti ſatisfactionem ac meritum, poſſit ac debeat, certâ fiduciâ ſtatuere ſibi remiſſa eſſe peccata, ac ſe eſſe apud Deum in gratia.* Affirmant Eccleſiæ noſtræ, Pontificii negant. Obſerva autem, 1. non eſſe quæſtionem de fide hæreticorum, qui falſas & blaſphemas opiniones pugnantes cum fundamento amplectũtur & tuentur. Patres Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 9. profitentur, ſe excludere *inanem hæreticorũ fiduciam*, & addunt. *Quamvis neceſſarium ſit credere, neq; remitti, neq; remiſſa fuiſſe unquam peccata, niſi gratis divinâ miſericordiâ propter Chriſtum, nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti peccata dimitti vel dimiſſa eſſe dicendum eſt, cum apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imò noſtrâ tempeſtate ſit, & magnâ contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia.* At non eſt hoc loco quæſtio de fiducia, quam falſò jactant hæretici, qui cùm ipſũ fidei fundamentũ, quantum in ipſis eſt, evertant, quomodo fides eorũ vera & juſtificans eſſe poſsit? Hæreſes ſunt *opera carnis* Galat. 5. v. 20. *qui verò talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* verſ. 21. hæreticis igitur nec fiducia gratiæ, nec dubitatio, ſed certiſsima aſſeveratio

iræ

iræ divinæ, & certiſſimum æternæ damnationia periculum convenit. 2. Non eſſe quæſtionem de falſa fidei perſuaſione & jactantiâ in illis, qui in peccatis ſecurè pergunt, verâ pœnitentiâ deſtituuntur, & Epicuræam opinionem de impunitate ſcelerum induunt. Talem quandam *inanem & ab omni pietate remotam fiduciam* ab hæreticis prædicari Concil. Trident. aſſerit; quid Libertini, Antinomi, Anabaptiſtæ atque alii prædicent, nos non attingit. Sin hæreticorum nomine Concilium etiam noa complectitur, inſigni nos injuriâ afficit, & contra publica doctrinæ noſtræ teſtimonia ſine fronte nobis tribuit, quod inanem illam ab omni pietate remotam fiduciam magnâ contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicemus. 3. Non eſſe quæſtionem de robore vel infirmitate fidei, an in cordibus renatorum firma & omnis dubitationis expers fiducia perpetuò regnet. Fatemur ipſi, quòd vera fides in bac carnis infirmitate non ſit perfecta, ſed ſæpius tentetur multis ac variis dubitationibus, ita ut in tentationibus quandoque valde languida ſit fiducia; addimus autem dubitationem illam ex imbecillitate carnia ortam fide ſuperandam eſſe, ac perpetuò cum ea luctandum. Quamvis igitur in tentationibus non poſſimus firmâ & ab omni dubitarione remotâ fiduciâ promiſſionem gratiæ amplecti, debemus tamen dubitationi reluctari & perpetoò ingemiſcere. *Credo Domine, ſed in opem fer incredulitati meæ.* Marc. 9. v. 24. Fatemur carnem, quæ in renatis etiam contra Spiritum concupiſcit, non ſolùm ad dubitationem, ſed etiam ad deſperationem propendere, ſed addimus, dubitationem illam non eſſe docendam, fovendam, & humilitatia nomine venditandam. Pontificii contrà docent, nec poſſe nec debere credentea certâ fiduciâ ſtatuere, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata. Coſterus in Enchir. cap. de fide. p. 209. *Fides certitudinem citra omnem dubitationem noluit Chriſtus in nobis eſſe.* Bellar. lib. 3. de juſtif. cap. 2. ſic format ſtatum. *Utrum debeat aut poſſit aliquis ſine ſpeciali revelatione eſſe certus, certitudine fidei divina, cui nullo modo poteſt ſubeſſe falſũ, ſibi remiſſa eſſe peccata?* 4. Non eſſe quæſtionem, an credentes in vero Dei timore perpetuò vivere debeant. Nequaquam enim docemus, fiduciâ miſericordiæ divinæ ad alendam & confirmandam carnia ſecuritatem & petulantiam abutendum eſſe, ſed expreſſè dicimus, carnem freno timoris Domini coërcendam & reprimendam eſſe. Neq; verò hæc invicem pugnant, quòd renati de gratia DEI certi ſint, & tamen Deum ſincero corde timere debeant; quia timor DEI non opponitur filiali fiduciæ Spiritus, ſed effrenatæ ſecuritati carnis, inde verè pii in Scripturis ſacris & Deo confidere, & Deum timere dicuntur. 5. Non eſſe quæſtionem, an fiduciæ illius fundamentum ſit in noſtris qualitatibus ac virtutibus. Item an operum juſtitia firmam gratiæ fiduciam in nobis pariat, quod itidem negamus. Neque enim propter noſtra opera vel propter noſtram dignitatem DEO noa caros & acceptoa eſſe ſtatuere debemus, ſed propter Chriſtum Mediatorem, qui eſt noſtra juſtitia, qui eſt dilectus ille in quo dilecti ſumus. 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum*, dicit Apoſtolua, *ſed in hoc non ſum juſtificatus.* Qui Evangelium convertunt in legem atque hominem ſuarum diſpoſitionum & operum merito juſtificari contendunt, non poſſunt aliud doctrinâ ſuâ efficere quàm perpetuaa dubitationes, cùm noſtrorum operum juſtitia ſit imperfecta & immunda, nec poſſit ſeverum juſtitiæ divinæ examen ferre: tota autem quæſtio eſt de juſtitia fidei, quæ in peccatorum remiſſione & juſtitiæ CHRISTI imputarione conſiſtit, an illa firmam gratiæ divinæ fiduciam in cordibus credentium parere poſſit ac debeat? quod affirmamus. 6. Non eſſe propriè hoc loco quæſtionem de certitudine electionis & perſeverantiæ. Quamvia enim hæ quæſtiones magnâ vicinitate ſint conjunctæ, tamen perſpicuitatis & melioris intelligentiæ cauſâ diſtinctè de illis diſſerendum eſſe judicamus. 7. Non eſſe quæſtionem de fide Hiſtoricâ, quam ſolam agnoſcunt Pontificii, ſed de ſpeciali illa fide, quæ promiſſionem gratiæ & in eâ Chriſtum Mediatorem amplectitur, ejuſque beneficia ſibi applicat; ex quo intelligitur, pleraque adverſariorum argumenta ſcopum quæſtionis non attingere, cùm de ſola fide Hiſtorica (quam Catholicam & divinam appellent) agant. ** Origo hujua opinionia Pontificiæ eſt depravatio doctrinæ de juſtificatione per ſolam in Chriſtum fidem, quod confitetur ipſe Bartſciua Domin. 2. adv. p. 96. Quæſtio tota pendet ex illa altera de fidei vel ſolius vel non ſolius juſtificatione. Nam ſi ſola fides juſtificat, idque eo ipſo ac ſolo quod merita paſſionis Chriſti ſibi fide ſua quiſque tanquam propria apprehendit & applicat, quicunque eam habet nihil profectò habet, quod amplius metuat in illo judicio.**

82. Bellarminua de incertitudine Juſtitiæ diſputaturua lib. 3. de juſtificat. cap. 2. Præmiſſâ diſtinctione certitudinis *in unam qua eſt objecti, id eſt, res cognita vel credita, & alteram qua eſt ſubjecti, id eſt, hominis cognoſcentis vel credentis*: ac propoſitis gradibus *certitudinis tàm evidentis quàm obſcura*, (ubi ea quæ propter divinam autoritatem certò creduntur, refert ad certitudinem obſcuram catachreſi ſatis dura) tandem deſcendit ad ſtatum controverſiæ; ubi primò accuſat Chemnitium, quòd eum non rectè formarit. *Statum quæſtionis* (inquit) *ita proponit Chemnitius, utrum peccator in ſeriâ pœnitentia ex fide vera in Chriſtum poſſit certâ fiduciâ ſtatuere, ſibi remiſſa eſſe peccata. Sed non iſtum eſſe quæſtionis noſtra ſtatum ex duobus intelligi poterit, tum quia quæſtio eſſet conditionalis non abſoluta, tum quia non de fiducia ſed de fidei certitudine diſputamus. Quod eſſet quæſtio conditionalis patet inde, quia illud in ſeriâ pœnitentia idem ſignificat ac ſi diceretur, ſi ſeria ſit pœnitentia. Quod ſi quæſtio ita conditionaliter proponatur, An poſſit homo certo ſtatuere ſibi remiſſa eſſe peccata, ſi conſtet eum ſeriam egiſſe vel agere pœnitentiam, nemo Catholicorum erit, qui non reſpondeat, poſſe atque debere. Non igitur conditionaliter ſed abſolutè controverſia hoc tempore inter Catholicos atque hæreticos de certitudine juſtitia magnâ contentione tractatur. Deinde ſi de fiduciâ tantùm ageretur, ut Chemnitius proponit, non eſſet etiam opus longâ diſputatione. Neque enim Catholici negant, certam*

fiduciam

fiduciam in DEO collocandam eſſe & certò confidendum poſt actam legitimè pœnitentiam & Sacramentum Baptiſmi vel Abſolutionis ritè perceptum remiſſa eſſe peccata. Sed Adverſarii ut fidem cum fiduciâ, ita certitudinem fidei cum certitudine fiduciæ confundunt. Reſp. ad prius. Verba illa, in ſeria pœnitentia, non proponunt conditionem aliquam meritoriam, ſed continent deſcriptionem ſubjecti. Nequaquam affirmamus, quemlibet hominem ſine diſcrimine certum eſſe poſſe de ſalute ſuâ, ſiquidem Epicuræis contemtoribus omni pœnitentiâ deſtitutis tantùm abeſt, ut certitudinem gratiæ perſuaſam eſſe velimus, ut potiùs certam damnationem illis expectandam eſſe docemus, tota autem quæſtio eſt, de homine peccatore veram & ſeriam pœnitentiam agente ac fide in CHRISTUM Mediatorem ſe erigente, an is certus eſſe poſſit ac debeat, propter Chriſtum ſibi remitti peccata & ſe eſſe apud DEUM in gratia? quod affirmamus nos, Pontificii negant. Quod Bellarminus addit, *Si quæſtio conditionaliter proponatur, An poſſit homo certò ſtatuere ſibi remiſſa eſſe peccata, ſi conſtet eum ſeriam egiſſe vel agere pœnitentiam, tunc neminem Catholicorum fore, qui non reſpondeat, poſſe ac debere*, in eo ludit ambiguitate phraſeos. Per ſeriam enim pœnitentiam intelligit contritionem, quæ ſit ſi non *intenſivè & extenſivè*, tamen *appreciativè ſumma*; Confeſſionem quæ ſit perfecta omnium delictorum mortalium coram Sacerdote enumeratio, & ſatisfactionem, quæ certis operibus peccata & peccatorum pœnas compenſet, proinde cùm nemo certus eſſe poſſit, an ſufficienter ſit contritus, an plenè delicta ſua ſit confeſſus, an dignam & ſufficientem præſtiterit ſatisfactionem, ideò etiam neminem poſſe eſſe certum, an ſeriam egerit pœnitentiam: nos autem per veram ac ſeriam pœnitentiam intelligimus ſerium de admiſſis peccatis dolorem & veram in Chriſtum fidem, quam ſequuntur novæ obœdientiæ fructus, de qua pœnitentia verè pios certos eſſe poſſe negari nequit. Ad poſterius dicimus, fidem & fiduciam non eo modo differre, ut de fide non poſſit prædicari fiducia, oſtendimus enim paulò ante in motis argumentis, fidem non solùm eſſe notitiam & aſſenſum; ſed etiam fiduciam promiſſionibus Evangelicis de CHRISTO Mediatore innitentem. Tandem igitur Bellarminus ſic format ſtatum quæſtionis. *Utrum debeat aut poſſit aliquis certitudine fidei, cui nullo modo poſſit ſubeſſe falſum, ſine ſpeciali revelatione certus eſſe, ſibi remiſſa eſſe peccata*: ad quam reſpondet capit. 3. negativè, repudiatâ non ſolum noſtrâ, ſed etiam Enchiridii Colonienſis & Ambroſii Carharioi hac de re ſententiâ. Ex quibus omnibus patet verus quæſtionis ſtatus; reſtat ut argumenta noſtra in medium adducamus.

Argumenta noſtra ſententiæ.
1 Abimmota divinarũ promiſſionum firmitate.

83. Primam argumentorum claſſem ſuppeditat nobis *divinarum promiſſionum immota firmitas*. In Evangelio promiſit Deus, quòd velit omnes illos, qui agunt pœnitentiam & in Chriſtum credunt, in gratiam recipere & peccata eis remittere, quò pertinent omnes illæ, quotquot in Scripturis extant, Evangelicæ promiſſiones, quarum nucleus proponitur Johan. 3. verſ. 16. *Sic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Inde ſic colligimus. Si DEUS promittens credentibus ſuam gratiam & peccatorum remiſſionem eſt fidelis & verax, ut mentiri non poſſit, conſequens eſt, promiſſionibus ejus immotâ fide adhærendum eſſe. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Ut autem argumentum hoc ſit evidentius, attendenda ſunt membra ſequentia 1. *Finis promiſſionum.* Ideò Deus ex arcanâ majeſtatis ſuæ ſede prodiit, ac miſericordiſſimam ſuam de remiſſione peccatorum gratuitâ voluntatem nobis patefecit, ut de ipſius voluntate eſſemus certi. Promiſſio & fides ſunt correlata: Promiſſio eſt fundamentum ac baſis fidei; datâ igitur promiſſione fides certò eidem inniti poteſt ac debet. 2. *Diſcrimen legalium & Evangelicarum promiſſiorum.* Legales promiſſiones dubias & incertas relinquunt conſcientias, quia additam habent conditionem perfectæ obœdientiæ, quæ cùm in nobis non inveniatur, ideò promiſſiones legis fiunt nobis incertæ, imò irritæ. Sed Evangelicæ promiſsiones ſunt gratuitæ, nec noſtris meritis vel operibus, ſed ſoli Chriſto confidere docent, ideò etiam certa cordis fiduciâ eis inniti poſſumus. Rom. 4. verſ. 16. *ideò ex fide gratis, ut ſit firma promiſſio*, ubi & certitudo promiſſionis Evangelicæ, & certitudo fidei conjunguntur. 3. *Dei veracitas.* Ut DEUS verax eſt in comminationibus, ita etiam in promiſsionibus Rom. 3. verſ. 3. *Nunquid incredulitas illorum fidem DEI evacuabit?* verſ. 4. *abſit, ſit autem DEUS verax & omnis homo mendax.* 2. Tim. 2. verſ. 13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt.* 1. Johan. 5. verſ. 10. *Qui non credit DEO, mendacem facit eum.* Ut ergò extra Chriſtum peccatoribus impœnitentibus & incredulis certa damnatio imminet vi divinæ comminationis Joh. 3. verſ. 36. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum*: ita in Chriſto certa ſalus propoſita eſt pœnitentibus & credentibus vi divinæ promiſsionis: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.* 4. *Proprietas divinarum promiſſionum.* Diabolicarum promiſſionum proprium eſt, quod ſint dubiæ, incertæ, ambiguæ & mendaces, ut teſtantur oracula Apollinis Delphici &c. Sed divinarum promiſsionum hoc proprium eſt, quod ſint certæ, indubitatæ, immotæ & veraces. 5. *ὁμογένεια promiſſionum cum verbo revelato.* Ut de toto verbo univerſaliter vera eſt immota certitudo, ita etiam de hac parte verbi divini quæ continet promiſsiones Evangelicas. Matth. 5. verſ. 13. *Amen dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* Luc. 21. v. 33. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* 6. *Exempla certitudinis.* Nullum poteſt proferri exemplum, quòd DEUS promiſsiones ſuas non ſervaverit, exempla autem ſervatarum promiſſionum infinita extant, quinimò præter & contra naturæ ordinem ſæpius egit DEUS, ut promiſsiones ſuas impleret. Exempla iſthæc præcedentium ſunt confirmatio ſequentium. 7. *Similia*, quibus certitudo promiſsionum declaratur. Conferuntur enim cum *petra* firmiſsima, in qua extructa domus contra omnes ventorum ac tempeſtatum turbines ſtare poteſt immota Matth. 7. v. 25. Cum *terra firma*, cui anchora tutò infigi poteſt. Hebr. 6. v. 19. Cum *pacto,*

ſto, cujus finis eſt, ut ſit teſtimonium certitudinis Jerem. 31. v. 33. *Hoc erit pactum meum, quod feriam domui Iſrael, ero eis in Deum & ipſi erunt mihi in populum.* v. 34. *& propitiabor iniquitati eorum & peccati eorum non recordaber amplius*: Cùm *deſponſatione*, ut enim ſponſalia ſunt mentio & certa promiſſio futurarum nuptiarum: ita Deus deſpondet ſibi Eccleſiam & omnes verè credentes. Oſe. 2. v. 19. 8. *Diſcrimen humanarum ac divinarum promiſſionum.* Promiſſiones humanæ ſunt incertæ ac lubricæ, quia omnis homo mendax, ſed DEUS eſt ipſa veritas. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur, aut ut filius hominis, ut pœniteat eum: ipſe dixit & non faciet, locutus eſt & non ſtabiliet illud?* Num. 23. v. 19. Hæc omnia evidenter probant Evangelicis illis promiſſionibus firmâ fide adhærendum eſſe. Ceterum quamvis in hac vita ſemper deprehendatur carnis infirmitas, tamē monente doctiſs. D. Chemnit. doctrina de certitudine gratiæ per eam non labefactatur, cùm duæ cauſæ ſint, propter quas conceſſâ illâ fidei infirmitate ex corrupta noſtra carne orta, nihilominus doctrina de fiducia certa & firma proponatur, primò ut ſciamus quicquid ſentitur dubitationum, id non eſſe de Natura fidei, ſed pertinere ad corruptam carnem, deinde ne indulgeamus illis dubitationibus, nec jactemus eas, quaſi virtutes fidei, ſed cum illis luctemur & fidem augeri quotidie petamus. Excipit Bellarmin. lib. 3. de juſtif. c. 11. *promiſſiones Evangelii non eſſe gratuitas, ſed habere annexam conditionem noſtrorum operum ac meritorum.* At ſuo loco oſtendimus contrarium. Si dicant, *non poſſe nos promiſſionibus divinis certò credere propter Naturæ noſtræ infirmitatem.* Reſp. Certitudinem illam non fundari in noſtris viribus, ſed in Dei veritate & promiſſionum divinarum conſtantia. Ut ergò poſſumus credere non ex noſtris viribus, ſed per efficacem Spiritus ſancti operationem, qui per auditum Evangelii & uſum Sacramentorum fidem in nobis accendit, ita etiam de gratia Dei & remiſſione peccatorum per Spiritus ſancti efficaciam certi eſſe poſſumus. Ex his fundamentis Dn. Chemnitius in Examin. concilii rectè ſcripſerat, dicta illa Apoſtolica, *Juſtitia DEI in omnes & ſuper omnes qui credunt; ſi ex lege eſt hereditas, exinanita eſt fides & abolita eſt promiſſio; Ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio, &c.* non verba ſed fulmina eſſe contra Tridentinum decretum, id verò malè habet Bellarminum, ideò lib. 3. de juſtif. c. 9. teſtimonio quinto regerit: *1. Apoſtolum non loqui de fide, quâ quis credit ſibi remiſſa eſſe peccata, ſed quâ credimus Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe. 2. fidem eſſe quandam conditionem, ac proinde Evangelicas promiſſiones itidem eſſe conditionales. 3. neminem poſſe eſſe certum, ſe habere fidem illam quæ requiritur in juſtificatione, cùm hoc in nulla parte verbi Dei contineatur.* Sed inania iſta figmēta ſuo loco partim diſcuſſimus, partim adhuc diſcutiemus.

2. A juramenti divini ſtabilitate.

84. Alteram argumentorum claſſem conſtituit *juramenti divini ſtabilitas.* Deus non ſolùm promittit verè credentibus ſuam gratiam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam, ſed etiam juramento has promiſſiones ſuas confirmat, ne ulla de his ſuperſtes relinquatur dubitatio. Ezech. 33. v. 18. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat.* Joh. 5. v. 24. *Amen Amen dico vobis, qui ſermonem meum audit & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed à morte tranſivit in vitam.* Joh. 8. v. 51. *Amen Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Inde concludimus cum Epiſt. ad Hebr. c. 6. v. 16. *Homines per majorem jurant, & omnes controverſiæ eorum finis eſt juramentum.* v. 17. *In quo Deus abundantiùs volens oſtendere heredibus promiſſionis* (τὸ ἀμετάθετον) *firmitatem & immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit juſjurandum.* v. 18. *ut per duas res immobiles, in quibus fieri non poſſet, ut mentiretur Deus, validam conſolationem haberemus, qui confugimus ad tenendam propoſitā ſpem*; ubi accuratè obſervandum, quòd finis juramenti à DEO adhibiti conſtituatur iſte, ut firmam conſolationem habere poſſemus. Ut ergò conſilium Dei firmum & juramentum im̄obile: ita quoque noſtra conſolatio ex fide orta debet eſſe firma, certa & immota. Tertullianus lib. de pœnitent. *O beatos nos, quorum cauſâ jurat Deus, ô miſerrimos, ſi nec Deo juranti credimus.* Hieronymus tom. 2. Epiſt. 46. *Idcirco jurat Deus, ut ſi non credimus Deo promittenti, credamus ſaltem pro ſalute noſtrâ juranti.* Auguſtinus 16. de civit. Dei cap. 32. circa finem. *Quid eſt Dei vivi veraciſque juratio, niſi promiſſionis confirmatio & infidelium quædam increpatio?* In Pſal. 88. *Hoc dixit Deus, hoc promiſit, ſi parum eſt, hoc juravit. Quia ergò non ſecundùm merita noſtra, ſed ſecundùm illius miſericordiam firma eſt promiſſio, credamus & invocemus.* Rectè ergò concludit Lutherus in cap. 22. Geneſ. *Deum per juramentum à fide pontificiam & carnalem dubitationem avertere. Qui non credit Deo, mendacem facit eum.* 1. Joh. 5. v. 10. at non ſolùm mendacem ſed etiam perjurum.

3. A Sacramentorum utilitate.

85. Tertiam argumentorum claſſem ſuppeditat nobis *Sacramentorum utilitas.* Deus non ſolùm promiſit in verbo ſuam gratiam, ſed & promiſſioni huic addidit Sacramenta, ut ſint ſigilla promiſſionis gratiæ in verbo Evangelii oblatæ, ac media gignendæ, alendæ & cōfirmandæ fidei, quâ unuſquiſque certò ſtatuat, ad ſe in individuo Chriſti beneficia pertinere. Inde Sacramentum Circumciſionis dicitur *ſignaculum juſtitiæ fidei* Rom. 4. v. 11. eò quòd circumciſi verâ fide futurum Meſſiam expectantes de juſtitia & gratia deberent eſſe certi. In N. T. Baptiſmus & Cœna Dominica de ſpeciali applicatione gratiæ & beneficiorum Chriſti nos confirmant. Baptiſmus eſt ἐπερώτημα *bona conſciētia* εἰς Θεὸν. 1. Pet. 3. v. 21. quando in V. T. os Domini conſulebant, id dicebatur ἐπερωτᾷν, ita quoq; in Baptiſmo de benevolo Dei erga nos affectu certi reddimur. Gal. 3. v. 27. *Quicunq; in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* In ſacra Cœna accipimus certiſſimum pignus gratiæ divinæ & remiſſionis peccatorum noſtrorum, quia illud ipſū corpus manducam⁹, quod pro nobis in mortem traditum; illum ipſum ſanguinem bibimus, qui eſt in ara crucis pro peccatis noſtris effuſus. Certi igitur eſſe poſſumus, ad nos etiam bona illa pertinere, quæ Chriſt⁹ traditione ſui corporis & effuſione ſui ſanguinis in ara crucis promeruit. Vid. Ench. conſol. tent. 13. & ſeqq. Hûc pertinet privata Abſolutio, in qua pœnitentibus in ſpecie annunciatur peccatorū remiſſio, de qua dubitare

nec

nec debent nec poſſunt, qui fidem habent verbis Chriſti Matth. 18. v. 18. *Quæcunque ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo*, Johan. 20. v. 23. *Quorum remiſeritis peccata, illis remiſſa erunt.* Ideò Gerſon rectè diſputat, *Abſolutionem non in Optativo ſed in Indicativo modo pronunciandam eſſe.* Sic Chriſtus Matth. 9. v. 2. ad Paralyticum dicit: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, nimirum quia de certitudine gratiæ ipſum vult cõfirmare. Luc. 7. v. 48. ad peccatricem dicit, *Remiſſa tibi ſunt peccata tua.* v. 50. *Fides tua te ſalvam fecit.* Bellarm. lib. 3. de juſtif. cap. 11. reſp. ad 4. excipit, *Falſò hoc aſſumi, quòd Sacramenta inſtituta ſint præcipuè ad fidem ſuſtentandam & nos certos de voluntate Dei reddendos*: at contrarium demonſtrabimus ſuo loco. Quid clarius pronunciatur illo Apoſtolico, Circumciſio fuit σφραγὶς ſignaculum juſtitiæ fidei? Deinde addit, *Sacramenta eſſe quidem non ſolùm cauſas, ſed & ſigna infallibilia juſtificationis ex parte ſuâ, interim tamen effectũ eorum impediri per indiſpoſitionem ſuſcipientis, cùm ad ſalutarem eorum uſum requiratur fides & pœnitentia.* Reſp. Sanè per actualem impœnitentiam & incredulitatem impeditur ſalutaris fructus Sacramentorum, ſed verè pœnitentibus & credentib⁹ hoc nequit eſſe fraudi, quò minùs illis Sacramenta ſint promiſſionũ Evangelicarum ſigilla certiſſima. *At*, inquit Bellarminus, *non poteſt haberi certitudo fidei de intentione miniſtri, ſine qua non perficitur Sacramentum.* (inde Tannerus in colloq. Ratiſb. edit. Monac. f. 140. dicebat, *non tantum evidenter nõ eſſe verum, ſed etiam evidenter falſum, quod cuiquam certo & evidenter atque infallibiliter conſtare debeat, an rectè & verè baptizatus ſit nec ne, cum de intentione miniſtri nemo quicquam certi ſtatuere poſſit*) *neque de remotione omnis impedimenti, cum fieri poſſit, ut aliquis non ſit ſibi conſcius obicis & tamen reipſâ obicem ponat, cum affectum gerat ad peccatum aliquod lethale, quod eſſe peccatum ignoret.* Reſp. Hæc non ſunt petita ex fontibus Iſraëlis, ſed ex lacunis Scholaſticorum. Intentio miniſtri nec addit nec demit quicquam integritati vel efficaciæ Sacramenti, quippe quæ non pendet ex intentione adminiſtrantis, ſed ex intentione divina, quid enim ibi faciat miniſter malus, ubi bonus eſt dominus? Quod ad noſtram diſpoſitionem attinet, nunquam ea ad illum perfectionis gradum aſſurgit, ut digni ſimus beneficiis in Sacramento oblatis, interim tamen Deus ex immenſa miſericordia bonorum ſuorum participes facit eos, qui de admiſſis peccatis ſeriò dolent, & fide in Chriſtum Mediatorem ſeſe erigunt.

4. A Spiritus ſancti in cordibus teſtificantis veritate.

86. Quartam argumentorum claſſem præbet *Spir. S. in cordibus noſtris teſtificantis & promiſſionem obſignantis veritas.* Deus non ſolùm exteriùs in verbo teſtatur de ſua gratia credentibus in Chriſtum promiſſa, ſed etiam donat illis Spiritum ſanctum, *qui teſtimonium reddit Spiritui ipſorum, quod ſint Filii Dei*, ſicque interius eos confirmat de gratia Dei, de beneficiis Chriſti, ac de ſpeciali eorum applicatione. Rom. 8. v. 14. *Quicunq́; Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei.* v. 15. *non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis Filiorum DEI, in quo clamamus, Abba Pater.* v. 16. *ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſimus Filii Dei.* v. 17. *Si autem filii, utiq́; & heredes.* Gal. 4. v. 6. *Quoniam eſtis filii, miſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem Abba Pater.* 1. Cor. 2. v. 12. *Nos accepimus Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſint nobis.* 2. Cor. 1. v. 21. *Qui confirmat nos vobiſcum* (βεϐαιῶν ἡμᾶς) *in Chriſtum, & qui unxit nos Deus.* v. 22. *qui & ſignavit nos* (σφραγισάμενος) *& dedit arrhabonem Spiritus in cordibus veſtris.* Eph. 1. verſ. 13. *Credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* v. 14. *qui eſt arrhabon hereditatis noſtræ.* Eph. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum, quo ſignati eſtis in diem redemtionis.* Ex his larga ſeges argumentorum nobis naſcitur. Verè credentes ſunt templa & habitacula Spiritus ſancti, atqui is eſt Spiritus adoptionis filiorum, utiq; ergò teſtimonium illis dat, quòd ſint Filii Dei. Lutherus in cap. 4. Gal. *Filius Dei Chriſtus certiſſimus eſt ſe placere Deo. Ergò & noſtra corda certa eſſe debent, quod placeamus DEO, quia eundem Spiritum, in quo Chriſtus certus eſt, & nos habemus & certi eſſe debemus propter Chriſtum, qui certus eſt ſe eſſe in gratia.* Ibid. *Chriſtus placet Deo, Ergò & nos, qui hæremus in Chriſto, placemus DEO propter Chriſtum. Etſi peccatum hæreat in carne, tamen gratia uberior eſt & potentior peccato.* Spiritus ille credentibus datus eſt Spiritus υἱοθεσίας, non autem Spiritus ſervitutis, expellit igitur timorem ſervilem, incertitudinem & dubitationem, contrà verò fiduciam & certitudinem in cordibus generat ille Spiritus in nobis & nos per illum clamamus, Abba Pater: hic clamor non oritur ex dubitatione, ſed ex plena fiducia. Clamare enim non eſt cum dubitatione & meticuloſè aliquid proferre, ſed clarâ voce teſtari, ſe agnoſcere Deum Patrem eſſe dilectiſſimum & tali fiduciâ eum invocare. Spiritus ille teſtatur συμμαρτυρεῖ teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſimus Dei Filii, ergò non per moralem quandam certitudinem, non per conjecturalem quandam opinionem, ſed ex ipſius Spiritus ſancti teſtimonio credentes ſciunt ſe eſſe Dei Filios. 1. Joh. 5. v. 9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Ad illuſtrandam illam certitudinem, quam Spiritus S. in cordibus operatur, adhibentur ſimilitudines *obſignationis, pignoris & arrhabonis.* Credentes dicuntur Spiritu S. σφραγισθέντες; σφραγίζειν ſignificat ſigillo aliquid confirmare. Eſt autem ſigillorum & obſignationis uſus, non ut incertos & dubios faciãt homines, ſed ut oſtendant fidem & certitudinem eorum, quibus adhibentur. *Quis uſus in ſigillo legitimus* (ſcribit Weſſelus Groningenſis lib. de incarn. & paſſ. cap. Quomodo operamur cibum, qui non perit) *niſi credere? propterea ſigilla teſtimoniorum loco adhibentur, ut eis tanquam teſtimonio fideli fidatur, ita quoque qui accipit hoc teſtimonium Spiritus, ſignavit quod Deus verax ſit* Joh. 3. v. 33. Certum eſt, promiſſiones Evangelicas editas eſſe per Spiritum S. ut igitur credentes certi ſint, ad ſe quoque pertinere promiſſiones illas, ideò idem ille Spiritus, per quem priùs editæ ſunt, datur in corda eorum, ac promiſſiones divinas interius obſignat. Pignus dari ſolet creditori ad confirmationem ſolutionis, ita Deus iniit nobiſcum fœdus, quod velit nos heredes vitæ æternæ ſcribere, ſed cùm in hac vita laboremus adhuc ſub cruce, & luctemur cum infirmitate carnis, ideò pignoris loco dat S. S. qui certos nos

faciat

faciat de impletione promiſſionis. Dulciſſima cumprimis eſt arrhæ appellatio. Quemádmodum ſponſus, qui fidem conjugalem dedit ſponſæ, arrham ei donat, quæ eſt pignus futurarum nuptiarum: ita DEUS ſe nobiſcum *deſponſavit* Hoſ. 2. v. 19. ſed *nondum apparuerunt nuptiæ agni* Apoc. 19. v. 7. Deus ergò dat oobis *arrham* nobiliſſimam, ſcil. Spiritum S. ut corda noſtra confirmet, fore, ut ad nuptias Agni olim vocemur. Quid ad hanc lucem Bellarminus? Argumentum integrum non attingit, ſed locum unum itemque alterum de interno Spiritus ſancti teſtimonio examinat. Dictum Apoſtolicum Rom. 8. v. 16. *Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quòd ſimus Filii Dei*, & enervare conatur hoc modo. *Duæ* (inquit) *ſunt hujus loci expoſitionca, ut etiam duæ lectiones. Una lectio eſt latini codicis, quæ habet, Spiritum ſanctum teſtimonium reddere Spiritui noſtro: altera eſt codicis græci, quæ habet, Spiritū S. ſimul teſtari cum Spiritu noſtro, αὐτὸ τὸ πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν*: juxta priorem reſpondet, *Spiritum ſanctum atteſtari Spiritui noſtro, quod ſimus Filii Dei, ſed hoc teſtimonium non eſſe per verbum aliquod expreſſum, id eſt, per revelationem. ſed per experimentum cujuſdam ſuavitatis & pacis internæ, quæ non gignit certitudinem niſi conjecturalem.* Reſp. Eóne abſurditatis prolabetur Bellarminus, ut ſtatuat hoc Spiritus ſancti teſtimonium eſſe extra verbum Dei ac gignere tantùm conjecturam quaodam dubiam & incertam? Illud ipſum, quod Spiritus S. exteriùs teſtatur in verbo, idem etiam obſignat hoc ſuo teſtimonio interiùs in corde. Quicquid Spiritus S. profert & teſtatur, illud eſt Dei verbum, cùm Spiritus S. ſit verus Deus. Jam verò internum illud teſtimonium eſt Spiritus ſancti alloquium & teſtimonium, utique ergò eſt Dei verbum. Nec conjecturalem taotùm, ſed immotam certitudinem illud teſtimonium gignit, quia Spiritua S. eſt *Spiritus veritatis* Joh. 15. v. 26. juxta poſteriorem lectionem reſpondet Bellarmninus, *teſtimonium Spiritus nihil eſſe aliud niſi ipſam orationem, quâ dicimus, Abba Pater, atque hanc interpretationem dicit eſſe græcorum Patrum.* Reſp. Imò verò Patres græci Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus per illud teſtimonium Spiritua disertè intelligunt ipſum Spiritum S. credentibus donatum, & internam illam gratiæ per eaodem obſignationem, cujus conſequens demum eſt illa fiducialis oratio. Utrumq; enim tribuit Apoſtolus Spiritui S. quòd & *teſtimonium reddat Spiritui noſtro de υἱοθεσίᾳ & interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, ita ut per illū clamemus, Abba Pater*; hæc ergò diſtincta Spiritus S. opera non ſunt confundenda. Sed demus ex hypoteſi per teſtimonium Spiritus intelligendam eſſe orationem illam, quâ clamamus, Abba Pater, quid inde lucratur Bellarminus? Certè illa oratio præſupponit internam gratiæ divinæ obſignationem per Spiritum S. 1. Cor. 12. v. 3. *Nemo poteſt Ieſum vocare Dominū niſi in Spiritu S.* Duplex ergò eſt Spiritus S. teſtimonium, quod in nobis operatur, internum & externum. Internum, quando interiùs ſuo teſtimonio nos confirmat, quòd ſimus in gratia Dei, ex quo pax & tranquillitas conſcientiæ oritur, jubilus & exultatio in Deo: Exteroum eſt, quando ſequuntur fructus hujus interni teſtimonii, quales ſunt, ardens oratio, amor verbi, ſtudium pietatis, patientia in cruce, &c. externum hoc teſtimonium non tollit, ſed præſupponit internum. *At*, inquit Bellarminus, *quod ſit Spiritus ſanctus, qui nos movet, cùm dicimus, Abba Pater, non conſtat nobis ex fide divina, ſed ex conjecturis tantùm, quæ fallaces eſſe poſſunt; multi enim peccatores & hæretici dicunt, Pater noſter qui es in cœlis.* Reſp. Hypocriſis & perverſitas aliorum verè piis & in Chriſtum credentibus nequit eſſe fraudi. Qui aguntur Spiritu Dei, illi certè impulſum iſtum ſentiunr. Qui verè in Chriſtum credunt, illi ſe credere ſciunt. Qui Spiritu S. obſigoati ſunt, illi certè ſummum hoc dooum ac bonum agnoſcunt. Hypocritæ imitantur etiam externa opera piorum, abſit tamen, ut propterea dicamus, verè pios & in Chriſtum credētes neſcire, an opera ipſorum ſint hypocritica vel in Deo facta. Fortè jubebit nos tandem Bellarminus dubitare, num ſimus homines, cùm ſpectra interdum ſpecie humanâ appareant. *Certum quidem eſt* (ſcribit D. Chemnit. in Exam. p. 1. pag. 307.) *non omnes humani animi cogitationes & impetus eſſe motus & impulſus S. S. ſed quia verbum Evangelii eſt miniſterium Spiritus.* 2. Cor. 3. v. 6. *& ex auditu fidei Spiritus accipitur.* Gal. 3. v. 2. *teſtificationem igitur in mente credentium ex fide ſecundum promiſſionem Evangelii conceptam certum eſt eſſe obſignationem Spiritus ſancti, ſicut Paul. inquit: Poſtquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Eph. 1. v. 13. Ad locum Apoſtol. 1. Cor. 2. v. 12. *Nos non accepimus Spiritum mundi, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis:* Reſpondet, *non agi in eo de notitia beneficiorum Dei, quæ in particulari ad hunc aut illum pertinēt, ſed de notitia beneficiorum Dei, quæ Deus præparavit electis ſuis, qualia ſunt inprimis hæreditas & gloria regni cœlorum.* Reſpond. Credentes in Chriſtum non ſolùm in genere ſciunt præparatam eſſe electis vitæ æternæ hæreditatem, ſed etiam in ſpecie ſciunt ſibi eam eſſe præparatam, illud norunt ex revelatiooe verbi, hoc verò ex interno Spiritus S. teſtimonio, ſicut teſtantur exempla verè credentium, utpotè Jobi: *Scio quod redemtor meus vivit &c.* Apoſtuli Pauli, *Scio cui credidi &c.* Johannis, *Particeps in tribulatione & regno &c. Vos ipſos tentate*, ſcribit Apoſt. 2. Cor. 13. v. 5. *an ſitis in fide, ipſi vos probate, an non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis.* Utiq; ergò verè credentes ſcire poſſunt an ſint in fide, & an Chriſtus per fidem in ipſis habitet. Bellarm. regerit, *Apoſtolum loqui de præſentia Chriſti apud Corinthios, non ſecundùm gratiam gratum facientem. ſed ſecundum potentiam, providentiam, miracula, quæ apud illos faciebat: Cum n. eos in toto hoc capite & præcedentibus reprehendat, quomodo conſequens eſſet, ut affirmare vellet omnes illos eo tempore juſtos fuiſſe?* Reſp. Chriſtus erat apud Corinthios non ſolùm præſentiâ potentiæ, ſed etiam gratiæ, ac *per fidem in* quorundam *cordibus verè habitabat.* Epheſ. 3. verſ. 17. Illos igitur admonet Apoſtol. ut ſe ipſoa probent, an ſint in fide. Quamvis enim paſſim eos reprehendat, tamen propter pios in ipſorū cœtu adhuc reliquos, & propter converſionem eorum, qui deliquerant, honorifica elogia illis tribuit, ut ex utraque Epiſtola liquidò apparet. ** Quod eſt proprium reproborum, id à veria Chriſtianis quuq; longiſſimè abeſſe debet. Non

cognoſcere, quod ſis in fide, & quod Chriſtus in te ſit, eſt reprohorum proprium teſte de Apoſtolo. Ergo.**

5. Ab exauditionis promiſſæ infallibilitate.

87. Quintum argumentum conſtituit *exauditionis promiſſæ infallibilitas.* Promiſit Chriſtus, interpoſito etiam juramento, quicquid à Patre in nomine ſui petimus, illud datũ nobis iri Matthæi 18. v. 19. cap. 21. v. 22. Johan. 16. v. 23. Jam verò in oratione Dominica ex ipſius Chriſti inſtitutione petimus remiſſionem peccatorum Matth. 6. v. 12. utique ergò de ea certi eſſe poſſimus. Pſal. 27. v. 8. *Cor meum proponit tibi verbum tuum.* Excipit Bellarminus 1. de juſtificat. cap. 11. §. illud Marci, *intelligendas eſſe promiſſiones exauditionis cum illa conditione, ſi benè petamus, & ſi expediat illud nobis dari.* Reſp. Benè eſt, conditio hæc additur in ipſis Scripturis ſacris, 1. Joh. 5. v. 14. *Hæc eſt fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ipſius, audit nos.* v. 15. *Scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulavimus ab eo.* Jac. 4. v. 3. *Petitis & non accipitis, eò quod malè petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Sed hæ cõditiones non labefactant certitudinem exauditionis in animis fidelium, ſciunt enim ſe in vera pœnitentiâ & fide petere, ideò etiam non *heſitant,* non *fluctuant* dubitationib' Marc. 11. v. 24. Jacob. 1. v. 6. ſed de exauditione certi ſunt, in petitione corporalium divinæ voluntati ſeſe ſubjicientes, ac ſeſe ſemper exaudiri credentes, ſi non ad voluntatem tamen ad ſalutem. Qui de paterna Dei voluntate adhuc dubitat, quomodo in Spiritu & ex fide vel initium vel finem Dominicæ orationis pronunciare poterit? Quomodo is Deum appellabit Patrem, qui dubitat an ſit apud eum in gratia? quomodo adjiciet Amen, qui adhuc dubitat, an ſit exauditus, cùm vox illa non ſolùm ſit optantis ſed etiam confirmantis. ** In quæſtione de perſeverantia notandũ quod Rom. 8. inter ea, *quæ non poſſunt nos ſeparare à dilectione Dei* connumerentur etiam futura.**

6. A veræ fidei proprietate.

88. Sextam argumentorum claſſem ſuppeditat *veræ fidei proprietas.* Fides enim eſt ὑπόστασις, πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία, θάρσος, ut oſtendimus ſuperiùs, at hæc omnia dubitationi ſunt oppoſita Rom. 8. v. 38. *Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla alia creatura poterit nos ſeparare à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto.* Fundamenta illius πεποιθήσεως præmittuntur, primò quia *Deus pro nobis,* habemus potentiſſimum protectorem, ex cujus manib' nemo nos eripere poterit. ** Baſil. in ethic. defin. 8. tom. 2. p. 201. *Non eſſe heſitandum ac dubitandum in iis, quæ à Domino dicuntur, ſed pro certo habendum, quodcunque Dei verbum verum eſſe & potens etiamſi Natura reclamet, nam hic certamen eſt fidei.* Bernh. Epiſt. 190. *Petrus Abailardus hæreticus in primo limine Theologiæ ſuæ vel potius ſtultilogiæ fidem definit æſtimationem, ſtulti ergo Martyres noſtri ſuſtinentes tam acerba propter encerta.* Et mox. *Sed abſit, ut putemus in fide vel ſpe noſtra aliquid ut ipſe putas, dubia æſtimatione pendulum & non magis totum, quod in eo eſt, certâ ac ſolidâ veritate ſubnixum &c.*** Secundò, *qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, qui fieri poteſt, ut non & cum eodem omnia nobis?* id quod longè cariſſimum in cœlo ac terra erat, pro nobis tradidit, ut de dilectione ejus certi eſſemus: tertiò *Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis,* ubi ab efficiente juſtificationis, à morte, paſſione, ſeſſione ad dextram Dei & interceſſione Chriſti argumenta certitudinis petuntur, tandem additur, *Quis nos ſeparabit à dilectione Dei? πέπεισμαι, certò perſuaſus ſum, quòd neque mors, neque vita &c. ſeparare nos poſſit.* Epheſ. 3. v. 12. *In Chriſto habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem ejus.* 1. Joh. 3. v. 14. *Scimus quod tranſlati ſumus à morte in vitam, quia fratres diligimus.* cap. 4. v. 13. *in hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* cap. 5. v. 10. *qui credit in Filium Dei, teſtimonium habet in ſe ipſo.* ** 1. Joh. 5. v. 13. *Hæc ſcripſi vobis qui creditis in nomen Filii Dei ut ſciatis vos vitam æternã habere.* Hæc ſcientia non eſt communis ſeu mixta ſed ſingularis ſeu ſpecialis. Gal. 2. v. 20. *Vivo per fidem illam Filii Dei,* nec eſt conjecturalis, incerta & fallax ſed infallibilis ac certa. Rom. 4. v. 20. Bernhard. lib 4. de conſid. cap. 3. *Fides ambiguum nõ habet, aut ſi habet, fides non eſt ſed opinio.* Thom. p. 2. q. 4. art. 8. *Major eſt fidei certitudo quàm ſenſus aut ſcientia.*** Excipit Bellarminus 3. de juſtif. cap. 9. 1. Rom. 8. *loqui Apoſtolum vel de prædeſtinatis in genere, vel de ſe in particulari & aliis ſui ſimilibus, ſed per illud certus ſum, non intelligi certitudinem fidei divina, ſed perſuaſionem quandam & confidentiam, ad quam gignendam ſatis ſit certitudo conjecturalis, atque hunc eſſe ſenſum verbi πέπεισμαι.* *Exceptiones Bellarmini.* Reſp. Piſtorius in hodeg. p. 201. atq; alii ex Pontificiis ſtatuunt. ** (Duræus lib. 8. contra Witak. f. 259. *Paulum ex peculiari revelatione ſciviſſe quod ſit Deo dilectus atque peccata ſibi remiſſa dicit, ut eſſet exemplar his qui credituri eſſent. Rom. 8. oſtendit unde hanc fiduciam concepit, non ex revelatione aliqua, ſed ex promiſſione gratiæ, quod Chriſtus mortuus.*) ** *Paulum fuiſſe certum de ſua prædeſtinatione ex peculiari revelatione,* ſed eorum ſententiam deſerit hoc loco Bellarminus, & quidem rectè, quia Apoſtolus manifeſtè ſeipſum cum aliis conjungit, *Certus ſum,* inquit, *quòd neq; vita neq; mors nos poſſit ſeparare à dilectione Dei.* Sed non minùs falſa eſt illa Bellarmini exceptio, *quòd Apoſtolus tantùm conjecturalem quandam certitudinem, non autem fidei certitudinem intelligat,* cùm expreſſè dicat. 2. Cor. 4. v. 13. *habentes eundem Spiritum fidei etiam nos credimus &c.* v. 14. *ſcientes quoniam qui ſuſcitavit Ieſum & nos cum Ieſu ſuſcitabit & conſtituet vobiſcum.* Ergò ex Spiritu fidei ſive ex fide certus hac de re fuit. ** Quod verbum πέπεισμαι qualemcunque exiſtimationem aut perſuaſionem abſq; fidei certitudine ſignificet, probare conantur Pontificii ex Rom. 15. v. 14. *perſuaſum habeo de vobis, quod & ipſi plens eſtis bonitate.* Reſp. Vocabulum πέπεισμαι dupliciter accipitur 1. *abſtractivè* & tunc ſæpe qualemcunque probabilem opinionẽ ſignificat. 2. *concretivè* vel materialiter & ſic pro diverſitate materię diverſã gaudet ſignificatione. Nam vocabula ἐκ πολλαχῶς λεγόμενα pro diverſitate ſubjectorũ diverſa obtinent ſignificata. Quando vox πέπεισμαι de aliis accipitur tum non δογματικὴν, ſed τεχνικὴν non fidei aut veritatis ſed

charitatis

charitatis perſuaſionem h. e. probabilem opinionem ſignificat, quia de proximo noſtro non à priori ſed tantū a poſteriori h. e. ex effectis ſive operibus judicare poſſumus quando autē de nobis uſurpatur certam & immotam perſuaſionem ſignificat, quę eſt certitudo fidei & veritatis, quia innititur fundamento immoto & imutabili videlicet promiſſione DEI & teſtimonio SS.) ** Quicquid ergò ſit de aliis locis, in quibus verbū *πέπεισμαι* uſurpatur, illud ex circumſtantiis hujus loci manifeſtum eſt, certam, indubitatam & immotam perſuaſionem ſive fiduciam per illud hic denotari, dicit enim, *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accuſabit? quis condemnabit? quid nos ſeparabit a dilectione Dei?* tandem addit illud *πέπεισμαι*. De illa fidei certitudine etiam alibi uſurpatur. Rom. 14. v. 14. *οἶδα καὶ πέπεισμαι, Scio & perſuaſus ſum in Domino Ieſu, quia nihil commune per ipſum, niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.* 2. Tim. 1. v. 12. *πέπεισμαι, quia potens eſt Deus depoſitum meum ſervare in diem illum &c.* 2. Eph. 3. dicit per *παῤῥησίαν intelligi quidem audaciam ortam ex quadam ſumma & infallibili certitudine, ſed eam certitudinem non eſſe de juſtitia noſtra, ſed de veritate myſteriorū fidei, utpotè quòd certi ſumus Chriſtum pro nobis natum, paſſum, mortuum eſſe &c. indeq; audemus confidenter accedere ad thronum gratiæ & ſperare a Deo indulgentiam, juſtificationem & alia beneficia.* Reſp. Acceptamus quod dat, *παῤῥησίαν* oriri ex ſumma & infallibili certitudine; at, quod addit, fidem eſſe tantummodò generalem aſſenſum, non autem ſpecialem fiduciam, illud ex falſa hypotheſi procedit, & textui disertè repugnat, dicit enim Apoſtolus de ſe & aliis fidelibus. *In Chriſto habemus τὴν παῤῥησίαν καὶ τὴν προσαγωγὴν ἐν πεποιθήσει διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ.* Ergò ex fide illa generali, quæ ſtatuit Chriſtum pro genere humano paſſum ac mortuum eſſe, naſcitur illa ſpecialis, quâ quiſque fidelium in individuo cum Apoſtolo ſic loquitur, Gal. 2. v. 20. *Chriſtus dilexit me & tradidit ſeipſum pro me.* ideò non dubitat ad ſe quoq; Chriſti beneficia pertinere, eademq; in verbo Evangelii offerri, quæ proinde in ſpecie ſibi quoque applicat. Ex hac ſpeciali beneficiorum Chriſti applicatione, non autem ex generali illo & hiſtorico aſſenſu naſcitur *παῤῥησία καὶ προσαγωγὴ.* 3. 1. Joh. 3. dicit, *Per vocabula ſcimus & cognoſcimus nō intelligi certitudinem fidei divinæ, ſed eam quæ ex ſignis & conjecturis oritur.* Reſp. Imò verò ea certitudo intelligitur, quæ ex interno Spiritus ſancti teſtimonio oritur, ſic enim disertè Apoſtolus: *In hoc cognoſcimus, quod in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*, proinde verè credentes in Chriſtum utrumque ſciunt, ſcilicet & habere ſe Spiritum S. & manere ſe in Deo, neque hæc eſt conjecturalis quædam, ſed immota omninò certitudo. Aliud eſt fides & ſcientia, aliud opinio & conjectura. *At*, inquit Bellarminus, *quamvis B. Iohannes loquatur in prima perſona, tamen ſententiæ illæ ſunt generales, non particulares, ſignificant enim eos translatos eſſe de morte in vitam, qui diligunt fratres, & eos in Deo manere & Deum in ipſis, qui habent in ſe Spiritum Dei, & denique eos ex Deo eſſe, qui juſtè & ſanctè vivunt. Loquitur autē Iohannes in prima perſona, quia bona ſpe confidebat, ſe unum ex illis eſſe, qui diligunt fratres, qui habent Spiritū Dei, & qui ſunt ex Deo, ſicut etiam S. Paulus, cùm loquitur de prædeſtinatis, ferè ſemper ita loquitur, quaſi certus eſſet, non ſolum ſe, ſed etiam illos omnes ad quos ſcribit, in numero electorum fuiſſe, quia videlicet id cupiebat & ſperabat.* Reſp. Confunduntur duæ diſtinctæ quæſtiones. Loquitur omninò B. Apoſtolus de ſe & ſui ſimilibus, hoc eſt, verè renatis, verè in Chriſtum credentibus & fidem ſuam per dilectionem comprobantibus, de illis non erat *quaſi* certus, ſed verè & indubitatè certus, quòd ſint translati à morte in vitam, quòd ſint ex Deo, & quòd Deus in ipſis maneat. Alia verò quæſtio eſt, quinam fuerint illi verè renati, illi verè in Chriſtum credentes, illi fidem ſuam per dilectionem comprobantes; ſeipſum in eorum numero eſſe Apoſtolus non erat *quaſi* certus, ſed veriſſimè certus ex teſtimonio Spiritus, de aliis benè ſperabat ex judicio caritatis. *ἀσύστατον* igitur eſt & *ἀνακόλουθον* ſic inferre. Apoſtol. non noverat de aliis certitudine fidei ſive ſpeciali aliqua revelatione, quod ſint verè renati & verè credentes. E. nec de ſe illud noverat, ſed tantum id cupiebat & ſperabat. Item: Apoſtol. non noverat quinam ex aliis verè in Chriſtum crederent. Ergo de ſe & aliis verè in Chriſtum credentibus dubitabat, an ſint in gratia. ** Petrus interrogatus *an Chriſtum plus diligeret quàm reliqui, reſpondet: Domine tu ſcis quod amem te.* ex quo apparet 1. ſcire poſſe, an Chriſtum verè diligamus, nec ne. 2. non poſſe de aliorum cordibus perinde judicari ut de noſtro, non addit Petrus, quod plus diligat Chriſtum: nemo enim novit quod ſit in homine, niſi Spiritus qui eſt in homine. ** 4. 1. Joh. 5. dicit. *Apoſtolum non loqui de teſtimonio noſtræ juſtificationis, ſed de teſtimonio divinitatis Chriſti.* Reſp. Subordinata hæc ſunt. nequaquam verò pugnantia, cùm de utroque teſtimonio Apoſtolus loquatur, ut ex ſerie contextus apparet. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt* (ubi manifeſtum eſt, intelligi fidem illam ſpecialem, quâ ſtatuimus Chriſti beneficia ad nos pertinere, ipſum eſſe noſtrum Mediatorem, per quem in gratiam recipiamur; generalis & hiſtorica fides nondum ſufficit ad regenerationem) Si omnis qui credit Jeſum eſſe Chriſtum, natus eſt ex Deo, utique is qui credit, teſtimonium habet in ſeipſo, quod ſit ex Deo natus. v. 2. *in hoc cognoſcimus, quoniam diligimus Filios Dei, cùm Deum diligamus & mandata ejus ſervemus.* Si ex dilectione Dei & proximi intelligitur fides & ex fide *ἐνέργεια*, utique ergò qui credit & diligit, teſtimonium habet in ſeipſo, quòd ſit Dei Filius, i. e. ex Deo natus & juſtificatus. v. 4. *Omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum, & hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra.* v. 5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus?* Si is qui vincit mundum, i. e. reſiſtit tentationibus carnis, Satanæ ac mundi, verè credit & ex DEO natus eſt, utique is qui vincit mundum, teſtimonium habet in ſeipſo, quòd ſit ex Deo natus v. 8. *Tres ſunt qui teſtimoniū dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis*: ubi per Spiritum miniſterium verbi, per aquam & ſanguinem Sacramentum Baptiſmi & Cœnę Dominicę potiores interpretes accipiunt. Atqui in illis non ſolùm Chriſti divinitati, ſed etiam gratię Dei per Chriſti ſatisfactionem & meritum nobis partæ teſtimonium redditur; qui ergò credit, hoc eſt, verâ fide promiſſa in Evangelio bona complectitur,

ſtitur, & hanc fidem uſu Sacramentorum confirmat, is teſtimonium habet in ſeipſo. v. 11. *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt.* v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam.* Hîc diſertè exprimit Apoſtolus, quodnam teſtimonium intelligat, videlicet non ſolùm de divinitate Chriſti, ſed etiam de ſalutari ejus officio, quòd dederit nobis Deus in Filio ſuo vitam æternam; qui ergò hunc Filium fide recipit, in cujus corde per fidem Dei Filius habitat, is utique teſtimonium habet in ſeipſo, quòd ſit Dei Filius & heres vitæ æternæ. v. 13. *Hæc ſcripſi vobis ut ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii DEI.* verſ. 19. *Scimus quoniam ex DEO ſumus.* verſ. 20. *Scimus quoniam Filius DEI venit & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verũ Deum, & ſimus in vero Filio ejus, hic eſt verus Deus & vita æterna*, ubi apertiſſimè tribuitur credentibus in Chriſtum, non quòd dubitent, ſpingantur, fluctuent, ſed quòd ſciant ſe eſſe ex Deo & habere vitam æternam in Chriſto. Atque hæc ſunt teſtimonia Scripturæ, quibus aliquid reſpondere conatus eſt Bellarminus, ſuperſunt autem longè plura, quæ teſtantur fidei propriam eſſe fiduciam, certitudinem, firmitatem &c. Jobi 19. v. 25. *Scio* ידעתי jadáchthi, *quòd Redemtor meus vivit & in carne mea videbo Deum &c.* (quâ fide Jobus ſcit Redemtorem ſuum vivere, eadem etiam credit ſe Deum in carne ſua viſurum) Rom. 4. v. 16. *ideò ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini* εἰς τὸ εἶναι βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν (promiſſiones legales in ſe & ex ſe itidem ſunt ſatis firmæ, ſed quia conditionem perfectæ obœdientiæ additam habent, ideò nobis non ſunt ratæ ac firmæ, ſed redduntur nobis inutiles; at promiſſiones Evangelicæ, quia ſunt gratuitæ, ideò nobis ſunt firmæ) Roman. 5. v. 1. *Juſtificati fide pacem habemus ad Deum per Jeſum Chriſtum.* v. 2. *per quem habemus acceſſum fide in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei.* v. 3. *non ſolùm autem hoc, ſed & gloriamur in tribulationibus* (illa tranquillitas conſcientiæ, illa fiducialis προσαγωγὴ, illa καύχησις in tribulationibus, non habet locum, niſi præſupponatur certitudo gratiæ divinæ & juſtitiæ imputatæ) Rom. 14. v. 5. *Quisque in ſua mente certus ſit* πληροφορείσθω (at πληροφορία illa in uſu adiaphororum non habet locum, niſi certi ſimus nos eſſe apud DEUM in gratia) 2. Corinth. 3. v. 12. *habentes talem ſpem, multâ fiduciâ utamur* πολλῇ παῤῥησίᾳ 1. Tim. 1. verſ. 15. *Certus ſermo & dignus quem modis omnibus amplectamur*, πιστὸς καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *quòd Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere* (ſi promiſſio ipſa eſt certa & immota, utique etiam firmâ fiduciâ erit amplectenda) 2. Timoth. 1. v. 7. *Non dedit nobis DEUS Spiritũ timoris ſed roboris.* Hebr. 3. v. 6. *Domus DEI ſumus, ſi fiduciam & gloriam ſpei usque ad finem firmam retineamus* τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος βεβαίαν. Hebr. 4. verſ. 16. *Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur.* Hebr. 10. v. 19. *Habentes fiduciam ad introitum Sanctorum in ſanguine Chriſti.* verſ. 22. *Accedamus cum vero corde* ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *in plenitudine fidei.* verſ. 23. *ac teneamus ſpei noſtræ confeſſionem* ἀκλινῆ *immotam & non vacillantem, fidelis enim eſt, qui promiſit* (ubi obſerva ex fidelitate & firmitate promiſſionis deduci firmitatem noſtræ fidei, ſicut & Rom. 1. v. 17. *juſtitia DEI revelari* dicitur *ex fide in fidem*, id eſt, ex fide promittentis in fidem credentis) Hebr. 13. v. 9. *Bonum eſt gratiâ ſtabiliri cor* βεβαιοῦσθαι. 1. Pet. 1. v. 13. *Perfectè ſperate in eam quæ offertur vobis gratiam in revelatione Jeſu Chriſti.* Breviter, referenda hûc dicta omnia, quæ probant fidem eſſe fiduciam. Bellarminus 3. de juſtificat. cap. 11. hoc ſolùm regerit, *fidem quidem eſſe certiſſimam, ſed remiſſionem peccatorum ſive juſtificationem uniuscujusque non pertinere ad fidem propriè dictam*, quâ de re quid ſtatuendum ſit, oſtendimus ſuo loco. Hûc referenda ſunt exempla ſanctorum Patriarcharum, Abelis, Henochi, Noæ, Abrahami & ſimilium, qui promiſſionibus Dei firmâ fide adhæſerunt, ac de gratia Dei certi fuerunt. Bellarminus excipit, *pauci illi & eximii viri fortaſſis peculiari revelatione certi fieri meruerunt de gratia, quam apud Deum invenerunt.* At hoc aſſeritur trepidante conſcientia, ut innuit particula dubitativa. Exempla illa Sanctorum Rom. 4. Hebr. 11. & alibi paſſim ad imitationem nobis proponuntur, ut & nos ſectemur veſtigia fidei eorum, ideò credentes dicuntur *eundem Spiritum fidei habere* cum Davide & aliis Sanctis 2. Cor. 4. v. 13. Non habuerunt pii Patriarchæ aliud Evangeliũ quàm nos habemus, ſed crediderunt in Chriſtum venturum, in quem nos credimus exhibitum, eâdem igitur Dei gratiâ in Chriſto & propter Chriſtum nobis promiſſâ ſunt ſalvati. Act. 15. v. 11. In negotio ſalutis peculiares quaſdam revelationes extra verbum fingere vel flagitare proximè accedit ad Enthuſiaſtas. Sanctiſſimos illos Patriarchas ſuas quaſdam revelationes habuiſſe non negamus, ſed in negotio juſtificationis & ſalutis non expectârunt novas revelationes, ſed verâ fide promiſſionem de ſemine mulieris contrituro caput ſerpentis amplexi & juſtitiæ & ſalutis eodem modo, quo & reliqui verè credentes, participes ſunt facti.

89. Septimam argumentorum claſſem ſuppeditat *dubitationis deformitas*, ſiquidem dubitatio 1. eſt peccatum contra primam Decalogi tabulam oppoſitum fidei in defectu, ejus propriũ eſt, non tribuere DEO laudem veritatis, dubitare de voluntate Dei revelata, de promiſſionibus divinis, de gratuita promiſſione remiſſionis peccatorum &c. arguere Deum mendacii & perjurii. 1. Joh. 5. v. 10. *Qui non credit DEO, mendacem facit eum.* 2. pugnat cum fide, quippe cujus propria eſt fiducia. Matth. 21. v. 21. *Si habueritis fidem, & non haſitaveritis.* 1. Tim. 2. v. 8. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus, ſine ira & diſceptatione* χωρὶς διαλογισμοῦ. Jac. 1. v. 6. *Poſtulet in fide nihil hæſitans, qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* verſ. 7. *non ergo æſtimet homo ille, quòd accipiat aliquid à DEO.* 3. pugnat cum pace & tranquillitate conſcientiæ, cum gaudio Spiritus, cum ſenſu gratiæ divinæ, cum gloriatione in afflictionibus &c. quæ omnia fide juſtificatis Scriptura tribuit. 4. oritur ex corrupta noſtra Natura, poſt lapſum enim homini naturale eſt, Deum fugere, averſari, de voluntate ejus dubitare: confirmat hanc dubitationem tentationibus ſuis Diabolus, is unicè in id intentus eſt, ut conſcientiis eripiat firmam conſo-

7. Adubitationis deformitate.

conſolationem, abducat eas à fide in Chriſtum & conjiciat in triſtiſſimas dubitationes, ac tandem etiam ad deſperationem adigat. 5. impedit ſpecialem promiſſionis Evangelicæ applicationem, ſine qua nulla gratia, nulla peccatorum remiſſio, nulla ſalus: impedit dilectionem DEI, veram invocationem; eſt mater deſperationis &c. Rectiſſimè igitur ſcripſit Lutherus in comm. Epiſtol. ad Galat. cap. 4. quòd *monſtrum dubitationis ſit opinio peſtifera & peſtilentiſſima, quæ doctrinam fidei obruat, fidem evertat, conſcientias perturbet, dona & beneficia Spiritus ſancti obſcuret, verum DEI cultum abroget, idololatriam, contemtum & blaſphemiam Dei in cordibus erigat &c.* & in cap. 41. Geneſ. *Etiamſi nihil præterea fuiſſet in doctrina Pontificia, quàm quòd docuerunt nos debere vagari & fluctuare ambigentes & dubios de remiſſione peccatorum, gratia & ſalute noſtra, juſtas tamen haberemus cauſas, cur ab Eccleſia infideli nos ſejungeremus.*

90. Atque hæc ſunt præcipua ſententiæ noſtræ fundamenta, quæ latiùs diducta & expoſita, vide in tractatu D. Sigfridi Sacci, quem de hac quæſtione edidit. Magd. Ann. 69. Bellarminus lib. 3. de juſtificat. cap. 9. & 11. alia inſuper pro noſtra ſententia Scripturæ dicta & rationum momenta producit, ſed quædam ex illis ſunt ἀπροσδιόνυσα, nec à noſtris, ſed ab Ambroſio Catharino uſurpantur. Quamvis verò non omninò nihil in reſponſionibus Bellarmini, quas dictis illis & rationibus opponit, deſiderari poſſit, hac tamen vice contenti erimus ſeptem illis argumentorum claſſibus, quas in medium jam adduximus & ab eluſionibus Bellarmini vindicavimus. Illud verò conſideratione indiget, quòd Bellarminus ſub finem c. 11. ſcribit, *Nullum eſſe Catholicum Scriptorem, qui doceat oportere homines perpetuò dubitare & hæſitare de ſua cum Deo reconciliatione.* Atqui dum certa fiducia gratiæ divinæ prohibetur, an non eo ipſo dubitatio præcipitur? dum jubentur homines fiduciam ſalutis in propria merita collocare, an non eo ipſo jubentur de ſua cum DEO reconciliatione & ſalute dubitare, cùm nemo certus eſſe poſſit, an unquam ſat meritorum habeat? quomodo ergò probat Bellarminus ſuum pronunciatum: *Tres* (inquit) *videntur numerari inter Catholicos ſententiæ, quarum una, quæ eſt Ambroſii Catharini, non ſolùm dubitationem omnem excludit, ſed etiam addit, poſſe juſtos habere de ſua juſtificatione certitudinem fidei divinæ, de qua ſententia non poteſt queri Chemnitius. Altera ſententia non docet quidem certitudinem fidei divinæ, affirmat tamen poſſe, imò etiam ſolere homines perfectos ad eam ſecuritatem venire, ut nullam habeant de ſua ſecuritate formidinem. De qua ſententia non video, cur Chemnitius queri poſſit, quanquam mihi hæc ſententia non probatur. Tertia ſententia quæ communior in Eccleſia eſt, non tollit quidem omnem formidinem, tamen tollit omnem anxietatem & hæſitationem, quinetiam ipſam dubitationem, ſi dubius dicatur, qui non audet alteri parti aſſentiri. Datur enim inter certitudinem fidei & anxietatem aliquid medium, videlicet certitudo quædam moralis ex parte intellectus & ſpes ac fiducia ex parte voluntatis, quam gignit bona conſcientia, contritio, caritas, ſtudium bonorum operum, Euchariſtiæ perceptio, viſitatio Spiritus ſancti &c. Hanc certitudinem libenter agnoſcimus, quæ non oritur ex præſumtione imputatæ juſtitiæ, neque eſt certitudo fidei Catholicæ, ſed oritur ex caritatis & operum bonorum experimento ac per hoc moralis & conjecturalis certitudo nominari poteſt.*

An Pontificii propugnent dubitationem.

Reſpond. 1. Bellarminus ipſe duas priores ſententias repudiat, ergò ex illis non poteſt probare, dubitationis dogma repudiari à Pontificiis. 2. Dubitare dicitur is, qui non totus propendet in partem alteram, ſed alteri ita aſſentitur, ut in contrariam etiam propendeat, inde ab Iſidoro in lib. Etymol. & aliis dubitatio definitur, quòd ſit *motus indifferens in utramque partem, contradictionis.* Item quòd ſit *æqualitas rationum contrariarum, quòd ſit acceptio utriusq; partis cum formidine, & ad neutram partem determinatio.* Jam verò Bellarminus & ipſius aſſeclæ ita jubent credentem ſperare de gratia Dei ut interim propter infirmitatem & indiſpoſitionem ſuam hæſitare debeat, an ſit in gratia, utique ergò dubitationem præcipiunt. 3. Imputationem juſtitiæ Bellarminus ridet, fidem ſpecialem exibilat, promiſſiones Evangelii merè gratuitas eſſe negat, quomodo ergò certitudinem gratiæ verè & ex animo aſſerere poteſt? 4. In cap. 9. præcedente teſt. 5. ſcribit: *Nemo certus eſt ex fide ſe fidem vivam habere,* teſt. 6. *quòd Spiritus S. ſit, qui nos movet, cùm dicimus, Abba Pater, non conſtat nobis ex fide divina, ſed ſolùm ex conjecturis, quæ fallaces eſſe poſſunt.* teſt. 7. *Paulum Apoſtolum non aliter de ſua, quàm de aliorum, ad quos ſcribit, fide & ſalute certum fuiſſe:* Quod ſi nemo certus eſt ex fide, ſe habere vivam fidem, ſi non conſtat nobis ex fide, ſed tantùm ex conjecturis, quæ poſſunt eſſe *fallaces*, quòd Spiritus ſanctus nos moveat, ſi de noſtra fide & ſalute non aliter poſſumus eſſe certi, quàm de aliorum, utique in perpetua dubitatione vivere cogimur. 5. Quæ verò eſt moralis & conjecturalis illa certitudo, quam Bellarminus concedit? cap. 2. hujus libri eam ſic deſcribit: *Secundum gradum certitudinis obſcura habent ea, quæ creduntur ob autoritatem humanam, ſed ita celebrem & confirmatam, ut omnem formidinem prorſus excludat, qualia ſunt Ciceronem & Virgilium fuiſſe inſignes viros, multas eſſe præclaras civitates in provinciis longè diſſitis &c. atque hæc dicitur certitudo fidei humanæ ſive certitudo moralis, quæ tametſi non tanta ſit, ut ei nullo modo falſum ſubeſſe poſſit, tamen tanta eſt, ut temerarius meritò judicetur, qui contra ſentiat aut diſputet.* (hanc certitudinem moralem de juſtificatione Bellarminus verbis hîc concedit, reipſa autem negat, ut apparet tum ex eo, quòd ſecundam ſententiam Catholicorum de illa certitudine repudiat, tum quòd formidinem propriæ diſpoſitionis perpetuò adeſſe diſputet cap. 11.) *Tertium gradum habent illa, quæ tot ſignis & conjecturis nituntur, ut hominem reddant ſecurum & anxietatem excludant, non tamen formidinem omnem expellant, atque hæc dicitur certitudo conjecturalis & OPINIONIS eſt potiùs quàm fidei.* (conjecturam igitur & opinionem tantùm de juſtificatione & gratia concedit Bellarminus, nequaquam verò certam & immotam fiduciam, illi conjecturæ & opinioni certitudinem aliquam tribuit, ut vim argumentorum noſtrorum quomodocunque effugiat, cùm revera ſint non ſolùm dubiæ & incertæ,

ſed etiam fallaces poſſint eſſe, ut ipſe Bellarminus diſertè ſcribit. Videamus tamen quid de certitudine in verbis præcedentibus hujus capitis diſputet.) *Duplex* (inquit) *certitudo in ſpe conſiderari poteſt: una ex parte voluntatis, altera ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo ſpei eſt firma adhæſio ad rem ſperatam & hæc maxima eſſe poteſt, etiamſi ex parte intellectus non ſit homo certus ſe rem illam conſecuturum: imò videtur ſpes non ſolùm non exigere, ſed nec ferre poſſe ex parte intellectus certitudinem abſolutam, nam quod certò ſcimus nos habituros, propriè non ſperamus ſed expectamus.* (Imò verò credentes & ſperare & expectare dicuntur futuram glorificationem, de qua certiſſimè ſunt perſuaſi. Rom. 5. verſic. 2. *Gloriamur in ſpe gloriæ Filiorum Dei.* Roman. 8. verſ. 24. *Spe ſalvi facti ſumus.* 2. Petri 3. verſ. 13. *Novos cœlos & novam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus*) *Itaque hæretici noſtri temporis, qui certitudinem abſolutam ex parte intellectus requirunt de juſtificatione & ſalute, nullum locum fidei relinquunt.* (imò verò fides amplectitur bona præſentia, ſpes expectat futura, fide apprehendimus Chriſtum & in Chriſto vitam æternam, ſed ſpe expectamus revelationem gloriæ Filiorum DEI: *nunc Filii Dei ſumus*, ſi filii utique & heredes, *nondum autem apparuit quid futuri ſimus*, ideoque ſpe adhuc illud expectamus. 1. Johan. 3. verſ. 1. & 2.) *Quamvis autem abſolutam certitudinem ſpes non requirat ex parte intellectus, tamen habet etiam ex parte intellectus duplicem certitudinem* (collocat Bellarminus ſpem in intellectu & voluntate, alibi tamen abſurdum eſſe ſtatuit unam eandemque virtutem eſſe in diverſis animæ potentiis, 1. de juſtificat. cap. 6.) *Prima certitudo oritur ex fundamento ſpei primario, quod eſt promiſſio. Certi enim ſumus, Deum non poſſe fallere, & ſi quidem nihil requireretur ad juſtificationem vel ſalutem niſi promiſſio Dei haberemus etiam de his rebus abſolutam & infallibilem certitudinem, tamen quia requiruntur etiam alia, de quibus non ſumus tam certi, ideò ſpes non expellit omnem timorem* (promiſſio ſalutis in Evangelio eo modo ac ſenſu eſt abſoluta, quod non requirat conditionem aliquam meritoriam ex parte noſtra, ſicut legales promiſſiones conditionem perfectæ obœdientiæ requirunt, interim tamen fatemur eos ſolummodò participes fieri bonorum in Evangelio promiſſorum, qui veram agunt pœnitentiam & fide in CHRISTUM ſe erigunt, poſſe autem verè credentes de ſua pœnitentia & fide certos eſſe ex propriæ conſcientiæ & Spiritus συμμαρτυροῦντος testimonio perſpicuum eſt, utique ergò fides & ſpes excludunt timorem illum ſervilem, qui oritur ex comminationibus legis, non tamen filialem, qui oritur ex fide.) *Altera certitudo ſpei ex parte intellectus oritur ex caritate, ac per hoc non convenit, niſi hominibus juſtis. Amicus enim ab amico omnia bona ſperare poteſt, neque periculum eſt, ne confundatur* (at credentes ſunt amici, imò Filii DEI, utique ergò infallibili certitudine norunt ſe eſſe in gratiâ DEI, cur ergò dubitarent? pergit Bellarminus) *Et ſi quidem amicitia iſta cum DEO corrumpi non poſſet, infallibiliter & abſolutè de ſalute ſecuri eſſent, qui caritate cum DEO conjuncti ſunt, tamen quia fieri poteſt dum peregrinamur à Domine, ut qui amicus eſt, iterum fiat inimicus, idcircò non poſſunt etiam juſti ſine timore aliquo vivere* (cõfunduntur diverſæ quæſtiones, alia quæſtio eſt de certitudine juſtitiæ & præſentis gratiæ, alia de certitudine futuræ perſeveraotiæ. Hâc vice quærimus de certitudine præſentis gratiæ & juſtitiæ. Si verè credentes & DEUM diligentes ſunt Dei amici, imò filii, utique nôrunt certiſſimè ſe eſſe apud DEUM in gratia; qualis ſit perſeverantiæ certitudo alibi exponitur) *Habemus igitur* (inquit Bellarminus) *ſpem Chriſtianorum certiſſimam eſſe tùm ex parte voluntatis, tùm ex parte intellectus, ſed ſolum ratione propriæ diſpoſitionis formidinem aliquam conjunctam habere.* (Hic verò antiquus viridi latet anguis in herba, quòd juſtificatio non in gratia Dei & merito Chriſti, ſed in noſtrarum diſpoſitionum & operum merito conſtituitur. Atqui fundamentum fidei & ſpei non eſt noſtra vel dignitas, vel diſpoſitio, ſed gratuita DEI miſericordia in Chriſto nobis propoſita, & in promiſſionibus Evangelicis oblata. Si ad noſtras diſpoſitiones reſpicimus, non poſſumus non dubitare, imò etiam cogimur deſperare, ſed fides illas dubitationes vincit. Quemadmodum Abrahamus contra ſpem in ſpem credidit Rom. 4. verſ. 18. ita quoque fides noſtra debet eſſe comparata. Ille dicitur contra ſpem in ſpe credere, qui vel in ſe vel in Natura rei nihil quicquam videt aut experitur, quod illi ſpem ſuadeat, ut apparet in exemplo Abrahæ, cui centenario promittitur filius: at ſi haberemus merita, per quæ ſalutem conſequi poſſemus, non ſperaremus contra ſpem, ſed in ſpe & juxta ſpem. Cæſarius homil. 7. *Cum Deus velit miſereri, quia bonus eſt, & poſſit, quia omnipotens eſt, ipſe contra ſe januam divinæ miſericordiæ claudit, qui Dominum ſibi miſereri aut non velle aut non poſſe credit & eum aut bonum aut omnipotentem eſſe diffidit.* Lutherus in cap. 4. Galat. *Evangelium jubet intueri nos, non benefacta & perfectionem noſtram, ſed ipſum Deum promittentem, ipſum Chriſtum Mediatorem. E contra Papa jubet reſpicere non Deum promittentem, non Chriſtum Pontificem, ſed noſtra opera aut merita, ibi neceſſariò ſequitur dubitatio & deſperatio, illic verò certitudo & gaudium Spiritus, Quia in DEO hæreo, qui mentiri non poteſt, dicit enim: Ecce trado Filium meum in mortem, ut te ſanguine ſuo redimat à peccatis & morte, ibi non poſſum dubitare, niſi prorſus velim Deum negare. Atque hæc eſt ratio, cur noſtra Theologia certa ſit, quia rapit nos à conſpectu noſtro & ponit nos extra nos, ut non nitamur viribus, cõſcientiâ, ſenſu, perſona, operibus noſtris, ſed eo nitamur, quod extra nos eſt, hoc eſt, promiſſione & veritate Dei, quæ fallere non poteſt.* Chemnit. in exam. Concil. p. 1. cap. de Juſtific. p. 310. *Fides noſtra omninò habet & debet habere adjunctam veram humilitatem, quæ ſeriò conſiderat, agnoſcit & fatetur propriam noſtram indignitatem, ita ut non auſit noſtram dignitatem opponere DEI judicio in articulo Iuſtificationis, ſed ſeriò ſtatuit & ex animo confitetur, Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Hæc verò humilitas non facit fidem dubiam & fluctuantem, quia nõ detinet conſcientiam in lege, ut propriam dignitatem opponat judicio Dei; ſed impellit & urget, ut quæ-*

ras

Digitized by Google

rat aliam promiſſionem, in qua gratis propter Filiũ Mediatorem Pater credentibus donet reconciliationem, ut quia in propria dignitate non poteſt invenire, quò tutò coram Dei judicio ſtatur, apprehendat illum Mediatorem, in cujus vulneribus firma totiq́; ſecuritas eſt verè credentibus.) 6. Atque inde jam apparet, quare moralis & conjecturalis illa certitudo, quam Bellarminus concedit, ſemper ſit cum dubitatione conjuncta, quia fundamentum ejus quærit in noſtris diſpoſitionibus, operibus ac meritis; cùm verò cor noſtrum nos convincat, nos non habere tantùm cumulum meritorum, qui requiritur ad juſtitiam & ſalutem, ideò perpetuò dubitare cogimur, nos autem fundamentum illius fiduciæ quærimus in ſolo Chriſto, propter quem remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam omnibus verè credentibus gratis contingere docemus. Bernhardus ſerm. 5. in vigil. nat. *Sibi ipſi fidere, non fidei, ſed perfidiæ eſt, nec confidentia, ſed diffidentia magis in ſemetipſo habere fiduciam. Is verè fidelis eſt, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat factus ſibi vas perditum.* At, inquis, an non ipſimet docetis, ex operibus judicandum eſſe de fide? Reſp. bona opera dicimus eſſe veræ fidei teſtimonia, ſed non fiduciæ noſtræ fundamenta. Poſſumus quidem ex dilectione & ſtudio pietatis tanquam infallibili argumento cognoſcere nos eſſe ex numero verè credentium, interim tamen ipſa fides ſive fiducia de remiſſione peccatorum non debet niti operibus ac meritis noſtris, ſed ſolâ DEI miſericordia in ſolo Chriſto propoſitâ; quin imò ſi quandoque in ſeria pœnitentia & gravibus tentationibus fides eſt admodum languida & imbecillis arundini conquaſſatæ & lino fumiganti ſimilis, ſi peccatorum noſtrorum ita nos angit & cruciat memoria, ut fidem in corde non ſentiamus, non tamen animum deſpondere debemus, ſed meditatione promiſſionum Evangelicarum fidem excitare & confirmare, pro incremento fidei ad DEUM ſuſpirare ac totis viribus dubitationi reſiſtere. 7. Neve ulla ſuperſit dubitatio Pontificios eſſe dubitationis Patronos, obſervetur quomodo deſcribant illam, quam Bellarminus ita vocat, formidinem, quæ propter noſtram diſpoſitionem vel potiùs indiſpoſitionem nobis adhæreat, imò adhærere debeat. Burgenſis in Pſalm. 139. *Nullus ſcit de lege communi certitudinaliter ſe eſſe in gratia.* Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 9. concedit, *quòd neceſſarium ſit credere, neque remitti neque remiſſa fuiſſe unquam peccata niſi gratis divinâ miſericordiâ propter Chriſtum*, ſed mox addit: *non eſt aſſerendum, oportere eos, qui verè juſtificati ſunt abſque ulla omninò dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere ſe eſſe juſtificatos.* Et poſtea: *Sicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deq́ue Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamq́ue propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare ac timere poteſt* (quin & debet, ita enim poſtulat addita ratio) *cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Andradius in defenſ. Concil. Trid. ad illud quod Jeſuitæ ſcripſerant: (*Fidelis firmiter quidem ſperat vitam æternam & quod magis eſt, confidit etiam: non tamen certò credit, ſed dubitat, ſpes enim fallere poteſt*) reſponſurus inquit, *ſpem habere aliquam dubitationem conjunctam & implicatam. Cum enim ſpes, quâ nobis vitam æternam pollicemur & noſtris operibus & maximè divina miſericordia & omnipotentia fidat, quippe quæ ex meritis & gratia proficiſcitur, ita fit ſanè, ut SPES ita ſit certa, ut ſemper cum metu & dubitatione ſit conjuncta & copulata.* Hoſius de autorit. Scripturæ fol. 218. *Noli, putare Brenti; quòd ſine cauſa Deus, ſicut extremi judicij diem, ita juſtificationem quoque noſtram, gratiæq́ue conſecutionem nobis non eſſe certiſſimam voluerit, imbecillioribus enim iſta certitudo ſuperbiæ quædam eſſet occaſio. Nam ſi quis perſuaſum habet, apud Regem aliquem ſeu principem ſe eſſe in gratia, quãtumlibet animi ſui affectibus imperare ſciat, effugere tamen vix poteſt, quin efferatur animus. Eſtne verisſimile quòd quivis de vulgo, ſi certò ſcire queat, ſe eſſe in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine ſibi cavere poſſit?* ** Gregorius de Valent. lib. de grat. part. 2. cap. 6. *Docemus neminem ex fide penitus eſſe certum, ſe ex illis eſſe, quibus peccata remittuntur.* Malvenda in Colloq. Ratiſbon. Anno 1546. *Cùm quis firmiter & certò ſtatuit ſibi remiſſa eſſe peccata nō habent conditionis ſuæ & infirmitatis rationem judicio magis temerario quàm Scripturæ autoritate ducitur.*** Petrus à Soto in conf. *Tutum & humilimum eſt de Dei in me gratia atque præſentia dubitare.* Lovanienſes in poſit. contra Lutherum. *Fides, quâ quis firmiter credit & certò ſtatuit, propter Chriſtum ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeque poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis teſtimonium, imò eiſdem adverſatur.* Coſterus in Enchirid. cap. de fide p. 204. *Scriptura paſſim incertitudinem juſtificationis teſtatur* p. 209. *fidei certitudinem citra omnem dubitationem noluit in nobis Chriſtus eſſe.* Bellarm. ipſe 1. de Juſtif. cap. 10. *Non poſſunt homines credere niſi omninò temerè tanquam ex Dei verbo, ſibi remiſſa eſſe peccata, cùm in verbo Dei nuſquam reperiatur annunciata ſalus vel remiſſio peccatorum mihi vel illi in particulari niſi paucis quibuſdam &c.* ex quibus patet, quòd certam fiduciam ſpecialis fidei improbent, dubitationem autem ſtabiliant & humilitatis nomine commendent. 8. apparet hoc ex ipſa praxi. Si quis enim profitetur ſe ſeriò dolere de admiſſis peccatis & eorum remiſſionem quærit, cum non rectâ deducunt ad Chriſtum, ſive quod idem eſt, ei non proponunt promiſſionem gratiæ de CHRISTO, ut firmâ fide eam amplectatur ac certò ſtatuat, ſibi remiſſa eſſe peccata propter CHRISTUM, ſed deducunt eum ad proprias ſatisfactiones, atque ad propria merita, ut ea cum promiſſione gratiæ conjungat, eſſe enim præſumtionem ſine propriis meritis ſperare vitam æternam, juxta illud ſcilicet: bonum eſt duabus anchoris niti, abducunt igitur eum à promiſſione Evangelii ad legem; à CHRISTO ad Moſen, negant enim ad ſuſcipiendam gratiam quenquam eſſe idoneum, niſi ſufficienter ſit diſpoſitus & præparatus, idq́ue fieri dicunt, ſi quis verè & integrè præſtet omnia opera pœnitentiæ, poſtcà à lege & ejus operibus etiam ad traditiones humanas eum abducunt, jubent vel ingredi monaſterium; vel emere merita Monachalia, Papales indulgentias, Miſſas ſacrificulorum, &c. ſuſcipere peregrinationes, confugere ad interceſſiones & merita Sanctorum, opera ſatisfactoria præſtare,

&c. ac ſi omnes traditiones ſummo ſtudio ſectatur & obſervat tamen adhuc ei dubitandum eſſe affirmant, cùm de propriis diſpoſitionibus & ſatisfactionibus non poſſit eſſe certus, cumq; occulta aliqua peccata eſſe poſſint, pro quibus nondum ſit ſatisfactum.

Origo doctrinæ de dubitatione.

91. Scripſerat D. Chemnitius, *doctrinam, quæ jubet verè credentes dubitare de remiſſione peccatorum ex Schola Phariſæorum & Novatianorum ortam eſſe.* Ægrè id fert Bellarminus, ideoque obvertit lib. 3. de Juſtific. cap. 11. *Phariſæos non murmuraſſe, quod Chriſtus juberet in particulari fiduciam concipi de remiſſione peccatorũ, ſed quòd ſe Deum facere videretur, dum poteſtatem peccata relaxandi ſoli Deo propriam ſibi ſumebat.* Reſpond. ſubordinata invicem non pugnant, Phariſæorum concluſio erat, Chriſtum non poſſe nec debere peccata remittere in particulari, ac proinde ſibi illud arrogando eſſe blaſphemum. Argumentum tertium, cùm non ſit Deus, ſed tantùm homo, inde alius non poteſt confici Syllogiſmus, quàm iſte. Nullus homo poteſt aut debet peccata in particulari remittere. Hic Jesus eſt homo. Ergò non poteſt aut debet in particulari huic Paralytico peccata remittere & per conſequens illud ſibi arrogando blaſphemat. Ex majore hujus argumenti apparet, quòd Phariſæi nec αὐτοκρατορικὴν ſive authenticam neè miniſterialem poteſtatem remittendi peccata hominibus conceſſerint, aliàs in argumento ipſorum nulla fuiſſet connexio, quid verò aliud eſt negare miniſterialem poteſtatem remittendi peccata, quàm concedere quidem, quòd generalis promiſſio remiſſionis peccatorum in Eccleſia vigeat, interim tamen negare, quòd abſolutione miniſtri certus quiſpiam fieri poſſit, ſibi verè remiſſa eſſe peccata? Quæ Bellarminus de diſcrimine fidei & fiduciæ addit, alibi expoſita ſunt & refutantur ab ipſo Janſenio, qui in hoc loco Matth. 9. expreſsè ſcribit, fidem eſſe fiduciam. De Novatianis reſpondet Bellarminus, quòd *lapſos poſt Baptiſmum admonuerint, ut cum Deo agerent, in Eccleſia enim non eſſe poteſtatem reconciliandi.* Reſpond. at ex eo dubitatio de remiſſione peccatorum ſequitur, Novatiani non ſimpliciter diſputârunt, Deum nemini qui poſt lapſum pœnitentiam agit, velle peccata remittere, ſed hæc fuit controverſia, an miniſtro Eccleſiæ commiſſa ſit poteſtas ſolvendi peccata, per quam certò affirmare debeat illis, qui pœnitentiam agunt, peccata dimitti ac conſequenter, an pœnitens qui vera fide Chriſtum amplectitur, certò ſtatuere an verò dubitare debeat ſibi peccata dimitti. Socrates lib. 4. Hiſtor. cap. 23. libr. 8. Tripart. cap. 9. *Invitandos dicebant eſſe ad pœnitentiam eos, qui prolapſi, ſed remiſſionem ſoli Deo relinquendam.* Ambroſius lib. 1. de pœnit. cap. 2. *Novatiani dicunt, ſe ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem reſervare, ſed Chriſtus mandavit diſcipulis ſolvere peccata*, lib. 2. cap. 5. refert, *Novatianos* ex Actor. 8. ſtabilire voluiſſe, quòd Petrus non certò affirmârit, pœnitentibus peccata dimitti. Ambroſius verò reſpondet, Petrum ita loqui, quia Simon Magus non ex fide credebat, ſed dolum cogitabat & addit, *ego nec Petrum dubitaſſe dico, nec verbi unius præjudicio totam cauſam ſtrangulandam arbitror; nec poterat Petrus dubitare de Chriſti munere, qui ſibi ſolvendorum peccatorum dederat poteſtatem.* Quod Bellarminus addit, *nos potiùs Novatianos eſſe, cùm negemus pœnitentiæ Sacramentum*, de eo alibi fuit dictum, ubi etiam monuimus, Novatianos ſtatum quæſtionis ſæpiùs immutaſſe.

Dicta Patrum.

92. Audiamus veterum teſtimonia, quibus noſtræ ſententiæ aſſenſum præbent. Tertull. lib. de reſurrect. carnis cap. 37. pag. 87. *Chriſtus ſequeſter Dei atque hominum appellatus ex utriuſque partis depoſito commiſſo ſibi carnis quoque depoſitum ſervat in ſemetipſo arrhabonem ſummæ totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cælum pignus totius ſummæ illuc quandoque redigendæ. Securæ eſtote caro & ſanguis, uſurpaſtis & cælum & regnum Dei in Chriſto. Aut ſi negent vos in Chriſto, negent & in cælo Chriſtum qui vobis cælum negaverunt.* lib. de Baptiſmo, *fidem*, ait, *integram habere ſecuritatem ſalutis.* Minutius Felix in Dialogo, qui inſcribitur Octavius (edito Romæ cum Arnobio) de Chriſtianis ſcribit, *quòd ſint ſecuri ſpe futuræ felicitatis.* Cyprianus in lib. adv. Demetrianum: *Viget apud nos ſpei robur, & firmitas fidei & inter ipſas ſeculi ruinas erecta mens & immobilis virtus & de Deo ſuo ſemper anima ſecura.* (Excipit Bellarm. 3. de Juſtif. cap. 10. *ex eo nondum ſequi certitudinem fidei de juſtitia, ut enim ſecuri de Deo vivamus, ſatis eſſe, ſi certi ſimus, Deum fidelem eſſe in omnibus verbis ſuis & non deſerere ſuos, niſi prius ipſe deſeratur ab illis.*) Reſp. Certitudo ſpei oritur ex certitudine fidei, hoc eſt, certitudo & ſecuritas illa, quod Deus non ſit me deſerturus, præſupponit certitudinem gratiæ præſentis, quomodo enim anima pii hominis de Deo ſuo ſemper poteſt eſſe ſecura, ſi adhuc dubitat an ſit apud ipſum in gratia?) ſerm. 4. qui eſt de mortalitate: *Regnum Dei, fratres dilectiſſimi, cœpit eſſe in proximo* (loquitur de tempore peſtilentiæ, in quo plurimi moriebantur) *præmium vitæ & gaudium ſalutis æternæ & perpetua lætitia & poſſeſſio Paradiſi nuper amiſſa, mundo tranſeunte jam veniunt, jam terrenis cæleſtia & magna parvis & caducis æterna ſuccedunt. Quis hic anxietatis & ſolicitudinis locus eſt, quis inter hæc trepidus & mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? ejus eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: ejus eſt ad Chriſtum tranſire nolle, qui ſe non credit, incipere cum Chriſto regnare. Scriptum eſt enim: Juſtus ex fide vivet. Si juſtus es, etiam fide vivis, ſi verè in Deum credis, cur non cum Chriſto futurus & pollicitationem Domini ſecurus amplecteris?* Et poſteà: *Hoc autem ſit fratres dilectiſſimi* (quòd tantoperè exhorreſcimus) *quia fides deeſt, quia nemo credit futura eſſe, quæ promittit Deus qui verax eſt, cujus ſermo credentibus æternus & firmus eſt. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonibus atque actibus ſuis ſcires. Nunc Deus tecum loquitur & tu mente incredulâ perfidus fluctuas? Deus tibi de hoc mundo decedenti immortalitatem pollicetur & tu dubitas & fluctuas? hoc eſt Deum omninò non noſſe, hoc eſt Chriſtum credentium Magiſtrum peccato incredulitatis offendere, hoc eſt in Eccleſia conſtitutũ, fidem in domo fidei non habere.* (Excipit Bellar. *reprehendi à Cypriano trepidationem natã ex incredulitate*; Reſp. benè eſt, ſi dubitatio ac trepidatio naſcũtur ex incredulitate, utiq; non erunt virtutes fidei, ſed potiùs

tius infirmitates quibus repugnandum. *At*, inquit Bellarminus, *nos non negamus oportere fidem certiſſimam, quæ dubitationem prorſus excludat, haberi de divinis promiſſionibus & ſpem etiam talē ac tantam, quæ deſiderium moriendi pariat, quamvis ea ſpes cum timore conjuncta eſſe debeat, propter incertitudinem diſpoſitionis noſtræ, ut hoc modo ſerviamus Domino in timore & exultemus ei cum tremore.* Reſp. notamus hanc confeſsionem Bellarmini, quam evidentia veritatis ipſi extorſit; quod de timore ſpei conjuncto addit, illud ambiguum eſt, intelligitur enim vel timor filialis, qui cum certitudine fiduciæ optimè conſiſtit & ſemper debet eſſe in renatis, vel ſervilis cum dubitatione de gratia conjunctus, quem à Cypriano excludi pluſquam manifeſtum eſt. Pergit Bellarminus, *divinæ promiſſioni etiam in particulari fidem habendam eſſe, quantum pertinet ad veritatem promittentis, ſed ex parte diſpoſitionis noſtræ, ſine qua non juſtificamur, poſſe locum habere formidinem.* Reſp. promiſsiones Evangelii non reſpiciunt noſtras diſpoſitiones, hoc eſt, noſtra merita de congruo, ea enim Bellarminus per diſpoſitiones illas intelligit, ſed merè ſunt gratuitæ, quâ de re ſuo loco pleniùs) Hilarius Canone 5. in Matth. *Regnum cœlorum, quod Dominus noſter in ſe poſitum eſſe profeſſus eſt, vult nos ſine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate ſperare, alioquin juſtificatio ex fide nulla eſt, ſi fides ſit ambigua.* (Excipit Bellarminus, *Hilarium loqui non de fide juſtificationis, ſed de fide reſurrectionis.* Reſp. at ipſe ſonus verborum evidentiſsimè teſtatur, de fide juſtificationis Hilarium loqui, dicit enim non ſolùm reſurrectionem corporum, quæ communis eſt piis & impiis, ſed etiam regnum cœlorum ſolis verè credentibus & fide juſtificatis paratum ſine aliqua incertæ voluntatis ambiguitate ſperandum eſſe.) Et paulò pòſt ſuper verba: *Si Deus fœnum ſic veſtit, quantò magis vos modicæ fidei? Fidei noſtræ inviolabilem confidentiam exemplorum autoritate confirmat, ut tantò majoris periculi res ſit ambigere, quantò impenſiore curâ omnem occaſionem infidelitatis abſtulerit &c. Quàm profanum eſt ſanctos de gloria æternitatis ambigere, cum iniquis æternitatis opus præſtetur ad pœnam? omnem igitur expectationem noſtram in fide repromiſſionum & virtutis ſuæ poteſtate exegit collocari.* Baſilius in ἀσκητ. τὸ ἴδιον πίστεως ἀδιάκριτ@ πληροφορία. Gregorius Nazianz. in orat. de plaga grandinis: *Quis ſcit, nunquid convertatur & pœniteat & relinquat benedictionem? Atqui manifeſtè hoc ſcio. Ego divinæ clementiæ fidejuſſor ſum. Nam iram, quæ præter Naturam ipſius eſt, remittet & ad miſericordiam, quæ ſecundum Naturam ejus eſt, convertetur, ad illam enim à nobis compellitur, ad hanc verò inclinatur.* (Excipit Bellarminus *Nazianzenum fidejuſſorem eſſe divinæ clementiæ, non autem noſtræ pœnitentiæ.* Reſp. teſtimonium veræ pœnitentię & fidei quilibet verè pius habet in corde ſuo. Anxiæ & peccati ſenſu territæ conſcientiæ non quærunt de clementia DEI in genere, cùm & Dæmones eo modo credant DEUM eſſe miſericordem, ſed unicè id quærunt, an DEUS etiam ſibi futurus ſit propitius, ibi verò Nazianzenus jubet in ſeria pœnitentia id firmâ fide credere, & hac ratione ſe fidejuſſorem divinę clementię vocat. ideò ſequitur: *Tantùm nos miſereamur noſtri ac juſtis Patris viſceribus viam adaperiamus. Seminemus in lachrymis, quò in exultatione metamus. Fiamus Ninivitæ & non Sodomitæ.* Ambroſius in cap. 4. Roman. ad verba, qui vivificat mortuos: *Promti ſint circa fidem, ſecuri, quia cui credunt, vivificat mortuos.* Et poſt pauca ad verba: *Et non infirmatus eſt fide, hortatur gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promiſſionem & gratiam ſine aliqua ambiguitate ſuſcipiant, ſecuri exemplo Abrahæ.* In cap. 5. Roman. ad verba, *Spes non confundit: Fidele enim eſſe promiſſum Dei probat Spiritus Sanctus datus Apoſtolis & nobis, qui diverſis linguis imperiti loquerentur, cum interpretationibus præſtitit ad confirmandam fidem & ut caritatem Dei commendaret in nobis, ut quia caros falli impoſſibile eſt, ſecuros nos faceret de promiſſione, quia & Deus eſt qui promiſit & iis, quos caros habere vult, promiſit.* In cap. 8. ad Romanos ad verba, *Qui proprio Filio non pepercit* ſic: *Securos nos eſſe debere cauſa fidei hortatur, ut Deum antequam ex impiis fideles eſſemus, Filium ſuum pro nobis morti tradidiſſe oſtendat.* In enarrat. Pſalm. 39. paulò ante finem: *Gravis populus eſt, qui fidem Deo ſuo ſervat & qui non aliqua levitate mutetur, neque nutet, neque fluctuet, ſed caritate ſit fundatus in Chriſto, ut poſſit dicere, Confido enim quia neque mors, neque gladius, neque tribulatio ſeparare me poſſit à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu* (quod Paulus de ſe profitetur Roman. 8. v. 39. id Ambroſius ad omnes verè credentes accommodat) ſerm. 5. *Quisquis illi fermento Chriſti adhæreſcit, efficitur & ipſe fermentum, tàm ſibi utilis quàm idoneus univerſis & de ſua certus ſalute & de aliorum acquiſitione ſecurus* (Bellarminus excipit, *Ambroſium loqui de certitudine conditionali, non abſoluta, ut ſit ſenſus, eum qui adhæret Chriſto, certum eſſe de ſua ſalute & de aliorum acquiſitione, ſi Chriſto verè adhæreat & in illo permaneat.* Reſp. ad certitudinem ſalutis omninò requiritur, ut quis Chriſto verâ fide adhæreat & in ipſo permaneat, ſed hæc conditio cùm non ſit legalis nec meritoria, certitudinem illam, quam propugnamus, nequaquam labefactat.) Auguſtinus libr. 1. de Doctrina Chriſtiana cap. 18. *Has claves dedit Eccleſiæ ſuæ, &c. ut quiquis in Eccleſia ejus dimitti ſibi peccata non crederet, non dimitterentur; quiquis autem crederet, ſeque ab iis correctus averteret, in ejusdem Eccleſiæ gremio conſtitutus, eadem fide atque correctione ſanaretur.* lib. 13. de Trinit. cap. 1. *Fidem ipſam videt quisque in corde ſuo, ſi credit, vel non eſſe, ſi non credit.* lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Qui diligit fratrem, magis novit dilectionem, quâ diligit, quàm fratrem, quem diligit.* (Utiq; ergò verè credentes ſciunt ſe in Chriſtum credere, & fidem ſuam per dilectionem eſſe efficacem & fide ſe juſtificatos eſſe. Excipit Bellarminus, *loqui Auguſtinum de actione credendi & diligendi. Certiſſimi enim ſumus nos credere & diligere, quando credimus & diligimus, ſed utrum actus illi ſint, quales oportet & utrum ex habitu proficiſcantur, ſine revelatione ſciri non poteſt.* Reſp. Scriptura non ſolùm veram in Chriſtum fidem requirit, ſed etiam eandem à ſuis proprietatibus deſcribit, quisquis igitur juxta præſcriptum verbi in Chriſtum credit, is de fidei veritate certus eſſe poteſt) in Pſal. 37. exponens verba Apoſtoli, *Fuimus & nos Naturâ filij iræ, &c. Quare dicit, fuimus? quia ſpe jam non ſumus, nā re adhuc ſumus, ſed illud melius dicimur, q. ſpe ſumus, quia certi de*

ſpe

ſpe ſumus, non enim incerta eſt ſpes noſtra, ut de illa dubitemus. In Pſalm. 51. *Noli ſperare de te, ſed de Deo tuo, nam ſi ſperas de te, anima tua conturbatur in te, quia nondum invenit unde ſit ſecura in te.* In Pſalm. 85. *Audeat corpus Chriſti & homo clamans cum capite & ſub capite ſuo dicere, Sanctus ſum, accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam Baptiſmi & remiſſionis peccatorum, non eſt iſta ſuperbia elati, ſed confeſſio non ingrati. Si enim dixeris, te ſanctum eſſe ex te, ſuperbus es, rurſus fidelis in Chriſto & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es, imò & habere te agnoſce & ex te nihil habere, ut nec ſuperbus ſis nec ingratus &c. Dicat unuſquiſque Chriſtianus, imo dicat totum corpus Chriſti, clamet ubique, cuſtodi animam meam, quia ſanctus ſum.* (Excipit Bellarminus *ex bona ſpe, non autem ex fide divina hoc dici poſſe.* Reſp. imò verò ſpei certitudo oritur ex fide promiſſionibus divinis innitente. Bellarminus exiſtimat, ſpem illam non eſſe certam ſed bonam tantùm, nimirum quia juxta Poëtam: *Fallitur augurio ſpes bona ſæpè ſuo*, ſed de ſpe piorum aliud pronunciat Apoſtolus Roman. 5. v. 5. unde verò probat Bellarminus, Auguſtinum loqui tantùm de bona ſpe non autem certa fide ſanctitatis donatæ? ipſa verba ſatis ſunt perſpicua, ſpes reſpicit bona futura, Auguſtinus verò agit de dono ſanctitatis, quod quis in præſenti ſe habere agnoſcit & hoc nomine DEO gratias agit.) in Pſal. 88. *In æternum Chriſtus regnabit cum ſanctis ſuis, hoc promiſit Deus, ſi parum eſt, hoc juravit Deus, quia ergò non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundùm illius miſericordiam firma eſt promiſſio, nemo debet cum trepidatione prædicare, de quo non poteſt dubitare.* (Excipit Bellarminus, *Auguſtinum loqui de perpetuo Chriſti regno, non autem de juſtificatione hujus vel illius.* Reſp. utrumque ſub juramenti fide promiſit DEUS & Chriſtum in æternum regnaturum & ſanctos verâ fide Chriſto adhærentes cum ipſo regnaturos, utraque promiſſio fide indubitatâ amplectenda eſt; *at*, inquit Bellarminus, *quis credat, Auguſtinum dicturum fuiſſe, nemo debet cum dubitatione prædicare, ſi de prædicatione propria juſtitiæ loqueretur? an non fuiſſet hoc ad jactantiam homines exhortari?* Reſp. huic objectioni ſatisfacit proximè præcedens Auguſtini dictum ex Pſal. 85. petitum) in Pſ. 148. *Erigat ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe colliſdat, non ſe avertat, non dicat, non ero cui promiſit, &c. promiſit nobis, quod ibi futuri ſumus ubi ipſe eſt, erimus cum illo; quid tibi promiſit Deus ô homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis? crede, crede, plus eſt jam quod fecit, quã quod promiſit: quid fecit? mortuus eſt pro te, quid promiſit? ut vivas cum illo, incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quam ut æternum vivat mortalis, jam quod incredibilius eſt, tenemus.* In Pſalmo 110. *Quid finem cœpti deſperas? omnipotens cœpit, omnipotens promiſit ſe impleturum eſſe, quod cœpit.* tractat 22 in Johan. *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti & tu tibi audes promittere, quia in judicium non venies? abſit, inquis, ut ego hoc mihi promittere audeam, ſed credo promittenti. SALVATOR loquitur, veritas pollicetur, ipſe dixit mihi, qui audit verba mea & credit ei, qui me miſit, habet vitam æternam & in judicium non venit, &c. ideò non præſumtione meâ, ſed promiſſione Chriſti in judicium non venio.* (Excipit Bellarminus *ex promiſſione Chriſti poſſe quidem unumquemque fidelium colligere, ſe tranſiſſe de morte ad vitam & in judicium non eſſe venturum, ſed quæſtionem eſſe, quâ certitudine id poſſit colligere, eam verò reſpectu promittentis eſſe quidem infallibilem & divinam, ſed reſpectu diſpoſitionis propriæ tantum conjecturalem.* Reſp. Auguſtinus diſertè teſtatur, non conjecturali certitudine, quæ eſt ſolo nomine certitudo, reipsâ verò fallax opinio, ſed firmâ fiduciâ promiſſioni divinæ innitente pios ſibi promittere poſſe, quòd non ſint venturi in judicium) tract. 75. in Johan. *tunc erit, ut poſſimus videre quod credimus, nam nunc eſt in nobis, & nos in illo, ſed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoſcemus* (Excipit Bellarminus *fide ſciri poſſe, quod Chriſtus ſit in Eccleſia, nequaquam verò quòd ſit in me aut in te per gratiam juſtificationis.* Reſp. etiam Dæmones ſciunt & credunt, Chriſtum eſſe in Eccleſia; ſed verè pii cognoſcunt ſe eſſe in Chriſto & Chriſtum in ipſis, ut ſuo loco demonſtrabimus) ſerm. 28. de verbis Domin. *O homo faciem tuam non audebas ad cœlum tollere, oculos tuos in terram dirigebas & ſubitò accepiſti gratiam Chriſti, omnia tibi peccata dimiſſa ſunt, ex malo ſervo factus es bonus filius, ideo præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. Gratiâ enim ſalvati eſtis, inquit Apoſtolus. Non ergò hæc arrogantia eſt, ſed fides prædicare quod accepiſti, non ſuperbia ſed devotio. Ergò attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit, ad Patrem, qui per Filium te redemit, & dic Pater noſter. Bona præſumtio, ſed moderata. Patrem dicis quaſi filius, ſed noli tibi aliquid ſpecialiter vendicare. Solius Chriſti ſpecialis Pater eſt, nobis omnibus in eodem Pater eſt, qui illum ſolum genuit, nos creavit, dic ergò tu per gratiam Pater noſter, ut filius eſſe merearis Eccleſiæ.* (Excipit Bellarminus. *Auguſtinum non ad fidei certitudinem, ſed ad fiduciam hortari.* Reſp. hæc non ſunt oppoſita ſed ſubordinata, ex fide enim promiſſionem gratiæ amplectente fiducia illa oritur) ſerm. 5. de verbis Apoſtol. *Securus efficeris non de te, ſed de Domino tuo, ſecurus efficeris de pignore tuo. Spera cum Chriſto regnum Chriſti jam pignus tenes ſanguinem Chriſti.* ſerm. 6. de verbis Apoſtoli. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus. Ecce adjuvante ipſius miſericordiâ Spiritum Chriſti habemus, ex ipſa delectatione juſtitiæ, integrâ fide, Catholicâ fide Spiritum Dei in nobis eſſe cognoſcimus* (Excipit Bellarminus *illud Catholica fide referri non ad modum cognoſcendi ſed ad ſignum & conjecturam. Involvere enim contradictionem, quod ex delectatione juſtitiæ tanquam ſigno quodam fide Catholica cognoſcamus Spiritum Dei in nobis eſſe.* Reſp. delectatio juſtitię eſt ſignum veræ & juſtificantis fidei, quâ de remiſſione peccatorum certi ſumus & Spiritum DEI nos habere cognoſcimus. Sed ex Bellarmini hypotheſi fides non poteſt eſſe ſignum inhabitationis Spiritus ſancti, cùm fides Catholica ſit & maneat etiam in adulteris, maſculorum concubitoribus, Sodomitis. &c.) tractat. 5. in Epiſtol. Johan. *Nemo interroget hominem, redeat ad cor ſuum, ſi ibi invenit caritatem, ſecurus ſit, quia tranſiit à morte ad vitam* (Excipit Bellarminus *poſſe quidem actum caritatis in corde videri, ſed ſciri non poſſe, an ſit ille actus vera caritatis, an non.* Atqui utrumque luce Spiritus cognoſci poteſt, *Scimus*, inquit Apoſtolus 1. Johan. 3. v. 14. *quòd tranſlati ſumus à morte ad vitam,*

vitam, quia fratres diligimus, ſi nemo poſſet ſcire, an actum veræ caritatis haberet, utique ex dilectione non poſſet peti ſignum & argumentum beatiſſimæ illius translationis à morte ad vitam) in libro Medit. *Totius fiducia mea certitudo eſt in precioſo ſanguine Chriſti.* ** Auguſtinus in expoſit. propoſit. ex Epiſt. Rom. nu. 58. *Certus ſum enim & non dixit, opinor: plena fide tenuit, quod neque mors ulla, nec temporalis vita promiſſa, nec cetera ſubſequentia poſſunt credentem à caritate Dei detorquere.* In tractat. de non cogitando in craſtinum. *Diſcedat de corde petitoris dubitatio & veniet ei largitoris inundatio. Non trepidet, qui rogat.* ** libr. 2. de Symbol. ad Catecheſ. cap. 7. *Nunc dicamus, quomodo id quod ſuſcepit ex nobis, in cœlum levaverit, ad dextram Patris collocaverit, ac fidei noſtræ certum pignus dederit, ut ſecura ſint membra de tanto capite, fideliter que ſperent ad ipſum ſe poſſe pervenire, quem jam credunt ad dextram Patris ſedere.* cap. 10. *Non minorem prædicare eum, qui te perducit ad regnum cœlorum in remiſſione peccatorum ſine iſta fide ſi quis ad Baptiſmum accedit, contra ſe januam indulgentiæ claudit &c. Quisquis igitur fideliter credit & hanc profeſſionem fidei ſuæ, in qua remittuntur omnia peccata, indubitanter tenet atque amplectitur, præparet voluntatem ſuam voluntati Dei, nec vehiculum mortis timeat.* lib. 4. cap. 7. *Quod pro te ſuſcepit, levavit in cœlum, terrenumque corpus fecit cœleſte. Si credis & tu quod poſſis reſurgere, & in cœlum aſcendere, quia certus es de tanto pignore, ſecurus eris de tanto munere.* lib. de pœnit. medic. cap. 2. *Dimitte nobis debita noſtra, non dicimus pro iis peccatis, quæ remiſſa credimus in Baptiſmo, niſi de ipſa fide dubitemus.* (Bellarm. excipit, *illud credimus poſitum eſſe pro eo quod eſt, exiſtimamus, arbitramur,* ſed credere & cum dubitatione quadam arbitrari diverſa ſunt) Chryſoſtom. homil. 11. in Jerem. *Quæcunque penitus Chriſto non credunt, condemnant eum, qui autem credunt & adhuc ambigunt, dijudicant illum, duo igitur apud homines perpetitur, ab incredulis condemnatur, ab ambigentibus diſcernitur,* in cap. 5. Rom. *Non modò de datis, ſed & de futuris perinde atque de datis certum eſſe oportet. Nam de iis rebus homines gloriari ſolent, quas jam tenent, quandoquidem igitur & rerum futurarum ſpes perinde atque datarum ſic eſt firma & certa, ideo ait: Gloriamur de illis, noli itaque etiamſi non admodum dignus fueris, deſpondere animũ, cùm habeas tam ingens patrocinium, judiciis ſcil. dilectionem vel favorem,* in cap. 8. Rom. *Quando ſpiritus teſtatur, quænam relinquitur ambiguitas? ſupremâ illâ eſſentiâ, quæ & hoc ipſum largitur, quod promittit, atque adeò orare etiam juſſit, teſtimoniũ perhibente, quisnam de dignitate hac deinceps dubitare audebit?* (Excipit Bellarmin. *teſtimonium Spiritus ſancti eſſe quidem veriſſimum, ſed non omnes qui dicunt, Abba Pater, hoc dicunt impulſi à Spiritu ſancto.* Reſp. hypocritarum perverſitas non præjudicat certitudini fiduciæ, quam ex interno Spiritus ſancti teſtimonio verè pii obtinent. Fruſtrà commendaret Chryſoſt. certitudinem illius teſtimonii, ſi nemo piorum de eo poſſit eſſe certus) Cyrill. lib. 10. in Joh. cap. 3. *Qui omni virtute mentem ſuam purgando apti jam ad majora facti ſunt ſpiritus illuminatione recepta, oculis animi habitantem in ſe Deum videbunt* (Bellarm. excipit *loqui Cyrillum vel de notitia poſt hanc vitam, vel de notitia majori, quam vulgus habere conſuevit,* ſed ipſa verba oſtendunt de tali notitia Cyrill. loqui, per quam verè pii in hac vita Deum in ſe habitantem cognoſcant) Leo ſerm. 2. de feſto Paſch. Greg. in Dial. cap. 1. Anshelm. in cap. 8. Rom. aſſerunt, *ex caritate Spiritus ſancti inhabitationem cognoſci.* Bellarm. excipit *de evidentia ſignorum hæc intelligenda eſſe,* non repugnamus, interim tamen addimus, quædam ſigna eſſe tantùm probabilia (εικότα) quædam verò certa & infallibilia (τεκμήρια) prioris generis ſigna poſſunt eſſe fallacia, ac proinde non excludunt dubitationẽ, ſed poſterioris generis ſigna certam pariunt notitiam. ** *Lutherus cum anno Chriſti 1507. in lectione Scholaſticorum ex obœdientia Superiorum occupatus eſſet, incidit in difficilimos ſpiritualis triſtitiæ paroxyſmos, ex quibus ſe prius extricare non potuit, quam à quoquam pio fratre ſene Monacho, qui centroſaintier ſpinas eminuerat, in Confeſſione erectus & ad gratuitam peccatorum remiſſ. ſecundùm verba Symboli, Credo peccatorum remiſſ. reductus & ita confirmatus fuiſſet, ut ſæpiſſimè canendo lætus repeteret illud. O beata culpa, quæ talem meruiſti redemtorem. Ac ſolitus eſt Lutherus ſæpenumero prædicare illius ſenioris fratris dexteritatem ac pietatem & inprimis commendavit explicationem verborum Symboli, Credo remiſſ. peccatorum ab illo traditam hoc modo. Non ſatis eſt te in genere credere, Deum quibusdã Davidi, Petro & aliis ſua peccata remittere (talem enim fidem, etiam Dæmones habent) ſed Dei mandatum immotum eſt, ut credas, Tibi tibi tua peccata remitti & ut certus ſis de juſtitia fidei & de ſalute tua* Selnecc. in orat, de initiis & progr. Auguſt. Confeſſ. an. 1507. ** Bernhard. ſerm. 1. de annunciat. *Si credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo, cui ſoli peccaſti & in quem peccatum non cadit, benè facis, ſed adde adhuc, ut credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro Spiritus Sanctus dicens, dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apoſtolus gratis juſtificari hominem per fidem.* (Bellarm. repudiatâ illorum Catholicorum expoſitione, qui dicunt Bernhardum loqui non de fide Catholica, ſed quæ haberi poteſt ex conjecturis & ſignis, aliter excipit, *loqui ſcilicet Bernhardum omninò de fide Catholica, quâ credimus Deum velle nobis peccata remittere & reipſà ex parte ſua remittere, modò conditio impleatur, non autem loqui de fide, quâ abſolutè & ſine reſpectu diſpoſitionis credamus nobis peccata remitti, ut hæretici ſomniant, id quod quibusdam argumentis* evincere nititur. Reſpond. quo ſenſu promiſſiones Evangelicæ de remiſſione peccatorum & vita æterna negentur eſſe conditionales, ſuo loco expoſitum fuit, nimirum quod non requirant noſtra opera, tanquam merita vel media, ſed ſint merè gratuitæ, interim tamen nequaquam propugnamus talem quandã abſolutam promiſſionum Evangelicarum generalitatem, quaſi remiſſionem peccatorum, gratiam Dei & vitam æternam ex illis ſibi polliceri debeant, qui in impœnitentia, incredulitate & peccatis contra conſcientiam ſecurè pergunt, ſicut hæc in tractatu de Evangelio latè ſunt expoſita. Ergò ut conditionis, ita quoque diſpoſitionis vox eſt ambigua; Bellarminus per eam intelligit noſtra merita, ſed cùm illa gratiæ in articulo Juſtificationis

& ſal-

& ſalvationis ſint oppoſita, ideò hoc ſenſu & reſpectu negamus promiſſiones Evangelii noſtram diſpoſitionem requirere ſive conditionales eſſe: viciſſim autem cùm promiſſio Evangelii requirat fidem, cujus anteambulo eſt contritio, pediſſequa verò nova opera, ideò hoc ſenſu & reſpectu non negamus, promiſſiones Evangelii ex parte noſtra aliquid requirere, videl. fidem non tamen ut meritum, ſed medium applicationis, addimus autem hanc ipſam fidem per promiſſionum Evangelicarum auditum efficaciâ Spiritus ſancti excitari, augeri & confirmari; Ceterum an fidem de remiſſione peccatorum noſtris diſpoſitionibus ſive meritis niti velit Bernhardus, ex aliis locis colligi poteſt) Idem de fragmentis ſeptem panum, ſerm.3. *Tria conſidero in quibus tota ſpes mea conſiſtit, caritatem adoptionis, veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, inſipiens cogitatio mea, dicens: quis tu es, & quanta eſt illa gloria quibusve meritis hanc obtinere ſperas? & ego fiducialiter reſpondeo. Scio, cui credidi & certus ſum, quia in caritate nimia adoptavit me, quia verax eſt in promiſſione, quia potens in exhibitione &c. hæc tria ſic roborant & confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla conſideratio propria vilitatis, nulla æſtimatio cœleſtis beatitudinis ab altitudine ſpei dejicere poſſit in ea firmiter radicatum.* ſerm.1. de aſcenſ. Domin. *Non eſt difficile, noſſe ſigna indubitata credulitatis ac per hoc & ſalutis.* ſerm.8. in Cantic. *Quæ in vobis anima ſenſit aliquando in ſecreto conſcientiæ ſuæ Spiritum Filii clamantem. Abba Pater; ipſa paterno ſe diligi præſumat affectu, quæ eodem ſe Spiritu, quo & Filius afflictam ſentit: Confide quæcunque es illa, in Spiritu Filii filiam cognoſce te Patris, Sponſam Filii & ſororem.* ſerm.61. in Cantic. *Revera ubi tuta firmaq́; ſecuritas & requies niſi in vulneribus Salvatoris? tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior eſt ad ſalvandū. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur; Non cado, fundatus enim ſum ſuper petram firmam, peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbatur, quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras &c.* ſerm.5. in dedicat. Eccleſ. de gemina conſid. ſui. *Quis poterit ſalvus eſſe dicunt diſcipuli Salvatoris? & ille, apud homines hoc eſt impoſſibile, ſed non apud Deum: hæc tota fiducia noſtra eſt, hæc unica conſolatio noſtra, hæc tota ratio ſpei noſtræ. Sed de poſſibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis ſcit, ſi eſt dignus amore an odio? Quis novit ſenſum Domini aut quis Conſiliarius ejus fuit? hic jam planè fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipſum Spiritum reveletur & Spiritus ejus teſtificans perſuadeat Spiritui noſtro, quòd Filii Dei ſimus. Perſuadeat autem vocando & juſtificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam tranſitus eſt ab æterna prædeſtinatione ad futuram magnificationem.* Epiſt.190. contra Abailard. *Nonne ſi fluctuat fides, inanis eſt ſpes noſtra? Stulti ergò Martyres noſtri ſuſtinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes ſub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium &c. Ipſe poſtremò Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod Filii Dei ſumus, quomodo ergo fidem quis audet dicere æſtimationem, niſi qui Spiritum iſtum nondum accepit, quive Evangelium aut ignoret, aut fabulam putet &c. Sed Auguſtinus aliter: Fides, ait, non conjectando vel opinando habetur in corde in quo eſt, ab eo cujus eſt, ſed certâ ſcientiâ, acclamante conſcientiâ. Placet mihi, fateor, illius (Apoſtoli) definitio: fides eſt rerum ſperandarum ſubſtantia &c. Subſtantia nomine aliquid ſibi certū fixumq́; præfigitur, non eſt enim fides æſtimatio ſed certitudo.* Vincentius lib.30. cap.107. refert An. Chriſti 1210. Pariſiis doctrinâ & pietate clariſſimum vixiſſe virum Almericum Gallum, qui docuerit publicè *quemlibet Chriſtianum debere firmiter & indubitato credere, ſe eſſe membrum ex Chriſti corpore & hoc eſſe articulum Chriſtianæ fidei, ſine quo ſalutem nemo conſequi poſſit.* Fridericus Myconius in libro cui titulus Somnium, refert de parente ſuo, quòd ſub mediis ſuperiorum temporum tenebris dixerit, *Sanguinem Chriſti eſſe precium pro peccatis, & cuilibet Chriſtiano eſſe neceſſariam hanc fidem, quod ſi tantùm tres homines deberent ſalvari per ſanguinem Chriſti, tamen ſe certiſſimè ſtatuere debere, ſe eſſe unum ex illis tribus & contumeliam eſſe in ſanguinem Chriſti, hac de re dubitare.* Refert D. Probus in orat. de vita Frid. Myconii. E.2. & Wolffius tom.2. memorab. p.r. Jerem Patriarcha Conſtantinopolit. ut patet ex Actis Wirtemberg. δεῖ πιστεύειν ἀδιστάκτως, ὅτι τὸ ἀμφιβάλλειν καὶ διστάζειν ἐν πίστει ἄπιστόν ἐστι.

93. Quid, quòd quidam ex ipſis Adverſariis dubitationem vel manifeſtè improbant vel talia ponunt principia, ex quibus μορμολυκεῖον illud dubitationis evertitur. ** cap. Firmum diſt. 2. de pœnit. *Firmum Dei fundamentum ſtat immobile habens ſignaculum hoc. Dominus novit, qui ſunt ejus. Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit, aut ſi qui ſunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita iſta finiatur & deleta quæ intercurrerat, iniquitate ad finem perſeverantia deputatur.* Andr. Fricius lib. 4. de Rep. emend. cap.11. *Neceſſariò faciendum eſt, ut in illa Chriſti juſtitia, quæ perfecta eſt, omnes acquieſcant, quicunque de remiſſione peccatorum, adoptione ſui in filios Dei ac donatione vitæ æternæ certi eſſe volunt.* ** Enchirid. Colonienſe (cujus autor exiſtimatur fuiſſe Gropperus) edit. Anno 36. ſol.170. *Fatemur, verum eſſe, ad juſtificationem hominis omninò requiri, ut homo credat, non tantùm generaliter, quòd propter Chriſtum verè pœnitentibus remittantur peccata, ſed & quòd ipſimet homini credenti remiſſa ſint propter Chriſtum per fidem.* Georgius Caſſander in ſua conſultatione cap. de Juſtificatione. *Ad juſtificationem conſequendam requiritur talis fides, quâ homo exemplo Abrahæ ad promiſſionem Dei non hæſitet propter diffidentiam, ſed præter ſpem in ſpem credat, Deum videlicet credenti in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Chriſtum à mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram, imputaturum hanc fidem ad juſtificationem, & eum, qui mortuus erat peccato per S.S. vivificaturum.* ** Idem in judic. ſuper quart. articul. Conf. *Certè nemo eſt Eccleſiaſticorum nec è Scholaſticis quidem, qui non hanc fiduciam & certitudinem de gratia & miſericordia Dei & glorificatione futura diligenter urgeat & dubitationi ac diffidentiæ opponendam doceat &c. Rectè docet Enchiridion* (Colonienſe) *loca illa divina Scriptura,* (Beatus homo qui ſemper eſt pavidus. Item cum metu & tremore operemini ſalutem

Teſtimonia Adverſariorum.

ve-

*veſtram) non reſpicere juſtificationem, nec fiducia de miſericordia Dei quicquam detrahere, ſed reſpicere jam juſtificatos. Hi enim, ſi ſentiant, ſe Dei beneficio innovatos, abſit ut poſthac ſibi vivant.*** Anton. Marinar. Orat. in conſeſſu Patrum Concilii Trident. Dominicâ 4. in Quadrageſima Anno 1546. habitâ, dubitationem ex profeſſo refellit inter alia ſic ſcribens: *Proinde qui ſuis operib. fidũt, de divina erga ſe benignitate dubitare ſolent, & per intervalla & vices huc atq; illuc alternando fluctuare ut nusquam eis portus, nuſquam fidæ ſtationis ſpes appareat, facileq; ad deſperationem in gravibus periculis infeliciſſimâ ratione tendunt. Qui autem ſuis diffiſi viribus, ſuorumque operum rejectâ fiduciâ, in Dei benignitate & clementia conquieſcunt, nec cogitare unquã poſſunt ſeſe à Deo eſſe rejectos, illumque præſtiturum non eſſe, quod eis pro ſua miſericordia promiſit; Eſt certè hoc vivæ fidei ingenium, nos in DEUM, ut filios in patrem erigere; Chriſtum noſtrum noſque viciſſim Chriſti facere, ut cum eo unum corpus ſimus, eodemq; vivamus, regamur, lætemur & gloriemur Spiritu.* Et paulò pòſt. *Quamobrem in dubitationis labyrintho non errant, qui per Chriſtum adepti ſunt juſtitiam, ſed in ſecuritate mentis, in pace conſcientiæ, in lætitia cordis edocti Spiritu illo, qui illis teſtimonium reddit, quòd ſunt filii Dei, audent dicere, Abba Pater: quanquam interim ineſt illis ſanctus ille timor, ne cadant ab eo, ad quẽ evecti ſunt, filiorum honore. Quamobrem exultant, qui Chriſtum tenent; tremunt, ne illum amittant, quemadmodum Propheta monuit. Exultate ei cum tremore.* Et ſtatim ſubjicit, *At verò caro & Satan nunquam non ſolicitant ad diffidentiam pectora juſtorum, quibuscum perpetuum eſt certamen. Nunc eos temeritatis accuſant, quòd ſcilicet divini Conſilii conſcios & participes ſeſe faciunt, dicentes: Scimus, quòd nos diligit DEUS: ſed illi ſe purgant, nempè quòd temerarii eſſent, ſi divina erga ſe caritatis tot argumentis declaratæ, præſertim Filio ad crucem demiſſo, ancipites eſſent. Nunc gravia ſuperioris vitæ commiſſa memorant, quorum non potuerunt condignam exhibuiſſe ſatisfactionem, ſed illi reſpondent, gratis per Chriſtum nobis, quia ſatisfacere non poteramus, remiſſa ſunt peccata, non eſt quòd cogitemus, quia ſolvendo non ſumus, ne dignitati mortis Chriſti detrahamus. Nunc quotidianos vitæ errores, quibus nemo non ſubjicitur, ante oculos illorum ſiſtunt, ut videlicet ſic dubiteat de benignitate DEI: Sed illi exclamant: Clementiſſimus ille Pater ad hos infirmæ naturæ lapſus connivere ſolet, cujus clementiæ non convenit illos ad vindictam imputare. Nunc ex occultis majoribus delictis, quæ homo (cujus eſt cor ut pravum, ita retruſum) non intelligit, argumenta ſumunt, quibus divino favore illos deſtitutos eſſe convincant, ſed illi excipiunt, Integra eſt peccatorum remiſſio; & cùm donat Deus manifeſta, quæ novimus, donat item occulta, quæ ignoramus, delicta. Nunc proſpera commemorant, velut quibus in hoc ſeculo eos remuneret Deus, ne in alio expectent felicitatis gloriam; ſed illi fatentur, Deum ſæpe præſentibus bonis ornare juſtos, ut proximorum neceſſitatibus conſulentes ad futuram vitam aptiores fiant. Nunc calamitates, quibus plerunque juſti affliguntur, ut aperta iræ DEI ſigna commemorant, ſed illi aſſeverant, eas eſſe manifeſta paternæ dilectionis argumenta, ut ſub diſciplina crucis eruditi filii Dei reddantur. Vexatum pectus pium ſupra omnes tandem difficultates emergit, in corde ſuo ſic loquens: Quis me ſeparabit à caritate & fiducia Dei mei, qui potentia ſua omnia continet, ſuo imperio omnia regit, ſua ſapientiâ omnia moderatur. Quamobrem neque hujus ſeculi blanditia, neque hujus carnis illecebra, neq; ulla Satanæ fulmina, neq; hæreticorum fraudes, neque amicorum deliciæ, neque neceſſariorum preces, neque parentum pietas, neque populorum furor, neque Tyrannorum crudelitas, ſeu minis perterrere, ſeu in carcerem detrudere, ſeu fortunis privare, ſeu in exilium ublegare, ſeu quolibet mortis genere perdere voluerint, a Deo Opt. Max. a Domino omnipotente, a Patre indulgentiſſimo, ullo unquam tempore me divellent. Si cœlum ruat, ſi terra evaneſcat, ſi orbis illabatur præceps, ego in eum erectus ero. Si angelus de cœlo aliud mihi perſuadere contendat, dicam ei anathema. O felicem Chriſtiani pectoris fiduciam, ô beatam Evangelici cordis pietatem, ô ſecuram Chriſtianæ mentis fiduciam.* Pertinet huc concertatio Ambroſii Catharini Archiepiſcopi Minorienſis & Dominici à Soto. quam his verbis Dominicus expoluit: *Diſſenſio, quam inter tuam meamque mentem nullam extra verba eſſe exiſtimas hac eſt in re maxima. Porro quod tu arbitraris, poſſe fieri hominem certum ſua gratiæ certitudine, quæ licet non ſit æqualis fidei Catholicæ, ſit tamen vera fides, id eſt, omnem prorſus dubitationem excludens, atque id quidem lege communi nempe teſtimonio illo, quod autore Paulo S. S. reddit Spiritui noſtro, quod ſimus filii Dei: hoc ego vero, ſalva pace & autoritate tuâ, credo eſſe omnino falſum.* Contra Catharinus in ſcripto contra Dominicum Sotum (referente Flacio lib. de diſſenſ. Pontif. pag 85.) *deduco,* ait, *contra hanc noſtram ſententiam nihil pronunciaſſe Synodum Tridentinam, quod ego in primo meo detexi libello, quem ad præſidentes ipſi Concilio (quorum alter DEO gratia ſummus eſt Pontifex Julius III.) & ad ipſam ſacroſ. Synodum deſtinavi, eos alloquens his planè verbis: addo quod ſæpius proteſtati ſint ambo præſidentes & ſpecialiter in hac controverſia, tum in conventu Patrum, tum in congregatione Theologorum & ambos audivimus conteſtantes, non videri ſibi quæſtionem hanc ſatis diſcuſſam ad deciſionem. Imo ipſemet S. S. Synodus bis declaravit, hujus rei definitionem tunc omittendam eſſe & in aliud tempus ſervandam, ſicut in actis poſſit apparere. Denique ipſe titulus noni capitis hoc manifeſtat abundè, qui ſic habet: contra inanem hæreticorum fiduciam.* Corncl. Bitontinus in cap. 8. Roman. *Qui in Chriſto Jeſu ſunt, nihil habeant unde timere debeant, ſiquidem ſecuri ſunt de ſalute.*** Rivius lib. 3. de Superſtit. pag. 234. *Jacobus Sadoletus ſcribit: Sine firma ſpe atq; fiducia in ſummum Deum fides vera non eſt.* Idem. *Quanquam fidei fundamentum ſit credere, tamen ſpes ipſa continet in ſe fidem & abſque ſpe fides inanis tota eſt.* Ruſus: *Nos inquit, qui Scripturarum more loquimur, fidem Chriſti cùm pronunciamus in uno hoc fidei verbo totum id intelligimus quod eſt credere Deo & Chriſto illiq; confidere. Non enim fides noſtra ſimplex eſt credulitas (quanquam fides & fundamentum fidei credere eſt) ſed fides in Deum plena atque integra eſt ita credere ut confidamus.* Bellarm. lib. 3. de juſtif. cap. 2. *Aliqui Catholici docent quidem eam certitudinem, quæ nullũ habeat*

de ſua ſalute formidinem. Perer. comment. in Rom. 8. num. 27. *Quidam Catholici certitudinem eam docent, cui non poſſit ſubeſſe falſum.* Vega lib. 3. de incert gratiæ cap. 36. *Quidam Catholicus tanto affectu fidem conjecturalem oppugnabat, ut eam Lutheranâ opinione deteſtabiliorem diceret, quia inquit, cùm Lutherani multum fidei tribuant, hac opinio derogat.* Ib. *Guillandus certitudinem gratia defendit prorſus ut Lutherani* cap. 7. *& talem certitudinem conſequentem fidem multi Catholici ante decretum Concil. Tridentini probabilem eſſe cenſebant & eam compluribus argumentis ſuadere conabantur.* ** Martinus Eyſengrein perquam prolixo ſcripto hanc materiam tractavit; is non tantùm dubitationis portentum improbat, ſed conſtanter negat, unquam à Pontificiis hanc opinionẽ fuiſſe traditam. Negat etiã Canonis Trid. hanc eſſe ſententiam, quòd videl. verè credentibus ſit dubitandum de gratia Dei. Et ut ab hac opinione liberet pontificios, contendit hanc fuiſſe Patrum, qui in Synodo Tridentina congregati fuerunt, ſententiam, quòd videlicet *Hypocritæ, Epicurei, hæretici, deſtituti vera fide, perſeverantes in atrocibus delictis contra conſcientiam & ſimiles, non debeant certò ſtatuere, quòd ſint in gratia,* Bellarminus lib. 3. de Juſtific. cap. 1. *incertitudinem juſtitiæ & gratiæ non ſolùm contra hæreticos* (quos ita vocat) *ſed etiam contra Catholicos quoſdam probandam eſſe ſcribit.* Evidentia dictorum Antiquitatis ipſi hæc extorſit lib. 3. de Juſtif. cap. 10. *Fatemur apud omnes pios vigere ſpei robur & fidei firmitatem & animam de Deo ſemper eſſe ſecuram.* Et paulò poſt. *Non negamus,* inquit, *oportere fidem certiſſimam, quæ dubitationem prorſus excludat, haberi de divinis promiſſionibus & ſpem etiam talem ac tantam, quæ deſiderium moriendi pariat. Deniq; divinæ promiſſioni etiam in particulari fides habenda eſt, quoniã pertinet ad veritatem promittentis.*

Hypotheſes cum dubitationis dogmate pugnantes

94. Excutiamus hypotheſes, quibus dogma dubitationis repugnat, 1. Catechiſmus Tridentinus in primum articulum Symboli: *Credendi vox, ut docent ſacræ literæ, certiſſimæ aſſenſionis vim habet, quamobrem is credit, cui aliquid ſine ulla hæſitatione certum & perſpicuum eſt.* Coſterus in Enchiridio cap. 4. fol. 171. *in illo non eſt vera fides qui dubitat;* Bellarm. 3. de Juſtificatione cap. 11. in reſp. ad 3. arg. *Fides certiſſima eſt. Neque ullus unquam Catholicus dixit: Fidem non eſſe certam aut poſſe dubitari vel cum formidine aſſentiri, in iis, quæ ad fidem pertinent.* Subſumimus, aut ergo nulla erit fides de remiſſione peccatorum & gratia Dei, aut certa eſſe debet & abſq; dubitatione. 2. Pontificii docent, *legem ab homine renato in hac vita impleri poſſe.* Atqui omnis qui perfectè poteſt implere legem DEI, poteſt etiam de ſalute eſſe certus Gal. 3. verſ. 12. *qui fecerit ea homo, vivet in eis.* 3. Docent, *peccatum originis per Baptiſmum non tantùm eſſe remiſſum, ſed penitùs extirpatum.* Atqui ubi nullum peccatum, ibi perfecta juſtitia, cur ergo dubitant de gratia Dei. 4. Johannes à Daventria contra Auguſtanam Confeſſionem ſcribens, diſputat ex Scholaſticis, præſertim Biele lib. 2. ſent. diſtinct. 27. quæſt. 4. *Deum homini facienti quod in ſe eſt, dare gratiam neceſſario, nempe neceſſitate immutabilitatis.* Cur ergo dubitant de illa gratia? 5. Docent Scholaſtici, (præſertim verò Thomas 1. 2. quæſt. 114. artic. 7.) *Omnem actum caritatis, ſeu quodlibet opus bonum ex caritate promanans, abſolutè mereri vitam æternam.* At cùm tot actus & opera caritatis faciant, quibus ſingulis vitam æternam merentur, cur de ea dubitant? 6. Docent, *Monachos habere opera quædam ſupererogationis, quæ aliis communicare queant in meritum vitæ æternæ.* Quomodo ergo dubitant Monachi de ſalute propria, cùm aliis in meritum ſalutis ſua opera queant communicare? 7. *Ingreſſionem religionis,* id eſt, Monaſtices ſuſceptionem *tam docent hominem ab omnibus peccatis purum reddere, quàm eſt infans Baptiſmi aqua recens tinctus.* Cur ergo in tanta puritate dubitant de Salute? 8. Sacrificuli & Monachi, cùm eis datur quippiam aut Teſtamento legatur, ſolent *oppignorare animas ſuas pro ſalute eorum, a quibus accipiunt beneficia.* Quòd ſi de eorum ſalute non ſunt certi, quomodo audent animas ſuas oppignorare? 9. Romanus Pontifex miſſis per omnia regna literis ac diplomatibus, *certò pollicetur remiſſionem peccatorum omnibus, qui Romam excurrunt & papales indulgentias emunt.* Atqui is hac in parte non poteſt fallere, nec pro certa pecunia incertas indulgentias dare dicendus eſt. Nec claves poſſunt errare, ut quod ille in terra ſolverit, non ſit ſolutum in cœlis, hoc enim dicerent, pugnare cũm promiſſione Petro & ſucceſſoribus data. 10. Romani Pontifices (ut patet ex Bulla Clement. VI.) *Angelis præcipere conſueverunt, ut viatorum Romam indulgentiarum gratiâ peregrinantium, ſi illos in itinere mors contingat, animas protinus exceptas in cœlum rectà deportent.* Utique ergo de illorum ſalute certi ſunt, quibus tam magnificè cavent. Cur ergo non ipſimet etiam certi eſſent, cùm Pontifex errare non poſſit? 11. Papa nonnunquam *canonizat ſanctos,* & in hac canonizatione non errat. Certus igitur eſt de illorum ſalute, ſed cur non & de ſua certus eſt? Si de propria Salute certus non eſt, quomodo infallibilem certitudinem de aliorum ſalute habere poteſt? 12. Jeſuitæ vocant ſe *Jeſu ſocios:* at nemo dubitat an ſocio ſuo carus ſit, & an à patre filius ametur. 13. Incertitudo gratiæ & ſimul tranquillitas conſcientiæ orta ex *abſolutione* poſt editam confeſſionem ſe mutuò tollunt, tranquillius enim animus excludit dubitationem illam. Si confeſſionarius verè abſolvit peccatorem, & hic abſolutionem iſtam cenſere debet ratam ac firmam, quomodo dubitare poteſt, num peccata ſibi ſint remiſſa? 14. Ad Deum clamant, *Pater noſter, qui es in cœlis,* ac preces ſuas claudunt vocula *Amen,* quæ denotat certam de exauditione precum fiduciam, quomodo ergo de favore ac gratia Dei interim dubitant & dubitandum eſſe docent? Catech. Rom. parte 4. de Orat. cap. 7. q. 3. *Fides eſt, quæ preces fundit, preces faciunt, ut dubitatione omni ſublatâ, ſtabilis ac firma ſit fides:* & paulò pòſt, *ſperare & magnoperè confidere debemus nobis omnia, quæ per Chriſtum ritè petierimus, conceſſurum Deum.* (at petimus remiſſionem peccatorum.)

95. Videamus, quibus argumentis incertitudinem gratiæ & juſtitiæ confirmare conentur Bellarminus lib. 3. de juſtific. cap. 4. profert ex Salomone tria teſtimonia. 1. Proverb. 20. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* ubi notat Bellarminus, *Salomonem non dixiſſe, neminem eſſe mundum corde & purum à peccato*

Argumenta pro ſtabilienda incertitudine gratiæ.

1 Prov. 20 Quis poteſt dicere, mũdũ eſt cor meum.

peccato, poſſe igitur homines per Dei gratiam cor mundum habere. ſed illos ipſos, qui mundi ſunt, hoc non poſſe certò ſcire. Reſp. 1. Argumentum eſt à quæſtione alienum. Loquitur Salomoo de juſtitiâ & munditie inhærente, ac negat quenquam de eâ coram DEI judicio verè gloriari poſſe, cùm ſanctiſſimi quique agnoſcant *omnes ſuas juſtitias eſſe coram Deo velut pannum mulieris menſtruatæ* Eſai. 64. verſ. 6. ac proinde *remiſſionem peccatorum quotidiè petant.* Pſal. 32 verſ. 6. & cùm Propheta Regio *amplius lavari* quotidie cupiant. Pſal. 51. verſ. 2. quin etiam cùm ab inhærentibꝰ ſordibus perfectè in hac vita non purgentur, *ex corpore mortis hujus liberari* cum D. Apoſtolo ingemiſcunt. Rom. 7. verſ. 24. Nos autem hoc loco agimus de juſtitia ac munditie imputata, cùm enim *Chriſtus factus nobis ſit à Deo juſtitia & ſanctificatio* 1. Cor. 1. v. 30. Ideò *fide in ipſum purificantur corda noſtra* Act. 15. v. 9. Cum hac imputata per fidem Chriſti juſtitia & munditie conjuncta eſt inhærens juſtitia, de qua loquitur David Pſal. 51. verſ. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* & Pſal. 119. verſ. 1. *Beati immaculati in via*, ea verò in hac vita non eſt numeris ac gradibus omnibus perfecta, ac proinde noo poteſt immotam & certam gratię divinæ fiduciam ex ſe ſe parere. 2. Regerit Bellarminus in *Scripturis quosdam vocari mundos & immaculatos* Pſa. 119. Matth. 5. Epheſ. 1. & 5. Tit. 2. *ac proinde eſſe eos verè mundos nec indigere juſtitia Chriſti imputatâ.* Reſp. Dicta illa Scripturæ noo de ſola inhærente, ſed cumprimis de imputata munditie & juſtitia loquuntur, ut alibi ex immotis fundamentis oſtendimus. Cùm enim in carne renatorum adhuc habitet peccatum, cùm quotidianis infirmitatibus renati adhuc obnoxii ſint, cùm quotidiè petant peccatorum remiſſionem, cùm judicium Dei deprecentur, quomodo inhærens mundities in ipſis poteſt eſſe perfecta? indigent igitur aliâ munditie & juſtitiâ, quâ coram ſanctiſſimis & mundiſſimis Dei oculis ſubſiſtere poſſint. Quinimò cùm ipſe Bellarminus concedat venialia quædam peccata renatis adhuc adhærere, quomodo perfectionem inhærentis munditiei obtinere poterit? 3. *At*, inquit Bellarminus, *Lutheranos non juvat hæc reſponſio tùm quia non diſtinguunt peccatum mortale à veniali, tum quia non eſt probabile de ſolis venialibus Salomonem loqui, cum ſola venialia non impediant, quò minùs homines juſti & immaculati dicantur.* Reſpond. ad prius, quamvis non eo modo peccata veoialia & mortalia diſtinguamus, quo Bellarminus & alii Pontificii, verè tamen ea in renatis diſtinguimus, ut ſuo loco in tractatu de peccatis actualibus latè dictum fuit: ad poſterius dicimus, quamvis peccata venialia non impediant, quò minùs renati dicantur mundi & immaculati, impediunt tamen quò minùs propriam & inhærentem ſuam juſtitiam coram DEI judicio ſtabilire poſſint, ut in ſequentibus manifeſtè demonſtrabitur.

2. Eccleſ. 9. *Neſcit homo, an amore vel odio dignꝰ ſit.* 96. 2. Eccleſ. 9. *Sunt juſti ac ſapientes & opera eorum in manu DEI, & tamen neſcit homo, utrum odio vel amore dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Ergo juſti non poſſunt ſcire, utrum amentur à Deo, an non.* Reſpond. 1. Ipſe Salmeron in comment. 1. Corinth. 12. diſput. 14. §. ſed objiciunt, agnoſcit vitioſè hunc locum adduci contra certitudinem gratiæ. *Hic locus*, inquit, *nequaquam probat, quòd aliqui indè accipiunt, hominem neſcire amorem Dei ergà ſe, quia ſequitur in textu: neſcit an vel odio dignus ſit. At impii propter maxima ſua ſcelera norunt ſe maximè dignos eſſe odio Dei.* Rectè igitur Mercerus Profeſſor Pariſ. in comm. h. l. *Cavendum eſt Lector, ne cum vulgato Interprete aut erres, vel cum Sophiſtis occaſionem errandi ſumas, qui docent, non debere nos eſſe certos in conſcientia de amore Dei, hoc eſt, apertè contra Scripturas & fidei noſtræ caput de remiſſione peccatorum.* 2. Ne ipſe quidē Bellarminus ſalvis ſuis hypotheſibus hunc locum eò torquere poteſt, quòd abſolutè & ſimpliciter ſciri non poſſit, an quis ſit in gratia, ipſe enim non ſolùm quandam opinionem, ſed etiam conjecturalem, uti vocat, certitudioem de gratia divina juſtis concedit, jam verò Salomon ſimpliciter pronunciat: *Neſcit homo*; 3. Fidei analogia oon concedit, ut abſolutè & ſimpliciter hic locus accipiatur. Neque enim ſolùm dicitur, *hominem neſcire, an ſit amore dignus*, ſed etiam additur, *neſcire hominem an odio dignus ſit*; quid verò? num dubium eſt, an Sodomitica & alia graviſſima ſcelera ſint odio digna? an qui in illis vivunt, dubitare debent, an ſint odio digni? abſit hoc cùm certiſſimo & infallibili non ſolùm legis ſed & conſcientiæ teſtimonio ſcelerati coovincantur, ſe non ſolùm odio Dei dignos, ſed etiam iræ ejus actu obnoxios eſſe. 4. Ipſe Salomon paulò pòſt addit verſ. 7. *Vade, comede in gaudio panem tuum, & bibe in corde bono vinum tuum, quia opera tua placent Deo*, quomodo ergò vellet abſolutè & ſimpliciter ſciri non poſſe, an homo Deo placeat & ſit in gratia? 5. Quis ergò verus hujus loci ſenſus? Reſpond. Eum non noſtris, ſed Cajetani verbis exprimemus. *Significat Salomon, ex rebus externis nos non poſſe diſcernere bonum aut malum.* Pineda in cap. 21. Jobi. *ſignificat Salomon his verbis, omnia in futurum ſunt, magnam rerum humanarum confuſionem, cùm bona malis & mala bonis permiſceantur.* Senſus igitur eſt, non poſſe oec debere homines ex eventibus externis in hac vita ſtatuere, utrum Deo placeant, cùm omnia omnibus ſimiliter eveniant, hoc eſt, cùm & proſpera & adverſa tàm piis quàm impiis in hac vita ſint communia. Quinimò pii quandoque majoribus calamitatibus ſubjecti ſunt, quàm reliqui & impii majore proſperitate exteriùs fruuntur, quàm ceteri. Hunc eſſe verum & genuinum hujus loci ſenſum ex foote Hebræo & ex integra ſerie contextus manifeſtè apparet. Hebræa ſic habent:

גַּם־אַהֲבָה גַּם־שִׂנְאָה ·
אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לִפְנֵיהֶם

Gham-ahabháh Gham-Schináh Ên jodéah haadámhakkol liphnchæm,

Pagninus: *Etiam amorem. etiam odium neſcit homo, Omnia ante eos ſunt.* Bened. Arias, *Etiam amorem, etiam odium non ſciens homo; omnia ad facies eorum*: poſtea additur v. 2. *Omnia ſic eveniunt, tanquam eſſet unus omnibus eventus, juſto & impio; bono & mundo & immundo & ſacrificanti & ei qui ſacrificat.* v. 3. *Hoc malum eſt inter omnia quæ fiunt ſub Sole, quod eventus unus omnibus*; ex quibus omnibus fluit ille ſenſus, quòd ex fortuna externa non poſſit judicari, an placeamus, an verò diſpliceamus DEO, cùm univerſa

æquè eveniant juſto & injuſto. 6. quâ verò ronſequentiæ ſpecie inde infertur. Ex eventibus externis non poteſt cognoſci, an homo ſit in gratia vel odio Dei. E. ſimpliriter hoc ſciri nequit, & per conſequens fides etiam ex verbo Dei debet eſſe incerta? Hæc verò eſt fallacia à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. 7. Salomon in eodem libro diſputat, ex illis quæ exteriùs accidunt, non poſſe cognoſci utrum differat hominis anima à pecude, cùm idem ſit utriusque interitus. Ergonè ex eo inferemus, abſolutè & ſimpliciter non poſſe hoc ſciri? 8. Rectè ergò Bernhard. ſerm. 5. in dedicat. *Quis ſcit, ſi eſt dignus amore vel odio? hic jam planè fidem nobis ſubvenire neceſſe eſt, hic oportet ſuccurrere veritatem, ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per Spiritum ipſius reveletur.* 9. Ut interim prætermittamus, quòd Hebæi quidam doctiſſimi amorem & odium per metonymiam de re amata & exoſa interpretentur hoc ſenſu. Id quod diligit homo & id quod odio habet, in manu DEI eſt, qui vel illud tribuat, vel avertat; & homo ipſe ſenſu id perripere nequit, cùm hoc ſit ante ipſum, hoc eſt, cùm illud adhuc expectet, vel cùm longè ante ſingula decreta ſint ſive bona ſive mala quæcunque ſunt eventura, ſicut & verſ. præced. dicitur, *Opera eorum ſunt in manu DEI*, id eſt, conſilio & providentiâ Dei reguntur: quæ interpretatio nec cum textu nec cum fidei analogia pugnat. R. Salomon ſic exponit: Niſi homines ſint juſti & ſapientes, non advertunt, num diligantur aut odio habeantur, omnia igitur ſunt ante eos, hoc eſt, juſti omnia hæc conſiderant. Sed præferimus nos priorem explicationem, quod ex eventibus externis non poſſit nec debeat judicari, utrum aliquis à Deo ametur nec ne? quid contra hanc explicationem Bellarminus? 10. Regerit, *Salomonem non loqui niſi de juſtis, ut appareat ex verbis præcedentibus. Sunt juſti ac ſapientes, & opera eorum in manu DEI, ut & ex comment. Hieronymi.* Reſpond. Non de ſolis juſtis loquitur Salomon, ſed in genere pronunciat; Neſcit *homo*, quam appellationem Univerſalem eſſe patet ex ſequentibus. *Omnia ſic eveniunt, tanquam eſſet unus OMNIBUS eventus, juſto & impio, bono & immundo &c.* ubi ipſe Salomon terminum indefinitum exponit Univerſaliter, eundemque in juſtos & impios diſpeſcit: proinde non de ſolis juſtis loquitur, quod neſciant, an ſint odio vel amore digni, ſed univerſaliter pronunciat, neminem hoc ſcire, nimirum ex eventibus externis, cùm juſto & injuſto eadem in hac vita eveniant. 11. rationem illam additam, *eò quod univerſa æquè eveniant juſto & impio*, Bellarminus *non de eventis pio & impio communibus, ſed de beneficiis DEI accipiendam eſſe*, argutatur, hoc ſenſu: *Si poſſet homo juſtus certò cognoſcere, utrum diligatur à Deo, maximè id cognoſceret ex beneficiis DEI, at beneficia DEI communia ſunt juſtis & impiis.* Reſp. De eventis pio & impio communibus Salomonem loqui & ex illis certitudinem odii vel amoris colligi poſſe, negare, ex textu maniſelliſſimum eſt, ſic enim habent verba: *Etiam amorem, etiam odium non ſciens homo, omnia ante faciet eorum.* verſ. 2. *Omnia eveniunt ac ſi eſſet omnibus eventus unus juſto & impio &c.* verſic. 3. *Hoc malum ſub Sole, quod eventus unus omnibus*, ita enim vocem מִקְרֶה mikræh, & Pagninus & Arias & Vatablus reddiderunt. Accepiamus autem quod Bellarminus dixit, Salomonem hoc velle, quod ex beneficiis Dei non poſſit certò colligi, utrum quis diligatur à Deo, an verò ſecus; ſed addimus, beneficia Dei eſſe duplicis generis, quædam Corporalia, quædam Spiritualia. Ex corporalibus beneficiis, utpote ſanitate, pulrritudine, divitiis, numeroſa prole &c. non poteſt colligi, ſitne homo apud Deum in gratia, cùm beneficia illa etiam mundanis & impiis contingant. Spiritualia beneficia iterum ſunt duplicia; quædam ſolis piis & Deo dilectis competunt, ut reconciliatio, remiſſio peccatorum, juſtitià, fides ſalvifica, donatio Spiritus ſancti &c. ex illis omninò de gratia DEI colligi certum quid poteſt, *Juſtificati* enim *fide pacem habemus apud Deum* Roman. 5. verſ. 1. quædam verò ſunt chariſmata in uſum Eccleſiæ quibusdam data, quæ itidem nondum probant hominem eſſe apud Deum in gratia, talia ſunt, donum miraculorum, donum linguarum, & reliqua 1. Cor. 12. atque alibi enumerata. (Bellar. diceret, alias eſſe *gratias gratis datas*, aliam verò *gratiam gratum facientem*) 12. *At*, inquit Bellarminus, *non eſt neceſſe, ut ratio æque lateat atque ipſa concluſio, quæ ratione probanda eſt, Salomon igitur rectè probat, non poſſe homines juſtos certò cognoſcere, utrum diligantur à DEO, quia ſi id poſſent cognoſcere, ex beneficiis maximè id cognoſcerent, interim ex eo non ſequitur, quod tantummodo ex eventibus externis, non autem ſimpliciter gratiæ certitudinem haberi poſſe neget.* Reſp. Imò verò concluſio nunquam eſt latior præmiſſis, ſed vel anguſtior vel æquè latè patens cum illis, ut omnes Logici docent & evidens ratio convincit; Concluſio enim eſt effectus præmiſſarum, jam verò nihil eſt, nec eſſe poteſt in effectu, quod non ſit vel fuerit in cauſa vel formaliter vel virtualiter & eminenter. Quare cùm ex eventibus pio & impio communibus incertitudinem gratiæ Salomon probet, non poteſt inde univerſalis & abſoluta concluſio inferri, quod ſimpliciter & nullâ ratione homo ſcire poſſit, ſe in gratia eſſe. 13. Regerit Bellarminus: *Falſam eſſe illam interpretationem, neſciunt an odio vel amore digni ſint, id eſt, neſciunt id non abſolutè, ſed ex præſenti rerum eventu perſpicuum eſt, ex illis verbis proximè ſequentibus: ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Si enim ſciremus, nunc eſſe juſtos & amore dignos, non eſſet verum omnia in futurum incerta ſervari.* Reſp. Agnoſcat verò vel tandem Bellarminus, vulgatam tranſlationem diſcedere à fonte Hebræo, quòd tamen tàm ſtrenuè negat. Hebræa habent: *Etiam amorem etiam odium neſcit homo.* Vulgata legit: *Neſcit homo, utrum odio vel amore dignus ſit*; at in Hebræo nulla fit dignitatis mentio. Hebræa habent, *Omnia ante facies eorum* (ut Arias) *vel omnia ante eos ſunt* (ut Pagninus & Münſterus verterunt) Vulgata legit: *Omnia in futurum ſervantur incerta*, at in Hebræo nulla fit mentio futuræ incertitudinis. *Omnia ante eos ſunt*, hoc eſt, coram aſpectu externo & judicio rationis omnia æqualiter eveniunt omnibus ſive pii ſint ſive impii, ita enim in verſ. proximè ſequente id exponitur. Quæ de Catharini & Calvini reſponſionibus Bellarminus addit, judicari poſſunt ex præcedentibus.

97. Ec-

3. Eccl. 5 de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.

97. Eccleſ.5. *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* *Hic locus* (inquit Bellarminus) *mirificè pungit hæreticos hujus temporis, ipſi enim propriè illi ſunt, qui, ubi fide ſibi viſi ſunt juſtitiam Chriſti apprehendiſſe, nullo deinceps metu tanguntur, & quamvis adjiciant peccatum ſupra peccatum, putant ſibi ſalutem perire non poſſe, quia miſeratio Domini magna eſt & credentibus non imputat multitudinem peccatorum.* Reſpond. 1. Bellarminus contra conſcientiæ ſuæ teſtimonium tàm liberè conviciatur, novit enim & aliis in locis disertè hoc de nobis reſtatur, quòd ſtatuamus, fidem juſtificantem non poſſe à bonis operibus ſeparari, renatis in vero timore Dei vivendum non eſſe adjicienda peccata peccatis, per peccata contra conſcientiam fidem & Spiritum S. excuti, qui indulgent carni, eos gratia Dei & ſalute excidere. Hæc omnia à nobis doceri & inculcari tam novit Bellarminus quàm ſuos digitos, cur igitur tam audacter calumniatur? 2. dicimus cum Chemnitio, locum illum in vulgata verſione non rectè eſſe redditum, cùm in Græco legatur *περὶ τοῦ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις.* *De propitiatione ne ſine timore ſis in abundantia ad addendum peccata peccatis.* Vel ut Vatablus reddidit: *De venia ne ſis nimium ſecurus, ut peccata peccatis cumules.* Concionatur itaque contra carnalem ſecuritatem, ne quis cumulet peccata ſine pœnitentia, ideò quia propoſita ſit propitiatio. 3. Hanc interpretationem contextus manifeſtè probat, v. 4. *Ne dixeris, peccavi & quid factum eſt mihi triſte? Nam Dominus eſt patiens, non te dimittet.* verſic.5. *de propitiatione ne ſis ſine timore &c.* v.5. *ne dicas miſeratio ejus multa, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira apud ipſum properabit & in peccatores requieſcet ira illius.* verſic. 6. *Ne tardes converti ad DOMINUM.* 4. Agnoſcunt veritatem hujus interpretationis ipſimet Pontificii. Janſenius Epiſcopus Gandavenſis: *Hebraicè legitur, de propitiatione noli eſſe ſine metu & intelligitur de obtinenda remiſſione peccati perpetrati, contra præſumptionem, non de propitiato pro perpetrato ut vulgata habet, cui textus repugnat.* Sacroboſc. part.3. defenſ. Bellarm. cap. 6. §. Rurſus: *Janſenius intelligit hunc locum de peccatis præteritis, Bellarminus de futuris, ſed Janſenii expoſitio eſt probabilior* (niſi veritatis evidentia id Sacroboſco extorſiſſet, Bellarminum, cujus patronum ex profeſſo in illo libro agit, non deſeruiſſet, addit autem) *intelligitur hic locus de propitiatione futura, tum quia Græca ad verbum expreſſa ita ſe habent, de propitiatione noli eſſe ſine metu, ut adjicias peccata peccatis, tum quia ſequitur, ne dicas Deus peccatorum meorum miſerebitur.* 5. Quid ad hanc lucem Bellarminus regerit. *Syraciden hîc loqui de propitiatione præterita, ac de futura adjungere quæ ſequuntur, ne dicas, miſeratio Domini magna eſt &c.* Similem locum eſſe dicit Eccleſ.21. *Fili peccaſti ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi ut tibi dimittantur*, ubi duplex ſolicitudo injungatur, una pro futuris, altera pro præteritis. Reſpond. Ipſe ſonus verborum & ſeries contextus luce meridianâ clarius oſtendit, non de præterita ſed de futura propitiatione Syraciden loqui. *Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας*, *de propitiatione non ſis ita ſine timore ut addas peccata &c.* Cùm in verbis præcedentibus dixiſſet: *Ne dixeris, peccavi, & quid mihi accidit?* tum ſubjungit *de propitiatione*, quam ex non punito peccato etiam in futurum ſibi permittunt homines ſecuri, *ne ſis adeò ἄφοβος ἐν πλεονασμῷ προσθεῖναι ἁμαρτίας, ut peccata adjicias*, quæ ἐκ θέσεως & προσδιορισμὸς manifeſtè oſtendit, quatenus de propitiatione ἄφοβον quempiam eſſe nolit. cap.21.v.1. Itidem à carnali ſecuritate dehortatur & pro præteritorum remiſſione potius humiliter precandum, quàm in peccatis ſecurè pergendum eſſe docet. Quæ verò hæc conſequentia? debemus pro peccatis prioribus deprecari, ergò de remiſſione eorum non poſſumus eſſe certi, contrarium potiùs inde infertur, quia preces pro peccatorum remiſſione nituntur immota & infallibili DEI veracis promiſſione, ideò de ea certi eſſe poſſumus. 6. At, inquit Bellarminus, *Si daremus loqui Eccleſiaſticum de propitiatione futura, adhuc error adverſariorum non difficulter everteretur. Nam ideo de propitiatione futura non poſſumus eſſe ſecuri, quia neſcimus an habebimus ſpacium pœnitentiæ: proinde requiritur ad obtinendam indulgentiam ex parte noſtra ſeria converſio & pœnitentia. Quis autem poteſt eſſe certus, præſertim ex fide divina, ſe veram habere converſionem & pœnitentiam?* Reſpond. Imò verò quando ex lege peccata agnoſcimus, feriò de illis dolemus, eadem deteſtamur ac fugimus: Deinde ex Evangelio fiduciam divinæ miſericordiæ in Chriſto Mediatore propoſitæ concipimus, de vera & ſeria converſione certi ſumus, quam & conſequentes fructus poſtea demonſtrant. De tota hac re alibi plura.

Exempla Iobi, Davidis & Pauli.

1. Iob 9. Si juſtificare me voluero, os meũ condemnabit me.

98. Cap. 5. producit Bellarminus teſtimonia & exempla Jobi, Davidis & Pauli. 1. Job. 9. *Si venerit ad me, non videbo eum: ſi abierit, non intelligam.* Item, *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit, etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et infra. *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parcis omni delinquenti.* cap. 31. *Quid faciam, cum ſurrexerit ad judicandum Dominus, & cum quæſierit, quid reſpondebo illi?* Ergò Jobus non auſus fuit certitudinem propriæ juſtitiæ & gratiæ ſibi arrogare. Reſp. 1. Loquitur S. Jobus de operum ſuorum juſtitia, quod eam non audeat judicio Dei opponere. Quamvis enim fuerit *perfectus, rectus, timens Deum & recedens a malo* Job. 1. v. 1. tamen agnovit imperfectionem & immunditiem operum juſtitiæ adhærentem, propter quam coram Dei tribunali eidem confidere nec potuit neque etiam debuit. 2. Alia verò quæſtio eſt de promiſſione gratiæ in Evangelio oblata, an firmâ cordis fiduciâ eam Jobus fuerit amplexus ac certò ſtatuerit, propter Chriſtum promiſſum Mediatorem ſe DEO placere, in gratia apud ipſum eſſe & ex omnibus adverſis adeoque ex ipſa morte erutum ad vitam olim reſuſcitandũ eſſe, ibi certè Jobus non dubitanter, ſed plenâ fidei πληροφορίᾳ pronunciat cap.19. verſ.25. *Scio quod Redemtor meus vivit, & in noviſſimo die ex pulvere me ſuſcitabit.* verſ.26. *& in carne mea videbo Dominum.* 3. Ex his facilè apparet, quid in ſpecie ad ſingula Jobi dicta reſpondendum ſit.

verſ.2 *Verè novi* (inquit) *quòd ita ſit, & quòd non juſtificetur homo coram Domino* (quòd nemo coram ſevero judicii divini examine ſit mundus & juſtus propriâ ſcilicet operum ſuorum juſtitiâ) *Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum ex mille* (ex mille delictorum accuſatione, ne ad unam quidem reſpondere poterit) verſ.11. *Si venerit ad me, non videbo eam: ſi abierit, non intelligam* (Hebr. Ecce tranſibit ſuper me & non videbo, præteribit & non intelligam eum, id eſt, in judiciis & conſiliis ſuis tam celer eſt & mirus, tamque ſubitò actiones ſuas immutat, ut nemo illius rationes agendi deprehendere aut inveſtigare poſſit) verſ.20. *Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me.* (ſi me juſtum eſſe affirmare voluero, extorquebit mihi nihilominùs culpæ confeſſionem, cùm non auſim dicere, me eſſe innocentem & abſque peccatis.) *ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit* (ipſa innocentia mea coram ſevero Dei judicio aliquid pravitatis admixtum habere deprehendetur.) verſ. 21. *etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea* (Hebr. perfectus ego & non noſcam animam meam, id eſt, tantis me terroribus conſcientiæ opprimet, meque ita perturbabit, ut nec ea, quæ pro defenſione juſtitiæ meç afferri poſſent, in mentem veniant) verſ. 28. *Verebar omnia opera mea, ſciens quia non parcis omni delinquenti* (Hebr. timui omnes dolores meos, ſciens, quòd non facies me innocentem, hoc eſt, quòd me non tractes ut hominem innocentem cap.31.v.13. *Num contempſi ſubire judicium cum ſervo meo &c.* verſ. 14. *Quid enim faciam, cum ſurrexerit Deus ad judicandum & cum quæſierit, quid reſponderem illi?* (h. e. ſi adulteriis, injuſtitiæ & aliis peccatis indulſiſſem, quid facerem, ſi Deus aliquando conſurgeret ad judicandum, & quid reſponderem, ſi viſitaret, ut redderet unicuique juxta opera ſua? Hæc omnia fiduciam juſtitiæ propriæ coram DEI judicio ſubſiſtere valentis potentiſſimè evertunt, ſed certitudinem gratiæ in Chriſto nobis propoſitæ non labefectant.

Pſ.19. Delicta quis intelligit? ab alienis parce ſervo tuo.

99. 2. David Pſal. 18. *Delicta quis intelligit?* inquit, *& ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo. Ergo David incertus fuit de juſtitia & gratia.* Reſpond. 1. David non ſolùm incertus fuit de perfectione juſtitiæ propriæ, ſed etiam expreſsè negavit, ſe per eam coram DEI judicio ſubſiſtere poſſe. Pſal. 32. verſ.6. *pro peccatorum remiſſione rogabit ad te omnis Sanctus.* Pſal. 130. verſ. 1. *Si peccata imputare volueris, quis ſuſtinebit?* Pſal. 143. verſ.2. *Ne intres in judiciũ cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Agnovit igitur peccata occulta, defectus adhærentes, abſconditam Naturæ corruptionem, ideoque peccatorum remiſſionem humiliter petiit. 2. at de gratia divina propter Meſſiam credentibus promiſſa & remiſſione peccatorum interim non dubitavit, ita enim magnâ fiduciâ pronunciat Pſal. 32. verſ. 1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* (num verò in generali illo aſſenſu ſubſiſtit, quod in Eccleſia vigeat donum remiſſionis, interim verò de ſpeciali applicatione dubitat? minimè v. ſed addit) v.5. *Dixi, confitebor Domino prævaricationes meas & tu remiſiſti* ſive abſtuliſti *iniquitatem peccati mei.* Ex hac certitudine de remiſſione peccatorum effloreſcit poſtea robur illud fidei, quod in Davide apparet Pſal. 23. v. 4. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 26. verſ. 1. *Dominus lux mea & ſalus mea à quo timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, à quo trepidabo?* verſ.13. *Credo autem me videre bona Domini in terra viventium.* Pſalm. 31. verſ. 1. *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.* Pſalm. 125. verſ. 1. *Qui confidunt in Domino, ſunt ſicut mons Sion, non commovebuntur in æternum.*

100. 3. 1. Cor. 4. dicit Apoſtolus: *nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus, i. e. non ideo juſtus ſum, quia bonam conſcientiam habeo, fortaſſè enim Deus videt in conſcientia mea id, q. ego ibi non video. E. incertus fuit de juſtitia & gratia.* Reſp. 1. Paulus non tantùm dubitat, an ſua novitate & ſuis operibus ſit coram Deo juſtificatus, ſed diſertè dicit: *In hoc non ſum juſtificatus*, & rationem addit: *qui me judicat, Dominus eſt*, hoc eſt, licet conſcientia mea me non reprehendat & coram hominibus ſim irreprehenſibilis: tamen coram DEI judicio non poteſt illa juſtitia conſiſtere. Aliam igitur Apoſtolus quærit juſtitiam in obœdientia & merito Chriſti Philip.3. verſ.9. quam ſcilicet opponere poſſit judicio & iræ Dei, ut reconcilietur, adoptetur & acceptetur ad vitam æternam, & de illa juſtificatione non dubitativè pronunciat, ſed Roman. 5. verſ.1. *Juſtificati fide pacem habemus.* verſ. 2. *fide acceſſum habemus ad gratiam, in qua ſtamus & gloriamur.* Rom. 8. v. 34. *Quis accuſabit? quis condemnabit? Deus eſt qui juſtificat.* Non ergo veræ fidei in Chriſtum adimit fiduciam & certitudinem ſuæ juſtificationis, ſed ſuis operibus nõ dubitativè ſed ſimpliciter adimit juſtificationem, non tantùm quæ fecit ante converſionem, ſed cùm renovatus per Spiritum in novitate eo uſque progreſſus eſſet, ut dicere poſſet, *nihil mihi conſcius ſum.* addit tamen, *in hoc non ſum juſtificatus, quia qui me judicat, Dominus eſt*, cujus judicium requirit talem perfectionem, ut qui in uno delinquit, reus ſit omnium. Hæc totidem verbis Chemn. ſatis nervoſè & perſpicuè p. 1. Exam. p.312. Ad hunc locum Apoſtolicum alludit Auguſt. lib.3. contra Creſcon c.3. ſic ſcribens: *Ad exiſtimationem humanam magnateſtium, qui me noverunt, ſuppetit copia: ad Dei verò conſpectum ſola conſcientia, quam cùm contra veſtras criminationes intrepidam geram, non me tamen ſub oculis omnipotentis juſtificare audeo, magisque ab eo effluentem miſericordiæ largitatem, quam judicii ſummum examen expecto, cogitans quod ſcriptum eſt, cum Rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur ſe caſtum habere cor, aut mundum eſſe a peccatis?* 2. Quid contrà Bellarminus? regerit, *hanc expoſitionem abſurditatis convinci ex illis verbis: Nihil mihi conſcius ſum: nam vel ſignificant illa verba, Non agnoſco in me ulla peccata quaſi revera in me exiſtentia & inhærentia: vel ſignificant: video mea peccata per miſericordiam Dei ſecta & ideo exiſtimo, non eſſe ampliùs mea, quamvis in me ſint & vivant: Si primum, falſum erit Apoſtolum non fuiſſe juſtum coram Deo ex ulla virtute & qualitate. Quomodo enim non eſt juſtus ex interiori puritate & virtute, ſi revera nullam in eo peccatum inhæret? Si ſecundum, falſum erit illud: non in hoc juſtificatus ſum. Nam ſi B. Paulus nihil ſibi conſcius erat, quia peccata*

1. Corin. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus.

non

non imputari ſibi & per non imputationē tecta eſſe credebat. certè per hoc ipſum juſtificabatur ex ſententia Lutheranorum. Reſp. neuter horum ſenſuum textui congruit, quando enim Apoſtolus dicit: *nihil mihi conſcius ſum*, nequaquam ab omni peccato reverâ inhærente ſe immunem eſſe gloriatur, cùm contrarium diſertiſſimis verbis teſtetur, Rom. 7. v. 17. *habitat in me peccatum*, verſ. 23. *video aliam legem* (peccati) *in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ſed à peccatis mortalibus conſcientiam vaſtantibus ſe immunem eſſe aſſerit, perinde ut 2. Cor. 1. v. 12. ad conſcientiæ teſtimonium provocat: *Hæc* (inquit) *eſt gloriatio noſtra teſtimonium conſcientiæ noſtræ*: Nec ſimpliciter negat ſe eſſe juſtificatum, cùm de ſe & aliis credentibus diſertiſſimè pronunciet Rom. 5. v. 1. *Juſtificati fide pacem habemus*, ſed *in hoc* ſe juſtificatum eſſe negat, id eſt, juſtitiam illam bonæ conſcientiæ coram ſevero judicii divini examine conſiſtere poſſe negat, cùm nondum ſit ab omni labe peccati libera. 3. Pergit Bellarminus, *expoſitionem noſtram repugnare ſcopo ſive propoſito Apoſtoli. Cupiebat deterrere Corinthios à judicio temerario, ad hoc animi propoſitum nihil pertinet illa ratio. Non juſtificor ex virtutibus aut qualitatibus meis, ſed ex Dei miſericordia non imputante peccata.* Reſp. imò verò quid efficacius eſt ad compeſcendam temerarii de aliis judicii petulantiam, quàm hæc conſideratio, quòd ſint occulta quædam in nobis delicta puriſſimis Dei oculis obvia, propter quæ non poſſimus coram ipſo conſiſtere, ſi in judicium nobiſcum voluerit intrare, proinde abſtinendum eſſe à temeritate alios judicandi & condemnandi, ne & nos propter noſtra peccata judicemur & condemnemur. Luc. 6. v. 37. 4. *Denique expoſitionem noſtram* dicit *repugnare expoſitioni Patrum, qui ex hoc loco colligant incertitudinem gratiæ*, ubi allegat *Ambroſium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum & Bernhardum.* Reſp. examinentur illæ veterum expoſitiones in hunc locum & apparebit, quod non de incertitudine gratiæ, ſed de humilitate Apoſtoli textum interpretentur, quòd propriis ſuis operibus & inhærenti juſtitiæ laudem juſtificationis coram Deo tribuere noluerit, cùm ſcriptum noviſſet: *delicta quis intelligit?* de fidei juſtitia & gratia Dei in Chriſto nobis exhibita, non dubitanter, ſed magna παῤῥησίᾳ pronunciat Apoſtolus Rom. 8. v. 16. *Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.* v. 24. *Spe ſalvi facti ſumus.* v. 33. *Deus eſt qui juſtificat.* v. 34. *Quis eſt qui condemnet?* v. 38. *Certus ſum, quod neque mors neque vita &c. ſeparare nos poſſit à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* 5. Tiletan. in refut. Confeſſ. Antverp. *Particulam, in hoc, non ad proximè præcedens, nihil mihi conſcius ſum, ſed ad id quod longè ante præceſſerat, non dijudico meipſum referendum eſſe diſputat*, nimirum ut effugiat vim argumenti noſtri, quod ex hoc loco contra juſtitiam operum deducimus. Reſp. Pronomen hoc omnium Grammaticorū teſtimonio ad id, quod proximè præcedit, referri ſolet, ideoq; veteres omnes unanimi conſenſu, quin & Gagneus Theol. Pariſienſ. ac Bellarm. ad proximè præcedens referunt. Adde quod in judicio de ſe non poſſit eſſe magna juſtitia, at in eo, quòd aliquis nihil ſibi conſcius eſt, omninò quædam non parva juſtitia eſſe videtur, hanc ipſam tamen negat Apoſtolus coram Deo juſtificare.

101. Cap. 6. incertitudinem gratiæ ex variis Prophetarum & Apoſtolorum dictis probare conatur Bellarminus, ubi 1. producit ea teſtimonia, *quæ requirunt ex parte noſtra varias conditiones ut juſtificemur.* Deut. 4. *Cùm quæſieris Dominum, invenies eum, ſi tamen in toto corde eum quæſieris & in tota tribulatione animæ tuæ.* 2. Paral. 6. *ſi converſi fuerint ad te in toto corde ſuo, & in tota anima ſua, tu exaudies de cœlo.* Eſai. 1. *Quieſcite agere perversè, diſcite benefacere, quærite juſtitiam, &c. ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, ſicut nix dealbabuntur, &c.* Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet.* Joh. 13. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis.* Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Act. 8. *Si credis in toto corde, licet.* *Hæc inquit & ſimilia teſtimonia manifeſtè ſignificant, requiri aliquid in nobis, ut juſtificemur. Neque adverſarii hoc negant, qui tametſi dicant, remiſſionem non pendere à conditione operum, neque pœnitentiam aut fidem aut ullum actum noſtrum eſſe cauſam aut meritum juſtificationis, tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam ſeriam, & ſine his neminem juſtificari. At nemo certus eſſe poteſt præſertim certitudine fidei ſe toto corde converſum eſſe ad Deum & fidem ac pœnitentiam habere, qualis requiritur, cum in nulla Scriptura ejuſmodi teſtimonium inveniatur de fide & pœnitentia noſtra, in particulari igitur nemo certus eſſe poteſt certitudine fidei ſibi remiſſa eſſe peccata.* Reſpond. de hoc argumento quædam diximus in tract. de pœn. §. 83. & plura de eo dicenda erunt inferius quando de proprio & adæquato fidei juſtificantis objecto diſſeremus, hac vice breviter reſpondemus: falſum eſſe quòd nemo de ſeria pœnitentia & fide vera poſſit eſſe certus. Cùm enim & pœnitentiæ & fidei regula in verbo Dei ſit præſcripta, utiq; noverunt verè pii, & quidem certitudine fidei, ſe verè & ſeriò ad Deum converti, ſi & pœnitentiam & fidem ſuam ad hanc regulam conforment, accedit internum Spiritus ſancti teſtimonium, quod ipſos Dei filios eſſe atteſtatur, jam verò υἱοθεσία ſine vera pœnitentia & fide locum habere nequit. Accedunt inſuper fructus converſionis bona ſcilicet opera, quæ itidem de veritate fidei teſtimonium perhibent, ſicut fructus boni de arboris bonitate. Quamvis verò hæc omnia in infirmitate perficiantur & cum imperfectione non mediocri ſint conjuncta, norunt tamen verè pii, quòd DEUS *linum fumigans extinguere & calamum conquaſſatum confringere* nolit Eſai. 42. verſ. 3. quod imperfecta contritio etiamſi ſit contritio, modò ſit ſeria, quòd languida fides itidem ſit fides, modò ſit vera ac ſincera, quòd labem peccati in carne adhuc reliquam propter Chriſti meritum tegere & imperfectioni contritionis, fidei, & novæ obœdientiæ benigniſſimè propter Chriſtum ignoſcere velit, ideò cum Anſhelmo dicunt in libro de miſeria hominis. *Verum eſt, conſcientia mea meruit damnationem, & pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem, ſed certum eſt, quod miſericordia tua ſuperet omnē offenſionē:* cum Patre Lunatici orant, Marc. 9, 24. *Credimus Domine, ſuccurre incredulitati noſtræ:* cū Diſcipulis ingemiſcunt Luc. 17, 5. *Domine adauge nobis fidē:* Peccata ſua agnoſcunt, eadem ſeriò deplorant & ex animo

Quædam dicta requirunt ex parte noſtra varias conditiones ut juſtificemur.

dereſtantur, fide in Chriſtum ſeſe erigunt, bonis operibus ſtudent, & quicquid imperfectionis hiſce omnibus adhæret, id propter Chriſtum Mediatorem ſibi condonari & humiliter petunt, & veraciter ſciunt.

Quædam dicta indicant incertum eſſe, an qui agit pœnitentiam, conſequatur remiſſionem.

102. Secundo loco producit Bellarminus illa dicta, quæ indicare videntur, *incertum eſſe an qui agit pœnitentiam, conſequatur remiſſionem,* ubi cumulat hæc teſtimonia. Dan. cap. 4. *Forſan ignoſcet DEUS delictis tuis* Joel. c. 2. *Convertimini ad me toto in corde veſtro &c. Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus?* Jon. 3. *Quis ſcit, ſi convertatur & ignoſcat Deus?* Actor. 8. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua & roga Deum, ſi forte remittatur tibi. Hac* (inquit) *& ſimilia quæ ſignificant incertitudinem remiſſionis non faciunt dubias promiſſiones Dei, quibus promiſit verè pœnitentibus indulgentiam, illa enim certiſſima ſunt, ſed reſpiciunt incertitudinem noſtræ diſpoſitionis.* Reſp. 1. hæc dicta propriè non agunt de peccati remiſſione ſed de pœnæ temporalis plenariâ relaxatione. 2. particula Forſan, non ſemper eſt nota dubitantis, ſed excitantis, animantis ac confirmantis. 3. ex qua reſponſione generali facilè apparet, quid ad ſingula in ſpecie ſit dicendum. 1. Dan. 4. v. 24. poſita quidem in Græca & Latina verſione particula dubitandi ἴσως forſitan, ſed in textu Chaldæo eſt manifeſta aſſeveratio הן à hén *ecce erit prolongatio pacis tuæ,* ut vertit Benedictus Arias: *id enim erit ſanitas pro errore tuo,* ut vertit Münſterus. Pagninus vertit, ſi *fortè,* ſed nullus in Scripturis, quantum quidem mihi conſtat, invenitur locus, ubi pro dubitationis nota particula הן accipiatur, quin potius Prophetæ eam uſurpant de rebus eximiis & certis dicturi, ut auditores reddant attentos eſſe Schindl. in Lexico pendagl in voce חנן Hanan. 2. Joel. 2. v. 14. diſertè agitur de pœna temporali, *Quis ſcit, ſi convertatur Dominus & pœniteat eum?* v. 15. *& relinquat poſt ſe benedictionem.* Quamvis enim verè pœnitentibus & culpæ & pœnæ æternæ remiſſio certiſſima ſit vi promiſſionis divinæ, quæ eſt infallibilis & immotæ veritatis, Deus tamen certo conſilio verè pœnitentes quandoque ſubjicit temporalibus calamitatibus non ſolùm communibus illis, ſed etiam ſpecialibus, cujus conſilii rationes expoſitas dedimus ſuo loco. Apparet id cumprimis ex Davidis exemplo 2. Sam. 12. adde quòd phraſis illa מי יודע mi Jodéah *Quis ſcient* non tam dubitantis ſit quàm benè ſperantis & opem Dei deſiderantis, ut apparet ex dictis, in quibus hæc phraſis uſurpatur. 2. Sam. 12. v. 22. Joel. 2. v. 14. Jon. 3. v. 9. qualis idiotiſmus in Germanica etiam lingua obſervari poteſt. 3. Idem judicium de loco, Jon. 3. verſ. 9. expreſsè enim additur: *Quis ſcit ſi convertatur Deus & ignoſcat & avertatur a furore, ut non pereamus.* 4. Actor. 8. verſ. 22. uſurpatur particula εἰ ἄρα, quam eſſe quandoque particulam aſſeverantis patet ex aliis locis ſicut & Hebræum אולי ulái, ac Latinum *forſitan & forte* de rebus certis & indubitatis ſæpius uſurpantur. 2. Reg. 19. verſ. 4. *Si fortè audiat Jehovah Deus tuus omnia verba Rabſaces.* Proverb. 24. verſ. 18. *Ne fortè videat Jehovah & diſpliceat in oculis ejus.* Ecclеſ. 5. verſ. 5. *Ne fortè iratus Deus diſſipet.* Johan. 5. verſ. 46. *Si crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi.* Johan. 8. v. 19. *Si me ſciretis forſitan & Patrem meum ſciretis.* Roman. 11. verſ. 21. *ne forte nec tibi parcat &c.* ſic & hoc loco εἰ ἄρα i. e. ὅπως δὴ ut ſanè dimittatur tibi, non ἀποφθεγματικῶς ſed συλλογιστικῶς. Quidquid ſit, ſi vel maximè concedatur particulam ἄρα in verbis Petri eſſe notam dubitationis, addendum tamen, quòd reſpiciat pœnam vel temporalem vel æternam. Si temporalem, ſignificatur fieri poſſe, ut hæc ipſi ſive verè ſive fictè pœnitentiam agenti condonetur, quandoque enim Deus etiam hypocritis parcit, ut teſtatur exemplum Achabi. Si æternam pœnam reſpicit, ſignificatur non ex parte DEI incertam eſſe Pœnitentibus ac credentibus peccatorum remiſſionem & pœnæ æternæ relaxationem, ſed ex parte Simonis Magi de certitudine veræ pœnitentiæ ipſius à Petro dubitatum fuiſſe. Quid Ambroſius Novationis hunc ipſum locum urgentibus reſponderit, vidimus ſuperius.

Quædam dicta admonent, ne ſimus ſecuri, quaſi certi ſimus de juſtificatione adepta.

103. Tertio loco producit Bellarminus illa teſtimonia, quæ admonent, *ne non ſimus nimium ſecuri, quaſi certi ſimus de juſtitia jam adepta.* Proverb. 28. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* 2. Corinth. 10. *Non qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem DEUS commendat.* Philip. 2. *Cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* 1. Petr. 1. *In timore incolatus veſtri converſamini.* 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Si certitudo juſtificationis pendet ex operibus, utique non erit homo de ea certus mox atque juſtificatus eſt, nec ex ſola fide, ſed etiam ex operibus certitudo iſta pendebit, ac proinde erit tantummodo conjecturalis.* Reſp. dicta hæc non ſunt ejusdem generis. 1. Proverb. 28. verſ. 14. agitur de timore filiali, ac præcipitur, ut ſit in nobis timor agnoſcens judicium & iram Dei adverſus peccata, ut & pia ſolicitudo in cavendis lapſibus contra conſcientiam: prohibentur contrà duo peccata valde communia in genere humano, videlicet ſecuritas contemnens iram Dei adverſus peccata, & ſuperbia ruens extra metas vocationis, quem eſſe genuinum hujus dicti ſenſum, patet ex antitheſi addita. *Indurans a. cor ſuum cadet in exitium,* ille igitur timor Dei commendatur, qui ſecuritati carnali & obdurationi cordis DEUM contemnentis opponitur. Aliud verò eſt timor filialis, aliud dubitatio: neque enim hæ & ſimiles ſententiæ, quæ DEUM timere jubent, hoc fine proponuntur, ut credentes in dubitationem de gratiâ DEI conjiciant, ſed ut ob oculos ſibi ponentes infirmitatem carnis ſuæ totià divina miſericordia pendeant, nec fiducia donorum inſoleſcant vel ex ſecuritate carnali in peccata contra conſcientiam ruant. 2. 2. Corinth. cap. 10. verſ. 18. proponitur admonitio contra ſuperbiam, ne quis ſeipſum commendet, hoc eſt, in ſeipſo glorietur, & in verſ. præcedente exponitur, quid verò hoc ad certitudinem fidei infringendam facit? aliud eſt gloriari in ſe ac ſuis operibus, aliud gloriari in DEO & cruce CHRISTI. 3. Philipp. cap. 2. verſ. 12. non præcipitur dubitatio de gratia DEI præſente, ſed pia ſolicitudo de eadem conſervanda & ſerium ſtudium vitandi lapſus contra conſcientiam, quibus & gratia DEI & ſalute iterum excidimus. Præcipitur diffidentia non de DEO & promiſſionibus ipſius, ſed de nobis ac viribus noſtris: prohibetur non fiduciæ certitudo, ſed carnalis ſecuritas,

hinc

Hinc idem Apoſtolus qui cum timore & tremore Philippenſes ſalutem operari jubet, eosdem *in Domino ſemper gaudere* præcipit. Philip. 4. v. 4. ſibique certò perſuaſum eſſe dicit, quòd *qui cœpit in vis opus bonum, idem etiam illud ſit perfecturus usq; in diem Jeſu Chriſti*, utique ergo timor filialis & fidei πληροφορία invicem non pugnant, quin imò tantùm abeſt, ut timor filialis certitudinem gratiæ evertat, ut eandem potiùs præſupponat. Qui enim timet, ne theſaurum amittat, is de ejus poſſeſſione certus eſt, alias fruſtrà de eo amittendo timeret, cujus poſſeſſio nunquam obtigit. Juſtinus in qq. & reſp. ad orthod. q. 98. p. 351. *Quo eſt id, quod fidem autoritatemque apud nos obtinet, præſtabilius, eo diligitur magis, quo diligitur magis, eò qui diligit, ne illo excidat vehementius timet, tantiſper dum eſt in certamine pro eo, quod diligit ſuſcepto. Porrò certamine ſoluto una cum illo timor quoque eo, quod cariſſimum habemus, decidendi ſolvitur, quo circa ad id usque tempus timor Dei eſt neceſſarius, non enim ſicut odium abolet caritatem, impoſſibile enim eſt eundem & amare & odiſſe ſic etiam timor: licet enim eundem & amare & metuere.* φόβ@ proinde ac μέριμνα non notant dubitationem de gratia præſente & Dei dilectione, ſed ſtudium piè vivendi & vitandi peccata quod reſpectu Dei eſt filialis reverentia, quâ præcepta illius ſervamus: reſpectu Diaboli eſt vigilantia, ſecuritati carnali oppoſita: reſpectu carnis ac mundi eſt prudentia Spiritus & fidelis conſtantia. 4. Idem ſibi vult B. Petrus, quando in timore nos verſari præcipit 1. Epiſt. 1. v. 17. nimirum excludit carnalem ſecuritatem & confidentiam in noſtris viribus, nequaquam verò certam divinæ gratiæ fiduciam, immediatè enim ſubjungit v. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redemti eſtis. v. 19. ſed precioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti.* 5. Quando 2. Petr. 1. v. 10. jubemur vocationem & electionem noſtram certam facere, nequaquam à conditione operum certitudo ſalutis ſuſpenditur, cùm in Græco non addatur per opera veſtra, ſed jubemur fide intueri promiſſiones divinas, & ex fide bonis operibus ſtudere, ut & nobis & aliis fidei illius, per quam electi & juſtificati ſumus, veritas manifeſtetur. Promiſſio gratiæ eſt merè gratuita, ac proinde firma. Rom. 4. v. 16. nec pendet à conditione operum noſtrorum, interim tamen fides apprehendens promiſſionem exerit ſe per bona opera, quæ de veritate fidei certum poſtea teſtimonium ferunt. Opera noſtra in ſe & ex ſe non ſunt tantæ dignitatis, ut fiducia obtinendæ ſalutis illis poſſit niti: fidei tamen perſuaſio ex illis poteſt argumentum ſumere ad ſpem confirmandam, & ſic ratiocinari, Deus ex mera liberalitate dedit gratiam regenerationis & renovationis, idem ergo gratis etiam dabit gratiam glorificationis. Invertimus igitur argumentum ex hoc loco ductum. Si fideles ſtudere debent, ut firmam ac certam faciant vocationem & electionem ſuam, utique etiam poſſunt eam firmam facere, modo ſcilicet eo, qui jam eſt expoſitus. Hæc omnia clariora erunt ex ſequentibus, ubi nos fide ſine operibus juſtificari demonſtratum fuerit.

Dicta Patrum

104. Cap. 7. profert Bellarminus teſtimonia Patrum, ſed pleraque illorum non attingunt ſtatum quæſtionis. 1. Quædam enim oppoſita ſunt carnali ſecuritati & eam ſolummodò certitudinem excludunt, quæ homioem facit carnaliter ſecurum & negligentem in obſervatione mandatorum DEI, quamque ſibi fingunt abutentes gratiâ Dei ad peccandum. Jam verò longè aliæ cauſæ ſunt ſecuritatis & falſæ perſuaſionis, quàm fiduciæ Deo placentis. Cauſa efficiens ſecuritatis eſt Diabolus, qui eam cordibus peccatorum inſpirat, deinde Natura corrupta, quæ in defectu & exceſſu peccat, in defectu quando diffidit promiſſionibus divinis, ubi tamen certum & expreſſum verbum habet; in exceſſu, quando ſecura eſt ſine verbo & contra verbum, ut apparet in Epicuræis: eſt & cauſa efficiens carnalis ſecuritatis ignorantia verbi & voluntatis divinæ juxta verbum revelatum, ex ea enim oritur incerta quædam opinio de bonitate DEI, quod DEUS propitius ſit illis, qui non agunt pœnitentiam, vivunt ſine timore Dei & fide, &c. Item proſperitas externa, donec enim omnia ex animi ſententia ſuccedunt, judicat ratio hominis, ſe earum eſſe Deo, denique opinio propriæ juſtitiæ, qui enim operibus ſe juſtificari & vitam æternam promereri ſtatuunt, in ſecuritatem & vanam perſuaſionem prolabuntur: ſed in vera fiducia omnia ſe habent modo contrario, tantùm igitur à carnali ſecuritate diſtat certitudo fidei de gratia DEI in Chriſto propoſita, quantum ſummum cœlum ab infima terra. 2. Quædam dicta aſtruunt, etiam ſanctiſſimos in hac vita non eſſe ſine peccatis, præſertim occultis. Idem & nos dicimus, ſed ex eo certitudo gratiæ, quæ non ex noſtra dignitate noſtrisve meritis ſed ex fide in Chriſtum oritur, haudquaquam evertitur. 3. Quædam diſtinguunt inter judicium divinum & mundanum, quod coram oculis & judicio DEI ſordidum deprehendatur etiam illud, quod oculis noſtris mundum videtur, ex quo perfectio inhærentis juſtitiæ, nequaquam verò certitudo gratiæ refellitur. 4. Quædam dicta negant perſeverantiæ certitudinem: abſolutam ſcil. illam quaſi non poſſint renati iterum excidere gratiâ. ſi vel maximè ſine timore DEI in peccata ruant, interim tamen gratiæ incertitudinem iſthæc non introducunt. 5. Quædam loquuntur de judicio, non quod ex verbo ſeu promiſſionibus DEI, ſed quod ex præſentibus rebus proſperis vel adverſis & ex ſtatu externo ſumitur. 6. Quædam damnant carnalem præſumtionem & propriarum virium confidentiam, quâ ſine vera pœnitentia ac fiue opinionem ac perſuaſionem gratiæ divinæ carnales homines induunt. Sed hæc & ſimilia complura nequaquam certitudinem gratiæ in verè credentibus labefactant.

Rationes contra certitudinem gratiæ.

1. In verbo DEI non continetur illa particularis propoſitio: Talis vel talis verè eſt juſtificatus.

105. Cap. 8. producit Bellarminus varias rationes, quas vocat egregias. *Non poteſt aliquid certum eſſe certitudine fidei niſi aut immediate contineatur in verbo DEI, aut ex verbo DEI per evidentem conſequentiam deducatur, fides enim non eſt, niſi verbi divini autoritate nitatur, At in verbo DEI non continetur immediatè particularis iſta propoſitio: talis vel talis vere juſtificatus eſt exceptis pauciſſimis. E. nemo poteſt in particulari certus eſſe de juſtitia* Reſp. de toto hoc argumento latè agetur inferiùs, ubi de objecto proprio & adæquato fidei juſtificantis diſputabitur, hac vice monemus Bellarminum ſibi ipſi contradicere dum dicit,

non

Digitized by Google

non poſſe aliquid eſſe certum fidei certitudine niſi immediatè in verbo Dei contineatur, aut per evidentem conſequentiam ex eo deducatur. Si enim hoc verum eſt, ut eſt veriſſimum, ubi locum habent traditiones, *quas tamen pari pietatis affectu cum ſcripto Dei verbo ſuſcipiendas eſſe* Conc. Tr. præcipit. Deinde obſervamus, quòd in aſſumtione Bellarm. unicum tantummodò membrum removeat, cùm tamen utrumque fuiſſet removendum. Dicendum enim erat, particularem vel potiùs ſingularem illam propoſitionē, quòd hic vel ille vel iſte verè ſit juſtificatus, nec immediatè in verbo Dei contineri, nec per bonam conſequentiam ex eo poſſe deduci. Atqui ritę conſcientiæ debent hoc modo inferre. Deus veraciſſimus promiſit, juramento confirmavit, & Sacramentorum inſtitutione obſignavit, quòd omnibus verè pœnitentibus & ad Chriſtum Mediatorem fide confugientibus velit peccata remittere, & in gratiam eos recipere. Ego veram pœnitentiam ago & fide ad Chriſtum confugio. Ergo certus ſum Deum mihi propitium eſſe. Unde verò probat Bellarminus, neminem de ſua pœnitentia & fide certum eſſe poſſe? primò inquit, *quia pravum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud* Jer. 17. Reſp. Hebræa ſic habent, *ſupplantativum* וְאָנֻשׁ veanyſch, *& anxium, ſive perverſum eſt cor hominis, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutans cor & probans renes*, ubi agitur de naturali cordis humani pravitate pet lapſum primorum Parentum introducta, nequaquam verò de ſpirituali ejusdem per Spiritum ſanctum emendatione. Agnoſcunt renati multa eſſe peccata occulta, adeoque connatam cordis ſui pravitatem eſſe imperſcrutabilem, proinde omnem propriarum virium fiduciam abjiciunt, interim tamen luce fidei per Spiritum ſanctum in cordibus accenſâ agnoſcunt, pravitatem illam in vera & ſeria ad Deum converſione emendari cœptam, ac confidunt divinæ miſericordiæ in Chriſto Mediatore omnibus verè pœnitentibus paratæ. Adde quòd renati, quamvis ne ipſi quidem horribilem Naturæ corruptionem per lapſum Protoplaſton introductā ſatis agnoſcere ac deplorare poſſint, tamen ex verbo tantam habeant connatæ pravitatis cognitionem, quanta ipſis ad veram pœnitentiam ſufficit. *Deinde videmus*, inquit Bellarminus, *reſpu a multos falli, qui ſe putant habere quod non habent*, ubi adducit exempla Petri dicentis: *Paratus ſum in carcerem & in mortem tecum ire*: Pauli perſequentis Eccleſias ex caritate Dei, ut arbitratur, verè tamen contra Deum ex ignorantia ſævientis, ac Martyrum inter hæreticos. Reſp. Petrus non ex fide promiſſionibus divinis innitente, ſed ex temeraria virium ſuarum præſumtione loquebatur, quemadmodum autem præſumtio peccat in exceſſu, ita dubitatio in defectu, præſumtio reſpicit ſufficientiam noſtrarum virium, noſtrarum diſpoſitionum, noſtrorum operum, ſed vera fiducia reſpicit Dei miſericordiam ac Chriſti meritum. Paulus contra Chriſtianos ſæviens infidelis adhuc erat, à verbo Dei aberrabat & Chriſtum repudiabat, quid ergo mirum, quòd opinione ſuâ fuerit deceptus? Idem judicium de illis, qui pro perfidia ſua mortem oppetunt; nos autem talem propugnamus fiduciam, quæ ſit verè fidelium, h. e. eorum, qui verbum Dei amant, illud amplectuntur, ex lege peccata ſua agnoſcunt & deplorant, & in Evangelio promiſſionem gratiæ de Chriſto apprehendunt ſibique applicant, atque in poſterum ex animo novæ obœdientiæ ſtudent, quicquid imperfectionis adhæret, id per Chriſtum ſibi remitti & humiliter petentes & certò ſtatuentes. **Rivius 1. de Superſtit. p. 103. *Si primam illam credis Symboli Apoſtolici partem, non eſt cur de ultima, h. e. de reſurrectione hujus carnis & vita æterna venire in dubium poſſit.* **

2. Ejusmodi articulum nullo Symbolo habetur.

106. 2. *Nemo tenetur certò credere certitudine fidei ſibi remiſſa eſſe peccata, cùm ejusmodi articulus in nullo Symbolo fidei contineatur*: Reſp. imò verò in Symbolo Apoſtolico habetur hic articulus: *Credo remiſſionem peccatorum.* At inquit Bellarminus, *hoc tantum ſignificat in Eccleſia dari Baptiſmum in remiſſionem peccatorum.* Reſp. hoc & ipſi Diaboli credunt, nec tamen fidem juſtificantem habent: accedat igitur oportet ſpecialis applicatio fiducialis ſcil. applicatio Chriſti & in Chriſto divinæ gratiæ quâ remittuntur peccata. De tota hac re, uti & de eo an fides cum peccatis contra conſcientiam ſubſiſtat, ſuo loco dicetur quantum ſufficit. Inſtat Bellarm. *Si ejusmodi fidei articulum haberemus, quo quivis teneretur credere ſibi remiſſa eſſe peccata, ſequeretur omnem hominem qui peccat quocunque genere peccati mortalis continuò fieri hæreticum, quia qui voluntariè peccat, non poteſt credere ſe juſtum eſſe, niſi falſum dedita opera credere velit.* Reſp. articulus de remiſſione peccatorum juxta ſcripturæ interpretationem credendus eſt, ea verò oſtendit, in ſpecie nemini pcecata remitti, niſi ſeriam agat pœnitentiam & fide vera Chriſtum amplectatur, ideò etiam præcedit in Symbolo: *Credo in Jeſum Chriſtum Dei Filium, &c. paſſum ac mortuum &c.* jam verò voluntariè peccantes non agunt ſeriam pœnitentiam nec fide verâ Chriſtum amplectuutur, ergo non debent remiſſionem peccatorum ſibi promittere: infideles igitur & impii, non autem hæretici ſunt dicendi: hæreticus enim is eſt, qui non credit quod debet credere: at voluntariè peccans non debet credere ſibi, quatenus talis eſt & manet, peccata remitti.

3. Non expedit, ut homines habeant certitudinē gratiæ.

107. 3. *Non expedit, ut homines habeant ordinariè certitudinem de ſua gratia, quia hæc certitudo ſuperbiam, ignoratio verò humilitatem gignit & conſervat*, quo refert illud, quod Luc. 18. in parabola oſtenditur, *illos qui confidunt ſe eſſe juſtos, facile ſe ceteris anteponere.* Reſpond. Si certitudo gratiæ ſuperbiam gigneret, Deus aliquibus ſpeciali revelatione eam non manifeſtaret. Sed poſteriùs aſſerit Bellarminus neget igitur prius. Non effugit quando dicit, *DEUM prævidere eos quibus ſpecialiter id revelat in caritate & humilitate ita radicatos eſſe, ut non ſit ullum ab elatione periculum*, etenim ſi certitudo gratiæ ex ſe gigneret ſuperbiam, ſemper eam gigneret, adde quòd illis qui majoribus donis præditi majores paratæ ſint à Diabolo inſidiæ, unde D. Apoſtolus de ſe teſtatur 2. Cor. 12. v. 7. *ne magnitudo revelationum me extolleret, datus eſt mihi ſtimulus carnis angelus Satanæ, ut me colaphizaret, ne extollerer*, proinde certitudo gratiæ magis in illis, qui præ reliquis potioribus donis præditi, ſuperbiam gigneret. 2. Diſtinguimus autem inter juſtitiam legalem & Evangelicam, illa eſt inhærens & habitualis, hęc verò imputata.

Per-

Perſuaſio juſtitiæ inhærentis extollit hominem, ut apparet in exemplo Pharisæi, ſed juſtitia imputativa cùm ſit merè gratuita, in Deo quidem nos confidentes, at in nobis humiles & demiſſos efficit, nec ullâ ratione vel adverſus Deum ſuperbiendi vel ſupra alios ſeſe extollendi materiam præbet. 3. Quò pertinent egregia illa dicta Auguſt. in Pſ. 85. *Si dixeris te eſſe ſanctum ex te, ſuperbus es, rurſus fidelis in Chriſto & membrum Chriſti, ſi te non dixeris eſſe ſanctum, ingratus es. Itaque ut nec ſuperbus ſis, nec ingratus, dic Deo tuo ſanctus ſum, quia ſanctificaſti me; quia accepi, non quia habui; quia tu dediſti, non quia ego merui.* Serm. 28. de verb. Domini. *Omnia peccata tua tibi dimiſſa ſunt, ideo præſume non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. Gratia enim eſtis ſalvati, inquit Apoſtolus: non ergo hic arrogantia eſt: prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia ſed devotio.* 4. Hæc ergo duo probè conſiſtere poſſunt, ut credas certò tibi remiſſa eſſe peccata, quod eſt fidei, & nihilominus agnoſcas, quòd tam liberali gratia indignus ſis, quod eſt humilitatis. Potes adoptari à divite in hereditatem & datis Codicillis eſſe certiſſimus, interim verò humiliter agnoſcere, te hereditatem illam non eſſe promeritum. 5. Hoſius in lib. de autorit. Scripturæ f. 218. Bellarmini propoſitionem, quòd certitudo gratiæ ſuperbiam gignat, tali ſimilitudine declarat. *Si quis perſuaſum habet, apud Regem aut Principem ſe eſſe in gratia, quamlibet animi ſui affectionibus temperare ſciat, effugere tamen vix poteſt, quin animus efferatur, Eſtne veriſimile, quod quivis de vulgo, ſi certè ſcire queat, ſe eſſe in gratia apud Deum, ab hoc elationis crimine ſibi cavere poſſit?* At inverti poteſt hæc ſimilitudo. Cùm enim Rex vel Princeps quiſpiam certam promittit gratiam alicui ex miniſtris & id non nudis tantum verbis ſed diplomate & Sigillis confirmatam, non vult miniſtrum de promiſſa gratia dubitare, ſibique diffidere, nec vult promiſſionem ſuam in dubium vocari ac fallacem reputari. Diſtinguendum igitur eſt inter abuſum & uſum gratiæ. Princeps non vult de gratia ſua dubitari, ejuſdem tamen abuſum ad inſolentiam, ad oppreſſionem aliorum, &c. ſerio deteſtatur. 5. Aliud eſt inſolentia Phariſaica, aliud filialis & Chriſtiana fiducia. Pharisæi & qui ipſis ſimiles, ſuperbiunt in dignitate operum ſuorum, inſoleſcunt & intumeſcunt opinione propriæ juſtitiæ & meritorum ſuorum. Verè pii exultant non in ſuis operibus nec in propria juſtitia, ſed in operibus alienis & in juſtitia Chriſti, quod ad ſua opera attinet, humillimi ſunt, agnoſcentes ſuas ſordes & nævos. 6. Quare cum Bellarminus nullam aliam quam inhærentem & operum juſtitiam agnoſcat, rectè facit, quòd de gratia DEI dubitandum eſſe docet, rectius faceret, ſi de propria juſtitia non ſolùm dubitandum ſed etiam planè deſperandum eſſe doceret, ut hoc ipſo excitarentur ac compellerentur verè contriti ad quærendam aliam juſtitiam quæ in Evangelio affertur, & fide in Chriſtum ad remiſſionem peccatorum imputatur, quæ ſola coram DEI judicio ſubſiſtit. 7. Denique non ignoratio vel dubitatio de gratia Dei, ſed timor filialis in vera humilitate pios conſervat, jam verò cum fiducia illa certa, quam propugnamus, timorem filialem conjunctum eſſe docemus.

108. 4. *Reipſâ fidelibus ejuſmodi certitudo non adeſt, primò quia quibusdam ſingulari beneficio revelatam eſſe conſtat, ipſis remiſſa fuiſſe peccata, videlicet Antonio, Gallæ & Franciſco, at revelatio hæc inanis eſſet & nulla prærogativa, ſi fidelibus omnibus hæc notitia eſſet communis: deinde quia conſtat, alios quoſdam alioquin perfectiſſimos in obitu ſuo propter hoc incertum non mediocriter trepidaſſe, exempli gratia, Hilarionem referente Hieronymo, & alios Patres ſanctiſſimos referente Johanne Climaco: denique idem comprobat experientia hæreticorum hujus temporis, qui cum omnes hanc certitudinem jactent, ipſorum tamen ſententia plurimi falluntur.* 4. Fidelib. non adeſt ejuſmodi certitudo. Reſp. 1. Deus certis quibusdam hominibus, quorum mentionem facit Scriptura ſacra, (de reliquis enim non adeo ſumus ſoliciti,) gratiam ſuam confirmavit, non quòd reliquos verè credentes de ea dubitare vellet, ſed ut tùm illi tentationibus, quas præreliquis ſuſtinuerunt graviores, de ea certiores redderentur, tùm verò ut ipſorum exemplo & alii in fide erigerentur. *Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Rom. 15. v. 4. & ad Petrum dicitur: *ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, tu autem converſus confirma fratres tuos.* Luc. 22. verſ. 32. Paulus ſibi miſericordiam contigiſſe ſcribit πρὸς ὑποτύπωσιν τῶν μελλόντων πιστεύειν. 1. Timot. 1. v. 16. Idem etiam exemplum Abrahæ, qui *contra ſpem in ſpem credidit & non haſitavit diffidentia*, imitandum nobis proponit. Roman. 4. verſ. 16. Autor Epiſtolæ ad Hebræos c. 6. v. 12. *vult nos imitatores eſſe eorum, qui fide & patientia hereditarunt promiſſiones.* Ut paralytico & mulieri peccatrici dictum: *remiſſa tibi ſunt peccata tua*, ita cuivis verè pœnitenti in Evangelio dicitur: Confide remiſſa tibi ſunt peccata tua, quod & Spiritus ſanctus in cordibus piorum ſuo teſtimonio confirmat. Eſt igitur in argumento fallacia finis. 2. Quòd ſanctiſſimi quidam, in agone præſertim, trepidant, nequaquam probat de gratia dubitandum eſſe, ſed fidei infirmitatem & luctam carnis adverſus Spiritum arguit, in qua lucta Spiritus tandem vincit, ut apparet in exemplis Jacobi Patriarchæ, Geneſ. 49. verſ. 18. *Domine expecto ſalutare tuum*: Simeonis Luc. 2. verſ. 29. *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace.* Pauli Apoſtoli 2. Timoth. 4. verſ. 7. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi, &c.* Ambroſii apud Paulinum in ipſius vita: *Non mori timeo, quia bonum habemus Dominum*: adeoque ipſius Hilarionis, qui referente Hieronymo in ipſius vita morti appropinquans dixit: *Egredere anima mea quid times? egredere quid trepidas? ſeptuaginta prope annos ſerviſti CHRISTO & mortem times*: Martini Epiſcopi, qui referente Sulpitio in ipſius vita Diabolo ſibi aſtanti magnâ fiducia dixit: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſtè reperies, Abrahæ ſinus me excipiet*: eſt igitur in argumento fallacia cauſæ. 3. Hæreticos certitudinem fiduciæ jactantes falli, eò quòd errores in fundamentum fidei impingentes defendunt. Regerit quidem Bellarminus, *errores illos tantum eſſe in fide Hiſtorica & non in fide juſtificante*, ſed ex eo non evertitur noſtra reſponſio. eſt enim una tantum fides juſtificans, quæ & notitia & aſſenſus & fiducia eſt; ratio-

ratione notitiæ & aſſenſus objecti loco habet totum DEI verborum & omnes fidei articulos, ratione fiduciæ objecti loco habet promiſſionem gratiæ. Fieri ergò non poteſt, ut veram juſtificantem fidem habeat qui ipſum juſtificantis fidei fundamentum evertit & in aliquo articulo fidei propriè & *κυρίως* ſic dicto pervicaciter errat; quomodo enim poteſt CHRISTI juſtitiam verâ fide ſibi applicare qui Chriſtum in verbo ſuo mendacii arguit? Eſt igitur in argumento fallacia conſequentis. Fiducia gratiæ apud hæreticos vana eſt & noxia. Ergo etiam apud pios & verè Chriſtianos. Ex particulari non poteſt inferri univerſale, Hæreticorum fiducia eſt vana. Ergo omnis fiducia etiam verè piorum eſt vana. Diſtinguenda ſunt ſubjecta fiduciæ, alia enim eſt hæreticorum, alia piorum fiducia. Hæretici impias & blaſphemas opiniones ſemel conceptas pertinaciter propugnant, ac ſimul vaniſſimam illam perſuaſionem retinent, ſe æternam vitam conſecuturos: Epicuræi itidem talem certitudinem ſibi fingunt, quamvis ſceleratiſſimè ſine ulla pœnitentia vivant, ſe tamen eſſe in gratia apud DEUM & fore hæredes vitæ æternæ. Sed longè alia eſt piorum fiducia, illi nec docent nec amplectuntur impias & blaſphemas opiniones, ſed averſantur eas tanquam peſtem animæ præſentiſſimam, amplectuntur autem ſolam Chriſti unici Paſtoris ſui vocem in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis ſonantem: deinde agunt pœnitentiam, agnoſcunt & deplorant peccata, eademque ſeriò deteſtantur, fide etiam ſtatuunt ſibi propter CHRISTUM peccata condonari & in hac fide inchoant novam obœdientiam, talium fiducia non eſt vana. Vide plura de hoc argumento apud D. Saccum in libr. de dubitatione cap. 6. argument. 1. ubi excutitur ambiguitas, quam in vocabulo Hæreticorum Pontificii occultant.

Diviſiones fidei.

109. Atque hæc de genere in fidei juſtificantis definitione dicta ſint, quòd ſit non ſolùm notitia & aſſenſus, ſed etiam fiducia, vel quod idem eſt ex agnita divini verbi veritate, eademque aſſenſu comprobata, divinæ gratiæ in verbo Evangelii propter CHRISTUM Mediatorem promiſſæ fiducialis apprehenſio. Antequam verò cauſam efficientem, objectum ſive materiam circa quam, formam & effectum fidei juſtificantis exponamus, præmittendæ erunt variæ diviſiones fidei. Fidem dicimus aliam Hiſtoricam, aliam miraculorum, aliam juſtificantem.

1. In Hiſtoricam, miraculorũ & juſtificantem.

Fides Hiſtorica eſt, quâ credimus vera eſſe, quæ in verbo DEI revelata ſunt. Fides miraculorum à quibuſdam ſtatuitur duplex: activa & paſſiva. Activa eſt peculiare donum DEI, per quam fiducia potentiæ divinæ miracula operantur, qui ea ſunt inſtructi. 1. Corinth. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*, &c. Paſſiva eſt confidentia illa, quâ ſtatuit quis ſe participem fore beneficiorum, quæ per miracula contingunt. Actor. 14. verſ. 9. *quidam Lyſtrenſis fidem habet ſe à Paulo ſanatum iri.* Fides juſtificans eſt fiducialis apprehenſio divinæ miſericordiæ propter Chriſtum promiſſæ. Bellarminus lib. 1. de Juſtificat. capit. 4. hanc diviſionem improbat, ac *fidem Hiſtoricam, miraculorum & promiſſionum unam & eandem eſſe docet*, cui opponimus hoc argumentum. Quorum unum ab altero abeſſe poteſt, ea non ſunt eſſentialiter unum. Atqui à fide Hiſtorica & à fide miraculorum abeſſe poteſt fides juſtificans. Ergo ea non ſunt eſſentialiter unum. Minoris veritas eſt manifeſta quoad utramque partem: quamvis enim fides juſtificans prærequirat notitiam & aſſenſum ſive fidem Hiſtoricam, ac proinde à fide juſtificante non poſſit abeſſe fides Hiſtorica, tamen à fide Hiſtorica abeſſe poteſt fides juſtificans, ut patet exemplo hypocritarum, qui norunt & profitentur Evangelii veritatem, nec tamen fiducialiter apprehendunt CHRISTUM. Sic à fide juſtificante poteſt abeſſe fides miraculorum, multi enim verè in CHRISTUM credentes dono miraculorum non ſunt inſtructi; & viciſſim à fide miraculorum poteſt abeſſe fides juſtificans, ut conſtat ex dicto CHRISTI Matth. 7. verſ. 22. *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?* verſ. 23. *& tunc confitebor illis: non novi vos, diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem.* Itemque ex pronunciato Apoſtolico, 1. Corinth. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum.* Certè fidei hiſtoricæ ac fidei miraculorum non poſſunt tribui inſignes illi effectus, quos ſupra recenſuimus, §. 71. membro 8. Ergo fides juſtificans, cui diſertis verbis tribuuntur, non erit eadem cum fide Hiſtorica & fide Miraculorum: quorum enim Natura, definitio, proprietates & effecta differunt, ea non poſſunt eſſentialiter eſſe eadem. **Caritatem à fide miráculorum abeſſe poſſe docet Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arbitr. cap. 10.** Diſputat etiam Bellarminus d. l. *fidem Hiſtoricam commodiùs vocari dogmaticam* juxta Cyrillum catech. 5. & Chryſoſtomum hom. 29. in 1. Corinth. 12. ſed res eodem redit, dicitur enim fides Hiſtorica, non quaſi res geſtæ in Scripturis propoſitæ tantùm propter ipſius Hiſtorici autoritatem credantur (quod appellatione ea denotari fruſtra ſuſpicatur Bellarminus) ſed quia in objecto fidei continentur non ſolùm dogmata ſed & hiſtoriæ; dogmatica fides dicitur, quia in objecto ejus continentur non ſolùm Hiſtoriæ, ſed & dogmata, articuli fidei vulgò dicta, de qua re poſtea diſtinctiùs agetur.

An fides Hiſtorica, miraculorum & promiſſionum ſint unum quid.

110. D. Apoſtolus 1. Timoth. 1. verſ. 5. mentionem facit *veræ fidei πίστεως ἀνυποκρίτου*, innuit igitur, aliam eſſe fidem fictam ſive hypocriticam. Fides vera eſt fiducialis apprehenſio Chriſti, *quæ per caritatem efficax eſt* Galat. 5. v. 6. à qua tàm non poſſunt ſeparari bona opera, quàm à Sole lux, ab aqua humiditas; hypocritica igitur & ficta fides erit, quæ ab omni pietate remota ſolâ profeſſione & jactantiâ definitur, quam à nobis prædicari Tridentini Patres contra conſcientiæ ſuæ teſtimonium aſſerunt. Auguſtinus in lib. ſententiarum ſent. 8. eam ſic deſcribit. *Fides ſine caritate eſt, cùm quis dicit: Credo vera eſſe, quæ dicis de Deo & ipſius verbo, & ea poſſem aſſequi ſi vellem, ſed nolo. Fides ſine ſpe eſt, cum quis dicit, ea vera eſſe credo, quæ dicis de DEO ejusque verbo & volo ea aſſequi, ſed non poſſum. Fides ſine utraque eſt, cùm quis dicit: Credo vera eſſe, quæ dicis de Deo ejusq; verbo, ſed ego ea capere neque volo neq; poſſum.*

2. In veram & hypocriticã.

poſſum. Vera autem & juſtificans fides ſpem & caritatem perpetuos habet comites ac per dilectionem operatur. Affinis eſt huic diſtinctioni inter fidem veram & hypocriticam Jacobi Apoſtoli diſtinctio inter fidem vivam & mortuam. Fides viva, cùm Chriſtum vitæ autorem amplectatur, per opera Spiritualis vitæ exteriùs ſeſe exerit, *ſed fides, quæ non habet opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Jacob. 2. v. 17. Bernhard. ſerm. 2. de reſurrect. col. 133. *Fides vitam opera atteſtantur, ſicut ſcriptum eſt: opera, quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me. Nec diſcrepare videtur ab hac ſententia, qui fidem ſine operibus mortuam aſſerit in ſemetipſa. Sicut enim corporis hujus vitam ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis anima eſt, per quam movetur & ſentit, vita verò fidei caritas eſt, quia per illam operatur, unde & refrigeſcente caritate fides moritur, ſicut corpus animâ recedente. Tu ergò ſi videris hominem in bonis operibus ſtrenuum & fervore converſationis hilarem, vivere in eo fidem non dubites indubitata tenens vitæ illius argumenta.*

3. In vivam & mortuam.

4. In parvam & magnam,

111. Ratione graduum fides alia dicitur parva & modica, quæ cum dubitatione non mediocri adhuc conjuncta, qualis tribuitur diſcipulis Chriſti Matth. 8. v. 26. cap. 16. v. 8. qui in marina tempeſtate animis fluctuabant, nec plenâ cordis fiducia ſeſe ac ſalutem ſuam Chriſto credebant, quique panum ex incuria obliti de ſui cibatione angebantur ac ſoliciti erant: Talis ὀλιγοπιςία tribuitur etiam illis, qui ex ſolicitudine dicunt, *quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* Matth. 6. v. 31. Item Petro, qui in mari ambulans & exorto vento valido mergi incipiens clamabat, *Domine ſalvum me fac,* Matth. 14. v. 31. Dicuntur autem ὀλιγόπιςοι vel quorum fides eſt exigua, infirma & languida, vel qui Deo non multùm, nec multa, nec magna; ſed parùm, pauca & exigua vix concredere & fidere poſſunt. Eſt igitur duplex fidei infirmitas: una reſpectu graduum (de qua hoc loco agimus) quando ſcimus quæ credenda ſint, fide tamen non ita firmâ ac robuſtâ illis adhæremus: altera reſpectu objectorum, quando firmiter adhæremus his quę ſcimus & credimus, interim adhuc alia ſuperſunt credenda, quæ nondum percepimus, hoc pacto qui adhuc ſervabant ciborum delectum & alias ceremonias legales unà cum Evangelio dicuntur ab Apoſtolo *infirmi in fide,* Roman. 14. v. 1. Huic infirmæ & languidæ fidei opponitur fides magna, quæ cum inſigni fiducia eſt conjuncta, unde in tentationibus ſubſiſtit & victoriam glorioſam reportat, talis erat mulieris Cananeæ Matthæi 15. v. 28. quæ in graviſſima lucta variarum tentationum victrix erat; Item Centurionis Capernaitici, qui ad Chriſtum dicebat: *non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed dic verbum unum & ſanabitur puer meus* Matth. 8. v. 8. de quo Chriſtus hoc elogium profert: *non inveni τοσαύτην πίςιν tantam fidem in Iſrael* verſ. 10. Hûc pertinet, quòd Petrus nos *fortes* eſſe *in fide* jubet 1. Epiſtol. 5. v. 9. Paulus meminit *fidei ſupercreſcentis* 2. Theſſ. 1. v. 3. & Apoſtoli precantur: *Domine adauge nobis fidem.* Lucæ 17. v. 5. Ex parabola Chriſti de ſemine in quadruplicem terram projecto, Matth. 13. Marc. 4. Lucæ 8. colligi poteſt, quod quædam fides ſit πρόσκαιρος temporaria, quædam verò ſtabilis & perſeverans, inde Apoſtolus hanc præſcribit regulam 1. Tim. 1. v. 19. *Milita bonam militiam, habens* ſive retinens *fidem* & *bonam conſcientiam.* Et Filius Dei graviter monet Apoc. 3. v. 11. κράτει ὃ ἔχεις, *fortiter tene, quod habes.* Dicitur etiam fides alia perfecta, alia verò imperfecta. Perfectio tribuitur fidei vel ratione generis videl. perfectæ notitiæ, pleniſſimi aſſenſus, firmæ & omnem dubitationem excludentis fiduciæ, vel ratione objecti, videlic. eorum quæ credenda proponuntur. Illam vocant intenſivam perfectionem, ad quam in hac vitâ aſpirare non poſſumus, hanc verò extenſivam.

5. In temporariam & perſeverantem

6 In perfectam & imperfectam.

7. In concretam & abſtractâ.

112. In ſcriptis D. Lotheri occurrit illa diſtinctio, quod fides alia ſit concreta, alia abſtracta. Tom. 4. Lat. fol. 86. *Diſtinguere ſolemus fidem hoc modo, quòd fides aliquando accipiatur extra opus, aliquando cum opere. Ut enim artifex variè de ſua materia & hortulanus de arbore vel nuda vel geſtante fructus loquitur, ita & Spiritus ſanctus in Scriptura variè de fide loquitur, jam de fide, ut ſic dicam, abſtracta ſeu abſoluta: jam de fide concreta, compoſita ſeu incarnata. Fides abſoluta ſeu abſtracta eſt, quando Scriptura abſolutè loquitur de juſtificatione ſeu de juſtificatis, ut cernere eſt in Epiſtolis ad Romanos & Galatas. Quando verò Scriptura loquitur de præmiis & operibus, tunc de fide compoſita, concreta ſeu incarnata loquitur, ut hoc fac & vives. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Declina à malo & fac bonum,* Tom. 1. ſol. 151. *Dicta quæ de tota vita Chriſtiana ſeu de fide incarnata loquuntur, non debent trahi contra partem, id eſt, contra fidem ſolam juſtificantem.* Neander in Theol. cap. de Fide pag. 546. *Omnia dicta Scripturæ quæ operibus aliquid tribuere videntur, de fide compoſita, concreta, ſeu incarnata intelligenda ſunt, ubi quod ſolius fidei eſt, operibus tamen tribuitur propter fidem in concreto,* &c. *& cuncta dicta Scripturæ quæ videntur aliquid tribuere operibus, præſupponunt fidem, ita ut ejus virginitas & divinitus illibata maneat & integra & Deo ſoli univerſa detur gloria, & qui gloriatur, in ſolo Domino glorietur.* Hæc D. Luttherus, quæ petita ſunt ex regula Theologica. Fides ſola juſtificat, quamvis nunquam ſit ſola, h. e. à bonis operib. ſeparata, cujus diſtinctionis & regulæ uſus in diſputatione de juſtitia fidei & meritis operum ſuo loco apparebit.

Quomodò fides ſit una.

113. At cùm tot extent fidei diviſiones, quomodo conſtabit pronunciatum Apoſtolicum Epheſ. 4. v. 5. *Una eſt fides?* Diſputat hac de re Auguſtinus lib. 13. de Trin. cap. 2. *Fides* (inquit) *communis eſt, non ſicut aliqua corporis forma communis eſt ad videndum omnium oculis, quibus præſto eſt, ſed ſicut dici poteſt omnibus hominibus eſſe facies humana communis; nam hoc ita dicitur, ut tamen ſinguli ſuas habeant. Ex una ſanè doctrina impreſſam fidem credentium cordibus ſingulorum, qui hoc idem credunt, veriſſimè dicimus, ſed aliud ſunt ea, quæ creduntur, aliud fides, quâ creduntur: illa quippe in rebus ſunt, quæ eſſe vel fuiſſe vel futura eſſe dicuntur, hæc autem in animo credentis eſt, ei tantùm conſpicua cujus eſt, quamvis ſit & in aliis, non ipſa ſed ſimilis: non enim numero una eſt; ſed genere propter ſimilitudinem tamen & nullam diverſitatem magis unam dicimus eſſe, quàm multas: Nam & duos homines ſimillimos cùm videmus, unam faciem dicimus & miramur amborum: Facilius itaque dicitur, multas animas fuiſſe ſingulas*

utiq; ſingulorum, de quibus legimus in Actibus Apoſtolorum, quod eis fuerit anima una, quàm ubi dixit Apoſtolus, una fides, tot eas audet quiſquam dicere, quot fideles, & tamen, qui dicit: O mulier magna eſt fides tua; & alteri: modicæ fidei, quare dubitaſti? ſuam cuiq; fidem eſſe ſignificat. Sed ita dicitur eadem credentium fides una, quemadmodum eadem volentium voluntas una, cùm & in ipſis, qui hoc idem volunt, ſua voluntas ſit cuique conſpicua, alterius autem lateat, quamvis idem velis. Hæc Auguſtinus. Dicimus igitur fidem eſſe unam. 1. ratione objecti, quia doctrina fidei eſt una atque eadem omnibus ad credendum propoſita. Thom. 2. 2. quæſt. 5. artic. 5. *Formale objectum fidei eſt ſimplex & unum, ſcil. prima veritas, ſecundum hoc fides eſt una.* 2. ratione generis, tenuis & infirma fides, non minùs cum aſſenſu & fiducia conjuncta eſt, quàm firma & robuſta fides Petrus 2. Epiſt. 1. v. 1. Omnes fideles *fidem ἰσότιμον æquè precioſam habere* pronunciat, nimirum ratione generis & objecti. Infirma enim fides itidem apprehendit Chriſtum, ut fortis, licet non eodem gradu. Non eſt una fides 1. ratione ſubjectorum, quia alia fides eſt in Petro, alia in Paulo. 2. nec ratione numeri, quia tot ſunt fidei dona, quot credentes. 3. nec ratione graduum, quia alia eſt fides fortis, alia verò languida & imbecillis. Quamvis igitur fides ipſa in renatis ſit una atque eadem Eph. 4. v. 5. tamen fidei menſura non eſt eadem, ſed *unicuique diviſit Deus menſuram fidei*, Roman. 12. v. 3. aliis datur major, aliis minor, unde nec in illis, quæ ex fide oriuntur, pares ſunt fideles, utpote in cognitione, dilectione, ac timore Dei, in ſpe dilectione proximi, patientia ac ſtudio pietatis, &c.

Diviſiones fidei ex Scholaſticis.

1 In implicitam & explicitā.

114. Præter has fidei diviſiones ex Scripturis petitas alias proferunt Scholaſtici. Primo enim aliam fidem dicunt eſſe implicitam, aliam verò explicitam. Biel. 3. ſent. diſt. 25. quæſt. un. *Fides explicita eſt actualis aſſenſus Catholicæ veritati ſive univerſalis, ſive particularis, ut aſſenſus illius, Canon Biblia eſt verus. Chriſtus cibavit quinque millia quinque panibus. Fides implicita eſt fides habitualis aut actualis aſſenſus alicujus propoſitionis generalis multas particulares veritates in ſe includentis, ut: Omne contentum in Scriptura ſacra eſt verum.* Et poſtea: *Fides implicita, quâ fidelis credit, quicquid Eccleſia credit, utiliſſima eſt fideli, nam ſi fuerit in corde, defendit ab omni hæretica pravitate, ut dicit Occam. tract. de Sacramento cap. 1.* ** Circumfertur vox hæretici Apellis: *Sat eſſe credere in crucifixum, neque oportere omninò fidei diſcutere rationem.* Euſebius lib. 5. cap. 13. ex Rodone** Quę verò ſunt illa particularia, quę omnes, etiam minores, ut loquuntur, explicitè credere tenentur? Reſpondent Tom. 2. 2. quæſt. 2. art. 7. & Biel. l. d. *tria eſſe, videlicet, quod Deus ſit, quod Remunerator ſit, quod Redemtor ſit.* Cùm verò articulus incarnationis præſupponat articulū Trinitatis, ſiquidem in myſterio incarnationis continetur, quòd Filius aſſumſerit carnem & conceptus ſit à Spiritu Sancto, ideò addunt *articulum Trinitatis non minùs explicitè credendum*, quòd in Deitate ſit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & hi tres unus DEus; addunt tamen *ſufficiens eſſe, ſi credatur hoc confuſè ſeu generaliter, non autem diſtinctè.* Porrò quòd minores non teneantur ea omnia explicitè credere, ad quæ particulariter credenda tenentur Majores, ita probat Biel. *Qui habet officium in Eccleſia, tantum ſcire tenetur, quantum pertinet ad ſuum officium, doctrina autem ſine particulari expreſſione articulorum fieri non poteſt, ergò qui habet officium, tenetur articulos fidei particulariter & explicitè credere. Deinde ſimplices non habent niſi ſeipſos regulare. Ergò ſufficit eis illos articulos explicitè credere, per quos poſſunt propriam intentionem dirigere in ultimum finem. Denique ad impoſſibile nemo obligatur, ſed rudes ſæpè non ſciunt, quid Perſona, quid Natura.* Gregor. de Valent. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 2. fidem implicatam definit, *cùm aſſenſum alicujus veritatis non habemus ſecundum ſeipſum, ſed habemus illum quaſi implicitum in alio actu noſtro, qui habet aliud immediatum objectum. Explicatam de aliqua veritate habere dicimur, cum elicimus aſſenſum immediatè circa ipſam.* Alii brevius deſcribunt fidem implicitam, quòd credat ea, quæ credit Eccleſia, puta Romana, & ejus caput Pontifex Romanus, inde Gregor. de Valent. in analyſi de Eccleſ. pag. 205. commendat Mercatorem Placentinum ita ratiocinantem. *Mecum ſic ſtatuo, velle me Pontificiam potiùs quàm Lutheranā religionem amplecti, ob id inprimis quia illic compendio quodam diſcere poſſum veritatem, videlicet ſi ajo, quod ait Pontifex; nego quod negat Pontifex: Rurſum ait ille, annuo & ego. Hic verò ſi Lutheranus fieri vellem, Catechiſmus mihi diſcendus & Scriptura ſcrutanda eſſet, quod equidem facere non poſſum, cùm potius Italicæ naves mihi obſervandæ & tranſmarinæ merces inveſtigandæ ſint*, & addit Valentian. pag. 207. *Deum nihilominùs habiturū, quod in tremendo illo judicio opponere poſſit.* **Colleg. Anglo Rem. annot. in Luc. 12. v. 11. num. 3. *Idiota Catholicus cum pro tribunali ſteterit de cauſa fidei examinandus, etſi tantum reſponderit ſe eſſe virum Catholicum & Eccleſiam ipſam, quam profiteretur, poſſe fidei rationem reddere, nec quicquam præterea aliud reſponderit, ſatis viri Catholici muneri faceret.* Hæc eſt fides illa carbonarii, cujus exemplum Laicis præſertim & mulierculis ad imitandum proponitur, qui interrogatus quid crederet, reſpondit *ſe credere quod credit Eccleſia & Eccleſiam itidem credere, quod ipſe crederet*, atque ita hoc circulo totam fidei ſuæ confeſſionem concluſit, de qua vide Eſpenſæum comm. in 2. Tim. 3. ubi teſtes hujus Hiſtoriæ citat Eraſmus lib. de præparat. ad mort. Piggium lib. 1. Hierarch. Eccleſ. cap. 5. Hoſium de autor. Script. lib. 3. Bellarm. lib. 1. de Juſtif. cap. 7. *Maxima pars fidelium vix quicquam animo concipit præter ſonum verborum & tamen inter fideles meritò numeratur cùm fatetur ſe credere Deum eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum juxta ſenſum Eccleſiæ.* lib. 6. de grat. & lib. arbit. cap. 3. *Catholici fidem habent omninò certam & infallibilem, quoniam credunt id quod credunt quia Deus revelavit. Deum autem revelaſſe creduntur, quoniam Eccleſiam ita docentem vel declarantem audiunt quā errare non poſſe non temerè credunt.*** Reſp. Quamvis ſint gradus cognitionis, non ſolùm in diverſis credentibus (ſiquidem à docentib. major & exactior divinorū myſteriorum notitia & Scripturæ intelligentia requiritur, quàm ab auditoribus) ſed etiam in uno eodemq; credente, ſiquidem in cognitione verbi pium quemlibet oportet quotidiè creſcere, abſit tamen ut fidem illam implicitam ac illicitā, quæ eſt mera articulorū fidei ignorantia, com-

men-

Digitized by Google

mendare velimus, cùm Spiritus ſanctus fidem definiat per ſpiritualem σύνεσιν Matth.13. v.19. per ἐπίγνωσιν Coloſ.1.v.9. Tit.1.v.1. *ac velit quovis ſemper paratos eſſe ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe.* 1.Pet.3. v.15. cùm commendentur Berœenſes, quòd non ſolùm *ſuſceperint verbum μετὰ πάσης προθυμίας, ſed etiam ſcrutati fuerint Scripturas quotidie, num hæc ita ſe haberent* Actor.17.v.11. *Cùm beati pronuncientur, qui in lege Domini meditantur die ac nocte,* Pſalm.1.v.2. *Cùm omnes jubeantur cavere Pſeudoprophetas,* Matth.7.v.15. *Probare Spirit.* 1.Joh.4.v.1. *& Chriſti vocem ab aliena diſcernere* Joh.10.v.5. *Cùm hoc nomine Apoſtolus gratias Deo agat, quod Corinthii in omnibus divites facti in Chriſto in omni verbo & in omni ſcientia* 1.Cor.1. v.5. *Cùm omni collato ſtudio adjicienda ſit fides noſtra virtus, virtuti verò γνῶσις* 2.Pet.1.v.5. *Denique cùm verbum Chriſti in omnibus verè piis habitare debeat abundanter in omni ſapientia juxta præc. Apoſtoli.* Col.4.v.16.

2. In fidem infuſam & acquiſitã.

115. Deinde diſtinguunt inter fidem infuſam & acquiſitam. Scotus 3.ſent.diſt.23. introduxit hanc diviſionem, ** (Scoti verba libr.3. diſt.23. quæſt.1. ſunt. *Certum eſt, quod in nobis eſt fides revelatorum credibilium acquiſita.* Et poſtea. *Propter credulitatem articulorum revelatorũ, ut homo firmiter credat omnibus articulis revelatis & determinetur ad alteram partem ſine oppoſiti formidine, non oportet ponere fidem infuſam nec neceſſitas ejus poteſt ex hoc concludi.* Ibid. *Fide acquiſitâ ex puris naturalibus poteſt homo aſſentiri omnibus à Deo revelatis.* Et mox. *Hoc igitur tenendum eſt, tanquam certum, quod revelatorum in Scriptura eſt nobis acquiſita fides generata ex auditu & ex actionibus noſtris, quibus firmiter adhæremus.*)** quam hoc modo declarat Biel. *Fides acquiſita eſt habitus naturaliter acquiſitus ex actibus credendi frequentatis. Fides infuſa eſt habitus à Deo ſupernaturaliter & immediatè in animo creatus. Fidem infuſam poni præter acquiſitã expreſſũ eſt per Scripturã* Hebr.11. *Impoſſibile eſt Deo placere ſine fide, ſed multi placuerunt Deo ſine fide acquiſita, ut infantes baptizati. It. juſtus ex fide vivit* Rom.1. *& per fide juſtificamur* Rom.3. *hæc non poſſunt intelligi de fide acquiſita, quæ eſt etiam in Dæmonibus.* Vide uberiorem hujus diviſionis declarationem apud Biel.3.ſent.diſt.23.q.2.art.2. D.Lutherus ſæpiùs eam exagitat, tom.1.Lat.Jen.fol.523.in Geneſ. cap.22.tom.2.fol.104. & alibi paſſim, neque id immeritò: præterquam enim quod nec infuſam nec acquiſitam fidem per fiducialem Chriſti apprehenſionem definiunt ſicque animam (ut ita loquar) fidei tollunt, accedit inſuper hoc, quod fidem acquiſitam vocant habitum naturaliter acquiſitum, cùm tamen nõ in infantibus ſolùm ſed etiam in adultis fides ſit donum Dei. Adde quòd hypotheſis hujus diſtinctionis ſit erronea. *Sicut ſalvandis omnibus* (ait Biel.3.ſent. diſt.25.q.un. art.2.) *neceſſaria fuit infuſa fides pro quolibet ſtatu Eccleſiæ, ita & actus fidei adultis utentibus ratione. Ut enim anima non placet Deo, niſi perficiatur caritate quoad voluntatem, ita etiam non placet niſi perficiatur fide quoad intellectum, patet alterum, quia habentib. uſum rationis non ſufficit meritum Chriſti ſed neceſſe eſt etiam addere meritũ proprium, meritum autem perfici non poteſt ſine fide actuali.* Et poſtea: *Licet eadem fides infuſa in nobis & in V. Teſt. Patribus non tamen eadem acquiſita, nec idem fidei actus, diverſarũ enim veritatum ſeu propoſitionum ſpecie diſtinctarum diverſi ſunt actus aſſentiendi, ſed propoſitiones creditæ a Patribus ſpecie diſtinguuntur a creditis à nobis, nã illæ propoſitiones: Chriſtus eſt venturus & Chriſtus venit, diſtinguuntur ſpecie, quia non ſimul vera.* (Huic rectè ſe opponit Thom.2.2.q.4.art.6. & cõcludit, *Ratione objecti unam eſſe fidem; differentiã præteriti & futuri non contingere ex aliqua diverſitate rei creditæ, ſed ex diverſa habitudine credentiũ ad unã rem creditam*) *At cùm infantib. detur fides per Sacramentum Baptiſmi, adultis per auditũ & meditationem verbi poſſetne illa dici infuſa,* hæc v. acquiſita? Reſp. Utrumq; eſt Spirit. ſancti opus, tàm quod per auditum & meditationem verbi in adultis fides accenditur, quàm quod per Baptiſm. tanquã ordinarium mediũ fides infantib. confertur. E. ſi per infuſionem intelligitur Spir. ſancti efficax operatio, dicimus & infantum & adultorum fidem eſſe infuſam, Scriptura tamen hoc loquendi genere non utitur, ſed fidem dicit eſſe donum Dei, opus Dei, &c. fatemur interim, *infantes baptizatos non habere talem, h.e. tam explicatam & ſenſibilem fidem, qualem habent adulti, in quib. Spir. S. eſt efficax per externum Evangelii auditum,* ut loquitur D.Brent. in Apol. conf. Wirt. p.439. Affinis eſt huic diſtinctioni inter fidem infuſam ac acquiſitam illa altera, quâ diſtinguitur fides in habitualem & actualem. Thom.1.2.q.55.art.1 *fides quandoq; dicitur id quod creditur, quandoq; ipſum credere, quandoq; habitus, quo creditur.* Bellar. lib.1.de Baptiſ.c.11.col.332. *Infantes nõ habent actualem fidem, nec habent ullos motus & inclinationes ſimiles actib. fidei & dilectionis, interim tamen nõ juſtificantur ſine ulla fide, quia infunditur eis in Baptiſmo habitus fidei, ſpei & caritatis.* Salmer.tom.3. comm.tract.10.p.91. *Infantes habent fidei habitum, qui in eis abſq; actu ſatis eſt ad ſalutem, habent deniq; & actum non proprium, ſed Eccleſiæ pro eis credentis,* quâ de re quid ſentiendum ſit, in tractatu de Baptiſmo exponitur.

3. In habitualem & actualem.

116. Deniq; fidem aliam ſtatuunt *informem*, aliam verò *formatam*, ſc. per caritatem. Lomb.3. ſent.diſt.23.lit.C. *Fides quâ creditur, ſi cũ caritate ſit, virtus eſt, quia caritas mater eſt omniũ virtutũ, quæ omnes informat, ſine qua nulla vera virtus eſt.* lit.E. *Si quæritur, utrũ informis illa qualitas, quâ malus Chriſtianus univerſa credit, quâ bonus Chriſtianus, accedente caritate remaneat & fiat virtus, an ipſa eliminetur & alia qualitas ſuccedat, quæ virtus ſit: utrumlibet ſine periculo dici poteſt, mihi tamen videtur, quòd illa qualitas, quæ prius erat, remaneat & acceſſu caritatis virtus fiat.* Thom.2.2. q.4.art.3. *Actus voluntarii ſpeciem recipiunt à fine, id a. quo aliquid ſpeciem ſortitur, habet ſe ad modum formæ. Actus fidei ordinatur ad objectum voluntatis, q. eſt bonum, ſicut ad finem: hoc a. bonum, qđ eſt finis fidei ſc. bonum divinum eſt proprium objectũ caritatis, ideò caritas eſt forma fidei, in quantum per caritatem actus fidei perficitur.* art.4. recitat diverſas opin. de fide informi & formata. *Quidam dixerunt adveniente fide formata tolli informem, alii putârunt in eod. homine ſimul manere utramq; illam fidem informem & formatam.* Thom. utroſq; improbat, ac ſtatuit, qđ idem ſit habitus *fides formata & informis, quia habitus diverſificatur ſecundùm id, quod per ſe ad eum pertinet. Fidei perfectio eſt intellectus, diſtinctio a. fidei formatæ & informis eſt ſecundùm id quod pertinet ad voluntatem,*

4. In informem & formatã.

tem.q.6.art.2. *Fides informis eſt donũ Dei, quia informitas nõ pertinet ad rationem ſpeciei ipſius fidei.* q.23.art.8. *Caritas eſt forma virtutũ non exemplariter, nec eſſentialiter, ſed magis effectivè in quantũ actib. dat ordinem ad finẽ* Biel.3. ſent. diſt.23.q.2. art.3. dub.5. *Habitus fidei informis nihil aliud eſt, quàm cui eod. ſubjecto aſſiſtit caritas, nõ fides formata eſt, cui in eodẽ ſubjecto aſſiſtit caritas, unde habitꝰ fidei non mutatur propter adventũ caritatis, ſicut nec corpus per veſtimentũ.* Amplectuntur hoc recentiores Pontificii, ſic enim Cenſ. Colon. p.114. *Quod juſtꝰ ex fide vivit, illud nõ habet ex ſolo Chriſto, ſed ex operationib. ſuis, imò quod fides juſtificat, illam formã ſeu vim non habet ex Chriſto quem apprehendit & poſſidet, ſed à caritate noſtra.* Bellar. l.2 de Juſtif. c.4. *Caritas eſt forma fidei & fides non juſtificat formaliter niſi ab ipſa caritate formata.* It. *fides agitur, movetur, formatur & quaſi animatur per dilectionem. Dilectio eſt forma fidei non intrinſeca ſed extrinſeca, quæ dat illi, nõ ut ſit, ſed ut moveatur.* Piſtorius in hodeg. pag. 184. *fides compoſita ſeu mixta ſpei & caritati* pag. 209. *fides per caritatem operoſa redditur.*

Caritas eſt effectus nõ forma fidei.

117. Nos caritatem fidei juſtificantis ἐνέργειαν atq; effectũ eſſe dicimus, perpetuo & indiſſolubili fœdere cũ ea conjunctũ, formam a. fidei eſſe pernegamus. Propria n. & ſpecifica fidei juſtificantis forma eſt fiducialis apprehenſio Chriſti Mediatoris ac beneficiorũ ejus, quę in verbo Evangelii nobis offeruntur. Improbamus igitur diſtinctionem illam inter fidem informem & formatam. 1. quia deſtituitur Scripturæ autoritate, quippe quę unam ſolummodo novit fidem juſtificantem, q̃ ſic deſcribit, quòd Chriſtum Mediatorẽ amplectatur, & beneficia illius ſibi applicet. Fatemur ſanè in quibusdã ſcripturæ locis fidem juſtificantẽ deſcribi à ſuis effectis, ꝙ ſit per caritatem efficax & bonos proferat fructus, interim hęc ἐνέργεια fidei, quâ ſeſe in ſtudio bon. operum exerit accuratè diſtinguenda eſt ab ipſius forma quæ eſt fiducialis Chriſti apprehenſio, dicitur n. fides juſtificare non productione bon. operum, (quę juſtificatum ſequũtur, ut habet celebre Auguſtini dict. lib. de fide & operib c.14.) ſed fiduciali apprehenſione Chriſti. Pulchrè Brent. in Apol. conſ. Wirt. p.319. *Fides, ut ita explicandi gratia dicam, duplices habet manus. Unam quam extendit ſurſum & apprehendit Chriſtum unà cum omnib. beneficiis ſuis, & hac parte dicimus nos juſtificari per fidem: Alteram quã protendit deorſum ad exercenda opera caritatis ac reliquarum virtutũ; Et hac parte teſtificamur quidem veritatem fidei non a. juſtificamur.* 2. Hæc ergò nõ ſunt confundenda, unde Luth. in c.3. Epiſt. ad Gal. tom.4. lat. Jen. f.87. ſic ſcribit: *Sophiſtæ finxerunt gloſſã inter fidem formatã & informem, quâ vim faciunt Prophetæ verbis: Juſtus ex fide vivit. Si fidem formatã vocarent veram & Theologic. velut Paulus ἀνυπόκριτον, quam Deus fidem vocat, nihil me offenderet hæc illorum gloſſa: tunc n. fides non diſtingueretur contra caritatem, ſed contra vanam opin fidei, quo modo & nos diſtinguimus inter fidem veram & fictam. Ficta eſt quæ audit de Deo, Chriſto & omnib. myſteriis incarnationis & redemtionis, & apprehendit illas res auditas & pulcerrimè de iis loqui novit & tamen mera opinio & inanis auditus manet &c. non renovat nec immutat cor, non generat novum hominem, ſed relinquit eum in priori ſua opinione & converſatione. Si formatã fidem diſtinguerent contra falſam ſeu fictam fidem, nihil me offenderet iſta illorum diſtinctio, ſed ipſi duplicem faciũt fidem, informem & formatam, hanc peſtilentiſſimã & Satanicam gloſſam non poſſum non vehementer deteſtari. Quamvis* (inquiũt) *adſit fides infuſa quæ donum Spir. ſancti eſt & acquiſita, quam nobis ipſi parimus multis actionib. credendi, tamen utraq; eſt informis & formatur caritate. Sic fides ſine caritate, ut ipſi ſomniant, eſt q. pictura & res ſpecioſa in tenebris, quæ tùm primùm apparet, cùm lux, i.e. caritas acceſſerit, atq; hoc modo caritas eſt forma fidei & fides pura materia caritatis, h.e. præferre caritatem fidei & tribuere juſtitiã non fidei ſed caritati, quia propter quod unum quodq; eſt tale, illud magis tale, itaq; cùm non tribuunt fidei juſtitiam niſi propter caritatem, fidei nihil tribuunt &c. Si caritas eſt forma fidei, ſtatim cogor ſentire, ipſam caritatem eſſe maximam partem Chriſtianæ relig. & ſic amitto Chriſtũ, ſanguinem, vulnera & omnia beneficia ejus & inhæreo caritati & venio in facere morale. At Spir. S. qui dat omnib. os & linguam, novit et loqui. Bene potuiſſet dicere, Juſtꝰ ex fide formata vivit, ſed conſultò omiſit hoc, & ſimpliciter dixit: Juſtꝰ ex fide vivit.* vide ib. plura ἀξιομνημόνευτα. Quę pro formata fide ex Script. afferũtur, poſtea diſcutiẽtur.

Repudianda igitur diſtinctio inter fidẽ informem & formatam. 1. quia deſtituitur autoritate Scripturæ

118. 2. Diſtinctio illa non ſolùm à Script. ſacris eſt diverſa, ſed eid. etiam adverſa, cùm formata illa fides Evangelium in legem, & fidem in opera transformet. Quæcunq; ſibi invicem opponuntur, eorum unum non poteſt eſſe forma alterius. Jam v. lex & Evangelium, opera & fides in articulo Juſtificationis ſibi invicem opponuntur, ut patet ex tract. Apoſtolica. E. lex non eſt forma Evangelii, nec opera fidei. Jam v. *ſumma legis eſt dilectio.* Matth.22.v.40. Rom.13.v.8.& 9.& ſumã operũ in lege pręceptorũ eſt caritas. E. caritas non poteſt eſſe forma fidei. Hoc argum. ab aliis formatur h.l. Juſtificatio eſt ex Evangelio, *& non ex lege,* Gal.3.v.18. Fides juſtificans eſt ex Evang. *nõ ex lege,* ad q̃ pertinet caritas. E. Juſtificatio non eſt ex fide per caritatem formata. Excipit Bellar. 2. de juſtif. c.4. *tolerari haudquaquam poſſe, donum caritatis, q. eſt ipſe nucleꝰ Evangelii ad legem transferri & fidei opponi ſi caritas ad legem pertinet, quia Lex caritatem præcipit, cur non etiam fides relegatur ad legem, cum ſint in lege tam multa de fide præcepta? Præceptum igitur caritatis ut etiam fidei ad legem pertinet, Spiritus a. caritatis & fidei ad Evãgelium?* Reſp. utrumq; eſt Chriſti & Evangelii beneficiũ, remiſſio pecc. & renovatio, ſicut hęc duo conjunguntur. Jer.31.v.33. *hoc eſt fœdus meum, q. faciam cũ domo Iſrael, dabo legem meam in cordib. ipſorum.* v.34. *& peccatorum eorũ non recordabor amplius:* Cum fide datur ſimul Spir. S. qui Naturam incipit renovare; interim tamen in articulo Juſtificationis hæc duo accuratè ſunt diſcernenda. Juſtificatio n. non conſiſtit in renovatione, ſed in remiſſ. peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti: renovatio eſt juſtificationis conſequens. Quamvis igitur Spirit. caritatis & fidei, h.e. & remiſſio peccat. per fidem & interior renovatio per Spir. S. ſit Evangelii beneficiũ, docente Apoſtolo Gal.3.v.2. *Ex operib. legis Spiritũ accepiſtis, an ex auditu fidei?* interim tamen hęc diſtincta beneficia non ſunt confundenda, ſed cuiq; ꝙ ſuum eſt, aſſignandum: fides per Spir. S. accenſa juſtificat, non quatenus conjunctam habet caritatem, ſed quatenus Chriſtum in verbo Evangelii oblatum apprehendit; caritas per Spir. S. donata eſt fructꝰ

2. Quia adverſatur Scripturæ.

Digitized by Google

juſtificantis fidei, ſed nõ juſtificat, cùm in hac vita nunquam ſit perfecta, cùm à lege jamdum requiſita, cùm peccatorum fuligine in cordib. noſtris non mediocriter obfuſcetur. Fides audit DEUM promittentem: Dilectio audit DEUM præcipientem, fides verſatur circa opera DEI, dilectio circa opera noſtra. Fides recipit Chriſti beneficia, dilectio reddit mutuam benevolentiam. Fides habet virtutem apprehenſivam, dilectio egreſſivam. Fides eſt quaſi mendica, dilectio verò liberalis. Fides efficit DEI filios, caritas factos eſſe probat. Fidei objectum eſt Chriſtus in Evang. cũ omnib. ſuis beneficiis oblatus: caritatis DEUS & proximus. Porrò nucleus Evangelii non eſt caritas, q̃ & Chriſtus & Apoſtol. verbis tam diſertis ſummam legis eſſe docent, ſed ſolus Chriſtus Mediator, quem fides amplectitur & tenet, eſt Evangelii nucleus. Fidem à lege præcipi, ambiguè dicitur. Lex jubet credere omni verbo DEI, interim tamen Evangelium monſtrat proprium fidei juſtificantis objectum, videl. Chriſtum Mediatorem, ideò non legis ſed Evangelii vox eſt: *Crede in Chriſtum & ſalvaberis* Act. 16. v. 31. in lege nemo juſtificatur, *quia juſtꝰ ex fide vivit*. Gal. 3. v. 11. *lex a. non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea, vivet in illis*, v. 12. ac perpetua in diſput. Apoſtolica eſt oppoſitio inter legem & Evangelium, opera & fidem, inter τὸ operari & credere, quantum attinet Juſtificationis articulum. Si fides eſt legis & juſtificamur ex fide, ſequetur nos juſtificari ex lege, quod adverſatur Apoſtolo. Repetenda hoc loco ea, quæ de diſcrimine Legis & Evangelii ſuperiùs diſputata ſunt.

3 Quia caritas magis juſtificaret, quàm fides.

119. 3. Si caritas eſt forma fidei, & fides inde atque ideò juſtificat, quia eſt caritate formata, conſequens erit caritatem in articulo juſtificationis fide præſtantiorẽ eſſe, ac magis juſtificare quàm ipſam fidem. Poſterius eſt abſurdum. Ergò & priùs. Bellarm. connexionem non negat, ſed nervum ejus fortiùs conſtringit, ſic n. ſcribit: *Si caritas eſt forma fidei & fides non juſtificat formaliter, niſi ab ipſa caritate formata, certè multo magis caritas ipſa juſtificat.* Minorẽ v. negat atq; ex 1. Cor. 13. fidem caritate p̃ſtantiorem eſſe, ex dicto Chriſti Joh. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis vos invicem. In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionẽ habueritis adinvicem*, in caritate ſummam Chriſtianæ relig. conſiſtere, probare nititur. Reſp. Non quęritur abſolutè de pręſtantia fidei & caritatis, ſed reſpectu habito ad artic. de Juſtific. In Juſtificatione dicimus regnare ſolam fidem, non a. noſtram caritatem, ſoli quippe fidei competit apprehendere Chriſtum, & in eo DEI gratiam, remiſſionem peccator. & vitam ęternam; fatemur interim caritatem in exercitiis Chriſtianę pietatis, quę ſpectantur in juſtificatis, fide majorem eſſe (Chriſtus pronunciat, *Beatius eſſe dare quàm accipere*, Act. 20. v. 35. jam verò fides ſe exercet accipiendo, caritas dando. E. hoc reſpectu caritas eſt major fide) non quòd fidem formet, vel juſtificationis actum ingrediatur, vel magis juſtificet, ſed primò propter objecti latitudinem, fides enim intuetur ſolùm Chriſtum, ideo fidei cùm ſolo DEO res eſt, caritas a. refertur ad DEUM & proximũ: deinde propter perpetuã durationem, quia in vita æterna fidei ſuccedit viſio, ſpei fruitio, caritas a. durabit, & plenè perficietur, quò potiſſimum ſpectat Apoſtol. fidei caritatem præferens. 1. C[illegible] 13. inde facilè apparet, quid ad vulgatũ illud reſpondendum ſit. *Maxima virtus maximè juſtificat. Dilectio eſt maxima virtus. E. maximè juſtificat.* Reſp. Major nec legaliter nec Evangelicè vera eſt. In lege non una virtus ſive maxima ſive mediocris, ſed univerſalis & perfecta totius legis impletio juſtificat: in Evangelio non opera, ſed fides in Chriſtum juſtificat. Nec adverſatur nobis caritatem dici quodãmodo ſummam Chriſtianiſmi, ſi de vita hominis Chriſtiani quæſtio eſt, quippe qui ex caritate omnia debet agere, *nõ eſt fructus bonꝰ, qui de radice caritatis non ſurgit*, dicit Auguſt. de Spiritu & lit. c. 14. interim tamen in articulo Juſtific. dominatur ſola fides, cujus fructus eſt caritas, abſq; qua nec ipſa caritas DEO placet: οὐδὲν ὄφελος ἀγάπης χωρὶς πίστεως, μᾶλλον δὲ οὐδ' ἂν γένοιτο ἀγάπη ἰσχυρῶς, docente Chryſoſt. in c. 6. Eph. Porrò q̃mdo per doctrinam de Juſtific. operum obſcuretur gloria Chriſti, quod Bellarm. hìc fortiter negat, de eo ſuus erit differendi locus.

120. 4. Informe eſt quod caret debita forma. Fides juſtificans non caret debita forma, quæ eſt fiducialis apprehenſio Chriſti. E. fides non eſt dicenda informis. Viciſſim. Nulla virtꝰ intellectûs poteſt informari à virtute volũtatis, cùm ſint potentiæ realiter diſtinctæ. *Fieri non poteſt*, ait Bellarm. 1. de Juſtif. c. 16. *ut una virtus ſit in duab. potentiis genere diſtinctis*, pari ratione dicere poſſumus: ἀδύνατον eſt virtutem, quæ eſt in una animę potentia, informari ab alia virtute, quæ eſt in potentia genere à priore diſtincta. Atqui fides & caritas ſunt diſtinctę virtutes, & ex hypotheſi Scholaſticorũ fides eſt tantùm in intellectu, caritas in voluntate, quę ſunt potentię genere diſtinctæ. E. caritas non eſt forma fidei. Excipit Bellarm. *caritatem eſſe formam fidei non intrinſecam, ſed extrinſecam, quippe quæ det illi, non ut ſit, ſed ut moveatur, fidem a caritate agi & moveri, quomodo à Spir. movetur & agitur corpus*, q̃ ex c. 2. Jacobi & c. 5. Gal. *probari poſſe exiſtimat.* Reſp. de Scripturæ teſtimoniis diſſeremus poſtea, h. l. ſic procedimus. 1. per Spir.[illegible]ũ in verbis Jacobi Apoſtoli c. 2. v. 26. aut intelligitur anima aut reſpiratio, tertium non datur, neq; n. arbitror Bellarminũ de Spiritu aſſiſtente cogitare, qui corpus inanime exteriùs movet, ſicuti Philoſophi diſputant de Intelligentiis motricib. orbium, ac Theologi de Angelis in forma corporea apparentib. hæc de forma aſſiſtente cogitatio D. Jacobo non venit in mentem, expreſſè n. dicit *corpus ſine Spiritu eſſe mortuũ*, atqui ſine aſſiſtente Spiritu corpus non eſt mortuũ ſed manet vivũ, ut apparet exemplo Eliæ, quem Spir. ex uno loco in alium transferebat. 1. Reg. 18. v. 12 manet igitur im̃ediata oppoſitio. Per Spir. in verbis Jacobi aut intelligendam eſſe animam aut reſpirationem. Si poſterius, caritas q̃ τῷ πνεύματι Apoſtol. cõfert, erit effectus & ſignum fidei, ſicut reſpiratio vitæ, nequaq̃ v. forma, quis n. unq̃, reſpirationẽ formã corporis dixit? Si prius, caritas erit forma intrinſeca & eſſentialis fidei, ſicut anima eſt intrinſeca corporis vivi animati forma, nequaq̃ v. extrinſeca, non n. ſolùm movet & agit, ſed et informat corpus, unde à Philoſopho definitur q̃ ſit ἐντελέχεια πρώτη σώματος φυσικοῦ ὀργανικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. 2. de anim. c. 1. text. 6. niſi fortè errorem Averrois errare velimus, qui in comm. 3. de anima animam rationalem aſſiſtentem hominis formam facit, perinde ut nauta aſſiſtit navi, quem diligenter r[illegible] tat Zabarella lib e

4. Quia vera fides non deſtituitur ſuâ debitâ formâ.

mente humana c.4.&ſeqq. eligat igitur Bellarm. quicquid velit, ex D. Jacobi verbis nunq̃ elicere poterit, caritatem eſſe formam fidei extrinſecã. 2. Recognoſcat etiam Bellarm. ſua verba ex lib.2. de Juſtif. c.7. col. 1058. *Tametſi aliquando denominatio fiat à forma extrinſeca, quo modo dicitur res cognita per cognitionem quæ eſt in mente & paries dicitur viſus per viſionem, quæ eſt in oculo: tamen cùm in aliquo duæ ſunt formæ contrariæ, una inhærẽs, altera extrinſeca, ſine dubio denominatio abſoluta ſumitur ab inhærente potiùs forma, quàm ab extrinſeca. Si quis n. Aethiopem candidâ veſte indueret, non rectè diceret, hic Aethiops eſt albus, ſed contra rectè diceret: hic Aethiops eſt niger, quoniã magis pertinet ad eum propria & inhærens nigredo, quàm ille aſcititius color externus.* Hact. Bellarm. ex cujus verbis hoc axioma deducimus. Formatum propriè dicitur à forma intrinſeca, quæ rem conſtituit, & per quam res eſt q́ eſt, & ab aliis diſtinguitur, non à à forma extrinſeca. Subſumo. Fides juſtificans per ſuam formam videl. Chriſti in Evangelio apprehenſionem eſt q́ eſt & ab aliis omnib. diſtinguitur, E. non debet dici informis. Caritas eſt forma ſolũ extrinſeca ſicut veſtis (quâ comparatione utitur Biel.) E. per eam non debet dici formata. 3. Formæ proprium eſt informare; movere & agere ad efficientem propriè pertinet, at num fides eſt informe quoddam cadaver, cui animam & vitam inſpiret caritas? ſi dicas, *forma intrinſeca propriũ eſt informare, extrinſeca v. movere & agere.* Reſp. fides non eſt torpida & otioſa quædam qualitas, quæ per caritatem priùs excitanda, movenda & animanda ſit, ſed res viva & efficax, *vincit* n. *mundum.* 1. Joh.5.v.4. *exerit ſe per dilectionem.* Gal.5.v.6. ſpargit radios *bon. operum* Matt.5.v.16. Luth. in c.12. Gen. tom.2. ſec.10. *Sophiſtæ cùm nos de fide docere audiunt, putant de re levicula contentionem eſſe, non n. norunt, fidem eſſe mutationem, & renovationem totiꝰ Naturæ, ut aures, oculi, cor ipſum prorſus diverſum audiant, videant, ſentiant ab omnib. aliis hominib. Eſt n. fides res vivax, & potens, nõ eſt otioſa cogitatio, nec innatat cordi, ſicut anſer aquæ, ſed ſicut aqua igni calefacta etſi aqua manet, tamen non ampliꝰ frigida ſed calida & prorſus alia aqua eſt: ita fides Spir. S. opus aliam mentem & ſenſus alios fingit, ac prorſus novũ facit hominem, eſt igitur fides operoſa, difficilis & potens res &c.* in c.22 Gen. f.195. *Fides non eſt otioſa qualitas, ſed virtꝰ ejus eſt mortem occidere, infernũ damnare, eſſe peccato peccatũ, Diabolo Diabolum, adeo ut mors non ſit mors etiamſi omnium ſenſus teſtetur adeſſe mortem.* Hæc Luth. Caritas igitur nõ movet & agit fidem ſed contra fides vera & viva exerit ſe per caritatẽ. 1. Tim.1.v.5. *Finis præcepti eſt caritas de corde puro, conſcientia bona & fide nõ ficta.* E. caritatis rivulus ex fonte fidei profluit. Nec fides eſt quædã nuda & informis qualitas, ut caritate veſtiri ac cooperiri indigeat, quin potius fide recipimus Chriſtum, cujus juſtitia per fidem nobis imputata eſt ſum̃a & DEO placens pulcritudo, quâ nuditas & deformitas Naturæ noſtræ tegitur. Gal.3.v.26. *Omnes filij Dei eſtis per fidem in Chriſto.* v.27. *quotquot n. in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Apoc.3.v.18. *Suadeo tibi emere aurũ ignitum probatum, ut locuples fias; & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Baſil. in c.9. Eſa. tom.3. p.448. *Sanè Chriſtianorum veſtimentum obnubens peccati turpitudinem fides eſt, quâ in Chriſtum credimus.* Adde, ſi caritas eſt forma extrinſeca fidei, ut veſtimentum corporis (diſputante Biele) non poterit fides agi & moveri per caritatem, quis n. unquam vidit veſtimentum agere & movere corpus? Deniq; caritas ſine fide in Chriſtum DEO non placet Heb.11.v.6. *Impoſſibile eſt Deo placere ſine fide.* Rom.14.v.ult. *Quod non fit ex fide, peccatum eſt.* Auguſt.19. de civ. DEI c.25. *Nulla virtus vera apud Deum ſine fide.* Nazianz. orat.13. p.347. *abſq; fide nulla actio fructuoſa eſſe poteſt*, ergò dicendum potius foret, fidem eſſe formam caritatis, q̃ caritatem formam fidei. Extant apud Ethnicos ſcriptores exempla eorum, qui tantâ caritate ſeſe mutuò proſecuti ſunt, ut non dubitaverit alter pro altero mortem ſubire, & tamen quia hæc caritas fuit abſque fide, quid aliud fuit coram DEO, quàm mortuum cadaver.

121. 5. Habac.2.v.4. Rom.1.v.17. Gal.3.v.11. Heb.10.v.38. *Juſtus ex fide vivit*, ex quo loco ſic argumentor. Per q́ vita ſpiritualis nobis confertur, illud vitam ſuam non aliunde ſortitur. Per fidem veram & juſtificantem ſpiritualis vita nobis confertur (Thom.2.2.q.12.art.1. *Fides eſt vita animæ. Sicut ſublatâ vitâ corporali omnia membra & partes hominis à debita diſpoſitione recedunt: ita ſublatâ vitâ juſtitiæ, quæ eſt per fidem, apparet inordinatio in omnib. actib.*) Ergò fides nõ aliunde demum, videl. ex caritate vitam ſuã ſortitur. Excipit Bellarm. *Prophetam non loqui de vita juſtitiæ ſed de vita ſpei, quæ juſtum patienter expectare facit: vel commendari id, unde initiũ ducit vita juſtorum.* Coſter. in Ench. p.197. *Juſtum ex fide vivere nihil aliud eſſe videtur, quàm juſtum ad fidei normã totam vitam dirigere ac formare, quemadmodum dicere conſuevimus, quempiã Medicè vivere, nempè ex Medicinæ præſcripto.* Reſp. 1. interpretationes illæ ſecum non conſentiunt. 2. Apoſt. Rom.1. Gal.3. ex profeſſo diſputans de Juſtif. fidei, Propheticum enunciatum eò accomodat, in faciem igitur Apoſtolo contradicit Bellar. quando de vita juſtitiæ locũ illum intelligendum eſſe negat. 3. ſanè ex fide juſtificante ẽt ſpes oritur, per q̃ in periculis vivimus, h.e. de præſentia & auxilio Dei certi patienter expectamꝰ, quo ſenſu de vita ſpei dictũ Propheticum quodam̃odo intelligi poteſt, ſed ex eo non eſt inferendũ, q́ per fidem non contingat nobis vita ſpiritualis, quin potiùs contrariũ ex eo ſequitur, niſi n. fide certi eſſemus nos Deo reconciliatos ac vitæ ſpiritualis participes factos eſſe per Chriſtum, nunq̃ in periculis animo quieto ac pacato eſſemus, ex fide igitur in mediis Syrtib. malorũ & periculorũ vivimus, h.e. vitam & veram conſolationem in corde ſentimus, quæ conſolatio eſt initiũ vitæ æternæ. **Partic. ב quę propriè ſignificat *in*, Gręci rectiſſimè vertunt quandoq; per ἐκ vel ἐξ, Deut.6.v.5. Marc.12.v.30. Luc.10.v.27. confer eum loco Prophetæ verſionem Apoſtoli Rom.1.v.17. Galat.3.v.11. Heb.10.v.38. ſæpè per διὰ cũ genitivo ſeu *per*, Deut.32.v.21. Pſ.78.v.2. Joh.1.v.4. Act. 17.v.28. Phil.4.v.13. ſæpè ſimpliciter per ablativ. qũ notat inſtrumentum, Buxt. th. Gram. l.2. c.13. p.444. & c.20, p.514. unde colligere licet, *ἰσοδυναμοῦντα* eſſe apud Paul. in hoc artic. *ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως, πίστει.* Rom.3.v.18.22.26. Dicti occaſio ſpecialis eſſe poteſt & dictum generale. Sententia Prophetæ eſt generalis, oſtendens quâ in re verè pii in mediis tentationũ & calamitatũ quarumlibet procellis tutò conquieſcere & in ipſis mortis

5 Quia juſtus ex fide vivere dicitur.

angu-

anguſtiis pacatè vivere poſſint, idq; fieri dicit unicâ in Meſſiam fide, quâ cũ ſciant ſe eſſe juſtificatos & apud DEUM in gratia conſtitutos omnia mala magno contemnant animo. Finis eſt, ut proinde in his præſentibus quoque malis per Chaldæos inferendis confidant piæ Iſraelitæ reliquiæ. Rectiſſimè igitur quod in genere dictum erat à Propheta, Apoſtolus ad præcipuum fidei officium in ſpecie applicat, oſtendens quod nemo vivere queat in ſummis ſpiritualibus anguſtiis & mortis æternæ faucibus, quam peccatis ſuis ſe homo promeritum videt legis minis perterritus niſi juſtus & quod nemo juſtus ſit apud Deum niſi fide in Chriſtum, quæ ex Evangelii promiſſionibus accenditur. Agnoſcit ipſe Ribera in cap. 2. Habac. num. 16. Apoſtolum hîc agere de vita gratiæ quæ nulli contingit niſi fide in Chriſtum. Vide omninò locum. Hebr. 10. v. 38. Apoſtolus non citat Prophetæ dictum ad juſtitiam fidei ſtabiliendam, ut Rom. 1. v. 17. Galat. 3. v. 11. factum, ſed tantum verbis Prophetæ vitam æternam Hebræis promittit ex fide ſi eam retinuerint & probaverint in malis.** 4. nec in futuro ſolùm dici poteſt, *Juſtus ex fide vivet*, ſed etiam in præſenti. Juſtus ex fide vivit (ut vulgatus Interpres vertit. Galat. 3. v. 11. & ut legit Auguſt. 4. de civit. Dei c. 20. *Maximum inquit apud nos locũ habet fides, qui ſcimus, quid ſit, Juſtus ex fide vivit.*)** *Ex Hebræorum idiotiſmo futurũ in generali ſententia pro præſenti continuo uſurpatur ſignificaturq; non quod futurum tantum eſt ſed quod ſemper fuit, eſt & erit, perpetuoque fieri debet.* Buxtorff. in theſ. Gramm. lib. 1. cap. 12. p. 95.** quia fides apprehendit Chriſtum & in Chriſto vitam, ſiquidem Chriſtus eſt *vita*, Joh. 11. v. 25. c. 14 v. 6. unde concludit Apoſtolus 1. Joh. 5. v. 11. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt*, v. 12. *Qui habet Filium Dei, habet vitam æternam*; quod deductum ex Joh. 3. verſ. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, ſed habet vitã æternã.* v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitã æternã.* Cum quo confero pronũciata Apoſtolica. Gal. 2. v. 20. *Vivo in fide Filii Dei, qui dilexit me & tradidit ſe ipſũ pro me*, Eph. 3. v. 17. *Per fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris.* Phil. 1. v. 21. ἐμοὶ τὸ ζῆν χριστὸς Col. 3. v. 3. *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, cùm autem apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & vos cum eo apparebitis in gloria.* Quæ omnia falſitatis convincunt poſteriorem Bellarmini interpretationem quâ ſtatuitur, vitam ſpiritualem tantùm initium ducere à fide, perfici a. caritate, imò verò juſtus ex fide vivit, hoc eſt, credendo in Chriſtũ habet vitã æternã, quamvis adhuc abſconditam: caritas nõ perficit ſpiritualem illam vitam, ſed de ea teſtimonium fert exterius, atque ex ea oritur, quemadmodum per motũ vita naturalis manifeſtatur, Aug. in Pſ. 93. *Non eſt alia juſtitia hominis in hac vita niſi ex fide vivere*, Luth. in c. 48. Geneſ. tom. 4. fol. 192. *Tanta vis eſt fidei, quæ nos vivos facit ex mortuis, ac ſanè eâ ipſâ horâ, quâ incipimus credere & verbũ apprehendere etiam vivere incipimus vitâ æternâ, quia verbum Domini manet in æternũ, & Deus qui loquitur nobiſcum, æternus eſt & perpetuò nobiſcum erit.* 5. Coſteri interpretatio contraria eſt ſcopo Apoſtoli, qui ex hoc Prophetico teſtimonio docet, juſtificari hominem fide abſq; operibus legis, fidem cum operibus confũdit ac normam fidei perperam accipit de norma bonorũ operũ in Decalogo propoſita. ** Diſtinguendum eſt *inter fidem Scriptura, quæ creditur & fidem cordis quâ creditur.* Deinde ſimilitudo non quadrat. 1. eſt diverſa ratio loquendi, cùm Propheta nõ dicat, *juſtus fideliter vivit* ſed ex fide. Coſter' v. & vulgò ſic loquimur, non ſanus ex medicina vivit ſed medicè, i. e. ad Medicinæ præſcriptum. Ergo. 2. eſt diverſa ratio vivendi. Vitam Medicam agendo vivimus, dum per opera quædã ex Medicinæ præſcripto rectè peracta acquirimus & conſervamus corporis ſanitatem *vitam juſtitia vivimus credendo & non per opera nobis paramus aut conſervamus animæ ſalutem.*** Ac res ipſa teſtatur magnã eſſe differentiã inter hęc duo, vivere ex fide & vivere Medicè. Medicina præſcribit certã diætã ac certam vivẽdi rationem, quâ ſanitas vel conſervetur vel recuperetur: ſed fides non præſcribit opera, per quæ vitam mereamur æternam, cùm in lege hæc jam dũ requiſita ſint, cumq; propter corruptionẽ Naturæ nõ poſſim' operib' vitã mereri, ſed proponit Chriſtũ Mediat. in quem *credendo vitã habeamus æternã in nomine ejus.* Joh. 20, 31. 1 Joh. 5, 13. Sed nec hæc ſunt Synonyma. Vivere ex fide & vivere dignè Evangelio, nam prior locutio exponit Juſtificationem hominis coram Deo: poſterior exponit converſationem hominis jã juſtificati: quia veram fidem tanquam fructus ſequuntur opera Chriſtianâ profeſſione digna. 6. Regerit Bellarminus: *Sicut per Prophetam Spiritus S. vitam juſtorum tribuit fidei, quoniam inde inchoatur: ſic per Apoſtolum eandẽ vitã tribuit caritati, quoniã inde perficitur: tranſlati ſumus, ait Iohannes* 1. Epiſt. 3. *de morte ad vitã, quoniam diligimus fratres, & qui non diligit, manet in morte.* Reſp.** Audiat Bellarmin' Stapletonum, qui in promt. moral. Dominica 12. poſt Pentec. loc. 4. p. 303. dictum Johannis orthodoxè ſic explicat. *Sicut vita animalis argumentũ eſt motus membrorum: ſic vita ſpiritualis certum indicium eſt amor erga proximum & opera caritatis in illum. Hinc D. Iohannes* 1. *Epiſt.* 3. *tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres, i. e. hoc argumento evidenter apparet, nos vita gratiæ vivere. Contrà ſicut mortis aut deſperatæ valetudinis argumentum eſt ſtupor membrorũ & ceſſatio motus, ſic extinctæ gratiæ clarum indicium eſt non affici erga proximũ & ab ejus dilectione ceſſare, unde iterum Iohannes.* Qui habuerit ſubſtantiam huj' mundi & viderit fratrem ſuum neceſſe habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Hact. Staplet. rectiſſ.** Sophiſticè Bellarminus omittit, quæ in textu Apoſtolico adduntur. *Scimus*, ait Apoſtolus, *quòd de morte trãslati ſumus in vitã, quia fratres diligimus*: argumentatur igitur D. Johan. ex effectu ad cauſã, & ex dilectione arguit factã eſſe tranſlationem ad vitã per Chriſtũ fide apprehenſum. Certè dilectio fratrũ nõ poteſt eſſe cauſa vivificationis, cùm per peccatũ ſim' mortui, quomodo v. ſpiritualiter mortu' poſſet diligere & per dilectionem ex morte in vitã ſeſe revocare? id cõpetit ſoli Chriſto per quem *vivificati*. Eph. 2. v. 5. *verſamur in operibus bonis*. v. 10. & per ipſũ ex morte ad *vitã trãslati fratres diligimus*. 1 Joh. 3. v. 14. quæ dilectio nec cauſa, nec initiũ, nec complementũ, ſed effect', ſignũ & conſequẽs eſt noſtrę vivificationis, unde *fructus Spiritus* dicitur Gal. 5, 22. Aug. tract. 6. in ep. Joh. *Nos ſcimus, quid ſcimus? quia tranſivimus de morte ad vitã.*

Digitized by Google

Unde ſcitis? quia diligimus fratres. Nemo interroget hominem, redeat unuſquiſque ad cor ſuum, ſi ibi invenerit caritatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſit ad vitam à morte.

6 Effectus non eſt forma ſuæ cauſæ.

122. 6. Effectus non eſt forma ſuæ cauſæ, quia res per ſuam formam eſt, antequam agat, nihil enim agit niſi ſit actu, eſt autem quodlibet actu per ſuam formam. Jam verò caritas eſt effectus fidei, ſiquidem vera *fides eſt efficax per dilectionē.* Galat. 5. v. 6. Ergo non poteſt eſſe forma fidei. Huc referenda dicta veterum, in quibus fidem vocant matrem, genitricem, fontem, radicem, bonorum operum adeoque ipſius caritatis. Auguſt. in Pſ. 67. *Per fidem juſtificatur impius, ut deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari* quod allegat Lombardus 2. ſent. diſt. 26. F. & 3. ſent. diſt. 23. D. Gregor. hom. 19. in Ezechiel. *Fides eſt veſtibulum, per quod ad bona opera pervenitur.* Bellarm. ipſe 1. de Juſtif. c. 13. *fides eſt principium & radix reliquarum virtutum.* c. 15. *fides gignit caritatem diſpoſitivè.* Si excipere velint *caritatem eſſe formam extrinſecam fidei, quia movet atque agit fidem,* Reſp. caritas non agit vel movet fidem, ſed fides agit ac movet ſe per dilectionem; effectus non ſolùm non informat, ſed nec agit nec perficit ſuam cauſam, ſed eſt quaſi fructus & conſequens illius actus & perfectè exiſtentis. ** Denique nota 1. Omnis habitus conſtat formâ ſuâ propria & contrà. Nullus habitus conſtat duabus formis. Omnis Fides eſt habitus E. conſtat formâ ſuâ propriâ. Quomodo igitur quædam eſt informis ſi habet formam? Ergo etiam, quia fides conſtat duabus formis. 2. Quæ de ſe non poſſunt prædicari, illorum unum non poteſt informare alterum. Habitus diſparati de ſe non poſſunt prædicari. E. illorum alter non poteſt alterum informare. Quomodo igitur Fides informabit caritatem, cùm ſit habitus diſparatus, quia fides & caritas habent diverſas formas ſpecificas. 3. Quod per aliud informatur eſt materia. Fides non eſt materia, quia formatus per ſe habitus & agit ſeu operatur non patitur. Ergo. Lutherus argumentum illud ſic proponit. Si caritas eſt forma fidei, fides erit pura materia caritatis erit quoddam informe chaos, miſera virtus, nullius operis, efficaciæ & vitæ, ſed tantùm paſſiva materia. 4. Quæcunque toto genere differunt, ideoq; in Scripturis ſibi invicem opponuntur, illa non poſſunt ſeſe mutuò conſtituere vel eſſentialiter informare. Sed fides juſtificans & caritas toto genere differunt, ſumma enim legis eſt dilectio Matth. 22. v. 40. Rom. 13. v. 8. Fides verò juſtificans eſt ex Evangelio non ex lege Galat. 3. v. 18. unde in articulo Juſtificationis ſibi invicē opponūtur. Rom. 3. v. 20. Eph. 2. v. 8. &c. **

Argumenta, quibus probare cupiunt. Fidem formari per caritatem.

123. Quibus v. argumentis informem illā diſtinctionem probant? Bellarm. lib. 2. de Juſtif. cap. 4. duo Scripturæ teſtimonia adducit. *Diſtinctio, inquit, inter fidem formatam & informem ab Apoſtolis Chriſti Paulo & Iacobo manifeſtiſſimè traditur. Nam quid quaſo intereſt, ſi dicamus, fidē vivam & mortuā, vel formatam & informem? certè n. res viva per aliquam formā vivit & res mortua propter abſentiam alicujus forma mortua eſt.*

1. Iacobus diſtinguit inter fidem vivam & mortuam.

Fidem a. vivam & mortuam Iacobus appellat in Epiſtola ſua cap. 2. ubi addit fidem à caritate agi & moveri, quomodo à ſpiritu agitur & movetur corpus, ac per hoc dilectionem nō eſſe ſignum viventis fidei, ſed etiam ipſam vitā fidei & fidem ſine dilectione eſſe ſimilem corpori ſine Spiritu. Reſp. Integram & ſolidam hujus loci expoſitionem proponemus poſtea, hac vice monemus. 1. fidem, id eſt, nudam fidei promiſſionem operibus bonis deſtitutam vocari ab Apoſtolo mortuam, non quaſi opera ſint fidei veræ & juſtificantis vita atque anima, ſed quia illa fidei jactantia & profeſſio, quæ non habet bonorum operum teſtimonium, eſt ſimulacrum ſeu cadaver quoddam ſine omni vita, perinde ac ſi quis ſtatuam ligneam veſtibus elegantiſſimis indutam pro homine venditare velit, cùm ſit reverâ mortuum ſimulacrum ac hominis figuram tantùm mētiatur. 2. vocem πνεύματος v. 26. non accipi pro anima ſed quemadmodum etiam vetus Interpres reddidit, pro ſpiritu, h. e. reſpiratione, ac ſenſum eſſe: Sicut corpus ſine ſpiritu, hoc eſt, quod non reſpirat, mortuum eſt, (negato enim proprio, immediato ac neceſſario vitæ effectu, ipſa quoque vita negatur:) ita fides, h. e. externa illa fidei profeſſio abſque operibus profeſſioni illi conſentaneis eſt mortua in ſemetipſo: ut enim generoſa arbor ex ſuis fructibus, ipſa vita ex vitalibus actionibus, ita vera & viva fides agnoſcitur & æſtimatur ex bonis operib', quæ ſi abſint, fides cenſetur mortua, hoc eſt, vana, ficta, inanis & nulla. Patet id ipſum ex natura fidei. Fides juſtificans & vera *per dilectionem operatur.* Gal. 5. v. 6. at fides quæ non exerit ſemper opera, non eſt *juſtificans,* Jac. 2. v. 14. Si non eſt vera & juſtificans fides, utiq; nulla, quia una tantùm fides. Epheſ. 4. v. 5. quod agnoſcit etiam Bellarmin. 1. de juſtificat. cap. 5. Idem perſpicitur ex ſimili quod Jacobus adducit. v. 16. *Quemadmodum non eſt caritas, ſi quis dicat tantum egenis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini, nec ſimul dederit eis neceſſaria,* hoc eſt, quæ nudis verbis ſe officioſam ſimulat abſque beneficentia: ita fides nulla eſt, quæ profeſſione nudâ ſeſe jactitat, nec per bona opera demōſtrat. 3. repeto igitur argumentum ſuperius productum. Per τὸ πνεῦμα accipit Bellarminus aut animam aut reſpirationem. Prius dicere nequit, aliàs concedere cogeretur, caritatem eſſe formam fidei intrinſecam; poſterius igitur agnoſcat, ac bona opera fidei ſigna & effecta eſſe nobiſcum ſtatuat: de aſſiſtente quodam Spiritu exterius movente non datur hîc ſomniandi locus, ut oſtendimus ſuperiùs. 4. res ipſa etiam oſtendit, per τὸ πνεῦμα non poſſe intelligi animam, quia opera non ſunt fidei anima, ſed ejus effecta ac proinde ordine Naturæ poſteriora, quomodo igitur erunt ejus forma. 5. Bellarminus ſtatuit fidem formari à caritate, ſed Jacobus non meminit ſolius caritatis, ſed operum in genere. Ergo dictum Jacobi eſt à ſcopo Bellarmini alienum, aut concedendum erit, non ſolùm caritatem, ſed bona opera in genere eſſe formam fidei.

2. Paulus docet, fidē operari, hoc eſt, formari per caritatem Gal. 5.

124. Alterum fundamentum Bellarminus petit ex cap. 5. Gal. *Apoſtolus Paulus* (inquit) *non ſolùm docet, fidem caritate formari, ſed etiam explicat, dilectionem formam fidei eſſe extrinſecam, non intrinſecam, & quà det illi, non ut ſit, ſed ut moveatur, ſic enim dicit: fides per dilectionem operatur: ubi illud operatur paſſivè accipiendum eſt non activè, eſt enim in græco ἐνεργουμένη, id eſt, mota atq; acta.* Reſp. 1. putidus ſolæciſm' Priſciani ferula dignus, quis enim unquam *operari* in ſenſu paſſivo dixit, niſi architecti operis operati? ipſe

Digitized by Google

ipſe Bellarminus fatetur *contra Regulam Grammaticæ Operari paſſivè accipi.* lib. 2. de Sacram. effectu cap. 1. 2. Bellarminus fulmen Concilii Tridentini incurret deſerendo vulgatam translationem. 3. Latin⁹ interpres voce operari nunquam uſus eſt paſſivè, ſed ſemper activè, exempla ubivis ſunt obvis. 4. Lombardus ſenſu activo allegat Apoſtoli dictũ, ſic enim ſcribit 3. ſent. diſt. 23. D. *per fidem juſtificatur impius, ut deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari.* Eraſm. in annot. ad Gal. 5. p. 408. reddendum cenſet, *fides per dilectionem agẽs.* Staplet. in præſ. promt. moral. dictum allegat boc modo, *fides per dilectionem operans.* Ipſum Concil. Trident. ſeſſ. 6. ita loquitur ex Apoſtolo. *In Chriſto Ieſu nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed fides quæ caritatem operatur.* Ab his omnib⁹ turpiter Bellarminus diſcedit, paſſivam ſignificationem urgens. 5. prætermitto veteres, quorũ nullus paſſivè textũ Apoſtolorum reddit. 6. quin imò Bellarmin⁹ paſſivæ ſuæ interpretationis ſtatim obliviſcitur, quia cap. 5. immediatè ſequente contra Oſiandrum diſputans activè vertit. *Si fides per dilectionem operans eſt illa juſtitia, per quam juſtificamur, certò non juſtificamur per juſtitiam Dei eſſentialem.* Ibid. cap. 20. *Fides per caritatem operans,* lib. 1. de clericis cap. 1. *fides quæ per dilectionem operatur.* 7. verbum græcum ἐνεργουμένη octies extat apud Paulum Rom. cap. 7. v. 5. 2. Corinth. 1. v. 6. & cap. 4. v. 12. Galat. 5. v. 6. Eph. 3. v. 20. Coloſſ. 1. v. 29. 1. Theſſal. 2. v. 13. 2. Theſſ. 2. v. 7. ac ſemel apud Jacobum cap. 5. v. 16. nuſpiam verò paſſivè uſurpatur, ſed ſemper activè in *diatheſi* media. 8. Constructio græca paſſivam explicationem hoc loco non admittit, dicendum enim fuiſſet ἡ πίστις παρ' ἀγάπης ἐνεργουμένη. 9. Περίστασις loci repugnat expoſitioni paſſivæ. Deſcribit Apoſtolus totam vitam hominis Chriſtiani, in qua vult lucere fidem & caritatem &c. & opponitur hoc dictum tum operoſis juſticiariis, tum ignavis hypocritis; hoc enim vult Apoſtolus, quod in Chriſto nec circumciſio nec præputium quicquam valeant, ſed tantum fides, quippe cui ſoli competit beneficia Chriſti in Evangelio oblata apprehendere; & tamen illa fides non eſt otioſa & torpida, ſed exerit ſe per dilectionem tanquam immediatum conſequens & effectum. 10. repetenda ſunt hoc loco argumenta ſuperius contra hanc diſtinctionem prolata, videl. quòd vera & propriè dicta forma ſit eſſentialis, intrinſeca & inſeparabilis; quod talis forma fidei ſit fiducialis apprehenſio Chriſti, non autem caritas: quòd nihil dicatur informe propter abſentiam formæ extrinſecæ: quòd cauſa movens rem extrinſecè non ſit ejus forma, ſed efficiens; quòd caritas ſit effectus fidei ac proinde non poſſit eſſe principium movendæ fidei; quòd caritas potiùs à fide foveatur ac ſano ſenſu formetur, cùm non placeat Deo, niſi proficiſcatur ex fide; quod fides non ſit otioſa & torpida qualitas per caritatem animanda & excitanda, ſed res viva, operoſa & efficax, cui tribuitur à Spiritu ſancto *robur & victoria.* Rom. cap. 4. v. 20. 1. Johan. cap. 5. verſ. 4. quę omnia Bellarmini interpretationem de caritate fidem agente, movente & formante evertunt. 11. objiciunt quidam textum Syriacũ, in quo vox ἐνεργουμένη paſſivè ſit reddita, ſic enim legitur הַימָנוּתָא דְּמִתְגַּמְּרָא בְּחוּבָּא haimanuthá dæmethgammerâ bechubhá, quod Tremellius vertit: *Fides quæ caritate perficitur*, ſed reſpondemus Græcum textum in novo teſtamento eſſe authenticum. Tradunt quidem Syri, à quibus verſio illa ad nos pervenit, eam à Marco Petri diſcipulo profectam eſſe, quod nos in medio relinquimus, nec tamen patiemur ejus autoritatem textui Græco (in quo conſtat N. T. ab Evangeliſtis & Apoſtolis conſcriptum eſſe,) exæquari, multò minùs præferri. Tremell. in præfat. verſ. Syr. fatetur, quod autorem ac tempus Syriacæ paraphraſeos invenire nondum potuerit. Adde quòd non ſit à textu Syriaco hujus loci aliena ſignificatio activa: ſic enim ſcribit Andreas Maſius in Grammatica Syriaca de Hithpaël. *Poſtrema formula erat Hithpaël, quam patiendi verbis peculiariter eſſe dicatam dicebamus: ſunt tamē in ea etiam quæ actionem ſignificant, ſed ferè qualem apud ſe quis agat,* ut אֶשְׁתַּאַל æſchtaêl recuſavit. Luc. c. 14. Actor. 20. 1. Tim. 4. & 5. talia exempla in Syriaco textu N. T. occurrunt quamplurima; cumprimis obſervandus locus 2. Cor. 4. v. 12. *Itaque mors in nobis eſt efficax, in vobis verò vita*, vertente ipſo Tremellio, ubi verbum Benoni in Hithpaël מֶתְחַפֵּשׂ mæthchappêſh activè reddendum eſſe συνάφεια textus manifeſtè comprobat.

825. Expoſitis variis illis fidei diviſionibus reſtat, ut fidei juſtificãtis cauſas & proprietates inveſtigemus. Cauſa efficiens principalis fidei juſtificantis eſt Deus, vel quod idem eſt, Spiritus ſanctus cui cùm regenerationis ac renovationis opus aſſcribitur, ab eo Pater & Filius neutiquam ſequeſtrantur: inde fides dicitur *opus Dei* Joh. 6. v. 29. non ſolùm quia fides ipſi grata ac accepta eſt, ſed etiam quia eandem in cordibus operatur 2. Cor. 4. v. 13. *habentes eundem Spiritum fidei*, ubi Spiritum ponit pro dono Spiritus. Philip. 1. v. 29. ἐχαρίσθη ὑμῖν *ex gratia vobis datũ pro Chriſto, ut non ſolùm in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini*; Phil. 2. v. 13. *Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate.* Coloſſ. 2. v. 12. vocatur *fides* τῆς ἐνεργείας τοῦ θεοῦ *operationis Dei*, id eſt, quam Deus operatur. Heb. 12. v. 2. Chriſtus eſt ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως, *ideò non omnium eſt fides.* 2. Theſſ. 3. v. 2. ſed eſt verè θεόδοτον ἀγαθόν, ideo Apoſtolus *pacem & caritatem cum fide precatur fratribus à Deo Patre & Domino Ieſu Chriſto.* Epheſ. 6. v. 23. Huc pertinet dictum Chriſti Matth. 16. v. 17. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlo.* Nimirum per peccatum ita ſumus corrupti ac depravati, ut nõ ſolùm indigeamus redemtione, peccatorum remiſſione ſalutis ac vitæ æternę dono, ſed etiam ut ne fidem quidem ex nobis & de noſtro afferre poſſimus, per quam divinę gratię ac bonorum cœleſtium participes reddamur. Miſertus igitur noſtri Deus perinde facit, ut fidelis Medicus, qui nòn ſolùm Medicinam affert ægroto, unde ſanetur, ſed etiam ſi opus ſit & hoc efficere ægrotus nequeat, id agit ut quam affert, capere poſſit medicinam. Hanc ſentẽtiam in locis quamplurimis contra Pelagianos gratiæ inimicos Auguſt. ex Scripturis comprobat. Lombard. 2. ſent. diſt. 27. lit. B. *de gratia fides Epheſiis ſcribens Apoſtolus fidem non ex homine, ſed ex Deo tantùm eſſe aſſerit, inquiẽs: Gratiâ ſalvati eſtis, per fidem & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt: q. à ſanctis exponitur hac ſcilic. fides non eſt vi Naturæ noſtra, quia donum Dei purè eſt. Ecce & hic apertè* tradi-

Cauſa efficiens principalis fidei.

traditur, quòd fides non eſt ex libertate arbitrii, ſive ex arbitrio voluntatis. diſt. 26. præced. lit. G. ex Auguſt. de prædeſt. ſanct. cap. 2. *Attendant & verba iſta (Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis) perpendant, qui putant ex nobis eſſe fidei cœptum & ex Deo eſſe fidei ſupplementum. Commendans enim iſtam gratiam, quæ non datur ſecundùm aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita inquit: non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid boni, ſcil. ex nobis. Quis autem non videat prius eſſe cogitare quàm credere? nullus quippe credit aliquid niſi prius cogitaverit eſſe credendum. Si ergo cogitare bonum non eſt ex nobis, ut hic Apoſtolus tradit, nec credere, quanquã & ipſum credere nihil eſt aliud, quam cum aſſenſu mentis cogitare.* Thom. 2. 2 q. 6. artic. 1. *ad fidem duo requiruntur, primò ut homini credibilia proponantur: ſecundò aſſenſus credentis ad ea quæ proponuntur. Quantũ ad primum neceſſe eſt, quod fides ſit à Deo, quia quæ ſunt fidei, excedunt rationem humanam, revelatio autem illa fit vel immediatè, ut Apoſtolis & Prophetis, vel mediatè. Quantum ad ſecundum poteſt conſiderari duplex cauſa: una exterius inducens, ut miraculum vel perſuaſio hominis, ſed neutrum eſt cauſa ſufficiens, quia unus audientium & videntiũ miraculum convertitur, alter verò non: igitur oportet ponere cauſam interiorem, quæ movet hominem interius. Cum verò homo aſſentiendo his quæ ſunt fidei, elevetur ſupra naturã ſuã oportet, quod hoc inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente, quod eſt Deus.* Hæc Thomas. Quomodo autem hujus doctrinæ integritas à corruptelis Pelagianis ac Semi Pelagianis vindicanda ſit, oſtendimus in tractatû de libero arbitrio. ** Photioiani negant, *fidem eſſe Spiritus S. donum.* Oſtorod. in diſput. Germ. oppoſita Tradelio part. 2. cap. 12. p. 203. *propterea quod ipſius judicio fides ſemper præcedat SS. & SS. per fidem accipiatur.* Reſp. 1. Si fides non eſt donum SS. & Spiritus S. ſecundum adverſarios eſt virtus & efficacia Dei, ſequitur neceſſariò, quod fides non ſit donum ipſius Dei. Si fides eſt donũ Dei, ut revera eſt, ſiquidem Deus ſuâ virtute & efficacia eam in hominibus operatur 2. Theſſ. 3. Phil. 2. v. 13. ſequitur etiam quod ſit donum Spiritus Sancti. 2. imò juxta adverſarios fides non eſſet donum ſanctificans, cùm omnia dona ſanctificantia à Spiritu S. proficiſcantur atque virtutem Dei ſanctificantem idcircò Spiritũ S. appellari. 3. Scriptura disertè teſtatur, quod Spiritu S. illuminamur, ſanctificamur, regeneramur, quæ omnia fidem includunt. 1. Cor. 12. v. 3. *nemo poteſt Ieſum dicere Dominum niſi per SS.* qui autem fidem habet, is poteſt dicere Jeſum Dominum. 4. Fidem non ita putamus donum Spiritus Sancti, quaſi temporis intervallo ſubſequatur SS. ſed quod SS. in ipſa hominis converſione fidem operatur, quâ fide poſtea reliqua Spiritus ſanct. dona accipere & pro augmento orare poteſt. E. hæc non ſunt contraria, ſed ſubalterna.**

Cauſa inſtrumentalis fidei.

126. Neque verò im̃ediatè vel per Enthuſiaſticos raptus Spiritus ſanctus vult operari fidem in cordibus hominum, ſed mediatè per verbi prædicationem, auditum, lectionem, meditationem. Ex luce verbi oritur lux fidei. Joh. 17. v. 20, *rogo pro illis, qui per verbum eorum in me credituri.* Rom. 10. v. 17. *fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum.* 1. Cor. 1. v. 21. *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis* (Evangelii) *ſalvos facere credentes.* 2. Corinth. 3. verſ. 5. comparat Apoſtolus miniſtros CHRISTI plantatoribus ac rigatoribus & addit: *Quis eſt Paulus? quis eſt Apollo? miniſtri ſunt, per quos credidiſtis* (credentes facti eſtis) inde fides vocatur *fructus labiorum*, id eſt, ſermonum Dei, Eſa. 57. v. 19. Quemadmodũ in opere creationis lux corporalis oriebatur, ex verbo, *dixit n. Deus: fiat lux & facta eſt lux.* Geneſ. 1. v. 2. ita in opere ἀνακτίσεως ſive regenerationis, quæ eſt veluti ſecunda creatio, lux ſpiritualis oritur ex verbo. 2. Cor. 4. v. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucẽ ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſciẽtiæ claritatis Dei in facie Ieſu Chriſti.* Ergo cauſa inſtrumentalis fidei eſt prædicatio verbi Sp. S. non ſolùm offert in verbo Evangelii im̃enſa beneficia Chriſti paſſione ac morte parta, ſed etiam per verbum illud efficax eſt in cordib' hominum, accendit in eis fidem, quâ oblata bona amplectantur, ſibique applicent. Quotquot igitur verbum Dei repudiãt, perſequuntur, blaſphemant &c. in illis ordinariè Sp S. non vult operari fidem, cùm tales *Spiritui ſancto reſiſtant.* Act. 7. v. 51. *ac ſeipſos vitâ æternâ indignos judicent.* Act. 13. v. 46. ex quo apparet cauſam, quòd plurimi ad fidem & ſalutem non perveniant, haud quaquam in abſoluto quodam Dei decreto quærendam eſſe, *ipſe quippe vult omnes ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. v. 4. ſed in ipſis hominibus, *qui magis amant tenebras quàm lucem*, Joh 3. v. 19. qui gloriam hominum gloriæ Dei præferunt, idcoque *credere non poſſunt.* Joh. 5. v. 44. qui *clauduut oculos ſuos, ne videant.* Matt. 13. v. 15. *quorum mentes Deus ſeculi hujus excæcat, ne fulgeat illis illuminatio Evangelii.* 2. Cor. 4 v. 4. quâ de re in tractatu de E[l]ectione & Reprobatione uberiùs egim⁹.

127. Objectũ ſive materiam circa quam fidei ratione notitiæ & aſſenſus diximus ſuperiùs §. 69 eſſe omne ſolũ Dei verbũ in Scripturis Propheticis & Apoſtolicis propoſitũ, nequaquã v. traditiones humanas, vel rationis ſomnia. Porrò Scholaſtici diſtinguunt inter objectũ materiale & formale. Thom. 2. 2. q. 1. art. 1. *Id ꝙ cognoſcitur, eſt materiale objectũ habitꝰ cognoſcitivi, id quo cognoſcitur, eſt formale. In fide formalis ratio objecti nihil aliud eſt, quàm prima veritas. non n. fides de qua loquimur, alicui aſſentit, niſi quia eſt à Deo revelatũ, ideo ipſi veritati divinæ fides innititur tanquã medio. Si conſideremus materialiter ea, quibus fides aſſentit, tũc ſunt multa alia præter Deum, quæ tamẽ habent aliquem ordinẽ ad Deũ* art. 2. *ex parte rei creditæ objectũ fidei eſt aliquid incomplexũ, ſcil. res ipſa, de quâ fides habetur: ex parte credentis objectũ fidei eſt aliquod complexũ, per modũ enunciabilis.* q. 5. art. 4. *Formale objectũ fidei eſt ſimplex & unũ, ſc. prima veritas ſecundum hoc fides una; ea v. quæ materialiter credẽda proponuntur, ſunt plura, & ſic poteſt unus plura explicitò credere, quam alius.* Ex hoc theoremate ꝙ formale objectũ fidei ſit prima veritas ſeu revelatio divina, rectè, deducit Biel, ꝙ non poſſit fieri additio fidei per novũ articulũ ab Eccleſia vel Pontifice edendũ: ſic n. ſcribit 3. ſent. diſt. 25. p. nn. dub. 3. *Sicut veritates Catholicæ abſq; omni approbatione Eccleſiæ ex natura rei ſunt immutabiles, & immutabiliter veræ, ita ſunt immutabiliter Catholicæ reputandæ. Similiter ſicut hæreſes abſque omni reprobatione & damnatione ſunt falſæ, ita abſque omni reprobatione ſunt hæreſes reputandæ, ꝙ ſic oſtenditur.*

Objectum fidei duplex.

Aut

Aut veritas dicẽda eſt Catholica, quia eſt divinitùs revelata aut in Scriptura divina contẽta, aut quia ab Eccleſia recepta, aut quia à ſummo Pontifice approbata, aut quia ex aliquo prædictorum ſequitur in conſequentia neceſſaria. Si primum aut ſecundũ, quia revelatio divina non dependet a ſummo Pontifice, nec ab Eccleſia, ergo horũ approbatio nihil facit ad hoc, quòd talis veritas ſit Catholica. Si tertiũ, quæritur quare Eccleſia talem veritatẽ recepit, aut quia ſibi divinitùs eſt revelata, & tũc abſq; tali receptione eſt Catholica; aut quia eam in Scripturis invenit, & tunc iterum abſq; tali receptione eſt Catholica; aut quia per experientiam aut naturalem rationem eam cognovit, ſed rationi & experientia Eccleſia in recipiendo Catholicam veritatem inniti non poteſt, tum quia quæ ſunt fidei, ſupra experientiam & rationem, tum quia ſic omnem veritatem Geometricam & naturalem poſſet facere Catholicã; aut quia ſibi placet, & ſic fides eſſet in voluntate hominum. Si detur quartum, arguitur eodem modo. Si quintum, clarum eſt, quod ſequeretur etiam ſine approbatione Eccleſiæ. Patet ergo, quod nulla veritas eſt Catholica ex approbatione Eccleſiæ vel Papæ, ſed Eccleſia vel Papa per ſuam approbationem aliquam veritatem fuiſſe ante eſſe Catholicam agnoſcit & definit. Hactenus Biel, quæ nunquam poterũt conciliari cum diſputationibus hodiernis Pontificiorum. ** Piggius lib. 1. Hierarch. Eccleſ. c. 2. *Eccleſia impertit Canonicam autoritatem quibusdam libris Scripturæ, quam ex ſeipſis non habuerunt.* ** Staplet. in relect. princ. fidei controv. 5. quæſt. 2. artic. 4. pag. 514. *Si præſens Eccleſia librũ Hermæ Paſtoris nomine inſcriptum, conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente editas & ſimiles* (quos Apocryphos libros eſſe manifeſtè cõſtat) *in canonem Sacræ Scripturæ referret, nulla ratio obſtat, quia eos pro Canonicis admittere debeamus.* Bellar. lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præſentis Eccleſiæ.* lib. 4 de not. Eccleſiæ cap. 2. *Scripturæ pendent ab Eccleſia, non contra, ut ſæpè diximus.* Sacrob. defenſ. Bellarm. part. 1. cap. 6. *Verum eſt, multos ſanctos viros quædam mordicus tenuiſſe & propugnaſſe acerrimè, quæ contra Dei verbum fuerunt, nec tamẽ pro hæreticis habitos, quoniam per autoritatem Eccleſiæ in tempore ipſorum contrarium non fuit definitum.* Atqui ſi Eccleſia librum quendam ſua natura Apocryphum in canonem poteſt referre, quomodo non poteſt acceſſio fidei per Eccleſiæ decretum fieri? Si propugnantes id quod verbo Dei contrarium, non ſunt hæretici ante Eccleſię deciſionem, quomodo Catholicæ veritates abſque Eccleſiæ autoritate ſunt immutabiles & immutabiliter veræ?

Quid propriè articulus fidei.

128. Porrò ** *Objectum fidei* ratione aſſenſus eſt vel *adæquatum* nimirum omne & ſolum Dei verbum vel *primarium*, quod ſunt præcipua doctrinæ capita, quæ vocare ſolemus *articulos fidei*, ratione *fiduciæ* objectum vel eſt *generale*, nimirũ promiſſio gratiæ, vel *ſpeciale*, quod eſt Chriſtus Redemtor. ** Cùm etiam ea quæ in Scripturis credenda proponuntur, non ſint uniuſmodi, ſed quædam directè & per ſe ad fidem pertineant, quædam verò certo ordine & reductione, quales ſunt Hiſtoricæ deſcriptiones rerum à ſanctis geſtarum, ideo propriè & accuratè loquendo non omnia, quæ in Scriptura proponuntur, pro articulis fidei ſunt habenda, ſed tantum dogmata illa quorum cognitio ad ſalutem neceſſaria eſt; & inter ipſos articulos fidei quoddam diſcrimẽ occurrit, quædam enim ſunt fundamẽtales, & principales, utpote myſterium Trinitatis & incarnationis, quædam verò minùs principales, qui ad priores illos referuntur, iiſque ſubordinantur. Thom. 2. 2. q. 1. art. 6. *aliqua ſunt credibilia, de quibus eſt fides non ſecundum ſe, ſed ſolùm in ordine ad alia; quia verò fides principaliter eſt de his, quæ videnda ſperamus in patria, ideo per ſe ad fidẽ pertineat, quæ directè nos ordinant ad vitam æternam. Quædam verò proponuntur in Scriptura, ut credenda, non q. principaliter intenta, ſed ad manifeſtationẽ divinæ Majeſtatis vel incarnationis.* Ibid. *Articulus ſignificat coaptationem aliquarum partium diſtinctarũ, unde & credibilia fidei Chriſtianæ dicuntur per articulos diſtingui in quantum in quaſdam partes dividuntur, habentes aliquam coaptationem ad ſe invicem.* art. 8. *Illa per ſe pertinent ad fidem quorũ viſione in vita æterna perfruemur & per quæ ducimur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur ſc. occultum divinitatis & myſterium humanitatis Chriſti, prioris viſio nos beatos facit, per poſterius in gloriam filiorum Dei acceſſum habemus.* q. 2. art. 5. *Fidei objectum per ſe eſt id, per quod homo beatus efficitur, per accidens autem & ſecundariò ſe habent ad objectum quæ in ſacra Scriptura continentur, ut quod David filius Iſai. Quantum ergo ad credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, quantum ad alia credibilia, ſufficit implicitè credere, vel in præparatione animi, in quantum paratus eſt credere, quicquid Scriptura continet.* Hanc præceptoris ſui doctrinam ſi in Ratiſbonenſi Colloq. Jeſuitæ obſervaſſent, nunquam erupiſſent in hanc vocem: *eſſe articulum fidei, quod canis Tobiæ caudam moverit.*

129. Ceterum cùm fides ſit non ſolùm notitia & aſſenſus, ſed etiã fiducia, ideo quærendum eſt propriũ illud objectum, qđ fidei quatenus eſt fiducia, competit. Illud dicimus eſſe promiſſiones Dei gratuitas; eſt n. perpetua relatio inter verbũ promiſſionis & fidem, quæ verbo illi innititur. *Objectum fidei ratione fiduciæ eſſe promiſſiones Evangelii.* Luth. Tom. 2. Lat. Jen. fol. 280. *Deum non aliter cum hominibus unquam egit aut agit quàm verbo promiſſionis: rurſus nec nos cum Deo unquã agere aliquid poſſumus, quàm fide in verbum promiſſionis ejus. Opera ille nihil curat, nec eis indiget, quibus potiùs erga homines & cum hominibus & nobis ipſis agimus. Indiget a. ut verax in ſuis promiſſis in nobis habeatur talisq; longanimiter ſuſtineatur, & ſic fide, ſpe & caritate colatur. Quò fit ut gloriam ſuã in nobis obtineat, dum nõ nobis currentib. ſed ipſo miſerante, promittente, donante omnia bona accipimus & habemus.* Sed n. cum promiſſiones gratuitæ ſint variæ, ideo dicimus, fidei juſtificãtis propriũ & adæquatum objectum eſſe promiſſionem Evangelicam de Chriſto Mediatore. Sanè vera & juſtificans fides apprehendit etiam reliquas promiſſiones de bonis ſpiritualib. & corporalib⁹, ut teſtãtur exempla. Heb. 11. prolixè enumerata, ſed caten⁹ nõ juſtificat; juſtificat a. quatenus Chriſti meritũ in verbo Evangelii ſibi oblatũ apprehẽdit, id qđ ſequentib⁹ confirmatũ damus argumentis.

130. *Promiſſio eſt objectũ fidei juſtificantis proprium.* 1. Rom. 4. v. 16. propterea ex fide, ut ſit per gratiam, quò firma ſit promiſſio univerſo ſemini. *Fides igitur per gratiam recumbit in promiſſionem* & proinde promiſſio eſt proprium fidei juſtificantis objectum. 2. Heb. 11. v. 1. Fides eſt

ſperan-

Digitized by Google

ſpetandatum ſubſtantia rerum & argumentum non apparentium. Quæ n. in promiſſione gratiæ continentur, ſperantur & non apparent. Cùm ergò fidem definiat Apoſtolus per ea, quæ ſperantur & non apparent, quia hæc miſericordiæ promiſſionem declarant, idem eſt ac ſi diceret, fidem eſſe ſubſtantiam & argumentum promiſſionis Dei: quia fides juſtificans recumbit in promiſſionem h. e. in ea, quæ ſperantur & non apparent, tanquam in verũ & proprium objectum. 3. Rom. 4. v. 20. *Adverſus promiſſionem DEI non heſitavit diſceptavit infidelitate ſed robuſtus factus eſt fide dans gloriam DEO*, ubi fides per fiduciam promiſſionis deſcribitur. Ibid. *Abraham roboratus eſt fide dans gloriam DEO certò perſuaſus, quod ubi quid promiſit, poſſit etiam præſtare*. Ergo fides juſtificans eſt talis fides, quâ fidelis certò perſuaſus eſt de promiſſione DEI.** Nota igitur 1. Ubicunque in Scripturis ex profeſſo & velut in propria ſede de fide Juſtificante agitur, ibi proprium & adæquatum ejus objectum ſtatuitur Chriſtus cum ſuo merito, paſſio & mors Chriſti, miſericordia Patris cœleſtis in Chriſto nobis oblata, promiſſio Evangelica de Chriſti ſatisfactione &c. quæ omnia eodem redeunt. Ergo illud ac non aliud fidei juſtificantis objectum eſt agnoſcendum. Antecedens ex infinitis locis patet, conſiderentur modò ſequentia. Rom. 3. v. 24. *Iuſtificamur gratis. per ipſius* (DEI) *gratiam, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*. v. 25. *quem propoſuit Deus ἱλαςήριον per fidem in ſanguine ipſius*. Rom. 4. v. 24. *Non propter Abrahamum ſolùm hoc ſcriptum, ſed & propter nos quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitavit Ieſum Dominum noſtrum a mortuis*. v. 25. *qui traditus eſt propter peccata noſtra & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Rom. 10 v. 4. *Chriſtus eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti*. v. 9 *ſi credideris in corde tuo, quod DEUS Ieſum ſuſcitaverit à mortuis &c.* Act. 10. v. 43. *Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, quod remiſſionem peccatorum accepturi ſint per nomen ejus, qui credunt in eum*. Quò pertinent emphatica illa *credere in Chriſtum*, *in nomen Chriſti*, *fide Chriſtũ recipere*, item *fides Ieſu Chriſti &c.* 2. Illud, quo apprehenſo coram DEO juſtificamur & à peccatis abſolvimur, illud inquam & nihil aliud eſt proprium & adæquatum fidei juſtificantis objectum. Atqui gratia Dei in Chriſto, vel quod idem eſt, Chriſtus in officio Mediatoris, ſive obœdientia & ſatisfactio Chriſti eſt illud ipſum & nihil aliud, quo apprehenſo coram Deo juſtificamur. Ergo gratia DEI in Chriſto, vel quod idem eſt, Chriſtus in officio Mediatoris, ſive obœdientia & ſatisfactio Chriſti eſt proprium & adæquatum fidei juſtificantis objectum. Minoris veritas eſt ſatis evidens, dicitur enim Chriſtus *nobis à Deo factus juſtitia & redemtio*. 1. Cor. 1. v. 30. *in quem qui credit, habeat vitam æternam*. Johan. 3. v. 18. & additur excluſiva Actor. 4. v. 12. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo poſſimus ſalvari, quam nomen Ieſu*; quinimò hæc totius Evangelii vox eſt perpetua. Credendo in Chriſtum nos juſtificari. 3. Quod peccata noſtra arguit, accuſat & damnat, non poteſt eſſe proprium fidei juſtificantis objectum: ſiquidem fides quærit peccatorum remiſſionem & condonationem, quam nunquam inveniet in doctrina arguente, accuſante & damnante peccata. Atqui *ex lege eſt peccati agnitio*. Rom. 3. v. 20. *Lex iram operatur*. Rom. 4. v. 15. *concludit omnes ſub peccato*, Gal. 3. v. 22. Ergo lex non poteſt eſſe proprium fidei juſtificantis objectum. 4. Ex quo non eſt juſtificatio, illud non poteſt eſſe fidei juſtificantis objectum. *Ex* lege & *operibus legis non eſt juſtificatio*. Rom. 3. v. 20. Gal. 3. v. 10. *lex non eſt ex fide*. Gal. 3. v. 12. *juſtitia Dei ſine lege manifeſtata eſt*. Rom. 3. v. 22. Ergo legis doctrina cum omnibus ſuis præceptis, promiſſionibus & operibus non poteſt eſſe juſtificantis fidei objectũ; ſed in Evangelio ſolo illud quærendum erit, cujus ſumma eſt obœdientia & ſatisfactio Chriſti. 5. Si paſſio & meritum Chriſti non eſt proprium fidei juſtificantis objectum, conſequens erit, fidem quatenus fertur in Chriſtum, non aliter nec magis juſtificare quàm quatenus fertur in doctrinam de Diabolis & inferno, cùm & hæc in Scripturis ſit revelata: Item, qui credit verum eſſe illud Moſaicum, *maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis*, habere fidem juſtificantem. At hæc omnia ſunt abſurda. Ergo & illud, ex quo talia conſequuntur. 6. Affero huc typum æneì ſerpentis, cujus intuitu ſanabantur Iſraelitæ ab inflictis venenatis vulneribus. Ut ergo Iſraelitarum intuitus directè in propoſitum ſerpentis typum, nec in aliud quicquam ferebatur; ita fides juſtificans eſt perſpicaciſſimus intuitus ſolum Chriſtum in cruce exaltatum & maledictionem pro nobis factum reſpiciens. Johan. 3. v. 15. 7. Denique cujuſvis verè pii & credentis conſcientiam hîc compello teſtem, quòd in ſeriis pietatis exercitiis contra infernales tentationes, nulla alia firma ac ſolida conſolatio locum habeat, niſi quæ ex Dei miſericordia, in Chriſto propoſita & ex Chriſti ſatisfactione abundantiſſimâ hauritur.

131. Hac de re ita loquuntur Patres Baſil. in *Teſtimonia Patrum.* ſerm. de humil. *Qui gloriatur, in domino glorietur, quod Chriſtus nobis factus ſit à Deo juſtitia, ſapientia, ſanctificatio, redemtio. Hæc eſt perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob juſtitiam ſuam quis ſeſe jactat, ſed novit quidem ſeipſum vera juſtitia indigum eſſe, ſolâ autem fide in Chriſtum juſtificatum*. Ambroſ. in 1. Cor. 1. *Hoc conſtitutum eſt à Deo ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere, ſolâ fide gratis accipiens remiſſionem peccatorum*. Hilar. in cap. 5. Matth. can. 8. *Regnum cœlorum quod Prophetæ nunciaverunt, Iohannes prædicavit, Dominus noſter in ſe eſſe poſitum profeſſus eſt, vult ſine aliqua incerta voluntatis ambiguitate credi*. Chryſoſt. in c. 10. Rom. *Si legis finis Chriſtus eſt, ſequitur, quod qui Chriſtum non habet, etiam ſi legis juſtitiam habere videatur, eam tamen non habeat; qui verò Chriſtum habeat, etiamſi legem non præſtiterit, totum tamen acceperit*. Auguſt. ſerm. 8. de verb. Dom. *Interrogo nunc, credisne ô peccator Chriſto? dicis credo. Quid credis? gratis univerſa tibi peccata per ipſum remitti poſſe? habes quod credidiſti*. Maxent. in conf. fidei. *Quapropter ab Adam nullum hûc uſque per Naturæ vigorem credimus eſſe ſalvatum, niſi dono gratiæ Spiritus S. in fide nominis Ieſu, quia non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos ſalvos fieri, niſi in nomine Ieſu*. Cyrill. lib. 4. in Joh. c. 24. *Vides quomodo à peccatis & à prava iniquitatis via nos revocet, ut delictorum remiſſionem per fidem Chriſti conſequi poſſimus.*

poſſimus, juſtificamur enim non ex operibus legis, ſed gratia Chriſti, quæ deſurſum nobis per miſericordiam Dei conceſſa eſt. Bernhard. ſerm. 1. de annunc. Mar. *Si credis peccata tua non poſſe deleri, niſi ab eo cui ſoli peccaſti, & in quem peccatum non cadit, bene facis: ſed adde adhuc, ut & hoc credas, quia per ipſum tibi peccata donantur. Hoc eſt teſtimonium, quod perhibet in corde noſtro Spiritus S. dicens, dimiſſa ſunt tibi peccata tua.* ſerm. 61. in cant. *Revera ubi tuta firmaq; ſecuritas, niſi in vulneribus Salvatoris? tanto illic ſecurior habito, quãto ille potentior eſt ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur; non cado, fundatus enim ſum ſupra petrã firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed nõ perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus eſt propter iniquitates, quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſalvetur?* Remigius Autiſiodorenſis in Pſ. 10. *In domino confido, hoc eſt tota fides mea in Chriſto eſt, per illum ſolum credo me juſtificari & ſalvari, ille eſt mihi mons, ille refugium.* Pertinet huc dictum Lombardi 3. ſent. diſt. 19. lit. A. *Deus propoſuit Chriſtum propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, id eſt, per fidem paſſionis, ut olim aſpicientes ſerpentem aneũ in ligno erectum à morſibus ſerpentum ſanabantur. Si ergo rectè fidei intuitu in illum reſpicimus, qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis Diaboli ſolvimur &c.* ** Pererius objectum fidei juſtificantis ſic deſcribit diſp. 11. in c. 3. Rom. num. 49 *Principalis materia, ſeu ut vocant, objectum fidei eſt Chriſtus, id eſt, ejus humanitas & divinitas & myſteria ejus, maxime verò incarnationis, paſſionis & reſurrectionis.* Cornel. à Lap. in com. c. 4. Rom. *fidei Abrahæ objectum ſpeciale fuiſſe benedictum ſemen videlicet Chriſtum*, agnoſcit. **

Exceptiones Bellarmini. 1. Fidem Abrahæ non reſpexiſſe promiſſionem de remiſſione peccatorum.

132. Excipit Bellarminus 1. de juſtif. cap. 11. 1. *Fidem Abrahæ non reſpexiſſe promiſſionem de remiſſione peccatorum, ſed de vocatione gentium, & multiplicatione generis*, h. e. ut ſuperiori c. 8. exponit. *Abrahamum non crediſſe ſibi per ſpecialem miſericordiam remiſſa fuiſſe peccata, ſed patrem ſe futurum multarum gentium ex filio, quem ſibi centenario uxor nonagenaria & ſterilis præter ſolitum ordinem curſumque Naturæ paritura eſſet. Illud credere, nihil aliud erat, quam credere Deum, qui promiſerat, omnipotentem ac fideliſſimum eſſe.* Reſp. negamus fidem Abrahæ tantum reſpexiſſe Dei omnipotentiam & promiſſiones corporales. 1. Promiſſio erat facta Abrahæ de ſemine, *in quo benedicendæ ſint omnes gentes*, Geneſ. 12. v. 3. c. 18. v. 18. cap. 22. v. 18. hæc promiſſio explicanda eſt ex protevangelio Geneſ. 3. v. 15. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*, ergo principale objectũ fidei, quâ promiſſioni divinæ Abrahamus credidit, fuit ſemen illud benedictum, in quo gentes benedicendæ, hoc eſt, Meſſias promiſſus. Aug. 16. de civit. Dei c. 16. *Advertendum eſt duas res promiſſas Abrahæ, unam ſc. quod terram Canaan poſſeſſurum fuerat ſemẽ ejus: aliam verò longe præſtantiorem, non de carnali ſed de ſpirituali ſemine, per quod Pater eſt non unius gentis Iſraeliticæ ſed omnium gentium, quæ veſtigia ejus fidei ſequũtur.* 2. Id ipſum emphaticè proponit & explicat Apoſtolus Gal. 3. v. 16. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones & ſemini ejus, non dicit, & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo qui eſt Chriſtus.* Ergo nucleus promiſſionis illius eſt Chriſtus Mediator & Redemtor. ** Abrahamus dicitur in Hebræo *crediſſe in Iehovam*, quod notat fiduciam illam quâ in Dei miſericordia totus acquieſcebat. Promittitur ipſi ſemen inſtar arenæ maris per totum orbem diffundendum, quod in carnali ſemine impleri non potuit, ſed demum in aggregatione gentium ad fidem Abrahæ impletum eſt. ** 3. Fidem Abrahæ proponit Apoſtolus velut exemplar fidei, quâ omnes credentes *benedicuntur & juſtificantur* Rom. 4. v. 22. & 23. Gal. 3. v. 8. atqui fides reliquorum ſalvandorum principalis & proprii objecti loco habet Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem. Ergo de fide Abrahæ idem dicendum fuerit, aliàs regula & exempla invicem diſsiderent. 4. Quid quod Apoſtolus Rom. 4. v. 6. ad juſtificationem Abrahæ accommodat illud Pſalmi, *Beati quorũ remiſſa ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata*: quo igitur veritatis colore negari poterit, Abrahamum non crediſſe ſibi peccata remiſſa eſſe? 5. benedictio illa Abrahæ promiſſa ſic explicatur. Eph. 1. v. 3. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus*, & Gal. 3. v. 14. benedictio illa conſtituitur in liberatione à maledicto legis, *Chriſtus factus pro nobis maledictum redemit nos à maledictione Legis, ut benedictionem Abrahæ promiſſam conſequeremur*, v. 9. *qui enim ex fide ſunt*, benedicuntur cum fideli Abraham. 6. Geneſ. 15. v. 1. Abrahæ talis datur promiſsio. *Ero protector tuus & merces tua magna valde*; ubi promittit Deus ſe Abrahamo propitiũ fore, atqui ſine Meſſiæ ſatisfactione nemo poteſt Deum habere propitium, illam igitur fides Abrahæ potiſſimum reſpexit. 7. Huc referendum eſt circumciſionis Sacramentum, quod σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως Apoſtolus vocat. Rom. 4. v. 11. ideò enim circumciſio inſtituta eſt in illa parte corporis, ut de venturo ſemine admoneret: *ideò ſanguis profundebatur, ut ſanguine promiſſi ſeminis peccatum per carnalem generationem in infantes propagatum aboleri ſignificaretur.* Auguſt. 16. de civ. Dei. c. 33. & Theodoret. q. 73. in Geneſin Ceremoniam illam in juramento adhibitam quod Eleazarus *manu ſubter femur poſita* jurare juſſus. Gen. 24. v. 2. ad recordationẽ promiſſi ſeminis referunt, ſiquidem hoc ritu velut in tabulis corporis ſui promiſſionem de benedicto ſemine Abrahamus Eleazaro propoſuit. 8. Ambroſius lib. 1. de Abraham. c. 3. circa finem, huc refert dictum Chriſti Johan. 8. v. 56. *Abraham exultavit, ut videret diem meum, & vidit, & gaviſus eſt. Quomodo* (inquit) *Abrahæ propago diffuſa eſt, niſi per hereditatem fidei, per quam cælo comparamur, conferimur Angelis, æquamur ſtellis? ideo ait, ſic erit ſemen tuum. Et credidit Abraham Deo. Quid credidit? Chriſtum ſibi per ſuſceptionem corporis heredem futurũ. ut ſcias, quia hoc credidit, Dominus ait: Abraham diem meum vidit, & gaviſus eſt.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, fidem Abrahæ principalis objecti loco habuiſſe promiſſionem de Chriſto, propter quẽ ſe Deo placere, ſibique peccata remitti credidit. 9. quamvis igitur fides Abrahæ ſimul ſpectaverit promiſſionem de multiplicatione ſeminis, tamẽ per illud haudquaquam excluditur principale fidei objectũ, promiſſio ſc. de ſemine benedicto, quod ex poſteris Abrahæ erat naſciturum, quin imò ideò promittebatur ſeminis multiplicatio, ut ex eo naſceretur Meſſias. Ergo fides apprehendens pro-

promiſſionem de multiplicatione ſeminis, includit adeoq; præſupponit fidem, quæ apprehendit promiſſionem de benedicto ſemine. 10. nec valet hæc illatio. Fides Abrahæ reſpexit Dei omnipotentiã. Ergo ſpecialis miſericordia non fuit ejus objectum; hac ratione ex ſubordinatis fiunt pugnantia, ex illis quæ amicè conſpirant, contraria. ** Agnoſcit hoc Pererius diſp. 2. in cap. 4. Rom. num. 7. *Dicere licet, fidem Abrahæ quam in illo Geneſis loco laudat Scriptura, non ſolùm fuiſſe de carnali multiplicatione ſeminis: verum fuiſſe eam præcipuè de uno illo ſemine ipſius Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, id autem ſemen erat Chriſtus, ut interpretatur Paulo in Epiſt. ad Galat. atque idem ſentiebant veteres Hebræi, unicum illud ſemen, per quod benedicendæ erant omnes gentes, non aliud fore quàm Meſſiam intelligentes atque interpretantes. Abraham porrò explicatam atque expreſſam habuiſſe fidem Chriſti dubitare nos minimè ſinuat verba illa Domini noſtri Ioh. 8. Abrahã exultavit, ut videret diem meũ, vidit & gaviſus eſt.* Hæc Pererius, quæ repetiit ex illis, quæ in Geneſin ſcripſit diſp. 4. in cap. 15. num. 50. ubi etiam non obſcurè fatetur, ſe iſta ex alterius Pontificii ſcriptoris Thomæ Anglici comment. in Gen. fuiſſe mutuatum.**

2. Nos principium in eo petere, quod fides non juſtificet ut reſpicit Hiſtorias & comminationes legales.

133. 2. *Nos principium petere, quando ſic argumentamur. Fides non juſtificat ut reſpicit Hiſtorias ac legem, ejusq; comminationes, ſic enim pavores & deſperationem auget. Ergo hæc omnia nõ ſunt proprium fidei juſtificantis objectum.* Hoc argumentum dicit Bellarminus à Catholicis rideri, cùm aſſumatur id, quod erat probandum, videlicet *fidei juſtificantis officium eſſe, reddere homines ſecuros ac certos de remiſſione peccatorum, & de ſalute ſempiterna.* Reſp. Argumentum noſtrũ tale eſt. Quicquid conſcientiam erigit, pacificat & tranquillat, illud non poteſt proprii objecti loco habere id, quod accuſat, terret, damnat & ad deſperationem adigit, quo in numero ſunt mandata legis, ejuſdemque cominationes, Hiſtoriæ & exempla pœnarum. Fides erigit & pacificat conſcientiam. Ergo. &c. In hoc argumento non petitur principium, quamvis enim Romaneoſibus mirum & abſurdum videatur, fidei juſtificantis officium eſſe, conſcientiam pacificare, & hominem de remiſſione peccatorum certum reddere, illud tamen immotis ſcripturarum ſacrarũ fundamẽtis niti ſuo loco oſtendimus, & quid manifeſtius pronunciato illo Apoſtolico. Rom. 5. v. 1. *Iuſtificati fide pacem habemus ad Deum?* Proinde minor propoſitio hujos argumenti eſt immota. Quæ Majori propoſitioni Bellarm. obvertit, facilem habẽt explicationem. *1. Fides juſtificat augendo pavores, non ut illi vellent ſecuritatem afferendo, ſed revocando a peccatis & diſponendo ad juſtitiam.* Reſp. Si de ſecuritate carnali loquitur Bellarminus, quæ timorem Dei excludit, ac peccatis libere indulget, quaſi illam propugnemus, injuriam nobis facit, talem enim ſecuritatem à fide juſtificante afferri non ſolùm non dicimus, ſed etiam tale quid ſtatuentibus apertè contradicimus, ut ſuo loco apparuit. Quod aſſeritur, fidem juſtificare augendo pavores, id non poteſt aliter intelligi, quàm per accidens fieri; quando enim fides hiſtorica, reſpectu notitiæ intuetur Hiſtorias & exempla pœnarũ, inde oriuntur pavores conſcientiæ ob admiſſum peccatum & metum judicii divini; illi pavores nondum ſunt juſtificatio, ſed ſunt veluti anteambulones juſtificationis, cùm Deus *prius mortificet, antequam vivificet, prius ad inferos deducat, antequam ex illis reducat.* 1. Sam. 2. v. 6. ergo inſtar pœdagogi cujuſdam deducũt nos ad Chriſtum, quem propoſuit nobis Deus ἱλαςήριον, in quo gratiã DEI & remiſſionem peccatorũ fides quærit, & fiducialiter eum apprehendit; ac tunc demum verè eſt & dicitur fides juſtificans. Idipſum quodammodò Bellarm. agnoſcit, dicens: *fidem reſpiciendo denuntiationes & Hiſtorias pœnarum, & ſic augendo pavores juſtificare, quia ſic revocat à peccato & diſponit ad juſtitiam.* Atqui revocatio à peccato & diſpoſitio ad juſtitiam nondum eſt ipſa juſtificatio, ſed ejus antecedens. *Non omnes Hiſtoriæ excitant pavores & augẽt deſperationem, quia in Hiſtoria mortis Chriſti oſtenditur, quòd mors illa ſit precium pro peccatis mundi.* Reſp. Quædam hiſtoriæ ſunt legales, quędam Evangelicæ. Hiſtoria de morte & paſſione Chriſti ad legem refertur, quatenus in ea proponitur ſpeculum lucidiſſimum iræ divinæ adverſus peccata, cujus ignis non potuit niſi Chriſti ſanguine extingui: quatenus verò immenſa Dei miſericordia, qui Filium ſuum pro nobis in mortem tradidit, & precioſum Chriſti meritũ in ea nobis proponitur, eatenus ad Evangelium pertinet, & proprium fidei juſtificantis objectũ continet. *3. Hiſtoriæ de converſione Pauli, Matthæi, Zachæi Magdalenæ &c. in ſpem erigunt peccatorem, & ad quærendũ potius Deum, quam ab eo fugiendum hortantur. Ergo fides juſtificans reſpicit Hiſtorias.* Reſp. Evangelicæ hæ ſunt Hiſtoriæ, in quibus immenſa Dei miſericordia propter Chriſtum peccata remittentis proponitur, nec tamen nuda illarum Hiſtoriarum notitia fidem juſtificantem abſolvit, ſed quando in Hiſtoriis illis miſericordiam Dei in Chriſto nobis propoſitam & exemplis ejusmodi comprobatam, intuemur, ac firmiter ſtatuimus, nobis quoque propter Chriſtum peccata remitti & Deum erga nos talem fore, qualẽ ſeſe erga converſos illos præſtitit, tunc demum vera & juſtificans fides in corde noſtro oritur, quem uſum Hiſtoriarum Evangelicarum proponit dictũ Apoſtoli 1. Tim. 1. v. 16. *ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me primò oſtenderet Chriſtus omnem potentiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt in eum ad vitam æternam. 4. Fides reſpiciens leges & mandata juſtificat, quia excitat in homine propoſitum benè operãdi, ſine quo nemo juſtificari poteſt.* Reſp. propoſitum benè operandi nõ eſt ipſa juſtificatio, ſed ejus fructus atq; conſequens. πρῶτον ψεῦδος hujus & ſuperiorum exceptionũ conſiſtit in eo, quòd fides juſtificet per modum diſpoſitionis, non a. apprehendendo Chriſti juſtitiã in verbo Evangelii oblatã, quâ de re paulò pòſt pleni⁹ agetur. Fatemur igitur fidem Hiſtoricam reſpicere leges & mandata; fatemur cum fide juſtificante conjunctũ eſſe benè operandi propoſitũ, ſed ex eo nondum ſequitur, fidem juſtificare, ut reſpicit leges & mandata, vel prout benè operandi propoſitum habet conjunctum.

3. Promiſſiones Evangelicas non eſſe abſolutas.

134. 3. *Ex dictis fidem in actu juſtificationis deſcribentibus propter pronomina illa, nobis, noſtris, me &c. rectè quidem inferri q; unusquisq; generales promiſſiones ſibi per fidem applicare debeat, ſed promiſſiones abſolutas teſtari ſolum de ſufficientia meritorũ Chriſti, nullam autẽ extare promiſſionem*

genera-

generalem, quæ teſtetur Chriſti mortem in omnibus ſortiri ſuum effectum abſq; ulla conditione ex parte ipſorum, ſed omnes eſſe conditionales, quod efficaciã attinet, cùm fidem & ſacramenta requirant. Reſp. acceptamus utraq; manu, quod dat nobis Bellarminus, videlicet juſtificantis fidei proprium eſſe generales promiſſiones ſibi applicare, ex quo evidenter ſequitur, fidem juſtificantem non eſſe ſolùm notitiam & aſſenſum, ſed etiam fiduciam, quâ amplectimur oblatas promiſſiones, eaſdẽq; nobis in ſpecie applicamus. Quod autem Bellarminus regerit, promiſſiones Evangelii non eſſe abſolutas ſed conditionales, de eo quid ſtatuendum ſit in tractatu de Evangelio, latè diximus. Breviter, promiſſiones legis propriè ſunt conditionales, quia requirũt noſtra opera: promiſſiones Evangelii ſunt gratuitæ, quia non requirunt noſtra opera, noſtram dignitatem, ac noſtra merita, ſed gratis propter Chriſtum bona cœleſtia offerunt: interim tamen, ut bonorum in promiſſionibus Evangelicis oblatorum participes reddamur, ex parte noſtra requiritur fides, quæ non eſt opus noſtrum, ſed opus Dei in nobis; nec ſuæ dignitatis reſpectu juſtificat, ſed quia Chriſtum apprehendit; nec ex viribus liberi arbitrii oritur, ſed per verbum à Spir. S. accenditur. Ergo ſi *abſolutum* opponitur noſtris operibus & noſtræ dignitati, dicimus promiſſiones Evangelicas abſolutas eſſe, i. e. abſque ullo dignitatis atque operum noſtrorum reſpectu bona cœleſtia nobis offerre. Si verò abſolutũ opponitur fidei, negamus promiſſiones Evangelicas abſolutas eſſe, quia bonorum in Evangelio oblatorum non niſi fide participes reddimur. Pari ratione ſi conditionale intelligitur reſpectu noſtrorum operum, dicimus promisſiones Evangelii non eſſe conditionales, quia non requirunt noſtra opera ac merita: ſin verò conditionale intelligitur reſpectu fidei, dicimus promisſiones Evangelii eſſe conditionales, quia ex parte noſtra fides requiritur: ſed ex eo nondum ſequitur, incertas eſſe Evangelii promisſiones, credens enim ſcit ſe credere, & quamvis fides illa laboret adhuc infirmitate, nihilo tamen minus eſt vera & juſtificans fides. Nugas igitur vendit Bellarminus, quando clarisſimum dictum Joh. 1. Epiſt. 5. v. 13. *Hæc ſcribo vobis ut ſciatis quoniam vitam æternam habetis, qui creditis in nomine Filii ejus;* ſophiſticâ cavillatione eludere conatur. *S. Iohannes* (inquit) *veriſſimè dicit: Omnes qui credunt, videlicet ſicut oportet, habere vitam æternam, nimirum in ſpe; non autem dicit, omnes qui arbitrantur ſe credere ſicut oportet. Itaque ait quidem, Hæc ſcribo vobis, qui creditis ut ſciatis, quia vitam habetis æternam: ſed nõ ait, hæc ſcribo vobis, ut ſciatis vos habere fidem, qualis requiritur. Sententia igitur Apoſtoli conditionalis eſt, ſcribit enim iis, qui credunt ut ſciant ſe habere vitam æternam, ſi revera ſicut oportet credant, h. e. ſi fidem habeant, quæ ꝑ dilectionem operatur.* Reſp. mirum non eſt, illam fidem per ignorantiam à Bellarmino ſuperius fuiſſe definitam, quæ cùm credit, tamen credere ſeſe neſcit. Atqui dictum Johannis apertisſimè huic monſtroſo errori repugnat, qui enim per fidem ſeſe vitam æternam habere ſciũt, an illi ſeſe credere neſciunt? & quo tandem fine Apoſtolus hæc ſcriberet, ſi nemo eſſet, qui ſe reverâ ut oportet, credere ſciret? latet a. ſophiſtica ambiguitas in phraſi *credere ut oportet.* Ea n. vel opponitur nudæ jactantiæ ſive profesſioni fidei, quâ quis ſolùm *dicit ſe habere fidem, operibus autẽ eam non demonſtrat,* ut loquitur Jacobus c. 2. v. 14 talem hypocritam libenter fatemur non credere ut oportet, cùm fides illa ſit mortua & inane ſimulachrum: vel opponitur fidei imperfectioni, ut hac ratione credere ſicut oportet, ſit fide perfectisſimâ omni omninò dubitatione excluſâ inſtructum eſſe, eandemq́ue perfectis fructibus omni imperfectione & labe deſtitutis comprobatam dare: ad quam perfectionem cùm nemo hominũ in hac vita aſſurgat, ideò neminem credere, ſicut oportet, conſequens foret, ſicq; per hãc gloſſam Jeſuiticam promisſiones Evangelii nobis planè redderentur inutiles & incertæ: nos a. cum Apoſtolo dicimus Rom. 4. v. 16. *ideò ex fide ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.* Quamvis igitur credentes ſentiant adhuc fidei infirmitatẽ, & hac ratione nondum tam firmiter, ſicut oportet, ſe credere ſciant, tamen ſerio ac ſincero corde Chriſto adhærent, & fidem ſuam fructibus, videl. dilectionis operib⁹ comprobare ſatagunt, & hac ratione, ut oportet, h. e. verè ſe credere ſciunt, non hypocriticè nudis verbis fidem jactare.

135. Atq; hæc ſunt firmamenta noſtrę ſententiæ ab exceptionibus adverſariorũ vindicata de proprio & adæquato fidei juſtificantis objecto, reſtat, ut Pontificiorum ſententiam & argumenta conſideremus. *Antitheſis Adverſariorum.* Sic ergo ſcribit Gothardus Canon. Patav. in defenſ. Eccleſ. Cathol. p. 115. *Lutherani præter fidem Hiſtoricam novam quandam ſpecialem invenerunt, quâ meritũ Chriſti apprehendamus ac nobis peccata remiſſa eſſe certò ſtatuamus, eam nos non ſecus atq; peſtem execramur.* Conſ. Colon. p. 118. *objectum fidei juſtificantis eſt omne id, q in verbo Dei revelatum.* Ruard. Tap. in expl. art. 9. p. 75. *Fides, quâ quis firmiter credit & certò ſtatuit propter Chriſtũ ſibi remiſſa eſſe peccata, ſeq; poſſeſſurum vitam æternam, nullum habet in Scripturis teſtimonium, imò iiſdem adverſatur.* Piſtor. in diſ. de Juſtif. theſ. 19. *In eo longè aberrant, quòd opinantur fidem ferri ſolùm vel principaliter in paſſionem & mortem Chriſti.* Bellarmin. lib. 1. de Juſtif. c. 4. *Catholici* (Romanenſes) *fidem tàm latè patere volunt, quàm latè patet verbũ Dei, certam autem promiſſionem ſpecialis miſericordiæ non tàm ad fidem, quàm ad præſumptionem pertinere contendunt.* Idipſum c. 8. ex Scripturis c. 9. ex traditione Eccleſiaſtica c. 10. rationibus probare conatur, videamus quid prẹſtet. **Photiniani præciſè negant *fidem juſtificare per apprehenſionem Chriſti Redemtoris ejuſque meriti.* Socinus part. 4. de Servat. cap. 9. p. 368.**

136. Ex Scripturis Bellarmin⁹ 1. adducit multa teſtimonia, quæ oſtendunt *exigi & celebrari fidem divinitatis & omnipotentiæ Chriſti.* *1. Scriptura exigit ac celebrat fidem divinitatis & omnipotentiæ Christi.* At 1. hęc teſtimonia ſunt à quæſtione aliena. Concludit ipſe Bellarmin⁹ his dictis probari *fidem juſtificantem habere aliquid aliud pro objecto præter ſpecialẽ miſericordiam:* ſed n. nemo noſtrûm negat, fidẽ ratione notitiæ & aſſenſus habere objecti loco omne Dei verbũ, ac proinde aliud quippiam præter ſpecialem miſericordiam, interim tamẽ fides ratione hujus generalis notitiæ & aſſenſus nõ juſtificat, ſed quatenus fiducialiter Chriſtũ in verbo Evangelii apprehendit. 2. Peccat igitur Bellarmini argumentũ fallaciâ oppoſitorum. Non n. hæc ſunt opponenda. Fidei juſtificantis objectũ eſt Chriſti divinitas, omnipotẽtia & reſurrectio.

Ergo non ſolâ Dei gratia & miſericordia propter Chriſti obœdientiam & ſatisfactionem. Hæc inquam non ſunt opponenda, quia in Chriſto Mediatore ac Redemtore noſtro, qui eſt proprium fidei juſtificantis objectum, conſideratur & perſona ipſius & duæ Naturæ, & perſonalis earum unio, & ſalutare ejus officium, & omnia quæ pro nobis fecit ac paſſus eſt. Media & finis ſunt ſubordinata, nequaquam igitur invicem opponenda. 3. Quamvis in illis dictis non fiat expreſſa & explicita mentio ſpecialis Dei miſericordiæ, implicitè tamen eadem in illis proponitur. Quin. verè credit Jeſum eſſe Chriſtum Dei Filium & promiſſum Mediatorem, is omnem ſuam fiduciam in eum collocat & ſpecialem Dei miſericordiam in hoc Mediatore & Redemtore noſtro poſitam fiducialiter amplectitur. Repetenda hoc loco regula, quòd *verba notitiæ apud Hebræos ſæpè connotent affectum cordis*, inde notitiæ & aſſenſui tribuitur, quod eſt fiduciæ proprium. 4. Denique diſtinguenda ſunt varia fidei juſtificantis exercitia, à proprio & ſpecifico ejus actu, h. e. apprehenſione juſtitiæ Chriſti ad vitã æternam. Ubi n. fides juſtificans hunc proprium & ſpecificum actum exeruit, convertit ſe ad alia etiam objecta, amplectitur promiſſiones de liberatione ac mitigatione calamitatum, auxilium Dei patienter expectat, & in tentationib' cor hominis ſuſtentat atque erigit. Breviter, dicta allegata loquuntur de fide juſtificante, ſed extra juſtificationis actum conſideratâ, nos autem quærimus hoc loco de fidei juſtificantis quatenus juſtificat, proprio & adæquato objecto, quod propriè & unicè eſſe promiſſionem Evangelii de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum Mediatorem, ſuperiùs oſtenſum fuit.

a Fides juſtificat, quamvis non reſpiciat ſpecialem miſericordiã.

137. 2. Adducit teſtimonia, quibus probare conatur, *fidem eſſe juſtificantem quamvis non reſpiciat miſericordiam ſpecialem, & non eſſe fidem juſtificantem ſi eam miſericordiam fortè reſpiciat.* Utrumque dicimus eſſe falſum, ideo probationẽ ejus audiamus. Ad probandum, fidem eſſe juſtificantem, licet non reſpiciat miſericordiam ſpecialem, adducit exemplum leproſi dicentis. Marci 1. *Domine ſi vis, potes me mundare*; ex quo elicere conatur Bellarminus, *leproſum illum de voluntate Domini ac per hoc de miſericordia Dei ſpeciali dubitaſſe, nihilo tamen minus per fidem omnipotentiæ & divinitatis Chriſti id quod petiit, impetraſſe.* Reſp. 1. Diſtinguenda ſunt beneficia corporalia à ſpiritualibus, fides in petitione corporalium reverenter ſeſe ſubjicit voluntati divinæ, cùm non niſi ſub conditione gloriæ divinæ & ſalutis noſtræ ſint promiſſa. Perpetua eſt relatio inter verbum & fidem, fides n. verbo & promiſſionibus divinis tanquam baſi cuidam innititur. Jam verò bona ſpiritualia utpote reconciliationem peccatorũ, remiſſionem, donationem Spiritus S. & alia bona ad ſalutem omnibus neceſſaria, credentibus ſine ulla conditione Deus promiſit, ideoq́; fides petit & expectat ea ſine conditione. Sed corporalia bona promiſit Deus cum exceptione caſtigationis & crucis, cùm conditione beneplaciti divini & utilitatis noſtrę, fides igitur cum conditione eadem petit, nihilo tamẽ minùs de exauditione certa eſt, novit n. ac firmiter ſtatuit, preces noſtras etiam in bonis corporalibus impetrandis profuſas à clementiſſimo Patre ſemper exaudiri, ſcilic. ſi non ad voluntatem noſtram, tamen ad ſalutem, quod denegatur voluntati, illud accedit ſaluti. *Unũ ex duobus* (ait Bernhardus in meditat. devotiſſ. cap. 6. col. 1196.) *indubitanter ſperare poſſumus, aut dabit id quod petimus, aut illud quod utilius.* Quare cùm leproſus corporale quoddam beneficium, videl. mundationem à lepra per preces à Chriſto flagitet, ideo annectit conditionem de benigna Dei voluntate. 2. Unde verò probabit Bellarminus, leproſum tantùm de omnipotentia Chriſti fuiſſe certum, ſed de miſericordia ſpeciali dubitaſſe? quomodo enim poteſt eſſe vera ac Deo placens oratio, quæ non intuetur Chriſtum, in quo ſolo habemus Deum placatum & propitium? quomodo vera & perfecta oratio eſt, quę ſic concludit. Chriſtus eſt verus & omnipotens Deus. Ergo mihi ſubveniet? quin imò addendæ & intuendæ ſunt promiſſiones de miſericordi erga nos voluntate, Miſericordia & omnipotentia DEI ſunt veluti duo fulcra noſtrę in precibus fiduciæ. Ita quoque hic leproſus in petitione corporalis beneficii omnipotentiam & φιλανθρωπίαν Chriſti intuetur, nec de exauditione dubitat, interim tamẽ voluntati divinæ ſeſe ſubjicit, cùm neſciat, an mundatio illa à lepra ſaluti ipſius expediat: id verò non eſt dubitare de Dei gratia, cùm & hoc ſit Dei miſericordiæ, ſæpè non dare, quæ in corporalibus petimus.

138. Ad probandum, fidem non eſſe juſtificantem ſi miſericordiam ſpecialem fortè reſpiciat, producit Bellarminus exemplum Phariſæi & Publicani, Luc. 18. *quorum ille confidebat ſe eſſe juſtum & proinde habebat fiduciam ſpecialis benevolentiæ, nihilo tamen minus repulſam patiebatur, hic verò carebat fiduciâ illâ, cum timore ac tremore accedebat* ad Deum, *nihilo tamen minus juſtificatus deſcendebat in domum ſuam.* Reſp. 1. Phariſæus fiduciam juſtitiæ collocavit in operũ ſuorum merita, non in miſericordiam Dei propter Chriſtum Mediatorem promiſſam. Nos autem de tali fiducia hoc loco agimus, quæ non reſpicit dignitatem vel merita noſtra, ſed gratuitam Dei miſericordiam in Chriſto nobis propoſitam. 2. Vivum hujus Phariſæi ingeniũ deſcribitur ab Evangeliſta. v. 8. quòd fuerit *confiſus in ſeipſo πεποιθὼς ἐφ' ἑαυτῷ*, voluit *propriam ſuam juſtitiam coram Deo ςῆσαι*, non exponit Apoſtolus Rom. 10. v. 3. inde etiam contemtui habuit proximum ex mera ſuperbia, ut Chriſtus ipſe docet v. 13. at num talem fiduciam, quæ cum ſuperbia & proximi contemtu conjuncta eſt ac propriis meritis nititur, nos commendamus? 3. Neque eſt, quòd Bellarm. obvertat, *Phariſæum gratias Deo agere de ſua juſtitia, ideo fiduciam benevolentiæ non habuiſſe ob propria merita.* Quamvis enim fateatur ſe à Deo ea habere, tamen in illis confidit ac ſeſe coram Deo propter ea juſtum æſtimat, unde ex ſuperbia, quæ cum fiducia propriæ juſtitiæ ſemper conjuncta eſt, proximum contemnit. Proponit igitur imaginem hypocritarum, qui dicunt in operibus confidi & laudem juſtitiæ corã Deo valentis in illis quæri poſſe, modo ad Deum ea referamus, quo in numero an non ſit Bellarmin. maturè ipſi diſpiciendum erit. Scribit enim lib. 5. de Juſtif. cap. 5. *Hominem conſtitutum in gratia poſſe mereri vitam æternam ex condigno.* cap. 16. *Opera juſtorum ex caritate facta meritoria eſſe vitæ æternæ ex condigno.* cap. 17. *Non ſolùm ratione pacti ſed etiam ratione operum.* lib. 2. de gratia & lib.

Fides non juſtificat, ſi miſericordiam Dei ſpecialem fortè reſpiciat.

Digitized by Google

lib. arb. c. 15. *vitam æternam meritis bonorũ operũ acquiri*. lib. 1. de Indulgent. cap. 2. *Sanctos plus eſſe paſſos, quàm ipſorum peccata requirerent*, Perinde ut hic Phariſæus opera ſupererogationis commemorat. Cùm enim unicum ſolummodo diem jejunii Deus conſtituiſſet Levit. 23. v. 27. ipſe *ſingulis ſeptimanis ſeſe bis jejunaſſe* gloriatur: cùm certa frugum & animalium genera, de quibus dandæ eſſent decimæ, Deus ordinaſſet, ipſe *de omnibus ſeſe decimas dare* jactitat. 4. Publicanus peccatis ſuis agnitis ac ſeriò de illis dolens ad Dei miſericordiam confugit: *Deus* (inquit) *propitius eſto mihi peccatori*, reſpicit autem ad verum *ἱλαςήριον* in ſanguine Filii Dei propoſitum. Roman. 3. v. 25. qui ſolus eſt *ἱλαςμὸς pro peccatis noſtris*. 1. Joh. 2. v. 2. cujus typus fuit *propitiatorium* V. T. quo tegebantur tabulæ Legis in arca fœderis reconditæ. Hoc ergo vult Publicanus dicere. O Deus, ſi tabulas Legis velis excutere & vitam meam ad normam illius exigere, non potero coram judicio tuo ſubſiſtere, ſed verâ fide intueor propitiatoriũ, quod typum gerit Meſſiæ promiſſi, cujus meritum & ſatisfactio delicta mea tegat, ne in conſpectum tuum veniant, propter illum propitius eſto mihi peccatori. 5. Invertimus igitur argumentum. Fides Publicani, qua remiſſionem peccatorum impetravit & juſtificans in domum ſuam deſcendit, objecti loco habuit ſpecialem DEI miſericordiam propter Chriſtum Mediatorem promiſſam. Phariſæus contrà per propriæ juſtitiæ fiduciam excidit Dei gratiâ. Ergo noſtra de juſtificatione doctrina vera eſt, Pontificiorum verò erronea. 6. Non eſt, quòd obvertat Bellarminus, *Publicanum cum timore & tremore ad Deum acceſſiſſe ac proinde fiducia illa caruiſſe*: *ἀναπόδεικτον* n. iſtud eſſe toties Scriptura teſtatur, quoties verè piis tribuit, quòd Deum timeant & ſperent in eum. Ex agnitione peccati & iræ divinæ adverſus peccata oriebatur in corde Publicani timor & tremor, ſed ex agnitione miſericordiæ divinæ & beneficiorum Meſſiæ oriebatur in eodem fiducia, quâ triſtes conſcientiæ angores ſuperabat, ac Deum ſibi quoq; propitium fore certò ſtatuebat. Quo pertinent Sacrificia illa Levitica, in quibus beneficia Meſſiæ ob oculos ſibi propoſita, verâ fide intuebatur.

3. Fides miraculorũ eſt eadem cum fide juſtificante. At illa non reſpicit ſpecialem Dei miſericordiam.

139. 3. Adducit locum ex cap. 16. Marc. ubi cùm dixiſſet Chriſtus, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: poſtea ſubjicit: *Signa autẽ eos, qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis &c.* ex hoc loco tale format argumentum. *Fides miraculorum eſt una & eadem cum fide juſtificante. At fides miraculorum non reſpicit objecti loco ſpecialẽ miſericordiam remiſſionis peccatorum, ſed omnipotentiam & divinitatem Filii Dei. Ergo nec fides juſtificans.* Reſp. 1. quorum unum poteſt eſſe ſine altero, ea non ſunt eſſentialiter unum. Atqui fides miraculorũ poteſt eſſe ſine fide juſtificante & contrà fides juſtificans ſine fide miraculorum. E. fides miraculorum & fides juſtificans nõ ſunt eſſentialiter unum quid. Minoris pars prior, quòd fides miraculorum poſſit eſſe ſine fide juſtificante, patet ex Matth. 7. v. 22. ubi Chriſtus dicit, ſe ad quoſdam, qui in nomine ipſius miracula fecerunt, dicturum: *non novi vos*. Itemque ex 1. Cor. 13. verſ. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum*, ubi fidem miraculorũ à caritate quandoque ſeparatam eſſe docetur, cùm tamen vera & juſtificans fides *per caritatem ſemper ſit efficax*. Gal. 5. v. 6. hinc rectè Staplet. Domin. 24. poſt Pentec. in Promt. moral. p. 627. *Etiam vera miracula non ſolùm Antichriſtus ipſe ejusq; proximi præcurſores, ſed quilibet hæretici non ſecus quàm Magi Deo permittente operari poterunt.* Maldonatus in cap. 9. Marci fol. 765. ſuper verba. *Vidimus in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non ſequitur nos: Potuit nec corpore nec animo, id eſt; fide doctrinaq; ſecutus Chriſtum, Dæmones expellere.* Poſterior pars Minoris, quòd fides juſtificans poſſit eſſe ſine fide miraculorum, ex ipſa experiẽtia manifeſtè patet. 2. Dictum igitur Chriſti accipiendum eſt de fide Apoſtolorum & eorum, qui in primitiva Eccleſia vixerunt; Apoſtoli enim præter fidem juſtificantem etiam fide miraculorum inſtructi fuerunt, & in primitiva Eccleſia donum miraculorum aliquandiu viguit, quod cur in ſequentibus temporibus ceſſaverit, alibi explicatur. 3. Fidei miraculoſæ & fidei juſtificantis diverſa ſunt objecta, vel certè diverſi ad unum idemque objectum reſpectus. Fides miraculorum reſpicit doctrinam cœleſtem inque ea præcipuè articulum de Chriſto exhibito, ut miraculis confirmandam: fides juſtificans ratione notitiæ totam doctrinam cœleſtem reſpicit ut credendam, ratione fiduciæ Chriſtum ut Mediatorem pro nobis paſſum ac mortuum, cujus beneficia in verbo Evangelii oblata ſint à nobis acceptanda.

140. 4. His teſtimoniis ex Evangeliſtarum Scriptis petitis ſubjicit Bellarminus teſtimonia ex Actis Apoſtolicis depromta. *In Actis* (inquit) cap. 2. 4. 10. 13. & 17. *narrantur conciones Petri & Pauli, quibus explicatio & doctrina fidei continetur. In his autem nullum verbum eſt de ſpeciali Dei miſericordia, ſed tota conſumuntur in explicanda & perſuadenda reſurrectione & divinitate Chriſti. Item Actorum cap. 8. cùm Philippus ab Eunucho Baptiſmum poſtulante quæſiviſſet, crederet ne ex toto corde? reſpondit ille; Credo Filiũ Dei eſſe Ieſum Chriſtum: atque hoc reſponſo Philippus contentus Eunuchum continuò baptizavit. Eſt igitur fides juſtificans, non quâ credimus Deum nobis propitium eſſe, alioqui perperam egiſſet Philippus, qui ſine tali fide Eunuchum baptizavit, ſed quâ toto corde, hoc eſt, ſine ulla hæſitatione credimus Ieſum eſſe Chriſtum ac Filium Dei ac per hoc verum Deũ.* Reſp. 1. repetimus regulam ſuperiùs propoſitã. Quædam de fide prædicantur ratione notitiæ, quædam verò ratione fiduciæ. Credere divinitatem & reſurrectionem Chriſti pertinet ad fidem ratione notitiæ: *Credere Chriſtum propter peccata noſtra mortuũ eſſe, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram*, pertinet ad fidem ratione fiduciæ. 2. Ergo ut ex notitia Evangelii per SS. efficaciam oritur in corde fiducia: Ita conciones Apoſtolicæ, in quibus reſurrectionem & divinitatem Chriſti probant, eò unicè ſpectant, ut de reſurrectione & divinitate Chriſti certò perſuaſi, firmiter ſtatuamus, Deum qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus illum in mortem tradidit, & ex mortuis ſuſcitavit, propter illum nobis propitium fore. 3. Proinde miſericordia Dei ſpecialis, divinitas, paſſio, mors & reſurrectio Chriſti in objecto fidei juſtificantis ſibi invicem non opponuntur, ſed potiùs arctiſ-

4. In concionibus Petri & Pauli nullum eſt verbum de ſpeciali Dei miſericordia.

ſimè cohærent, quia nonniſi in Chriſto & propter eum Dei miſericordia nobis obtingit. Ac niſi Chriſtus eſſet verus Deus, non potuiſſet æquivalens precium pro peccatis noſtris præſtare, iram Dei extinguere, à Diabolo, morte & inferno nos liberare. Paſſio & mors Chriſti ſunt ipſũ redemtionis noſtræ precium. Reſurrectio eſt evidens teſtimonium, quòd ſufficiens λύτρον pro nobis præſtitum, & quòd plenè ſimus Deo reconciliati, aliâs hunc vadem & ſponſorem noſtrum ex carcere ſepulchri nõ reduxiſſet. Falſum ergo eſt, quod in concionibus Apoſtolicis de reſurrectione & divinitate Chriſti nullum contineatur verbum de ſpeciali Dei miſericordia. 4. Quodnam verò manifeſtius teſtimoniũ pro ſententia noſtra de objecto adæquato fidei juſtificantis afferri poſſet, quàm Apoſtolicum illud pronunciatum. Act. 4. v. 12. *Non eſt in alio quoquam ſalus, nec aliud nomẽ ſub cœlo datum, in quo oporteat ſalvos fieri?* Cum quo conjungenda ſimilia dicta. Actor. 10. v. 43. *Hunc* (Chriſto) *omnes Prophetæ teſtimonium perhibẽt, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. 13. v. 38. *per Chriſtum vobis remiſſio peccatorum annunciatur & ab omnibus illis, à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari.* v. 39. *In hunc omnis qui credit, juſtificatur.* Act. 15. v. 11. *Per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & Patres noſtri.* 5. Phraſis Apoſtolica *credere in Chriſtum*, reſpicit non ſolùm perſonam; ſed & officium Chriſti: neque enim ſufficit ad fidem juſtificantẽ, credere quòd Chriſtus ſit verus Deus & homo in perſona unitate, ſed requiritur inſuper ut agnoſcamus eum tanquam conſtitutum Mediatorem ac Redemtorem noſtrum, qui propter nos homo factus, crucifixus propter peccata noſtra, & reſuſcitatus propter juſtitiam noſtram, in quo & per quem Deo reconciliamur, peccatorum remiſſionem conſequimur, & heredes vitæ æternæ ſcribimur, hæc omnia fides juſtificans in objecto ſuo reſpicit, ideo Eunuchus Act. 8. non ſolùm credit. Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum, ſed & ex Prophetico vaticinio agnoſcit ipſum *propter peccata noſtra vulneratum & propter iniquitates noſtras attritum eſſe* ac ſibi propter illum peccatorum remiſſionem in Baptiſmo conferri ſtatuit.

5. In Epiſtolis Paulinis nulla ſit mentio ſpecialis miſericordiæ.

141. 5. Ex Epiſtolis Apoſtolicis hæc profert Bellarminus. Roman. cap. 4. *Abraham non credidit ſibi per miſericordiam ſpecialem fuiſſe remiſſa peccata, ſed Patrem ſe futurum multarum gentiũ.* Roman. cap. 10. *Objectum fidei juſtificantis ſtatuitur Dei reſurrectio.* 1. Corinth. 13. *Conjungitur fides miraculorum cum ſpe & caritate, ut intelligamus fidem miraculorum eſſe eandem cum fide juſtificante.* 1. Corinth. 15. *Objectum fidei ſtatuitur paſſio, ſepultura & reſurrectio Chriſti.* 1 Epiſt. Johan. cap. 5. *Fides juſtificans ſic deſcribitur. Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt: Et infra. Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Filius Dei.* Reſp. 1. de fide Abrahæ diximus ſuperius §. 132. ac evidenter oſtendimus objectum ejus fuiſſe ſpecialem Dei miſericordiã in benedicto ſemine propoſitam. 2. quando ſtatuimus ſpecialem DEI miſericordiam in Chriſto propoſitam eſſe proprium fidei juſtificantis objectum, non excludimus Chriſti reſurrectionem, quippe quæ eſt actus ad officium Chriſti Mediatoris pertinens, *reſurrexit enim Chriſtus propter juſtificationem noſtram*, Ad Roman. cap. 4. verſ. ultim. Ergo quando Apoſtolus reſurrectionem Chriſti fidei juſtificantis objectum ſtatuit, non ſolùm non adverſatur ſententiæ noſtræ, ſed eandem etiam comprobat: neque enim qui fide tantùm Hiſtoricâ credit, Chriſtum ex mortuis reſurrexiſſe, juſtus & ſalvus erit, ſed qui fiduciâ cordis Chriſto propter nos paſſo, mortuo & reſuſcitato adhæret, ac firmiter ſtatuit, ipſum propter juſtificationem noſtram reſurrexiſſe. 3. Fidem miraculoſam & juſtificantem unam & eandem eſſe Apoſtolus haudquaquam aſſerit, quin potius fidem miraculoſam à caritate abeſſe poſſe aſſerẽs, eandem à fide juſtificante diſtinguit, quippe quam Galat. 5. v. 6. ſic deſcribit, quòd ſit per *caritatem efficax*. 4. Paſſio, mors & ſepultura Chriſti pertinent omninò ad fidei juſtificantis objectũ; requiritur autem non tantùm Hiſtorica eorum notitia, ſed etiam ut firmiter ſtatuamus, propter noſtram redemptionem, juſtitiam, & ſalutem hæc omnia à Chriſto facta ac nobis in ſpecie applicemus beneficia mortis & paſſionis Chriſti. 5. Hiſtorica illa fides, quæ in genere credit Chriſtum eſſe Dei Filium ac Salvatorem mundi, nondum vincit mundum, nec regenerat, ſed ſpecialis illa fiducia, quâ ſtatuimus Chriſtum eſſe noſtrum Servatorem, cujus beneficia ad nos quoque pertineant, ut hac ratione cum Apoſtolo fiducialiter dicamus Galat. 2. v. 20. *Chriſtus dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Roman. 8. v. 31. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* v. 32. *qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?*

142. Cap 9. Progreditur Bellarminus ad alteram argumentorum claſſem, & ex traditione Eccleſiaſtica probare conatur, *fidem non eſſe fiduciam miſericordiæ.* Producit igitur primò loco *Symbolum Apoſtolicum, in quo multa fidei objecta proponuntur, utpote de Unitate & Trinitate DEI, de incarnatione, paſſione & morte Chriſti &c. ſed de ſpeciali miſericordia ne verbum quidem continetur.* Reſpond. 1. Fidei, ratione notitiæ & aſſenſus objectum eſt omne DEI verbum nobis in Scripturis ſacris revelatum, cujus brevis ſumma in Symbolo Apoſtolico proponitur. 2. Manet nihilominus, quòd fides juſtificans, quâ talis, ſolum CHRISTUM Mediatorem reſpiciat ac fiducialiter in eo recumbat. 3. Miſericordia DEI, Trinitatis unitas, incarnatio, paſſio & mors CHRISTI non excluduntur ab hoc fidei juſtificantis objecto, nec ei ſunt opponenda: CHRISTUS enim Mediator ac Redemtor noſter eſt unus, verus cum Patre & Spiritu ſancto DEUS, qui *propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & homo factus eſt, pro nobis paſſus & mortuus, reſurrexit propter juſtitiam noſtram, aſcendit ad cœlum, ſedet ad dextram DEI, & intercedit pro nobis.* Spiritus ſanctus miniſterio verbi & Sacramentorum colligit Eccleſiam, in qua credentibus in CHRISTUM remiſſio peccatorum & vita æterna conferuntur, hæc ergo omnia in fide juſtificante concurrunt. 4. Implicita igitur mentio fit ſpecialis miſericordiæ in hoc Symbolo. Quando enim profiteor me credere in Chriſtum pro me paſſum & mortuum, utique etiam credo, DEUM ſic me dilexiſſe, ut Filium

Traditio Eccleſiaſtica.

ſuum

Digitized by Google

lium unigenitum daret, qui in ara crucis pro peccatis meis ſatisfecit & æternam redemtionem mihi promeritus eſt 5. Neve quidquam ſuperſit dubii, an non credimus in Symbolo peccatorum remiſſionem, quæ in Eccleſia per Spiritum ſanctum nobis donatur? Qui peccatorum remiſſionem credit, an non ſpecialem Dei miſericordiam in Chriſto propoſitam, abſque quâ illa non habet locum, fide intuetur & apprehendit? 6. Regerit Bellarminus, *nos credere Eccleſiam & remiſſionem peccatorum, non quaſi credamus nos eſſe membra vera Eccleſiæ, & peccata nobis remiſſa eſſe, ſed quòd in Eccleſia vigeat donum remiſſionis peccatorum, quod per Baptiſmum aliaque Sacramenta percipitur.* Reſp. Imò verò quemadmodum in primo articulo, credentes in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, non ſolùm in genere credimus, Deum eſſe Patrem benigniſſimum & univerſi creatorem omnipotentiſſimum, ſed etiam in ſpecie ipſum eſſe noſtrum Patrem & Creatorem: quemadmodum etiam in ſecundo articulo credentes in Chriſtum Dei & Mariæ virginis Filium incarnatum, paſſum, mortuum, reſuſcitatum &c. non ſolùm in genere credimus, Chriſtum pro genere humano paſſum ac mortuum eſſe, ſed etiam in ſpecie propter nos & noſtram ſalutem; ita quoque in tertio Symboli articulo credentes Eccleſiam & remiſſionem peccatorum, non ſolùm credimus eſſe Eccleſiam, in qua vigeat donum remiſſionis peccatorum, ſed etiam in ſpecie nos eſſe membra illius Eccleſiæ & nobis peccatorum remiſſionem contingere. (**Selneccerus in orat. Hiſtor. de Auguſt. Confeſſ. *Lutherus ſæpenumero dicere ſolitus eſt, ſe grato animo prædicare dexteritatem fratris cujusdam Senioris in Monaſterio Erphordienſi, qui talem verborum ſymboli paraphraſen ipſi tradidit. Credo remiſſionem peccatorum. Non ſatis eſt te in genere credere, Deum quibusdam, Davidi, Petro & aliis ſua peccata remittere, talem enim fidem etiam Dæmones habent, ſed Dei mandatum immotum eſt, ut credas, tibi tua peccata remitti & certus ſis de juſtitia tua fidei & ſalute tua.***) Media, per quæ remiſſio peccatorum nobis confertur, videlicet verbum & Sacramenta, haudquaquam excludimus, nec abſolutam quandam Dei miſericordiam introducimus, ſed τάξιν mediorum divinitùs conſtitutorum cum ordinatam eſſe fatemur, interim ſententiæ noſtræ de objecto fidei juſtificantis ex eo nihil decedit, ſcimus enim nos baptizatos eſſe, ſcimus in myſterio cœnæ corpus & ſanguinem Chriſti nos participare. Quando in Symbolo reſurrectionem carnis me credere profiteor, non ſolùm generalem mortuorum reſuſcitationem credo, ſed etiam credo *me* ex terræ pulvere olim reſuſcitatum iri. Job. 19. v. 25. & ſeqq. unde notanter addidit primitiva Eccleſia in pronunciatione hujus articuli. *Credo reſurrectionem hujus carnis.* Gregorius lib. 14. moralium cap. 29. de Euticio Epiſcopo Conſtantinopolitano refert, quòd in agone mortis cutem manuum apprehendens dixerit: *Credo quòd in hac carne reſurgemus omnes.* Ita quoque quando peccatorum remiſſionem me credere profiteor, donum illud ut omnibus verè in Chriſtum credentibus ita & mihi in Eccleſia repoſitum eſſe & per fidem actu conferri credo. Chriſtus notanter pronunciat Johan. 16. v. 23. *Amen amen dico vobis; quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam verò ex mandato & inſtitutione Chriſti petimus remiſſionem peccatorum, eandem igitur firmiter credere debemus. Video autem quò tendat Bellarminus, nimirùm quòd ad Sacramentum Pœnitentiæ, per quod confertur remiſſio peccatorum illis, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt, requirantur diſpoſitiones & ſatisfactiones noſtræ, de quibus cùm perpetuò dubitare cogamur, an ſint ſufficientes, ideò ſemper dubitandum eſſe de remiſſione peccatorum. Sed de tota hac re alibi latè fuit dictum. Huic argumento ex Symbolo Apoſtolico petito addit Bellarminus varia Patrum teſtimonia, ſed ea noſtræ ſententiæ non adverſantur, loquuntur enim de fide ratione notitiæ, interim non negant, fidei juſtificantis ratione fiduciæ proprium objectum eſſe Chriſtum Mediatorem, ſive quod idem eſt, ſpecialem Dei miſericordiam in Chriſto nobis propoſitam, id quod apparet ex omnibus dictis, in quibus fidem in ipſo juſtificationis actu deſcribunt, eorum quædam ſuperiùs §. 99. recenſuimus & ſuo loco plura enumerabuntur.

143. Cap. 10. Profert Bellarminus varias rationes, quibus fidem illam ſpecialem (uti vocat) explodere conatur. *1. Fides in nihil aliud collimare debet, niſi in verbum Dei. At in verbo Dei nuſpiam reperitur annunciata ſalus vel remiſſio peccatorum mihi aut illi in particulari, exceptis quibusdam paucis. Ergò reliqui non niſi temerè poſſunt credere tanquam ex verbo Dei ſibi remiſſa eſſe peccata.* Reſp. Generale includit ſuum ſpeciale. Jam verò generalia ſunt Scripturæ enunciata. *Omnis qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam.* Johan. 3. v. 16. *Omnes Prophetæ teſtimonium perhibent Chriſto, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.* Actor. 10. v. 43. ſub hac univerſali ſubſumit cujusque fides in ſpecie, ac generalibus promiſſionibus Evangelii per fidem quilibet verè pius ſeipſum includit. Quemadmodum igitur lex moralis peccati quemlibet in ſpecie convincit per generalem illam ſententiam. *Maledictus omnis qui non fecerit, quæ ſcripta ſunt in libro legis.* Deut. 27. v. 26. Galat. 3. v. 10. quamvis neminem in ſpecie nominet: Ita Evangelium omnibus in Chriſtum credentibus annunciat peccatorum remiſſionem, quamvis itidem in ſpecie neminem nominet. Adde, quòd ipſe Bellarminus particularem agnoſcat Argumenti ſui minorem per adducta exempla contraria videlicet *Paralytici*, Matth. 9. *peccatricis*, Luc. 7. *adulteræ*, Johan. 8. *Zachæi*, Luc. 19. *& Latronis*, Luc. 23. Si enim illis in ſpecie annunciata eſt per Evangelicam Chriſti vocem peccatorum remiſſio, utique fides illorum objecti loco habuit promiſſionem de gratia Dei & remiſſionem peccatorum. Denique ut illis in ſpecie annunciata eſt peccatorum remiſſio, ita adhuc hodie miniſtri Eccleſiæ non ſolùm in genere prædicant Evangelium, ſed & cuilibet verè pœnitenti per vocem abſolutionis in ſpecie annunciant peccatorum remiſſionem, id quod coram Deo in cœlis ratum ac gratum eſſe Chriſtus pronunciat, Matthæi 18. v. 18. Johan. 20. v. 23. Id ipſum confirmatur ſigillis Sacramentorum, id ipſum obſignat Spiritus Sanctus

Rationes; quod fides nō habeat objecti loco ſpecialem Dei miſericordiam.

1. In verbō Dei non reperitur annunciata ſalus in particulari.

in cordibus piorum, qui *συμμαρτυρεῖ* unà cum noſtro Spiritu *teſtatur, nos eſſe Dei filios*. Rom. 8. v. 16. quâ de re ſuo loco uberius diſputatum fuit. Deducamus igitur argumentum Bellarmini ad abſurdum. Si remiſſio peccatorum in verbo Evangelii ideò negatur ſingulis annunciari, quia in ſpecie hujus vel illius nomen non exprimit, conſequens erit, voce legis non accuſari & damnari omnes & ſingulos, quia itidem in ſpecie hujus vel illius nomen non exprimitur. At conſequens illud falſum eſſe docet Apoſtolus Galat. 3 v. 22. & cujusque conſcientia perſentiſcit. Ergò & antecedens falſum eſſe relinquitur. Quid quod ex eodem fundamento facinoroſus proceſſum judiciarium contra ſe inſtitutum ſubterfugere poſſet excipiendo in legibus politicis nuſpiam nominatim dici: Titius ſuſpendatur, Sempronius decolletur.

Exceptiones Bellarmini. 144. Non ignota fuit Bellarmino hęc noſtrorum reſponſio, quòd generalis Evangelii promiſſio includat ſpecialia, ideò variis exceptionibus eam labefactare conatur. 1. *Nuſquam dicit Scriptura, qui credit ſibi remiſſa eſſe peccata, juſtificatur aut habet vitam æternam, ſed qui credit in Filium, habet vitam æternam vel juſtificatur. Quod autem credere in Filium, ſit credere ſibi remiſſa eſſe peccata per Filium, non habent adverſarii ex verbo Dei, ſed ex ſua interpretatione.* Reſp. hac ratione uno impetu evertit Bellarminus fundamentum & ſummam totius Evangelii, cujus perpetua vox hæc eſt, Chriſtum *Θεάνθρωπον* eſſe Mediatorem ac Redemtorem noſtrum, qui pro peccatis humani generis in ara crucis ſatisfecit, ac proinde peccatorum remiſſionem accipere, quotquot credunt in eum. Quare per veram & juſtificantem fidem non ſolùm in genere agnoſcimus, Chriſtum eſſe verum DEUM & conſtitutum Mediatorem generis humani, ſed etiam in ſpecie agnoſcimus & firmiter ſtatuimus Chriſtum *nobis* datum ac natum eſſe, *nobis* quoque per & propter Chriſtum dari peccatorum remiſſionem. Credere in Chriſtum non ſolùm eſt confiteri ipſum eſſe verum DEUM ac Mediatorem, ſed etiam firmiter ſtatuere ipſum eſſe noſtrum Mediatorem ac Redemtorem, qui pro nobis paſſus ac mortuus æternam juſtitiam nobis adduxerit, cujus participes reddamur per fidem, quò pertinent fiducialia illa (ut ita loquar) pronomina: Chriſtus dilexit *me*, & tradidit ſeipſum *pro me*. Galat. 2. v. 20. Rex tuus ad *te* venit. Zachar. 9. v. 9. Matth. 21. v. 5. Verbum Evangelii non ſolùm eſt verbum veritatis, ſed etiam verbum gratiæ & promiſſionis, priori modo reſpicit illud fides, quatenus eſt notitia & aſſenſus, poſteriori verò, quatenus eſt fiducia promiſſioni illi inhærens. Ratione notitiæ etiam Dæmones credunt, probè enim norunt Chriſtum eſſe verum DEUM ac Mediatorem inter DEUM & genus humanum, ſed cum fide illa Hiſtorica non eſt conjuncta fiducia, norunt enim promiſſiones Evangelii & beneficia Chriſti ad ſe non pertinere, ideò *credunt & contremiſcunt*. Jacob. 2. v. 19. vera autem & juſtificans fides hominis verè in Chriſtum credentis cum notitia & aſſenſu conjunctam habet fiduciam, quâ ſtatuit per & propter Chriſtum oblata in Evangelio bona, videlicet gratiam DEI, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam ſibi obtingere. Juſtificationem noſtram conſiſtere in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitię Chriſti ex Apoſtolo ſuo loco demonſtrabimus. Atqui juſtificamur fide in Chriſtum. Ergò fide conſequimur peccatorum remiſſionem & participes reddimur juſtitiæ Chriſti, quod totidem verbis Apoſtoli aſſerunt. Actor. 10. v. 43. *remiſſionem peccatorum conſequuntur, quotquot credunt in nomen Chriſti.* Si per fidem in Chriſtum conſequimur remiſſionem peccatorum, utiq; etiam fide ſtatuere poſſumus nobis propter Chriſtum remitti peccata, & per conſequens credere in Chriſtum, eſt credere per & propter Chriſtum ſibi remitti peccata. Id adeò manifeſtum, ut in hoc ipſo capite Bellarminus ex Auguſtini lib. de Spiritu & litera cap. 30. ſcribat: *fidem impetrare gratiam contra peccatum & gratiam juſtificare à peccato.* Item: *per fidem impetrari remiſſionem peccatorum.* Si fide impetramus peccatorum remiſſionem, utiq; fide ſtatuere poſſumus per & propter Chriſtum peccata nobis eſſe remiſſa. 2. Pergit Bellarm. ac dicit, *interpretationem noſtram repugnare verbo Dei, quia credere in Filium Dei, interprete Iohanne, eſt credere, quòd Ieſus ſit Dei Filius: interprete Paulo, credere quòd Deus ipſum à mortuis ſuſcitaverit:* quâ de re quid ſtatuendũ ſit, ſuperiùs vidimus. Notitia divinitatis & reſurrect. Chriſti pertinet omninò ad fidem juſtificantem, nondum autem eam abſolvit. Credere in Chriſtum, complecti notitiam divinitatis & reſurrect. Chriſti, Apoſtoli aſſerunt & nemo noſtrûm negat, ſed ad fidem juſtificantem non requiri fiduciam, nuſpiam Apoſtoli aſſerunt, quin potius contrarium teſtantur. Rom. 3. v. 25. *Deus propoſuit nobis Chriſtũ ἱλαστήριον per fidem.* 1. Joh. 5. v. 10. *Qui credit in Filium Dei, teſtimonium habet in ſeipſo* v. 11. *& hoc eſt teſtimoniũ, quod vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus eſt.* Ergò vera fides intuetur Chriſtũ ut propitiatorium à DEO propoſitum, ut victorem mortis & Ducem vitæ, imò ut eum in quo eſt vita æterna: *qui ergò habet Filium Dei, habet vitam æternam.* 1. Joh. 5. v. 12. *recepimus autem eũ per fidem.* Joh. 1. v. 12. 3. *Peccant etiam in eo adverſarii* (ait Bellar.) *quod ex antecedente conditionata colligunt concluſionem abſolutam. Nam illæ propoſitiones: Qui credit in Filium, habet vitam æternã,* Et: *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur, conditionatæ ſunt, ac ſi dictum eſſet: ſi quis credit in Filium Dei, habet vitam æternam. Et ſi quis in Chriſtum credit, juſtificatur.* Ita n. explicat Apoſt. Rom. 10. *Si credideris in corde tuo,* & Philip. Act. 8. *Si credis ex toto corde. Ex his igitur conditionatis propoſitionibus tantùm conditionata colligitur concluſio. E. ſi credo, habeo juſtificationem & vitam æternã.* Reſp. quis verò unquam audivit concluſionem hypotheticam, quæ nihil ponit in eſſe. In ſyllogiſmis hypotheticis major quidem eſt conditionalis, ſed concluſio ſemper eſt abſoluta teſtibus omnibus Logicis. Proinde ex hypotheticis illis propoſitionibus. Si credis in Chriſtum, ſalvus eris (quas alibi Spiritus ſanctus per Categoricas exprimit) ſubſumit Spiritus credentis: Ego credo in Chriſtum, ex quo promptè ſequitur abſoluta concluſio. Ergò habeo vitam æternam. 4. *At* (inquit Bellarmin.) *aſſumtio illa non extat in Dei verbo, ſed in opinione mea. Opinio autem illa mea, non ſolùm eſt verbum Dei, ſed etiam fallax eſſe poteſt, ut teſtatur exemplum hæreticorum.* Reſp. de Bellarm. & ipſius ſociis traditiones Papę & dubitatio-

tationem perpetuam pugnantibus facilè concedere poſſumus, fidem ipſorum non extare in verbo Dei, ſed eſſe meram opinionem. Sed verè credentium fides non eſt dubia quædam & fallax opinio, ſed opus Spiritus Sancti, donum Dei & notitia omni humanæ rationis ac ſenſuum judicio firmior, ex luce verbi in mente orta & immoto verbi fundamento innitens. Omnes verè in Chriſtum credentes habent Spiritum Sanctum, *qui teſtimonium reddit ſpiritui ipſorum, quod ſint Filij Dei.* Roman.8.v.16. *per quem etiam clamant, Abba Pater*, verſ.15. *verè credentes Deus ſignat & dat pignus Spiritus in cordibus ipſorum.* 2.Cor.1.v.22. unde Spiritus Sanctus vocatur *arrha hæreditatis noſtræ*, Epheſ.1. v.14. hanc Spiritus interiorem teſtificationem vocare opinionem humanam eſt ejus, qui interioris illius teſtimonii ſeſe planè expertem eſſe fatetur. Auguſt.13.de Trinit.cap.1.ſcribit, *quòd quisque credentium in corde ſuo videat fidem, eamque teneat certiſſimâ ſcientiâ, & clamet conſcientia.* libr. de mendacio ad Conſentium cap.3, inter credere & opinari diſtinguit hoc modo. *Aliquando ille qui credit, ſentit ſe ignorare quod credit, quamvis de re quam ſe ignorare novit, omninò non dubitet, ſi eam firmiſſime credit: qui autem opinatur, putat ſe ſcire quod neſcit.* Lombard.lib.3. ſent.diſt.23. lit.C. ex Auguſtino colligit, *fidem ipſam in corde hominis ab ipſo homine videri non corporaliter, non imaginariè, ſed intellectualiter*, quomodo igitur fides nudâ opinione niti dicetur? Si nemo poteſt certò ſcire & affirmare, quod verè credat, quare Apoſtolus jubet, ut nos ipſos probemus an in fide ſimus? 2.Cor.13.v.5. *Vosmetipſos probate an ſitis in fide, ipſi vos probate, an non cognoſcitis vosmet ipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi fortè reprobi eſtis*, verſ.6. *ſpero autem quòd cognoſcetis, quia non ſumus reprobi.* Ex quo loco colligimus hoc axioma. Quicunque non agnoſcunt ſe eſſe in fide & in Chriſto per fidem, illi ſunt reprobi. Hûc referenda ſunt exempla omnium verè credentium: *Nos credimus & cognovimus* dicunt diſcipuli Chriſti Johan.6.v.69. *Credo Domine*, dicit Pater Lunatici Marc.9.v.24. *Scio cui credidi*, dicit Apoſtolus 2.Tim.1.v.12. *Nos in Chriſtum credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti*, dicit in perſona omnium credentium. Galat.2.v.6. quin imò omnes credentes *eodem fidei Spiritu* in Chriſtum credere pronunciat, quo David credidit. 2.Cor.4.v.13. hæc de opinione tantùm humanâ dici nunquam probari poterit. *Fide ad Deum accedimus* Heb.4. v.16. *pacem habemus apud Deum.* Rom.5.v.1. *ac certi reddimur, quòd neque vita, neque mors, &c. ſeparare nos poſſit à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto.* Rom.8.v.38. illos effectus opinioni humanæ & quidem fallaci attribui, quis induci poterit, ut credat? Quæ de hæreticorum fide adduntur, ſuum habuerunt locum in quæſtione de incertitudine gratiæ. Nec eſt, quòd Bellarminus obvertat, *non contineri hoc in ſcripturis, quòd hic vel ille verè credat in Chriſtum*, ſufficit enim generalem illam propoſitionem in eis contineri, omnis qui credit in Chriſtum, habet vitam æternam. In illa generali implicitè continetur ſpecialis concluſio. Ergò hic vel ille in Chriſtum credens, ſalvus erit. Perinde ut lex accuſat omnes, quamvis hujus vel illius non faciat expreſſam mentionem. 5. Pergit Bellarminus, *non ſatis eſſe quocunque modo credere, ſed toto corde eſſe credendum, ac fidem debere eſſe vivam, quæ pariat fructus bonorum operum. At hoc nemo affirmare poteſt ſe toto corde & ut oportet credere, ac fidem habere vivam & cum caritate conjunctam.* Reſp. de hypocritis hęc veriſſimè dicuntur, qui *lucem* fidei non exerunt *per opera*, Matth.5.v.16. *nec vocationem & electionem ſuam faciunt certam.* 2.Pet.1.v.10. ſed de verè credentibus falſiſſimè pronunciantur, illi enim ſciunt ſe toto corde, hoc eſt, non ſimulato & hypocriticè credere, ideò cùm Philippus Eunuchum quæreret. *Si credis ex toto corde*, Baptiſmus tibi conferetur, ipſe ſubjicit: *Credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum* Act.8.v.37. illi etiam fidem ſuam per dilectionem exerunt. Gal.5. v.6. quamvis & fidei & operum imperfectionem & infirmitatem ſimul agnoſcant & deplorent. Quòd addit Bellarm. propoſitionem illam, *Qui credit in Filium Dei, habet vitam æternam, ita limitandam eſſe, ſi cetera adhibeat, quæ fides adhibenda demonſtrat, de eo inferius agetur.*

145. 2. Altera Bellarmini ratiocinatio talis eſt: *Fides juſtificans præcedere debet juſtificationem, eſt enim cauſa juſtificationis, jam verò omnis cauſa prior effecto. Atqui fides ſpecialis miſericordiæ ſequitur juſtificationem. Quomodo enim vera fides eſt, quâ credo mihi remiſſa eſſe peccata, ſi dum ita credo, nondum ſunt remiſſa, ſed per hunc actum poſteà remittenda? It. remiſſio peccatorum eſt objectum fidei, ac per hoc prius debet eſſe quàm fides. Ergò fides ſpecialis miſericordiæ non eſt fides juſtificans.* Reſp. 1. *relata ſunt ſimul.* τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει. Ariſt. in Categ. c.3. jam verò fides juſtificans & remiſſio pecc. ſunt relata, quia fides in Chriſto invenit & apprehendit remiſſ. peccatorũ. Ergò ſunt ſimul. Quicunq; verè credit in Chriſtum, illi remittuntur peccata, Et cui peccata remittuntur, is habet fidem juſtificantem. 2. Apoſtolus juſtificationem deſcribit per remiſſ. peccatorum Rom. 4. v.7.& 8. ex Pſ.32.v.1. Ergò ubi eſt remiſſio pecc. ibi juſtificatio, ubi juſtificatio, ibi fides juſtificans. 3. Et quomodo fides ſpecialis miſericordię ſequi poterit juſtificationem cum abſque ea Juſtificatio non habeat locum? ipſe Bellarminus fidem refert inter diſpoſitiones, quæ juſtificationem præcedunt lib.1. de Juſtiſ. cap.13. 4. Axioma illud, quòd omnis cauſa prior ſit effecto, varias habet limitationes. Enumerabimus duas, quæ ſunt hujus loci propriæ. Cauſa eſt prior effectu ſc. *materialiter*, non autem *formaliter*, quatenus eſt cauſa, eo enim modo cauſa & effectus ſunt relata, ideoque ſimul. Deinde cauſa *ordine naturæ* prior eſt, non autem *tempore*, ſic lux coæva Soli. Sic fides cùm ad juſtificationem ſe habeat tanquam cauſa inſtrumentalis ad effectum, ideò Naturę ordine prior eſt, non tamen tempore. 5. Non ideò demùm in Chriſtum credimus, quia priùs remiſſa nobis ſunt peccata, *ſed credendo in Chriſtum accipimus remiſſionem peccatorum.* Act.10.v.43. *Fides ad juſtitiam nobis imputatur.* Rom.4.v.5. *quæ juſtitia in peccatorum remiſſione conſiſtit.* v.7. Fides igitur juſtificans reſpicit peccatorum remiſſionem in verbo Evangelii oblatam non ut præteritam, ſed ut pręſentem, eamq; apprehendendo facit ſuam. Promiſſio Evangelica de remiſſione peccatorum prior eſt fide, ſed promiſſum bonum in verbo Evangelii oblatum, h.e. peccatorum remiſſio non niſi per fidem obtingit. 6. Diſtinguendum igitur inter objectum

2. Fides ſpecialis miſericordiæ ſequitur juſtificationem.

ejusque applicationem, vel, quod idem eſt, inter promiſſionem oblatam & receptam. Promiſſio de remiſſione peccatorũ in verbo Evangelii oblata eſt objectum fidei, & hac ratione prior eſt fide: ſed eadem promiſſio firmâ ſide recepta actu confert peccatorum remiſſionem, & hac ratione fides juſtificans & remiſſio peccatorum ſunt ſimul.

3. Fides ſpecialis tollit è medio orationem, Sacramenta, opera bona, &c.

146. 3. *Fides ſpecialis tollit è medio orationem, Sacramenta, opera bona & quicquid aliud Deus ad ſalutem noſtram inſtituit. E. non debet dici fides juſtificans, ſed potiùs juſtificationem impediens, & ad exitium ducens.* Reſp. Parcius iſta viris tamen objicienda memento. Fides ſpecialis miſericordiæ nihil eorum tollit, quæ Deus ad ſalutem noſtram inſtituit. Non orationem, quia *juſtificati fide pacem habemus & cum fiducia ad thronum gratiæ accedimus, clamantes, Abba Pater* Rom. 5. v. 1. Hebr. 4. v. 16. Rom. 8. v. 15. *Fides fundit orationem, & oratio fuſa fidei impetrat firmitatem,* nunquam compellabimus Deum ut Patrem, niſi de ſpeciali ejus miſericordia per fidem certi ſimus, Galat. 5. v. 6. *Quoniam eſtis filij (per fidem in Chriſto,* ut exponitur cap. 3. v. 26.) *miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem, Abba Pater.* Nec Sacramenta tollit fides illa ſpecialis, quia Sacramenta ſunt media divinitùs inſtituta, per quæ Deus nobis offert ſuam gratiam, ac promiſſionem Evangelicam de remiſſione peccatorum obſignat; E. ut fides eſt inſtrumentum recipiens ex parte noſtra, ita Sacramenta ſunt media offerentia ex parte Dei, ut δόσις καὶ λῆψις. ita quoque media δόσεως καὶ λήψεως ſibi invicem non opponuntur ſed amicè conſpirant, ſeſeq; invicem ponunt. Nec opera bona excludit fides, ſed potiùs eſt radix & mater verè bonorum operum, cùm ſit *efficax per caritatem* Galat 5. v. 6. Fructus arbori non opponuntur, ſed ex ea naſcuntur: nec fidei fructificatio eſt inſtar partus viperini, ut fœtus matrem enecet: quin imò vera fides tàm non eſt ſine operibus bonis, quàm ſine radiis Sol, ſine fervore ignis. Quomodo igitur immane illud pronunciatum ſuum Bellarminus probat? *Si certò,* inquit, *atq; ex fide credere debeo mihi peccata eſſe per Chriſtum remiſſa, non poſſum cum Publicano dicere, Deus propitius eſto mihi peccatori; aut cum Apoſtolis & Eccleſia univerſa; Dimitte nobis debita noſtra.* Reſp. imò verò quia quotidie peccamus, ideò quotidiè peccatorum remiſſionem petimus; quotidie ſordidamur, ideò etiam quotidianâ per ſanguinem Chriſti ablutione indigemus. Sancti igitur quotidie petunt peccatorum remiſſionem, non quòd de remiſſione dubitent; ſed quia precibus ex fide profectis peccatorum quotidianorum remiſſio à Deo impetranda eſt, ſi de gratia Dei ac remiſſione peccatorum dubitarent, non orarent ex fide, ideò dulciſſimum nomen Patris ex inſtitutione Chriſti in oratione Dominica præmittimus, peccatorum noſtrorum condonationem ab eodem in fide petituri: Probatio igitur Bellarmini nititur falſâ hypotheſi, quòd in ſanctis non maneant peccati reliquiæ; continet etiam paralogiſmum cauſæ, quòd Sancti remiſſionem peccatorum petant, quia de ea dubitent; & per inverſionem everti poteſt. 2. *Non erit opus Baptiſmo, ſi per fidem quæ Baptiſmum præcedere debet, certus ſum mihi remiſſa eſſe peccata.* Reſp. Baptiſmus eſt medium conferendæ & obſignandæ ſive confirmandæ fidei. Infantibus per Baptiſmum confertur fides, cùm Spiritus Sanctus regenerationem in cordibus infantum baptizatorum operetur, quæ ſine fide non habet locum. In adultis, qui per veram fidem jamdum adhærent Chriſto, Baptiſmus eſt ſalutare medium, per quod Spiritus Sanctus obſignat, auget & confirmat fidem, neutro igitur modo per fidem ſpecialem uſus Baptiſmi tollitur. Idem dicimus de pœnitentia, eam non tolli per fidem, cùm peccatum adhuc in carne renatorum habitet, quod mortificandum eſt quotidie, & ſi quos protulit vitioſos ſtolones, illi protinus per veram fidem averruncandi ſunt.

4. Fiducia de remiſſione peccatorum pendet à bona conſcientia E. eſt poſterior juſtificatione.

147. 4. *Fiducia, quâ quis confidit ſibi eſſe remiſſa peccata, ſeque Deo gratum eſſe, pendet a bona conſcientia & perſeverantia in dilectione & operibus bonis, proinde præexigit juſtificationem, & eſt eá poſterior.* Reſp. 1. etſi fides juſtificans non eſt ſine bonis operibus, tamen in actu juſtificationis ſola fides meritum Chriſti apprehendit, quâ ratione & reſpectu non pendet à bonis operibus. 2. neque enim reſpicit quantitatem operum, aut aliud quiddam juſtitiæ meritorium atque acceptatione dignum, ſed ſolam gratuitam Dei miſericordiam in Chriſto & propter Chriſtum ſibi oblatam, quam cupidè atque arctè complectitur. 3. Una eſt & eadem fiducia, quâ remiſſionis peccatorum in actu juſtificationis participes reddimur, & quæ Chriſtum ſemel apprehenſum firmiter retinet, ut *in corde noſtro habitet* Epheſ. 3. v. 17. Non ſolùm *juſtificamur fide*, ſed etiam *fide ſtamus.* Romanor. 11. v. 20. *& cuſtodimur virtute Dei in ſalutem per fidem,* 1. Petri 1. v. 5. 4. Fides juſtificans eſt cauſa bonæ conſcientiæ, dilectionis & bonorum operum, ut apparet ex dictis Galat. 5. v. 6. *Fides per dilectionem operatur.* 1. Timoth. 1. v. 5. *Finis præcepti eſt, caritas ex corde puro & conſcientia bona & fide non ficta.* verſ. 18. *militabonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam.* Ergò hæc à fide pendent; in quibus dictis fiducia cum bona conſcientia & operibus bonis conjungitur, in illis docetur, non propter quid Deo reconciliemur & in gratia apud ipſum ſimus, ſed unde certi ſimus, nos veram in Chriſtum fidem habere, per quem & propter quem ſolum in gratiam recipimur. Quæ Bellarminus annectit de certitudine electionis & an fides ſemel habita amitti poſſet; ſuum alibi habent locum.

Effectus veræ fidei eſt juſtificatio.

148. Hactenus de objecto fidei juſtificantis diximus, reſtat ut de munere ſive effecto ejuſdem, quæ eſt juſtificatio, pari perſpicuitate diſſeramus. Quamvis enim varii effectus veræ in Chriſtum fidei in Scripturis tribuantur, quos ſuperiùs §. 71. membro 8. enumeravimus, videlicet remiſſio peccatorum, juſtificatio, υἱοθεσία, tranquillitas conſcientiæ, liberatio à damnatione legis, ſecuritas ſpiritualis, benedictio cœleſtis, purificatio cordis, victoria Satanæ & mundi, patientia, acceſſus ad Deum, obſignatio veritatis, dilectio Dei & proximi, ſpes futuræ gloriæ, confeſſio veritatis, invocatio, obœdientia erga Deum, denique vita & ſalus æterna (quorum effectuum quidam concernunt ipſos credentes, quidam verò proximum) inter hos tamen cumprimis eminet juſtificatio; reliqui enim vel cum juſtificatione

ſunt

ſunt iidem, vel eam proximè conſequuntur; eidemque immediatè adhærent. Porrò fidei juſtificationem toties Scriptura tribuit, quoties pronunciat, *credentes in Chriſtum juſtificari* Act. 13. v.39. *fide hominem juſtificari*, Rom.3, v.28. *per fidem Jeſu Chriſti nos juſtificari* Galat.2. v.16. *Juſtitiam eſſe ex fide Jeſu Chriſti*, Phil.3. v.8. *fidem imputari ad juſtitiam*, Rom.4. v.5. *Deum juſtificare eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti*. Roman.3. v.26. hæc ergò omnia ſunt ἰσοδυναμοῦντα. Quando enim credentes in Chriſtum à DEO juſtificari dicuntur, exprimitur non ſolùm ſubjectum, quinam ſcil. ſint illi, qui à DEO juſtificantur, ſed etiam modus ac medium juſtificationis, quòd ſcil. fides ſit illud medium atque organon, quo beneficia Chriſti in verbo Evangelii oblata apprehendimus, nobisque applicamus, in quorum applicatione modus ac forma juſtificationis conſiſtit. Et ſanè inter nos & adverſarios de eo non controvertitur, an fides juſtificet, cùm Scripturę dicta, quibus hoc aſſeritur, Solis radio ſcripta meritò dicantur: id verò totis viribus negant & impugnant, quòd ſola fides juſtificet, inde nos, qui affirmativam in hac quæſtione propugnam⁹, Fideſolarios vocant, perinde ut Orthodoxi in primitiva Eccleſia τὸ ὁμοούσιον propugnantes dicebantur Homouſiani, referente Sixto Senenſi libr.4. Biblioth.

Fidem ſolâ juſtificare.

149. Repetimus igitur verba Auguſt. Confeſſionis artic.4. in quo confeſſio Eccleſiarum noſtrarum de hoc præcipuo doctrinæ Chriſtianæ capite ſatis perſpicuè exponitur. *Credimus & confitemur, quòd homines non poſſint juſtificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, ſed gratis juſtificentur propter Chriſtum per fidem, cùm credunt ſe in gratiam recipi & peccata remitti propter Chriſtum, qui ſuâ morte pro peccatis ſatisfecit, hanc fidem imputat Deus pro juſtitia coram ipſo*; (ubi apprimè notanda oppoſitio illa, quâ tria tribus ex adverſo opponuntur, viribus propriis gratia DEI: meritis propriis Chriſtus; propriis operibus fides) illud breviter complectitur hæc propoſitio. Fides ſola juſtificat. Accuratè autem propter calumnias adverſariorum notandum, quòd particula Sola, non determinet ſubjectum, quaſi fides juſtificans ſit ſola & à caritate ac reliquis virtutibus ſeparata, ſiquidem vera fides eſt viva, non mortua, eſt efficax per caritatem, non ἀεργὸς & otioſa: ſed μόριον illud ἐκκλειστικὸν determinat prędicatum hoc ſenſu, quòd ſolâ Chriſti juſtitiâ, cujus apprehendendæ vis ſoli fidei, non operibus convenit, coram DEO ſimus juſti. Non negamus Spiritum Sanctum in renatis accendere novos motus & juſtificatos in bonis operibus ambulare debere, quin potiùs disertè dicimus, ubi nondum ſunt novi iſti motus à Spiritu Sancto excitati, ibi etiam veram fidem nondum eſſe accenſam, disertè etiam dicimus, bona opera debere ſequi in juſtificatis: hoc verò eſt, quòd modis omnibus negamus, vel novos illos motus eſſe habitualem coram DEO valentem juſtitiam, vel bona opera eſſe actualem juſtitiam, quâ coram DEI judicio niti, & conſiſtere poſſimus. Proinde ut Agenda Brunſvicenſia accuratè loquuntur, *urgemus particulas excluſivas in merito, in applicatione, & in forma juſtificationis, ut ſcilicet opera ſtatuantur vel meritum, vel medium applicationis, vel forma aut pars noſtra juſtificationis coram Deo*; ſed ſolâ DEI gratia propter ſolum Chriſtum; quem fides ſola apprehendit, nos juſtificari confitemur ac credimus. Particula ſola, removet opera, non ab actu præſentiæ, ſed à communicatione efficientiæ, hoc eſt, non ut adeſſe fidei & juſtificatis, ſed ut fidei in actu juſtificationis cooperari negentur. Inde alicui videri poſſit, quòd propoſitio hæc, Fides ſola juſtificat; evidentiùs exprimat, determinationem excluſivam pertinere ad prædicatum ac calumniæ adverſariorum minùs ſit obnoxia, quàm ſi informetur hoc modo: Sola fides juſtificat.

150. In percenſendis argumentis, quibus probamus fide ſolâ juſtificari, obſervabimus ſeriem Bellarmini, ut ab exceptionibus ejus commodiùs vindicari poſſint. 1. Aut fides & opera ſimul juſtificant, aut opera ſola, aut fides ſola. Non primum, quia in propriâ ſede hujus doctrinæ excluduntur opera ab actu juſtificationis. Roman.3. v.28. *Arbitramur hominem juſtificari fide abſque operibus legis*. Roman.4. v.5. *ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, imputatur fides ad juſtitiam*. Roman.11. v.6. *Si ex gratia jam non ex operibus*. Galat.2. v.16. *ſcientes quod non juſtificetur homo ex operibus legis, niſi per fidem JESU CHRISTI & nos in CHRISTUM credimus ut juſtificemur ex fide, et non ex operibus legis; quia ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro*, Epheſ.2. v.8. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt*, verſ.9. *non ex operibus, ut ne quis glorietur*, Tit.3. v.5. *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*. In his ac ſimilibus dictis opponuntur fides & opera in actu juſtificationis. Quamvis enim extra actum juſtificationis optimè eis conveniat, ita ut verâ fides non ſit abſque bonis operibus, nec verè bona opera abſque fide, tamen in actu juſtificationis manifeſtè ſibi invicem opponuntur. Jam verò oppoſitorum ea eſt natura, ut poſito uno tollatur alterum; poſita ergò juſtificatione per fidem, negabitur juſtificatio per opera, ac proinde fidei & operibus ſimul non poteſt tribui juſtificatio. Nec ſecundum dici poteſt, videlicet quòd opera ſola juſtificent, ut adverſarii ipſimet agnoſcunt, manet ergò tertium, videlicet quod fides ſola juſtificet. ** Sed. De loco Galat.2. v.16. aliquid hîc monendum. Cornelius à Lapide voculâ ἐὰν μὴ adverſativè interpretatur. Niſi id eſt, Sed. Græcum enim ἐὰν μὴ reſpondet Hebræo אַךְ id eſt, verùm, veruntamen. Patere hoc dicit ex antitheſi. Vult enim Apoſtolus juſtificationem non tribui operibus legis, ſed fidei Chriſti. Cùm ergò hanc antitheſin ſignificet per niſi, ſequitur niſi hîc etiam adverſativum, ſecus habet, ſi ſimpliciter ſine antitheſi poneretur v.g. cùm dico. Homo non vivit niſi per animam, niſi hîc idem valet quod tantum. Hæc enim propoſitio exceptiva idem valet quod hæ duæ, per quas exponi debet, ſcil. homo vivit per animam & per nullam aliâ rem vivit niſi per animâ. Malè ergò novantes hîc exponunt, niſi per fidem Chriſti, id eſt, tantùm per fidem Chriſti. Reſp.1. nobis perinde eſt ſive adverſativè ſive exegeticè (ut ſit ſenſus, id eſt, non juſtificari eum niſi per fidem) modò excluſivè accipias. Ita verò accipiendum eſſe patet ex canone Logico. *Ab exceptiva negativa ad excluſivam affirmativam &*

1. Aut fides & opera ſimul; aut opera ſola, aut fides ſola juſtificat.

con-

contra ab hac ad illam valet conſequentia. Confer 2.Reg.9.v.25. Item 1. Paral.15.v.2. Item Matt 14. v.17. Item Marc.13.v.32. cum Matt.24.v.36. Item Marc.2.v.26. cum Matth.12.v.4. & Luc.6.v.4. 2. Majorem ergò in argumento Cornelii negamus, (quæ ſic habet. Ubicunque τὸ niſi non ſimpliciter ac ſine antitheſi ſed ἀντιθετικῶς ſeu adverſativè ponitur, ibi non ſumitur excluſivè, videl. pro tantùm) Nam contrariũ poteſt ex variis exemplis probari. Apoc.9.v.4. &c. 3. Invertimus ergò argumentum hoc modo. Quandocunq; in una propoſitione prædicata diverſa per antitheſin removentur, mediante particula niſi, tum hæc ipſa vox excluſivè ſumitur. Atqui illud fit hoc loco. 4. Confirmat hoc ipſum verſio Italica in Bibliis Anno 1546. Venet. edit. *Pontificius quidam *ἀναίρεμα* accipit hypotheticè. Non juſtificatur homo ex operibus legis niſi per fidem J. C. ut per vocabulum niſi notetur conditio, ſub quo juſtificetur homo ex operibus legis nempe ſi ad opera acceſſerit fides. Reſp. ex Cornelii ipſius ſententia in contrarium ſic colligimus. Quandocunque vocula niſi adverſativè atq; oppoſitè ſumitur, tunc certè hypotheticè & quaſi aſſertivè non ſumitur. Atqui fatentur Cornelio Galat.2.v.16. ſumitur adverſativè E. Iucptiſſima foret hæc interpretatio. Non juſtificatur homo ex operibus niſi per fidem E. juſtificatur homo ſimul ex operibus legis & per fidem. Perinde ac ſi diceres. Homo non juſtificatur per peccata mortalia niſi per fidem. E. ſimul per peccata mortalia & fidem juſtificatur. Socinus & Oſtorodus exiſtimant, *Paulum agere de operibus perfectis & abſolutis in hoc dicto. Ideò enim* (inquiunt) *adjecit, ſine operibus legis, ut indicaretur loqui Apoſtolum de operibus à lege requiſitis & ſic de perpetua & perfectiſſima divinorum praeceptorum obœdientia, ſicut lex requirit. Cùm autem talem obœdientiam, qualem lex requirit, nemo praſtare poſſit, ideò* (inquiunt) *ſubjecit Apoſtolus, nos juſtificari fide, id eſt, fiducia & obœdientia ea, quantam quisque praſtare poteſt & quotidiè quam maximã praſtare ſtudet & connititur ſine operibus legis, id eſt, etſi interim perfectè legem totam ſicut debebat, complere nequit.* Reſp. 1. hæc interpretatio eſt coacta & ficta. 2. convellitur à cap. 6. Epiſtolæ ad Rom. ubi Apoſtolus à credentibus obœdientiã erga mandata exigit. Cornelius à Lapid. in cap. 3. Rom. p 62. *Cùm Apoſtolus hic paſſim fidem ab operibus ſeparat & diſtinguit, opera intelligit legis non ſolum Ceremonialia, & judicialia, ſed & moralia ſive Decalogi.* Auguſt. lib. de Spiritu & lit. c. 8. Epiſt. 200. hanc gloſſam, quod Apoſtolus de ſolis Ceremonialibus operibus loquatur, multis refellit. Syrus ἐὰν μὴ Galat.2.v.16. effert per אֶלָּא quod in communi uſu *Sed* ſignificat, quemadmodum ex eodem capite v.20. liquet. Ergò ſenſus eſt, *non juſtificatur homo ex operibus legis, ſed per fidem.* Nec infrequens videri debet ἐὰν pro ἀλλὰ uſurpari. Nam ſic etiam uſurpantur Hebræa. אִם לֹא Gen.24.v.38. & כִּי אִם Eſa.59.v.2. quæ utrobique Græci Interpp. per ἀλλὰ convertunt. 2. Rabinicum אֶלָּא quod vel compoſitum eſt ex אִן לָא ut dages in Lamed, abſentem literam indicet, vel ex Græco ἀλλὰ proficiſcitur, ut Elias, Mercerus & alii putant. 3. Græcum εἰ μὴ. 1.Cor.7.v.17. Apocal.9.v.4. & cap.21.v.27. ubi perſpicuũ eſt adverſativam eſſe ſignificationem. Exceptiva enim propoſitio ſtatuit ſubjectum univerſale, ſub quo contineri oportet, quod excipit; at homo non continetur ſub iſto ſubjecto, ſano nempè & arbore Apoc.9.v.4. *nec qui ſcripti ſunt in libro vitæ continentur ſub inquinato & abominabili.* Apocal.21.v.27.**

151. Excipit Bellarminus 1. de Juſtific. cap. 19. *Per opera, quæ à Juſtificatione excluduntur, intelligi non in genere omnia opera, ſed ea tantum, quæ fidem praecedunt, & quæ ſolis liberi arbitrii virib. fiunt.* Reſp. 1. fatetur Bellarminus quosdam ex Pontificiis, puta Ederum, & alios diſputationem Paulinam ſic explicare, quòd opera ſaltem ceremonialia excludantur, unde judicamus de ipſorum conſenſu tantoperè deprædicato. Joh. Paulus Windeck in diſp. de Juſtific. Friburgi habita Anno 610. theſ.33. & ſeqq. aliquot argumentis probare conatur, hanc explicationem, quâ per opera legis tantùm ceremonialia intelliguntur, non eſſe improbabilem. 2. Rectè autem deſerit Bellarminus hanc ſuorum complicum ſententiam, quia Apoſtolus ſimpliciter excludit opera nullâ factâ mentione legum Ceremonialiũ, quin imò diſertè teſtatur, ſe de ea lege loqui, ex qua eſt *agnitio peccati* Roman.3.v.20. *quæ iram operatur* Roman.4.v.5. *quæ omnes homines peccati arguit* Roman.3.v.10. *& damnat univerſum mundum* v.19. *quæ cordibus hominum inſcripta* Roman.2. v.15. *quæ data eſt propter transgreſſiones*, Galat. 3. v.19. *quæ execratur omnes homines propter inobœdientiam*, v.10. de qua dicitur. *Qui fecerit ea homo, vivet in eis, & maledictus qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*, v.12. *à cujus legis maledictione nos Chriſtus liberavit*, v.13. Atqui hæc omnia vel planè non conveniunt legi Ceremoniali, vel non ſoli, ſed etiam Morali. Proinde nnn poteſt excluſiva Apoſtoli de ſolis operibus legis Ceremonialis intelligi: derogatur Abrahæ juſtificatio ex operibus; jam verò tempore Abrahæ leges Ceremoniales nondum erant latæ. Ergò non poſſunt intelligi opera juxta leges Ceremoniales facta, Quinimò ſi opera legis Ceremonialis ab Apoſtolo excluduntur, utique etiam opera legis moralis. Ut enim rectè collegeris. Nulla opera legis juſtificant. Ergò nec opera legis Ceremonialis: ita rectè etiam concludes. Opera legis Ceremonialis non juſtificârũt. Ergò nullius legis opera juſtificant. Si enim operibus accepta ferenda eſſet juſtitia, quomodo opera legis Ceremonialis excluderentur? Cùm Ceremoniarum obſervatio ad primam Decalogi tabulam pertinens, divini cultus pars fuerit non poſtrema. Rectè igitur Auguſtinus colligit in lib. de Spiritu & litera cap. 8. *Ne quisquam putaret hic Apoſtolum dixiſſe eâ lege neminem juſtificari, quæ in Sacramentis veteribus multa continet figurata praecepta, unde etiam eſt ipſa circumciſio carnis, continuò ſubjungit, quam dixerit legem & addit: Per legem cognitio peccati.* Idem Epiſt. 200. *Non ſolùm illa opera legis, quæ ſunt in veteribus Sacramentis, & nunc revelato Teſtamento Novo non obſervantur à Chriſtianis, ſicut eſt circumciſio praeputii & Sabbathi carnalis vacatio, & à quibuſdam eſcis abſtinentia, & pecorum in ſacrificiis immolatio & neomenia & azymum & cetera hujusmodi, verùm etiam illud quod in lege dictum eſt, Non concupiſces, quod utiq: & Chriſtianis nullus ambigit eſſe dicendum, non juſtificat hominem niſi per fidem Ieſu Chriſti & gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Valeat

Exceptio, excludi ſolummodò opera liberi arbitrii quæ fidem præcedunt

ergò

ergò commentum iſtud, quòd opera ſolùm Ceremonialis legis excludat Apoſtolus. 3. at non majoris ponderis eſt altera exceptio ** (quam & Duræus lib. 8. contra Witak. f. 253. amplectitur ſtatuens *Apoſtolum loqui de operibus factis ſine gratia ſeu ex viribus liberi arbitrii in hominibus nondum renatis ſine dono Spiritus.*) ** magis probata Bellarmino, quòd à Juſtificatione excludantur opera ante FIDEM, & ſolis liberi arbitrii viribus facta, quod ſic demonſtramus. 1. Ubicunque abſolutè & ſimpliciter opera à juſtificatione excluduntur ibi etiam renatorum opera excluſa intelliguntur. Atqui Apoſtolus abſolutè & ſimpliciter excludit opera à juſtificatione, perpetua enim oppoſitio eſt apud Apoſtolum inter legem & Evangelium, fidem & opera, credere & operari. Ergò etiam renatorum opera intelliguntur excluſa. 2. Omnia opera legis ab actu juſtificationis excluduntur. Atqui renatorum opera ſunt opera legis, quia Spiritus ſanctus renatis proponit legem tanquam normam bonorum operum. Pſal. 119. verſ. 35. *Deduc me per ſemitam mandatorum tuorum.* Roman. 7. verſ. 22. *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem.* verſ. 25. *mente ſervio legi Dei.* Galat. 5. verſ. 23. bona opera dicuntur *fructus Spiritus, contra quos non ſit lex,* utique ergò ſunt opera legis, hoc eſt, à lege præcepta & legi conformia. Ergò etiam renatorum opera ab actu juſtificationis excluduntur. ** Paulus excludens opera à juſtificatione non ſcribit Judæis nondum converſis aut baptizatis, ſed Romanis, quorum *fidem prædicari* ait *in toto orbe*: Galatis, quorum mirificam erga ſe benevolentiam laudat, c. 4. v. 14. Epheſiis quos *Sanctos & in Chriſto renatos* vocat, cap. 2. v. 13. nihilominus tamen negat, eos per opera legis juſtificati poſſe, non tantùm ea, quæ fecerant nondum renati, ſed in univerſum quæ ipſi tum cum eſſent in Chriſto, faciebant. Apoſtoli ipſi in cõc. Hieroſ. Act. 15. *Quid tentatis jugum imponere &c.* Cùm Apoſt. Eph. 2. v. 9. & 10. fidem aſtruit rejectis operibus, *non ex operibus, ne quis glorietur*, ſtatim hæc verba ſubjungit. *Nam ipſius opus ſumus conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quærimus, quænam ſint illa opera, de quibus Apoſtolus loquitur, profectò opera *quæ Deus præparavit, ut in illis ambulemus.* Apoſtolus igitur excludẽs opera à juſtificatione, deinde optimus ſui interpres exponit opera illa eſſe, ad quæ à Deo conditi ſumus, ut in illis ambulemus; profectò infallibiliter probat, opera per gratiam facta rejici à juſtificatione, opera autem eſſe ad quæ, non ex quibus aut per quæ juſtificamur, ac proinde non eſſe formam juſtificationis ſed finem ad quem & effectum. ** 3. Apoſtolus Paulus erat utique renatus. Atqui excludit ſua & credentium opera. Galat. 2. verſ. 16. *Et nos credidimus in Chriſtum Jeſum, ut juſtificaremur ex fide Chriſti & non ex operibus legis*: ubi perfectum ponitur pro præſenti phraſi Hebraicâ, quod obſervavit etiam latinus Interpres, qui textum Apoſtolicum ſic reddit: & *nos in Chriſtum credimus, ut juſtificemur ex fide*, quò pertinet illud 1. Cor. 4. v. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc non ſum juſtificatus.* Ergò non de ſolis non renatorum operibus loquitur. ** Scholaſtici dicunt *excludi opera legis*, per quæ intelligunt, non quæ per fidem & dilectionem fiunt, ſed quæ per minas lex extorquet. Reſp. opera per minas extorta non poſſunt dici opera legis, quia lex perfectam obœdientiam poſtulat ex toto corde, tota anima, tota mente. Minatur quidem lex non obœdientibus pœnas, ſed obœdientia extorta per minas non eſt legis obœdientia. ** 4. Exemplum & regula exactiſſimè congruunt. Jam verò ut Apoſtolus probet, nos juſtificari fide ſine operibus, adducit exemplum Abrahæ, ac de eo, non cum ex idololatrico Ur Chaldæorum primùm evocaretur, ſed jam converſo & in medio curſu pietatis conſtituto pronunciat. Rom. 4. verſ. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum,* verſ. 3. *Quid enim dicit Scriptura, Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam?* ad illum etiam accommodat, *quod ei qui non operatur, credenti verò in eum qui juſtificat impium, fides imputetur ad juſtitiam.* verſ. 5. Pronunciatum igitur Apoſtoli, quòd fide ſine operibus juſtificemur, generale eſt, etiam renatorum opera excludens. Inde Chryſoſtomus cùm de exemplo Abrahæ ageret homil. 8. in Epiſtol. ad Rom. ſic ſcribit: *Fiat ſalvari eum, qui opera non habet, nihil fuerit inſolentia: eum verò, qui rectè factis ornatus eſt, non ex ipſis, ſed ex fide juſtum fieri hoc admirabile eſt, & quod potiſſimum fidei potentiam manifeſtat.* Hujus loci eſt obſervatio illa, quòd Apoſtolus ſingulari conſilio ex primo & antiquiſſimo Eccleſiæ ſcripto teſtimonium pro juſtitia fidei adducere voluerit, ut ipsâ antiquitate, quæ apud omnes rectè ſentientes plurimum habet ponderis, pios confirmaret & Pſeudoapoſtolos refelleret. Deinde quod itidem ſingulari conſilio exemplum inſignis Patriarchæ, qui eſt Pater omnium credentium, & de quo plurimum gloriabantur Judæi *ἐξαίρετος* in medium adduxerit, ut tanti ac tantis virtutibus ornati Patriarchæ exemplo juſtitiam fidei ſtabiliret. 5. David erat utique vir pius & ſanctus, *Vir ſecundum cor DEI.* At is beatificationem hominis dicit, cui Deus imputat juſtitiam ſine operibus. Ergò & renatorum opera à juſtificatione excludit. 6. Talem juſtificationis modum proponit Apoſtolus, per quem omnis gloriatio excluditur. Rom. 3. verſ. 27. *Ubi eſt gloriatio? excluſa eſt; per legem factorum? non, ſed per legem fidei.* Roman. 4. verſ. 2. *Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriationem, ſed non apud DEUM.* Epheſ. 2. v. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* Atqui ſi renati juſtificantur operibus, nondum eſt excluſa omnis gloriatio, ita enim in bonis operibus aguntur à Spiritu ſancto renati, ut etiam ipſi agant. Ergo non eſt ſtatuendum opera renatorum ad actum juſtificationis pertinere. 7. Illis operibus laus juſtificationis detrahitur, ad quæ conditi ſumus in CHRISTO. Epheſ. 2. verſ. 8. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem.* verſ. 9. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* verſ. 10. *Ipſius enim ſumus factura creati in CHRISTO JESU ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* (ubi obſerva connexionem, ideò non ſalvati ſumus ex operibus quia Deus ad ea nos præparavit) Atqui renatorum opera propriè ſunt ea, ad quæ conditi ſunt in Chriſto. Ergò & hæc à juſtificatione excluduntur. 8. Quæcunque opera gratiæ opponuntur, ea à juſtificatione, quæ eſt opus gratiæ, excluduntur. Atqui omnia omninò opera gratiæ juſtificanti opponuntur. Rom. 11. v. 6. *Si ex*

Omnia omninò opera excludi probatur.

gratia jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Si ex operibus non ampliùs eſt gratia. Ergò omnia omninò opera à juſtificatione excluduntur. 9. Quæcunque opera Pſeudoapoſtoli actui juſtificationis ingerebant, ea Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas illis oppoſita excludit, id enim requirit Lex oppoſitionis. Atqui Pſeudo-Apoſtoli non pugnabant de operibus ante fidem & ſine fide in Chriſtum factis, ſed de operibus renatorum, ex quibus nos juſtificari docebant, erant enim converſi ad Chriſtum & converſos ad operum juſtificationem deducere ſatagebant. Ergò Apoſtolus in Epiſtola ad Galatas Pſeudoapoſtolis oppoſita etiam renatorum opera excludit. 10. Modum juſtificationis talem proponit Apoſtolus, ut de ea homo poſſit eſſe certus. Roman. 4. verſ. 15. *Ideò ex fide gratis ut ſit firma promiſſio.* Atqui ſi juſtificamur ex operibus, nunquam erimus de gratia Dei certi, coguntur enim ſanctiſſimi fateri, quod peccatum ipſis adhæreat, & quod operum juſtitia ſit imperfecta. 11. Ordo rerum penitus invertitur, ſi dicatur homo juſtificari operibus poſt fidem, quamprimùm enim quis verè credit in Chriſtum, renaſcitur ex Deo & juſtificatur, *bona opera poſtea ſequuntur juſtificatum*, ut habet celebre dictum Auguſtini de fide & operibus cap. 14. 12. Quæcunque opera ſunt imperfecta & immunda, non poſſunt nos juſtificare, ſed ipſa potius juſtificari (ut ſic loquar) indigent. Atqui etiam renatorum opera ſunt imperfecta & immunda, ut ſuo loco demonſtrabitur, E. non poſſunt eos juſtificare. 13. Spiritus ſanctus operum reſpectum à toto negotio juſtificationis ab initio usque ad finem per omnes gradus ſemovet: gradus illi enumerantur Rom. 8. verſ. 30. *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos etiam juſtificavit: quos juſtificavit, hos etiam glorificavit:* ubi in nullo membro meritis operum locus relinquitur. Sic Petrus 1. Epiſt. 1. verſ. 5. *Virtute Dei cuſtodimini in ſalutem per fidem*, ubi conſervatio ad ſalutem non operibus ſed fidei tribuitur. 14. Si opera ingrederentur juſtificationem, adjungenda eſſent tanquam *συναίτια* aut gratiæ Dei, aut merito Chriſti, aut fidei. Primum dici nequit, quia *ſi ex gratia, jam non ex operibus.* Rom. 11. verſ. 6. nec ſecundum, quia Chriſtus *torcular calcavit ſolus* Eſ. 63. verſ. 3. nec tertium, quia *juſtificamur fide ſine operibus legis.* Rom. 3. verſ. 28. 15. Unanimis Sanctorum confeſſio opera ab actu juſtificationis & à fundamento noſtræ coram DEO fiduciæ excludit. Exclamat Moſes, *Domine, coram te nemo innocens.* Exod. 34. verſ. 7. exclamat Jobus, *Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parcis omus delinquenti* cap. 9. verſ. 28. exclamat David, *Domine, ſi peccata imputare volueris, quis ſuſtinebit?* Pſal. 130. v. 2. *Ne intres in judicium tuum cum ſervo tuo, quia coram te non juſtificabitur omnis vivens*, Pſal. 143 verſ. 2. exclamat Eſaias, *Omnes noſtræ juſtitiæ ſunt ſicut pannus mulieris menſtruatæ* cap. 64. verſ. 6. exclamat Daniel, *Tibi Domine juſtitia, nobis confuſio faciei.* cap. 9. verſ. 7. exclamat Paulus, *ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum.* Rom. 7. verſ. 14. exclamat Johannes, *Si dixerimus, nos non habere peccatum, mendaces ſumus.* 1. Epiſt. verſ. 8. Quomodo igitur laudem juſtitiæ coram DEO valentis in ſuis operibus vel ex toto vel ex parte quærere poſſunt? 16. Ex operibus legis ideò negantur homines juſtificari, quia lex non poteſt perfectè impleri. *lex ſpiritualis eſt, nos autem venundati ſumus ſub peccatum.* Roman. 7. verſ. 14. Atqui ipſi etiam renati non implent legem perfectè, ut ſuo loco oſtendimus, ergò ipſorum etiam renatorum operibus deneganda eſt juſtificatio. 17. Denique cùm bona opera à juſtificatione excludat Apoſtolus, eo ipſo renatorum opera excludere intelligendus eſt, ſiquidem non renatorum opera non ſunt propriè bona opera, nec opera poſſunt DEO placere, niſi perſona priùs ſit ipſi reconciliata. Geneſ. 4. verſ. 4. *Reſpexit DEUS ad Abel & ad munus ejus.* Cujus loci eſt obſervatio illa, quòd ipſis juſtitiæ operibus meritum ſalutis detrahitur. Tit. 3. verſ. 5. atqui nulla ſunt opera juſtitiæ niſi quæ fiunt à renatis.

152. Videamus, quomodo Bellarminus vim horum argumentorum infringere ſuamque exceptionem, quòd opera ante fidem ſolis liberi arbitrii viribus facta tantùm excludantur, probare conetur. Dominicus à Soto in cap. 3. Rom. ex voce carnis hoc colligere voluit, quia voce denotari hominem Spiritus divini auxiliis deſtitutum argutatur, ſed frivolam hanc argutiam non attingit Bellarminus & rectè, quia in genere dicitur Galat. 2. verſ. 16. *non juſtificari hominem ex operibus legis*, ubi phraſis Hebræa ſatis diſertè exponitur. Alia ergò fundamenta Bellarminus profert. 1. *Lex factorum* (inquit) *apud Apoſtolum ea eſt, quæ jubet quid ſit faciendum, lex fidei eſt ipſa fides, quæ impetrat gratiam faciendi, quæ lex factorum jubet: utraque igitur lex requirit opera, ſed factorum continet præceptum, lex fidei auxilium. Lex factorum præſtat ut cognoſcamus, lex fidei facit, ut faciamus, lege factorum dicit Deus, fac quæ jubeo; lege fidei dicitur Deo, da quæ jubes.* Reſpond. Sicut Apoſtolus per *legem factorum* intelligit doctrinam præſcribentem opera, ita per *legem fidei* intelligit doctrinam Evangelii, quæ fidem in Chriſtum docet, & per quam datur fides, ſed ex eo non poteſt colligi, quòd doctrina Evangelii propriè & accuratè loquendo requirat opera & ſit etiam lex factorum, oſtendimus enim ſuo loco, legem eſſe doctrinam operum, Evangelium verò non eſſe doctrinam operum, ſed lætum nuncium de gratuita peccatorum remiſſione propter CHRISTUM, ideò in articulo juſtificationis perpetua eſt oppoſitio apud Apoſtolum inter Legem & Evangelium, inter opera & fidem, inter operantem & credentem, inter opera & gratiam. Quando autem Apoſtolus Evangelium vocat *legem fidei*, tunc vocem *legis* generaliter accipit pro *doctrina*, ſicut & Hebræum תּוֹרָה thorah generale eſt, quam ſignificationem alibi Bellarminus ipſe agnoſcit, libro 3. de verbo DEI cap. 2. ſic ſcribens: *David nomine Legis non intelligit decem illa Præcepta ſolum, ſed omnes divinas Scripturas.* ** *Lex factorum ea eſt, quæ per opera juſtificat, ut patet ex formula. Hoc fac & vives. Lex fidei ea eſt quæ juſtificat per fidem. Etſi alioquin verum ſit & legem requirere fidem, quia ipſa eſt opus: & legem fidei requirere opera, quæ ſunt ejus fidei effecta.* Chamier. tom. 3. lib. 22. cap. 2. 3. 9. ** Concedimus etiam, fide impetrari gratiam faciendi, quod lex jubet, fide enim non ſolùm accipimus peccatorum remiſſionem, ſed etiam novas vires

Exceptiones Bellarmini.

manda-

mandatis divinis obœdiendi, interim tamen diſtincta hæc ſunt beneficia ; juſtificatio enim noſtra conſiſtit in remiſſione peccatorum, non autem in obœdientia illa mandatorum, quippe quæ eſt jam ante debita, imperfecta, inchoata tantùm & multis adhuc nævis contaminata. Ergò ex eo, quòd fides impetrat gratiam faciendi, qnod lex factorum jubet, non debet inferri, quòd opera fidei ingrediantur juſtificationis actum, cùm diſertè pronunciet Apoſtolus, juſtificari nos fide ſine operibus credendo non operando. 2. *Iuſtitia legis ſunt opera juſta, quæ lex facienda præſcribit, hanc juſtitiam Apoſtolus non rejicit ſed commendat.* Roman. 2. verſ.13. & 26. cap. 8. verſ.4. *Iuſtitia ex lege, ſive in lege ſunt illa opera, quæ faciunt homines ſine gratia fidei ſolâ cognitione legis adjuti ; hanc juſtitiam Apoſtolus tantùm excludit ac fidei opponit.* Reſpond. Diſtinctio hæc, ut quidem à Bellarmino applicatur, caret omninò Scripturæ fundamento. **Non poteſt Bellarminus monſtrare, quando aut quo loco Paulus *juſtitiam legis* diſparaverit à *juſtitia ex lege* ſive *in lege*. Quinimò *juſtitiam legis* nuſpiam nominavit niſi fortè Romanot.2. ubi dixit Latinus Interpres *Iuſtitias legis*, cùm Paulus dixerit τὰ δικαιώματα τῦ νόμυ quod Beza vertit melius, *jura legis*. Significat autem non juſtitiam inhærentem cuiquam & formalem, ſed abſtractam ſive materialem, conſideratam in ipſius legis ratione per ſe. Veruntamen utut ſit, nulla eſt oppoſitio juſtitiæ legis & juſtitiæ ex lege.** Apoſtolus generaliter pronunciat, *juſtificari nos fide ſine operibus, juſtitiam DEI per fidem CHRISTI in omnes & ſuper omnes, qui credunt manifeſtatam eſſe ſine Lege.* Roman. 3. verſ.21.22.28. *Legem non eſſe ex fide,* ac proinde *in lege neminem juſtificari*, Galat.3. verſ. 12. Vera igitur & Apoſtolica diſtinctio eſt inter Juſtitiam Legis & Juſtitiam Evangelii : inter juſtitiam operum, & juſtitiam fidei, quarum illa in articulo Juſtificationis excluditur, hæc verò ponitur. Non quidem ſimpliciter rejicit Apoſtolus Juſtitiam Legis, ſive Juſtitiam ex lege & in lege, ſed tantùm ab actu Juſtificationis eam rejicit, cùm ſit imperfecta. *Factores legis juſtificari* dicit Roman. 2. verſ. 13. loquitur autem non de imperfecta illa obœdientia, quam renati in hac vita præſtant, ſed de perfectiſſima & omnibus numeris abſoluta obœdientia, ad quam Lex eos obligat, qui per eam juſtificari volunt, talem verò in neminem hominum cadere ibidem evidenter confirmat & in ſequenti capite 3. generalem addit concluſionem. *Non eſt diſtinctio, omnes peccaverunt & egent gloria DEI, juſtificati gratis ipſius gratiâ.* Nec quicquam roboris huic confictæ diſtinctioni accedit ex pronunciato Apoſtolico Roman. 2. verſ.26. *Si præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?* hypothetica enim eſt propoſitio, quæ ſi de perfecta & abſoluta legis impletione intelligatur, nec præputio nec circumciſioni, hoc eſt, nec gentibus, nec Judæis tribui poteſt. Juſtificationem legis in nobis impleri Apoſtolus pronnnciat Roman. 8. verſ. 4. Id verò imputatione fieri, capite ſuperiori quarto docuerat. Non ſolùm juſtitia ex lege ; (hoc eſt, Interprete Bellarmino bona opera, quæ juxta legem fiunt à non renatis,) ſed etiam juſtitia legis, (hoc eſt, Interprete eodem bona opera renatorum ex gratia fidei facta) eſt imperfecta, nec undiquaque congruit perfectiſſimæ illi normæ ac regulæ in lege præſcriptæ, utraque igitur ad Juſtificationem eſt inepta, quà de re in loco de bonis operibus latiùs diſſeremus. 3. Roman.4. verſ.4. *Ipſe Apoſtolus declarat, quòd per opera legis excludat tantùm ea quæ fiunt ante fidem : dicit enim ei qui operatur, mèrces imputatur ſecundùm debitum, non ſecundum gratiam, illa igitur opera fidei opponit, quibus id quod redditur, eſt merces, non gratia, talia verò non ſunt, niſi quæ fiunt ex viribus liberi arbitrii, ſiquidem quæ ex gratia fiunt, iis quòd redditur, non eſt ſimpliciter merces, ſed etiam gratia, imò magis gratia quam merces.* Reſpond. Imò verò dum Abrahæ renati opera Apoſtolus excludit, evidenter oſtendit, omnis omninò opera ab actu juſtificationis excludi, quod ipſum etiam ex ſequente antitheſi manifeſtum eſt. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, fides imputatur ad juſtitiam.* Concedimus ſuo loco maximum eſſe diſcrimen inter opera renatorum quæ DEO placent, quæque ex gratia largiſſimè remuneratur, & inter opera non renatorum, quæ cùm non fiant ex fide, DEO non placent, interim tamen ex actu juſtificationis omnia omninò excluduntur propter generalem illam oppoſitionem, *credenti non operanti imputatur fides ad juſtitiam.* Roman.4. verſ.5. *Si ex gratia, jam non ex operibus.* Roman. 11. verſ. 6. Quod annectit Bellarminus, id quod operibus gratiæ redditur eſſe magis gratiam, quàm mercedem, in eo non ſolùm repugnat Scholaſticis, qui diſputant, opera renatorum eſſe meritoria vitæ æternæ ex condigno, ſed etiam ſibiipſi, diſputat enim libro 5. de Juſtificatione cap. 1. *Opera bona juſtorum eſſe verè & propriè merita, & quidem ipſius vitæ æterna* capite 2. *mercedem & meritum eſſe relativa, mercedem enim reddi meritis ſicut contrà gratia gratis datur.* capite 5. *ſe non contendere ſalutem inchoatam haberi per merita, ſed gratis eam donari* : quæ oppoſitiones gratiæ & meritorum ſunt evidentiſſimæ libro 2. de pœnitentia cap. 12. *Meritum ex condigno ſive ex juſtitia opponitur gratia.* Cur igitur hoc loco dicit, *id quod redditur operibus gratia non eſſe ſimpliciter mercedem, ſed etiam gratiam, imò magis gratiam quàm mercedem?* Dicimus ergò (non abnuente ipſomet Bellarmino in adductis hiſce locis) ſi operibus ex gratia factis juſtitia coram DEO conſiſtens & vita æterna tribueretur, non ſimpliciter ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum, ſi non ex omni, tamen aliqua ex parte, juſtitia & vita æterna hominibus contingeret, ſiquidem in bonis operibus renati ſunt τῦ Θεῦ ζώγροι atque ita aguntur à Spiritu Sancto, ut ipſi etiam agant : jam verò gratis ex mera gratia juſtificatio & ſalus contingit. Ergò ex fide tantùm, non autem ex operibus. Adde quòd generalis ſit propoſitio Apoſtoli. *Qui operatur* (quandocunque & quocunque modo operetur) *ei merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm*

debitum. Roman. 4. verſ. 4. 4. *Scopus Epiſtolarum ad Romanos & Galatas idem confirmat. Voluit enim Apoſtolus in eis demonſtrare, neminem poſſe juſtificari ſine fide in CHRISTUM & gratuita DEI miſericordia. Excludi igitur tantùm ea opera, quæ fiunt ante fidem ex viribus liberi arbitrii.* Reſpond. Apoſtoli ſcopus eſt, non ſolùm demonſtrare, quòd nemo juſtificetur ſine fide in CHRISTUM & ſine gratuita DEI miſericordia, ſed etiam quòd gratiâ DEI ſolâ & fide in CHRISTUM ſolâ ſine operibus homo juſtificetur, id quod evidentiſſima Apoſtoli verba luce meridianâ clarius evincunt. Epiſtola ad Galatas oppoſita eſt (ut & ſuperius monuimus) Pſeudoapoſtolis, qui non negabant fidem in CHRISTUM & gratiam DEI requiri ad juſtificationem, aliàs non fuiſſent Pſeudoapoſtoli, ſed Judæi, docebant autem præter fidem ad juſtificationem requiri obſervationem legis Moſaicæ Actor. 15. verſ. 1. *Quidam deſcendentes ex Iudæa docebant fratres, niſi circumcidamini ſecundùm morem Moſis, non poteſtis ſalvari.* verſ. 5. *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderant* (πεπιστευκότες) *dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moſis*: huic errori opponitur decretum Apoſtolicum verſiculo 10. *Quid tentatis DEUM imponentes jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus?* verſ. 11. *ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi* Galat. 2. v. 16. *Scientes quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem IESU CHRISTI, & nos in CHRISTO IESU credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti & non ex operibus legis.* Ex his manifeſtum eſt, duplicem quæſtionem a Pſeudoapoſtolis fuiſſe motam, primò, An circumciſio ac reliquæ ceremoniæ Moſaicæ adhuc obligent eos, qui CHRISTO nomen dederant? Secundò, An obſervatio legis moralis ad juſtificationem ſit neceſſaria, ad utramque Apoſtoli reſpondent negativè; primò ſtatuunt, Circumciſionem non ampliùs obligare gentes, volunt tamen paucas quaſdam ceremonias legales utpote de ſanguine & ſuffocato à gentibus aliquandiu obſervari, donec cum honore ſepeliatur Synagoga Judaica, & ut evitetur ſcandalum, quòd oboriri poterat Chriſtianis ex Judaiſmo converſis: ſecundò legem moralem obligare quidem converſos ex gentibus, interim opera ejus non valere ad juſtificationem, quæ pendeat ex ſola DEI gratia in CHRISTO per fidem, apprehendendo nobis propoſita. Vide Tractatum de Lege §. 181. ubi de ſcopo hujus decreti Synodici & Epiſtolæ ad Galatas latiùs egimus. Errori igitur Pſeudoapoſtolorum, quòd obſervatio legis Moſaicæ requiratur ad juſtificationem. Actor. 15. verſ. 5. opponitur hæc deciſio Apoſtolica. *Per gratiam Domini noſtri IESU CHRISTI* (ac proinde *non ex operibus* Roman. 11. verſ. 6.) *credimus ſalvari* verſ. 11. *Non juſtificatur homo ex operibus legis* ἐὰν μὴ *niſi* (hoc eſt, ſed tantùm) *per fidem IESU CHRISTI* Galat. 2. verſ. 16. 5. Regerit Bellarminus, *ſi excludi dicantur opera ex gratia & fide facta, infirmiſſimæ erunt conſecutiones Apoſtolicæ. Si per legem juſtitia, CHRISTUS gratis mortuus eſt. Si ex lege hæreditas, Ergò non ex promiſſione. Evacuati eſtis a Chriſto, qui per legem juſtificamini. Si ex lege hæreditas exinanita eſt fides & abolita promiſſio &c. Neque enim gratis poteſt dici CHRISTUS mortuus ſi juſtificamur ex fide & ex operibus conſequentibus fidem, imò niſi CHRISTUS mortuus eſſet, non poſſemus ex fide & operibus inde ſequentibus juſtificari. Sic etiam non ideò hæreditas non eſt ex promiſſione, quia opera ex fide & gratia procedentia ſunt ad juſtificationem neceſſaria, quin potiùs ideo ex promiſſione eſt hæreditas, quoniam ſine promiſſione non fuiſſet gratia, ſine gratia non fuiſſet fides, ſine fide non fuiſſent opera juſta, quibus redderetur hæreditas, id eſt, ipſa corona juſtitiæ. Ac demum non evacuamur à CHRISTO, neque ex gratia excidimus, qui ex fide CHRISTI & operibus gratiæ juſtificamur, ſed contrà potiùs niſi ad CHRISTUM & ejus gratiam pertineremus, fidem & opera juſtificantia non haberemus.* Reſp. Imò verò conſecutiones Apoſtolicæ ſunt firmiſſimæ. Quantum enim ad juſtificationem & æternæ ſalutis hæreditatem attinet, perpetua eſt oppoſitio inter meritum CHRISTI & merita noſtra; inter Evangelium & Legem; inter fidem & opera. Quamprimum meritis ac operibus noſtris juſtificatio tribuitur, eo ipſo gratuita DEI miſericordia ac pretioſum CHRISTI meritum negatur; quisquis enim operibus ſive ex viribus liberi arbitrii, ſive ex fide & gratia factis ſeſe coram DEO juſtificatum ſtatuit, reipſa negat, gratis nos juſtificari, ſolum CHRISTUM factum nobis à DEO juſtitiam. Quod enim Pontificii diſputant, gratiam DEI tribuere operibus noſtris vim juſtificandi, cum merito CHRISTI concurrere operum noſtrorum merita, illud ἄνευ γραφῆς aſſeritur, nec convenit cum oppoſitionibus Apoſtolicis inter gratiam & opera, inter credere & operari. Sanè magna eſt gratiæ DEI & meriti CHRISTI in nobis efficacia, non ſolùm quoad juſtificationem & remiſſionem peccatorum, ſed etiam quoad ſanctificationem ac renovationem, quo ſenſu non valerent conſecutiones Apoſtolicæ, interim tamen illa ſanctificatio & renovatio non ingreditur actum juſtificationis, ſed eam immediatè conſequitur. Urgemus igitur denuò, Pſeudoapoſtolos non negâſſe vel CHRISTUM, vel Evangelium, vel fidem, ſed voluiſſe CHRISTO Moſen, Evangelio Legem, fidei opera in actu juſtificationis conjungere; contra quos conſecutiones Apoſtolicas non procedere, abſit, ut vel cogitare velimus. 6. *Excluditur ab Apoſtolo non omnis gloriatio, ſed illa ſolùm, quæ oritur ex operibus liberi arbitrii ſine gratia factis, addit enim, ubi eſt tua gloriatio, quâ in te gloriaris & non in Domino; ex operibus autem ex fide factis gloriamur in Domino, quod non eſt prohibitum.* Reſpond. In textu Græco non additur vox *tua*, in qua ſingularem emphaſin Bellarm. quærit. **Sed nec in Latinæ verſionis omnib. exemplaribus additur *tua*, ad quæ tamen Pontificii ſunt aſtricti.** Omnis omninò gloriatio humana à juſtificatione excluditur, ut *DEUS ſolus ſit juſtus, qui ex fide juſtificat credentes.* Roman. 3. verſ. 26. *excluditur autem gloriatio per legem fidei.* verſ. 27. hoc eſt, per doctrinam Evangelii,

gelii, quæ docet, nos gratis propter CHRISTUM, non ex operibus juſtificari, ex quo etiam infert Apoſtolus, *juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis* verſ. 28. ac quod indefinitè dixerat, *excluſam eſſe gloriationem*, id capite ſequente ad Abrahamum etiam transfert, negans Abrahamum in medio curſu pietatis habere gloriationem juſtitiæ operum coram DEO Roman. 4. v. 2. quæ omnia evidenter comprobant excludi gloriationem etiam eam, quæ oritur ex operibus in fide factis, nimirum ſi quis per ac propter ea ſe coram DEO juſtificatum eſſe gloriari velit. Quamvis enim bona opera renatorum non oriantur ex ſolis liberi arbitrii viribus, ſed ex gratia Spiritus Sancti & fide in CHRISTUM, nihilò tamen minùs ſi ex illis operibus renati juſtificarentur, haberent adhuc quandam gloriationem, quâ partim in DEO, partim in ſeipſis gloriarentur, cùm opera illa ſint ipſorum renatorum opera, ita enim aguntur à Spiritu ſancto, ut etiam ipſi agant. *In ſolo* autem *Domino* non in nobis nec noſtris operibus gloriandum Jerem. 9. verſ. 24. 2. Corinth. 1. verſ. 17. *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei*, dicit Propheta Daniel. 9. verſ. 7. *Non in juſtitiis noſtris proſternimus deprecationes noſtras, ſed in miſerationibus tuis multis.* verſ. 18. *Cùm omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus.* Luc. 17. verſ. 10. Diſtinguo igitur inter gloriationem bonæ conſcientiæ quam non improbamus, & inter gloriationem juſtitiæ propriæ, quam omnibus omninò adimimus ac coram DEO ademptam eſſe ſtatuimus. 1. Corinth. 4. verſ. 4. *Nihil mihi conſcius ſum* (hæc eſt gloriatio bonæ conſcientiæ) *ſed in hoc non ſum juſtificatus.* Proinde quòd in Domino gloriari jubemur, ex eo non poteſt nec debet inferri, quòd in operibus ex fide factis confidere aut juſtitiam coram DEO valentem in illis quærere poſſimus. Sed contrarium potiùs ex eo inferendum, nimirum quòd in ſola DEI miſericordia, in ſolo Chriſti merito omnis fiducia ac juſtitiæ gloriatio ſtatui debeat.

Glorior in ſolo ſanguine Chriſti tuo.

Totius fiduciæ certitudo eſt in pretioſo ſanguine Chriſti, dicit Auguſtinus in Meditat. Ergò non ex parte in operibus noſtris. Quid enim? num opera juſta ex fide facere eſt gloriationem juſtitiæ coram DEO in operibus quærere? Num opera juſta ex fide facere eſt credere, quòd propter opera ſimus juſti? Num opera juſta ex fide facere eſt operum meritis coram DEO confidere? at hæc omnia ſibi invicem repugnant. Vera fides hæc eſt, ut credamus, quòd Filius DEI expiaverit peccata noſtra & cœleſtem Patrem placaverit, ſi ex fide juſta opera facienda ſunt, ſequitur, quòd faciendo juſta opera non debeamus illorum meritis confidere. Qui operibus ſuis confidit (quòd Bellarminus 5. de juſtificat. cap. 7. licitum eſſe diſputat) ex operibus ſuis DEOS alienos facit, cùm fiduciam cordis ſoli DEO debitam in opera collocet, quâ de re plura ſuo loco 7. *Quando Apoſtolus dicit, Abrahamum juſtificatum eſſe ex fide, non ex operibus, non rejicit opera facta ex fide, ſed affirmat illa non eſſe facta ſine fide, quia ſi talia fuiſſent, nunquam eum juſtificâſſent. Itaque excludit opera quæ Abraham facere potuiſſet non ex fide. Nam etiam ii, qui fidem habent, aliquando faciunt opera non ex fide, ut cùm peccant aut cum faciunt opera purè moralia ſine relatione ad DEUM.* Reſpond. Hoc verò eſt torquere & deprædari non interpretari Scripturas. Apoſtolus non loquitur de operibus, quæ Abraham ſine fide facere potuiſſet, ſed diſertè agit de operibus in medio curſu pietatis ab Abrahamo factis, ac negat ex illis Abrahamum coram DEO juſtificatum eſſe. Roman. 4. verſ. 2. *non operando ſed credendo*: verſ. 3. *fidem ei imputatam eſſe dicit ad juſtitiam.* verſ. 9. *non per legem, ſed ex fide ipſum juſtificatum.* verſ. 13. & 16. Quis induci poterit, ut cum Bellarmino ſtatuat, Apoſtolum in accuratiſſima illa diſputatione tanto conatu id aſſeverare & confirmare, de quo nemo unquam in populo DEI dubitavit, videlicet; an juſtificemur ex peccatis, vel ex operibus purè moralibus ſine relatione ad DEUM factis? improbamus igitur feriò impudentem illam Bellarmini ſophiſticam, quâ clariſſimo textui nebulas inducere non fuit veritus. ** Nihil abſurdius à Bellarmino proferri potuiſſet. *Excludit Apoſtolus illa Abrahæ opera, quæ facere potuiſſet abſque fide.* Ergò, inquam, *ea quæ non fecerat.* Quis unquam dubitavit Abrahamum non fuiſſe juſtificatum iis operibus, quæ opera nunquam feciſſet? *Operari*, inquit, *poſſunt fideles non ex fide, ut cùm peccant.* At iterum regero, quis unquam dubitavit, Abrahamum non fuiſſe juſtificatum iis operibus quæ formaliter ſunt peccata. Imò non tum duntaxat, verùm etiam cum operantur ſine relatione ad DEUM. At Bellarminus concedit, *non excludi quævis opera à Paulo, ſed opera ex lege, juſtitiam ex lege*: Quomodo autem poteſt juſtitia ex lege eſſe non relativè ad DEUM, quandoquidem lex in omnibus operibus requirat amorem DEI. Tum qui operatur inſtitutus ex lege, non poteſt non relatè ad DEUM, quandoquidem ipſa lex eſt autoritas ipſius DEI jubentis aut vetantis: ideò qui operatur ex lege, operatur quia DEUS ſic vel præcepit vel prohibuit. Relativè ergò ad DEUM operatur. Denique negat Paulus, ex circumciſione conſtitiſſe Abrahæ juſtificationem. At circumciſio opus fuit non ſine relatione ad DEUM. ** Andradius in defenſione Concil. Trident. fatetur hunc locum adeò perſpicuum eſſe, ut inter ipſos Pontificios aliqui egregiæ eruditionis viri in hac ſalebra hæreant, nec ſe explicare poſſint. Bellarminus eluctari conatus eſt, ſed næ admodum infeliciter. *S. Paulus Philip. 3. tantùm de operibus ante fidem factis loquitur, blaſphemia enim eſt opera ex fide & gratia CHRISTI facta nominare ſtercora, quæ ſunt fructus Spiritus, quibus promiſſa merces, in quibus ambulare jubemur &c.* Reſpond. Diſtinguendum illud, quòd abſolutè dicitur ab eo quod comparatè aſſeritur. Bona opera ſimpliciter & abſolutè vocare ſtercora, verè eſſet blaſphemia, ſed Apoſtolus & nos cum eo comparatè κατὰ σύγκρισιν loquimur, *quæ mihi fuerunt lucra* (inquit) *hæc arbitratus ſum propter CHRISTUM detrimenta.* verſ. 7. *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam IESU CHRISTI Domini mei.*

verſ.8. hoc eſt, omnia longiſſimè poſtpono cognitioni CHRISTI ſive fidei in CHRISTUM. Proinde extra articulum Juſtificationis bona opera prædicanda, urgenda, extollenda: ſed ſi quis laudem juſtitiæ coram DEO valentis tribuere illis velit, imperfectio illorum & adhærens immundities oſtendenda, perinde ut Apoſtolus legem DEI prædicat, urget & extollit: vocat *mandatum ſanctum, juſtum & bonum*. Roman.7.verſ.12. ſed in negotio juſtificationis veluti contemtim & ignominioſè de ea loquitur, ut ex Luthero in Epiſt.Galat.5.tom.4.Latin.pag.149. monuimus in tractatu de lege §. 5. Opponit igitur Apoſtolus *juſtitiam ſuã, quæ ex lege eſt, juſtitiæ in fide quæ ex Deo eſt*. verſ.9. ubi per juſtitiam ſuam ex lege intelligit juſtitiam operum juxta legem factorũ. Bellarmin. ita pervertit textum, ut per juſtitiam ex lege intelligat opera facta ſine fide, per juſtitiam in fide ex DEO opera juſta ex fide facta, quæ verè coram DEO juſtificent. Atqui manifeſta ſunt Apoſtoli verba, ut inveniar in CHRISTO non habens meam juſtitiam, quæ ex lege eſt: jam v. juſtitia divo Paulo inhærens ac nova ipſius obœdientia eſt certè Pauli juſtitia, quippe cujus mens per Spiritum Sanctum renovata ejus eſt cauſa, utique ergò illa ipſa operum juſtitia excluditur, Adde quòd non poſſit eſſe opus juſtum ſine fide Roman.4.verſ.ult. quomodo igitur opera ſine fide facta poterunt dici juſtitia? Conjungimus autem cum hoc dicto Apoſtolico locum Eſai.64. verſ.6. *Omnes noſtræ juſtitiæ ſunt velut pannus mulieris menſtruatæ*, in quem ſic commentatur Bernhardus ſerm.5. de verb. Eſai. col.250. *Noſtra ſiqua eſt humilis juſtitia, recta forſitan, ſed non pura, Niſi fortè meliores nos eſſe credimus quàm Patres noſtros, qui non minùs veraciter, quam humiliter ajebant: Omnes noſtræ juſtitiæ, tanquam pannus menſtruatæ mulieris. Quomodo enim pura juſtitia, ubi adhuc culpa non poteſt deeſſe?*

2. *Sola fides apprehẽdit promiſſionem Evangelii*

153. Alterum argumentum dicit Bellarminus 1. de Juſtificatione cap. 20. nos petere ex illis locis, in quibus ſola fides nominatur ceteris omnibus operibus vel diſpoſitionib. prætermiſſis. Matth. 9.verſ.22. Lucæ 7.verſ.50. *Fides tua te ſalvum fecit*. Lucæ 8.verſ.50. *Crede tantùm & ſalva erit filia tua*. Johan.1.verſ.12. *Dedit eis poteſtatem filios DEI fieri his qui credunt in nomen ejus*. Johan.3.verſ.36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Roman.5.verſ.1. *Juſtificati fide pacem habemus*. Excipit autem 1. *de miraculo in excitatione filiæ faciendo Dominum loqui*. Luc.8. *non de juſtificatione impii*. Reſpond. Quemadmodum ſola fides apprehendit promiſſionem de beneficiis corporalibus, ita quoque ſola apprehendit promiſſionem de gratuita peccatorum remiſſione in Evangelio oblata. Perpetua eſt relatio inter verbum Promiſſionis & fidem, qualis inter promiſſiones & opera non occurrit, proponitur igitur in hoc CHRISTI dicto fides tanquam unicum & commune inſtrumentum impetrandi omnia corporalia & ſpiritualia beneficia, quare cùm inter ſpiritualia beneficia ſit remiſſio peccatorum ſive Juſtificatio, utique ex hoc loco rectè colligitur, fidem ſolam juſtificare. 2. *Quamvis ſola fides nominetur, ex eo tamen inferri nequit, quòd ſola juſtificet. Nam interdum quoque ſola nominantur aliæ virtutes, aut Sacramenta, ut* Lucæ 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Tob.12. *Eleemoſyna à morte liberat*. Rom.8. *Spe ſalvi facti ſumus*. Eccleſ.2. *Timor Domini expellit peccatum*. Tit.3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Epheſ.5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo. Nec tamen ullus colligit dilectionem, aut eleemoſynam, aut timorem, aut Baptiſmum ſine fide juſtificare, ſed cùm ad unum effectum multæ cauſæ concurrunt, Scriptura modo uni cauſæ, modo alteri effectum illum tribuit, nec propterea ſignificare intelligitur, unam cauſam ſine aliis ſufficere poſſe*. Reſpond. Argumentum noſtrum ex dictis antea citatis & ſimilibus petitum tale eſt. Ubicunque deſcribitur modus & ratio noſtræ juſtificationis, quantum ad applicationem, ſeu quod idem eſt, inſtrumentum apprehendendi CHRISTUM, ibi nominatur fides nec quicquam aliud. Ergò ſola fides apprehendit CHRISTUM & per conſequens ſolâ fide juſtificamur. Ex quo facilè apparet, quid de hac exceptione Bellarminiana ſit ſtatuendum. Scriptura enim nuſpiam Sacramentis vel operibus noſtris tribuit apprehenſionem CHRISTI. Sacramenta ſunt quidem media Juſtificationis & ſalutis, ſed offerentia & exhibentia ex parte DEI, interim ex parte noſtri unicum inſtrumentum recipiens eſt fides in CHRISTUM, quemadmodum in doni cujusque acceptione requiritur manus offerens & manus apprehendens. DEUS offert nobis gratiam ſuam in verbo Evangelii, in ſacro Baptiſmate, in ſacra Cœna; nos ſola fide eam recipimus, quemadmodum ex tribus canaliculis vinum effluit, atque interim ſolo ore hauritur. Opera non recipiunt CHRISTUM, ſed teſtantur de gratioſa CHRISTI & Spiritus Sancti inhabitatione, ideò in *CHRISTO* dicimur *conditi ad bona opera*. Epheſ. 2. verſ.20. quæ ſint *fructus Spiritus* Gal. 5. verſ.22. Concedimus igitur Sacramentis tanquam mediis offerentibus ex parte DEI Juſtificationem tribui, ideoque ea ad cauſas inſtrumentales juſtificationis pertinere, ut oſtendimus ſuperiùs §.59. ac proinde ut particula Sola non opponitur gratiæ DEI, & merito CHRISTI, ita nec Sacramentis, ſed opera ad cauſas inſtrumentales juſtificationis referri negamus, neque ex allatis dictis illud demonſtrari poterit. Lucæ 7. verſ.47. non tribuitur remiſſio peccatorum dilectioni mulieris tanquam cauſæ, ſed proceditur ab effecto ad cauſam, hoc eſt, ex dilectione tanquam conſequente oſtenditur antegreſſa peccatorum remiſſio, ut oſtendimus in tractatu de pœnitentia §.91. ubi etiam dictum Tobiæ expoſuimus, quod commodâ interpretatione molliendum, ne repugnet perpetuæ Spiritus S. ſententiæ in Canonicis libris propoſitæ, quod *ſanguis Chriſti nos mundet ab omni peccato*. 1.Johan.1.verſ.7. Senſus igitur eſt, quòd DEUS ex gratia compenſet eleemoſynam ereptione ex morbis, aliiſque pœnis temporalibus. Quando Apoſtolus dicit, *Spe nos eſſe ſalvos*. Roman.8. verſ.24. non tribuit ſpei ſalutem tanquam effectum cauſæ, ſed docet pios ſeſe ſpe ſuſtentare ſub cruce & calamitatibus, expectantes ſcil. promiſſam liberationem. Itemque ſalutem & vitam æternam, quam in CHRISTO per fidem quaſi præſentem apprehendimus, & tenemus, eſſe adhuc abſconditam Coloſſ.3.v.3. ideò plenam ejus

teve-

revelationem ac poſſeſſionem in calamitatibus & preſſuris hujus vitæ ſpe certâ & immotâ expectari. 1. Johan. 3. verſ. 2. *Filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus.* Dictum Eccleſ. 1. verſic. 27. ſuam habebit inferiùs explicationem. Timor Domini expellit peccatum non præteritum expiando, ſed futurum ſolicitè cavendo. 3. *Ideò Apoſtolus frequentiùs tribuit juſtificationem fidei, quàm dilectioni aut aliis rebus, quia fides eſt initium gratuitæ juſtificationis, ut docet Concil. Tridentin. ſeſſion. 6. cap. 8.* Reſpond. Fides non juſtificat vel meritoriè vel per modum diſpoſitionis, ut volunt Pontificii, ſed organicè & per modum apprehenſionis, quatenus meritum Chriſti in verbo Evangelii oblatum complectitur. Nuſpiam dilectioni noſtræ juſtificatio in Scripturis tribuitur, ſed gratiæ Dei, merito CHRISTI, & fidei, nec incipimus tantùm fide juſtificari, ſed verè juſtificamur Roman. 3. verſ. 28. *In fide etiam ſtamus* Rom. 5. verſ. 2. *& virtute Dei cuſtodimur ad ſalutem per fidem.* 1. Petri 1. verſ. 5. quia *finis fidei noſtræ eſt vita æterna* verſ. 9. Confundit Bellarminus juſtificationem cum renovatione. Juſtificatio conſiſtit in remiſſione peccatorum, quæ non niſi fide in Chriſtum obtinetur, & cùm ſit actus judicialis ſemper eſt totalis ac plenaria, juxta verſiculum Proſperi;

Larga Dei pietas veniam non dimidiabit.

Item, *Ex toto veniam dabit & non dimidiabit*, ſed *renovatio de die in diem creſcit.* 2. Cor. 4. verſ. 16. Alienum igitur eſt à Scripturis, quòd Bellarminus hoc loco ſcribit, *fidem inchoare primùm juſtificationem, ac deinde aſſumtâ ſpe & caritate eandem perficere*; imò verò nuſpiam vel ſpei vel dilectioni complementum noſtræ coram DEO juſtificationis tribuitur, ſed gratia DEI propter meritum CHRISTI verâ fide apprehenſum nos juſtificat. Ad juſtitiam novæ obœdientiæ ſive bonæ conſcientiæ unâ cum fide ſpem, caritatem & reliquas virtutes concurrere haud inviti concedimus, (quo ſenſu Veteres Fidem vocant fundamentum, radicem & matrem juſtitiæ ac bonorum operum) ſed ad noſtri coram DEO juſtificationem, quæ in remiſſione peccatorum conſiſtit, ita concurrere fidem, ſpem & caritatem, ut fides ſolummodò eam inchoet, ſpes & caritas perficiant, id verò totis viribus negamus. 4. Dictum Apoſtoli, revelatur juſtitia DEI ex fide in fidem exponit Bellarminus hoc modo, *Ex fide imperfecta in fidem perfectam & caritate formatam, ut ſit ſenſus; in Evangelio revelari juſtitiam Dei, quæ incipit à fide inchoata & perducitur ad fidem caritate formatam ac perfectam.* Reſpond. Quid de fide formata per caritatem ſtatuendum ſit, oſtendimus ſuperiùs §. 116. & ſeqq. fidem habere ſuos gradus ratione qualitatis, eandemque augeri & creſcere non negamus, ſed per caritatem fidem juſtificantem formari illud eſt, quod negamus, cùm caritas ſit fidei juſtificantis non forma ſed effectus, ut in hoc ipſo capite fatetur Bellarminus, quando dictum Apoſtoli Galat. 5. verſ. 6. non ampliùs paſſivè ſed activè vertit. *Fides per caritatem operans.* Verba Apoſtoli, quod reveletur juſtitiâ DEI in Evangelio ex fide in fidem, commodiſſimè accipiuntur de fide DEI promittentis, & fide noſtra promiſſionibus divinis adhibita, interim non repudiamus aliorum expoſitiones, modò non repugnent analogiæ fidei, quod in Bellarminiana interpretatione fieri manifeſtum eſt. Dictum Propheticum Habacuc. 2. verſ. 4. Juſtus fide ſuâ vivet, expoſuimus & ab adverſariorum corruptelis vindicavimus ſuperiùs §. 121. Sanè fides illa, quâ juſtus vivit, eſt efficax per caritatem, cùm ſit fides vera & viva, ſed ex eo non ſequitur, quòd caritas ſit forma & vita fidei. Per fidem cum caritate conjunctam & per caritatem operantem continuari vitam, ambiguè dicitur: Si enim intelligitur de toto curſu vitæ Chriſtianæ, concedimus, eam non per fidem ſolam, ſed etiam caritatem continuari: Si verò intelligitur hoc modo, quòd fides formata per caritatem vitam in CHRISTO apprehendat, vel quòd fides & caritas uno eodemque modo ſeſe habeant ad vitam ſpiritualem, negamus per fidem cum caritate conjunctam hoc ſenſu continuari vitam, ſiquidem fides per quam participes reddimur ſpiritualis vitæ, non formatur per caritatem, & caritas non eſt cauſa ſive meritum ſpiritualis vitæ, ſed ejus effectum. Quisquis enim ſpiritualis vitæ particeps factus per fidem, is eandem exerit per caritatem, ſicut per externas operationes vita hominis naturalis manifeſtatur. 5. Verba Moſis, *Credidit Abraham Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam*, ita interpretatur Bellarminus, *quòd Abraham juſtus ex novo quodam actu fidei factus ſit juſtior.* Reſpond. Tutius inſiſtimus textui Apoſtolico, quàm figmento Bellarminiano. Apoſtolus Rom. 4. v. 5. dictum illud ſic interpretatur. *Ei qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ad juſtitiam*, verſ. 6. *ſicut & David beatitudinem dicit hominis, cui DEUS imputat juſtitiam ſine operibus.* Abrahamum multis bonis operibus coruſcantem non operando ſed credendo juſtificari longè aliud eſt, quàm Abrahamum juſtum ex novo quodam actu fidei factum eſſe juſtiorem. Concedimus tamen continuationem juſtificationis eſſe omnibus renatis neceſſariam, ea tamen itidem non niſi fide obtinetur, quippe quæ ſola promiſſionem Evangelicam de gratuita peccatorum remiſſione, quam quotidiè orant Sancti, apprehendit & juſtitiam Chriſti ſibi applicat.

159. Tertium argumentum dicit Bellarminus cap. 20. nos petere ex illis locis, in quibus homo gratis dicitur juſtificari. *Idem enim eſt gratis & non ex operibus, ac per hoc idem eſt gratis & ſolâ fide.* Romanor. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Roman. 4. *Ei qui operatur merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam.* Roman. 11. *Si ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Epheſ. 2. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem non ex operibus. Hoc argumentum non ſolùm probat ſolâ fide juſtificari hominem, ſed etiam juſtificari ſolâ fide relativè, id eſt, non propter dignitatem aut meritum fidei, quia tunc gratia non eſſet gratia.* Excipit autem 1. *particulam GRATIS duobus modis accipi poſſe, uno modo ut opponatur debito ex juſtitia, ſive meritis de condigno, quæ ſunt ab-*

[*3. Homo juſtificatur gratis. E. ſolâ fide:*]

ſolutè & ſimpliciter merita, & hoc modo juſtificatio gratuita non excludit opera, quæ dicantur concurrere ad juſtificationem ut diſpoſitiones vel ut merita de congruo: juxta hunc modum non eſt idem, hominem juſtificari gratis & juſtificari ex ſola fide. Nam juſtificari gratis eſt juſtificari ſine merito de condigno. Juſtificari ſolâ fide eſt nihil requiri ad juſtificationem niſi fidem, quod falſum. Altero modo poteſt accipi particula Gratis, ut opponitur operi facto ſine ulla gratia ex ſolis Naturæ viribus & hoc modo gratuita juſtificatio non excludit merita abſolutè, ſed merita propria, id eſt, quæ ſint ex nobis & non ex DEO. Nam merita quæ ſunt nobis ex DEO, id eſt, quæ originem ducunt ex gratia præveniente non pugnant cum gratia. Ut ergo gratia non excludit fidem, ita nec opera pœnitentiæ & dilectionis. Reſpond. De merito congrui & condigni (quidam addunt etiam meritum digni) in Loco de bonis operibus ex profeſſo agetur, hac vice dicimus, particulam Gratis omne omninò excludere meritum ſive dicatur meritum de congruo ſive meritum de condigno. Ut enim habet Apoſtolica oppoſitio Roman. 11. verſ. 6. *Si ex gratia, jam non ex operibus:* ita pari modo concludere poſſumus, Si gratis, jam non ex merito. Roman. 4. verſ. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* verſ. 5. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, fides ejus imputatur ad juſtitiam,* quod ipſum ut manifeſtiùs fiat, repetemus ex Dn. Chemnitio ea, quæ de vera ſignificatione particulæ *Gratis* nervoſè ſcribit part. 2. Locorum pag. 738. Vox illa (inquit) opponitur primò ſolutioni precii Geneſ. 29. verſ. 15. Exodi 21. verſ. 2. Numer. 11. verſ. 5. 2. Samuel. 24. verſ. 24. Matth. 10. v. 8. 2. Corinth. 11. verſ. 7. Deinde ſignificat idem quod ſine juſta cauſa, temerè, ex levitate, vel petulantia Pſalm. 35. verſ. 19. Pſalm. 69. verſ. 5. Pſalm. 109. verſ. 3. Pſalm. 119. verſ. ult. Proverb. 24. verſ. 28. Galat. 2. verſ. ult. tertiò opponitur meritis ſive ad bonum, ſive ad malum. 1. Reg. 19. verſ. 5. 3. Reg. 2. verſ. 31. Ezech. 6. verſ. 10. cap. 14. verſ. ultim. Jerem. 15. verſ. 13. Ut enim David dicit, quòd hoſtes *odio* ipſum *proſequantur gratis*, propterea quòd cauſa odii non erat in Davide, ſed in malevolentia hoſtium: ſic cùm dicitur DEUS nos gratis juſtificare, ſignificatur cauſam illius acceptationis non eſſe in nobis, ſed in bonitate Dei. Ezechiel dicit, Deum non punire gratis, in quibus ſcilicet non invenit cauſam pœnæ & damnationis, juſtificat autem gratis eos ſcilicet, in quibus nullam invenit juſtificationis cauſam meritoriam, ſed potiùs meritum damnationis; Ergò particula Gratis duo notat, primò in nobis nullum eſſe meritum, nullam dignitatem, vel cauſam juſtificationis & ſalutis meritoriam: ſecundò, ſed propter Naturæ corruptionem & peccata actualia nos eſſe dignos irâ DEI & mereri æternam damnationem, & tamen ex mera gratia propter Filium Mediatorem nos recipi & juſtificari, non ſolùm præter ſed etiam contra noſtrum meritum, quod Auguſtinus breviter complectitur ſerm. 15. de verb. Apoſtol. *Si gratia eſt ex merito, emiſti, non gratis accepiſti. Pro nihilo, inquit, ſalvos faciet eos. Quid eſt pro nihilo ſalvos facies? nihil in eis invenis unde ſalves & tamen ſalvas. Gratis das, gratis ſalvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua conſequantur merita tua, prorſus gratis das, gratis ſalvas, qui nihil invenis unde ſalves, & multum invenis unde damnes.* Ergò particula Gratis additur gratiæ, ne quis exiſtimet eodem modo nos gratiâ Dei juſtificari, ſicut de Joſepho dicitur Geneſ. 39. v. 4. *Ioſeph invenit gratiam in oculis Domini ſui, quia erat vir fortunatus,* id eſt, propter virtutes, ſed illud hîc non habet locum, Deus enim non ſolùm non invenit in nobis meritum ſalutis, ſed etiam invenit in nobis cauſam damnationis. Ex quibus omnibus ſatis perſpicuè eluceſcit, particulam Gratis opponi non ſolùm merito de congruo, ſed etiam merito de condigno, & excludere non ſolùm opera ex ſolis naturæ viribus facta, ſed etiam renatorum opera, ubi obiter notamus Bellarminum ſibi contradicere. Si enim particula Gratis opponitur merito de condigno, ſequetur non dari juſtificationem ſecundam, pro qua tamen ſtabilienda graviter laborat Bellarminus lib. 4. de juſtif. cap. 18. Siquidem juſtificatio ſecunda ex hypotheſi Bellarmini eſt actualis & oritur ex merito operum propriè ſic dicto, hoc eſt, ex merito condigni: jam verò Apoſtolus nullam aliam novit aut deſcribit juſtificationem, quàm quæ fit gratis. Notamus etiam diſſenſum Pontificiorum. Nam Dominicus à Soto lib. 2. de Natur. & gratia cap. 14. negat, diſpoſitiones illas poſſe vocari merita & *juſtificari hominem gratis*, ſtatuit eſſe, *juſtificari ſine ullo merito, ſive de condigno, ſive de congruo, ſive procedente ex auxilio Dei ſpeciali, ſive ex viribus ſolis Naturæ*, idipſum comprobat rationibus firmiſſimis, quas num everterit Bellarminus, paulò pòſt apparebit. Vega lib. 8. de Juſtificat. cap. 8. & in Opuſc. de merit. quæſt. 7. p. 821. *Doctiſſimos & pientiſſimos quoſdam viros adhuc video in ea ſententia perſiſtere, ut credant Patres antiquos ſolùm agnoviſſe meritum de condigno & eò propendeant, ut Eccleſia hoc meritum, quod ajunt, congrui, repellat, ut recens inventum.* Bennius de efficac. gratiæ cap. 5. §. Quanquam. & cap. 17. §. venio. *Non ex ullo merito prima gratia profluit, ne de congruo quidem, quia impar, eſt & infinitis partibus impar peccatoris conatus & labor ac largitas gratiæ.* Item, Quidam ſtatuunt, meritum de congruo fundari in ſola promiſſione & acceptatione Dei, non in operis dignitate (Biel 2. ſentent. diſtinct. 27. q. un. *Meritum de congruo eſt actus liberè elicitus acceptatus ad aliquid retribuendum, non ex debito juſtitiæ, ſed ex ſola acceptantis liberalitate.* Bellarmin. 2. de pœnit. cap. 12. *Meritum de congruo non in juſtitia, ſed in liberalitate fundatur*) quidam verò contrà aſſerunt, meritum de congruo potiùs fundari in aliqua operis dignitate, quàm in promiſſione & acceptatione DEI (Coſterus in Enchirid. capit. 7. de meritis operum. *Omne meritum innititur juſtitiæ propter æqualitatem, quæ inter mercedem & meritum eſſe debet.* Bellarmin. ſibi contrarius hoc loco col. 1014. *ad illud; quòd objiciebatur, meritum de congruo non fundari in dignitate operis, ſed in ſola promiſſione Dei, reſpondemus contrarium eſſe verum.* Et poſtea. *Nos exiſtimamus meritũ de congruo potius fũdari in aliqua dignitate operis, quam*

in

in promiſſione) Plures hujuſmodi diſſenſiones de merito congrui & condigni recenſet Wilhelmus Holderus in peculiari quodam tractatu ex Scholaſticis concinnato. 2. Quòd Bellarminus dicit *Gratuitam juſtificationem non excludere opera fidei, ſive merita quæ ſint nobis ex DEO, cùm originem ducant ex gratia præveniente*, ad illud reſpondemus, perpetuam eſſe in hoc argumento oppoſitionem inter gratiam & opera, inter fidem & opera, inter credere & operari, Rom. 4. verſ. 45. Roman. 11. verſ. 6. Epheſ. 2. verſ. 8. Quamvis enim bona opera (quæ an poſſint propriè vocari merita, ſuo diſpicietur loco) ſint fructus veræ & juſtificantis fidei, Item, effectus gratiæ Dei in hominibus juſtificatis, quo reſpectu nec fidei nec gratiæ opponuntur, tamen in articulo Juſtificationis opera opponuntur gratiæ & fidei. Bellarminus ſic ratiocinatur. Gratia non pugnat cum gratia. Bona opera procedunt ex gratia, Ergò non opponuntur gratiæ. Sed Apoſtolus modo contrario procedit. *Si ex gratia, jam non ex operibus* Rom. 11. v. 6. *Gratia non eſt gratia ullo modo, ſi non ſit gratuita omni modo.* Affirmatâ igitur gratiâ negatur meritum, affirmato merito negatur gratia, ac proinde eſt *ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ* ſtatuere quoddam meritum, quod in gratia fundetur. Nec tamen ex eo inferri poteſt. Si bona opera in articulo Juſtificationis opponuntur gratiæ, ſequetur gratiam pugnare cum gratia, ut enim non debet donis DEI tribui quod ſoli DEO competit, nec tamen ex eo inferendum, quòd DEUS pugnet cum ſuis donis: ita quoque operibus non eſt tribuendum, quod ſoli gratiæ & ſoli fidei competit, nec tamen ex eo inferri poteſt, quòd abſolutè & ſimpliciter loquendo gratia & dona per gratiam, fides & opera etiam extra articulum Juſtificationis ſibi invicem opponantur vel repugnent. Breviter, gratia juſtificans atque opera non ſimpliciter per ſe ſive eſſentiæ reſpectu ſibi invicem ab Apoſtolo opponuntur (hac enim ratione ſunt conjunctiſſima, tanquam cauſa & effectus) ſed opponuntur ratione unius ejuſdemque effectus qui in juſtificando conſiſtit, hic enim effectus ſi gratiæ tribuatur, mox excluduntur opera, rurſus ſi eundem effectum operibus tribuas, mox tollis gratiam vi oppoſitionis Apoſtolicæ: Vide D. Huterum in explic. Form. Concord. art. 3. pag. 288. 3. *Juſtificatio gratuita non excludit fidem. Ergò nec excludit pœnitentiam & dilectionem, ſive opera pœnitentiæ & dilectionis, quoniam etiam iſta ſunt ex gratia.* Reſpond. Eſt diſpar ratio fidei & operum in articulo Juſtificationis. gratia non excludit fidem, quia fides promiſſionem de gratuita peccatorum remiſſione amplectitur, eſt igitur relatio inter gratiam & fidem: ſed gratia in articulo Juſtificationis excludit opera, Rom. 11. verſ. 6. quia opera nec ſunt merita nec media gratiæ, ſed ſunt fidei fructus & gratiæ effectus; monendum tamen, licet gratuita juſtificatio excludat opera ab ipſo juſtificationis actu, non tamen excludere ea à juſtificatis, quod ipſum quoque de pœnitentia (quæ *ὁλικῶς* accepta fidem tanquam partem eſſentialem complectitur, *μερικῶς* de contritione accepta eſt veræ fidei prævia) & dilectione (quæ eſt fidei juſtificantis fructus) dictum volumus. 4. Flagellat Bellarminus Chemnitium, qui *Concilio Tridentino tribuit, quaſi pugnet pro merito congrui, cùm in eo non fiat ulla mentio meriti de congruo, ſed in medio relinquatur.* Reſpond. Res ipſa in ſeſſ. 6. cap. 7. ſatis luculentè continetur. Aſſerunt enim Patres iſtius Concilii quòd juſtitia à DEO nobis infundatur ſecundùm diſpoſitionem & cooperationem uniuſcujuſque. Atqui hæc eſt ipſiſſima deſcriptio meriti de congruo, ut conſtat ex Scholaſticis, & manifeſtè probatur à Chemnitio in Examin. Concil. Trident. ſub tit. de Fide juſtificante. p. 156. plura de meritis dicentur in Tractatu de bonis operibus, ubi excutientur, quæ pro ſtabiliendis bonorum operum meritis hoc loco Bellarminus affert. 5. Rationibus, quas Dominicus à Soto opponit merito congrui, frigidè reſpondet Bellarminus. *Merito*, inquit Dominicus, *correſpondet merces. Atqui juſtificatio nullibi appellatur merces pœnitentia vel fides debita. Ergò juſtificatio non eſt ex merito.* Bellarminus reſpondet, *Merito de congruo reſpondere mercedem de congruo, quæ magis debeatur ex gratia quàm ex juſtitia*, quò accommodat dictum Apoſtolicum Rom. 4. verſ. 4. *Ei qui operatur, merces imputatur non ſecundum gratiam ſed ex debito. Ergò erit aliqua merces, quæ imputari poſſit ſecundum gratiam.* Atqui hęc eſt petitio principii & inanis tergiverſatio. Unde enim probat Bellarminus, dari mercedem de congruo? & meritum de congruo & merces de congruo figmenta ſunt Monachalia. Apoſtolus non ſolùm non dicit, eſſe mercedem, quæ imputari poſſit ſecundum gratiam, ſed etiam apertè contradicit: cùm enim dixiſſet: *Ei qui operatur, merces imputatur non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* in antitheſi ſubjicit, *Ei verò qui non operatur, imputatur fides ejus ad juſtitiam*, ubi non meminit mercedis alicujus, ſed fidei, quam ex gratia dicit imputari ad juſtitiam, nimirum, quia juſtitiam Chriſti in verbo Evangelii oblatam apprehendit. Quare cùm ultrò fateatur Bellarminus, juſtificationem nuſquam mercedem, brabejum, ſtipendium dici, ſemper verò gratiam & miſericordiam appellari, cur pro merito congrui adhuc pugnat? Statuere tale meritum, cui merces debeatur ex gratia, eſt *σιδηρόξυλον καὶ ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ*, cùm ſit perpetua oppoſitio inter meritum & gratiam ſive gratuitam compenſationem. *Meritum* (ait Coſterus in Enchirid. cap. 7. de meritis operum) *eſt actio libera, cui merces debitur ex juſtitia.* Et poſtea: *Omne meritum innititur juſtitia propter æqualitatem, quæ inter meritum & mercedem eſſe debet.* Altera Dominici ratio contra meritum congrui itidem ſatis congrua & invicta. *Cum gratis* (inquit) *juſtificari nos Apoſtolus aſſerit, excluditur omnis operis dignitas, ipſaq́ue juſtificatio fundatur in ſola promiſſione Dei, qui per & propter Chriſtum pœnitentiam agentibus & credentibus peccatorum indulgentiam promiſit, quod autem ex ſola promiſſione debetur, id is non debet niſi valdè impropriè mereri.* Regerit Bellarminus. *Promiſſionem quâ Deus juſtificationem promiſit, requirere conditionē operis, pœnitentiæ ſc. & fidei, quâ cōditio cùm expletur, juſtificatio utiq́ue in operis dignitate & nō in promiſſione fundatur.* Reſp. Pœnitentiæ & fidei promittitur juſtificatio, non quòd in his donis ac operibus ſit

quædam

quædam dignitas, ob quam juſtificari coram DEO mereamur, (id enim gratuitæ juſtificationi manifeſtè repugnat) ſed quia hoc ordine & modo DEUS nos juſtificare conſtituit, ut per pœnitentiam & contritionem corda noſtra ad deſiderium gratiæ priùs excitentur, ac poſtea per fidem promiſſionem Evangelicam de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum firmiter apprehendant. Non niſi pœnitentibus & credentibus promiſit DEUS juſtificationem, at non propter pœnitentiam aut fidem juſtificare promiſit, ſed gratis propter Chriſtum, cujus meritum per fidem apprehenditur, cujus (fidei) anteambulo eſt contritio, pediſſequa verò bona opera. Breviter, fides juſtificat non meritoriè ſed inſtrumentaliter. Ipſum autem juſtificationis meritum non fundatur in nobis vel in opere aliquo noſtro (aliàs Apoſtolus non dixiſſet: *fidem imputari ad juſtitiam*) ſed in ſola CHRISTI juſtitia, quæ credentibus in eum, qui juſtificat impium, ex gratia per fidem imputatur. Nos immotis hiſce Dominici rationibus addimus etiam has ſequentes: primò quod Apoſtolus meritum juſtificationis nuſpiam conſtituat in nobis, ſed in ſolo CHRISTI merito. Rom. 3. verſ. 24. *Juſtificamur gratis DEI gratiâ per redemtionem, qua facta eſt in Chriſto Jeſu.* Secundò: Meritum congrui ſunt opera noſtra, ſive ex ſolis liberi arbitrii viribus, ſive ex viribus arbitrii Dei gratiâ moti dicantur orta. Jam verò omnia opera ex actu juſtificationis excluduntur. Roman. 3. verſ. 28. *Fide juſtificamur ſine operibus legis.* E. juſtificatio non contingit per meritum congrui. Tertiò, ubi opus eſt remiſſione peccatorum, ibi ceſſat omnis ratio meriti, ubi enim peccatorum remiſſio eſt, ibi neceſſe eſt eſſe peccata, ubi verò ſunt peccata, ibi meritum damnationis & mortis eſt, non autem juſtitiæ & vitæ æternæ. Atqui juſtificatio noſtra conſiſtit in remiſſione peccatorum docente Apoſtolo Rom. 4. verſ. 6. E. in ea non concurrit meritum noſtrum. Quartò: quod eſt multis modis imperfectum, ac quod jam ante debitum, illud non eſt meritum juſtificationis. Atqui pœnitentia, fides, timor, ſpes & reliquæ (quas ita vocant) diſpoſitiones ſunt multis modis imperfectæ, & jam antè debitæ. Ergò non ſunt meritum juſtificationis. Non eſt quod obvertat Bellarminus, *operibus illis, in quibus meritum de congruo ſtatuit dignitatem ſuam conſtare ex eo, quod ſint opera gratiæ & dona Spiritus ſancti*; fatemur enim eſſe quandam operum dignitatem, ſed ex eo non poteſt inferri, quòd illa ſit dignitas meriti, hoc enim eſſet procedere à non diſtributo ad diſtributum. Accipimus ſolùm *primitias Spiritus*, Rom. 8. v. 23. qui operatur in tali corpore, in quo *habitat adhuc peccatum* Rom. 7. verſ. 17. quod omnia inficit ac corrumpit, unde non poteſt operibus, quæ proficiſcuntur ex viribus liberi arbitrii à DEO excitati ac moti, talis tribui dignitas, ob quam mereamur juſtificationem. Adde quòd hæc exceptio Bellarmini repugnet Scholaſticis, qui meritum congrui ſtatuunt in operibus ſine gratia factis; ſic enim ſcribunt: *Cuilibet facienti quod in ſe eſt & per hoc ſufficienter diſpoſito ad ſuſceptionem gratiæ, Deus infundit gratiam, ſed perfectiſſimus modus faciendi quod in ſe eſt, eſt diligere Deum ſuper omnia, quod voluntas poteſt ex puris ſuis naturalibus.* Item, *Meritum congrui eſt, quod procedit ex libero arbitrio, congruum autem eſt, ut dum homo virtute liberi arbitrii benè utitur, Deus etiam ſecundum excellentiam miſericordiæ ſuæ excellentius operetur & hoc merito congrui poteſt aliquis primam gratiam promereri.* Vide tractat. de Libero arbitrio §. 52.

155. Quartum argumentum (dicit Bellarminus cap. 22.) depromunt ex illis teſtimoniis, quæ docent omnes qui credunt juſtificari & ſalvari. Johan. 3. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Act. 10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere omnes qui credunt in nomen ejus*, Actor. 13. *In hoc omnis qui credit, juſtificatur.* Roman. 1. *Evangelium eſt potentia DEI ad ſalutem omni credenti.* Roman. 10. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* 1. Johan. 5. *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt.* Quod quidem non eſſet infallibiliter verum, ſi non ſufficeret fides. Excipit autem 1. *particulam Omnis exponendam eſſe negativè, ut ſit ſenſus, nemo ſine fide juſtificatur. 2. Particulam eandem referri ad omnia hominum genera, ut ſit ſenſus, non ſolis Judæis ſed & gentibus fidem Chriſti eſſe viam ad ſalutem. 3. Particulam illam interdum referri affirmativè ad ſingulos credentes, ſed tamen non ſignificari, illis ſententiis ſolam fidem ſufficere, ſed fidem juſtificare & ſalvare ex parte ſua, modò addantur alia, quæ ſimul requiruntur, id inde eſſe ita perſpicuum, quod in Scripturis etiam de ſpe dicitur: Omnis qui ſperat in eum, non confundetur.* Eccleſ. 2. *& de dilectione, Omnis qui diligit, ex DEO natus eſt.* 1. Joh. 4. *& de humilitate, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.* Luc. 18. *de oratione, Omnis qui petit, accipit.* Luc. 11. *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Rom. 10. *de obœdientia, Factus eſt omnibus obœdientibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Hebr. 5. *& tamen nemo diceret ſolam ſpem aut orationem aut humilitatem aut alia ſufficere ſine fide.* Reſp. Fatetur ipſe Bellarminus, priores duas ſolutiones non ſatisfacere omnibus dictis (Apoſtolus enim non ſolùm demonſtrat, neminem ſine fide juſtificari, ſed etiam nos juſtificari fide ſine operibus legis: nec ſolùm docet, omni hominum generi per fidem Chriſti eſſe apertam viam ad ſalutem, ſed etiam beneficia Chriſti in Evangelio oblata non niſi fide recipi, ac proinde fidem eſſe unicum medium, per quod juſtitiam in Chriſto nobis propoſitam apprehendimus. Actor. 4. v. 12. & cap. 10. verſ. 43.) Ad tertium igitur effugium reſpondemus, non ſolùm in illis propoſitionibus contineri deſcriptionem ſubjecti, hoc eſt, eorum qui juſtificantur, in quibus fatemur non eſſe ſolam fidem, ſed cum ſpe, dilectione, invocatione & aliis virtutibus conjunctam; ſed etiam deſcriptionem modi ac rationis juſtificandi, ut manifeſtum eſt ex propria ſede hujus articuli. Rom. 3. & 4. Galat. 2. & 3. Epheſ. 2. Ideò argumentum noſtrum plenè ac planè evolutum tale eſt. Omnis, qui credit in CHRISTUM, juſtificatur, & quidem credendo juſtificatur. Rom. 4. verſ. 5. ſive fide in Chriſtum

4. Omnis credentes juſtificantur.

ſine

ſine operibus legis. Roman. 3. verſ. 29. Ergò ſola fide juſtificatur. At tales non ſunt propoſitiones de ſpe, dilectione, humilitate, invocatione &c. ſed ſolùm deſcribunt ſubjectum, hoc eſt, eos qui juſtificantur & ſalvantur. 1. Joh. 3, 14. *Scimus quoniam tranſlati ſumus de morte in vitam, quia fratres diligimus.* Ergò per dilectionem noſtram non naſcimur ex DEO, ſed ex DEO nati demum diligimus, ſicque ex dilectione cognoſcimus nos regenitos eſſe. Idem judicium de reliquis virtutibus, quæ non minùs ac dilectio ſunt fructus juſtificantis fidei. Galat. 5. verſ. 6. In dicto Hebr. 5. verſ. 9. per obœdientiam propriè intelligitur *Obœdientia fidei* ut exponit Apoſtolus Rom. 1. verſ. 5. cap. 16. verſ. 26. 1. Petri 1. v. 2. Ideoque ſententiam noſtram apertiſſimè confirmat, tantùm abeſt, ut eam minimâ ex parte labefacter, quò etiam pertinet, quòd nomen ſpei ſæpiùs pro ipſa fide accipiatur. Proferat autem Bellarminus unicum ſolummodò dictum, in quo ſive vis, ſive modus, ſive actus, ſive meritum juſtificandi dilectioni, humilitatis vel aliis virtutibus tribuatur, illud certè ex nullo dictorum illorum quæ protulit, evinci poterit, *Spes non confundit*, quia oritur ex fide promiſſionibus divinis firmiter innitente. Dilectio non eſt regenerationis cauſa, ſed effectus ac nota, Publicanus ſe humilians exaltatus fuit & juſtificatus non merito quodam humilitatis, ſed quatenus humiliatus peccatorum agnitione, fide ad CHRISTUM unicum propitiatorium confugit. In oratione fides eſt, quæ omnia impetrat.

5. Verbum ſola fide apprehenditur.

156. Quiotum argumentum (ſcribit Bellarminus cap. 23.) ducunt ab illis teſtimoniis, quæ prædicant efficaciam verbi Dei. Verbum enim ſolâ fide apprehenditur. Pſal. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos.* Johan. 15. *Vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis.* Rom. 1. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* 1. Corinth. 15. *Notum vobis facio Evangelium quod prædicavi vobis, quod accepiſtis, in quo ſtatis, per quod & ſalvamini.* Jacob. 1. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Excipit autem 1. *Verbum Dei quidem ſanare & ſalvare, ſed ut hoc faciat, non ſatis eſſe, ut fide apprehendatur, niſi etiam caritate impleatur, cùm non ſolùm offerat promiſſiones, ſed etiam imperet facienda, unde audiens & non faciens ſermones Chriſti confertur viro ſtulto ædificanti ſuper arenam* Matth. 7. 2. *Verbum, quod fide apprehenditur, non eſſe ipſam ſalutem, ſed ſemen ſalutis, q; non ſolũ effici, ſed etiam caleſieri & excoli debet, ut fructum faciat, id eſt, excipi debet in corde bono & retineri cum patientia tempore tentationum.* Matth. 13. Reſpond. Argumentum noſtrum non agit in genere de omni DEI verbo (quia lex non eſt verbum ſanans & ſalvans Rom. 4. verſ. 15. Galat. 3. verſ. 21.) ſed in ſpecie de verbo promiſſionis Evangelicæ, ac plenè evolutum tale eſt. Promiſſionem Evangelii propriam de gratuita peccatorum remiſſione in Chriſto & propter Chriſtum obtinenda ſola fides recipit; hanc autem apprehendendi vim non habet ulla virtus aut ullum opus. Ergo ſolâ fide juſtificamur. Connexio eſt manifeſta, quia remiſſio peccatorum in promiſſionibus Evangelicis oblata eſt ipſa juſtificatio docente Apoſtolo Rom. 4. verſ. 6. Proinde quamvis caritas à credentibus requiratur & cum fide juſtificante perpetuo & indivulſo nexu ſit conjuncta, tamen ad juſtificationem non concurrit, ſed eſt effectus hominum fide juſtificatorum. Et quamvis donum renovationis itidem ſit Chriſti beneficium non minùs quàm juſtificatio, illa tamen non ſunt invicem confundenda. Ad verũ & ſincerum Chriſtianiſmum fatemur requiri regenerationem & renovationem, fidem & opera, juſtificationem per fidem & fructus fidei juſtificantis; interim tamen hæc ſunt accuratis limitibus diſcernenda, cùm non omnia ad actum juſtificationis pertineant, quæ ad Chriſtianiſmum pertinent. Quod igitur Bellarminus dicit, verbum impleri charitate, id ſi de verbo Evangelii intelligat, falſum eſt, quia verbum Evangelii propriè ſic dictum eſt concio de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum Mediatorem, illa non impletur caritate, ſed recipitur fide: ac ſi illa promiſſio penderet ab impletione per noſtram caritatem, nunquam foret firma, quia caritas noſtra eſt multis modis imperfecta, contrà verò Apoſtolus pronunciat Rom. 4. verſ. 16. *Ideo ex fide ſecundum gratiam, ut ſit firma promiſſio.* Adde quod caritas ſit *impletio* (non Evangelii ſed) *legis*, ut dilertè ſcribit Apoſtolus Roman. 13. verſ 8. *Qui diligit proximum, legem implevit,* & verſ. 10. *πλήρωμα νόμου ἡ ἀγάπη.* Hæc omnia erunt magis perſpicua & manifeſta, ſi repetantur hoc loco ea, quæ in tractatu de Evangelio, de vero diſcrimine Legis & Evangelii fuerunt dicta. Quod verbum Evangelii tanquam ſemen ſalutis non ſolùm ſit excipiendum, ſed etiam fovendum & excolendum, ut fructificet, rectè quidem dicitur, interim tamen diſtincta non ſunt confundenda. Spiritus ſanctus per verbum Evangelii operatur in cordibus fidem, quâ promiſſa in Evangelio bona amplectimur, idem deinde verbum in corde fideli quaſi calefactum & excultum fructificat bonis operibus, quæ *non præcedunt juſtificandum ſed ſequuntur juſtificatum.* Auguſtinus de fide & operibus cap. 14. Utique ergò ſola fides juſtificat. Denique quæ Bellarminus contra B. Lutherum hoc loco diſputat, facilem habent explicationem. Scribit Lutherus in lib. de libertate Chriſtiana, *Fidem implere omnia mandata 1. dum præcepta DEI ſervari non poſſe videns, ad promiſſa ſe confert, quæ docent, omnia eſſe poſita in fide & credentem in Chriſtum omnia habere: Deinde fidem exhibere DEO ſummum obſequium, quia credendo confitetur eum veracem eſſe in ſuis promiſſis exemplo Abrahæ* Roman. 4. *Denique fidem copulare animam DEO.* Hoſ. 2. *Deſponſabo te mihi in fide, ideoque omnia quæ CHRISTI ſunt, effici communia cum anima fideli.* Quid ſanctiſſimis hiſce pronunciatis obvertit Bellarminus? 1. in genere dicit; *hæc nobis ipſis repugnare, ſi enim fides ideo juſtificat, quia ſummum cultum DEO exhibet, ſequetur nos merito fidei, id eſt, propter virtutem & dignitatem ipſius fidei juſtificari.* Reſpond. Fidem juſtificantem ſummum obſequium DEO exhibere dicit Lutherus, ſed quod hæc exhibitio obſequii ſit meritum quoddam, quo fides juſtificationem impetret, id verò nuſpiam dicit, nec ex verbis illis colligi poteſt.

Fides

Fides juſtificat apprehendendo Chriſtum; eadem verò juſtificans fides hanc habet proprietatem, quòd Deo ſummum obſequium præſtet & gloriam veritatis ei tribuat, eſt ergò unicum illud medium, per quod promiſſionibus divinis de remiſſione peccatorū innitimur, & hac ratione bonorum in illis oblatorum participes reddimur. 2. In ſpecie ſingulas fidei proprietates à Luthero adductas examinat, ac primo quidem dicit, *virtutem illam, quòd fides impleat omnia mandata, furtim ſurripuiſſe Lutherum caritati, de qua dicitur: Qui diligit, Legem implevit*, Rom. 13. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*. Reſpond. Perfecta & numeris omnibus abſoluta dilectio legem implet, ſed quia perfectio illa in hac vita ne à renatis quidem obtineri poteſt, cùm *lex ſpiritualis ſit, ipſi verò carnales*. Rom. 7. verſ. 14. ideò fides convertit ſe à præceptis ad promiſſa, à lege ad Evangelium, ab operibus ad gratiam & perfectam legis impletionem in Chriſto Mediatore quærit, qui noſtro loco illam præſtitit: *quod* enim *impoſſibile erat legi, quia infirmabatur per carnem, hoc Deus præſtitit, miſſo Filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati, ac de peccato condemnavit peccatum per carnem, ut juſtificatio legis in nobis impleretur*. Rom. 8. v. 3. & 4. *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti* Rom. 10. v. 4. Alio igitur modo caritas implet legem, alio verò fides; Caritas implet legem operando, ſed quia renatorum caritas non eſt perfecta, ideò etiam impletio legis per caritatem eſt imperfecta & tantùm inchoata, ideoque non poſſunt eâ niti coram Dei judicio. Fides ſive cor fidele implet legem credendo, hoc eſt, apprehendendo Chriſtum, qui ſanctiſſimâ ſuâ obœdientia & ſatisfactione legem implevit, quæ ipſius obœdientiâ per fidem nobis imputatur. Nec Lutherus ſomniana, ut nugatur Bellarminus, huc accommodavit dictum Apoſtoli Rom. 11. verſ. 32. *Concluſit Deus omnes ſub incredulitatem, ut omnium miſereretur*. & dictum Johannis cap. 1. verſ. 12. *Dedit poteſtatem filios DEI fieri, his qui credunt in nomen ejus*. Vera enim explicatio dicti Apoſtoli patet ex Galat. 3. verſ. 22. *Concluſit Scriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio & fides daretur credentibus*; nimirum quod voce legis omnes homines convincantur eſſe peccatores, ideò gratuitâ Dei miſericordia per fidem in Chriſtum, qui legem noſtri loco implevit, credentes juſtificari. Vide Ambroſ. & Theoph. in c. 3. Gal. Frivolum eſt, quòd Bellarminus ex verbo *Fieri* in dicto Joh. 1. concludit, credentes hoc ipſo quòd credunt, non eſſe Dei filios, ſed fieri demum, ſi renaſcantur ex aqua & Spiritu; neque enim verbum Fieri reſpicit tempus fidei, q. præſente verâ fide nondum adſit υἱοθεσία, ſed tempus primæ nativitatis, ex qua per Baptiſmum & fidem renaſcimur. Vera fides & υἱοθεσία ſunt perpetuò conjuncta, quia per fidem recipitur Chriſtus, ut ibidem evidentiſſimè aſſeritur, utique ergò per fidem in Chriſtum reddimur Dei filii Gal. 3. v. 26. *Omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu*. 1. Joh. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus*. Atqui ex Deo oatus, is utique eſt Dei filius. Hilarius 1. de Trinit. *Qui receperunt aucti ſunt in filios DEI, non ortu carnis, ſed fidei*. Auguſt. in expoſ. c. 3. ad Gal. *Efficiuntur filii ſapientiæ præparante ac præſtante id fide Mediatoris*. Quæ abſurditas eſſet, iis *qui Filium Dei receperunt & ex Deo nati ſunt, neceſſarium adhuc eſſe, ut aliunde fiant filii Dei, quaſi per ipſum non acciperent adoptionem?* ut rectè ſcribit Dn. Chemnitius in Harmon. cap. 1. p. 73. ubi monet vocem ἐξουσίας ſignificare non ſolùm facultatem aliquid faciendi vel acquirendi, ſed etiam dignitatem, præeminentiam ac jus aliquod, item γενέσθαι ſignificare & Fieri & Eſſe, ac poſitum eſſe indefinitè τέκνα θεοῦ γενέσθαι ut facti ſint, vel ut fiant filii Dei per fidem, nō ut aliquando demum fiant per ſpem & caritatem, ſenſus igitur bujus loci eſt, quòd illis, quibus naturâ hoc jus non competit, qui ſcilicet ſunt ſervi peccati, hoſtes Dei, mancipia Diaboli, & Natura filii iræ, quòd illis etiam, ſi Chriſtum fide recipiant, conferat hanc præeminentiam, excellentiam, jus & dignitatem, ut credendo non tantùm in familiam ejus aſciſcantur, ſed adoptentur in filios Dei. Per ἐξουσίαν igitur intelligitur poteſtas non ad rem, ſed in re. Pergit Bellarminus. 3. *Non ſolam fidem, ſed etiam bona opera & paſſiones fidelium Deo gloriam dare* Matth. 5. Joh. 21. *Ergo hoc non eſſe fidei tanquam proprium tribuendum*. Reſp. Fides innititur promiſſionibus Evangelicis, & hac ratione dat Deo gloriam miſericordiæ, veritatis ac potentiæ, eadem poſtea ſe exerit per bona opera, quibus itidem glorificatur DEUS, eadem firmam conſolationem ac robur præſtat ſtatin omnibus adverſis, quorum tolerantia inde & ideò placet Deo, quia proficiſcitur ex fide. Alio igitur modo glorificat Deum fides, alio verò opera & paſſiones. Fides eo modo glorificat DEUM, ut apprehendat promiſſionem Evangelicam & in ea beneficia Chriſti Mediatoris, proinde cùm Chriſtus ſit nobis factus à Deo juſtitia, ideò qui Deum honorat fide, is honoratur à Deo juſtificatione, h. e. juſtitia Chriſti per fidem ei imputatur: Operibus autem & paſſionibus noſtris non glorificatur Deus niſi ex fide procedant, *ſine qua Deo placere impoſſibile eſt*. Hebr. 11. verſ. 6. Quæ de fide Dæmonum Bellarminus adducit, planè ſunt aliena, ipſorum enim fides non eſt juſtificans, nec reſpicit promiſſionem, quippe quam non acceperunt, ſed nolentes volentes fulgore veritatis coacti DEUM veracem confitentur. 4. Denique quòd Lutherus dixerat, *Fide animam noſtram Deo copulari, & quæ Chriſti ſunt nobis cum eo fieri communia*, id Bellarminus dicit *fortaſſe carere fundamento, cum dictum Propheticum Oſe. 2. accipiendum videatur, non de fide, quâ credimus DEO, ſed de fide, quâ DEUS præſtat promiſſa, ac magis hoc convenire caritati, quod per eam CHRISTO ſponſemur, qui enim manet in caritate, manet in DEO*. 1. Johan. 4. *& caritas eſt vinculum perfectionis*. Coloſſ. 3. Reſpond. In præcedentibus verbis promittit Dominus, quòd nos ſibi *deſponſaturus ſit in juſtitia & judicio, in miſericordia & in miſerationibus*: quæ ſunt beneficia illa DEI, quæ in ſpirituali illa deſponſatione nobis contingunt, neceſſariò igitur addendum fuit, quod ex parte noſtra requiratur, aliàs deſcriptio illa ſpiritualis conjugii non foret plena, ac proinde per fidem intelligitur fiducia, quâ promiſſioni huic credimus, eidemque firmiter innitimur, *per quam fidem CHRISTUS in cordibus noſtris habitat*, ut loquitur

Apo-

Apoſtolus Epheſ.3.v.17. Ideò denuò repetitur, *deſponſabo te mihi in fide*, quâ ſcil. beneficia promiſſa tibi applices. Be nh. ſerm.67. in Cant. *In fide deſponſavi te mihi & non in operibus legis, deſponſavique in juſtitia, ſed in juſtitia, quæ eſt ex fide, non eſt ex lege.* Idem patet ex eo, quòd disertè in dicto Prophetico additur, *Et cognoſces Dominum*, per quam cognirionem ſive notitiam uſitatâ Scripturæ phraſi fidem intelligi in propatulo eſt. Per cariratem cor noſtrum fertur ad Deum tanquam objectum, interimtamen ſpiritualis illa deſponſatio propriè non tribuitur caritati ſed fidei, per quam DEI filii & Chriſti ſponſæ efficimur, ut poſteà eum diligamus. Quando *caritas vinculum perfectionis* dicitur, non agitur de caritate, quâ Deum diligimus, ſed de ea, quâ proximum proſequimur: Neque agitur ibi de medio conjunctionis noſtri cum Chriſto, ſed de conjunctione fraterna Chriſtianorum inter ſeſe, ut evidentia textus luculentè comprobat. *Super omnia* (ait Apoſtolus) *caritatem induite, quæ eſt vinculum perfectionis*, hoc eſt, quæ inſtar perfectiſſimi cujusdam vinculi mutuam Chriſtianorum ſocietatem conſtringit. Manens in caritate in Deo manere rectiſſimè dicitur, quia caritas illa eſt fructus fidei, per quâ Deo reconciliamur & unimur, ſublatis priùs peccatis, *quæ inter Deum & nos dividebant* Eſa.59.v.2. Fides igitur eſt, quę nos Chriſto inſerit, quâ Chriſtum induimus & & in filios DEI adoptamur, ex illa poſteà oritur caritas, quæ non format fidem nec conjunctionem per fidem cum Deo factam tanquam imperfectam complet, ſed eſt fructus fidei, quo flexu quodā reciproco quaſi ad Deum convertimur, & intuitu ſummorum beneficiorum in Chriſto nobis præſtitorum ei adhæremus.

a. Irrita eris promiſſio, ſi lege aut operib. nitatur.

157. Sextum ac poſtremum argumentum (dicit Bellarm. cap.24.) ex ſcripturis illis accipiunt, quæ docent, irritam fore promiſſionem, ſi lege aut operibus nitamur & non ſolâ fide accipiatur. Rom.4. *Si ex lege eſt hereditas, exinanita eſt fides & abolita promiſſio.* Item. *Ideò ex fide, ut ſit firma promiſſio*, Galat.3. *ut promiſſio ex fide daretur credentibus.* Galat.5. *Evacuati eſtis à Chriſto qui a per legem vultis juſtificari.* Excipit autem *ſe illud argumentum alibi ſolviſſe hoc modo, quod Apoſtolus doceat, inanem fore fidem noſtram & irritam promiſſionem Dei, ſi juſtificatio haberi poſſit per ſolam cognitionem legis aut opera facta ſolis naturæ viribus; nuſpiam autem dicere Scripturam, juſtificationem non pendere ex conditione operum, cùm in infinitis locis potiùs teſtetur, quòd juſtificatio pendeat ex conditione pœnitentiæ & operum.* Reſp. & nos ſuperiùs oſtendimus, omnia omninò opera ab actu juſtificationis excludi. Argumentum noſtrum, imò ipſius Apoſtoli, nititur relatione inter promiſſionem Evangelicam Dei offerentis & inter fidem eam recipientem. Promiſſio continet bona, quæ Deus nobis offert & gratis donat propter Chriſtum. Lex præſcribit opera, quæ nos Deo præſtare debeamus. Firmum ergò ac fixum manet, irritam fore promiſſionem ſi ex lege vel operibus quibuscunque juſtificari volumus. Pſeudo Apoſtoli nequaquam pugnabant vel per ſolam legis cognitionem, vel per opera legis ſine fide in CHRISTUM facta haberi poſſe juſtificationem, quia jactabant autoritatem Apoſtolorum, Jacobi, Petri, & Johannis ut conſtat ex Galat.1, & 2. capp. ſed pugnabant præter fidem Chriſti ad juſtificationem requiri circumciſionem & obſervationem legis moralis Act.15.v.5. Finge D. Paulum excludere ſolummodò opera ſolis Naturæ viribus facta, ſequetur toram illam tractationem Pſeudo Apoſtolis oppoſitam eſſe à quæſtione alienam. Scripturam præter fidem requirere pœnitentiam & opera concedimus, ſed in juſtificatis, non autem ad juſtificationis actum.

ἀνακεφαλαίωσις argumentorum noſtrorum.

158. Atque hæc ſunt argumenta noſtra, quibus exceptiones ſuas Bellarminus opponere voluit, quę omnia huic includimus Syllogiſmo. 1. Si ipſe Spiritus Sanctus expreſſe utitur particulis excluſivis. 2. & ab actu juſtificationis disertè removet opera. 3. & res ipſa oſtendit, opera non poſſe juſtificare. 4. Soli autem fidei id competere, conſequens erit, ſolâ fide nos juſtificari, quod eſt εὔδηλον. Atqui Spiritus Sanctus. 1. expreſſè utitur particulis excluſivis, Marc.5.v.36. *Noli timere, μόνον πίστευε.* Luc.8.v.50. *μὴ φοβοῦ μόνον πίστευε καὶ σωθήσεται.* (Quamvis verò ibidem non agatur propriè de fide juſtificante, manifeſtum tamen eſt, fidem ſtatui unicum illud medium per quod divinorum beneficiorum, ac proinde & remiſſionis peccatorum & juſtitiæ reddamur participes, *credenti enim omnia poſſibilia.* Marc.9. v.23.) Galat.2.v.16. *Non juſtificatur homo ex operibus Legis, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως.* 1. Joh.5.v.5. *Quis eſt, qui vincit mundum, εἰ μὴ ὁ πιστεύων niſi qui credit, quoniam Ieſus eſt Dei Filius* (particulas autem illas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ excluſivas eſſe patet ex Matt.19. v.9. *Qui dimiſerit uxorem, εἰ μὴ niſi ob fornicationem, mœchatur*; quem locum conjunge cum Matth.5.v.32. *Qui dimiſerit uxorem παρεκτὸς exceptâ fornicationis cauſâ, facit eam mœchari*, Item ex Marc.13.v.23. *De illo die nemo ſcit, neque angeli in cœlo, neque Filius, εἰ μὴ niſi pater*, quem locum conjunge cum Matth.24.v.36. *de illa die & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum. εἰ μὴ μόνος niſi ſolus Pater.* Galat.6.v.14. *abſit mihi gloriari εἰ μὴ niſi in cruce Chriſti.* **Joh.15.v.4. *Palmes nō poteſt fructum ferre niſi in vite permanſerit*, i.e. ſolus ille palmes fert fructū qui in vite permanet.** Deniq; ex Apoc.21.v.27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum εἰ μὴ niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.* 2.Reg.5.v.17. *Servus tuus non ſacrificabit ulteriùs Diis alienis, niſi Domino*, i.e. ſed ſoli Domino. Ipſe Dietenbergerus particulas ἐὰν μὴ, εἰ μὴ in verſione Germanica expreſſit per vocem Allein/ in plerisque allegatis dictis. 2. Disertè removet opera ab actu juſtificationis, ut patet ex Rom.3.v.29. Rom.4.v.5. Gal.2.v.16.&c. 3. Res ipſa oſtendit, opera non poſſe juſtificari; ſunt enim imperfecta, immunda & jam antè debita, Ergò non juſtificant meritoriè. Carent vi apprehendendi juſtitiam in verbo Evangelii oblatam. Ergò non juſtificant inſtrumentaliter. 4. Soli autem fidei competit juſtificatio, nam inter verbum promiſſionis & fidem eſt perpetua relatio, ſola fides apprehendit ac recipit Chriſtum, ipſa ſola excludit omnem gloriationem & conſcientiam de favore Dei reddit certā. Conſequens igitur eſt, nos ſolâ fide juſtificari.

Teſtimonia veterũ.

159. Idipſum comprobant piæ Antiquitatis ſuffragia, quæ collegit Hamelmann. in libro peculiari, in quo ex 40. Patribus Græcis & Latinis teſtimonia pro uſu particulæ excluſivæ producit, uti etiam Doctiſſ. Chemnit. parte 2. locorum Theologicor. p.339.340. Nos potiora recenſebi-

mus. Juſtin. in Epiſt. ad Diogn. p. 385. ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 5. p. 236. *Lex non prohibebat eos credere in Filium Dei, ſed adhortabatur dicens, non aliter ſalvari homines ab antiqua ſerpentis plaga, niſi credant in eum, qui ſecundùm ſimilitudinem carnis peccati in ligno Martyrii exaltatur à terra & omnia ad ſe trahit & vivificat mortuos.* **Clemens Alexandr. lib. 4. Strom. *Deus per ſolam fidem dat ſalutem* lib. 7. Strom. *Per fidem ſolummodo efficitur fidelis perfectus.* lib. 1. pædag. c. 6. f. 42. μία καθολικὴ τῆς ἀνθρωπότητος σωτηρία ἡ πίστις *una & univerſalis humani generis ſalus eſt fides.* Iren. lib. 4. cap. 13. *Omnes oportet credere, ſicut Abraham credidit & imputatum eſt ei ad juſtitiã.* Poſteà ſubjungit. *Fides quæ eſt ad Deum, juſtificat hominem* in præfat. 3. libri. *Sola fides vera eſt & vivificat.* Verba ſic habent. *Memento igitur eorũ, quæ diximus in priorib. duobus libris & hæc illis adjungens pleniſſimã habebis à nobis adverſus omnes hæreticos contradictionem & fiducialiter & inſtantiſſimè reſiſtes eis pro ſola vera ac vivifica fide, quam ab Apoſtolis Eccleſia percepit & diſtribuit filiis ſuis.* lib. 3. cap. 25. *Firma eſt autem & non ficta, ſola vera, quæ ſecundùm nos eſt, fides.*** Origen. lib. 3. in Epiſt. Rom. 3. c. 3. f. 157. *Dicit Apoſtol. ſufficere ſolius fidei juſtificationem, ita ut credens quis tantummodo juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum. ** Imminet igitur nobis, qui integram eſſe ſcripturam Apoſtoli conamur aſſerere & ordine ſuo cuncta conſtare, ut requiramus, Quis ſine operibus ſolâ fide juſtificatus ſit? Quemadmodum igitur ad exemplũ pertinet ſufficere arbitror illum latronem, qui cũ Chriſto crucifixus clamavit ei.* **Et poſteà de latrone converſio. *Clamavit de cruce, Domine Ieſu memento mei cùm veneris in regnum tuũ, nec aliud quicquam deſcribitur boni operis ejus in Evangelio, ſed pro hac ſola fide ait ei Ieſus, Amen, amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* It. de muliere peccatrice. *Ex nullo legis opere, ſed pro ſola fide ait Ieſus ad eam: remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Sed *fortaſſis hæc aliquis audiens reſolvatur & benè agendi negligentiam capiat, ſiquidem ad juſtificandum ſola fides ſufficiat. Ad quem dicemus, quia poſt juſtificationem ſi injuſtè quis agat, ſine dubio juſtificandi gratiam ſprevit. Neq; ob hoc quis accipit veniam peccatorum, ut rurſũ ſibi putet peccandi licentiam datam: indulgentia namq; non futurorum, ſed præteritorum criminum datur.* Ibid. *Excluſa eſt gloriatio Iudaica non per legem operum, ſed per legem fidei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quis enim rectè ſuper caſtitate ſua gloriabitur, cum ſcriptum ſit: quia ſi quis aſpexerit mulierem ad concupiſcendã eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo? Quis autem ſuper juſtitia ſua gloriabitur, cùm audiet Prophetam dicentem, quia omnis juſtitia noſtra, ſicut pannus menſtruatæ? Sola igitur noſtra gloriatio eſt in fide crucis Chriſti, quæ excludit omnem illã gloriationem, quæ deſcendit ex operib. legis.* lib. 4. comment. in Epiſt. Rom. *juſtificatur homo per fidem, cui ad juſtificandum nihil conferunt opera legis.* Ib. *Non ex operibus radix juſtitiæ, ſed ex juſtitiæ radice fructus operum creſcit, illâ ſcil. radice juſtitiæ, quâ Deus accepto fert juſtitiam ſine operib.* Cyprian. in expoſ. ſymboli. c. 39. f. 576. *De remiſſ. peccat. ſufficere deberet ſola credulitas. Quis enim cauſas aut rationem requirat ubi indulgentia principalis eſt.* **Idem Epiſt. 63. Pam. *Si Abraham Deo credidit & deputatum eſt ei ad juſtitiam, utiq; quiſquis Deo credit, & fide vivet, juſtus, invenitur & jampridem in Abraham fideli benedictus & juſtificatus oſtenditur, ſicut B. Apoſtolus Paulus probat.* Epiſt. 2. *Quantum illuc fidei capacis afferimus, tantùm gratiæ haurimus.* lib. teſtimonior. adv. Jud. *Fide autem ſtare juſtitiã & illic eſſe vitam prædictum eſt apud Habacuc, Iuſtus ex fide vivit.* Ibid. *Fidem in totum prodeſſe & tantum nos poſſe, quantum credimus.* Item ut tit. Gloſſa part. 3. de conſecr. diſt. 4. c. Baptiſmi vicem &c. *Sicut enim puero ſufficit aqua Baptiſmus ſolus, quia ætatis neceſſitas fidem excludit: Similiter adulto ſola fides ſufficit, cùm neceſſitas excludit aquæ Baptiſmum.* Niceph. lib. 3. Eccl. Hiſt. c. 13. *Hebionæi docuerunt, quod non facilè quiſquam per ſolam fidem in Chriſtum ſalvus fieret, niſi etiam legis Ceremonias ſervaret & eam vivendi rationem ſequeretur,* quæ verba repetit Gabriel Prateol. de vitis, ſectis & dogmatib. criminum hæreticorum lib. 5. c. 1. Epiph. in Ancor. *Ex fide eſt juſtitia citra opera legis.* Arnob. lib. 2. contra gentes. *Nemo ſive operibus ſive precibus commendatitiis aut ſacrificiis ſalvus fit, ſed ſolo auxilio Chriſti.* Athanaſ. (vel potiùs Theophylact.) in c. 3. Gal. *Quoniã autem in lege nemo juſtificatur apud Deum, manifeſtum eſt. Quia juſtus ex fide vivit. Oſtendit igitur lege execrabiles reddi homines & maledictioni ſubeſſe, fide verò benedictis accumulari. Nunc planè demonſtrat fidem ipſam vel ſolam juſtificandi in ſe habere virtutem & Habacuc dicentem inducit, quia ex fide, non à lege victurus eſt juſtus. Lex namq; non ſolam exigit fidem, ſed opera.* in c. 1. ad tit. *Vt ſani ſint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, erit enim id ſalutiferum, cùm nihil quod adulterinum ſit vel externum & accerſitum in fide induxerit, quæ vel ſola poteſt per ſe ſalutem afferre, mortiferum verò, ſi contra egerint.*** Euſeb. lib. 3. Hiſt. c. 27. refert Ebionitas hæreſeos damnatos, quod docerent *per opera legis hominem debere ſalvari & non per ſolam fidem Ieſu Chriſti* **Cuſtodiendum (inquit) *cenſent etiam legis obſervantiã, nec ſufficere ad ſalutem ſolam Chriſti exiſtimant fidem.*** (fatemur tamen de operib. legum Ceremonialium ibi propriè agi.) Athanaſ. Orat. 1. contra Arian. p. 119. *Abraham Patriarcha non morte ad coronam venit, ſed fide in Deum, aliiq; item ſancti non effuſo ſanguine ſed per fidem juſtificati ſunt.* Hilarius lib. 6. de Trinit. *Hæc ſola fides confeſſa Chriſtum Dei Filium omnium beatitudinũ gloriam meruit Petro.* Can. 8. in Matt. f. 270. *Movet ſcribas remiſſum ab homine peccatum: hominem enim tantùm in Chriſto intuebantur & remiſſum ab eo quod lex laxare non poterat, fides enim ſola juſtificat.* Can. 21. in Matt. de duob. filiis vineam ablegatis. f. 311. *Inviti licet, confitentur, quis obſecutus ſit voluntati, junior ſcil. filius obœdiens profeſſione, licet non efficient in tempore. quia fides ſola juſtificat. Atq; ideò publicani & meretrices in regnum cœlorũ eunt priores, quia Iohanni crediderint. Principes autem Sacerdotum & Phariſæi, videntes hæc & contemnentes juſtificati per fidem non erant.* **lib. 6. de Trin. p. 75. *Hæc ſola fides confeſſa Chriſtum Dei Filium omniũ beatitudinum gloriam meruit in Petro.*** Baſilius in Homilia περὶ ταπεινοφροσύνης f. 217. αὕτη ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν Θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν δεδικαιωμένον. *Ea demum perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neq; propter juſtitiam*

ſuam

ſuam quis extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem verâ juſtitia deſtitui, ſolâ autem fide in Chriſtum juſtificatum eſſe. Idem in Pſal.32. πῶς καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐλπίζουσιν; ὁ γὰρ μὴ πεποιθὼς καὶ τοῖς ἑαυτοῦ ἀνδραγαθήμασι, μηδὲ προσδοκῶν ἐξ ἔργων δικαιωθήσεσθαι, μόνην ἔχει τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας ἐν τοῖς οἰκτιρμοῖς τοῦ Θεοῦ. ** Idem Baſilius in Conf. fidei. *Sola fide in Chriſtum juſtificamur.* ** Nazianz. in orat. περὶ εὐταξίας. f.155. δικαιοσύνη δὲ τὸ πιστεῦσαι μόνον. *Etiam ſolum credere juſtitia eſt.* ** Ambroſ. in præfat. Epiſt. ad Rom. *Vnde omni induſtriâ id agit, ut à lege eos tollat, quia lex & Prophetæ uſque ad Iohannem & in ſola fide Chriſti illos conſtituat & quaſi contra legem Evangelium vindicet, non deſtruens legem, ſed præferens Chriſtianiſmũ.* in cap.1. Rom. *Nam miſericordia Dei ad hoc data eſt, ut lex ceſſaret, quod ſæpè jam dixi, quia Deus conſulens infirmitati humanæ ſola fide addita legi naturali hominũ genus ſalvare decrevit.* in cap.3. Rom. *Manifeſtè beati ſunt, quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nullâ ab his requiſitâ pœnitentia opera niſi tantùm ut credant.* in cap.4. Rom. *Hoc conſequimur quod eredimus, credentes enim Chriſtum eſſe Dei Filium à Deo adoptamur in filios, nihil ultra potuit donare credẽtibus quàm ut filij Dei dicantur perfidis abdicatis.* Et mox. *Pro infinita magnificentia ſua Deus hoc donavit diligentib. ſe, quod ſua dignum eſt majeſtate, non quod homines mereantur, quia in dono plus dantis quàm accipientis conſideratur ſublimitas.* in c.8. Rom. *Fides data eſt quæ juſtificat confugientes ad ſe, ut remittat eis quos lex tenet reos, ut agentes ſub fide liberi ſint à peccato.* ibid. *Sola fides poſita eſt ad ſalutẽ.* in Apol. David. 2. *Arbitramur ſecundùm Apoſtolum juſtificari hominem, per fidẽ ſine operibus legis, juſtificetur ergò ex fide David, qui per legem peccatum agnovit, ſed peccati veniam ex fide credidit.* in 2.Cor.2. *Lex Spiritus dat libertatem ſolam fidem poſcens.* ** Idem in cap.3. Rom. *Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neq; vicem reddentes ſolâ fide juſtificati ſunt dono Dei.* in cap.4. Rom. *Quomodo ergò Iudæi per opera legis juſtificari ſe putant, juſtificatione Abrahæ, cùm videant Abrahamũ non ex operibus legis, ſed ſolâ fide juſtificatum?* Ibid. *Impius per ſolã fidem juſtificatur apud Deum.* **ibid. *Sic decretum dicit à Deo, ut ceſſante lege ſolam fidem gratia Dei poſceret ad ſalutem. Sicut David dicit &c. Hoc ipſum munit exemplo Prophetæ, beatitudinem hominis, cui Deus acceptam fert juſtitiam ſine operibus. Beatos dicit, de quibus homini ſanxit Deus, ut ſine labore & aliqua obſervatione ſolâ fide juſtificentur apud Deum.* ** in cap.9. Rom. *Sola fides poſita eſt ad ſalutem.* in cap.11. Rom. *Hoc decrevit Deus, ut ſolam fidem poneret, per quam omnia peccata abolerentur, ut quia nulla ſpes per legem omnibus hominibus erat, Dei miſericordiâ ſalvarentur.* In 1.Corinth.1. *Datam dicit gratiam à Deo in Chriſto Ieſu, quæ gratia ſic data eſt in Chriſto, quia hoc conſtitutum eſt à Deo, ut qui credit in Chriſtum, ſalvus ſit ſine opere ſolâ fide gratis accipiens remiſſ. peccatorũ.* Præfat. comm. in Epiſt. ad Galat. *A prædicatione Baptiſtæ lex jam ceſſat, ut ſola fides ſufficiat ad ſalutem abbreviata ex lege.* in cap.3. Galat. *Lex adhoc data eſt, ut peccatores reos ſe ſcirent apud Deum, manifeſtatis enim peccatis ſuis concluſi ſunt, ut ſe excuſare non poſſent, ſed quærerẽt miſericordiam, ut veniens qui promiſſus erat Abrahæ, fidem ſolam ab eis poſceret, quam haberet Abraham* libr.1. de vocat. gentiũ c.5. *Quod ſi & ad illos dirigat mentis intuitum, qui longam agentes in flagitiis & ſcelerib. ætatem, ſacramento baptiſmatis Chriſti in ipſo vitæ fine renovantur & ſine ullo ſuffragio bonorum operum in regni cœleſtis conſortium transferuntur, quo intellectu divinũ judicium comprehendes, niſi ut indubitanter agnoſcas, gratuita eſſe Dei munera?* lib.2. de Jac. & vita beata. cap.2. *Non ex operib. juſtificamur, ſed fide, quoniam carnalis infirmitas impedimento eſt operibus, ſed fides claritas factorum obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum.* ſerm.45. *Sicut ſuffecit Iudæ ad ſcelera Chriſtum deſeruiſſe, ita ſuffecit latroni ad innocentiam Domino credidiſſe.* **Epiſt.72. *Ideò nemo gloriatur in operibus, quia nemo factis ſuis juſtificatur, ſed qui juſtus eſt donatum habet, quia per lavacrũ juſtificatus eſt, fides ergò eſt, quæ liberat per ſanguinem Chriſti, quia beatus ille, cui peccatum remittitur & venia datur.* in c.6. Epheſ. *Induimini vos armis Dei, ut poſitis ſtare adverſus nationes. Arma Dei fides eſt ſtabilis, per quam ſolam ſemper victus eſt Satanas.* in c.5. Galat. *Sola fide opus eſt in caritate ad juſtificationem.* ** Hieron. in c.4. Rom. tom.9. *Convertentem impium per ſolam fidem juſtificat Deus, non per bona opera quæ non habuit.* Et paulò pòſt, *ſecundùm propoſitum gratiæ Dei, qui propoſuit gratis per ſolam fidem peccata dimittere.* Ib. *Vt omnes qui ex gentib. credunt, ſint filij Abrahæ, dũ & illis ſola fides ad juſtitiam imputatur.* ** Idem in c.3. ad Rom. tom.9. *Arbitramur hominem juſtificari fide abſq; operibus legis. Dicit autem Apoſtolus de eo homine, qui ad Chriſtum veniens ſola, cùm primùm credit, fide ſalvatur.* in c.4. Rom. *Tam magna fuit Abrahæ fides, ut & priſtina ei peccata donarentur, & ſola præ omni juſtitia doceretur accepta.* in c.5. Rom. Juſtificati igitur ex fide: *Pertractata cauſa, quare nemo eorum ex operib. juſtificatus ſit, ſed omnes ex fide, quod exemplo Abrahæ probat, cujus ſe filios eſſe ſoli Iudæi putabant, oſtendit rationem, quod non genus nec circumciſio, ſed fides faciat filios Abraham, qui ex ſola prima fide juſtificatus eſt:* ** In cap.5. Rom. *Abraham ex ſola prima fide juſtificatꝰ eſt,* in c.10. Rom. *Ipſe Moſes diſtinxit in Levitico inter utramq; juſtitiam fidei ſcil. atq; factorum, quod altera operibus, altera ſola fidei credulitate fiat.* Et paulò ante. *Ignorantes Dei juſtitiam, quod Deus ex ſola fide juſtificet, & juſtos ſe ex operib. legis, quam non cuſtodierunt, eſſe putantes, noluerunt ſe remiſſioni ſubjicere peccatorum, ne peccatores fuiſſe viderentur.* Ib. *Finis legis Chriſtus, &c. talis enim eſt ille, qui in Chriſtum credidit die qua credidit, qualis ille, qui univerſam legem implevit.* In c.11. Rom. Ut *omnis Iſrael per ſolam fidem ſalvaretur.* In c.3. ad Gal. *Abraham credidit Deo, &c. ita & nobis ad juſtitiã ſola ſufficit fides.* Ib. *Quoniam in lege nemo juſtificatur &c. quia nemo illam ſervat, ideò dictum eſt, q; ſolâ fide juſtificandi eſſent credentes.* Auguſt. lib. de Spiritu & litera c.13. *His igitur conſideratis pertractatisq; pro virib. quas Dominus donare dignatur, colligimus, nõ juſtificari hominẽ præceptis bonæ vitæ, niſi per fidem Ieſu Chriſti, h. e. non lege operũ, ſed lege fidei; non litera, ſed Spiritu, non factorum meritis, ſed gratuita gratia.* **lib. de Spit. & liter. c.25. *Cum dicat Apoſtolus, gratis juſtificari hominem per fidem ſine operib. legis, non hoc agit, ut percepta & profeſſa fide opera juſtitiæ contemnantur, ſed ut ſciat ſe quiſq; per fidem poſſe juſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerunt, ſequuntur enim*

juſtificatum non præcedunt juſtificandum. c. 32. Hæc eſt ex qua juſtus vivit, hæc eſt fides, qua creditur in eum qui juſtificat impium. hæc eſt per quam excluditur gloriatio, ſive ut abſcedat qua in nobis inflamur, ſive ut emineat qua in Domino gloriamur; hæc eſt fides qua impetratur largitas Spiritus, de quo dicitur, nos enim Spiritum ex fide ſpem juſtitiæ expectamus, hæc eſt fides, quâ ſalvi fiunt, quibus Dei gratia ſalvi ſalvi facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Poſtremo hæc eſt fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnã ſed amando juſtitiã. de fide & operibus c.22. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te unũ verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod ſcriptũ eſt: In hoc cognoſcimus eũ, ſi mandata ejus ſervaverimus, qui dicit, Qui cognovit eũ & mandata ejus non ſervat, mendax eſt & in hoc veritas non eſt. Et ne quiſquã exiſtimaret mandata ejus ad ſolam fidem pertinere, quanquã dicere hoc nullus eſt auſus, præſertim quia mandata dixit, quæ ne multitudine cogitationes parerent, in illis duobus tota lex pendet & Prophetæ, licet rectè dici poſſet ad ſolam fidem pertinere Dei mandata, ſi non mortua, ſed viva intelligatur fides, quæ per dilectionem operatur. lib. de util. credendi ad Honoratum contra Manichæos: Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem, niſi aliquia crederem. Eſtne ulla major dementia, quam ut ei ſola, quæ nulla ſcientia nixa eſt, fide diſpliceam, quæ ad eum ipſum me ſola perduxit? Epiſt. 58. Quid ubis ad ſalutem, quæ ſolâ fide creditur, prodeſt in legis memoria & meditatione verſari? Ruffin. in expoſit. Symboli. Verùm de remiſſione peccatorum ſufficere deberet ſola credulitas. Arnob. in Pſal. 106. Audi Novatiane. Nos dicimus, illi, qui adhuc non ſunt redemti, per fidem ſolam ad indulgentiam pertingunt.** lib. d. natura & grat. c. 1. Niſi Chriſtus fruſtra mortuus eſt, in illo ſolo juſtificatur homo, cum credenti in eum, qui juſtificat impiũ, fides imputatur ad juſtitiam lib. 1. ad Bonifac. c. 21. Quantalibet virtute fuiſſe præditos antiquos prædices, non eos ſalvos fecit, niſi fides ſalvatoris, qui in remiſſionẽ peccatorum ſanguinem fudit. lib. 3. c. 5. Noſtra fides hoc eſt Catholica fides juſtos ab injuſtis, non operum ſed ipſâ fidei lege diſcernit, quia juſtus ex fide vivit. in Pſal. 88. de fide dictũ eſt, fide mundans corda eorum, & quia ſola fides Chriſti mundat, non credentes in Chriſtũ, ſoluti ſunt ab emundatione. tract. 42. in Joh. Non ſolum peccato vitioſi erant Iudæi (nam hoc malum commune erat omnib.) ſed etiam præcogniti quod non fuerant credituri eâ fide, quâ ſolâ poſſent à peccatorum obligatione liberari. in c. 2. Ephe. Non noſtrâ ſponte credidimus, ſed vocati acceſſimus, & cum acceſſiſſemus non exegit vitæ ſanctitatem & innocentiam, ſed ſolâ fide ſuſceptâ condonavit peccata, ſerm. 60. de verb. Dom. Medicina omnium vulnerum & una propitiatio pro delictis omnium eſt credere in Chriſto. ſerm. 68. de temp. Credidit Abraham Deo & deputatum eſt illi ad juſtitiam. Ecce ſine opere juſtificatur ex fide & quicquid illi legalis poſſet obſervantiâ conferri totũ credulitas ſola donavit. **Leo 1. Epiſt. 70. Sola fides Catholica vivificat & ſanctificat.** Chryſ. in c. 3. Rom. Excluſa eſt gloriatio &c. hic virtutem Dei oſtendit, quòd non ſolum ſalvavit, ſed & juſtificavit & in gloriam induxit nullis ad hoc uſus operibus, ſed fidem duntaxat exigens. in c. 8. Rom. hoc tantùm obtulimus Deo donum, quod ipſi futura promittenti credimus, & per hanc ſolam viam ſalvati ſumus. **Idem in Act. Apoſt. homil. 32. Fide purificans corda eorum. A ſola fide hoc aſſecuti ſunt & non ex operibus. in c. 5. Rom. Per ipſum habemus acceſſum per fidem. Chriſtus pro nobis mortuus eſt, liberavitq; nos & adduxit, gratiamq; dedit ineffabilem. Nos vero ſolam fidem attulimus propterea dicit per fidem: in c. 1. Col. Homines lapidib. ſtupidiores ad Angelorum ſubitò dignitatem evehere, ſimpliciter nudis verbis, ſolaq; fide, ſine omni operũ adminiculo, revera gloria eſt: tom. 4. ſerm. de verbis Apoſtoli. Non hoc autem ſolum, ſed etiam gloriamur. Nullis oneroſis aut laborioſis aut moleſtis mandatis impoſitis, ſed fide tantùm requiſita & juſtificavit nos & ſanctos reddidit &c. Non ſolùm hæc dico, quæ audiviſtis, nempe quod ſanctificati ſumus, quod juſtificati, quod per unigenitũ &c. quod ſine laboribus & ſudoribus, quod ſolâ fide. in c. 11. Heb. homil. 22. de Abele dicit, nonne ex fide ſola habuit hanc virtutem? Thomas in c. 23. Luc. citat dictum Chryſoſtomi de latrone converſo. Erat ergò videre Salvatorem in medio latronum trutinam juſtitiæ trutinantem fidem & infidelitatem. Expulit Diabolus de Paradiſo Adam. Chriſtus latronem impulit ante totum orbem & ante Apoſtolos nudo verbo, ſola fide in Paradiſum introivit ne quis poſt errores introitum deſperaret. Chryſoſt. ſer. 7. in Genel. p. 924. Sed conſideremus, num labores & rectè facta & fructus exhibuit latro? ne hoc quidem dici poteſt, ſed nudo verbo pro[illegible], ſola fide exhibita, in Paradiſũ ante Apoſtolos impulit, ut intelligas, non ejus improbitatem tantùm valuiſſe, verum Domini benignitatem totum negotium peregiſſe. Quid enim latro dixit, quid fecit? num jejunavit? num flevit? num ſe afflixit? num longo tempore pœnitentiam exhibuit? nequaquam ſed in ipſa cruce poſt ſententiam ſalutem exhibuit. Vide celeritatem à cruce in cœlum, à ſupplicio ad ſalutem.** in c. 2. Gal verba Apoſtoli ſic reddit: ſcientes quod non juſtificabitur homo ex operib. legis, ſed tantùm per fidem Ieſu Chriſti. In c. 3. Gal. Pſeudo Apoſtoli dicebant, qui ſola fide nititur execrabilis eſt, hic contra demonſtrat, qui ſola fide nititur, eum benedictũ eſſe. Ibid. juſtus ex fide vivit & hoc non ſolum oſtendit, ex fide juſtificationem eſſe, verumetiam fieri non poſſe, ut per legem contingat ſalus. Poſteaquam, inquit, legem nemo ſervavit, ſed omnes ob tranſgreſſionem erant obnoxii maledictioni, excogitata eſt facilior quadam via per fidem quod idem maximum eſt argumentum, ex lege neminem poſſe juſtitiam adipiſci; non enim dixit Propheta, Iuſtus ex lege vivit, ſed ex fide, lex autem non eſt ex fide. Ibid. Itaq; quoniam celebris, magnaq; exiſtimationis apud illos erat Patriarcha Abraham & hunc profert in medium, declarans hunc quoq; fuiſſe ſic juſtificatum. Quod ſi is ante gratiam ex fide juſtificatus eſt, idq; cum & operib. bonis floreret, multo magis nos, quid igitur illi detrimenti attulit, quod non eſſet ſub lege? nihil, ſed ſufficiebat ei fides ad juſtitiam, homil. 5. in c. 2. Eph. ἀπὸ πίςεως μόνης ἐσώθησαν. homil. 4. in 1. Tim. 1. Incredibile videbatur eſſe (Judæis) ſiquidem homo, qui omnem priorem vitam fruſtra atq; inaniter conſumſiſſet duxiſſetq; per mala opera poſtmodum ex fide ſola ſalvandus diceretur; ideò addit, fidelis ſermo, hom. 3. in Epiſt. ad Tit. quare fides non juſtificare ſufficiat ſola? tom. 6. f. 838. homil. de fid. & leg. nat. tom. 3. p. 327. ** Ante opera fides primùm judicanda eſt. Eum, qui operatur opera juſtitiæ, ſine fide, non poſſum probare vivũ fuiſſe. Fidelem autem abſq; operibus poſſum monſtrare & vixiſſe,

vixiſſe, & regnum cœlorum aſſecutum. Nullus ſine fide vitam habuit, Latro autem.** Latro credidit duntaxat & juſtificatus eſt à miſericordiſſimo Deo, atque hic ne mihi dixeris, defuiſſe ei tempus, quo juſte viveret, & honeſta faceret opera, neque enim de hoc contenderim ego, ſed illud unum aſſeveraverim, quòd ſola fides per ſe ſalvum fecerit, nam ſi ſupervixiſſet, fideiq; & operum fuiſſet negligens, à ſalute excidiſſet. Gennadius in cap. 3. Rom. Propterea omnes, qui credunt in Chriſtum, gratis juſtificantur, tantùm fidem afferentes. **Beda in Collectan. ex D. Auguſtini operibus in omnes Epiſtol. Pauli in 3. cap. Rom. tom. 6. f. 59. Quod credidit Abraham DEO & reputatum eſt ei ad juſtitiam quod credidit Deo intus in corde, in ſola fide eſt. lib. 1. in Luc. c. 2. tom. 5. f. 211. Qui vel ante tempora circumciſionis vel etiam poſt datam circumciſionem de exteris gentibus extitere fideles &c. ſine victimis hoſtiarum ſe ſuosque ab originali peccato ſeu certè ſolâ fide ſalvabant, quia juſtus ex fide vivit.** Heſychius in cap. 14. Levit. Miſeratus Deus humanum genus, cùm illud ad explenda legis opera infirmatum vidiſſet, jam non ex operibus ſalvari, ſed per gratiam hominem voluit. Gratia ... & miſericordia atq; compaſſione præbetur & fide comprehenditur ſola, non ex operibus, ut Paulus dicit: nam gratia jam non erit gratia.** Idem lib. 1. in Levit. cap. 2. Homo jam non ex operibus, utpote pauper virtutibus, ſed ſolâ Dei cognitione ſalvatur. Ibid. Gratia ſolâ fide comprehenditur, non ex operibus. **Claudius Marius Victor. lib. 3. in Geneſin hiſtor. de Abraham. Credidit & nuda fides conſenſio ſola plenam ad juſtitia & meriti reputata coronam eſt. Primaſius in c. 4 Rom. Impium per ſolam fidem (Deus) juſtificat non per opera, quæ non habuit.** in cap. 3. Gal. Vt pollicitationem Spiritus accipiamus, qui per Ioel promiſſus eſt omni carni, id eſt, omni generi hominum, à parte ad totum, ſecundum ſynecdochen per fidem ſolam. Ibid. ut promiſſio I. C. daretur credentibus ut neceſſe eſſet ſolâ fide per gratiam ſalvari credentes. Ibid. Omnes enim filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Ieſu. Omnes enim æqualiter & Iudæi & gentes per fidem ſolam, quâ dono Dei creditis Chriſto. in c. 5. Gal. Ergo evacuatum eſt ſcandalum crucis. Ideò enim ſcandalizantur, quod in ſola fide crucis dico eſſe ſalutem. In cap. 6. Gal. Et quicunque hanc regulā ſecuti fuerint. Hanc regulam, quâ in ſola fide ſpes ponenda eſt. Idem in cap. 2. Eph. Gratiâ enim eſtis ſalvati non meritis veſtris, ſed gratiâ gratis datâ. Hoc contra eos, qui dicunt, quod ſuis meritis ſalventur per fidem. Per fidem ſolam, quam ſanctus Spiritus de dono ſuo infundit. Ibid. Vt duos condat in ſemetipſum, in unum novum hominem per fidem ſolam juſtificant. Ibid. Faciens pacem, ut reconciliet ambos in uno corpore Deo. Quia ambo fuerant per peccatum averſi. Per crucem. Per ſolam fidem crucis, quæ neminem deterret; non enim gravis eſt, quam ſubitò accipere etiam latro potuit crucifixus. in cap. 3. Eph. Secundum præfinitionem ſeculorum, quam fecit in C. I. D. N. quæ præfinivit, ut hoc tempore, quando homines aliter ſalvari non poterant, ſola fide Chriſti ſalvarentur. In cap. 3. Phil. Non habens illam juſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ eſt ex fide Chriſti. Sed illam, quæ propriè à Deo per ſolā fidem Chriſti, quam ipſe donavit, collata eſt.** In cap. 2. Gal. non abjicio gratiam Dei, &c. Non debeo illi ingratus exiſtere, qui me in tantum dilexit, ut pro me mori non recuſarit, abjicio enim gratiam, ſi mihi hoc ſolum non ſufficit. in cap. 3. Galat. ſicut ſcriptum eſt, Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam, ita & vobis ad juſtitiam ſola fides ſufficit. ** In cap. 8. Rom. Propoſitum Dei eſt, ut ſine operibus legis vel quibuſcunque aliis meritis per fidem ſolam juſtificaret impios, quæ fides non ex Natura, ſed Dei donum eſt. In cap. 2. Gal. Non ex operibus legis, ſed ſolâ fide per gratiam vitam te habere noſti. Ibid. In fide vivo Filii DEI, in ſola fide, quia nihil debeo legi. In cap. 3. Galat: Quæritur, utrum fides ſola ſufficiat Chriſtiano, & utrum non ſit maledictus, qui Evangelica præcepta non ſervat. Fides ſufficit, ut primo credentem & juſtum efficiat. Ibid. Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, ut ſola fide gentes benedicerētur in Chriſto, ſicut promiſſum fuerat Abrahæ. In c. 2. Rom. Non ex operibus, ſed ſola fide gratiam habere te noſti. Ibid. Nobis ſola fides ſufficit ad juſtitiam. In c. 4. Rom. Vt ſit pater omnium credentium per præputium, ut omnes, qui ex gentibus credunt, ſecundum fidem filii ſunt Abrahæ, dum & illis ſola fides ad juſtitiam reputatur. in c. 5. Rom. Oſtendit veritatem, quòd nec genus, nec circumciſio faciat filios Abrahæ, qui ante circumciſionem ex ſola credulitate juſtificatus eſt, qua ratione concluſa pacem eos hortatur habere ad Deum, quia nemo ſuis meritis, ſed omnes Dei gratia & miſericordia ſunt ſalvati. in c. 5. Rom Impium per ſolam fidem juſtificat, non per opera.** Theodor. in cap. 3. Rom. Solâ fide allatâ peccatorum remiſſionem accipimus, quoniam velut quoddam redemtionis pretium Dominus noſter corpus ſuum obtulit.** in cap. 3. Rom. Quem propoſuit Deus propitiatorium, &c. Dominus autem Chriſtus & Deus eſt & propitiatorium & Pontifex & agnus, & in ſuo ſanguine procuravit ſalutem, ſolam à nobis exigens fidem. in cap. 3. Gal. f. 105. Lexne vobis dedit divini Spiritus operationem, an ſola fides in Dominum? In cap. 2. Epheſ. f. 715. Gratia Dei nos his donis dignata eſt. Nos enim ſolam fidem attulimus. Quin ejus etiam divina gratia fuit adjutrix. Hoc enim ſubjungit. Et hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus ut ne quis glorietur. in cap. 2. Oſ. tom. 1. f. 608. Simul enim ut Chriſtianiſmum adeunt, ſtatim eos ſolam fidem repoſcimus. Nam juſtitia ſunt deſtituti & vacui, eam autem ſuſcipiunt per lavacrum regenerationis à Deo Salvatore. lib. 7. de ſacrificiis: Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me. Neque enim ullis operibus noſtris, ſed per ſolam fidem myſtica bona conſecuti ſumus. Hinc & Apoſtolus teſtatur Eph. 2. Gratia ſalvati eſtis. Idem in cap. 2. Epheſ. Non noſtra ſponte credidimus ſed vocati acceſſimus & cùm acceſſiſſemus, non exegit vitæ puritatem & innocentiam, ſed ſola fide ſuſcepta condonavit peccata. In Cantic. Iuſtitia Dei non revelatur omnibus, ſed iis qui habent oculos fidei: Illum ſolâ fide comprehendi vox Eccleſiæ quærentis & invenientis Chriſtum. ** Theodulus in cap. 4. Rom: Ipſa lex, ob quam gloriaris (Judæe) nihil profuit ad promiſſiones ipſi Abraham factas, ut quæ nondum ſancita eſſet, ſed ſola fides. Beda in Pſalm. 77. Per juſtitiam factorum nullus ſalvabitur, ſed per ſolam juſtitiam fidei. ** Idem in Pſal. 24: Inſtruit David, ut nemo vel libertatem arbitrii vel merita ſua ſufficere ſibi ad beatitudinem credat ſed ſola gratia Dei ſe ſalvari poſſe intelligat: lib. 1. in Joh. In Redemtoris noſtro ſolum fide regnum mortis & peccati ſuperatur. In Pſalm. 77. Per juſtitiam factorum nullus ſalvabitur, ſed per ſolam juſtitiam fidei. Alcuinus in præfat. ad Carol. Fides

Catholica humanum genus ſola ſanctificat. lib. 1. de Trinit. *Conſtat neminem ad veram pervenire poſſe beatitudinem niſi DEO placeat & DEO neminem placere poſſe niſi per fidem.* Sinaragdus in cap. 3. Galat. *Neceſſe eſt ſolâ fide CHRISTI ſalvari credentes.* In cap. 8. Roman. *Secundum quod propoſuit non ex operibus legis, nec legalibus ſacrificiis, ſed ſolâ fide & ſanguinis ſui effuſione ſalvare nos præſciverat, multo magis glorificavit operantes.* Giſelbertus in alterc. Synag. & Eccleſ. lib. 1. cap. 1. *Credendum eſt quia (mortui ante octavum diem) ſolâ fide ſalvati ſunt.* cap. 13. *Manifeſtum eſt Abraham patrem noſtrum prius placuiſſe per fidem, quam per circumciſionem, dum videmus infinitum numerum periiſſe circumciſum & alios abſque hoc ſigno etiam ante CHRISTI adventum ſolâ fide gratiam CHRISTI promeruiſſe.* Anſh. in 1. Corinth. 1. *In gratia DEI, quæ data eſt in CHRISTO, non Petro vel Paulo, gratia enim data eſt in CHRISTO, quia hoc conſtitutum eſt à DEO, ut qui credit in Chriſtum ſalvus ſit ſine opere ſola fide & gratis accipiat remiſſionem peccatorum.* Anſbertus in Apocal. lib. 8. cap. 9. *Solâ ejus miſericordia ad tantam dignitatem pervenimus.* Paſchaſius Rathertus Abbas Corbeienſis in Expoſit. Cœnæ Domin. S. Patrum cap. 8. *Nunquam caro Chriſti niſi de manu ejus & ſublimi ara, ubi Chriſtus Pontifex futurorum bonorum pro omnibus aſſiſtit, verè accipitur, ac cum carne una omnia CHRISTI ſanguine parta bona, quorum ſola fides capax eſt.* ** Haymo in cap. 1. Roman. *pluribus modis oſtendit Paulus juſtitiam & ſalutem non eſſe per legem, ſed per fidem in CHRISTVM, ut a lege abducat, & in ſola fide CHRISTI eos conſtituat.* ** In Evang. de circumciſ. Domini. *Solâ tantummodò fide* (gentes) *ſalvabantur, ſicut ſcriptum eſt Hab. 2. Juſtus fide ſua vivet.* in cap. 11. Hebr. *Magnam conſolationem & exhortationem B. Apoſtolus illo in loco omnibus præbet, quia ſi meretrix infidelis & idololatra ſola fide ſalvata eſt, multo magis illi ſalvabuntur, qui in graviora crimina non ſunt prolapſi.* ** Idem in cap. 3. Galat. *Lex non complebatur fide, ſed opere. Evangelium vero completur fide magis quam operibus, quia ſola fides ſalvat.* Gloſſa ordinaria (quæ prodiit circa annum 840. Cujus autor exiſtimatur Strabus Fuldenſis) in Epiſt. ad Roman. cap. 3. *Sequuntur opera juſtificatum non procedunt juſtificandum, ſed ſola fide ſine operibus præcedentibus homo fit juſtus.* In Epiſt. Jacob. cap. 2. *Abraham per opera, quæ fecit, juſtus non fuit, ſed ſolà fide, oblatio verò ejus eſt opus & teſtimonium fidei & juſtitia.* Theophylact. ** in 2. Theſſ. 2. *Ait namque vel vobis nil laborantibus pro ſola fide daturus eſt illa æterna bona.* ** in Epiſt. ad Galat. cap. 3. *Demonſtrato eo, quod lex maledictos faciat, fides autem benedicat, oſtendit jam nunc quòd & fides ſola juſtificet, adducitq́; Habacuc dicentem, quòd ex fide juſtus ſit victurus & non ex lege, lex enim non ſolùm fidem poſtulat, ſed & opera, pulcrè autem dixit apud DEVM; Apud homines enim juſti fortſan videri queant lege detenti, quales Phariſæi juſtificantes ſeipſos coram hominibus quia igitur lex ob difficultatem operum non juſtificabat, ſed potiùs maledictioni ſubjugabat, venit gratia facilem viam oſtendens, fidem ſcilicet per quam juſtificati benedicimur.* Ibid. *Fides ſola habet in ſe juſtificandi virtutem.* ** Oecumenius in cap. 3. Roman. *Gratis, hoc eſt, abſque tuis rectis operibus ſalvaris ac rurſus ita ut nihil conferas aliud præter fidem.* Sedulius in cap. 2 Roman. *Non dixit operatus eſt per legem, ſed ſola fide credidit.* in cap. 4. Roman. *Converſum impium per ſolam fidem juſtificat DEVS non per opera bona, quæ non habuit prius, alioqui per impietatis opera fuerat puniendus, hoc dicit, quia ſine operibus legis credenti impio in CHRISTVM reputatur fides ejus in juſtitiam.* Et poſtea. *Quomodo Abraham credens per ſolam fidem juſtificatus eſt, ita ceteri fidem ejus imitantes ſalvantur.* ** Bernhardus ſerm. 1. in vigil. nativ. col. 36. *ſit in corde juſtitia, & juſtitia quæ ex fide eſt, hæc enim ſola habet gloriam apud DEVM.* Et ſerm. 22 in Cant. Cantic. Col. 554. *Quisquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitit juſtitiam, credat in te, qui juſtificas impium, & ſolam juſtificatus per fidem, pacem habebit ad DEVM.* Epiſt. 77. Col. 827. *Ab his duabus columnis (Auguſtinum loquor & Ambroſiũ) crede mihi, difficile avellor, cum his inquam me aut errare aut ſapere fateor, credens & ipſe ſolâ fide poſſe hominem ſalvari cum deſiderio percipiendi Sacramentum, ſi tamen pio adimplendo deſiderio mors anticipans ſeu alia quæcunque vis invincibilis obviaverit. Vide etiam, ne fortè ob hoc Salvator cùm diceret: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, cautè & vigilanter non repetierit. Qui verò baptizatus non fuerit, ſed tantùm, qui verò non crediderit, condemnabitur, nimirum innuens ſolam interdum fidem ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil. Quapropter etſi Martyrium vicem Baptiſmi implere poſſe conceditur, non planè hoc facit pœna, ſed ipſa fides. Quæ ergo Martyrio præſtat, ut abſque ulla dubitatione pro baptiſmate reputetur, ipſa ita infirma & imbecillis per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere.* ** Rupertus in lib. 2. Reg. cap. 39. *Sola fides IESV CHRISTI juſtificare poteſt.* lib. de victor. verit. 4.' cap. 21. *Juſtitia hæc in fidem tendit, quia non propter opera, ſed propter fidem poſſibile eſt quenquam coram illo juſtificari.* in Sophon. lib. 2. cap. 3. *Sperare in nomine Domini eſt deponere pertinaciam, quâ ſe juſtificari arbitrantur ex operibus, & omnem juſtificationem credere in ſolo nomine Domini in fide IESV CHRISTI.* lib. 5. in Joh. cap. 5. *in IESV Chriſto nec circumciſio, nec præputium; nec gentilis, nec Judæus, ſed ſola fides requiritur.* Fauſtus Epiſcopus Gall. lib. 1. de gratia Dei & humanæ mentis lib. arbitr. cap. 7. Orthodoxograph. f. 1491. *Tempus gratiæ, quo redemti ſumus, merita hominum non expectavit, opera penitus non quæſivit. Solâ DEVS fidei noſtræ devotione contentus fuit ſecundùm illud.* Credidit Abraham DEO &c. Julianus Pomerius lib. 2. contra Judæos, Orthodoxogr. f 1989. *Hæc ergo eſt juſtitia fidei, quâ juſtificamur, ut credamus in eum, quem non videmus & fide mundati eum, in quem nunc credimus poſtea videamus.* Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis in Expoſit. Symboli lib. 11. *Ad remiſſionem peccatorum nobis in hoc ſermone ſola credulitas ſufficit.* Oecum. in cap. 4. Roman. *Quid ergo dicemus, Abraham Patrem noſtrum inveniſſe ſecundum carnem? Videt, quod nihil omninò habeat,*

habeat, ne veſtigium quidem operum ad hujuſmodi beneficia, quæ à Deo recepit. *Unde ergo dignus habitus eſt? ex ſola fide. Credidit enim Abraham Deo, ait Scriptura, & reputatum eſt ei ad juſtitiã.* Ibid. *Nonne habuit Abraham opera? nonne hæc illum juſtificabant?* abſit. in cap. 3. Gal. *Nos qui jam ſub lege fuimus & eam ſolverimus, ſolaque fide contenti fuerimꝰ, quis redimet ab execratione legis, cùm ſcriptum ſit. Execrabiles ſunt, qui non manſerunt in lege? hoc igitur ſolvit oſtendens, quod Chriſtus ſui execratione nos à legis execratione redemit.* Acacius apud Oecum. in c. 1. Rom. p. 251. edit. Veron. An. 1538. *Nos per peccata mortificatos ſola fide reſuſcitavit & vivificavit.* Photius Patriarcha in c. 3. Gal. *Omnes concluſi erant ſub peccatum, ideo ex ſola fide poſſunt conſequi promiſſionem.* in cap. 5. Rom. *Solâ fide conſtat juſtificatio.* in capit. 2. Coloſſ. *Etenim transgreſſi ea, ad quæ obligati eramus, tenebamur Hierographo. Sufficit autẽ credere ſolum & Baptiſmate deletur Chirographum.*** Lyra in cap. 3. ad Gal. *Ad quid lex fuit utilis? quaſi diceret. Si lex non juſtificavit, ſed ſola fides, quare ergo poſita eſt & data?* Taulerus in conc. fol. 105. Alle wahre Seligkeit leidt allein in rechter Gelaſſenheit. f. 192. Niemand mag zu jhn kommen/ er werde denn durch den Glauben eingeführet.

Exceptiones Bellarmini.

160. Ad hæc Patrum teſtimonia eludenda varias Bellarmin. profert exceptiones. lib. 1. de Juſtif. cap. 25. *Patres* (inquit) *dicendo ſolam fidẽ juſtificare excludũt à juſtificatione alii opera externa, alii legem Moſis, alii opera ſine fide & gratia facta, alii opera Ceremonialia legis veteris, alii docent neminẽ ſine fide ſalvari, alii loquũtur de fide viva, alii excludunt fidem falſam & ſectas hæreticas, alii baptiſmi neceſſitatem*; Urget etiam quòd alibi dicant *fidem ſolam non ſufficere.* Reſp. 1. Quamvis ſententiæ veterũ ſint diſſimiles, certũ tamen eſt eandem eſſe ſententiam particulæ excluſivæ, quę eſt apud Apoſtolum iu oppoſitione fidei & operum, cùm toties ſolenniter proteſtentur, ſe velle ex libris Canonicis judicium fieri de ſuis ſcriptis. Jam v. Apoſtolus non ſolùm aliqua opera, ſed in genere omnia, nec tantùm partem legis, ſed totã legem à juſtificatione excludit, eodẽ igitur ſenſu dicta veterũ accipienda. 2. Si in ſpecie ac ſigillatim dicta veterũ excutiantur, apparebit, illis per effugia Bellarm. haudquaquam ſatisfieri, cùm indefinitè de operibus pleraq; loquantur & omnia in univerſũ à juſtificatione excluſa eſſe doceant, juxta celebre Auguſtini dictum. *Bona opera non præcedunt juſtificandum, ſed ſequuntur juſtificatum.* lib. de fid. & operibus. cap. 14. ** Bellarm. excipit. 1. *Opera externa tantum à juſtificatione excludi*, ita eludit teſtimonium Origenis. Reſp. hoc nec omnino verũ, nec cauſam Pontificiorũ juvat nam fides eſt internum illud opus, quod actum juſtificationis ingreditur. Joh. 6. v. 28. 2. *Opera Ceremonialia tantum excludi*, ita Ambroſ. teſtim. eludit. Reſp. Non opus erat patrib. ad populum Chriſtianũ loquentib. tam enixe Ceremonialia rejicere, unde periculũ nullum metuebatur. Diſerta patrum verba evincũt, eos de moralib. ſcripſiſſe. Anſh. in c. 1. Rom. ſat clarè. *Nam ſi quis mox ut per fidẽ in Baptiſmo juſtificatus eſt, ex hac luce migraverit, hic ſolâ fide ſine ullis operibus vitã conſequetur*, in c. 4. ad Rom. *Reputatur fides ejus ad juſtitiam, id eſt, ſola fides ſufficit ei ad juſtitiam & vitã ad ſalutem*. ibid. *Quia Paulus ſine præcedentibus operibus dixit, hominẽ ſola fidẽ juſtificari poſſe.* in cap. 5. ad Galat. *Nam ſive circumciſus ſive præputiatus ſit quiſq; nõ propter hoc aut dignior aut vilior eſt in Chriſtiana religione, ſed ſola fides eſt ibi magnæ dignitatis & fides, quæ per caritatem operatur, id eſt, non mortua ſed viva.* lib. de excellentia glorioſiſſ. Virginis Mariæ c. 3. *Certè ſolâ fide Abraham fertur Deo placuiſſe, & hoc, quia Deo credidit & ad juſtitiam illi reputatum fuiſſe.*** 3. libenter fatemur de fide viva loqui veteres, quum ſoli fidei juſtificationem tribuunt, fides enim ſine operib⁹ eſt mortua & inane fidei ſimulachrũ, cui neutiquam juſtificationem tribuimus, ſed ex eo nõ poteſt nec debet inferri, quòd opera ac inprimis caritas ſit forma fidei, à qua juſtificandi vim fides mutuetur, minimè verò, ſed caritas eſt fidei juſtificantis fructus immediatè ei conjunctus, ac proinde quamvis vera fides nunquam ſit ſola, hoc eſt, à caritate & bonis operibus ſeparata, tamen ſola apprehendit Chriſtum & in eo juſtitiam coram Deo valentem. 4. Quando fides dicitur ſalutis fundamentum, cui accedat profectus per ſpem, perfectio per caritatem, ibi non agitur de modo juſtificationis, ſed de toto Chriſtianiſmo, in quo tanquam ſpirituali quodam ædificio fides bonis operibus ſemper debet proficere. 5. Solâ fide ſine operibus ſalvari aliud eſt, quàm neminem ſine fide ſalvari, patres non ſolum poſterius, ſed & prius dicunt, ſecuti Clariſſimum Apoſtoli contextum. 6. Salus aliquando ſumitur tanquam æquipollens juſtificationi, pręſertim in diſputationibus Apoſtolicis Rom. 3. & 4. Gal. 2. & 3. Eph. 2. Quandoque verò notat ultimam ſalutis æternæ acquiſitionem ſive manifeſtationem, ad quam in curſu bonorum operum feſtinandum eſt, poſtquam fide in Chriſtum juſtificati hereditatem regni cœleſtis adepti ſumus. Sic ergo *bona opera ſunt via regni, non autem cauſa regnandi* teſte Bernhardo lib. de gratia & lib. arb. circa finem. 7. Quando veteres negant fidem ad ſalutem ſufficere, loquuntur de inani perſuaſione fidei, quæ ſeſe non exerit aut exercet in operibus bonis, in quibus omninò ambulare debent per veram in Chriſtum fidem juſtificati.

Confeſſio adverſariorum.

161. Addamus denique confeſſionem ſcholaſticorum & quorundam ſcriptorum Pontificiorum, quam veritatis fulgor etiam clauſos oculos quandoque feriente protulerunt. ** Lombard. lib. 3. diſt. 23. D. *Credere in Deum eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere & ejus membris incorporari, per hanc fidem juſtificatur impius, ut deinde ipſa fides incipiat per dilectionem operari.* Nicolaus Gorram in c. 4. Rom. *Sufficit ad juſtificationem quod aliquis credat, nec exigitur quod operetur ad hoc.* Ibid. *Si ſolũ credit in Chriſtum, licet non operetur, reputatur ideo fides ejus ſola ad juſtitiam ſufficientem.* Thom. Aquin. ** in c. 3. Rom. lect. 4. *Oſtendit Apoſtolus hic Iudæos & gentes eſſe æquales, quantum ad ſtatum gratiæ, oſtendendo ſolâ fide Chriſti fieri juſtificationem.*** in cap. 3. Galat. *Secundum gloſſam hoc quod dicitur, quicunque ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, intelligendum eſt de operibus Ceremonialibus, vel dicendum, quod loquitur hic Apoſtolus de omnibus operibus tam Ceremonialibus, quàm moralibus, opera enim non ſunt cauſa, quòd aliquis ſit juſtus apud Deum, ſed potius executiones & manifeſtationes juſtitiæ.* Ibid. *dicendum*

quòd nemo juſtificatur ex lege, i. e. per legem, nam per eam quidem cognitio peccati habebatur, ſed nō habebatur per eam juſtificatio. Ex operibus enim legis nullus juſtificabitur. Sed contra Iacobi 2. dicitur, Nonne Abraham ex operib. juſtificatus eſt? Reſpōdeo dicendū, quòd juſtificare poteſt accipi dupliciter, vel quantū ad executionem juſtitiæ & manifeſtationem & hoc modo homo juſtificatur, id eſt, juſtus oſtenditur ex operibus operatis, &c. Idem in 1. Tim. 1. lect. 3. *Non eſt in eis* (operibus) *ſpes juſtificationis, ſed in ſola fide Rom. 3. arbitramur hominem juſtificari per fidem ſine operib. legis.* Bonavent. in 4. ſent. diſt. 15. q. 1. *Homo non potuit pro tanta offenſa ſatisfacere, ideò Deus dedit ei Mediatorē, qui ſatisfaceret pro offenſa, unde in ſola fide paſſionis remittitur omnis culpa & ſine fide ejꝰ nullus juſtificatur.* c. Firmiſſimè diſt. 4. de conſecr. *Abſq; ea Dei nullus liberatur, niſi per fidem Mediatoris Dei & hominum hominis Ieſu Chriſti.* c. Caritas eſt aqua diſt. 2. de pœnit. *In Chriſtum credere eſt amando in ipſum contendere. Hæc eſt fides, ut definit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur, huic duntaxat remiſſio peccatorum promittitur. quòd ſi caritas à fide Chriſtianorū ſejungi nequit, cui ſcil. ſoli venia promittitur, quomodo qui caritatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit, i. e. in Chriſtum credidit.*** c. Caritas diſt. 2. de pœnit. *Hoc eſt enim manducare panem vivum, quod credere in Chriſtum, id eſt, amando tēdere in ipſum; cùm ergo reprobus in eum non credit quem non manducavit & ita fidem Chriſtianorum, quâ ſolâ peccata relaxantur, non habuit, quomodo judicium perpetuæ damnationis effugiet?* Pelbartus de Themes War ſerm. 2. in Dom. 3. Adv. *Quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo & quia per ſolam fidem in Chriſtum habetur beatitudo cœleſtis, ideò Chriſtus dicit, Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.*** Gloſſa ord. Jacob. 2. *Abraham per opera quæ fecit, juſtus non fuit, ſed ſolâ fide: oblatio v. ejus eſt opus & teſtimoniū fidei & juſtitiæ.* Georg. Caſſan. in Conſult. art. 4. ſcribit, *exempla ſuppetere, ubi quoque juſtificatio, quæ eſt poſt regenerationem, ſolâ fide cōſtare dicitur, ut illud Bernhardi. Quisquis pro peccatis compunctus &c.* Eraſ. alicui ſcribit. *Vox Sola tot clamorib. lapidata hoc ſeculo in Luthero reverenter auditur & legitur in patrib.* Roffenſ. art. 1. adv. Luth. *fides quæ juſtificat, ferax eſt bonorū operum, nec v. inficior, quin fides abſq; partu bonorum operum, h. e. cùm opera nondum peperit, juſtificet, at jam operū gravida eſt & paritura cùm occaſio fuerit.* ** Ann. 1512. cùm quidam Vicarius in templo arcis Grimenſteinenſis rythmos quosdam ſacros componere juberetur, hoſce protulit.

Sind das Chriſtus iſt geboren/
Iſt keine gläubige Seel verlohren.
Wiſſe das die Chriſtenheit/ (lend.**
Das wehre uns München und Pfaffen

Joh. Hoffmeiſt. in Har. Aug. Conf. Fabric. p. 46 ed. Colon. An. 87. *Ante exortū hunc in Eccleſia Dei tumultum nemo fuit offenſus particulâ illa Solâ, quā jam teneræ quorundam aures vix ferre queunt, nemo ſiquidem unquā in jus vocavit D. Ambroſium quòd affirmarit, hominem ſolâ fide juſtificari.* M. Gian Franceſco Virginio Breſciano hoc ſcripſit ex Epiſt. Pauli ad Rom. 3. & inſcripſit Madamæ Renatæ Duciſſæ Ferrarienſi di Bolognia Ann. 1551. Venetiis. *Hora jo pure homaj ſcoperti per impy & iniqui: e' fatto chiaramente vedere, che non per la oſſervatione della lege, ma ſola per la fiducia ne i meriti di Gieſu Chriſto, pote te giuſti ficarvi preſſo à Dio e' ſalvarvi. Demonſtravi hactenus, nos eſſe impios & injuſtos & clarè oſtendi, quod non per obſervationem legis, ſed per ſolam fidem & fiduciam in meritum Chriſti coram Deo poſſitis juſtificari & ſalvari.* ** Piggius (teſte Vega lib. 7. de Juſtif. c. 21.) aliiq; Catholici doctrinâ & pietate inſignes (teſte Stapletono lib. 7. de Juſtif. cap. 9.) Colonienſes Canonici quin etiam autores libelli oblati à Cæſare Collocutoribus Proteſtantibꝰ in Comitiis Ratiſbonenſibus (teſte Vega lib. 15. cap. 21.) dicunt *tantum per imputationē juſtitiæ Chriſti, quatenus fides noſtra apprehendit miſericordiam Dei propter meritum Chriſti nos juſtificari coram Deo.* Ut prætereamus Caſſandrum, Stapulenſem, Peraldum, Ferum, & alios Rom. Eccleſiæ alumnos, qui ad eandem Proteſtantium doctrinam tanquam unicam animarū anchoram totis viribus adhæſerunt. Cornel. à Lapide in comm. cap. 3. Rom. *Iuſtitiam ab Apoſtolo fidei præ aliis virtutibus tribui, eò quod fides clarè oſtendat homines juſtificari non propriâ virtute aut merito, ſed Chriſti, in quem credentes ſalvi fiunt.*** Nec dubium, quin laudatiſſimus & ęternâ memoriâ digniſſimus Imperator Carolus V. adductis ſententiæ noſtræ fundamentis, præſertim verò quòd in Comitiis Auguſtanis An. 30. ab adverſæ partis Theologis audierat, *Confeſſionem Auguſtanam ex Patribus quidem, non autem ex Scripturis refelli poſſe*, quin (inquam) his & ſimilibus argumentis adductus paulò ante finem vitæ cœleſtem hanc veritatem de gratuita juſtificatione per fidem in Chriſtum amplexus ſit referente non ſolùm Chytræo in Orat. funebri, ſed etiam Secretario Pauli IV. pontif. act. 2. An decreta Concil. Trident. armis imperanda f. 108. edit. Pfortheim. *Metuo* (inquit) *ne ſit oleum additum camino, cùm ad ſanctitatem veſtram Toletanę Epiſcopus ſcripſerit, ipſum Carolum morientem dixiſſe, ſibi videri veram eſſe Lutheranorum de juſtificatione ſententiā. Fama idem ſtatim per univerſam Europam tulit & ſimul quòd Sanctitas veſtra dixerit, ſe nolle ipſi propterea, quod cum Lutheranis in præcipuo religionis capite ſenſiſſet, ullas exequias celebrare.* Idē refert Gerardus Busdragus Epiſcopus Argolicenſis in Epiſtola ad Cardinalē quendam Anno 1558. ſcripta, quam recitat Wolfius præf. tom. 1. lect. memorabilium. ** Jacob Auguſt. Thuan. lib. 23. Hiſt. refert, *Auguſtinum Cacallam & Franciſcum Biverum ambos Concionatores Caroli quinti ſimul uſtulatos fuiſſe Valdolidi, Conſtantinum v. Pontium, qui eidem à ſacris concionibus & ſolitudinis, tolerantiæ, devotionis uſq; ad mortē conſors fuerat, accepimus brevi tempore pòſt ad Inquiſitorū tribunal raptū in fœdo ſqualore carceris vitam expiraſſe, cumq; cadavere ipſius viginti octo alios ex præcipua regionis nobilitate ſpectante Philippo Rege palis alligatos & crematos fuiſſe.***

162. Atq; hæc ſunt præcipuæ ſententiæ noſtrę fundamenta, quibus demonſtramꝰ, fidem ſolam juſtificare, cui adeò infenſi ſunt Pontificii quidā ſcriptores ut nos appellent *fido ſolarios* (uti patet ex analyſi Greg. de Valētia & aliis) perinde ut Julianus fidelibus olim objiciebat: ὐδὲν ὑπὲρ τὸ πίςευσον τῆς ὑμετέρας ἐςὶ σοφίας, referēte Sozom. l. 5. Hiſt. Eccl. c. 18. ** Cyprianus in expoſ. Symb. Ap. *Pagani nobis objicere ſolēt, quòd religio noſtra quia q. rationib. deficit, in ſola credēdi perſuaſione conſiſtat.*** Unde etiam fulmen illud Trident. prodiit *Antitheſis Adverſariorum.*

ſeſſ. 6. Can. 14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi & juſtificari ex eo, quòd ſe abſolvi & juſtificari certò credat, aut neminem verè eſſe juſtificatum, niſi qui credit ſe eſſe juſtificatum, & hac ſolâ fide abſolutionem & juſtificationem perfici, anathema ſit*: cujus canonis inſidias aperuit Dominus Chemnitius in Examine. Bellarm. lib. 4. de notis Eccleſ. c. 9. Cum *Simonianis* & *Eunomianis* profligatiſſimis hæreticis propter hanc doctrinam nos comparat. Fevardentius in præfat. com. in Epiſt. Jacob. *dogma hoc* ſcribit *minimè Apoſtolicam eſſe, ſed Simonis Magi, Eunomii, Baſilidis, Joviniani ac Pſeudo Apoſtolorum hæreſin teterrimam.* Quid verò, ſi par pari referre & conviтiis certare velimus, an non æquiſſimo jure poſſemus dicere, ſententiam de juſtificatione operum eſſe Thalmudicam, Mahometicam & Arianam? Thalmud plenum eſt illis dictis, quòd fides & opera conjunctim juſtificent. *Filii Iſrael credunt, & rectè vivant, ex his verò juſtificantur.* Alcoranus: *fiduciam habemus & operamur, & ſalus accidit animæ noſtræ.* Catecheſis Neariana: *Non ſola fides, ſed cum fide & opera juſtificant.* Sed faceſſant convitia, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione decertet, videbimus igitur quid in noſtra ſententia adverſarii deſiderent, & quibus arietibus, eam oppugnent.

An noſtratos hac in re diſſentiant. 1. Quidam dicunt fidem eſſe cauſam formalem juſtificationis, quidam verò negant.

163. Bellarminus 1. de juſtif. c. 12. antequam noſtram oppugnare incipiat, prius diſſenſiones noſtrorum oſtendere conatur, quas ad tria capita revocat. 1. Alii dicunt *fidem eſſe veram cauſam juſtificationis*, ut Lutherus in cap. 2. Gal. *Fides eſt formalis juſtitia, propter quam homo juſtificatur non propter caritatem.* Alii tamen plurimi & ferè omnes hoc tempore docent, *fidem non juſtificare per modum cauſæ formalis vel meritoriæ, ſed ſolùm relativè, quia reſpicit ac recipit oblatam indulgentiam.* Reſp. Propriè & exactè loquendo fides non eſt cauſa formalis juſtificationis, cùm enim juſtificatio ſit actio Dei, quomodo fides noſtra erit formalis ejus cauſa? quâ de re inferius latè diſputabitur, hac vice dicimus. Non eſſe exactam oppoſitionem inter cauſam inſtrumentalem & veram, cùm inſtrumentalis itidem ſit vera cauſa, licet nec principalis, nec meritoria, nec formalis ſit. Qui fidem dicunt cauſam formalem juſtificationis, formæ termino latiùs utuntur pro modo ac ratione, qua coram Deo juſtificamur, ut ſit ſenſus, juſtificationis noſtræ hunc eſſe modum ac rationem, ut fides amplectatur Chriſtum, & in Chriſto gratiam Dei, remiſſionem peccatorum & juſtitiam coram Deo valentem. Eſt qui reſpondet fidem accipi dupliciter, primum pro dono Spiritus ſancti ſive facultate credendi in corde hominis, quo modo eſt inſtrumentum apprehendendi Chriſtum: Deinde pro ipſa fiduciali Chriſti in Evangelio apprehenſione, quo modo exprimit applicationem cauſæ formalis, hoc eſt, modum & formam juſtificationis. Fide enim, hoc eſt, credendo ſive Chriſtũ apprehendẽdo juſtificamur. Quemadmodum vocabulum Intellectus & Voluntatis in homine utrumque ſignificat, primò ipſam naturalem intelligendi & volendi facultatem, quâ dicitur homo velle & intelligere: Deinde ipſum actum intelligendi & volendi, hoc eſt, ipſam intellectionem & volitionem; ita vocabulum Fidei notat tum ipſam credẽdi facultatem (ſive donum à Spiritu ſancto per miniſterium Evangelii in corde hominis accenſum) quâ homo dicitur credere; tùm ipſum etiam credendi actum ſive creditionem (ut ita loquamur) cum hac reſponſione coincidit, quòd alii in hac propoſitione, *fide juſtificamur*, agnoſcunt ſynecdochẽ ut ſit ſenſus, *fide juſtificamur*, id eſt, per Chriſtum fide apprehenſum, in quo eſt noſtra juſtitia; ubi monendum, quòd vox Synecdoches accipiatur in ſignificatione Grammatica pro comprehenſione, nõ autem pro figura Rhetorica, quâ pars pro toto vel contra totum pro parte accipitur. Senſus enim eſt, quòd fide Chriſtum apprehendente & complectente juſtificemur, quod à quibuſdam (præſertim à Bugenhagio Pomerano) declaratur ſimilitudine annulli aurei gemmam nobilem continentis, qui æſtimatur centum coronatis non propter aurũ, ſed propter gemmam, quã incluſam habet: ita quoque fides juſtificat, non propter ſe, ut eſt in homine qualitas, ſed propter Chriſtum, quem apprehendit & tenet, quo modo rectè dicitur, neq; Chriſtus nos juſtificare ſine fide, nec fides ſine Chriſto, ſed comprehenſivè fides tenens Chriſtum, vel Chriſtus fide apprehenſus. Quidam etiam utuntur ſimilitudine manus mendicæ Eleemoſynam recipientis, quæ nec eſt ipſa eleemoſyna, nec ejus cauſa meritoria, ſed relativè ſolùm cõcurrit ad eleemoſynam obtinendam, cùm dare & recipere ſint relativa: ita quoq; fides juſtificat relativè, quatenus Chriſtũ, qui eſt noſtra coram Deo juſtitia, apprehendit. Ex quo Bellarmin. vitioſè colligit, nos nihil fidei tribuere, ſed eam planè contemnere ac nihili facere, quid enim? an non inſigne eſt fidei præconium, ꝙ ipſa ſola polleat vi apprehendendi Chriſtum ac proinde, quod per eam Chriſtus recipiatur & habitet in cordib. noſtris, ꝙ dona Dei per eandem nobis applicentur. Cæterum ne D. Lutheri verba, ꝙ fides ſit formalis noſtra juſtitia, moroſius à Bellarmin. urgeantur, referemus hûc quædam ex Epiſtola ipſius Lutheri ad Brentium hac de re ſcripta. *Ego* (inquit) *ſoleo, ut hanc rem meliùs capiam, ſic imaginari, quaſi nulla ſit in corde meo qualitas, quæ fidei vel qualitas vocetur, ſed in loco ipſarũ pono ipſum Chriſtum, & dico hæc eſt juſtitia mea, ipſe eſt qualitas & formalis, ut vocant, juſtitia mea, ut ſic me liberem ab intuitu legis & operum, &c.*

164. 2. *Diſſentiunt de actibus aliarum virtutum, quarum præſentiam alii dicunt requiri, vel ut ſigna vera fidei, vel alii de cauſis, alii verò negant.* Reſp. particula Sola non excludit virtutes reliquas, ſpem, dilectionem, timorem, &c. à fide, ſed à juſtificatione; non à juſtificatis, ſed ab actu juſtificationis, hoc enim vult, fidem eſſe unicum inſtrumentum apprehendendi Chriſtum, & hãc unicam eſſe rationem & modum juſtificationis, ut in Chriſtum credamus; breviter particula Sola non limitat ſubjectũ ſed prædicatum. ** (*Dum ſolam fidem in negotio ſalutis urgemus, non fidem a bonis operibus ſeparatam, ſed potius vivam & per caritatis opera efficacem intelligimus. Quamvis n. ſola fides Chriſti meritum apprehendat, adeoq; ſola juſtificet, non tamẽ ſola exiſtit, nulla hic fingẽda eſt ſeparatio quoad exiſtentiã, quamvis urgenda ſemp ſit diſtinctio quoad eſſentiã & officiã. Solius fidei hoc munus eſt, non operũ, ut juſtificet. hæc ipſa v. fides juſtificans in nullo ſubjecto datur, ꝙ non ſimul Deũ diligat & benè operari ſtudeat.* Meiſn. cõtra Socin. p. 160.) ** Præſentia illorũ actuũ eſt in hominib.

2. Quidam requirunt præſentiã aliarum virtutum, quidam verò minimè.

qui

qui credunt, ſed illi actus non pertinent ad juſtificationem. Quia enim ſola fides Chriſtum fiducialiter recipit, quod nulli actui alterius virtutis competit, ideò ſola juſtificare dicitur ſine actibus aliarum virtutum. Ergo, quòd Lutherus dicit, *fidem niſi ſit ſine ullis etiam minimis operibus non juſtificare, imo non eſſe fidem.* tom. 1. Lat. Jen. f. 488. id accipiendum de fide in actu juſtificationis occupata, non autem ut ſeſe in ipſis juſtificatis habet, ac per bona opera exerit, ea enim à vera fide nunquam abeſſe, ſexcentis in locis inculcat Lutherus. Monendum tamen per actus virtutum intelligi hoc loco potiſſimùm interiorem cordis renovationem, quæ cum remiſſione peccatorum ſemper eſt conjuncta, ſi enim exteriores actus virtutum reſpiciantur, fatendũ, eos non ſolùm à juſtificatione ſed etiam à fide juſtificante quandoque abeſſe, quod ipſe Bellarminus non omninò negat, ſic enim ſcribit lib. 1. de juſtif. cap. 25. Col. 1021. *Origenes opponit fidẽ operi externo ac docet, poſſe hominem interdum juſtificari, etiamſi nullum opus externum faciat, ponit enim exemplum peccatricis & latronis, qui non leguntur jejunaſſe aut Eleemoſynas feciſſe antequã juſtificarentur, itaque per vocabulum Solam, excludit Origenes neceſſitatem operis externi, quando videlicet aut poteſtas aut occaſio deeſt ejuſmodi operis faciendi.* Ibid. col. 1023. *Chryſoſtomus docet fidem ſolam, id eſt, ſine opere externo interdum ſufficere, opus externum ſine fide nunquam ſufficere, & rationem reddit, quia fides parit opera, opera nõ pariunt fidem.*

3 Quidam acriter pugnant pro particula Sola, quidam verò minimè.

165. 3. *Alii cenſent acerrimè dimicandum eſſe pro particula Sola. alii ſtatuunt voculam illam Sola, in propoſitione, quod fides juſtificet, ſubintelligi, etiamſi non exprimatur, ideoq; nõ eſſe de ea pertinaciter altercandum, præſertim cum non contineatur in ſacris literis, imo poſſe utiliter reticeri concordiæ cauſâ.* Reſp. Novimus in Actis Synodicis p. 109. ed. Ger. quoſdam ſecutos Formulam Interreligionis ſive Interim ſic ſcribere: *Non pugnamus de particula Sola, ſed dicimus & confitemur, oportere in nobis & alias virtutes & bonum propoſitum inchoari: ſed tamẽ ultra illas virtutes requiri fiduciã in Filium Dei, quæ reliquas virtutes omnes obumbret, &c. Ac ſi ſecundum mentem Apoſtolicam doctrinã de juſtitia fides tenerent & explicarent, particulã Sola, quã illi tantopere offenduntur, non ita mordicus urgemus, &c.* Verùm enimverò cùm per oppugnationẽ particulæ excluſivæ ſinceritas doctrinæ cœleſtis ab adverſariis obliquè petatur & labefactetur, ideò nõ patiemur eam nobis extorqueri, 1. Quia diſertè ponitur in Scriptura. 2. Evidenter & neceſſariâ conſequentiâ ex ea deducitur. 3. Conſenſum habet orthodoxę antiquitatis, (quæ membra ex ſuperiorib. patẽt.) ** Baſilius referente Theodoreto lib. 2. c. 27. Valentis Imperatoris Præfecto unius literulę veniam ſuadenti reſpõdit. *Qui divinis innutriti ſunt eloquiis, corrumpere de divinis dogmatibus ne unam quidẽ ſyllabam patiuntur, ſed pro his ſi cõtingat omnes etiã mortis ſpecies amplectuntur.* Leonas Conſtantii aulicus & in Concilio Seleucienſi Vicarius Patribus de ὁμοουσίῳ vehementer uti par erat, contendentibus: *abite inquit & in Eccleſia nugas agite.* Socrat. lib. 2. c. 32. ** 4. Emphaticè complectitur omnes excluſivas, quas Scriptura hac in re adhibet; quod n. Apoſtolus aſſerit, *fide ſine operibus nos juſtificari, credenti non operanti fidem imputari ad juſtitiam, nõ juſtificari hominem ex operib. niſi per fidem Ieſu Chriſti, &c.* id breviſſimè & nervoſiſſimè ſic exprimitur, nos ſolâ fide juſtificari. ** (Uſus particularum excluſivarum neceſſarius eſt. 1. ad δοξολογίαν Chriſto ſoli debitam Eſ. 63. v. 2. Act. 4. v. 12. 2. ad πληροφορίαν ut conſciẽtia firmo nitatur ſolatio Rom. 4. v. 16. Galat. 2. v. 21. 3. ad διάκρισιν promiſſionum legalium & Evangelicarum quarum illæ conditionem operum, hæ ſolã requirunt fidem. 4. aliud organum dari nequit, quo Chriſtum apprehendamus.) ** 5. Hodierni ſcriptores Pontificii videri volunt duriores quaſdam ſcholaſticorũ diſputationes improbare, nec dubitãt affirmare, nos ſolâ Dei gratiâ, ſolo Chriſti merito, & ſine operibus juſtificari, ſed novis corruptelis illas propoſitiones in alienum ſenſum poſtea detorquent, quib' noſtra propoſitio, fide ſolâ juſtificamur, nõ tàm facilè obſcurari poteſt. 6. Debitũ Chriſto honorem aſſerit, & ſolidam territis conſcientiis conſolationem præſtat. 7. Similia in Scripturis exempla habet, ut in vindicatione verſionis Germanicæ D. Lutheri poſtea videbimus. 8. Deniq; eſt inſtar Symboli puræ & Evangelicę doctrinæ; Quemadmodum per Schibboleth Galaaditæ ſuos contribules explorabant Jud. 12. v. 6. Ita per particulam Sola, inſidiæ adverſariorum deteguntur, inde etiam tanto eam proſequuntur odio, ut nos fide ſolarios propter ejus uſum appellent. Ecquis igitur de retinenda in hoc negotio particula excluſiva dubitare velit?

Argumenta contra juſtitiam fidei.

166. His ita præmiſſis aciem contra nos inſtituit Bellarminus, & in quinque Claſſes diſtribuit argumenta, quibus contra nos pugnat. Videbimus quantũ inſit eis roboris. 1. *Scriptura & Patres tribuunt vim juſtificandi non ſoli fidei, ſed & aliis virtutibus, quas Concilium Tridentinum inter Diſpoſitiones ad juſtitiam numeravit.* Argumentũ Bellarmini tale eſt. *Fides juſtificat per modũ Diſpoſitionis. Atqui tales diſpoſitiones ſunt complures. Ergo non ſola fides juſtificat.* Reſp. fidem juſtificare Scriptura aſſerit, ſed quòd per modum diſpoſitionis unà cum aliis virtutibus juſtificet, id v. nuſpiam aſſerit. πρῶτον ψεῦδος conſiſtit in eo, quòd Bellarminus fidem ſtatuit eſſe tantummodò aſſenſum, non autem fiducialem Chriſti apprehenſionem. Quę ergo de fide *per modũ diſpoſitionis*, ſive ut alibi loquitur, *radicaliter ac inchoativè* juſtificante Bellarm. profert, ea, 1. non ex fontibus Iſraëlis, ſed ex Scholaſticorum lacunis ſunt petita; 2. Nõ ad Scripturæ normam, ſed ad phyſicas regulas actum juſtificationis exigũt. Phyſici n. docent, *nullam formam recipi niſi in materia prius ultimatè diſpoſita.* 3. Naturalibus liberi arbitrii viribus nimiùm tribuunt, quaſi per eas ad gratiam ſeipſum poſſit homo diſponere ac præparare. 4. Renovationem ac juſtificationem confundunt; quæ n. virtutes ad renovationem propriè pertinẽt, eæ ad juſtificationem perperam trahuntur. 5. deniq; quod fidei ſolius eſt, aliis virtutibus, præſertim verò caritati Bellarm. tribuit, à qua fidem dicit formari, & vim juſtificandi à caritate fidei communicari. Sed videamus quomodo probet fidem juſtificare per modum Diſpoſitionis, & cum fide etiam alias Diſpoſitiones ad juſtificationis actum concurrere, nos enim utrunque negamus.

1 Fides juſtificat per modum diſpoſitionis. Sed ſunt plures diſpoſitiones ejuſmodi.

Prima diſpoſitio eſt fides.

167. *Prima*, inquit, *Diſpoſitio eſt fides, qua juſtificat ut initium & radix prima juſtificationis, ex*

quo

quo ſponte ſequitur, ipſam non ſolam juſtificare, ſed ſic tam in hoc negotio agere quod ſuum eſt, ut etiam ceteris virtutibus locum relinquat. Fidem autem eſſe initium juſtificationis docet Apoſtolus Hebr. 11. accedentem ad Deum oportet credere, ubi fides tribuitur prima motio in Deum, per quam is, qui longè erat, jam incipit propinquare. Idem Apoſtolus Rom. 10. Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit, ſed quomodo invocabunt, in quem nō crediderunt? quomodo credent ſine prædicante? quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ubi hūc ordinem juſtificationis proponit Apoſtolus, ut primò ſit miſſio prædicatorum; ſecūdò ipſa prædicatio Evangelii, tertiò fides, quartò invocatio, quintò ſalus & juſtificatio, quæ eſt ſanitas animæ à morbo peccati; Et Johannes cùm ait cap. 1. Quotquot eum receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomen ejus, apertè docuit, eos qui per fidem Chriſtum recipiunt, nondum eſſe filios Dei, ſed poſſe fieri, ſi pergant ulterius, ut etiam ſperare & diligere incipiant, dilectio enim propriè filios Dei facit. 1. Joh. 2. Patres fidem vocant juſtitiæ fundamētum & originem, primam ad ſalutem inclinationem, oſtium vitæ &c. accedit ratio naturalis, nam poteſt aliquis credere, quod non ſperat, nec diligit, non poteſt ſperare aut diligere, quod non credit: igitur fundamentum ſpei & caritatis eſt fides, non contra fundamentum fidei ſpes aut caritas. Rurſus in corporabilib. morbis initium ſalutis eſt credere ſe ægrotum eſſe & Medico curare volenti fidem habere, non tamē ſola illa fides eſt integra ſanitas. Reſp. Poſſet nō immeritò ambigi, an fides ſit converſionis initiū ſeu prima diſpoſitio, cū terror, tremor & contritio præcedat fidem, non ſolùm ratione fiduciæ, ſed etiam quandoque ratione aſſenſus; ſed tranſeat hoc, dicimus ergo. 1. fidem in homine juſtificato eſſe initium & radicem reliquarum virtutum, ſed in actu juſtificationis ſolam eſſe inſtrumentum apprehendendi Chriſtum. 2. Ergo quod fidem reliquæ virtutes, timor, ſpes, dilectio, &c. comitentur & ſequantur, id nemo noſtrûm negat, idque allatis Scripturæ & Patrum teſtimoniis probari non diffitemur, ſed quòd fides ſit tantùm initium juſtificationis, quam tantummodo inchoet, ita ut opera fidem ſubſequētia complementum & perfectionem eidem addant, id verò totis viribus negamus, nec ex allegatis dictis evinci poteſt. *Fide* enim *nos juſtificari, fidem ad juſtitiam imputari, per fidem ad ſalutem nos cuſtodiri*, Apoſtolus aſſerit, nuſpiam verò complementum juſtificationis vel caritati, vel aliis virtutibus tribuit. 3. Fide nobis patere aditum ad Deum, fidem ex auditu verbi prædicati in cordibus oriri, ex fide invocationem promanare, &c. nemo noſtrûm negat, ſed ex eo nullâ conſequentiæ neceſſitate inferri poteſt, quòd fides ſola non juſtificet. 4. Fide non ſolùm accedimus ad DEUM, ſed etiam fide juſtificamur. Rom. 3. v. 24. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum.* Rom. 5. v. 1. *fide* etiam *ſtamus.* v. 2. *& virtute Dei ad ſalutem cuſtodimur per fidem.* 1. Petr. 1. v. 5. Ergo non ſolùm initium, ſed etiam complementum ſalutis fidei tribuendum. Nec tamen caritatem & reliquas virtutes à fide ſejungimus, ſed duplicem ἐνέργειαν fidei tribuim⁹, unam quidem formalē (ut vocant) quâ apprehendit Chriſtum, cujus juſtitia per fidem nobis imputatur, alteram effectivam, qua per dilectionem & alia bona opera ſeſe exerit, in quibus conſiſtit juſtitia novæ obœdientiæ, cujus fundamentum, mater & origo eſt fides. 5. Dictum Johannis à depravatione Bellar. ſuperiùs vindicavimus. §. 156: Johannes in illa Epiſtola nunquā aſſerit, quòd dilectio nos faciat Dei filios, ſed quòd tales nos eſſe demonſtret. 1. Joh. 2. v. 5. *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc caritas perfecta eſt, in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus.* 1. Joh. 3. v. 10. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii Diaboli, omnis, qui non facit juſtitiam, non eſt ex Deo, & qui nō diligit fratrem ſuum.* v. 14. *Nos ſcimus, quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* v. 18. *Filioli non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate.* v. 19. *In hoc cognoſcimus, quoniā ex veritate ſumus*, perinde ut & Chriſtus dilectionem conſtituit veram piorū notam. Joh. 13. v. 35. *In hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* 6. Neminem ſperare, aut diligere id, quod nondum credit, ac proinde fidem eſſe ſpei & caritatis fundamentū, nemo noſtrûm negat, ſed ex eo illud tantùm ſequitur, quòd fides ſit fundamentū & radix bonorum operum, non autem quòd ſit radix & fundamentum juſtificationis, niſi præſupponatur id, quod adhuc in quæſtione eſt, videl. operib⁹ nos coram Deo juſtificari. Per fidem veram & juſtificantem non ſolùm credimus nos eſſe ægrotos (quod fidei hiſtoricæ propriè competit) ſed etiam pretioſam medicinam in Chriſto nobis propoſitam ad ſalutem animæ recipimus, ita enim deſcribitur fides. Joh. 3. v. 14. & 15. quod ſit ſpiritualis & efficax Chriſti in cruce pendentis intuitus, quo à vulneribus animę noſtræ liberemur ac ſanemur: Proinde fides in Chriſtum longiſſimè diſtat à fide ægroti, quæ nec cauſa nec pars eſt ſanitatis, adde quod ſanitas corporis ſit qualitas magis & minus recipiens, juſtificatio autem in relatione conſiſtit, cum quà confunditur in hac ſimilitudine renovatio, per quam Natura incipit ſanari, & ad primævum ſtatum reduci.

168. *Secunda diſpoſitio* (ait Bellarm.) *eſt timor, qui eo ferè modo concurrit ad juſtificationem, quo ipſa fides.* Reſp. duplex eſt timor, ſervilis & filialis. Timor ſervilis juſtificationem præcedit, quia antequam peccata in juſtificatione remittantur, vera eorundē ex lege agnitio ac ſerius de illis dolor requiritur; Deus priùs mortificat, antequā vivificet; priùs in infernū deducit, antequam reducat, nec infundit miſericordiæ oleū niſi in vas contritum; poſtea accedit fides, quæ terrores illos ſuperat, & in Chriſto Mediatore remiſſionem peccatorū quærit; longè ergo alio modo timor ſervilis ad juſtificationem ſe habet, quàm fides, ille n. eſt velut προπαρασκευὴ & antecedēs quoddam juſtificationis, hæc v. ejuſdem cauſa inſtrumentalis. Timor filialis eſt juſtificationis conſequens & veræ fidei fructus, neq; n. locū habet timor filialis in corde hominis, niſi per fidem prius ſit Dei filius: ex quo iterum apparet, aliter ad juſtificationem concurrere fidem quàm timorem filialem, id ꝙ ipſe Bellarminus quodammodo agnoſcere videtur, addit enim voculam *ferè*, cujus additamentum non erat neceſſarium, ſi timor & fides eodem modo ad juſtificationem ſe haberent: ſed videamus, quomodo probet Bellarminus, quod timor eo ferè modo cōcurrat ad juſtificationem, quo fides. 1. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo Heb. 11. Idem dicitur de timore Eccleſ. 1. Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari:* Reſp.

Secundâ diſpoſitiō eſt Timor.

Reſp. Spiritus ſanctus non ſolùm hoc aſſerit, quòd ſine fide non poſſimus Deo placere, ſed etiam quòd *fides imputetur ad juſtitiam*. Rom. 4. v. 4. & quòd *juſtificati fide pacem habeamus apud Deum*. Rom. 5. v. 1. Ergo fides eſt illud unicum medium, quo apprehendimus Chriſtum & in dilecto illo diligimur, id verò de timore non poteſt dici. Eccleſiaſticus non eſt in Canone, verba Græca ſic habent, *ὐ δυνάσεται θυμὸς ἄδικος* (al. *θυμώδης ἀνὴρ*) *δικαιωθῆναι non poterit vir iracundus juſtificari*: qui præceps fertur ſuis cupiditatibus, & pravis affectibus excuſſo Dei timore indulget, nec Deo placere, nec exitium vitare poteſt, quem eſſe verum hujus dicti ſenſum, patet ex ſequentibus: *ἡ γὰρ ῥοπὴ τοῦ θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσις αὐτῷ. Iracundia animoſitatis ejus eſt ſubverſio illius.* Eſt ergò diſpar ratio harū propoſitionum: *ſine fide impoſſibile eſt Deo placere*; & *qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari*: Prior deſcribit ipſum juſtificationis modum, nimirum illud ipſum, per quod Deo placemus: poſterior deſcribit qualitatem perſonæ, quæ juſtificatur, quod ex filiali timore Deo ſeſe reverenter ſubjiciat. 2. *Fides juſtificat, quia eſt initium juſtitiæ & ſalutis: at timor Domini eſt initium ſapientiæ Pſ. 110. Prov. 1. ubi per ſapientiam intelligitur juſtificatio, per timorem ſervilis ille timor, qui eſt in peccatore, ut docent Patres.* Reſp. Hypotheſis eſt falſa, quod ſcilicet fides juſtificet tanquam initium & radix, quin potiùs concurrit ad eam ut cauſa inſtrumētalis. In Hebræo ſic legitur רֵאשִׁית חָכְמָה יִרְאַת יְהוָה Reſchith chochmáh jirath jehovah. *Principiū* ſive caput *ſapientiæ*, hoc eſt, ſumma Sapientia *eſt timor Domini*; intelligitur autem timor non ſervilis, ſed filialis, talia enim effecta timori ibidem tribuuntur, quæ non poſſunt de ſervili timore intelligi, is enim fugit Deum, & horret ad eum accedere, cùm vera fides nos ad Deum deducat, quippe per quam accedimus ad thronum gratiæ, ſumus Dei filii, & clamamus, Abba Pater, ex hac fide oritur filialis timor, qui ſolicitè cavet, ne Deum benigniſſimum illum Patrem offendat, ac juſtitiæ & ſalutis jacturam faciat. Quid quod ipſius Bellarmini hypotheſibus contrarium eſt, ſervilem timorem hoc loco intelligere, ſi enim ſervilis timor eſt initium ſapientiæ ſive juſtificationis, ſequetur timorem potiùs quàm fidem eſſe initium ac originem juſtificationis, cujus contrarium in verbis præcedentibus Bellarmin. ſtatuit. 3. *Fides juſtificat, quia per eam accedimus ad Deum. Idem facit timor. Pſ. 77. Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Pſal. 82. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuū Domine.* Jon. 3. *ad timorem incuſſum à Iona Rex & populus Niniviticus ad Deum redit*, ubi etiam flagellatur Lutherus, quòd ſcripſerat in cap. 2. Gal. *Impoſſibile eſſe, ut peccator audiens ex lege judicium Dei nō fiat impatiens, & non murmuret & odiat Deum.* Reſp. timor ſervilis concione legis & ſenſu pœnarum extortus, quatenus in ſe conſideratur, & ſolus adhuc eſt abſque fide, omnino fugit Deum tanquam iratum judicem, & ſeverum peccatorum vindicem (ſicut ſervi fugiunt iratos dominos, ut apparet exemplo Adami, Gen. 3. verſ. 10. *Vocem tuam audivi, & timui, & abſcondi me*) tātùm abeſt, ut nos ad Deum deducat, id enim ſoli fidei competit ex prædicatione Evangelii per Spiritum S. in cordibus accenſæ. Fides eſt, per quam ad Deum accedimus, timorem ſervilem ſuperamus, & propter Chriſtum nos Deo dilectos eſſe ſtatuimus. Dicta à Bellarmino allata agunt de effectu pœnarum divinarum ac concionum legalium, quomodo ſcil. per prædicationem legis tàm verbalem quàm realem, h. e. pœnas ac calamitates corda hominum conterantur, & ad veram peccatorum agnitionem deducantur, ut ad Chriſtum animarum Medicum ſuſpirent, ſed neceſſe eſt, ut ad hos terrores accedat fides, per quam Chriſtus Mediator apprehendatur, aliàs ſola legis prædicatio vel in præſumtionem faſtuoſam erigit, vel in deſperationem damnabilem præcipitat. 4. *Fides juſtificat, quia per eam Chriſtus formatur in nobis.* Galat. 4. *At de timore ſcribit Eſaias c. 26. ſecundùm interpretationem LXX. è timore tuo concepimus & peperimus Spiritum ſalutis.* Reſp. Acceptamus, quòd fatetur Bellarmin. per fidem Chriſtum in nobis formari, cur ergo diſputat, *juſtitiam Chriſti nobis non imputari?* cur negat, *animam per fidem Deo copulari?* Cur ſtatuit, *fidem à dilectione & aliis virtutibus ſeparari poſſe?* ſi enim Chriſtus per fidem in nobis formatur, utique etiam noſter erit cum omni ſuo merito, utique anima noſtra Deo copulabitur, utique Spiritus ſanctus ad omne opus bonum nos impellet. Quod verò per timorem (& quidem ſervilem, de eo enim hîc diſputari in præcedentibus Bellarm. aſſerit) Chriſtum in nobis formari dicit, id caret Scripturæ fundamento. Quomodo enim per timorem ſervilem Chriſtus in nobis formaretur, cùm timor ſervilis ſit metus pœnæ, quo fugiunt homines Deum iratum, eundemque in intimo cordis receſſu odio proſequuntur? 1. Joh. 4. v. 18. *Timor non eſt in caritate, quia perfecta caritas pellit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Ex eo ſic colligo. Vera *fides per caritatem eſt efficax*, Gal. 5. v. 6. Vera caritas pellit timorem (ſervilem puta) ergo timor ſervilis non conſiſtit cum fide, tantùm abeſt, ut per eum Chriſtus in nobis formetur. Dictum Eſaiæ non loquitur de modo juſtificationis, ſed de calamitatibus populi Iſraelitici. Verſio latina (quam Concilium Tridentinum ſub anathematis fulmine authenticā pronunciavit) ſic legit v. 18. *Concepimus & parturivimus, & peperimus Spiritum ſalutis, juſtitiā non fecimus in terra*, ubi nulla fit mentio timoris, uti nec in textu Hebræo, cujus hæc eſt genuina paraphraſis: *doluimus, peperimus cum ſuſpiriis, neque tamen terræ ſalutem afferre poſſumus.* In verſione LXX. Interpp. additur quidem *διὰ τὸν φόβον σου κύριε*, ſed hæc verba ad præcedentem verſ. 27. pertinent, & manifeſtiſſimè ab hoc verſu 28. diſtinguuntur, adde quòd ibi in Hebræo ſit *ἀπὸ προσώπου σου κύριε*, & quod duplex translatio imperitè conjungatur. 5. *Fides juſtificat, quia juſtus ex fide vivit. Hab. 2. & de timore dicitur, quod ſit fons vitæ. Proverb. 14.* Reſp. dictum Salomonis agit de effectu timoris filialis, quòd cōſervet nos, ne implicemur laqueis Diaboli, & pertrahamur in æternam mortem, quo ſenſu timor DEI dicitur fons vitæ proverbiali quadam locutione: longè autem aliter juſtus ex fide vivit, nimirum quia fides apprehendit Chriſtum, & in Chriſto juſtitiam ac vitam æternam. Johan. 3. v. 36. 1. Joh. 5. v. 12. Inſcitè ergò hæc confundit Bellarminus, ſicut multa jura malus confundit coquus. Quæ de timore filiali agunt,

ea

ea de ſervili accipit: quæ de ſtudio bonorum operum in juſtificatis agunt, ea de modo juſtificationis intelligit. ** Salomon non agit de timore ſervili, de quo Bellarm. agit, quia de illo timore ſe agere dicit, de quo lib. 2. de pœnit. cap. 17. tractat, verùm de timore filiali, qui ex amore in Patrem cœleſtem cavet, ne peccatis eum offendat. Mal. 1. v. 6. Hebr. 4. v. 1. Phil. 2. v. 12. Pſ. 2. v. 11. in quo eſt fiducia valida, ut Salomon ſeipſũ explicat. Præterea aliter ex fide, aliter ex Dei timore vivimus. Fides eſt fons vitæ, quia amplectitur promiſſionem gratiæ & accipit remiſſionem peccatorum, quam ſequitur vita. Timor Domini filialis eſt ſcaturigo vitæ quia cavet peccata recedendo à tendiculis mortis ut eſt in textu, confer cap. 13. v. 14. Fides vivificat per boni quod confert præſentiã, timor Domini per mali, quod confert, abſentiam.** 6. *Fides juſtificat, quia purgat peccata Actor. 13. Rom. 3. Gal. 3 at de timore quoque legimus Eccleſ. 1. timor Domini expellit peccatum.* Reſp. Eccleſiaſticus propriè agit non de ſervili, ſed filiali timore, qui non eſt, niſi in illis, qui per fidem ſunt juſtificati, & in Dei filios adoptati. Filialis ille timor expellit peccatum, futurum ſcilic. hoc eſt, prohibet, ne ruamus in peccata & iram Dei accerſamus. Græca ſic habent: *φόβος κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα*, depellit peccata, ne committantur; Longè verò aliter fides peccata purgat, ſcil. quia in Chriſto peccatorum remiſſionem quærit & apprehendit, *Sanguis Ieſu Chriſti Filii Dei* (per fidem in verbo Evangelii & Sacramentis nobis aſperſus) *mundat nos ab omni peccato.* 1. Joh. 1. v. 7. *Patres idem docent.* Reſp. dicta quæ ex illis allegat Bellarminus, nihil aliud docent, quàm quod timor ſervilis ſive contritio præcedat fidem, quòd timor judicii divini extimulet ac impellat ad quærendam gratiam, interim tamen ſola fides manet unicum medium, per quod juſtitia Chriſti in Evangelio oblata nobis applicatur. 8. *Ratio idem docet, Natura enim timoris eſt, ut fugiat mala & quærat remedia, quibus illa poſſit effugere.* Reſp. timor ſervilis cor excitat, præparat & impellit ad quærendam juſtitiam & ſalutem, ſed illud ipſum deſiderium gratiæ non eſt timori ſervili tribuendũ, ſed i. e. ſolius fidei propriũ, per quam cor redditur quietũ & pacatum, per quam clamamus, Abba pater, per quam ſervilis timor fugatur.

Tertia diſpoſitio eſt Spes.

169. *Tertia diſpoſitio* (ait Bellarminus) *eſt ſpes, quæ naſcitur ex fide, nõ ſecus ac timor: eadem enim fides quæ docet Deum eſſe peccatorum vindicem & gehennam impœnitentibus præparaſſe, docet etiam eundem eſſe patrem clementiſſimum & nolle mortem peccatoris. Hanc ſpem obtinendæ veniæ eſſe diſpoſitionem ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum, docet Sapiens* Proverb. 8. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur: & David in* Pſal. 36. *Salvabit eos, quia ſperaverunt in eo.* Pſal. 90. *Quoniam in me ſperavit, liberabo eum: & Dominus* Matth. 9. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Reſp. 1. Ex fide naſci timorem ſervilem ambiguè dicitur, aut enim intelligitur hoc de fide juſtificante & ſic falſum eſt, cum timor ſervilis fugiat Deum, vera autem & juſtificans fides accedat ad Deum; ipſe Bellarminus capit. 6. hujus libri *fiduciam ex fide oriri* dicit, at fiducia & timor ſervilis ſeſe mutuò tollunt: aut intelligitur de fide generali & hiſtorica, quâ credimus veras eſſe comminationes legis divinæ, & hoc ſenſu concedimus, ex fide oriri timorem, ſed tũc propoſitio eſt à quæſtione aliena, agimus enim hîc de fide juſtificante. 2. Ex fide oriri Spem veniæ obtinendæ concedimus, addimus autẽ hanc explicationem. Quemadmodum homo peccator audiens legem DEI ac comminationes legi additas, eiſdemque fidem habens non poteſt non timore percelli: ita idem audiens promiſſiones Evangelii, eiſdemque fidem habens in ſpem erigitur, quod ipſe quoque peccatorum remiſſionem obtinere poſſit. Sic ergo ex fide generali ſpes concipitur, quæ præparat quidem ad juſtificationem, non autem ut meritum de congruo. 3. Dicta autem allegata propriè non agunt de ſpe illa ex fide generali concepta, ſed de ea, quæ eſt fidei juſtificantis propria, ſive de ipſa fidei fiducia, quâ remiſſio peccatorum & donum juſtitiæ non ſperantur ut futura, ſed ut in verbo Evangelii oblata & exhibita in præſenti obtinentur, quemadmodum Paralyticus per ipſam in Chriſtum fiduciam remiſſionis peccatorum actu particeps eſt factus. 4. Ergo ſpes quandoque ſumitur pro ipſa fiducia juſtificantis fidei propria, & ſic pro *ἰσοδυναμοῦν* accipiuntur, *ſperare in Dominum, confidere in Dominum, credere in Dominum*: quandoque verò ſumitur ut effectus fidei juſtificantis, ab ipſa fide diſtinctus, ita ut fides ſit de præteritis & præſentibus, ſpes autem tantùm de futuris. Hac ratione per ſpem expectamus liberationem ex calamitatibus, revelationem gloriæ filiorum DEI, plenariam poſſeſſionem hereditatis cœleſtis, &c. 5. Atque in hac poſteriori ſignificatione ſpes non poteſt eſſe diſpoſitio ad juſtificationem, cùm ſit effectus fidei juſtificantis. 6. Pleraque dicta allata agunt de liberatione ex calamitatibus, non autem modum juſtificationis deſcribunt, hactenus igitur ſunt à quæſtione aliena. *Prov. 28. v. 25.* fontes veritatis ita legunt. *Qui ſperat in Domino, ſaturabitur*, ſive pinguis efficietur: ſicut & Proverb. 29. v. 25. dicitur, *Qui ſperat in Domino, conſervabitur.* Pſal. 37. v. ult. *Eruet eos à peccatoribus & ſalvabit eos*, (hoc eſt, auxilium illis feret) *quia ſperaverunt in eo.* Pſal. 91. v. 14. *quoniam deſiderat me, liberabo eum.*

Quarta diſpoſitio eſt dilectio

170. *Quarta diſpoſitio* (ait Bellarminus) *eſt dilectio, quam eſſe priorem remiſſione peccatorum vel tempore, ſi ſit dilectio imperfecta, vel certè Naturâ ſi ſit imperfecta & ex toto corde, atque ad eam diſponere*, bis dictis Bellarminus probat. Eccleſ. 2. *Qui timetis Dominum, ſperate in illo*: & ſtatim additur: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra.* Luc. 7. *remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Gal. 5. *Nec circumciſio aliquid valet, nec præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* 1. Joh. 3. *Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quia fratres diligimus.* Reſponſ. 1. Vera & Deo placens dilectio eſt fructus fidei, nec locum habet niſi in iis, qui fide ſunt juſtificati, proinde non poteſt dici diſpoſitio ad juſtificationem, ſiquidem per fidem homo priùs juſtificatur, antequam Deum verâ & ſeriâ dilectione proſequatur. Proinde quamvis vera fides & ſincera DEI dilectio tempore ſint ſimul, ordine tamen Naturæ fides eſt dilectione prior. 2. Dilectionem igitur eſſe Naturâ priorem remiſſione peccatorum, ejuſdemque cauſam [illegible] negamus; neque ex allatis dictis id evincet Bellarminus. Eccleſiaſticus nõ eſt in

in Canone, neque agitur ibidem de modo juſtificationis, ſed admonentur pii ad veram ſpem & fiduciam in Deum collocandam, ut & ad ſinceram Dei dilectionem. Græca ſic habent: *οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον, πιστεύσατε αὐτῷ, καὶ οὐ μὴ πταίσῃ ὁ μισθὸς ὑμῶν. Οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον, ἐλπίσατε εἰς ἀγαθὰ, καὶ εἰς εὐφροσύνην αἰῶνος καὶ ἐλέους*, ubi non fit mentio illuminationis cordium, quam juſtificationi æquipollere & dilectionis divinæ effectũ eſſe ex hoc loco colligere voluit Bellarminus. Dictum CHRISTI Luc. 7. *Remiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, expoſuimus in tractatu de pœnitentia §. 91. dictum Apoſtoli Galat. 5. *Fides per dilectionem operatur*, ſententiam noſtram potiùs confirmat, quòd ſcilicet dilectio ſit ἐνέργεια ac fructus fidei, ac proinde juſtificatione & fide, juſtificante poſterior. Abſurdè autem & contra Grammaticas regulas vocem operari paſſivè exponi oſtendimus ſuperius. §. 124. Dictum Johannis. 1. Epiſt. 3. *Tranſlati ſumus de morte in vitam, quia fratres diligimus*, mutilatè à Bellarmino allegatur, integer enim contextus ſic habet. *Scimus quòd de morte ad vitam tranſlati ſumus, quia fratres diligimus*, ubi manifeſtum eſt, argumentum duci ab effecto ad cauſam, non autem cauſam tranſlationis è morte ad vitam dilectioni tribui, qui *in CHRISTUM credit, ille à morte in vitam tranſivit*. Johan. 5. verſ. 24. ac poſtea demum Deum diligit, quâ de re iisdem plura diximus ſuperiùs. §. 121. Et ſanè res ipſa oſtendit, dilectionem non poſſe ſtatui cauſam tranſlationis hujus de morte ad vitam, cum homo ſpiritualiter mortuus non poſſit opera ſpiritualis vitæ (inter quæ dilectio eminet) exerere, jam verò ante converſionem & vivificationem omnes ſumus in peccatis mortui. *Ephes. 2. v. 1. Coloſſ. 2. v. 13.* ** Si opponat quis Joh. 16. v. 27. *Pater amat vos, ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε. Ergo amor noſter erga Chriſtum tantum promeretur, ut ἀντιφιλήσεως affectu Pater cæleſtis nos proſequatur.* At hoc repugnat. 1, textui, *α.* τὸ ὅτι non accipitur αἰτιολογικῶς ſed συλλογιστικῶς ratiocinativè, quod non cauſam rei ſed antegreſſæ aſſertionis probationem denotat vel σχετικῶς relativè pro pronomine relativo Qui, unde textus Syriacus דאנתון רחמתון לי hîc non habetur τὸ γὰρ αἰτιολογικὸν ſed præfixa litera ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαλύτως Dolath. quæ Hebræo vel integro אֲשֶׁר vel amputato שֶׁ *qui, quæ, quod*, per omne genus & numerum ἄκλιτος exiſtens æquipollet. *β.* τὸ ἀγαπᾶν non nudum amoris affectum ſed fidem in Chriſtum incluſam præſupponit, unde *diligere* in ſacris etiam pro proſequi & amplecti uſurpatur 2. Tim. 4. v. 10. *Demas reliquit diligens*, id eſt, ſequens *præſens ſeculum*. 2. Dicto Apoſtolico 1. Joh. 4. *In hoc eſt caritas.* 3. Patrum explicationi. *Factum eſt*, ait Auguſt. *ut diligeremus quia dilecti ſumus. Diſplicentes amati ſumus, ut eſſet in nobis, unde placeremus.* It. *Deus in nobis non faceret quod amaret, niſi antequam id faceret, nos amaret.* 4. Suffragio quorundam adverſariorũ. Barad. tom. 4. lib. 5. cap. 12. p. 197. *Fatemur Chriſtum dixiſſe, Patrem amare diſcipulos, quia ipſi amaverunt & crediderunt: ſed negamus dixiſſe, amorem diſcipulorum fuiſſe priorem amore Patris. Reſpondemus ergo illum amorem & fidem diſcipulorum fuiſſe effectum amoris DEI, quo illos prior proſecutus eſt, atque adeò fuiſſe poſteriorem amore Dei.* ** 3. Sed ſi vel maximè demus ex hypotheſi, inchoatam & obſcuram quandam dilectionem ex fide generali & ſpe veniæ obtinendæ in cordibus juſtificandorum accendi, (quatenus is, qui peccatorum remiſſionem à DEO promiſſam in genere credit, eademque ſibi remitti poſſe ſperat, non amplius hoſtiliter erga DEUM affectus eſt,) nondum tamen ex eo ſequeretur, inchoatam illam dilectionem eſſe meritum de congruo, vel etiam eodem modo ad juſtificationem concurrere, quo fides, per quam promiſſio de remiſſione peccatorum apprehenditur. 4. Quæ Bellarminus noſtris obvertit argumentis, quibus dilectionem non poſſe priorem eſſe juſtificatione demonſtramus, ea facilem habent explicationem. Diſtinguit inter *dilectionem inchoatam & perfectam, illam ſine Spiritu ſancto inhabitante, quamvis non ſine auxilio Dei ſpeciali haberi poſſe & juſtificatione priorem eſſe, hanc verò in ipſa juſtificatione infundi* aſſerit: quę diſtinctio promanat ex falſa hypotheſi, *quod homo ante regenerationem habeat liberum arbitrium, ad opera non ſolùm naturalia & moralia, ſed etiam pietatis & ſupernaturalia*, ut ſcribit Bellarminus lib. 6. de grat. & lib. arbit. capit. 15. vel ut Biel loquitur, *quòd homo ex puris naturalibus poſſit DEUM ſuper omnia diligere.* Scimus autem hominem ante regenerationem eſſe in peccatis mortuum, Naturâ filium iræ, DEI hoſtem, Satanæ captivum, qui non poteſt quippiam boni cogitare, niſi accedat Spiritus ſancti illuminatio & interior operatio, quâ de re alibi plura.

171. *Quinta diſpoſitio* (ait Bellarminus) *eſt pœnitentia, dolor videlicet ac deteſtatio peccati, per quam diſponuntur homines ad juſtificationem & remiſſionem peccatorum.* Actor. 11. *Ergo & gentibus pœnitentiam DEUS dedit ad vitam?* 2. Corinth. 7. *Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Ezech. 18. *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, ipſe animam ſuam vivificabit.* Ex quo iterum Bellarminus colligit, *non ſolam fidem, ſed etiam pœnitentiam juſtificare.* Reſponſ. 1. Pœnitentia accipitur vel μερικῶς, pro contritione, vel γενικῶς, pro tota converſione; priore modo præcedit juſtificationem, non tamen ut meritum quoddam de congruo, vel ut cauſa efficiens (cujus contrariũ oſtendimus in tractatu de pœnitentia §. 85.) ſed ratione ordinis divinitùs conſtituti, non enim vult DEUS ſanare niſi contrita corda, non infundit miſericordiæ oleum, niſi in vas contritum, ut oſtendimus in eodem tractatu §. 75. Poſteriori modo fidem tanquam primariam & pręcipuam ſui partem includit, cujus ratione & reſpectu *opus ad vitam* dicitur. 2. Dictum Apoſtoli 2. Corinth. 7. verſ. 10. *triſtitia ſecundum DEUM operatur pœnitentiam ad ſalutem*, expoſuimus in tractatu de pœnitentia §. 46. Dictum Propheticum Ezechiel. 18. *Cùm averterit ſe impius ab impietate ſua, vivificabit animam ſuam*, expoſuimus ibidem §. 86. Loquuntur hæc & ſimilia dicta de tota ad DEUM converſione, cujus pars præcipua ac veluti anima eſt vera fides in CHRISTUM, per quam hypocritica ac exitialis pœnitentia à vera & ſalutari diſtinguitur, quâ de re ſuo loco plura diximus.

Quinta diſpoſitio eſt pœnitentia.

172. *Sextam diſpoſitionem ad juſtificationem* Bellarminus ſtatuit eſſe *propoſitum ac deſiderium* *ſuſci-*

Sexta diſpoſitio eſt

propoſitum ſuſcipiendi Sacramenta.

propoſitum ſuſcipiendi Sacramenta, qui enim didicit neceſſariam eſſe medicinam ad curanda vulnera, is ejuſmodi media a Deo ipſo inſtituta deſiderat ac requirit. Reſp. 1. Sacramenta ſunt media offerentia gratiam ex parte DEI, quæ non ſolùm piè deſideranda, ſed etiam in fide percipienda ſunt. 2. Deſiderium igitur ſuſcipiendi Sacramenta non excludimus à juſtificato, ſed à juſtificationis actu, aliud eſt cauſa juſtificationis, aliud qualitas juſtificandi vel juſtificati. 3. Dicta quę Bellarminus affert ex Johan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum cœlorum.* Johan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa eis erunt.* Actor. 2. *Agite pœnitentiam & baptizetur unusquisque veſtrûm. &c.* ea neceſſitatem & efficaciam Baptiſmi, ut & fructû Miniſterii Evangelici oſtendunt, non autem de diſpoſitionibus ad juſtificationem agunt. 4. Ergo non poteſt ex illis concludi, quòd deſiderium ſuſcipiendi Sacramenta ſit diſpoſitio ad juſtificationem, hoc eſt, meritum de congruo remiſſionis peccatorum. 5. Ubicunque verum & ſerium Sacramenta ſuſcipiendi deſiderium, ibi etiam fides (unde in caſu neceſſitatis etiam abſque uſu Sacramentorum ſalus credentibus contingit) qui verè & feriò deſiderat Sacramenta, is credit, fidem & promiſſiones divinas illis obſignari; Roman. 4. verſ. 11. Utique ergo deſiderium illud procedit ex fide, quæ per uſum Sacramentorum augetur & confirmatur: in infantibus aliter ſe res habet, in illis enim deſiderium ſuſcipiendi Sacramenta non præcedit vel uſum Baptiſmi vel juſtificationem, ut conſtat.

Septima diſpoſitio eſt propoſitum novæ vitæ.

173. *Septimam* denique *diſpoſitionem* Bellarminus ſtatuit *propoſitum novæ vitæ & obſervationis omnium mandatorum*, de qua Dominus loquitur, Ezech. 18. *Projicite à vobis omnes iniquitates veſtras & facite vobis cor novum.* Reſp. 1. Propoſitum novæ vitæ ex vera & ſalutari pœnitentia velut precioſus quidam fructus effloreſcit, ergo non poteſt eſſe diſpoſitio ad juſtificationem, quippe quam fides pars pœnitentiæ præcipua jamdum obtinuit. 2. Ipſa etiam nova obœdientia eſt fructus veræ converſionis, non enim locum habet renovatio, ubi non adeſt priùs regeneratio, per quam reddimur DEI filii, hæc ergo interior renovatio & exterior nova obœdientia non præcedit juſtificationem, ut diſpoſitio, ſed ſequitur eam ut fructus. 3. Dictum propheticum continet ſeriam exhortationem ad agendam pœnitentiam, nequaquam verò naturalibus liberi arbitrii viribus tribuit, quod per eas homo nondum renatus cor novum ſibi fingere poſſit, id enim ſolius DEI eſſe oſtenditur, Pſal. 51. verſ. 12. *Cor mundum crea in me DEUS & Spiritum rectum innova in viſceribus meis.* 4. Jubemur autem delictis externis craſſioribus valedicere & miniſterio verbi uti, quo per Spiritus ſancti gratiam & operationem innovemur. 5. Per obſervationem omnium mandatorum reſpicit Bellarminus ad confictam illam hypotheſin, quod lex DEI perfectiſſimè à renatis in hac vita poſſit impleri, ut lib. 4. de Juſtificat. capit. 11. & lib. 2. de Monach. cap. 13. probare conatur, cujus contrarium oſtendimus ſuo loco.

Quo cum primis obſervanda ſint in diſpoſitione de diſpoſitionibus ad juſtificationem.

174. Atque hæ ſunt ſeptem illæ diſpoſitiones, quas ex Concilio Tridentino Bellarminus propugnat & ad juſtificationem neceſſarias eſſe exiſtimat, ſed Cenſura Colonienſis ſeptenario numero non eſt contenta, ſic enim loquitur pag. 117. *Fides hoc in nobis agit, ut præparentur atque accommodentur animi ad juſtificationem primum in ſe recipiendam, neque tamen fides ſola id efficit, ſed præterea caritas, ſed miſericordia & Eleemoſyna, ſed timor Domini, ſed pœnitentia, multaq; id genus alia, quæ longum foret enumerare.* Porrò de illis diſpoſitionibus hæc apprimè notanda. 1. Per illas non intelligi à Bellarmino præparationes quaſdam à Spiritu ſancto in juſtificandis excitatas ratione ordinis divinitùs conſtituti requiſitas, ſed per diſpoſitiones illas intelligit *meritum de congruo*, quod voluntas hominis nondum renati per Spiritum ſanctum mota & excitata ſuis viribus elicere & ad infuſionem gratiæ juſtificantis hoc modo ſeſe præparare poteſt. Sic enim ſcribit lib. 2. de pœnitent. capit. 12. *Catholici* (Romanenſes) *communi conſenſu docent, contritionem eſſe cauſam remiſſionis peccatorum, quod idem Tridentinum Concilium docet, tum ſeſſ. 6. cap. 6. tum ſeſſ. 14. cap. 4. Ex quibus etiam locis intelligere licet, duobus modis contritionem eſſe cauſam juſtificationis, quia videlicet diſponit ad juſtificationem & impetrat remiſſionem peccatorum. ſeſſ. 6. cap. 6. numerat Concilium actum pœnitentiæ inter diſpoſitiones juſtificationis, & quia diſpoſitio non ſolùm ſe tenet ex parte materiæ, ſed etiam* (nota optimè) *ex parte agentis, ideo actus pœnitentiæ, quatenus ab auxilio gratiæ & libero arbitrio procedit & hominem diſponit ad juſtificationem, ipſius juſtificationis cauſa dici poteſt aliquo modo etiam efficiens.* Seſſ. 14. cap. 4. *Idem Concilium ſcribit, contritionem omni tempore neceſſariam fuiſſe ad veniam impetrandam, porrò impetrare eſt eſſe etiam aliquo modo cauſam* (ſi contritio & reliquę diſpoſitiones ſunt cauſa efficiens juſtificationis, cur non & meritum de congruo? non admodum reluctatur Bellarminus, ideò addit:) *Theologi Scholaſtici in eo ſolum diſſentire videntur, quod nonnulli volunt actum pœnitentiæ ut etiam actum fidei & dilectionis eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccatorum, ſed non meritum neque de condigno neque de congruo remiſſionis peccatorum & hujus ſententiæ ſunt Johannes Capreolus* in 2. ſentent. diſtinct. 40. quæſt. unica *& Dominicus à Soto* lib. 2. de natura & gratia cap. 4. *Sed alii, iiq; plurimi* (nimirum ut meliora nunquam placent pluribus) *qui non ſolùm diſpoſitionem, ſed etiam meritum de congruo juſtificationis eſſe volunt ejuſmodi actus, quæ ſententia eſt Magiſtri ſententiarum* lib. 2. diſtinct. 27. *Thomæ, Alberti, Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Gabrielis & aliorum* in 2. diſtinct. 28. *& ex recentioribus Andreæ Vegæ* lib. 8. in Concil. Trident. *decem ultimis capitibus*: quam poſteriorem ſententiam Bellarminus ibidem *veriorem & Scripturis ac Patribus conformiorem* judicat, (ut dubitare non amplius poſſis, quid per diſpoſitiones intelligat) Idem lib. 1. de juſtificatione cap. 21. *Juſtificatio gratuita non excludit opera, quæ dicuntur ad juſtificationem concurrere ut diſpoſitiones, vel ut merita de congruo.* Ibid. *Quæſtio videtur eſſe ferè de ſolo nomine meriti, cum alioqui conveniat inter omnes Catholicos diſpoſitiones requiri & non ſolâ fide homines juſtificari. Nos autem intelligere certò non poſſumus, cur non ſit utendum hoc tempore nomine meriti præſertim cum additione illa de*

congruo, cùm agitur de operibus, quæ fiunt ex gratia præveniente. Hæc omnia Bellarminus, ex quibus conſtat, diſpoſitiones illas ſtatui meritum de congruo, & cauſam efficientem juſtificationis, itemque diſpoſitiones illas partim auxilio gratiæ, partim liberi arbitrii viribus tribui, ad hunc ergo ſcopum dirigenda & æſtimanda ſunt omnia, quæ de illis ſeptem diſpoſitionibus Bellarminus affert, & facilè apparebit, an illud quod ſibi probandum ſumſit, obtineat. Nos diſpoſitionibus illis ex congruo meritoriis opponimus dictum Ambroſii (vel potiùs Proſperi) lib. 1. de vocat. gentium cap. 5. *Vileſceret redemptio ſanguinis CHRISTI, nec miſericordia DEI operum humanorum prærogativa ſuccumberet, ſi juſtificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non munus eſſet largientis, ſed merces operantis.* Itemque illud Concil. Arauſic. can. 25. *Hoc ſalubriter credimus & profitemur, quòd in omni opere bono non nos incipimus & poſteà per DEI miſericordiam adjuvamur, ſed ipſe nobis nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem ſui inſpirat.* ** Auguſt. Epiſt. 46. *Ne quisquam dicat, meritis operum ſuorum vel meritis fidei ſuæ ſibi traditam DEI gratiam & putetur verum eſſe, quod illi hæretici dicunt, gratiam DEI ſecundum merita noſtra dari, quod omninò falſiſſimum eſt.* ** 2. Si vel maximè concedatur, præparationes quaſdam præcedere, ut fiat juſtificatio, exempli gratiâ, peccatorum agnitionem, ſerium de illis dolorem, timorem, peccatorum odium, fidem generalem de veritate promiſſionum divinarum, &c. nondum tamen ex eo inferri poteſt aut debet, hæc omnia cum fide juſtificare, vel eodem modo ad juſtificationis actum concurrere, quo fides in Chriſtum ad eam ſeſe habet: requiruntur enim ut ὁρμητικῶν & προπαρατικῶν ratione ordinis, quatenus donum juſtificationis non obtingit, niſi peccata prius agnoſcantur ac deplorentur, ac in genere credatur promiſſis, interim fides juſtificans ex parte noſtra eſt unicum illud medium, quo donum juſtificationis obtinetur, hæc enim ſola apprehendit Chriſtum & promiſſiones Evangelicas in ſpecie ſibi applicat.

Alterum argumentum fidei juſtificanti oppoſitũ. Fides à ſpe & dilectione ſeparata non juſtificat. Ergo non ſola juſtificat.

175. Alterum principale argumentum fidei juſtificanti oppoſitum hac ratiocinatione concludit Bellarmin. lib. 1. de juſtific. cap. 14. *Si fides à ſpe & dilectione aliisque virtutibus ſeparetur, ſine dubio juſtificare non poterit, non igitur ſola fides juſtificare poteſt.* Conſecutio argumenti probatur hoc modo. *Si tota vis juſtificandi eſſet in ſola fide, ita ut ceteræ virtutes, quamvis præſentes adeſſent, ad juſtificationem nihil omnino conferrent, profectò fides ipſa, tam juſtificaret illis abſentibus, quàm præſentibus: igitur ſi abſentibus illis juſtificare non poteſt, efficitur, ut vis juſtificandi non ſit in ipſa ſola, ſed partim in ipſa, partim in aliis.* Reſp. 1. Fides etſi ſola juſtificat, tamen nunquam eſt ſola, hoc eſt, à dilectione & aliis virtutibus ſeparata: *fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa* dicit Jacobus cap. 2. verſ. 17. eſt inanis jactantia & mortuum quoddam ſimulachrum vitâ ac motu deſtitutum, vera autem fides *per dilectionem eſt efficax*. Galat. 5. verſ. 6. Ergo ut Sol non eſt ſine luce, ita fides non eſt ſine operibus, lux fidei ſpargit bonorum operum radios; interim tamen fides ſola juſtificat, hoc eſt, operibus, quæ profert, non communicat vim juſtificandi, cùm diſertè pronunciet Apoſtolus, nos *juſtificari fide ſine operibus*. Declarari hoc poteſt quibusdam ſimilitudinibus. Lutherus in capit. 15 Geneſ. *Scio has virtutes eſſe inſignia Dei dona, ſcio fidem ſine his donis non exiſtere. Sed nunc nobis quæſtio eſt, quid cujusque proprium ſit, tenes manu varia ſemina, non quæro ego, quæ quibus conjuncta ſint, ſed quæ cujusque propria virtus ſit. Hic apertè dico, quid faciat ſola fides, non cum quibus virtutibus conjuncta ſit, ſola autem fides apprehendit remiſſionem peccatorum, credit promittenti DEO, DEO porrigenti aliquid admovet manum & accipit, hoc ſolius fidei proprium eſt.* Hæc D. Lutherus. In homine vivo ſunt ſimul anima, ſenſus & motus, qui negat ſenſum & motum eſſe cauſam vitæ, (quippe cujus ſunt effecta,) num is ſtatim negat in homine vivo eſſe ſenſum & motum? Anima communicat corpori vim ſentiendi & movendi, qui negat vim movendi conferre aliquid ad vim ſentiendi, num is animam vi movendi privat? ſic cum fide juſtificante non negantur conjuncta eſſe opera, licet ad juſtificationem cum fide conjunctim agere negentur. 2. Ex his facilè apparet, quid ad argutiam Bellarmini reſpondendum ſit: Si fides præſentibus etiam aliis virtutibus ſola juſtificat, utique etiam illis abſentibus juſtificabit: ἀνακόλουθον hoc eſt, quia aliarum virtutum abſentia ipſius veræ fidei abſentiam arguit, cum vera fides ſemper conjuncta habeat bona opera, ſicut generoſa arbor fert bonos fructus: proinde non urgenda eſt illa hypotheſis, ſi fides eſſet ſola, etiam ſola juſtificaret, quia vera & viva fides nunquam eſt ſola. 3. Pergit Bellarminus. *Si Fides ſola juſtificat, quia relativè juſtificat, non poteſt eſſe in animo hominis, quin ſimul in eodem ſit etiam juſtitia, at ſine dilectione non poteſt eſſe juſtitia, igitur fieri nequit, ut fides à dilectione ſejuncta juſtificet, ac per hoc non ipſa ſola juſtificat.* Reſponſ. concedimus totum argumentum, quòd fides à dilectione ſejuncta & ſeparata non juſtificet, ſed quòd veluti corollarium ex illâ concluſione adducit Bellarminus, videlicet fidem ſolam non juſtificare, id verò negamus: fides à dilectione ſejuncta non juſtificat, quia non poteſt à dilectione, niſi νοηματικῶς ſejungi, & ſi à dilectione ſejungatur, non eſt vera fides, interim tamen ſine dilectione juſtificat. hoc eſt, non communicat dilectioni vim juſtificandi coram DEO, non enim ea quæ ſimul juncta, ſimul etiam agunt; fides vera abſolutè conſiderata non poteſt ſeparari ab operibus, relatè verò abſque operibus juſtificat, ſola enim eſt, quæ apprehendit CHRISTUM. Ergo ſi in propoſitione illa: fides ſine dilectione non juſtificat, determinatio addita referatur ad ſubjectum, hoc ſenſu, quod fides, quæ eſt ſine dilectione, non juſtificet, eam concedimus, non enim eſt vera fides ſine caritate, quid ergo mirum, quòd talis fides, hoc eſt, nuda fidei profeſſio non juſtificet? Sin verò determinatio referatur ad prædicatum, hoc ſenſu, quod dilectioni & fidei ſimul competat juſtificatio, eandem negamus, quia dilectio eſt ἐνέργεια fidei, cui nuſpiam vis juſtificandi tribuitur, ſed ſoli fidei. Proinde ἀναιδύτως ex neceſſaria dilectionis cum fide & juſtitia conjunctione colligitur, dilectionem & fidem ſimul ad actum juſtificationis concurrere.

4. Re-

4. Regerit Bellarminus, *ſi fides à cæteris virtutibus ſeparata poſſet juſtificare, poſſet etiam idpræſtare cum vitiis iſtis virtutibus contrariis; ut enim ad officium juſtificandi nihil prodeſt fidei præſentia illarum virtutum, quia ipſa ſola juſtificat: Sic nec ei oberit præſentia vitiorum, quia per accidens ei junguntur ut & virtutes*: Reſponſ. Determinatio *ſola* pertinet ad prædicatum, fides quatenus juſtificat, ſola ad illum actum concurrit, interim ipſa fides juſtificans non eſt ſola, multò minus cum vitiis, hoc eſt, peccatis contra conſcientiam conſiſtit, quomodo ergò cum vitiis juſtificaret? Agere præſupponit eſſe, fides vera non conſiſtit cum vitiis, ergo non juſtificat cum vitiis. Fides à virtutibus ſeparata non juſtificat, quia non eſt ſine virtutibus, interim tamen virtutibus officium juſtificandi non communicat ac proinde ſola juſtificat. Hanc reſponſionem Bellarminus impugnat quatuor fundamentis. 1. *Lutherus in capit. 2. ad Galat. ſcribit, fidem ſine & ante caritatem juſtificare, ac fidem niſi ſit ſine ullis etiam minimis operibus, non juſtificare.* Reſp. Diſputat ibidem Lutherus contra Scholaſticos, qui fidem juſtificantem caritate formari & ab eadem vim juſtificandi mutuari ſtatuunt, ac fidem, quatenus in ipſo juſtificationis actu CHRISTUM apprehendit, conſiderat, non autem quatenus in ſeſe ſpectatur, priori conſideratione negat fidem habere adjuncta opera, ſcilicet quæ in juſtificandi officio cum ipſa participent; poſteriori conſideratione veram & vivam fidem cum bonis operibus ſemper conjunctam eſſe, ſexcentis in locis aſſerit Lutherus, ut Bellarmino non eſt ignotum. Quod ex Calvino affertur, *ſemen fidei manere inter graviſſimos lapſus.* Ad illud reſpondemus in Auguſt. Confeſſ. artic. 12. Sententiam noſtram contra Anabaptiſtas diſertè exponi, quod *ſemel juſtificati poſſint amittere Spiritum Sanctum*, videlicet per peccata contra conſcientiam, ergo non poſſunt ſimul ſtare fides juſtificans & peccatum repugnans. 2. *Argumentum productum non aſſumit, fidem eſſe poſſe ſolam, ſed ſi fides ſola juſtificaret, id præſtituram, etiamſi eſſet ſola, quâ conditionatâ propoſitione conceſſâ, quicquid ſit de abſoluta, ratiocinationem manifeſtè concludere.* Reſponſ. Totum robur argumenti omninò conſiſtit in illa hypotheſi, quod fides poſſit eſſe ſola, nam ex conditionali propoſitione nihil concluditur, niſi affirmando vel negando partem alterutram formes ſecundam propoſitionem. At hæc hypotheſis eſt falſa. Ergo & illud quod ex ea deducitur. 3. *Si verum eſſet, fidem nunquam eſſe ſolam, ideo verum eſſet, quoniam fides vera gignit tanquam arbor bona fructus bonos, dilectionem aliasque virtutes.* (Rectiſſimè) *At hoc conceſſo, fides eſt prior dilectione aliisque virtutibus omnibus, ſi non tempore, certè Naturâ* (nec hoc malè) *Fides autem non poteſt eſſe, nec intelligi prior, nec Naturâ quidem ipſâ juſtificatione cum ſint relativa. DEUS juſtificans & fides juſtificationem accipiens. Relativa enim ſimul omninò eſſe debent, ut ne intelligi quidem poſſit unum ſine altero. Igitur fides prius ſaltem Naturâ juſtificabit & cum juſtitia conjuncta eſſe intelligetur, quam dilectionem aliasque virtutes attulerit, proinde ſequentur hæc abſurda, ut homo ſit juſtus & non juſtus, juſtificatus & ſceleratus, vivens & mortuus, quia juſtus ex fide vivit & tamen qui non diligit, manet in morte.* Reſponſ. Fides dilectione Naturæ ordine prior eſt, cum fides ſit dilectionis cauſa, interim tempore ſunt ſimul, ergo non poteſt dari ullum momentum temporis, quo homo juſtificatus fide, non habeat etiam dilectionem; adde quòd fides tanquam cauſa juſtificationis (inſtrumentalis) non ſolùm cogitari poſſit, ſed etiam Naturâ prior ſit juſtificatione, quamvis itidem ut relata ſint ſimul (diſtinguendum enim eſt inter duplicem cauſæ conſiderationem, abſolutam & relativam, materialem & formalem.) Duplicem igitur fides obtinet relationem, primò ad CHRISTUM quem fiducialiter apprehendit ad juſtificationem, deinde ad dilectionem quam exerit ad juſtificationis declarationem, utraque hæc ſunt immediatè & individuè conjuncta, licet ordine Naturæ prior ſit fiducialis CHRISTI apprehenſio, ac proinde etiam juſtificatio. 4. *Falſum eſt, fidem veram non poſſe eſſe à virtutibus ceteris disjunctam, & cum peccatis vitiisque conjunctam.* Reſpond. De eo peculiari loco inferius diſputabitur.

176. Tertium principale argumentum, quo probet fidem non ſolam juſtificare, deſumit Bellarminus à remotione cauſarum, quæ poſſunt reddi, cur ſola fides juſtificet. *Omnes enim ejuſmodi cauſæ* (inquit) *ad tria capita revocari poſſunt, primum eſt autoritas verbi Dei, alterum voluntas Dei juſtificantis, tertium Natura fidei juſtificantis, ſed illis omnibus nos deſtitui.* Reſp. Imò verò hæc tria manifeſtè nobis ſuffragantur, ac ſententiam noſtram de ſola fide juſtificante evidenter comprobant, ut oſtendimus ſuperiùs. Quomodo ergo Bellarminus hæc fundamenta noſtra impugnat? Deſtitui nos hac in parte autoritate verbi divini, ita probat. 1. *Nuſquam hactenus oſtendi potuit in ſacris literis particula Sola, cùm de juſtificatione agitur? Nos autem* (Romanenſes) *expreſſum verbum proferimus, ubi habetur negatio ejus vocis aut Synonymæ.* Jacob. 2. *Videtis quod ex operibus juſtificetur homo & non ex fide tantum.* Reſp. Fundamenta hujus excluſivæ produximus ſuperiùs, quæ adverſus omnes adverſarii inſultus perſtant invicta. Locum Jacobi paulò pòſt explicabimus. 2. *Lutherus in Bibliis Germanicis addidit particulam excluſivam, ſed fallacia citò fuit deprehenſa.* Reſp. De verſione Lutheri itidem ſuus erit diſſerendi locus paulò inferiùs. 3. *Non eſt idem ſolâ fide juſtificari, & per fidem ſine operibus legis juſtificari. Si enim illud (ſine operibus legis) excludit omnia opera & omnem legem, excludet etiam ipſam fidem, nam actus fidei eſt quoddam opus & quidem inſigne, & ſic vocatur,* Johan. 6. *Hoc eſt opus DEI, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Reſp. Inhæremus firmiter oppoſitioni Apoſtolicæ inter *Fidem* & *Opera*. Roman. 3. verſ. 28. inter *credere* & *operari*. Rom. 4. verſ. 5. inter *gratiam* & *opera*. Roman. 11. v. 6. Johan. 6. verſ. 29. Fides non vocatur opus noſtrum, ſed *opus DEI*, hoc eſt, cultus ille, quem DEUS à nobis requirit. Accommodat autem CHRISTUS hæc verba ad quæſtionem auditorum. *Quid faciemus, ut operemur DEI opera?* reſpondet CHRISTUS. *Opus Dei eſt, ut credatis in eum, quem miſit ille*; hoc eſt, illud unum

3. Nulla poteſt dari vera & ſolida cauſa, cur fides ſola juſtificet.

Particula Sola, non habetur in ſacris literis.

DEUS à vobis requirit ac ratum & gratum habet, ut credatis in eum, quem miſit in mundum. Fides directè opponitur operibus in juſtificationis actu, ergo in hac oppoſitione & hoc reſpectu fides non poteſt dici opus, aliàs periret oppoſitio Apoſtolica, oppoſitorum enim hæc eſt Natura, ut non poſſint de uno prædicari affirmativè, ſed poſito uno alterum tollitur, affirmato uno alterum negatur. Nec valet exceptio, *ſola illa opera excludi, quæ ſiunt ex naturalibus liberi viribus ſine gratia*, contrarium enim oſtendimus ſuperiùs, ſcilicet omnia omninò opera etiam renatorum ab actu juſtificationis excludi; id quod vel ex ſolo Abrahæ exemplo Roman. 4. verſ. 1. adducto manifeſtiſſimum. Relinquitur igitur quòd hæc ſint *ἰσοδυναμοῦντα, ſolâ fide nos juſtificari, & per fidem ſine operibus legis nos juſtificari.* Sanè fides quandoque conſideratur ut qualitas & donum Dei cordibus noſtris inhærens, ſed hactenus & hoc reſpectu non juſtificat, ſed ut eſt in prædicamento relationis, quatenus ſcilicet Chriſtum in Evangelio apprehendit. Si regeras, *apprehenſionem eſſe actionem, fidem igitur eſſe opus.* Reſp. Vocem Grammaticam eſſe activam, ſed ſignificationem reverà eſſe paſſivam; quid enim aliud eſt apprehendere, quàm oblata bona recipere? inde notanter dicit Apoſtolus Philip. 13. v. 12. *ſequor, ſi comprehendam in quo & comprehenſus ſum à CHRISTO JESU.* & Galat. 4. v. 9. *nunc cum cognoveritis DEUM imò cogniti ſitis à DEO μᾶλλον γνωσθέντες ὑπὸ Θεοῦ.* veteres dicunt: *Fides eſt apprehenſiva, caritas egreſſiva*; fides enim non exhibet aliquid DEO, ſicut caritas, ſed accipit oblata in Evangelio bona, patitur ſibi benefieri, (ut loquitur Lutherus) & eſt velut ſpiritualis manus, quæ oblatum theſaurum recipit. Urgemus igitur oppoſitionem Apoſtolicam Roman. 4. v. 5. *Credenti non operanti*, juſtificamur *non ex Lege ſed ex Evangelio.* An non ipſi adverſarii ſic concludunt: Aut fide & operibus juſtificamur, aut ſolâ fide, aut ſolis operibus? Concil. Trident. Seſſ. 6. cap. 10. Statuit *nos juſtificari cooperante fide bonis operibus*, agnoſcunt igitur fidem in CHRISTUM eſſe ab operibus diſtinctam. 4. Auguſt. de prædeſt. Sanct. c. 7. *Fidem* vocat *opus DEI gratiâ factum*, & Rom. 3. verſ. 27. Ponitur quædam *Lex fidei.* Reſpond. Vocabula operis & legis in hiſce dictis generaliter ſumuntur. Evangelium & lex ſunt oppoſita, Ergo in ſenſu proprio & genuino Evangelium non eſt lex, ſed in generali quadam ſignificatione Evangelium dicitur lex fidei, hoc eſt, doctrina fidei, Ergo ut in verbis CHRISTI Johan. 6. verſ. 29. reſpicitur ad quæſtionem populi antegreſſam, ita in verbis Apoſtoli eſt elegans antanaclaſis ad præcedentia reſpiciens. *Ubi eſt ergo gloriatio? excluſa eſt: per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei. 5. particula Gratis excludit ea tantùm merita, quæ ſiunt ex nobis, non autem dona DEI, qualis eſt dilectio, pœnitentia & ſimilia, alioqnin excluderet etiam fidem.* Reſp. Oſtendimus ſuperiùs omnibus omninò meritis particulam Gratis opponi, & cùm hoc loco fateatur Bellarminus hac particula excludi merita, quæ ſiunt ex nobis, an non evertit *meritum de congruo*, prout à Scholaſticis definitur, quòd ex puris naturalibus procedat? Proinde etſi dilectio & pœnitentia ſint dona DEI, tamen à juſtificatione excluduntur, quia non habent vim illam apprehendendi CHRISTUM, fides autem non excluditur, quin potiùs vi relationis ponitur; quod enim DEUS in verbo Evangelii ex gratia offert, id fide à nobis acceptandum. Adde quòd dilectio ſit opus, ac proinde cùm omnia opera à juſtificatione excludantur, utique etiam dilectio excluſa intelligitur. Dilectio ſanè eſt donum DEI, quod Spiritus ſanctus in nobis operatur, interim tamen nos ipſi ſumus, qui dilectionem illam ope Spiritus ſancti adjuti Deo & proximo præſtamus; ſumus enim Θεοῦ συνεργοί, dilectio igitur eſt opus noſtrum, quod ipſi per S. S. gratiam præſtamus.

177. Alterum membrum hujus argumenti, quòd videlicet non ſit DEI voluntas donare juſtificationem cum ſola conditione fidei, ita probat Bellarminus. *Scriptura multò apertius exigunt ad juſtificationem conditionem pœnitentiæ & Sacramentorum, quam ipſius fidei.* Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ vivet.* Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Johan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum DEI. Ergo non poteſt dici fidem ſolam juſtificare, propterea quod ſolius fidei conditio requiritur.* Reſpond. Pœnitentia ſi pro tota converſione ſumitur, includit fidem in CHRISTUM, ideò ad juſtificationem & ſalutem eam requiri, mirum non eſt: Sin pro ſola contritione ponitur, dicimus eam requiri non ad juſtificationis actum, ſed ad perſonam juſtificandam, inde enim definitur Juſtificatio, quod ſit peccatoris ex lege peccata ſua feriò agnoſcentis ac deplorantis abſolutio. Sacramenta non excluduntur particulâ *Sola*, ſed potius vi relationis appellatione fidei comprehenduntur. Ut enim fides ex parte noſtra eſt medium apprehendens & recipiens; ita Sacramenta ex parte DEI ſunt media exhibentia & offerentia. Ergo ut fides habeat, quod recipiat, neceſſe eſt, per verbum Evangelii & Sacramenta illud offerri. Dicimus ergo aliter requiri fidem, aliter verò contritionem & Sacramenta. Fides requiritur tanquam unicum medium apprehendendi juſtitiam ex parte noſtri; dolor de admiſſis peccatis requiritur ut ἑρμηνεύειν ad quærendam fidei juſtitiam; Sacramenta requiruntur ut media ex parte Dei, quibus donum juſtitiæ offertur.

Non eſt Dei voluntas donare juſtificationem cum Sola conditione fidei.

178. Tertium argumenti membrum proponit hoc modo. *Non eſt hæc natura fidei, quòd ipſa ſola apprehendat promiſſionem juſtificationis. Fides non dicitur propriè apprehendere. Apprehenſio enim cum refertur ad intellectum, eſt cognitio rei, prout in ſpecie repræſentatur & diſtinguitur à judicio, quod rem apprehenſam diſcernit & judicat. Illa autem cognitio apprehenſiva præexigitur quidem ad fidem, ſed non eſt ipſa propriè fides, nam etiam infideles apprehendere poſſunt myſteria fidei, cum tamen ea non credant, fides igitur conſiſtit potiùs in judicio quàm in apprehenſione.* Reſp. Scriptura diſertè definit fidem per apprehenſionem ſive receptionem. Johan. 1. verſ. 5. *Lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt, (οὐ κατέλαβεν)* verſ. 11. *in propria venit & ſui eum non receperunt (οὐ παρέλαβον)* v. 12. *quotquot autem receperunt eum (ὅσοι ἔλαβον αὐτόν) dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen ejus.* ** Coloſſ. 2. v. 6. *Sicut παρελάβετε accepiſtis Jeſum Chriſtum.* Vera fides ſic nos inſerit Chriſto, ut fiamus ipſi σύσσωμοι concor-

Fidei non eſt hæc Natura, quod ſola apprehendat promiſſionem juſtificationis.

porales,

porales, συμμέτοχοι *participes*, συγκληρόνομοι *coheredes*, ut Paulus Epheſ. 3. verſ. 6. Emphaticè loquitur.** Duplex ergò cùm ſit apprehenſio, alia cognitionis in intellectu, alia fiduciæ in voluntate, utramque dicimus fidem includere. Quòd enim fides ſit apprehenſiva cognitio, oſtendimus ſuperiùs manifeſtis Scripturę teſtimoniis, quæ probant, fidem eſſe notitiam ſive cognitionem eorum, quæ in verbo DEI revelatæ ſunt, ergo non ſolùm aſſenſus & judicium, ſed etiam apprehenſiva cognitio pertinet ad fidem, quin imò fidei magis propriè convenit apprehenſiva cognitio quàm judicium, neque enim noſtrum eſt, ea quæ in verbo revelata ſunt, diſceptare & judicare, ſed ſimplici fidei obœdientia eadem recipere & in eis promptè acquieſcere. Quid, quòd ipſe Bellarminus agnoſcit apprehenſionem eſſe fidei propriam? Sic enim ſcribit lib. 2. de grat. & lib. arbitrio cap. 3. & lib. 1. de juſtificat. cap. 15. *Credere eſt Chriſtum recipere.* Coſterus adhuc clarius in Enchirid. pag. 313. *Credere eſt fide apprehendere.* ** Pererius diſp. 18. in cap. 3. Rom. ſcribit, *Paulum cum ait*, per fidem juſtificari hominem, *non aliud ſignificare, quam per fidem pervenire ad juſtitiã & ipſam apprehendere***

2. *Confidere non eſt apprehendere, ſed firmiter adhærere rei apprehenſæ: nam qui ſe doctum eſſe aut fore confidit, non apprehendit doctrinam eâ fiduciâ, neque incipit eſſe doctus, quia confidit ſe eſſe doctum, ſed opinioni de ſua doctrina conceptæ firmiter adhæret.* Reſpond. Fides non ſolùm ratione notitiæ ſed etiam ratione fiduciæ eſt apprehenſio, quod ſic probamus. Johan. 1. verſ. 12. *Quotquot recipiunt Chriſtum, redduntur filii DEI.* Atqui hoc non poteſt dici de nuda apprehenſione notitiæ, multi enim hypocritæ CHRISTUM cognoſcunt, qui tamen non ſunt Dei filii, intelligendũ igitur de fiduciali illa apprehenſione, quâ firmiter ſtatuimus, CHRISTUM etiam noſtrum eſſe Mediatorem, ac nobis in ſpecie per & propter ipſum contingere peccatorum remiſſionem. Sic Epheſ. 3. verſ. 17. *Per fidem Chriſtus habitat* (κατοικεῖ) *in cordibus noſtris*, utique ergo per fidem priùs apprehenditur, quod itidem de nudæ notitiæ apprehenſione dici nequit. Galat. 2. verſ. 20. *Vivit in me Chriſtus*, quod ibidem exponitur, *in fide vivo Filii Dei.* Jam verò per nudam notitiam Chriſtus non fit noſter, nec in nobis vivit, ſed per fiducialem illam apprehenſionem, quâ Chriſtum in verbo Evangelii nobis propoſitum apprehendimus, ut in nobis habitet & vivat. Audivimus Bellarminum ſuperiùs cap. 13. diſſerentem, quod *per fidem Chriſtus in nobis formetur.* Jam verò certum eſt, per ſolam notitiæ apprehenſionem CHRISTUM non formari in nobis, ut gratia ac Spiritu ſuo in cordibus noſtris habitet. Quæ verò hæc temeritas eſt, fidem juſtificantem conferre cum inani & ſtolida illa fiducia, qua quis ſe doctum eſſe aut fore confidit, licet ſit & maneat indoctiſſimus? Fides juſtificans objecti loco habet immotum ac infallibile Dei verbum, videlicet promiſſionem Evangelii in quo De⁹ gratis offert remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam omnibus pœnitentiam agentibus & in Chriſtum credentibus, hoc eſt, fide promiſſa bona amplectentibus: relatio igitur eſt inter DEI promiſſionem ac noſtram fidem; fides innititur promiſſioni & credendo particeps fit promiſſorum bonorum, ſicut ſupra ex Auguſtino ſerm. 8. de verb. Domini audivimus. *Credis ne ô peccator Chriſto? ais, credo. Quid credis? gratis univerſa tibi peccata per ipſum remitti poſſe? habes quod credidiſti.* Tali fundamento deſtituitur fiducia illius ſcioli, qui ſe confidit eſſe aut fore doctum. Nulla ergò veritatis ſpecie negari poteſt, fidei proprium eſſe apprehendere. Si enim Scripturam audire velimus, vera & ſalvifica fides verbum promiſſionis apprehendens apprehendit gratiam reconciliationis & juſtificationis, Roman. 3. verſ. 22. *Juſtitia DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes & ſuper omnes eos qui credunt in eum.* Apprehendit juſtitiam Roman. 9. verſ. 30. *Gentes* κατέλαβε *apprehenderunt juſtitiam, juſtitiam autem quæ eſt ex fide.* Apprehendit adoptionem filiorum Dei. Johan. 1. verſ. 12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen ejus.* Apprehendit Spiritum υἱοθεσίας. Johan. 7. verſ. 38. *Qui credit in me, de ventre ejus fluent aqua viva.* verſ. 39. *hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Galat. 3. verſ. 2. *Ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* Apprehendit veram & ſalutarem ſcientiam CHRISTI. Johan. 6. verſ. 68. *Verba vitæ æternæ habes*, verſ. 69. *& nos credidimus & cognovimus quòd tu es CHRISTVS Filius DEI vivi.* Apprehendit vitam æternam, Johan. 3. verſ. 36. *Qui credit in Filium* ἔχει *habet vitam æternam.* Apprehendit dona Dei reliqua, quæ ab ipſo petimus Marc. 11. verſ. 24. *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis.* 3. *Sed eſto*, ait Bellarminus: *apprehendatur aliquo modo juſtificatio per fidem, certe non ita apprehenditur ut reipſa jam habeatur & inhæreat, ſed ſolùm ut ſit in mente per modum objecti actione intellectus aut voluntatis apprehenſi, at hoc modo apprehenduntur etiam amor & gaudium teſte Auguſt. lib. 8. Confeſſ. cap. 2. Si ergo fides juſtificat, quia juſtitiam apprehendit, dum credo aut confido me eſſe juſtum per CHRISTVM, ipſa etiam caritas juſtificat, dum diligo & gaudeo me eſſe juſtum per Chriſtum.* Reſp. In propriis locutionibus non dicimus juſtificationem apprehendi per fidem; ſed dicimus Chriſtum & in Chriſto Dei miſericordiam, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & vitam æternam apprehendi per fidem & hoc modo fieri juſtificationem. Concedimus, juſtificationem non eſſe quiddam per modum habitus nobis inhærens, ſed eſſe relationem, hoc eſt, peccatorum remiſſionem & juſtitiæ Chriſti imputationem; interim tamen per juſtificationem verè habetur, hoc eſt, obtinetur juſtitia, non enim ſolùm quod inhæret, ſed etiam quod imputatur, verè haberi dicitur. Adde quòd per fidẽ Chriſtus *recipiatur* & *induatur*, ut poſtea *in vobis habitet & vivat*, docẽte Apoſt. Gal. 2, 20. c. 3, 27. Eph. 3, 17. Dilectio nõ habet talẽ vim apprehendẽdi Chriſtũ, cũ deſtituatur relatione illa, q fides habet ad verbũ, ſed foras potiùs progreditur & ſe cõmunicat dilecto, gaudiũ eſt fructus Sp. & effectus juſtificantis fidei, *juſtificati n. fide pacẽ habem⁹ apud Deũ*, Rom. 5, 1. Qualis ſit apprehenſio fidei ex ipſo juſtit. actu diſcendũ, oſtendim⁹ a. ſupriùs, judiciariũ illũ eſſe, quo homo peccator corã Dei judicio ꝑpter Chriſti meritũ in Evang. annunciatũ abſolvitur, docẽte Ap. Rõ. 3. & 4 Ex hac fide oritur caritas, quâ diligim⁹ Deũ, q ꝓprio Filio nõ pepercit, ſed ꝓ nobis omnib⁹ eum tradidit

Roman.8.verſ.32. diligimus etiam CHRISTUM, *qui dilexit nos & tradidit ſeipſum pro nobis*, Galat. 2.verſ.20. Hunc dilectionis actum ſi quis itidem apprehenſionem quandam vocare velit, à fidei apprehenſione & juſtificatione eam diſtinguat, ejusdem effectum & conſequens eſſe agnoſcendo. 4. *Sed quid obſecro reſpondere poterunt* (ait Bellarminus) *ad applicationem juſtificationis, quam ipſi per Sacramenta fieri docent? quod ſi Sacramenta promiſſiones applicant & noſtras faciunt, non ergo per modum inſtrumenti fides ſola juſtificat.* Reſpond. Corrigimus primo linguam Bellarmini ac monemus, ut ſententiam noſtram candidè referat, non enim dicimus juſtificationem ſed juſtitiam CHRISTI per fidem nobis applicari, nos autem ex fide in Chriſtum juſtificari pronunciamus: deinde dicimus, Sacramenta non tollere excluſivam illam *Sola*, quippe quæ opponitur nec gratiæ DEI, nec merito Chriſti, nec Sacramentis, ſed ſolis operibus noſtris. Sacramenta enim ſunt veluti ſalutares DEI manus gratiam, remiſſionem peccatorum & juſtitiam nobis offerentes. 5. *Non multùm refert, quòd Sacramenta promiſſionem applicant dando, fides applicat accipiendo. Nam utrumque eſt inſtrumentum Dei, non enim per Sacramenta juſtificat DEUS, per Fidem juſtificat homo, ſed idem DEUS per Verbum & Sacramenta juſtificat, & ſicut Sacramenta dantur à DEO, ita & fides datur à DEO.* Reſponſ. Bene eſt, & fides nobis datur à DEO, quia per miniſterium verbi operatione Spiritus ſancti in cordibus noſtris accenditur: & Sacramenta nobis dantur à DEO, interim cuilibet patet hæc duo invicem differre quod per Sacramenta gratia & juſtitia nobis offeratur, & quod per fidem ea à nobis accipiantur. Quando ergo dicimus ſolam fidem juſtificare, tunc excluſivam non opponimus vel Verbo vel Sacramentis, quæ ſunt media ex parte DEI, ſed omnibus illis quæ præter fidem ex parte noſtra, vel per modum meriti, vel tanquam cauſa inſtrumentalis ad juſtificationem concurrere finguntur. Nec ſequitur, ſi fide juſtificamur, ergo nos ipſos juſtificamus, quia DEUS eſt cauſa principalis juſtificationis, fides inſtrumenti ſolùm rationem obtinet. Nemo dixerit manum pauperis ipſum ditaſſe, ſed elargitor dives pauperem ditat, etiamſi manus pauperis donaria accipiat. Manifeſta hæc ſunt, quæ fumis ſophiſticationum nunquam poterunt obſcurari. Ex Bellarmini verò ſententia rectius inferri poteſt, quòd homo ſeipſum juſtificet, ſtatuit enim fidem & reliquas virtutes concurrere, ut meritum de congruo. 6. Pergit Bellarminus & Lutherum nobis objicit, qui in libro de captivit. Babylon. capit. de Baptiſmo & in aſſertione artic. 1. 2. 6. & aliorum ſcribit, *Sacramenta non juſtificare, ſed ſolam fidem.* Reſpond. Diſputat ibidem contra Sophiſtas, qui ſtatuunt Sacramenta prodeſſe ex opere operato, etiamſi non adſit fides ſive bonus motus utentis, quibus Lutherus opponit hoc fundamentum, Sacramenta non prodeſſe abſque fide. Inſpiciatur textus & apparebit, quâ fide cum Luthero agat Bellarminus. Quæ hoc loco repetuntur, quòd fides non ſit inſtrumentum apprehendens, niſi ut eſt opus, quòd opera non excluduntur ſimpliciter ut opera, ſed ſolùm ut meritoria, quod actus fidei non ſit apprehenſio, &c. ea ex ſuperioribus manifeſta ſunt.

4. Fidei non juſtificat relativè ſed meritoriè.

179. Quartum principale argumentum petit Bellarminus ex modo juſtificandi ipſius fidei. *Fides* (inquit cap. 17.) *non juſtificat relativè & apprehendendo, ſed meritoriè, impetrando & inchoando juſtificationem, quod cùm ipſi ſit cum aliis virtutibus commune, conſequens fuerit, eam non ſolam juſtificare.* Antecedens triplici argumentorum genere Bellarminus probat. 1. *Scriptura docet, fidem eſſe cauſam juſtificationis. Juſtificari enim dicimus ex fide & per fidem.* Roman. 3. & 5. Epheſ. 2. *Ubi præpoſitiones Per & Ex denotare veram cauſam, probatur ex contrario. Nam cùm Apoſtolus ſcribit hominem non juſtificari ex operibus aut per opera, per legem aut ex lege, ſine dubio excludit efficientiam & vim legis & operum in juſtificando, non autem ſolam apprehenſionem relativam, nemo enim dubitare poterat, quin lex & opera non juſtificarent relativè apprehendendo juſtitiam. Præterea ii, quos Apoſtolus reprehendit, cùm affirmat & probat hominem non juſtificari ex lege aut operibus, non ſomniabant lege aut operibus quaſi manu apprehendi juſtitiam, ſed exiſtimabant merito operum ſuorum ſibi debitum fuiſſe juſtificationis donum. Ergo cùm Apoſtolus idem tribuit fidei, quod negat operibus & legi, ſine dubio tribuit fidei meritum aliquod & efficientiam reſpectu juſtificationis, quod tamen meritum nõ ex nobis, ſed ex Deo eſt, cujus donum eſt fides. Idem probatur ex aliis locis, in quibus Per & Ex ſignificant cauſam, dicimur enim per Chriſtum, per ſanguinem Chriſti juſtificari: Sancti dicuntur per fidem viciſſe regna (certè non per fidem apprehenderunt regna ſed reipſâ obtinuerant) Abel dicitur fide majorem hoſtiã obtuliſſe, Noë apeaſſe ſalutis arcam, Abraham obœdiviſſe ut exiret in alium locum, ubi apertiſſime fides ſtatuitur cauſa. Ideo enim Abel fide ſeu per fidem majorem obtulit hoſtiam, quam Cain, quoniam certo credens Deum eſſe primum autorem rerum omnium & ſummo cultu adorandum, ex ea fide motus eſt, ut offerret quod optimum habebat, ergo fides fuit cauſa illius oblationis. Noë fide aptavit arcam, quia credens verbis Dei comminantis diluvium, timore concepto metuens aptavit arcam, Ergo fides fuit cauſa timoris & conſequenter ipſius arcæ. Abraham fide obœdivit exire in locum, quem neſciebat, quoniam credens DEUM omnipotentem & fideliſſimum, ex ea fide motus eſt, ut promtè obœdiret, ergò fides fuit cauſa obœdientia, ac proinde fide, ſive per fidem juſtificari nihil aliud erit, niſi fidem eſſe cauſam juſtificationis.* Reſponſ. 1. Etiam nos dicimus, fidem eſſe cauſam juſtificationis, puta inſtrumentalem. 2. Si de cauſa meritoria Bellarminus agit (ut certè agit) dicimus cauſam meritoriam Juſtificationis eſſe ſolum Chriſtum Mediatorem, cujus merito & gloriæ detrahitur, ſi vel fidei vel operibus meritum quoddam tribuitur, ut ſuo loco plenius oſtendemus. Rectè ergo ſcribit Coſterus in Enchirid. pag. 296. *Peccatum non niſi per infinitum meritum poteſt deleri, nempe ſolius Chriſti.* 3. Tota vis fidei juſtificantis poſita eſt in apprehenſione CHRISTI, ut manifeſtè oſtendit relatio inter promiſſionem & fidem; ergo fides, non ut meritum, ſed ut inſtrumentum apprehendens ad juſtificationem concurrit. 4. Juſtificatio definitur ab Apoſtolo per remiſſionem peccatorum, Roman. 4. verſ. 17. Ex Pſalm. 32. verſ. 1.

1. Quia dicitur cauſa juſtificationis.

Ubi

Ubi peccata, ibi non poteſt locum habere meritum, quomodo ergo ſides promiſſionem de remiſſione peccatorum apprehendens meritoriè juſtiſicare dici poteſt? 5. Si per fidem tanquam meritum aliquod juſtificaremur, non ampliùs ex gratia & gratis juſtiſicaremur, ubi enim eſt meritum, ibi exulat gratia, deeſt gratiæ, quicquid meritis deputas. 6. Ipſe Bellarminus juſtificationem definit per gratiæ infuſionem, cauſam verò meritoriam juſtificationis ſtatuit Chriſtum, quomodo igitur fides meritoriè juſtificabit? & quomodo fides erit & *diſpoſitio ad juſtificationem*, & *cauſa meritoria & formalis*? 7. Aliud eſt *διὰ τὴν πίστιν*, aliud *διὰ τῆς πίστεως* juſtiſicari, illud cauſam meritoriam notat, hoc verò inſtrumentalem. Non juſtificamur propter fidem tanquam meritum aliquod ſed per ſidem, quæ meritum CHRISTI apprehendit. 8. His ergo præmiſſis ad argumentum Bellarmini reſpondemus, eſſe in eo fallaciam conſequentis. Quæſtio erat inter Apoſtolum Paulum ac pſeudo-Apoſtolos, quomodo ſeu quâ ratione homo juſtificetur apud DEUM? Pſeudo-Apoſtoli docebant, per ſidem & opera hominem juſtificari (non enim excludebant fidem, cùm dicantur *πεπιστευκότες*, Actor. 15. verſ. 5.) Sed D. Paulus docet, *fide ſine operibus hominem juſtificari*: in illo ergo tertio quærenda eſt convenientia generica, quòd ſcilicet utraque propoſitio agat de modo juſtificationis coram DEO, non autem neceſſe eſt, quia meritum & efficientiam Juſtitiæ Apoſtolus derogat operibus, ſtatim inde conſequi, quòd fidei illud meritum tribuatur. *Juſtificari ex operibus* phraſi Apoſtolicâ & Apoſtolicè intellectâ non eſt juſtitiæ habitum ex operibus juſtis acquirere, vel juſtum fieri ex operibus, ſed juſtum judicari & pronunciari propter obœdientiam legi præſtitam. Negat ergo Apoſtolus, ullum hominem juſtificari ex operibus, cùm in nullius Natura & actionibus ea reperiatur Sanctitas & juſtitia, quæ normæ legis divinæ perſectè correſpondeat, ideoque juſtificationi ex operibus opponit juſtificationem ex fide, quæ perfectam legis impletionem & ſatisſactionem pro peccatis in CHRISTO quærit & apprehendit. 9. Bellarmino ipſa etiam fides eſt opus, ut vidimus ſuperiùs. Ergò ſi Apoſtolus derogat operibus meritum & efficientiam juſtitiæ, utique etiam fidei illud meritum derogabitur. 10. Invertimus igitur argumentum. Si operibus legis efficientia & meritum juſtitiæ derogatur, multò magis fidei. Conſequentia patet, quia de obœdientia legis dicitur: *Hoc fac & vives.* Item *hæc faciens homo vivet in eis.* 11. Proinde diſpar eſt ratio fidei & operum in hoc negotio. Opera habent rationem juſtitiæ propriæ ſive inhærentis, & ſic videri poterant meritum aliquod ſeu efficientiam juſtificationis obtinere (ideo Apoſtolus illud derogat eis) ſed fides habet rationem juſtitiæ imputatæ, alienam enim nimirum CHRISTI juſtitiam apprehendit, ideoque nullâ ratione meritum aliquod juſtitiæ propriæ fidei tribui poteſt. 12. Fides non per ſe & ſimpliciter opponitur operibus, cùm opera ſint fidei effectus, ſed reſpectu effectus videlicet juſtificationis, & reſpectu objecti, quod eſt juſtitia merito CHRISTI parta: ea nimirum eſt, quæ directè & propriè operibus in actu juſtificationis opponitur & quæ meritoriè ac formaliter (nimirum per fidem nobis imputata) nos juſtificat: operibus autem non competit meritoriè juſtificare vel per ſe vel propter aliud objectum, quod apprehendant, cùm vi illâ apprehendendi deſtituantur. 13. Quæ ex cap. 11. Hebr. Bellarminus profert, ea maximâ ex parte agunt de variis fidei exercitiis poſt juſtiſicationem, non autem de fide in actu juſtificationis occupata. Duplex enim eſt fidei *ἐνέργεια*: prior, quâ apprehendit CHRISTUM & hoc modo obtinet rationem inſtrumenti: poſterior, quâ ſeſe per opera exerit, & hoc modo obtinet rationem efficientis. Sophiſticum igitur eſt hoc argumentum. *Sancti fide vicerunt regna non apprehendendo ea. Ergo fides non juſtificat apprehendendo*, imò verò confunduntur ea quæ ſunt diſtinguenda, videlicet proprium fidei juſtificantis officium in actu juſtificationis & varia ejusdem exercitia poſt juſtiſicationem. 14. Ut nihil dicam de imperfecta definitione fidei in Abele, Noaho & Abrahamo. Inde enim & ideò fide majore DEO hoſtiam obtulit Abel, quàm Cain, quia Abel ſide reſpexit in promiſſum ſemen mulieris, in eo remiſſionem peccatorum quæſivit & ex fide ſacrificium obtulit, quod & de Noaho ac Abrahamo, quibus utrisque repetita eſt promiſſio de ſemine venturo, intelligendum eſſe, res ipſa manifeſtè oſtendit.

180. Alterum antecedentis fulcrum petit Bellarminus ex illis locis quæ teſtantur, *fidem eſſe initium juſtitiæ ac per hoc cauſam formalem juſtificationis*, Roman. 4. *Credenti in eum, qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam, ubi ipſa fides cenſetur juſtitia, ac per hoc non apprehendit fides juſtitiam CHRISTI, ſed ipſa fides in CHRISTVM eſt juſtitia. Et ſi quidem ſit fides viva & perfecta, per caritatem erit perfecta juſtitia, ſin minùs, erit ſaltem inchoata & imperfecta juſtitia.* 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS*, &c. *ubi per fundamentum intelligitur fides, conſtat enim fundamentum in quovis ædificio partem & inchoationem ædificii eſſe, quod per additionem parietum & tecti perducitur ad faſtigium.* Actor. 15. *Fides dicitur purificare corda, quia liberat hominem à ſordibus errorum, quod non tam efficienter quam formaliter facit; puritas autem cordis quid eſt niſi juſtitia inchoata? Idem docent Patres fidem & dilectionem invicem conjungendo ac fidem inchoationem Spiritualis ædificii vocando.* Reſpond. An fides ſit initium juſtificationis & per caritatem poſtea formetur, de eo diximus ſuo loco. 1. Quomodo fides imputetur ad juſtitiam, ex diſtinctione ſuperiùs allata intelligi poteſt. Fides aut ſumitur abſolutè pro corde fideli, aut relatè pro ipſa ſiduciali apprehenſione CHRISTI, priori modo non imputatur fides, hoc eſt, qualitas nobis inhærens ad juſtitiam, ſed modo poſteriori, & hac ratione idem ſunt CHRISTUS per fidem apprehenſus ac fides Chriſtum apprehendens. Ergo fides ad juſtitiam nobis imputari dicitur, quia eſt inſtrumentum, quo juſtitiam illam CHRISTI, quæ nobis imputatur, apprehendimus. Quemadmodum annulus, cui incluſa eſt

2. *Quia fides eſt initium juſtitiæ.*

gemma

gemma precioſiſſima, dicitur valere aliquod coronatis, ubi annulus non eſt gemma, & tamen propter gemmam annulus tanti æſtimatur: ita fides quæ apprehendit CHRISTI juſtitiam, dicitur nobis imputari ad juſtitiam quippe cujus eſt organum apprehendens. Quæ reſponſiones non ſunt ſibi invicem contrariæ ſed ſubordinatæ, ut patebit inferiùs, ubì de cauſa formali juſtificationis agetur. Hoc loco probè notari velim, Apoſtolum non ſimpliciter dicere, quòd fides ſit noſtra juſtitia, ſed quòd fides imputetur ad juſtitiam, ut ipſo verborum ſono indicet, fidem cenſeri ac dici juſtitiam, non per ſe ac in ſe ut eſt qualitas, ſed in objecto ſuo videlicet merito redemptionis CHRISTI, quod ad juſtitiam imputatum fides apprehendit & ſuum facit. 2. Apoſtolus 1. Corinth. 3. Propriè non agit de modo juſtificationis, ſed de ſpirituali Eccleſiæ ſtructura, cujus fundamentum eſt Chriſtus, ſive quod idem eſt, ſincera ac ſolida de Chriſti perſona & officio doctrina. Huic fundamento quidam architecti Spirituales ſuperſtruunt *aurum & argentum*, hoc eſt, ſinceram & veram doctrinam in reliquis fidei articulis: quidam verò ſuperſtruunt *fœnum & ſtipulas*, hoc eſt, ſomnia humanæ rationis, quæ in igne tentationum non ſubſiſtunt. Ipſe Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 5. longè aliter hunc textum exponit, quàm hoc loco. Age verò ſtatuamus per fundamentum hoc loco intelligi fidẽ, quid ex eo contra nos vult Bellarminus deducere? *Ergo,* (inquit) *fides eſt ſolummodò initium juſtificationis, qua completur ac perficitur per opera.* Atqui illa collectio non procedit. Sit ſanè fides initium virtutum Chriſtianarum, origo ſpiritualis ædificii, dilectionis ac ſpei genitrix, &c. ut ex Patribus Bellarminus probat num propterea ſaltem erit initium juſtificationis? minimè verò, ſed diſtinguendi ſunt duplices fidei reſpectus, priori enim modo reſpicit CHRISTUM, quem fiducialiter apprehendit & hoc modo juſtificat: poſteriori verò per dilectionem & alios fructus Spiritus ſeſe exerit, hoc modo non juſtificat, ſed juſtificationem factam eſſe demonſtrat, boni fructus non faciunt arborem bonam, ſed arboris bonitatem demonſtrãt. Propria ſedes doctrinæ de juſtificatione extat, Roman. cap. 3. & 4. Galat. cap. 2. & 3. Epheſ. cap. 3. Philip. 3. ex qua debebant argumenta peti, non ut locis peregrinis. 3. Fide purificantur corda, non ex merito quodam ſed ut inſtrumento quo CHRISTUS apprehenditur, cujus *ſanguis nos mundat ab omni peccato.* 1. Johan. 1. verſ. 7. Adde quòd cum fide perpetuo nexu conjuncta ſit donatio Spiritus ſancti, qui enim per fidem ex Deo nati ſunt, illis datur Spiritus adoptionis, qui incipit Naturam eorum renovare, carnem peccatricem domare & veterem Adamum mortificare, utroque igitur modo fides purificat corda, primò *imputativè*, deinde etiam *inchoative*. Neque enim per purificationem hoc loco intelligitur tantummodò liberatio à ſordibus errorum & pravarum opinionum, ſed cum primis emundatio à ſordibus peccatorum, ut apparet ex toto contextu.

s *Quia fides impetrat & meretur remiſſionem peccatorũ.*

181. Tertium antecedentis fulcrum petit Bellarminus ex illis locis, quæ docent, *quod fides impetret & ſuo quodam modo etiam mereatur remiſſionem peccatorum.* Luc. 7. *Fides tua te ſalvum fecit, non autem rectè diceretur fides ſalvum facere, videlicet à peccatis, hoc eſt, juſtificare, ſi revera nihil faceret in ordine ad juſtificationem, ſed tantùm acciperet indulgentiam. Quis enim diceret egenti, qui ſolùm ad eleemoſynam porrigeret manum, manus tua tibi fecit eleemoſynam? aut quis ægroto manu pharmacum capienti diceret, manus tua te curavit à morbo? Confirmat hanc efficaciam fidei, quòd* Matth. cap. 15. *legimus Cananeæ dictum. O mulier magna eſt fides tua. Et* Marc. cap. 7. *propter hunc ſermonem vade, exiit Dæmonium à filia, hic enim apertè tribuitur fidei efficacia impetrandæ ſanitatis.* Roman. cap. 4. *Cauſam reddit Apoſtolus, cur fides Abrahæ reputata ſit juſtitia, quoniam credendo dedit gloriam DEO. Itaque placuit DEO fides illa, per quam glorificatus eſt, & ideò merito illius fides Abrahamum juſtificavit.* Rom. c. 10. *D. Paulus ſicut facit cauſam fidei prædicationem verbi, ita facit cauſam invocationis ipſam fidem & cauſam ſalutis, id eſt, juſtificationis invocationem. Ex quo intelligimus, fidem per invocationem impetrare juſtificationem. Denique* Hebr. cap. 11. *Fide dicuntur homines DEO placere, ac per hoc fidem eſſe magni pretii ac meriti apud DEUM. Auguſtinus etiam paſſim dicit fidem impetrare & mereri juſtificationem.* Reſponſ. 1. Allata Scripturæ teſtimonia ſunt diſſimilia, quædam loquuntur de peccatorum remiſſione per fidem impetrata non tanquam per meritum, ſed medium, quædam loquuntur de beneficiis corporalibus, quædam de exercitiis fidei, quæ ſunt à quæſtione aliena. 2. Manus mendici non poteſt quidem dici eum ditare, interim rectiſſimè dicitur, quòd mendicus per acceptionem theſauri à divite oblati, quem manu ſuâ apprehendit ac tenet, ſit ditatus: ita quoque fides Chriſtum apprehendens nos juſtificat non meritoriè, ſed inſtrumentaliter. Quando enim fidem manui conferimus, intelligimus hoc non de manu abſolutè, ſed ut ipſo actu apprehendit. Auguſtin. lib. 10. de Geneſ. ad literam cap. 12. *Ita etiam loquimur, cùm dicimus, manus tua ſubvenit homini, cùm aliquid porrecta manu datur, quo cuiquam ſubveniatur.* 3. Fides non debet conferri manui apprehendenti poculum, in quo continetur ſalutaris portio, ſed eſt Spirituale illud os, quo ex fonte ſalutis bibimus, eſt Spiritualis paſtus animæ, eſt ipſa Spiritualis bibitio; cœleſtis potus, ut patet ex capit. 6. Johannis. 4. Eſt etiam in argumento Bellarmini fallacia conſequentis. Fides dicitur ſalvum facere, ergò meritoriè juſtificat? Quinimò quicquid dicitur ſalvum facere, illud aut efficienter aut meritoriè aut inſtrumentaliter nos ſalvat, Deus ſalvat efficienter, Chriſtus meritoriè, verbum & Sacramenta inſtrumentaliter ex parte Dei, fides itidem inſtrumentaliter ex parte noſtri. Quid enim? num & hoc modo argumentabimur. *Evangelium eſt potentia DEI ad ſalutem.* Roman. 1. verſ. 16. Ergò meritoriè nos ſalvat. Timotheus per prædicationem verbi *& ſe & auditores ſuos ſalvos facit.* 1. Timoth. 4. Ergò meritoriè? 5. Tota fidei efficacia pendet ab objecto, quod apprehendit, ut patet exemplo Cananeæ, cui dicitur: *propter hunc ſermonem vade, exiit Dæmonium*, quaſi dicat CHRISTUS: quia non ſolùm verbis ſed re ipſa teſtaris per fidem te viciſſe omnes tentationes, ideò etiam me i-

pſum

ipſum quaſi tibi victum præbeo, propter hunc ſermonem victoriæ per fidem obtentæ indicem ac teſtem vade, impetrsbis quod petiiſti. 6. Diſtinguimus autem inter impetrationem & meritum propriè dictum. Fide impetrari peccatorum remiſſionem non negamus, ſed ex eo nondum ſequitur, quòd propriè loquendo eandem mereatur, plures enim eſſe modos impetrandi, quàm ex merito, docent mendici eleemoſynam petentes & accipientes. 7. Juſtitia tribuitur fidei Abrahæ non propter dignitatem ac meritum quoddam fidei, ſed quia apprehendit Dei promiſſionem de benedicto ſemine, in quo & propter quod benedictio, juſtificatio & ſalus Abrahæ obtigit. 8. Fides per invocationem ſive in invocatione impetrat ſalutem, non propter aliquod ſuum meritum, ſed propter promiſſionem, cui inhæret atque innititur, quæ cùm ſit Dei omnipotentis ac veracis promiſſio, & cum Chriſti beneficia in ea nobis offerantur, ideò, qui illi confidit, bonorum promiſſorum particeps efficitur. Concludimus igitur cum Weſſelo Gronigenſi in libro de incarnatione & paſſione capit. de gratia Dei & fide. *Juſtificat fides non ex merito credentis, ſed propoſito & acceptatione Dei, in quem credidit.* Item in capit. quod fide juſtificamur. *Fide mundificat corda fidelium, ſed non propter fidem, ſed propter ſermonem & verbum Dei vivificans hominem.* Agnoſcit hoc Schopperus presbyter Colonienſis in Concion. 1. ſuper Epiſtol. in feſto D. Andr. pag. 2. *per fidem juſtificamur & ſalvamur: hoc autem non eo pacto intelligi debet, quaſi fides per ſe tantum poſſit, aut quod ſit juſtificationis ſalutisque causâ, ſed quod nullâ aliâ re gratiam ejus nos purgantem ac innovantem poſſimus accipere. Fides in ſolam DEI miſericordiam & gratiam reſpicit, quare nimirum quod juſtificare & ſalvare dicitur, perinde eſt ac ſi dicamus, miſericordia & gratia DEI nos juſtificat & ſalvat. Quod ſi hoc animadverterent quidam, non adeò offenderentur, uti nunc videmus.* Hæc ille.

5. Operâ ſunt ad ſalutem neceſſaria.

182. Poſtremum principale argumentum petit Bellarminus *ex causa formali juſtificationis & ex neceſſitate operum ad ſalutem*, quâ de re cùm paulò pòſt ex profeſſo diſſerendum ſit, ideò ad illum locum hujus srgumenti expoſitionem rejicimus. Ceterùm cum ægerrimè ferant sdverſarii & maximopere tumultuentur, quod particula excluſiva *Sola* ipſi textui Apoſtolico, Roman. 3. v. 24. in Germanica Doct. Lutheri verſione inſerta fuerit, ideò jubemus obſervari. 1. Quòd Lutherus ipſos fontes, videlicet textum Græcum inviolatum retinuerit. 2. Nec verſioni Latinæ quicquam addiderit. 3. Quæſtionem igitur ſolummodò eſſe de translatione Germanica, de qua non ſunt audiendi homines Itali proprietatum Germanicæ linguæ ignari, ſed potiùs Germani, qui idiotiſmos vernaculæ linguæ percallent. Sic igitur concludimus. Quæcunque verſio 1. Genuinam, propriam & nativam Apoſtoli ſententiam exponit. 2. Eamque puro idiomate pro ejus linguæ proprietate exprimit. 3. Nec deſtituitur aliarum verſionum exemplis, illa non eſt repudianda, multò minus calumniis deformanda. Atqui verſio Lutheri particulam excluſivam *Sola* Roman. 3. v. 24. addens. 1. Genuinam, propriam & nativam Apoſtoli ſententiam exprimit. Quod enim Apoſtolus hoc loco dicit, *juſtificari nos fide ſine operibus legis*, idem eſt cum eo, quod Galat. 2. v. 16. dicitur, *nos non juſtificari ἐὰν μὴ niſi per fidem IESV CHRISTI.* Atqui ἰσοδυναμοῦντα ſunt, non niſi per fidem juſtificari & ſolâ fide juſtificari, ut oſtendimus ſuperiùs §. 158. quò pertinet etiam illud, quòd reliquas excluſivas omnes, quas in hoc argumento Apoſtolus adhibet, particula *Sola* breviſſimè & nervoſiſſimè exprimit. Quid enim aliud eſt juſtificari *ſine lege, ſine operibus, non ex lege, non ex operibus legis, fidem imputari ad juſtitiam ſine operibus*, quàm ſolâ fide juſtificari? 2. Eadem verſio Apoſtolicam ſententiam puro idiomate pro nativa linguæ Germanicæ proprietate exprimit, quâ de re vide Doct. Lutherum tom. 5. Jenenſi German. fol. 140. & ſeqq. ubi oſtendit, hoc Germanicæ linguæ idioma eſſe, ut in oppoſitione duorum vel plurium rerum, ei quæ affirmatur majoris emphaſeos & perſpicuitatis gratiâ excluſiva adjiciatur. Jam verò non agitur hoc loco de numero dictionum, ſed de phraſi ac genuina ejus loci ſententia, *nec verbum verbo curabit reddere fidus interpres*, dicit Flaccus. Hunæus in prodidagm. dialect. fol. 31. agnoſcit, *quod excluſiva Tantum aut Sola æquivaleat locutioni de aliquo aliquid affirmanti & de alio idem neganti.* 3. Non deſtituitur hæc verſio ſimilibus exemplis Syriacæ, Græcæ, Latinæ & Italicæ translationis. **(Adde & Hebraica. Deuter. 4. v. 35. *ut ſcias, quod Dominus eſt Deus & non eſt alius præter eum. Ego ſum ſolus Iehova, Dominus ipſe Deus non amplius præter eum.* Hic locus Deuter. 32. v. 39. ita explicatur. *Videte nunc quod ego ego* (ego ſolus) *ipſe & non Dii mecum.*)** 1. Quod de Syriaca verſione dixi, manifeſtum eſt ex Roman. 4. v. 5. Ubi in hoc ipſo argumento excluſiva additur, quæ in textu Græco non habetur. *Ei qui non operatur, ſed tantum* (בִּלְחוּד Bálchud) *credit in eum, qui juſtificat impium*, &c. 2. LXX. Interpp. Græci locum Geneſ. 3. v. 11. ita reddunt: *Edisti de ligno, de quo præceperam tibi* τούτου μόνου μὴ φαγεῖν, *ne de eo comederes*, ubi excluſiva in Hebræo non habetur. Sic Deut. 6 v. 13. αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις ubi excluſiva nō extat in Hebræo & tamen à LXX. Interpp. additur, quam verſionem confirmat ipſe Chriſtus Matth. 4. v. 10. 3. Verſio Latina, quam Conc. Trid. authenticam pronunciavit, plurimis in locis excluſivam majoris emphaſeos gratiâ inſerit. Lev. 21. v. 2. *Non contaminetur Sacerdos in mortibus civium ſuorum, niſi tantùm in conſanguineis*, Deuter. 6. v. 13. *Dominum DEUM tuum timebis & illi ſoli ſervies:* Idem eodem modo repetitur cap. 10. v. 20. ſic Deuter. 12. v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito.* Deuter. 22. v. 27. *Sola erat in agro.* Deuteron. 32. v. 39. *Ego ego ſum ſolus & non eſt alius DEUS mecum.* 1. Samuel. 10. v. 19. *Abjeciſtis DEUM veſtrum qui ſolus ſalvabit vos.* 1. Samuel. 18. v. 8. *Quid ei ſupereſt niſi ſolum regnum?* 2. Regum 7. v. 7. *Animas tantùm ſuas ſalvare cupientes.* 2. Regum 19. v. 19. v. 11. *Tu ergò ſolus poteris liberare.* 2. Regum 23. v. 9. *Sed tantùm comedebant infermentata.* 2. Paralip. 20. v. 12. *Hoc ſolùm habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Eſther. 3. v. 2. *Solus Mardochæus non flectebat genua.* Capit. 4. verſ. 13. *Quod animam tuam tantum liberes.* Job. 17. verſ. 1.

De particula ſola in verſione Germanica.

Solum

Solum mihi ſupereſt ſepulchrum. Cant.8.v.1. *Ut inveniam te ſolum foris.* Jere.17.v.4. *Relinqueris ſola ab hereditate tua.* Dan.11. v.4. *Hæ autem ſolæ ſalvabuntur de manu ejus.* Zach.8.v.19. *Veritatem tantùm & pacem diligite.* In his locis omnibus particula excluſiva non extat in Hebræo, & tamen ab interprete Latino perſpicuitatis & emphaſeos gratia expreſſa eſt. 4. Edita ſunt Venetiis Anno 1546. Biblia Italica, in quibus verba Apoſtoli, Galat.2.v.16. *Quod non juſtificetur homo ex operibus legis niſi per fidem Ieſu Chriſti,* ſic reddita ſunt. Sapendo che l'huomo non ſi guiſtifica da le opere de la legge, ma ſolo per la fede di Gieſu Chriſto (per ſolam fidem Jeſu Chriſti.) Ex his facilè apparet, quid de calumniis adverſariorum, quibus hanc Lutheri verſionem inſectantur, ſtatuendum ſit. Bellarmin.1.de Juſtific. cap.16. vocat *fallaciam.* Piſtor. in hodeg. p.214. *Crimen falſi. &c.* ** 5. Germanica. Mentz. in exeg. Auguſt. Confeſſ. art.4.p.144. *Inſpexi Confluentiæ in Bibliotheca Ieſuitarum antiqua Biblia Germanica ante Lutherum edita, in quibus habetur* Roman.3. *particula excluſiva* allein durch den Glaubē ohne die Werck der Ehe. *Veteres n. Germani legem vocarunt* die Ehe/ *ut multis exemplis poteſt oſtendi. In Bibliotheca Senatus Spirenſis duo habentur exemplaria Bibliorum Germanicorum vetuſtiſſima, quorum utrumque particulam* Galat.2. v.16. *εἰ μὴ niſi reddit* per Nur/ *quæ idem valet quod* allein. Præter Dietenberg. Joh. Eccius in verſione ſua Germanica Ingolſtadii, impreſſa per Alexandr. & Samuel. Weiſſenhorn Anno 1550. loca illa quæ habent particulas *ἐὰν μὴ, εἰ μὴ niſi,* expreſſit per vocem allein 4. Reg.5.v.15. *Verè ſcio, quod nō ſit alius Deus in univerſa terra niſi in Iſrael.* Eccius ita vertit. Warlich weiß ich/ daß kein Gott in allen Landē dann allein in Jſrael Ibid.v.17. *Non faciet ultrà ſervus tuus holocauſtum aut victimam Diis alienis, niſi Domino.* Eccius ita vertit. Denn dein Knecht wird forthin nicht Brandopffer oder Opffer opffern frembden Göttern denn allein dem HErrn. Marc.13.v.32. *de die illa vel hora nemo ſcit neque Angeli in cœlo, neque Filius niſi ſolus pater.* Eccius. Von dem Tage vnd der Stunde weiß niemand/ auch die Engel nicht im Himmel/ auch der Sohn nicht/ ſondern allein der Vatter. Apocal.21.v.ult. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.* Eccius. Vnd wird nit hinein jrgend ichts beſleckteſ/ ſondern allein die ſo geſchrieben ſind in dem lebendigen Buch des Lambs. Perer. diſput.9. in cap.3. Rom. ad illa verba Pauli per legem cognitio peccati, addit: *Oportet in hac Pauli ſententia intelligere ac ſupplere adverbium tantum hoc modo, per legem fit cognitio tantum peccati, idque haud dubie ideò fecit, quia* Rom.7. *dicitur, peccatum non cognovi niſi per legem.* Cur ergò hoc Luthero noſtro vitio vertitur, quod addit excluſivā tantùm, ſiquidem ſimili loco dicit Apoſtol. Galat.2. *Non juſtificetur homo ex operibus legis niſi per fidem tantùm.* **

An vera & juſtificans fides à dilectione & reliquis virtutibus ſeparari poſſit.

183. Ceterùm cùm in argumentis ſententiæ noſtræ oppoſitis Bellarminus mentionem faciat illius quæſtionis, *An vera & juſtificans fides à dilectione & reliquis virtutibus ſeparari poſſit,* ideò diſcuſſionē ejus hoc loco aggredicmur. Sententia noſtra eſt, fidem quidem ſolam juſtificare, interim tamen non eſſe ſolam, ſive ab operibus bonis ſeparatam, ſiquidem beneficium juſtificationis cum renovatione hominis interiori ſemper eſt conjunctum; Ad hoc demonſtrandum evidentia ex Scripturis argumenta nobis ſuppetunt. Afferemus primùm ea, quibus Bellarminus ſuas reſponſiones oppoſuit, poſteà addemus alia.

Fundamenta negativa.

1. Qui ſuorum curā non habet, fidem abnegavit.

1. D. Apoſtolus. 1. Timoth.5. v.8. Statuit, *eum qui non habet curam ſuorum, fidem negaſſe & infideli deteriorem eſſe,* ex quo manifeſtè apparet, eum qui dilectione erga ſuos deſtituitur, etiam fide juſtificante deſtitutum eſſe. Excipit Bellarminus 1. de Juſtif. cap.15. *Apoſtolum teſte Chryſoſtomo de iis loqui, qui fidem negare dicuntur, quoniam non vivunt, ut fides vivendum docet, qui confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Reſp. Vera eſt hæc expoſitio, ſed non plena; neque enim hoc ſolum vult Apoſtolus, quòd ἄπιστος non ita vivat, ut fides vivendum demonſtrat, ſed etiam quod fruſtra jactitet fidem, qui ſuis non exhibet debita caritatis officia, cùm vera & ſalvifica fides ſit *efficax per dilectionem,* Galat.5. v.6. Proinde qui fidem juſtificantem habet, non poteſt non habere curam ſuorum.

2. Joh.6. Judas proditor negatur habuiſſe fidē.

2. Joh. 6. v.64. *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt: ſciebat enim ab initio Ieſus, qui non eſſent credentes & quis traditurus eſſet eum,* ubi Judas dicitur non credere, quia eum traditurus erat. Excipit Bellarminus, *Iudam audito ſermone Chriſti de manducanda ejus carne ſcandalizatum eſſe & corde ab eo recedere cœpiſſe per incredulitatem, unde poſtea etiam ad prodendum illum ſit inductus.* Reſp. Hoc argumentum non eſt ex numero principaliū. Certum eſt, Judam unà cum reliquis diſcipulis Chriſtum initiò prędicaſſe & confeſſum eſſe, ſed cùm ſeſe avaritiæ dederet & conſilia proditionis agitaret, veram fidem amiſit, quamvis ratione notitiæ Chriſtum adhuc agnoſceret. **Cyrillus exiſtimat, *Iudam ab initio bonum fuiſſe & poſtea à Diabolo per avaritiam ſeductum.* Auguſtinus & Beda putant *ipſum jam tum fuiſſe malum.* Ex loco Joh.6.v.70. apparet, ipſum multo tempore ante paſſionem fuiſſe Diabolum.**

3. 1. Joh.2. Qui dicit, novi eum & præcepta ejus non ſervat, mendax eſt.

3. 1. Joh.2. v.3. *In hoc ſcimus, quòd cognovimus eum, ſi juſſa illius obſervamus.* verſ.4. *Qui dicit, novi eum, & præcepta ejus non ſervat, mendax eſt & in eo veritas non eſt.* Ex h.l. tale deducimus argumentum. Fides eſt ſalutaris Dei cognitio. At cognitio illa conjuncta eſt cum obſervatione mandatorū divinorum. Ergò & fides cū obſervatione mandatorū eſt conjuncta. Excipit Bellarm. *Apoſtolum loqui de notitia familiaritatis & amicitiæ, ut exponunt Beda & Oecumenius.* Reſp. Benè eſt, notitia illa familiaritatis eſt fidei juſtificantis propria, per fidem enim reddimur Dei filii, ejuſdemque amici, agnoſcentes eum tanquam benigniſſimum patrem & omnem cordis fiduciam in ipſum collocantes. Quare cùm notitia illa familiaritatis non poſſit eſſe abſque ſerio pietatis ſtudio, utique ergò nec fides.

4. 1. Joh.5. Qui credit ex Deo natus eſt.

4. 1. Joh.5. v.1. *Omnis qui credit, quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt,* cum quo conjungimus. Johan.1. v.12. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen ejus.* v.13. *qui ex Deo nati ſunt.* 1. Joh.3. v.9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt,* v.10. *In hoc manifeſti ſunt filij Dei & filij Diaboli. Omnis, qui non facit juſtitiam, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* 1. Joh.4. v.7. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt &*

cogno-

Deum, quoniam Deus caritas eſt. Ex quibus Apoſtolicis pronũciatis ita colligimus, Qui credit in Chriſtum, ex Deo natus eſt. Qui ex Deo natus eſt, peccatum non facit, i. e. non indulget peccatis, non permittit eis dominium, Ergo qui credit in Chriſtum, peccatum non facit. Item, Qui ex Deo natus eſt, Deum diligit. Qui fide Chriſtum recipit, ex Deo naſcitur. Ergo qui fide Chriſtum recipit, Deum diligit. Ulteriùs; Qui Deum diligit, is etiam proximum diligit. 1. Joh. 4. v. 20. *Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.* Qui fide Chriſtum recipit, Deum diligit, Ergo etiam proximum diligit, & per conſequens vera & ſalvifica fides non poteſt ſeparari à dilectione Dei & proximi. Quid ad hãc lucem Bell. regerit, *Apoſtolum loqui de fide formata, quæ per dilectionem operatur.* Reſp. bene eſt, loquitur Apoſtolus de fide, *quæ per dilectionem efficax eſt*, hoc eſt, de vera ac viva fide, atq; illa ipſa eſt, qua juſtificari dicimur, interim tamen dilectio non eſt forma, ſed effectus & neceſſarium conſequens fidei, ut demonſtravimus ſuperiùs.

5. Fides ſine operibus mortua eſt. Jac. 2. 5. *Fides ſine operibus mortua eſt*, Jac. 2, 17. nec poteſt juſtificare, cùm ſit inane & mortuum fidei ſimulacrum. E. fides juſtificans eſt viva per ſtudiũ bonorum operum ſeſe perpetuò exerens. Exceptionem Bellarmini ſuo loco examinabimus. 6.

6. Juſtus fide vivit Hab. 2. Hab. 2. verſ. 4. Juſtus fide vivit. Ergo fides eſt vita ſpiritualis animæ. Jam v. ubicunq; eſt vita, ibi exerit ſe per vitales operationes. Exceptiones Bellarmini, quibus propheticum dictum eludere conatur, diſcuſſimus ſuperius. §. 121.

Fundamenta alia, quæ Bellarm. non attingit. 184. Atque hæc ſunt argumenta, quæ pro ſententia noſtra Bellarm. adducit, eademq; diſſolvere nititur, quid præſtiterit, cuivis cordato facilè apparet. Addimus a. ſequentia, quæ Bellarminus non attingit. 1. *Per fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris.* Epheſ. 3. v. 17. Ubi Chriſtus adeſt per gratioſam inhabitationem, ibi quoque habitat Spir. S. Ubi Sp. S. ibi etiam apparent *fructus Spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, &c.* Gal. 5. v. 23. & 24. Ergo ubi Chriſtus habitat per fidem, ibi opera Spiritus apparent exterius. 2. Gal. 2. v. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus: quòd a. nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei.* Per fidẽ Chriſtus in nobis vivit. Quę v. Chriſti vita? Caritas, manſuetudo, patientia, humilitas, &c. ubicunque ergo vera fides, ibi etiam talia conſequentur. 3. *Qui in Deo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* 1. Joh. 3, 6. E. qui peccat, h. e. qui peccatis ſecurè indulget, falsò gloriatur de vera & ſalutari Dei cognitione per fidem. 4. Fides eſt ſpiritualis lux animæ. Ubicunq; lux eſt, ibi radios ſuos ſpargit, ideò Chriſtus dicit Matth. 5. v. 16. *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant bona opera veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* 5. *Fides eſt victoria, quæ vincit mundum.* 1. Joh. 5. v. 4. quid v. eſt mundus? Definiente eodem Apoſtolo, *omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ.* Ubi ergo ſecurè illis adhuc indulgetur, ibi mundus nondum eſt victus, & per conſequens, ibi non eſt vera fides. Viva eſt & victrix, ſi modò vera, fides. 6. *Fide purificantur corda.* Act. 15, 9. Ubi ſecurè indulgetur impuris peccatorum ſordibus, quomodo ibi poteſt eſſe interior cordis puritas? & per conſequens, quomodo ibi poteſt eſſe vera fides? *Bonus homo de bono theſauro cordis profert bona.* Matth. 12, 34. Idem oſtendit Chriſtus in parabola debitorum. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa* (dicit. v. 43.) *quoniam dilexit multum: (ut a. minus dimittitur, minus diligit:* Poſtea ſubjungit v. 50. *Fides tua te ſalvum fecit.* E. fidei, per quam remiſſio peccatorum contingit, effectũ, & conſequens eſt dilectio, qua Deum prius diligentem viciſſim ſincerè ac ſeriò diligimus. 8. Fide datur Spiritus S. Eph. 1. v. 13. *in quo & vos cùm audiſſetis verbum veritatis Evangelium ſalutis veſtræ, in quo & credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.* Gal. 3. v. 2. *an ex operibus legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei? Omnes eſtis filii Dei per fidem.* Gal. 3. v. 26. *quia v. eſtis filii, miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Gal. 4, 4. Atqui Spir. S. impellit ad omnis generis opera bona Rom. 8. 14. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei.* 9. Idem variis rationibus probari poteſt. Qui delectantur adhuc peccatis, quęrunt occaſiones peccandi. Qui quęrũt occaſiones peccandi, in illis non eſt vera pœnitentia. Ubi a. nõ eſt vera pœnitẽtia, ibi nec gratia Dei locũ habet, nec vera fides. Item, fides quęrit gratiam DEI, ut ipſi reconcilietur ac placeat, proinde eſt indefeſſa hortatrix, ut vitentur peccata, & fiant aliqua Deo grata. Fide amplectimur promiſſionem de remiſſione peccatorum, & ſic regeneramur ſive ex Deo naſcimur, cum illa regeneratione perpetuò conjuncta eſt renovatio. Qui verè credunt in Chriſtum, procul dubio odio habebunt peccatum, quippe pro quo expiando tantos dolores Chriſtus ſuſtinuit, quomodo credenti in Chriſtum poteſt eſſe gratum, quod Chriſto tantopere adverſum? Qui habet peccandi propoſitum, non accedit ad Deum, ſed diſcedit ac fugit à Deo. Eſai. 59. v. 3. *Iniquitates veſtræ diviſerunt inter Deum & vos.* At vera fides accedit ad Deum per Chriſtum. Fides eſt quaſi guſtus quidam ac perceptio ſuavitatis illius, quæ in Deo eſt. Pſal. 34. v. 8. 1. Petr. 2. v. 3. Hebr. 6. v. 4. ex ſuavi illa apprehenſione & guſtu bonitatis Dei oritur ejusdem dilectio. Quid quòd in rebus humanis videmus aliquem benè firmiterque de alterius benevolentia perſuaſum læta fiduciâ impleri, frontem exporrigere, ac modis omnibus anniti; ut promittenti ſeſe approbet ac gratum exhibeat. 10. Denique utimur hac ἀπαγωγῇ πρὸς ἄτοπον. Si adulteri, maſculorum concubitores, fures, avari, &c. quos Apoſtolus extorres regni cœleſtis pronunciat. 1. Cor. 6. v. 9. & 10. Gal. 5, 21. per peccata mortalia non amittunt fidem, ſed veram fidem adhuc retinent, conſequens fuerit, etiam veram fidem habentes eſſe æternæ vitæ extorres. Atqui ita concident Spiritus ſancti pronunciata Joh. 3. v. 15. *Omnis, qui credit in Filium Dei, non perit, ſed habet vitam æternam.* v. 36. *Qui credit in Filium habet vitam æternam.* Joh. 5. v. 24. *Amen, amen dico vobis, qui ſermonem meum audit & credit ei, qui miſit me, habet vitam æternam.* Rom. 10. v. 11. *Omnis, qui crediderit in illum, non confundetur.* 1. Joh. 5. v. 12. *Qui habet Filium, habet vitam, &c.*

185. Idem confirmant dicta veterum Irenæus *Teſtimonia veterum.* lib. 4. cap. 14. pag. 241. edit. Gallaſ. *Adhoc Filius revelavit Patrem, ut per eum omnibus manifeſtetur, & eos quidem, qui credunt ei, juſti, in incorruptelã & æternum refrigerium recipiat, credere autem eſt facere ejus voluntatem.* lib. 5. c. 11. p. 326. *Qui operibus juſtitiæ non adornantur, in Patrem quidem &*

Filium dicunt ſe credere, nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet. Clem. Alexandrinus in protrep. *πίςις ἐργοποιεῖ καὶ θεοσεβεῖ.* Origenes lib. 4. in Epiſt. Rom. cap. 4. parte 2. p. 508. *Non putes, quod ſi quis habet talem fidem, ex qua juſtificatus habeat gloriam apud Deum poſſit ſimul cum ea habere & injuſtitiam. Nulla enim pars eſt fidei cum infidelitate, nulla juſtitiæ cum iniquitate communio, ſicut nec luci cum tenebris poteſt eſſe ſocietas. Si enim qui credit, quod Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt, & qui ex Deo natus eſt, non peccat manifeſtum eſt, quia qui credit IESU Chriſto, non peccat, quod ſi peccat, certum eſt, quia non credit ei. Indicium igitur veræ fidei eſt, ubi non delinquitur, ſicut è contra, ubi delinquitur infidelitatis indicium eſt.* lib. 8. cap. 10. in Epiſtol. ad Rom. *Omnis, qui credit in eum, non erubeſcit, erubeſcit autem omnis, qui peccat. Ergo qui adhuc peccati ruborem incurrit, credere non videtur.* Cyprian. tract. 3. de ſimpl prælat. in princ. p. 162. *Quomodo dicit ſe credere in Chriſtum, qui non facit, quod Chriſtus facere præcepit?* Hieronym adverſus Lucifer. *Ardua res eſt fides & indubitata. Aſſiſto orans; at non orarem, niſi crederem; quod ſi crederem, cor illud emendarem, quo videtur Deus, lachrymis rigarentur genæ, tunderem pectus, inhorreſceret corpus, palleret vultus, & ad pedes crucifixi jacerem.* lib. 14. commentar. in Ezech. *Quis poteſt credere ſine operibus? non tamen meritum bonorum operum adducit ad fidem, ſed fides incipit, ut bona opera conſequantur.* Chryſoſtomus ſermon. de fide & lege Naturæ. *Quamprimum credideris, bonis operibus eris ornatus.* Ibidem addit, fidem per *ſe ipſam eſſe plenam operibus bonis.* Hom. 3. Epiſt. Tit. *fides non minus valet ad vitam noſtram regendam quàm prudentia* (at ſi fides poſſet extare abſq; bonis operibus, non accederet ad dignitatem prudentiæ, quæ ut Philoſophi ſtatuunt abſque cæteris virtutibus haberi non poteſt.) Auguſtinus lib. de fide & bonis operibus cap. 16. *Fides ſine caritate eſt fides Dæmoniorum, non Chriſtianorum.* cap 23. *Inſeparabilis eſt bona vita à fide, quæ per dilectionem operatur, imò verò ea ipſa eſt vita bona.* lib. octog. trium quæſt. q. 76. *Iuſtificatus per fidem non poteſt niſi juſtè deinceps operari.* lib. de cognitione veræ vitæ cap. 37. *Dæmones Deum & pagani credunt, ſed non credunt in Deum, Credunt namque, quod Deus ſit, quia omnia creavit, ac ſuper omnia potens ſit: in Deum autem tantùm credunt, qui enim diligendo, in eum tendunt.* ** lib. de Spiritu & lit. cap. 30. *Per legem agnitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ a vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium juſtitiæ dilectio, per juſtitiæ dilectionem legis operatio.* lib. de opere Monach. c. 13. *In cognitione cavendus eſt error, in actione nequitia. Errat autem quiſquis putat puritatem ſe poſſe cognoſcere, cùm adhuc nequiter vivat.* ** In Joh. tract. 61. *Qui fidem habet ſine ſpe & dilectione, Chriſtum eſſe credit, non in Chriſtum credit,* ſermon. 181. de tempore. *Aliud eſt credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deũ. Credere illi eſt credere vera eſſe, quæ loquitur. Credere illum, credere quia ipſe Deus eſt: Credere in illum, diligere illum, &c. Credere in Deum ſoli noverunt, qui diligunt illum, qui non ſolùm nomine Chriſtiani ſunt, ſed ex factis & vita, quia ſine dilectione fides inanis eſt.* Cyrillus in expoſit. Symb. tom. 4. col. 220. *fulgorem ex caritate fidem comitari* ſcribit. Euſeb. Emiſſenus hom. 2. de Symb. *fidem appellat lumen animæ, oſtium vitæ, & fundamentum ſalutis.* Gregorius homil. 22. in Evang. *Quantum credimus, tantùm diligimus.* Homil. 29. in Evang. *Vera fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, meritis non contradicit. Tenemus ſimiliter fidem, ſed eandem in bonis operibus exercemus:* ibidem ſtatuit, *eos non veraciter credere, & non habere veram fidem, qui non benè operantur*, ut ipſe Bellarminus ex Gregorio loquitur. 1. de juſtificatione capite 15. objectione. 1. Beda in Pſal. 25. *Fidem per munda opera & virtutes tanquam palliis ornare oportet, quæ ſi deſint, otioſa & mortua eſt.* ** Salvian lib. 4. in princ. *Cùm hæc ſit Chriſtiani hominis fides, fideliter Chriſti mandata ſervare, fit abſque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis eſt, nec in Chriſtum credat, qui Chriſti mandata conculcat, ac per hoc totũ in id revolvitur ut qui Chriſtiani nominis opus non agit, Chriſtianus non eſſe videatur.* ** Anshelmus in monolog. cap. 75. *Inutilis eſt fides, & quaſi mortuum aliquid, niſi dilectione valeat & vivat, ideò non abſurdè dicitur, operoſam fidem vivere, quia habet vitam dilectionis ſine qua non operaretur; & otioſam fidem non vivere, quia caret vita dilectionis, ſine qua non otiaretur.* Bernhard. ſerm. 2. de reſurrect. col. 133. *Fidei vitam opera atteſtantur, ſicut ſcriptum eſt, opera, quæ dedit mihi Pater, ipſa teſtimonium perhibent de me. Nec diſcrepare videtur ab hac ſententia, qui fidem ſine operibus mortuã eſſe aſſerit in ſemetipſa. Sicut enim corporis hujus vitã ex motu ſuo dignoſcimus, ita & fides vitam ex operibus bonis.* ſerm. 15. in Pſalm 90. *Hic fructus notitiæ Domini clamor orationis, porro fructus clamoris exauditio Salvatoris.* Refero hûc inſignem locum ex præfatione D. Lutheri in Epiſtol. ad Rom. *Fides non eſt opinio humana, aut ſomnium, quod ab aliquibus pro fide habetur, & quãdo non vident ſequi vitæ emendationem aut bona opera, & tamen de fide multa audiunt & garrire poſſunt, in eum dilabuntur errorem, ut dicant, fidem non eſſe ſufficientem, ſed facienda eſſe opera ad juſtitiam & ſalutem conſequendam, cujus rei cauſa eſt, quod quando Evangelium audiunt, eò delabuntur, & ex propriis viribus ſibi fingunt cogitationem cordis talem, quæ dicit: ego credo, atque id poſtea veram fidem eſſe ſtatuunt: Sed ſicut eſt humanum figmentum & opinio, quam nunquam ſentiunt cordis penetralia, ita etiam eſt inefficax, nec ulla ſequitur emendatio. Fides verò eſt opus DEI in nobis, quod immutat & regenerat ex Deo Joh. 1. mortificat veterem hominem, prorſus alios homines nos facit corde, ſenſibus & omnibus viribus, ergò affert ſecum Spiritum S. eſt viva, potens, & efficax res fides, & non poteſt non ſubinde bene operari, neq; quærit, an ſint facienda bona opera, ſed priuſquam tale quid quæritur, ipſa jam facit & ſemper agit: qui autem non facit hujuſmodi opera, iſte eſt homo incredulus, qui palpitat, & ſolicitè quærit bona opera, neque tamen novit, quid ſit fides, quid ſint bona opera, atque interim de iiſdem multa garrit & nugatur. Fides eſt πληροφορία viva, acquieſcens in miſericordia Dei adeo firmiter, ut priuſquam deficiat, vel millies mortem ſubire non vereatur. Et hujuſmodi fiducia & agnitio miſericordiæ divinæ excitat lætitiam, confidentiam & amorem erga Deum & omnes creaturas, quæ omnia operatur Spiritus S. in fide, unde ſequitur in homine alacritas & promptitudo ſine coactione omnibus benefaciendi omni-*

bus

bus inſerviendi, omnia perferendi in gloriam & honorem Dei, qui ipſum hoc beneficio affecit, ut ita impoſſibile ſit opera à fide ſeparare, perinde atq; impoſſibile eſt, calorem & flammam ſeparare ab igne. Hactenus D. Lutherus.

Teſtimonia adverſariorum.

186. Quid quòd ipſorum adverſariorum teſtimonio hæc veritas quodammodò comprobetur! C. Caritas eſt aqua diſt. 2. de pœnitentia ex Auguſtin. *Hæc eſt fides, ut definit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur, huic duntaxat remiſſio delictorum promittitur. Quòd ſi caritas à fide Chriſtianorũ ſejungi nequit, cui ſcil. ſoli venia promittitur, quomodo, qui caritatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit, i. e. in Chriſtum credidit?* Thom. 1. 2. q. 66. art. 4. *Fides & ſpes ſine caritate poſſunt quidem aliqualiter eſſe, perfecta autem virtutis rationem ſine caritate non habent, cum enim fidei opus ſit credere Deo, credere autem ſit alicui propria voluntate aſſentire, ſi non debito modo velit, non erit opus fidei perfectum, quod autem debito modo velit, h. e. per caritatem, quæ perficit voluntatem, omnis enim rectus motus voluntatis ex recto amore procedit.* **Stephan. Brulifer q. 3 prolog. ſent. *Fidem ſic eſſe in intellectu, ut quantum in ſe eſt & de ſui ratione nata ſit movere affectum, ut Deum diligat & ut bonus quis fiat.*** Georg. Caſſand. in conſult. de Auguſtan. Confeſſione cap. de juſtif. *Illud accuratè obſervetur, ſi ſolâ fide apud populum homo juſtificari dicatur, illud ſimul inculcetur, fidẽ tametſi ſola juſtificare dicatur, tamen ſolam eſſe non poſſe, ſed neceſſariò pœnitentiam & melioris vitæ propoſitum adjunctum habere, ne videl. inanem quandã & adumbratam fidei imaginem pro ſolida & expreſſa fide amplectamur.* Joh. Rivius lib. 2. de relig. p. 357. operum ſuorum edit. Baſil. allegat locum quendam ex Sadoleto. *Quòd lapſu & titubatione aliquando fidelis poſſit offendere, nos nihil contradicimus: habitus, propoſitum, deliberatio delinquendi à vera fide remotiſſima ſunt.* Nauſea Viennenſis Epiſcop. Centuria. 1. hom. 66. *Sine fide nemo unquam vitam æternam habebit, vel quamlibet moraliter bonus nempe, quæ ſit illa fides, quâ & in qua, ex qua & per quam ſolam Deus ipſe ſolus maximus nos juſtificat. Perinde atq; inſtrumento ad juſtificationem imprimis neceſſario, bona opera neceſſariò ſicum afferente.* Schopp. Presbyter Colonienſis in explicat. Epiſtolæ in feſto D. Andreæ pag. 2. *Audivimus ex adductis à Paulo Scripturæ teſtimoniis* Rom. 10. *fidem invocationem nominis Dei operari. Per invocationem verò non ſolùm oratio & confugium ad Deum intelligi debet, ſed & Dei glorificatio, item gratiarum actio, & quicquid denique ad cultum Dei pertinet. Non eſt igitur otioſa vera fides, ſed cognitũ Deum invocat, hunc laudat, huic gratias agit, huic ſervit, ad hujus beneplacitũ totam vitam componit, h. e. ad hujuſmodi effectus credentes impellit. Qui verò hiſce carent, horum fides mortua eſt, imò inane fidei ſimulachrum, &c.*

Antitheſis; veram fidem ſeparari poſſe à bonis operibus.

187. Huic ſententiæ ex immotis ſcripturarũ fundamentis deductæ vehementer adverſatur Concil. Tridentinum, cujus hæc ſunt verba ſeſſ. 16. c. 15. *Adverſus hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt, non modò infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunq; alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiã amitti, divinæ legis doctrinã defendendo, quæ à regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & fideles quoq; fornicarios, adulteros, molles, maſculorũ concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſq; omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.* Statuit ergò Concilium, veram in Chriſtum fidem cum horrendis illis & abominandis peccatis adulterii, pæderaſtias & ſimilibus ſimul manere. **Coſter. in Ench. c. 4. p. 178. Sicut optimi & nobiliſſimi Medici, cùm non ignorantia ſed fragilitate Naturæ præcepta artis, quam callent, intemperanter vivendo violant, ſcientiam medendi non amittunt: ita Chriſtianus, qui contra conſcientiæ dictamen in leges fidei peccat, nec fidem amittit, nec deſinit eſſe Chriſtianus.** Bellarm. lib. 1. de juſtif. c. 3. ſub fin. *Diſſentimus ab ipſis* (Lutheranis) *in eo, quòd ipſi fidem, quam dicũt ſolam juſtificare, docent nunquam eſſe poſſe ſolam; nos contra dicimus, non juſtificare ſolam, ſed tamen poſſe eſſe ſolam.* cap. 10. circa medium. *Adverſarij fidem negant eſſe veram, niſi ſit viva & fructus bonorũ operũ pariat.* (His verbis liberat nos Bellar. à mendaciſſima Concilii Trid. accuſatione, quòd *magnâ contra Eccleſiam Catholicam contentione prædicemus unam hanc ab omni pietate remotam fiduciam*; quam accuſationem Bellarm. hoc ipſo agnoſcit eſſe ab omni veritate remotã) c. 15. varia profert argumenta, quib. probet, verã fidem poſſe à dilectione aliiſq; virtutibus ſeparari.

1 Joh. 12. Multi ex Principib: crediderũt in eum, ſed non confitebantur.

188. 1. Joh. 12. v. 42. de Principibus Judæorũ ita ſcribitur. *Veruntamen multi ex Principib. crediderunt in eum ſed non confitebantur. Dilexerunt enim magis gloriam hominum quàm gloriam Dei.* Hic Evangeliſta teſtatur, in illis Principib. fuiſſe fidem abſq; caritate. Reſp. 1. Quidam reſpondent, fidem illorum P[r]incipum fuiſſe imbecilliorem, idcoq; ipſos metu fuiſſe repreſſos, quò minùs liberè Chriſtum profiterentur, **(ſicut illi qui non curvârunt genua ſua coram Baal, qui nõ fuêre publ. confeſſi, aliàs Eliæ fuiſſent noti)** ac proinde ex hoc textu non poſſe colligi, quòd fides planè ab omnibus operibus bonis ſeparari, & cum peccatis contra conſcientiam conſiſtere poſſit, cùm aliud ſit non profiteri Chriſtum liberè, & μετὰ παῤῥησίας, aliud planè eum negare; **illud non ſemper prærequirit antegreſſam interrogationem & explorationẽ noſtræ fidei hoc ſemper, illud refertur ad contradicentia hoc ad privantia, illud eſt generalius hoc ſpecialius. Nã omnis abnegator eſt non confeſſor Chriſti, ſed non contra.** *Nicodemus noctè ad Chriſtum veniebat* Collegarum odium veritus, nihilo tamen minùs erat *Chriſti diſcipulus*. Joh. 3. v. 2. c. 7. v. 51. c. 19. v. 39. Sic & Joſeph Arimathæus erat itidem *occultus Chriſti diſcipulus propter metum Iudæorũ*. Joh. 19. v. 38. illi fundamentum ſuæ interpretationis quærunt in phraſi Credere in Chriſtum, quâ veram & ſinceram fidem ubivis denotari exiſtimant. 2. Sed enim textui magis congruit ſententia eorum, qui ſtatuunt principes illos nõ habuiſſe veram & ſalvificam, ſed tantùm generalem ſive hiſtoricam fidem. **ſententiæ huic videtur contextus ſavere. v. 37. inquit Joannes. *Cùm tam multa ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum* ſcil. ſalvificè, quemadmodum credunt filii lucis v. 36. *ut ſermo Eſaiæ compleretur* tũ ſubjicit v. 39. *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Eſaias, excæcavit &c.* ubi Johannes non adimit illis fidem, quæ eſt ſola notitia & aſſenſio, quia

Judæi & Phariſæi veram & evidentem Chriſti ejusq; doctrinæ divinæ notitiã habuerunt. Joh. 3. v.3. ſed eam quæ eſt etiam fiducia & plerophoria. Qualem ergo fidem Johannes reliquis Judæis detrahit v.37.39. talẽ primorib. illis tribuit v.42. quia utitur oppoſitione. *Non credebant in eũ Judæi cæteri* v.37. *neque poterant* ſeu *non volebant* in Chriſtum credere v.39. i.e. nolebant eũ fide ſalvifica amplecti. *Veruntamen etiam ex primoribus multi crediderunt in eum* v.42. Ecce hos primores & horum fidem opponit reliquis Judæis, eorumq; incredulitati. Quod autem uni oppoſitorum in ipſo oppoſitionis actu ſive tribuitur ſive adimitur, id alteri oppoſitorum ſive adimitur ſive attribuitur. Quia igitur reliquis Judæis fides ſalvifica adimitur, ergò his primoribus aſſcribitur. Feurborn.** Bellarm. exclamat, *ſi ita liceat interpretari ſcripturas, nihil unquam probari poterit*, ergò ne ipſi videamur hoc gratis dicere, proferimus hæc fundamenta. Vera fides cũ confeſſione Chriſti perpetuò eſt conjuncta Pſal.116.v. 10. *Credidi, propter quod locutus ſum.* Ne vero de Davide tantùm hoc intelligatur, conjungimus dictũ 2.Cor.4.v.13. *habentes eundem Spiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt. credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus propter quod & loquimur*: cũ quo conſentit illud Apoſtolicũ Rom.10.v.10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.* Atqui Principes illi non confeſſi ſunt Chriſtum. Ergò non habuerunt verã fidem. Præterea nullus verè credentium negabitur à Chriſto in die judicii. Atqui Principes illos negabit in die judicii, ſiquidem, *Qui erubeſcit propter Chriſtum & ſermones ejus in generatione hac adultera & peccatrice, illum non agnoſcet pro ſuo, quando veniet in gloria Patris ſui cum ſanctis Angelis.* Marc.8.v.38. Principes hi non ſolùm pudore ac metu adducti noluerunt Chriſtum confiteri, ſed etiam abnegarunt eum, cùm non contradixerint ſanguinario illi decreto contra Chriſtum facto. Joh.11. v.47. ad ipſos igitur pertinet pronunciatũ Chriſti Matth.10.v.33. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Deniq; ne ulla ſuperſit dubitatio, conferimus cum hoc loco dictum Chriſti Joh.5.v.44. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem quæritis, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis*, ad quem locum editio Lugdunenſis notis ſuis marginalibus nos remittit. En igitur illos ipſos, quos Evangeliſta dicit in Chriſtum crediſſe, Chriſtus negat poſſe credere, cùm gloriam hominum divinæ gloriæ præferant. Proinde ne palpabilis contradictio ſtatuatur in verbis Chriſti & Evangeliſtæ, ipſa neceſſitas nos cogit, ut ſtatuamus, in verbis Evangeliſtæ haudquaquam veram & ſalvificam fidem, ſed Hiſtoricum tantum aſſenſum Principibus Judæorum tribui. ** Qui priorem ſententiam amplectuntur reſpondent, diſtinguendum eſſe inter τὸ *amare magis gloriam hominum quàm Dei*, quatenus id reſultat ex infirmitate & puſillanimitate ſicut in Nicodemo, Joſepho Arimathæo & hiſce Phariſæis, ac quatenus illud provenit ex *Spiritu odii, ſuperbiæ, avaritiæ, ambitionis* &c. illud non excludit ſtatim *fidem ſalvificam, ſed eſt ſignum fidei languidæ.* Qui Joh.5. deſcribuntur, *noluerunt ad Chriſtum venire* v.40. *dilectionem Dei non habuerunt in ſeipſis.* v.42. *gloriam à ſeipſis acceperunt & gloriam, quæ a ſolo Deo proficiſcitur, non quæſiverunt*, unde quærit Chriſtus, *quo poteſtis credere* q.d. nullo modo, ergò illi nõ fuerunt iidem qui Joh.12. dicuntur *in Chriſtum credidiſſe* vel non fuerunt tunc ſiniſtrè affecti.** 3. Nec eſt, quòd Bellarm. quærat firmamentum in phraſi, *credere in Chriſtum*, ſignificet ſanè ea in aliis Scripturæ locis veram cordis fiduciam, hoc tamen loco non poſſe ita accipi, ipſe contextus ſatis manifeſtè cõprobat, unde Eraſm. alicubi notat, *phraſin eam quandoq; pro fide Hiſtorica accipi.* Exod.14.v.31. *Crediderunt in Deum & Moſen.* 4. Quod ex Auguſtini tract.53. in Johannem Bellarm. adducit, *Principes illos habuiſſe ingreſſum fidei, in quo ſi profeciſſent, amorem quoq; humanæ gloriæ ſuperaſſent*, id nobis non adverſatur, neq; enim dicimus Principes illos nihil veræ fidei habuiſſe, quin potiùs habuerunt aliquid fidei, nõ ſolùm ratione notitiæ & aſſenſus, quo ſtatuerunt Deum eſſe cum Chriſto, ſed fortè etiam ratione cujusdam exiguæ fiduciæ, quæ tamen in lucta carnis & Spiritus protinus fuit extincta, cùm gloriam hominũ magis amaverint, quàm gloriã Dei. Tantùm igitur abeſt, ut hæc explicatio Auguſtini noſtræ adverſetur, ut eandem potiùs cõfirmet, ſi enim Principes illi ingreſſum fidei tantùm habuerunt, ergo non ipſam veram & ſalvificam fidem, ſed tantùm initium ejusdem. 5. Idem ſtatuendum de altero ex ejusdem Auguſtini tractat.54. in Joannem allegato loco, quo *illos, qui crediderunt, prædeſtinatos fuiſſe dicit ad vitam æternam*, eosdemq; poſtea diſtinguit, *quod alii confeſſi ſunt. quod crediderunt, alii verò non auſi id confiteri.* Neque enim dici poteſt, credentes illos promiſcuè ad vitam æternam prædeſtinatos fuiſſe, ſiquidem id & veritati, & perpetuæ Auguſtini ſententiæ repugnat, qui paſſim aſſerit, *neminem prædeſtinatorum perire*. conſequens igitur eſt, horũ credentiũ non fuiſſe eandem fidem, ſed alios veram & juſtificantem fidem habuiſſe, nimirum eos, qui confeſſione fidem teſtati ſunt, alios verò initium quoddam fidei, nimirum eos, qui non auſi ſunt confiteri, quòd crederent.

189. Alterum argumentum petit Bellarm. ex 1.Cor.13.v.2. ubi Apoſtol. ſic loquitur. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil ſum.* Ergò fides haberi poteſt ſine caritate. Reſp.1. Si vel maximè obtineretur de fide juſtificante, ſeu de fide promiſſionũ loqui Apoſtolum, nondum tamen evictum foret, eam abſq; caritate eſſe poſſe, ſiquidem cõditionalis nihil ponit ineſſe. In principio capitis dicit Apoſtol. *Si linguis hominũ loquar & Angelorum, caritatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, &c.* ex eo tamen non poteſt inferri, Apoſtolum linguâ Angelorũ locutum eſſe. Galat.1.v.8. *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizaret vobis, præter quã quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*: ex quo non poteſt inferri, vel Apoſtolos vel Angelos de cœlo, quatenus ſunt ac manent tales, aliud Evangelium prædicare poſſe. Quæ Bellarm. huic reſponſioni opponit, facilem habent explicationem. *Sicut eloquentia, ſcientia, eleemoſyna ſine caritate eſſe poſſunt: ita & fides* (ait) *ſine caritate poteſt eſſe, ſed non prodeſſe.* Reſp. de fide, per quam miracula fiunt, de qua Apoſtolum h.l. propriè agere Bellarm. agnoſcit, libenter concedimus, eam ſine caritate eſſe poſſe, ſed non prodeſſe: ſi verò ad fidem juſtificantem hoc transferatur, dicimus eſſe diſparem rationẽ eorum, quæ invicem conferuntur; eloquentia,

2. 1.Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habeam, nihil ſum.*

ſcien-

ſcientia, eleemoſynæ poſſunt eſſe ſine caritate, non autem fides juſtificans, quæ eſt *per dilectionem efficax*. Gal.5.v.6. At *ſi argumentum duceretur ab impoſſibili* (ait Bellarm.) *probaret conditionatam illam propoſitionem. Si fides eſſet ſine caritate, non juſtificaret, ex quo efficitur, eam non juſtificare, niſi à caritate juvetur, ac per hoc non ſolùm præſentia ſed etiam ope caritatis egere ad officium juſtificandi.* Reſp. eſt fallacia conſequentis. Fides, quæ eſt ſine caritate, non juſtificat, nimirum, quia non eſt vera fides, abſentia enim caritatis arguit abſentiam veræ & juſtificantis fidei, negato proprio & neceſſario effecto, ipſa quoq; cauſa negatur: ex eo verò non poteſt inferri, quòd fides in actu juſtificationis à caritate juvetur, ejusque ope indigeat, aliud enim eſt loqui de Natura veræ fidei, aliud de ejusdē officio & proprietate in actu juſtificationis. Fides ſola juſtificat, & tamen nunquam eſt ſola, ſicut hæc uberiùs fuerunt ſuo loco expoſita. 2. Sed enim non de fide juſtificante, ſed de fide miraculorum loquitur Apoſtolus, quod probamus ex ſcopo, ex antecedentibus & conſequentibus, adeoq; ex ipſis hujus textus viſceribus. Scopus Apoſtoli in c.12.13. & 14. hujus Epiſtolæ eſt agere de variis ac peculiaribus donis Spiritus ſancti in Eccleſia, eorūq; abuſu, inter quę erat *fides miraculorum*, ubi commendat Apoſtolus in primis Chriſtianam caritatem, quam omnib. illis ſpecialibus chariſmaſi jure præferri docet, nequaquam verò de doctrina aut modo juſtificationis agit. Idem probat ſonus verborum. Si habuero omnem fidem, *ita ut montes transferam*, h.e. ſi habuero tam excellentem fidei miraculoſæ gradum, ut etiam mōtes transferre poſſem, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Ambroſ. in comm. hujus loci. *Virtutes facere aut Dæmonia per fidem ejicere, Dei virtus & gloria eſt, nec hoc ad meritum proficit, niſi quis bonæ converſationis fuerit æmulus.* Illam autem fidem à caritate abeſſe poſſe non inviti concedimus, ſic enim diſerte loquitur Chriſtus Matth. 7. v. 22. *Multi dicent in die illa, nonne Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus in nomine tuo.* v.23. *& tunc confitebor illis, quia nō novi vos.* Alia verò ratio eſt juſtificantis & ſalvificæ fidei, quæ *per dilectionem ſemper eſt efficax*. Gal.5.v.6. quæ apprehendit Chriſtum, & in Chriſto remiſſionem peccatorum, cum qua conjunctum eſt renovationis donum. *Qui Chriſti ſunt*, dicit Apoſt. Gal.5.v.24. *Crucifixerunt carnem cum concupiſcentiis ſuis.* 2.Cor.5.v.17. *Si quis eſt in Chriſto, eſt nova creatura.* 3. Regerit Bellarm. *fidem miraculorum eſſe ipſam juſtificantem fidem, ſed excellentem*: at hoc ſuperiùs fuit refutatum. Quorum unum poteſt eſſe ſine altero, ea non ſunt eſſentialiter unū. Fides miraculorum poteſt eſſe ſine fide juſtificante. & fides juſtificans poteſt eſſe ſine fide miraculorum. Prius manifeſtum eſt ex Matt.7.v.23. Poſterius ex praxi verè piorum. Et Abrahæ & Joh. Baptiſtæ fides fuit excellens fides, neutra tamen fuit fides miraculorum. 4. Nec juvat Bellarmini cauſam, quòd Marci ult. verbis Chriſti: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: ſubjungitur, *ſigna eos, qui crediderint, hæc conſequentur*; Item quòd Hebr. 11. de ſanctis dicitur, *ipſos fide viciſſe regna, obturaſſe ora leonum, extinxiſſe ignē, &c.* quòd Luc.17. diſcipulis dicitur: *Si habueritis fidem velut granum ſinapis, dicetis arbori huic transplantare, &c.* Id enim ſolùm ex his & ſimilibus dictis colligitur, fidem juſtificantem in quibusdam fuiſſe conjunctam cum dono faciendi miracula, inde autem non ſequitur fidem juſtificantem & miraculorum eſſe omninò eandem: Staplet. in promt. morali f.627. ſcribit: *etiam vera miracula ab Antichriſto ejusq; præcurſoribus, adeoq; quibuslibet hæreticis fieri poſſe*; at quis illis fidem juſtificantem tribuet? Ipſe Bellarm. lib.1. de grat & lib. arbit. c.10. ſtatuit, *gratias gratis datas* (h.e. chariſmata illa peculiaria Spiritus ſancti; quę recenſentur. 1.Cor.12. & ſic etiam fidem miraculorum) *à gratia gratum faciente ſeparari poſſe*, quomodo igitur vera & juſtificans fides erit eadem cum fide miraculorum? 5. At *ſub finem capitis* 1.Cor.13. *conjungit Apoſtolus fidem ſpem & caritatem, loquitur ergò de fide juſtificante.* Reſp. ex eo non poteſt inferri, fidem ſignorum eſſe ipſam fidem juſtificantem, ſed proponitur ibi novum argumentum, cujus hæc eſt ſententia. Sicut caritas præſtat omnib. illis peculiaribus Spiritus ſancti donis, & in his etiam fidei miraculorum: ita quoq; ſi cooferatur cum fide & ſpe, major eſt illis, nimirum ratione objecti, quia ad plures diffūditur, & ratione durationis, quia in vita æterna duratura eſt, rectè ergò hinc cōcluditur, caritatem aliquando fore ſine fide & ſpe, nimirū in vita æterna, non autem fidē ſine dilectione. Ambroſ. in comm. addit tertium ἐξοχῆς membrum, *quia ut fides prædicaretur, & ſpes eſſet vita æterna, caritas præſtitit.* 6. At *particula Omnem ſignificat omnem gradum fidei.* Reſp. in genere fidei miraculorum. Non enim ſimpliciter dicit Apoſtolus πᾶσαν πίστιν, omnem ſeu quamlibet fidem, ſed πᾶσαν τὴν πίστιν, nempe τῶν ἐνεργημάτων ſeu τῶν δυνάμεων, notatur igitur certa ſpecies fidei & ſignum quantitatis univerſale exprimit complexum individuorum ſub illa ſpecie contentorum, quaſi dicat, quicquid uſpiam fidei eſt in omnibus & ſingulis θαυματύργοις, ſi illud omne in unum conferatur, & in me eſſet, &c.

190. Tertium argumentum petit Bellarmin. ex c.2. Jacobi, ubi docetur, *fidem ſine operibus non juſtificare, & tamen ſine operibus inveniri poſſe.* Reſp. cùm ex 2. cap. Jacobi multa in ſubſidium

3. Jacob.2. Fides ſine operibus mortua eſt

ſuæ cauſæ Pontificii petant, nimirum quòd fides 1.
& opera ſimul juſtificent, quòd fides formetur 2.
per caritatem, quòd vera fides poſſit eſſe ſine o- 3.
peribus, quòd ſit quædam juſtificatio ſecunda, 4.
&c. ideò analyſin ejus capitis proponere neceſſarium fuerit, ut de omnib. rectiùs fieri poſſit judicium. Quamvis verò autoritatem hujus Epiſtolæ nō ſubterfugiamus, monemus tamen quòd Euſeb. lib.2. Hiſt. Eccleſ. cap.23. de hac Epiſtola ſtatuat, eam νοθεύεσθαι, cùm non multi veterum ejus meminerint. unde Cajetan. in comm. hujus Epiſtolæ ſic ſcribit. *Non eſt uſq; adeo certum, an Epiſtola hæc ſit Jacobi fratris Domini. Salutatio hic poſita tam pura eſt, ut nulli ſalutationi alterius cujuscunq; Apoſtolicæ Epiſtolæ ſit conformis: nam nihil Dei, nihil Jeſu Chriſti, nihil gratiæ, nihil pacis ſonat, ſed p[illegible]ſano more ſalutem, nec ipſe ſeipſum nominat Apoſtolum, ſed tantum ſervum Jeſu Chriſti.* Eraſm. in annot. c.5. Jacobi: *De hac Epiſtola, tametſi ſalubribus præceptis referta, dubitatum eſt olim, cujus eſſet, nec enim referre videtur uſquequaque majeſtatem illam & gravitatem Apoſtolicam. nec Hebraiſmi tantum, quantum à Jacobo, qui fuerit Hieroſolymitanus, expectaretur.* Sed quicquid ſit de autoritate hujus Epiſtolæ; de qua alius dicendi lo-

Digitized by Google

di locus, manifeſtum eſt & fidei & juſtificationis verbum aliter accipi à Jacobo, quàm à Paulo Rom.3.& 4. quod ex analyſi hujus ſecundi capitis manifeſtum. v.14. propoſitio habetur. *Quid prodeſt, ſi quis dicat fidem ſe habere, ἐάν τις λέγῃ πίστιν ἔχειν, opera autem non habeat, nunquid poteſt ἡ πίστις fides illa ſalvare eum?* Fides ergò apud Jacobum nõ accipitur abſolutè pro fide juſtificante, ſed pro externa fidei profeſſione, ut ipſe verborum ſonus oſtendit; idem etiam probat ſcopus Apoſtoli, diſputat enim contra eos, qui doctrinam de juſtificatione fidei non rectè percipientes, multa de fide garriebant, eandem verò operibus non demonſtrabant, docet igitur, externam illam fidei profeſſionem, ſi non ſit conjuncta cum propriis fidei juſtificantis effectis, ſc. operibus bonis, non juſtificare: id probat v.15.& 16. à pari. Quemadmodum non eſt vera caritas, quæ nudis verbis egenum ſolatur, reipſâ autem nihil beneficii eidem exhibet: (Joannes illud vocat, *diligere ſermone tantùm & linguâ, non etiam opere & veritate.* 1.Epiſt.3.v.18.) ita quoque non eſt vera fides, quæ externâ tantùm profeſſione jactatur, nullâ interim bonorum operum fructificatione conſpicua. Hæc ἀπόδοσις proponitur. v.17. *Sic & fides* (ἡ πίστις illa fidei externa profeſſio) *ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa,* (non eſt vera, viva & juſtificans fides, ſed inane quoddam ſimulachrum & mortuum cadaver. Quemadmodũ homo eſt & dicitur homo, quando opera vitæ exercet, ac ſe vivere demonſtrat; quando verò anima ex corporis domicilio egreſſa eſt, ut inde corpus exanime & mortuum ſit, non amplius eſt & dicitur homo, ſed cadaver: ita fides, quæ cum externa profeſſione conjuncta habet opera, per quæ ſeſe vivere demonſtrat, vera & viva fides eſt, ſed quando deſunt opera, tunc eſt fides mortua, æquivocè ſic dicta, quemadmodum mortuum cadaver æquivocè eſt homo; eſt fides nominalis, non realis; putativa, non vera; cadaver fidei, non ipſa vera & viva fides.) Pergit Apoſtol. v.18. *Sed dicet quis, tu fidem habes, & ego opera habeo: oſtende mihi fidem tuam ſine operibus* (ubi vitium Latinæ translationis corrigendũ eſt ex Græco ἐκ τῶν ἔργων σου, ex operibus tuis) *& ego oſtendam tibi ex operibus meis fidem meam.* Senſus eſt, ſi opera non appareant exteriùs, non poſſe quoad homines ſciri, interiùs adeſſe fidem. Hortatur igitur Apoſtolus ad fidem ex operibus oſtendendam, quam exhortationem per proſopopœian exornat: introducit enim aliquem verâ fide præditum, qui alloquitur vanum fidei jactatorem, atq; ab eo operum teſtimonium poſtulat. v.19. *Tu credis, quoniam unus eſt Deus, benè facis, etiam Dæmones credunt & contremiſcunt.* Oſtendit Apoſtolus nòn ſolùm externam fidei profeſſionem ſine bonis operibus eſſe inanem, ſed ne quidem generalem illam ſive Hiſtoricam fidem (quâ quis in genere credit Deum eſſe, & quæ in ipſius verbo continentur vera eſſe) ad ſalutẽ ſufficere, id probat exemplo Diabolorum, qui credũt eſſe Deum, nec tamen hac fide ſalvantur, ſed potiùs propter extremi judicii & damnationis expectationem perhorreſcunt & contremiſcunt. v.20. *Vis ſcire, ô homo inanis, quoniam fides illa* (q̃ exteriùs tantùm profiteris ſine bonorum operũ teſtimonio) *ſine operib. mortua eſt?* q.d. audi duo illuſtria exempla Scripturæ, alterum Abrahæ patris omnium credentium, alterum Rahabæ, quę evidenter teſtantur, non ex fidei profeſſione, bonis operibus deſtitutâ, ſed ex fide, quę bona opera ex ſe profert, hominem juſtificari. v.21. *Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare,* h.e. Abrahamus non nudis verbis jactavit fidem, ſed operibus teſtatus eſt, ſe habere veram fidem, quâ coram Deo juſtificatus eſt (quæ interpretatio colligitur ex v.17. *Oſtende mihi fidem tuam ex operibus*) v.22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt* (ἐτελειώθη) v.23. *& impleta eſt Scriptura. Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt.* Gen.15.v.6. 2.Paral.20. v.7. Eſa.41.v.8. Et hoc Abrahæ exemplo ita cõcludit Apoſtol. v.24. *Videtis igitur, quoniam homo ex operibus juſtificatur, & non ex fide tantùm.* Ceterum ut hoc argumentum Apoſtoli rectè intelligatur, repetendus eſt ſcopus & principalis propoſitio ex v.14. quòd ſc. fidei nomine h.l. intelligatur externa fidei coram hominibus profeſſio, ac proinde hæc diſputatio non eſt trahenda ad ipſam coram Deo juſtificationem. Profeſſio illa fidei, ſi vera eſt, hominis eſt jamdum juſtificati; ſin verò falſa, eſt inane & mortuum fidei ſimulachrum; an vera ſit, ex operum teſtimonio eluceſcit, quæ ſi abſint, nihil reſtat præter inane fidei nomen. Hoc probat Apoſtolus inter cetera etiam Abrahæ exemplo, qui non nudis verbis jactitavit fidem, ſed operibus, præſertim verò inſigni illâ obedientiâ in Filii oblatione eam teſtatus eſt, ubi fides cooperata eſt operibus, h.e. profeſſio illa fidei concurrit cum operibus profeſſioni conſentaneis ad communem illum effectum, videl. Abrahæ fidem teſtandam, & *ex operibus fides conſummata eſt,* h.e. fidei illa profeſſio per opera eidem conſentanea coram hominibus demonſtrata eſt, quòd ſit vera & viva fides, & ſic in illo fine perfectionem ſuam adepta, quòd ſcil. hominibus vera eſſe cognita eſt (ſicut actus primus dicitur perfici ab actu ſecundo, ita fides operibus perficitur, quia operando ſe declarat.) **Paulus agit de juſtificationis conſecutione. Jacobus de juſtificationis declaratione ſeu teſtificatione. Fides cooperatur Abrahami operib. nõ in actu juſtificationis, Abraham n. jam tum erat juſtificatus, ſed in exercitio & declaratione juſtitię acceptæ. *Fides n. duxit eum ad opera,* ut Thom. h.l. exponit. Perer. in diſp.1.c.4. Rom. nu.4. *Cuicunq; operãti fides cooperatur, & docens, quid agendum ſit, & incitans ad agendum & moderans in agendo & dirigens actionem in eum finem ad quem referri res oportet & fulciens & ſuſtentans agentem, ne deficiat & ab agendo deſiſtat.* Hæc ille rectiſſ. Ex operib. fides Abrahami fuit conſummata, nõ quaſi opera fuerint forma fidei, effectus enim nõ informat cauſam, ſed ut Dionyſ. Carthuſ. exponit, *quia magnitudo fidei, quâ tunc Abraham credidit Deo, poſtmodum eſt approbata Deo ac aliis declarata per hoc, quod filium ſuum paratus fuerit Deo offerre tunc itaque publicè & quaſi conſummatè innotuit, quod antea Deo & Abrahamo ferè ſoli notum erat, Abrahamum nimirum tantoperè Deo fidere poſſe.* Perficitur fides per bona opera, ſed perfectione externâ ſive demonſtrativâ, non verò eſſentiali. Non aliter ac apud Ariſtotelem libro 10. Ethic. cap. 4. dicitur *voluptatem perficere actionem virtuoſam* ſcilicet ut finis quispiam poſtea accedens & perfectionem actionis

demon-

demonſtrans, uti ipſemet ſeſe ibidem explicat.** *Et impleta eſt ſcriptura, credidit Abrahã Deo, &c.* ubi accuratè obſervandum, Apoſtolum non abſolutè argumentari ex dicto illo Geneſeos, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, ſicut Apoſtolus Paulus, Rom. 4. v. 3. facit, qui contrarium potiùs ex eo deducit, videlicet Abrahamum coram DEO juſtificatum eſſe fide, & non ex operibus, ſed Jacobus argumentatur ex complemento illius dicti, quòd inſigni illo opere Abrahamus fidem ſuam teſtatus ſit, quo quidem opere completa ſit Scriptura, quæ de Abrahamo dicit, credidit Deo: perinde ut Petrus Act. 13. v. 32. & 33. in reſurrectione Chriſti completum eſſe oſtendit, quod dicitur Pſ. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Concluſio ctgo Jacobi ſic accipienda, ut præmiſſis exactè reſpondeat, & ex illis ſpontè ſequatut. *Videtis, quoniam ex operibus juſtificatur homo*, id eſt, juſtus coram hominibus declaratur, & uon ex fide tantùm, hoc eſt, non ex nuda fidei profeſſione. Opera ſola ſine fidei profeſſione non juſtificant, hoc eſt, verè fidelem Chriſtianum arguunt; nec ſola profeſſio fidei ſine operibus juſtificat, ſive juſtum & verè fidelem declārat, ſed fidem & opera oportet eſſe conjuncta, verus enim Chriſtianus is demùm cenſendus, qui fidem in Chriſtum publicè profitetur, ac operibus profeſſioni illi conſentaneis eandem demonſtrat. Pergit Apoſtolus & alterum ex Scripturis profert exemplum, quo ptobet, nudam fidei profeſſionem non ſufficere ad fidei & juſtitiæ teſtimonium; verſ. 24. *Similiter & Rahab meretrix nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuncios & aliâ viâ ejiciens?* Autor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 11. v. 31. teſtatur Rahabam fide non periiſſe cum incredulis, hanc fidem concepit ex auditu verbi & miraculorum divinorum, ut patet Johan. 2. v. 9. 10. & 11. eandem teſtata eſt inſigni illo opere, quòd recepit nuncios Iſraëliticos, erat enim hoc cum præſentiſſimo vitæ periculo conjunctum. Sic ergo fide, id eſt, profeſſione fidei & operum teſtimonio laudem juſtitiæ conſecuta eſt. Tandem ſimilitudine quadam declarat Apoſtolus metaphoram v. 17. uſurpatam de fide ſine operibus mortua. *Sicut corpus ſine Spiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* verſ. 26. Vetus Interpres vocabulum πνεύματ☉ ſine articulo poſitum rectè reddidit per Spiritum, id eſt, reſpirationem, ſicut paſſim in Scripturis non eſſentialiter, ſed effectivè hæc vox uſurparur, præſertim ſi abſit articulus; ut ſit ſenſus: Quemadmodum corpus ſine reſpiratione, quæ eſt immediatus animæ ἐνσωμάτω effectus, ac certum vitæ teſtimonium, eſt & judicatur mortuum; eodem modo fides, hoc eſt, externa fidei profeſſio ſine operibus eſt mortua, & inane quoddam ſimulachrum vitâ & motu deſtitutum: πνεύματος vocem non poſſe hoc loco accipi de anima, oſtendimus ſuperiùs. §. 120 ſequeretur enim, opera eſſe formam fidei internam, quod ne ipſi quidem Pontificii volunt. Refero huc verba Bellarmini lib. 1. de juſtificat. 15. *Vita non eſt de eſſentia fidei, quemadmodum eſt de eſſentia hominis, ſed per metaphoram dicitur fides viva cùm operatur, mortua cùm non operatur.* Breviter. 1. Paulus agit de juſtificatione adhuc conſequenda, Jacobus de demonſtranda hominibus juſtificatione jam dum per fidem obtenta. 2. Paulus conſiderat hominem juſtificandum in foro poli: Jacobus hominem juſtificatum in foro ſoli. 3. Paulus cum iis agit, qui juſtificationis modum & cauſas ignorabant: Jacobus de illis, qui juſtificationis modo rectè cognito, nequiter illo ad licentiam carnis abutebantur. 4. Paulus agit de fide interna, vera & juſtificante: Jacobus de exteriori fidei profeſſione, & Hiſtorica notitia. 5. Paulus agit dè fide in actu juſtificationis apprehenſione Chriſti occupatâ: Jacobus urget fidei exercitia in operibus pietatis. 6. Paulus agit de juſtificatione interna coram Deo: Jacobus de juſtificatione externa coram proximo. 7. Paulus agit de juſtificationis cauſis: Jacobus de juſtificationis effectis & teſtimoniis. Atque hæc eſt genuina interpretatio hujus ſecundi capitis, cujus veſtigia in ſcriptis veterum quoque occurrunt. Auguſtinus in enarrat. Pſal. 31. *Iacobus ipſius Abrahæ commendavit opera, cujus Paulus fidem, & non ſunt ſibi adverſi Apoſtoli. Dicit autem Abrahæ opus omnibus notum. Abraham filium ſuum immolandum DEO obtulit: Magnum opus, ſed ex fide; Laudo ſuper ædificationem operis, ſed video fidei fundamentum: Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem.* Ibid. *Nemo jactet bona opera ſua ante fidem, nemo ſit piger in operibus acceptâ fide.* Idem in libris octog. trium quæſtionum quæſt. 76. *Cùm Iacobus bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit, Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere juſtificari hominem per fidem ſine operibus, quaſi ſi quis crediderit; non ad eum pertineat benè operari, ſed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum operum arbitretur ſe perveniſſe ad donum juſtificationis, quæ eſt in fide.* Ibid. *Iuſtificatus per fidem quomodo poteſt niſi juſtè deinceps operari? Ideo exemplo Abrahæ & Apoſtolus Paulus utitur, quia ſine operibus legis, quam non acceperat, per fidem juſtificatus eſt; & Iacobus, quia fidem ipſius Abrahæ opera bona conſecuta eſſe demonſtrat.* Thom. Aquin. in c. 3. Gal. *Dicendum, q. nemo juſtificatur in lege, h. e. per legem, nam per eam cognitio quidem peccati habebatur, ut dicitur Rom. 3. ſed non habebatur per eam juſtificatio, ex operibus enim nemo juſtificatur.* Poſtea ſibi objicit; *Iac. 2. dicitur, nonne Abraham juſtificatus eſt ex operibus*, reſpondet autem, *juſtificare poteſt accipi dupliciter, vel quãtum ad executionem & manifeſtationem juſtitiæ; & hoc modo juſtificatur homo, h. e. juſtus oſtenditur ex operibus operatis, &c.* Ibid. *Opera nõ ſunt cauſa, quòd aliquis ſit juſtus apud Deũ, ſed potiùs executiones, & manifeſtationes juſtitiæ.* Hæc Thom. Gloſſ. ord. Jac. 2. *Abraham per opera, quæ fecit; juſtus non fuit, ſed ſolâ fide: Oblatio verò ejus eſt opus & teſtimoniũ fidei & juſtitiæ.* Bellarm. hęc noſtra interpretatio non probatur, ideo lib. 1. de juſtificat. c. 15. teſtimonio tertio, quinq; argumentis conatur probare, *Iacobum non loqui de umbra quadam fidei* (quòd dicit velle Calvinum) *ſed de vera fide, quæ omnino juſtificat, ſi non deſint cætera requiſita.* lib. 4. de juſtif. c. 18. diſputat, *Iacobum docere, quòd operibus bonis homo juſtus magis juſtificetur atq; adeo fiat juſtior.* Reſp. de ſecunda juſtificatione per opera ſuus erit dicendi locus, hac vice reſpondem⁹, Jacobum agere de profeſſione fidei in genere, cui ſi reſpondeant opera, veram & vivam fidem eſſe; ſin minùs, mortuã & falſam

eſſe concludit, argumenta igitur Bellarmini nos non feriunt. Verba Apoſtoli ſatis diſerta ſunt, ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, nō ergo de fide in ſeſe, ſed de externa fidei profeſſione agit, quam bonorū operum teſtimonio comprobandam eſſe arguit.

4. In Eccleſia ſunt boni & mali. 191. Quartum argumentum petit Bellarminus ex illis teſtimoniis, quæ docent *in Eccleſia eſſe bonos & malos*, ut Matth. 3. v. 13. 22. 25. ubi variis ſimilitudinibus hoc ipſum declaratur. *Omnes illi, qui ſunt in Eccleſia, habent fidem. At quidam eorum, qui ſunt in Eccleſia, ſunt mali. Ergo fides eorum, unde dicuntur fideles, cum peccato, unde dicuntur mali, poteſt eſſe conjuncta.* Reſp. 1. Ambiguitas quatuor terminos ſyllogiſmo inducit. Fidelis dicitur vel de eo, qui profitetur Chriſtianam fidem, hoc modo omnes Chriſtiani ſunt & dicuntur fideles, reſpectu ſcilicet habito ad Ethnicos infideles: vel de eo, qui veram & ſalvificam fidem, quæ per caritatem efficax eſt, non habet, & hac ratione multi in Eccleſia non cedunt. 2. Regerit Bellarminus, *nos petere principium*; at ſuperius clariſſimè evicimus, fidem nō ſolùm eſſe notitiam Hiſtoriæ, ſed etiam fiducialem Chriſti apprehenſionem, quâ impœnitentes, increduli & Epicuræi ſecurè indulgentes peccatis deſtituuntur, licet ſint in externo Eccleſiæ cœtu & fidem Chriſtianam profiteantur. 3. At, inquit, Bellarminus, *nunquam reprehenduntur mali hoc nomine, quòd fidem amiſerint, ſed quod opera omiſerint.* Matth. 22. *reprehenditur, qui non habet veſtem nuptialem, non aliâ de cauſa, niſi quia veſtem illam non habet. Illa autem veſtis Interprete Hieronymo, Chryſoſtomo, & Gregorio caritatem ſignificat.* Matth. 25. *non reprehenduntur virgines fatuæ, niſi quod oleum, hoc eſt, opera miſericordiæ non habuerint, & in eodem cap. 25. non damnantur ii, qui ex grege Dominico à ſiniſtris erunt niſi propter mala opera, non autem propter carentiam fidei, Nec inceſtuoſus Corinthiacus, nec Ananias & Saphira, nec Simon Magus arguuntur propter infidelitatem, ſed propter alia peccata.* Reſp. Fides vera & ſalvifica non ita incurrit in oculos, ut externa opera, quid ergo mirum facinoroſos in Eccleſia propter exteriora delicta potiſſimùm accuſari? ex eo tamen colligi haudquaquam debet, quòd veram & ſalvificam fidem adhuc habeant, quinimò diſertè ſcribit Apoſtolus, *eum, qui ſuorum curam non habet, fidem abnegaſſe.* 1. Tim. 5. v. 8. ac de Alexandro & Hymenæo aſſerit, quòd *repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragium fecerint.* 1. Tim. 1. v. 19. Neque verò concedimus, incredulitatem in malis non argui à Spiritu ſancto, quinimò contrarium diſertè teſtatur Chriſtus Joh. 16. v. 8. *Spiritus ſanctus cùm venerit, arguet mundum de peccato.* v. 9. *quia non credunt in me*, ex quo loco rectè colligit Auguſtinus, *incredulitatem eſſe principale & capitale illud peccatum, quo manente, cetera quoque manent.* Rom. 11. v. 20. *Per incredulitatem ex olea vita & ſalutis* Judæi dicuntur *exciſi.* Per veſtem nuptialem Matth. 22. primariò ac propriè intelligitur vera & ſalvifica fides juxta interpretationem Apoſtoli Gal. 3. v. 26. *Omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto JESU.* v. 27. *quicunque enim in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*, hæc eſt *ornatus ſanctitatis.* Pſ. 110. v. 3. *Veſtis ſalutis & pallium juſtitiæ.* Eſa. 61. v. 10. quo *teguntur* peccata noſtra. Pſal. 32. v. 2. hac veſte nuptiali deſtituuntur hypocritæ, ſiquidem vera illa fides cum contritione & ſerio pietatis ſtudio ſemper eſt conjuncta, ubicunque eſt vera illa fides, quâ Chriſtum apprehendimus & in *dilecto illo* à DEO *diligimur.* Epheſ. 1. v. 6. ibi immediatè ſequitur, ut per ſanctam vitæ conſervationem *Chriſtum* etiam *induamus.* Rom. 13. v. 12. quod alibi vocatur *induere novum hominem.* Eph. 4. v. 24. Idipſum docent pii veteres. Baſil. in c. 9. Eſaiæ. tom. 3. p. 448. *Sane Chriſtianorum veſtimentum obnubens peccati turpitudinem fides eſt, quâ in Chriſtum credimus, quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Orig. hom. 20. in Matth. *illos* dicit *carere nuptiali veſte, qui Chriſtum non induerunt.* Ambroſ. lib. 4. de fide c. 1. vocat *nuptiale fidei veſtimentū.* Chryſoſt. hom. 41. operis imperfecti. tom. 2. Col. 1043. *Nuptiale veſtimentum eſt fides vera, quæ eſt per Jeſum Chriſtum & juſtitiam ejus.* Aug. lib. 2. quæſt. Evangelicarum q. 13. *ſine veſte eſſe, eſt fide verâ deſtitui.* Alibi tamē caritatem & bona opera per veſtem nuptialem intelligunt, quod nobis noo adverſatur. Si enim per veſtem nuptialem intelligere volumus eam, propter quam & per quam Deo placemus, id eſt, illam juſtitiam, quæ nos Deo gratos reddit, coram Dei judicio conſiſtit ac turpitudinem noſtram tegit, requirit fidei analogia, ut de juſtitia Chriſti per fidem apprehenſa explicetur. Si verò per veſtem nuptialem intelligere cupimus eam, in qua Deo placemus, hoc eſt, totum illum decorem & ornatum, qui eſt in renatis, explicanda erit de fide cum ſuis fructibus Galat. 5. v. 22. deſcriptis, hæc enim omnia in piis & renatis Deo placent. Per *oleum* in parabola de virginibus fatuis non abſurdè intelligitur conſolatio ex verbo Evangelii, hæc enim eſt oleum illud, quo lychnus fidei in cordium lampadibus alitur, ut lucem bonorum operum de ſe ſpargat. Neque tamen nobis adverſatur, quòd Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 59. & Hieronym. in comment. Matth. 25. per lampades intelligunt virtutum opera; extinctis enim lampadibus ipſe quoque fidei lychnus deficit, hoc eſt, neglecto bonorum operum ſtudio vera fides extinguitur, vel potiùs extincta judicatur.

192. Quintum argumentum petitur à propria rationc fidei & caritatis. *Si fides & caritas inter ſe disjungi non poſſent, vel id ex eo fieret, quòd una eſſet de ratione alterius, vel certè quòd una neceſſariò naſceretur ab altera: Neutrum autem dici poteſt; non primum, quia fides & caritas ſunt duæ diſtinctæ virtutes: nec ſecundum, tametſi enim caritas oriatur ex fide, tamen non oritur ut propria paſſio, quæ neceſſariò fluit à ſubjecto, ſed ut virtus, ad quam alia diſponit & inclinat.* *5. Nihil impedit caritatem à fide ſeparari.* Reſp. 1. Fides ita deſcribitur ab Apoſtolo, non quòd tantummodò diſponat ad caritatem, ſed quòd per eam *efficax* ſit. Galat. 5. v. 6. fidei ergo hæc eſt Natura & proprietas, quòd per caritatem ſeſe exerat, & repetenda hoc loco omnia argumēta, quæ pro ſententiæ noſtræ confirmatione ſuperiùs produximus. 2. Quamvis ergo fides & caritas ſint diſtinctæ virtutes, ex eo tamē non ſequitur, quòd poſſint invicē ſeparati, aliud enim eſt διαίρεσις, aliud ἀφαίρεσις; aliud diſtingui, aliud ſeparari. 3. Bellarminus fidem intelligit de nuda notitia, & aſſenſu, quid ergo mirum, quòd ſtatuat, hanc fidem ſolummodò diſponere & inclinare ad caritatem; nos autem agimus de vera & ſalvifica illa cordis fiducia, qua Evangelicā promiſſionem de

remiſ-

remiſſione amplectimur, Chriſtum recipimus, vivo cœleſtis conſolationis ſenſu perfundimur, & Spiritu ſancto donamur; ab hac fide quomodo abeſſe poterit caritas? qui ſummum illud bonum verè agnoſcit, eiuſdemque particeps fit per fidem, quomodo non amplecteretur illud per caritatem? In cuius corde lux fidei oritur, quomodo bonorum operum radios ex ſeſe non ſpargeret? 4. Quæ de comparationibus à noſtris ad hujus rei declarationem adhibitis Bellarminus addit & diſſimilitudines in eis quærit, ea facilem habent explicationem, neque enim neceſſe eſt paradigmata καθόλυ & omni ex parte convenire: ipſi ſanè Pontificii fatentur, *fidem eſſe radicem ac genitricem bonorum operum*, jam verò radix & genetrix non ſolùm diſponendo & & inclinando, ſed verè producendo agunt in arboris & fœtus fructificatione. 5. *Operationem caritatis ſimilitudine ignis in Scriptura declarari concedimus*; concedat nobis viciſſim Bellarminus, operationem fidei conferri luci, quæ radios bonorum operum de ſe ſpargit; nec caritas agit per fidem, ſed *fides agit per caritatem*, ut diſertis verbis Apoſtolus aſſerit. Gal. 5. v. 6.

6. Iuſtificatio etiã penderet ab operibus.

193. Sextum argumentum continet deductionem ad abſurdum. *Si fides neceſſariò conjuncta eſt cum dilectione & operibus bonis, conſequens eſt, juſtificationem hoc ipſo, quod pendet à vera fide, pendere etiam ab operibus & dilectione, quæ eſt impletio legis, ac per hoc neminem certum eſſe poſſe, ſe eſſe juſtificatum, atque omninò impoſſibilem eſſe juſtificationem.* Reſp. 1. eſt in argumento fallacia conſequentis; non enim quia fides juſtificans non eſt ſine operibus, inde conſequens eſt, ipſam juſtificationem pendere ab operibus, ut oſtendimus ſuperiùs: diverſa enim ſunt hæc enunciata. Fides eſt ſine operibus, & Fides juſtificat ſine operibus. 2. Nec dilectio tanquam forma quædam fidem perficit, aut veram eam efficit, ſed ex fide tanquam fructus oritur, & fidē veram eſſe oſtendit, cùm hæc ſit veræ & juſtificantis fidei Naturæ, ut apprehenſâ in Chriſto juſtitiâ per dilectionem ſeſe exerat. 3. Aliud ergo eſt ex bonorum operum teſtimonio de fide judicare, aliud verò ipſam juſtificationem operibus tribuere; prius haudquaquam incertam vel impoſſibilem reddit juſtificationem, cùm non reſpiciatur vel quantitas vel meritum bonorum operum; poſterius autem conſcientiis territis omnem conſolationem eripit, & juſtificationem incertam adeoque impoſſibilem facit, nemo enim certus eſſe poteſt, ſe tantum habere bonorum operum, quantum requiritur ad juſtificationem; imò quilibet conſcientiæ teſtimonio convincitur, ſe non habere tantum bonorum operum, quantum requiritur ad perfectam legis impletionem & juſtificationem promerendam. 4. Certitudo juſtificationis propriè immediatè & quoad nos non dependet à caritate, ſed ex fide & interno Spiritus ſancti teſtimonio Rom. 8. v. 16. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.* 1. Joh. 5 v. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimoniū Dei in ſeipſo.* Caritas teſtatur de fide, cujus neceſſarium conſequens eſt, & aliis, ad quos ſeſe profert, juſtificationem noſtram perſuadet.

7. Patrum dicta.

Quæ ex Patribus ſeptimo loco Bellarminus adducit, loquuntur vel de fide Hiſtorica, vel de externa ejuſdem profeſſione, quid autem de vera, juſtificante, & ſalvifica fide ſtatuant, ex ſuperioribus manifeſtum.

Cauſa formalis iuſtificationis.

194. Expoſitâ Naturâ & proprietatibus veræ fidei, quæ eſt cauſa Inſtrumentalis juſtificationis, reſtat ut ad cauſam ejuſdem formalem deſcendamus. Bellarm. lib. 2. de Juſtif. cap. 1. objicit noſtris inconſtantiam in explicanda forma juſtificationis. *Lutherus aliquando fidem, aliquando Chriſtum ipſum fide apprehenſum cauſam formalem juſtificationis ſtatuit. Philippus fidem nobis pro juſtitia imputari dicit, addit tamen non propter ipſam fidei virtutem, ſed propter Chriſti meritum nos juſtos coram Deo reputari, dici autem nos fide juſtificari, quia fides apprehendit Dei miſericordiam. Oſiander narrat viginti diſcrepantes ſententias de Iuſtificatione, ipſe autem docet formalem cauſam juſtificationis eſſe illam ipſam juſtitiam, quâ Deus eſſentialiter juſtus eſt. Illyricus ſcribit, juſtitiam, quam Deus imputat, non eſſe qualitates, aut virtutes noſtras, neque ipſam DEI eſſentiam, ſed totum opus, quod Chriſtus DEUS & Homo in una perſona Mediator noſter pro toto genere humano præſtitit. Calvinus ſtatuit imputari quidem nobis Chriſti juſtitiam, & propter eam condonari peccata, ſed tamen in ipſa peccati remiſſione propriè ſitam eſſe juſtitiam. Bucerus duplicem introducit juſtitiam, unam imperfectã, quæ ſita ſit in virtutibus nobis inhærentibus; alteram perfectam, quæ ſit Chriſti juſtitia nobis imputata. Bucero aſſentiuntur Piggius & autores Antididagmatis Colonienſis.* Ex his quinque diſcrepantes opiniones & errores de Juſtificatione Bellarminus colligit. 1. formalem cauſam juſtificationis eſſe fidem. 2. formalem cauſam juſtificationis eſſe Chriſti obœdientiam & juſtitiam nobis imputatam. 3. formalem cauſam juſtificationis eſſe juſtitiam Dei eſſentialem nos inhabitantem. 4. formalem cauſam juſtificationis propriè ſitam eſſe in remiſſione peccati. 5. formalem cauſam juſtificationis duplicem eſſe juſtitiam noſtram inhærentem & Chriſti juſtitiam imputatam.

Argumenta Oſiandro opponenda.

195. Salmeron hoc quinario numero contentus eſſe noluit, ideò tom. 15. com̃. pag. 25. viginti duas diſcrepãtes de Juſtificatione ſententias Lutheranis tribuit: nobis cum Bellarmino res erit, cui reſpondemus: Tertiam & quintam ex his ſententiis nobis non poſſe tribui. Quòd enim Oſiandri errorem attinet (de quo vide Schleidan. lib. 22. p. 700.) is noſtrorum ſcriptis protritus ac ſopitus eſt, antequam Bellarminus manum ſcriptioni admovit. ** Oſiand. cent. 16. Hiſt. Eccl. lib. 3. c. 1. parentis errorem interpretatur *non de juſtificatione ipſa, ſed de renovatione, h. e. nō quaſi ſenſiſſet, inhabitantem eſſentialem DEI juſtitiam opponendam eſſe coram judicio Dei terroribus conſcientiæ, ſed Deum in homine jam reconciliato habitantem facere, ut homo reipſa juſtus fieret, h. e. per SS. renovaretur, ut juſte vivere inciperet.* Videant autem Pontificii, quam procul abſint ab Oſiandriſmo, ut quando Cochlæus ſcribit, *dilectionem, quâ juſtificamur, eſſe ipſum Deum* & Coſter. in Enchir. c. 6. p. 264. *donum juſtitiæ nobis infuſæ eſſe Spiritũ S.* quod fortaſſè mutuatus eſt à Lombardo, qui caritatem, quâ diligim' Deum & proximum, vocat *Spir. S.* lib. 1. diſt. 17. §. 2. Ex his ſic argumentantur. Donum juſtitię nobis infuſæ eſt forma juſtificationis noſtræ. Donum juſtitiæ nobis infuſæ eſt SS. Ergo Spiritus S. eſt forma

noſtræ

noſtræ juſtificationis. Videtis ergo Bellarmin. quomodo ſibi conveniat cum ſocio, antequam refutet Oſiandrum lib. 2. de Juſtif. cap. 6.** Opponenda autē ſunt huic opinioni ſequentia fundamenta. 1. Juſtificatio noſtra definiente Apoſtolo Rom. 4. v. 7. ex Pſal. 32. v. 1. conſiſtit in remiſſione peccatorum. Atqui ubi eſt eſſentialis Dei vel Chriſti juſtitia inhabitans, ibi non opus eſt peccatorum remiſſione. 2. Scriptura docet juſtificationem conſiſtere in imputatione juſtitiæ ſive obœdientiæ illius, quam Chriſtus Mediator noſtri loco præſtitit, ut infrà docebimus. Ergo cauſa formalis juſtificationis non eſt eſſentialis DEI vel Chriſti juſtitia in nobis, habitans. 3. Quicquid eſt ignis conſumens, eo non ſumus formaliter juſti: Atqui juſtitia DEI eſſentialis eſt ignis conſumens. Ergò juſtitiâ Dei eſſentiali non ſumus formaliter juſti. 4. Juſtitia, quâ coram Deo ſumus juſti, revelatur in Evangelio. At juſtitia DEI eſſentialis propriè loquendo non revelatur in Evangelio, quod eſt lætum nuncium de miſericordia DEI & beneficiis Chriſti, lex autem eſt ſpeculum juſtitiæ divinæ. 5. Eſſentiali Dei juſtitiâ nemo juſtus eſt, niſi ſolus Deus, quemadmodum eſſentiali DEI omnipotentiâ nemo eſt potens, niſi ſolus Deus, ſiquidem eſſentia & eſſentialia idiomata DEI ſunt ἀκοινώνητα omnibus creaturis extra ὑπόστασιν λόγου exiſtentibus. Quòd ſi credentes ab eſſentiali Dei juſtitia inhabitante eſſent ac dicerentur juſti, utique etiam ab inhabitante eſſentiali Dei omnipotentia eſſent omnipotentes. 6. Opinio illa, quòd eſſentiali Dei juſtitiâ formaliter ſimus juſti, tollit finem incarnationis, & nefariam introducit Naturarum in perſona Chriſti diſtractionem. Si enim eſſentiali Dei juſtitia ſumus juſti, quid opus fuit Filium DEI incarnari & in aſſumta humana natura pro peccatis noſtris tanto labore ſatisfacere? Si eſſentiali Dei juſtitia ſumus juſti, conſequens erit, Chriſtum ſolâ ſuâ divinitate, non etiam humanitate eſſe noſtram juſtitiam, cùm tamen Chriſtus Mediator dicatur nobis à DEO factus juſtitia &c. 7. Gratioſa DEI inhabitatio eſt conſequens juſtificationis. Ergo non ipſa forma. Antecedens patet, quia oportet perſonam priùs DEO reconciliari & peccata, quæ nos elonginquant, à DEO, remitti, antequam homo fiat domicilium & templum DEI.

An duplex ſit forma juſtificationis, juſtitia imputata & inhærens.

196. Quòd ad quintam opinionem attinet, formalem cauſam juſtificationis eſſe duplicem, juſtitiam nobis inhærentem & Chriſti juſtitiam imputatam, ea itidem non poteſt noſtris Eccleſiis tribui. Quid enim nobis cum Piggio Romanæ ſedis patrono? Bucero quidem eandem tribuit Bellarminus, ſed in articulis Ratiſbonenſibus, ex quibus eam deducere conatur, tale quid non occurrit. Verba articuli 5. ſic habent. *Etſi is, qui juſtificatur, juſtitiam accipit & habet per Chriſtum etiam inhærentem: tamen anima fidelis huic non innititur, ſed ſoli juſtitiæ Chriſti nobis donatæ, ſine qua nulla omnino eſt, nec eſſe poteſt juſtitia.* Fatemur & nos per Chriſtum nobis contingere juſtitiam inhærentem, cùm utrumque ſit Chriſti beneficium & regeneratio & renovatio, ſed juſtitiâ illâ inhærente formaliter coram DEO nos juſtos eſſe, id verò pernegamus, rationibus illis moti, quas paulò poſt ex Scriptura adducemus. Somniat Bellarminus, quòd virtutes, quæ ſunt in nobis per DEI gratiam nullo modo digne̅mur juſtitiæ nomine; at hoc foret diſertiſſimis Scripturæ dictis repugnare, præſertim Apoſtolico illi pronunciato 1. Johan. 3. v. 7. *qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* verſ. 8. *qui facit peccatum, a Diabolo eſt.* Concedimus igitur & interiorem hominis renati renovationem & externa ejuſdem bona opera eſſe & vocari juſtitiam, ſed juſtitiâ illâ vel habituali vel actuali nos coram Deo conſiſtere poſſe & formaliter juſtos eſſe, id verò negamus, cùm utraque ſit imperfecta & multis peccatorum ſordibus contaminata.

An noſtri diſſentiant in cauſa formali juſtificationis.

197. Remotis igitur tertiâ & quintâ opinionibus, reliquas três ſententias, ſi ex mente Scriptorum rectè explicentur, dicimus eſſe ſubordinatas, non autem contrarias. Qui enim in peccatorum remiſſione juſtificationem ſtatuunt, imputationem juſtitiæ Chriſti minimè excludunt, cùm propter Chriſtum peccata nobis condonari ſtatuant. Agnoſcit hoc ipſe Bellarmin. lib. 2. de Juſtific. cap. 2. ubi ſcribit, *Calvinum*, (quem quartæ opinionis Patronum fecerat) lib. 3. Inſtit. cap. 11. §. 3. *diſertis verbis Juſtificationem in peccatorum remiſſione & juſtitiæ Chriſti imputatione conſtituere.* Cur igitur ſententiam Calvini à ſecunda ſejunxerat? Qui fide nos juſtificari ſtatuunt, loquuntur de fide, non ut eſt qualitas nobis inhærens, ſed ut Chriſti juſtitiam apprehendit. Idem ergò eſt, ſive dicas juſtificari nos fide, nimirum apprehendente Chriſtum, ſive per Chriſtum, Chriſti merito, Chriſti obœdientiâ & juſtitiâ nos juſtificari, nimirum fide apprehenſa, ſive fidem, quæ Chriſtum apprehendit, imputari nobis ad juſtitiam, ſive juſtificari nos DEI miſericordiâ ſcilicet imputante nobis per fidem Chriſti meritum, ſive denique juſtificari nos remiſſis peccatis, nempè propter Chriſtum fide apprehenſum. Hæ ac ſimiles propoſitiones rectè & Apoſtolicè explicatæ non pugnant invicem, ſed amiciſſimè conſpirant, cùm cauſam principalem, meritoriam, inſtrumentalem & formalem juſtificationis conjunctim exponant. Juſtificamur enim fide, ſcilic. Chriſti beneficia in Evangelii verbo oblata apprehendente & in Chriſto gratiam DEI, qui propter meritum Chriſti credentibus peccata remittit, & juſtitiam ejus, hoc eſt, totam obœdientiam legi præſtitam ipſis imputat. Forma igitur juſtificationis eſt remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti, ſive quod idem eſt, imputatio fidei, ea enim fides imputatur nobis ad juſtitiam, quæ obœdientiam Chriſti apprehendit, ſibique applicat, ut à DEO acceptetur, ac ſi nos ipſi obœdientiam illam præſtitiſſemus. Qui ipſam fidem vocant formam juſtificationis, loquuntur de fide, ut apprehendit Chriſtum & nihil aliud dicere volunt, quàm obœdientiam Chriſti fide apprehenſam eſſe noſtram coram Deo juſtitiam; Item, hunc eſſe modum ac formam quaſi juſtificationis, ut fide apprehendamus Chriſti juſtitiam. Quemadmodum enim veſtis ornat virum, interim tamen requiritur induitio, quæ eſt velut applicatio veſtis, ita juſtitia Chriſti eſt *ornatus ille ſanctitatis* Pſ. 110. v. 3. *veſtis ſalutis* Eſa. 61. v. 10. *Ornatus filiæ Regis*, Pſ. 45. v. 10. adeoque *nuptiale* illud ἔνδυμα, quod nos gratos ac probatos Deo reddit, interim requiritur applicatio ejuſdem, hoc eſt, fiducialis CHRISTI apprehenſio, quæ eſt veluti ἔνδυσις

atque

atque induitio quædam (ut ita loquar) præcioſæ illius veſtis, ubi quilibet videt, induitionem non eſſe ipſum ornatum, ſed conditionem quandam neceſſariò requiſitam, ſive applicationem: pari ratione fides in ſe ac per ſe non eſt tanti precii, ut propter eam atque illius merito & dignitate coram Deo ſimus juſti, interim tamen per eam fit applicatio juſtitiæ Chriſti, precioſi illius veſtimenti in quo & per quod Deo placemus.

An remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti differant.

198. Tria igitur nobis demonſtranda ſunt: 1. Formalem cauſam juſtificationis eſſe gratuitam peccatorum remiſſionem. 2. Formalem cauſam juſtificationis eſſe juſtitiæ per Chriſtum partæ imputationem. 3. Formalem cauſam juſtificationis non eſſe vel habitualem vel actualē juſtitiam nobis inhærentem. Antequam verò argumenta noſtra producamua, priùs hoc monemus. Quamvis gratuita peccatorum remiſſio & juſtitiæ per Chriſtum partæ imputatio; docendi gratiâ duæ quaſi partes juſtificationis à quibuſdam vocentur (unde ſtatuunt *cauſam formalem juſtificationis eſſe geminam, privativam & poſitivam*, quidam vocant *geminum imputationis modum*) illas tamen vel realiter à ſe invicem non differre, vel certè à ſe invicem ſeparari non poſſe. ** (*Unus eſt imputationis actus, ſed modus ejus geminus στερητικὸς ſcilicet & θετικός.* Weinr. diſp. de Juſtiſ. *Duo in ſe complectitur Imputationis actus. 1. στέρησιν. 2. θέσιν. Nam peccata, quæ in nobis ſunt, non imputantur & hæc vocatur remiſſio peccatorum. Viciſſim Juſtitia Chriſti quæ in nobis non eſt, nobis accepta fertur & hæc vocatur Dei acceptatio.* Bald. de juſtiſ. *Duo ſunt in quovis peccato à quo in judicio Dei juſtificandi ſeu abſolvendi ſumus, vitium & ſupplicium ut loquitur Auguſt. lib. 22.º de civ. Dei cap. 24. illud tollitur imputatione juſtitiæ Chriſti, quæ etiam pertinet ad ἀπολύτρωσιν, hoc remiſſione peccatorum propriè enim pœna remittitur, quando culpa non imputatur, & hoc notatur voce πάρεσιν.* Idem in c. 3. Rom. Forma juſtificationis eſt imputatio tum negativa peccatorum videlicet nobis inhærentium non-imputatio ſeu remiſſio Pſal. 32. v. 1. Luc. 1. v. 77. Rom. 3. v. 25. 2. Cor. 5. v. 19. tum affirmativa juſtitiæ videlicet Chriſtus nobis non inhærentis imputatio ſeu applicatio Jerem. 23. v. 6. Roman. 4. v. 5. 1. Cor. 1. verſ. 30. 2. Cor. 5. v. ult.)** Cùm Apoſtolus in propriâ ſede hujus doctrinæ Rom. 4. v. 5. probaturus juſtificationem fieri per imputationem juſtitiæ ſine operibus v. 6. afferat teſtimonium Davidis ex Pſ. 32. v. 1. in quo tantùm remiſſionis ſive non imputationis peccatorum fit mentio, jam verò quorum unum de altero directè affirmatur & unum per alterum reciprocâ affirmatione probatur, ea non differunt realiter, vel certè ab invicem ſeparari nequeunt. Adde quod remiſſio peccatorum complectatur non ſolùm peccata commiſſionis, ſed etiam peccata omiſſionis, cuicunque igitur propter Chriſtum fide datur remiſſio peccatorum, illi eo ipſo perfecta Chriſti juſtitia imputatur, hoc eſt, propter Chriſtum condonatur, quod commiſſum, & imputatur, quod omiſſum; ac proinde qui fide in Chriſtum à Deo juſtificatur, pro perfectè juſto cenſetur, quaſi nihil eorū, quæ contra legem Dei fecit, commiſerit, nec quicquam eorum, quæ facere debuit, omiſerit, inde eſt, quòd in compluribus ſcripturæ locis per ſolam peccatorum remiſſionem, juſtificatio deſcribatur, ubi nemo dixerit, vel imputationem juſtitiæ Chriſti excludi, vel imperfectam juſtificationis definitionem proponi, ſed connotatur ſimul imputatio juſtitiæ Chriſti, propter quem peccata credentibus remittuntur. Eo ipſo quòd juſtitia perſolutionis Chriſti nobis imputatur, noſtra injuſtitia debitorum non imputatur, ſed tegitur. Obſervavit hoc B. Luth. unde verba Apoſtoli Rom. 3. v. 24. *ad oſtenſionem juſtitiæ per remiſſionem præcedentium delictorum* ſic παραφράζει, damit er die Gerechtigkeit/ die für jhm gilt/ darbiete/ in dem/ daß er die Sünd vergibt/ etc. Quod ut rectius intelligatur, repetimus ex Dn. Chemnitio, Deum juſtiſſimum peccatorum judicem & vindicem non remittere peccata vel per errorem vel ignorantiam, vel incuriam aut levitatem, vel etiam iniquitatem, hęc enim omnia à Natura Dei ſunt alieniſſima, ſed ut remiſſio peccatorum fieri poſſit, requiritur perfecta legis impletio, & perfecta pro peccatis ſatisfactio, ſiquidem coram Dei juſtiſſimi judicio juſtificatio ſine juſtitiâ non habet locum, proinde peccatorum remiſſio fundatur in Chriſti juſtitia, propter quam fide apprehenſam Deus nos in gratiam recipit; & peccata nobis remittit, & viciſſim remiſſis peccatis juſtitiam Chriſti imputat, ideoqne nec remiſſio peccatorum ſine imputatione juſtitiæ; nec imputatio juſtitiæ ſine remiſsione peccatorum plenè definiri poteſt, ſed non imputatio peccatorum eſt imputato juſtitiæ, & imputatio juſtitiæ eſt non imputatio ſive remiſsio peccatorum, id quidam ſic efferunt: Remiſsio peccatorum & imputatio juſtitiæ dicuntur partea juſtificationis nō ſecundùm rem; ſed ſecundùm rationem, hoc eſt; non integrantes totum, q. neutra illarum ſit juſtificatio, ſed diſtinguentes unum juſtificandi actum diverſorum terminorum reſpectu: ſicut cùm homo veſtitur, eodem actu nuditas tegitur & veſtimentum induitur, partes tamen veſtituræ diſtinctæ ſunt tectio nuditatis & induitio veſtis, non re; ſed τῷ λόγῳ ratione terminorū à quo & ad quem: ſic in juſtificatione peccatoris, quæ veſtituræ in Scripturis comparatur, partes τῷ λόγῳ differentes ratione terminorum à quo & ad quem remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ, licet ſint unus juſtificationis actus τῷ εἶναι. Dn. Mentzerus id declarat exemplo obœdientiæ Chriſti; in qua & actio & paſſio elucet. Item exemplo peccati originalis, quod complectitur, & carentiam juſtitiæ, & pravam concupiſcentiam. Ut ergo per expreſſam mentionem paſſionis denotatur etiam activa Chriſti obœdientia, per expreſſam mentionem pravæ concupiſcentiæ tota originalis peccati Natura; ita remiſsio peccatorum in plena & perfecta ſignificatione connotat imputationem juſtitiæ Chriſti, & vice verſâ imputatio juſtitiæ Chriſti connotat peccatorum remiſsionem.

199. Quare cùm remiſsio peccatorum & imputatio juſtitiæ à Chriſto partæ realiter unum ſint, conſequens eſt, omnia illa teſtimonia, quæ probant nos juſtificari remiſſis per fidem peccatis, ſimul etiam probare, jure, juſtitiam Chriſti per fidem nobis imputari. Viciſſim cùm remiſsio peccatorum & juſtitia inhærens in actu juſtificationis non poſſint ſimul conſiſtere (quamvis in juſtificato optimè ſimul conſiſtant) ideò omnia illa teſtimonia; quæ probant juſtificationem

ficatinnem noſtram conſiſtere in remiſſione peccatorum, ſimul etiam probant, nos non juſtificari juſtitiâ noſtrâ inhærente, quid enim opus foret alienam juſtitiam nobis imputari ad remiſſionem peccatorum, ſi noſtrâ juſtitiâ coram Deo poſſemus conſiſtere?

Argumentorum noſtræ ſententiæ claſſis prima. 1. Vox Juſtificationis eſt forenſis.

200. His ergo præmiſſis ſecuti ductum & ordinem, quem in refellendis ſententiæ noſtræ firmamentis Bellarminus obſervare voluit, producimus hæc argumenta. Prima claſſis petita eſt ex Epiſt. ad Rom. 1. Vox Juſtificationis Rom. 4. 5. 8. &c. eſt forenſis, ac idem notat, quòd juſtū pronunciare vel abſolvere, proinde non poteſt infuſionem juſtitiæ ſignificari. Juſtificatio eſt Dei abſolventis à peccatis actio. Jam verò abſurdum eſt, formam divinæ actionis in aliqua noſtra qualitate ac habitu ſtatuere, adeoq; ſumma rerum genera, quæ vocant prædicamenta, confundere. Excipit Bellarminus 2. de juſtific. cap. 9. *Verbum juſtificandi ſignificare juſtum facere, ſicut magnificare, glorificare, mortificare, ſignificat magnum, glorioſum ac mortuum facere.* Reſp. Oſtendimus ſuperius §. 4. & ſeqq. non ex Grammatica Latinæ vocis compoſitione ſed ex uſu Scripturæ & ipſis fontibus de vera hujus vocabuli ſignificatione ſtatuendum eſſe, Rom. 5 v. 19. verbum Juſtificari exponitur per τὸ *conſtitui juſtum*, at illud ipſum *καταςῆναι* forenſe eſt ac judiciale, ut docet condemnationis oppoſitio, quâ de ſuo loco plura.

Fides imputatur ad juſtitiā Rom. 4.

201. 2. *Fides imputatur ad juſtitiam* Rom. 4. v. 5. nimirum quatenus apprehendit ſibique applicat Chriſti juſtitiam. ** (Socin. in lib. quod Evang. p. 20. phraſin Paulinam *nobis imputari juſtitiam* explicat per hanc, *credentes in Deum pro juſtis haberi*. Reſp. ſi propriam & inhærentem juſtitiam intelligit, principium petit & textui vim facit, ſi alienam, ſeipſum refellit, nec ullam aliam quàm Chriſti juſtitiam nominare poterit.)** Ex quo loco ſic argumentamur: Juſtificatio noſtra conſiſtit in imputatione juſtitiæ Chriſti, ſive quod idem eſt, in imputatione fidei Chriſtum apprehendentis ad juſtitiam. Ergo non in infuſione juſtitiæ inhærentis. Excipit Bellarminus *vitioſam eſſe hanc interpretationem, quòd reputari fidem ad juſtitiam, ſit nobis imputari Chriſti juſtitiam, ſi fide illam apprehendamus, primò cum fides non ſit juſtitia Chriſti, ſed noſtra; deinde cùm imputare non ſignificet nudam exiſtimationem, ſed talem exiſtimationem, cui veritas in re ipſa reſpondeat, ut apparet ex illis verbis: ei, qui operatur, merces imputatur, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Reſp. 1. Sanè fides non eſt ipſa Chriſti juſtitia, interim tamen eam recipit, ſibique applicat, ac proinde eſt relatio quædam inter Chriſti juſtitiam & fidem, quatenus eam apprehendit. Loquitur autem Apoſtolus de fide, non ut eſt qualitas nobis inhærens (eo enim reſpectu non juſtificat, cum ſit obœdientia unius tantùm præcepti, ſit imperfecta & jam ante debita) ſed ut redemtionem Chriſti apprehendit. Cum enim præcedente capite dixiſſet, *Juſtificari nos per redemtionem quæ eſt in Chriſto, quem propoſuit Deus propitiatorium in ſanguine ejus per fidem*, jam oſtendit, fidem redemtioni illi inhærentem ad juſtitiam imputari, nimirū propter ſuum correlatum, quòd apprehendit ac recipit. 2. Fides non eſt juſtitia Chriſti, h. e. ea, quâ Chriſtus eſſentialiter juſtus eſt, ſed & juſtitia noſtra, interim nō eſt juſtitia nobis inhærens, ſed imputatur nobis ad juſtitiā, quia juſtitiā à Chriſto acquiſitam apprehendit, inde phraſin hanc, quòd fides nobis imputetur ad juſtitiam, ſic exponit Apoſtolus Rom. 3. v. 22. quòd *juſtitia Dei* (ſit) *per fidem Jeſu Chriſti in omnes & ſuper omnes credentes*, verſ. 26. quòd *Deus juſtificet eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti*. 3. Scriptura non ſolùm aſſerit, fidem nobis imputari ad juſtitiam, ſed etiam *Chriſtum eſſe noſtram juſtitiam* Jer. 23. verſ. 6. cap. 33. v. 16. *in ipſo nos habere juſtitiam*, Eſa. 45. v. 23. *ipſum eſſe nobis factum à Deo juſtitiam*. 1. Cor. 1. verſ. 30. *in ipſo nos fieri juſtitiam*. 2. Cor. 5. v. 21. Cùm ergo Chriſtus & fides ſimul dicantur noſtra juſtitia, conſequens eſt, fidem ideo eſſe & dici noſtram juſtitiam, quia Chriſti juſtitiam apprehendit ac noſtram facit. 4. Imputatio omninò ſignificat talem exiſtimationem, cui veritas ſubeſt. Cùm enim fides juſtitiam à Chriſto partam apprehendit, verè nos juſtos Deus pronunciat, non quidem propter juſtitiam aliquam nobis inhęrentem, ſed propter juſtitiam Chriſti fide apprehenſam, nobiſq; imputatam. Neve pergat Bellarminus imputationem opponere veritati, producimus evidens argumentum ex 2. Cor. 5. v. ult. *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Sicut Chriſto imputata ſunt peccata noſra, ut pro illis ſatisfaceret; ita quoque nobis credentibus juſtitia Chriſti imputatur, ut per illam coram Deo juſtificemur. Ecquis verò dixerit, Chriſto non fuiſſe verè imputata peccata noſra, cùm pro eis tantopere laboraverit? Sed de imputatione paulò pòſt pleniùs agetur. 5. Hac vice monemus, Apoſtolum imputationem facere duplicem, unam ſecundùm debitū, alteram ſecundùm gratiam. Imputatio ſecundum debitum dicitur, *quando ei, qui operatur, merces imputatur ex debito.* Rom. 4. v. 4. Imputatio ſecundùm gratiam dicitur, *quando ei, qui non operatur, credit autem in eum, qui juſtificat impium, fides imputatur ad juſtitiam.* v. 5. Imputatio ſecundùm debitum fundamentum habet in ipſo homine, cui fit imputatio, ut quando merces imputatur operanti, ubi eſt relatio & proportio inter mercedem & opera; ac merces imputatur propter opera, quib' ex debito competit. Imputatio ſecundùm gratiam fundamentum habet non in eo, cui fit imputatio, ſed in gratia, miſericordia & favore imputantis. Imputatio, quę fit in juſtificatione hominis coram Deo, pertinet ad poſteriorem ſpeciem, ut diſertè Apoſtolus docet, ac fundamentum habet non in ipſo homine (is enim eſt impius, eſt miſer peccator, cui ex debito, & ſecundùm juſtitiam damnatio competit) ſed in Dei gratia & miſericordia, quia Deus miſericors in ea imputat credentibus obœdientiam & ſatisfactionem Chriſti. Has duas imputationis ſpecies cum Bellarm. confundat Apoſtolico textui nebulas inducit.

3. Juſtificatio definitur per remiſſion. peccatorum.

202. 3. Juſtificatio definitur per remiſſionem peccatorum & non imputationem iniquitatum Rom. 4. v. 6. 7. 8. quæ definitio cùm ſit plena & perfecta, conſequens eſt, non juſtificari hominem inhærente quadam juſtitiâ. Antecedens declaramus & confirmamus Parallelis ſcripturæ locis Luc. 1. v. 17. docet Zacharias Baptiſtæ Pater *ſcientiam ſalutis*, h. e. veram juſtitiæ & vitæ æternæ conſequendæ rationem *conſiſtere in remiſſione*

miſſione peccatorum. Luc. 18. v. 13. Publicanus à peccatis abſolutus, *deſcendit juſtificatus in domum ſuam.* Act. 13. v. 38. *Per Chriſtum annunciatur vobis remiſſio peccatorum, & ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari,* ubi itidem in remiſſione peccatorum ſtatuitur juſtificatio. Sic quòd *Chriſti ſanguine juſtificari* dicimur. Rom. 5. v. 9. id eo modo fieri exponitur. 1. Joh. 1. v. 7. quòd *mundemur Chriſti ſanguine à peccatis noſtris*: E. ablutio à peccatis eſt noſtra coram Deo juſtificatio. Excipit Bellarminus 1. *Pſ. 111. eundem Prophetam dicere: Beatus vir, qui timet Dominum.* Et Pſal. 119. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini, ubi non fit mentio remiſſionis peccatorũ, ſed tantùm pars quadam ſive aliquod requiſitũ juſtificationis ponitur, idem judicium eſſe de loco ex Pſal. 32. adducto.* Reſpond. Eſt elenchus parium. In his & ſimilibus locis non deſcribitur modus vel meritum, vel cauſa juſtificationis coram Deo, cùm juſtificatio non ſit ex operibus, ſed exprimuntur effectus & qualitates hominum juſtificatorum. Paulus loquitur de re ipſa videlic. de forma juſtificationis: dicta citata loquuntur de perſona juſtificatorum. Repetimus igitur argumentum noſtrum D. Apoſtolus Rom. 4. velut in propria ſede & ea profeſſo tractat articulũ juſtificationis, eamq; definit per remiſſionem peccatorum; abſit verò ut dicamus Apoſtolum imperfectam quandam definitionem in accurata illa tractatione proponere. Agnoſcit hoc ipſe Bellarminus, ideò ſubjungit. 2. *At non hoc fine Apoſtolus allegat teſtimonium Pſalmi, ut definiat integrè juſtificationem, ſed ſolùm ut probet juſtificationem eſſe ex dono Dei, nec poſſe propriis verbis obtineri.* Reſp. Apoſtolus ex dicto Pſalmi non ſolùm cauſam, ſed & modum juſtificationis probat, non ſolùm fontem juſtificationis, qui eſt gratuita Dei miſericordia, oſtendit, ſed etiam docet in peccatorum remiſſione juſtificationem conſiſtere; ac proinde excludit non ſolùm vires Naturæ, ſed etiam gratiæ, h. e. ipſa renatorum opera ex gratia facta, dum Abrahami etiam renati opera à juſtificatione excludit, dum ea Davide probat, beatificationem eſſe hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſque operibus, ac dum credenti in eum, qui juſtificat impium, non opera, ſed fidem ad juſtitiam imputari aſſerit. Statuimus igitur plenam juſtificationis definitionem ab Apoſtolo proponi. 3. *Contineri quidem in his verbis definitionem integram, ſed implicitè, cùm remiſſio peccatorum non poſſit fieri niſi infundatur juſtitia, quomodo non fugantur tenebræ, niſi ſuccedat lumen.* Reſp. πρῶτον ψεῦδος eſt in falſa definitione remiſſionis peccatorum, quam Bellarminus definit per totalem deletionem; Scriptura per non imputationem. *Beati*, inquit Apoſtolus ex Pſalte regio, *quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Remittitur ergo & tegitur peccatum, non ut non ſit, ſed ut non imputetur, quâ de re in tractatu de peccatis actualibus, in explicatione quæſtionis, An concupiſcentia in renatis reliqua ſit peccatum, uberrimè diximus. 4. *At*, inquit Bellarminus, *ex non imputatione peccatorum colligit Apoſtolus imputationem juſtitiæ, ac per hoc docet, non poſſe duo iſta ſeparari remiſſionem peccati, & donationem juſtitiæ.* Reſp. Remiſſio peccatorum non fit ſine quadam juſtitia, cùm judicium Dei ſit ſecundum veritatem, ſed illa juſtitia non quædam nobis inhærens qualitas, ſed juſtitia Chriſti merito parta, & per imputationem nobis donata, ac proinde remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti neutiquam à nobis ſeparantur. Quòd ſi per juſtitiam Bellarm. inhærentem intelligit, (ut intelligit) dicimus inhærentem illam juſtitiam ſive donum renovationis itidem conjunctum eſſe cum juſtificatione, interim tamen ab illa diſtinguendum eſſe, cùm non ſit illius pars, ſed ſaltem conſequens. Et quâ ratione remiſſio peccatorum, quæ ſecundum Scripturam eſt in prædicamento relationis, & juſtitia inhærens, quæ eſt qualitas, unam juſtificationis formam conſtituere poterunt? 5. *At ſi Deo aliquid tegitur, hoc ex neceſſitate deletur & evaneſcit, proinde remiſſio peccatorum eſt illorum deletio.* Reſpond. Peccatum tollitur reatu, manet actu; remittitur non ut non ſit, ſed ut non imputetur; reſpectu igitur reatus verè tollitur ac deletur, non ampliùs venit in conſpectum DEI, interim tamen actu manet, in carne adhuc habitat & per prava deſideria ſeſe exerit, quâ de re proliæ diſſeruimus in Tractatu Germanico de Baptiſmo cap. 16. p. 93. & ſequentib. Noſſe debebat Bellarminus μεταφορικῶς καὶ ἀνθρωποπαθῶς hæc prædicari de DEO, ſicut etiam dicitur, *Faciem avertere à peccatis noſtris, peccatorum non recordari*, quando ea condonat & non punit, cùm tamen & præterita & præſentia non poſſint non ipſi eſſe notiſſima. 6. *Ad non imputationem peccatorum ſequitur neceſſariò infuſio juſtitiæ, cùm Deus non poſſit falli non imputando id, quod imputari deberet.* Reſpond. Fundamentum imputationis illius, quæ fit in juſtificatione noſtra, non conſiſtit in nobis, ſive in quadam juſtitia nobis infuſâ & inhærente, ſed in Dei miſericordia & gratia, qui credentibus juſtitiam Chriſti imputat, nequaquam igitur de debito quodam imputandi hîc cogitandum, quod tantummodò locum habet in operante, cui merces ſecundum debitum imputatur. Diſtinguendum etiam eſt inter imputationem divinam & humanam. Homines nec autoritatem, nec poteſtatem habent imputandi alicui crimina ac pœnas ſive virtutes & præmia, quæ non habent in eo fundamentum, qui enim innocentem condemnat, & impium abſolvit, abominatio eſt coram DEO, ſed ſolus DEUS αὐτεξούσιος & αὐτοκράτωρ jus illud habet & in redemtione generis humani exercet, ut Filio ſuo innocentiſſimo & ſanctiſſimo imputet totius mundi peccata & debitas peccatorum pœnas; ac viciſſim obœdientiam & juſtitiam Filii imputat miſeris peccatoribus verâ fide ipſum amplexis. Quid quòd ex rebus humanis hæc imputatio quodammodo declarari poteſt? Quemadmodum enim debitum remittitur propter ſolutionem ab alio præſtitam, quæ à creditore acceptatur, & debitori imputatur: ita quoque propter præſtitam à CHRISTO ſatisfactionem DEUS remittit peccata credentibus, & juſtos eos pronunciat. 7. *Quædam teguntur ut conſerventur, quædam ut deleantur, quomodo vulnera emplaſtro teguntur; ita quoque peccata intelligenda ſunt tegendo deleri.* Reſp. Acceptamus hoc ſimile. Quemadmodum enim vulnera emplaſtro tecta non ſtatim & in momento ſanantur & delentur, ſed tantùm incipiunt ſanari: ita quoque vulnera peccatorum noſtrorum teguntur merito juſtitiæ CHRISTI,

velut ſalutari quodam emplaſtro, non ſolùm ut non appareant ampliùs in conſpectu Dei, ſed etiam ut ſanentur & deleantur, ſed in hac vita illud fit tantummodò imputativè atque inchoativè, in altera demum vita fiet conſummativè. Proinde hoc ſimile ipſi Bellarmino repugnat, qui ſtatuit, peccatum ſic remitti ac tegi, ut in ipſa remiſſione ſtatim deleatur & extinguatur, at quis unquã vidit vulnus primâ emplaſtri impoſitione ſtatim perſanatum? Vulnere ſublato non ampliùs dici poteſt, quòd tegatur, ſed quæcunque dicuntur tegi adhuc ſunt & manent, etiamſi propter eum finem tegantur, ut deleantur; *ἀναιδύτως* igitur diſtinctas quæſtiones Bellarminus confundit: de fine, propter quem peccata teguntur, non eſt hoc loco quæſtio, ſed an tegantur & tegendo non imputentur. Denique ne Pontificii per violentam textus detorſionem, imputationem & infuſionem juſtitiæ ulteriùs confundant, opponimus eis hoc argumentum. Si imputare juſtitiam, eſt planè delere peccatũ, & infundere juſtitiam, conſequẽs erit à contrario ſenſu, quod imputare peccatum ſit delere juſtitiam & infundere iniquitatem, quod eſt abſurdum. Regerit Bellarm. *eſſe diſparem rationem; cui enim Deus imputat peccata, in eo ſunt peccata, ac proinde non eſſe neceſſarium, ut Deus infundat peccata, vel juſtitiam deleat: Item non imputare peccatum, & imputare peccatum eſſe contradicentia, non contraria: proinde à contrario ſenſu itidem colligenda eſſe duo contradicentia, infundere juſtitiam & non infundere juſtitiam, non autem duo contraria, infundere juſtitiam & infundere iniquitatem.* R. argumentum adhuc ſtat invictum. Imputare juſtitiam & non imputare peccatum, Divo Apoſtolo ſunt *ἰσοδυναμοῦντα*. Ergò ſi imputare juſtitiam ſignificat eam infundere, ſequitur, quòd imputare peccatum itidem ſit illud infundere. Quæritur hoc loco de vera ſignificatione vocis Imputandi apud Apoſtolum, quam non poſſe per infuſionem exponi, evidenter argumento iſto probatur, cujus vim non poterit Bellarminus ferre. Adde, quòd peccatum & juſtitia verè ſint contraria; jam verò contrariorum uno affirmato alterum negatur, & contrà: Ergò ſi non imputare peccatum eſt infundere juſtitiam, utique imputare peccatum erit infundere injuſtitiam.

4. In judicio Dei cõſtituimur juſti per Christi obœdientiam.

203. 4. Rom. 5. verſ. 19. dicitur *in judicio DEI juſti conſtitui per Chriſti obœdientiam.* Ergò non per inhærentem nobis juſtitiam. Excipit Bellarminus; *Obœdientiam Chriſti eſſe cauſam efficientem juſtificationis, non autem formalem, ſicut Adami inobœdientia conſtituit nos peccatores non formaliter, ſed efficienter.* Reſpond. Obœdientia Chriſti eſt & cauſa meritoria & cauſa formalis noſtræ juſtificationis diverſo ſcilicet reſpectu. In ſe ac per ſe conſiderata eſt cauſa meritoria, quatenus verò per fidem apprehenditur, nobiſque applicatur, eſt cauſa formalis noſtræ juſtificationis. Utitur Apoſtolus verbo, *Conſtituendi*, quod eſt forenſe ac judiciale, docet igitur juſtificationem noſtram eſſe actum quendam judicialem, in quo peccator propter Chriſtum à peccatis abſolvitur & juſtus in judicio DEI pronunciatur. Urgemus etiam Apoſtolicam oppoſitionem inter *condemnare & juſtificare* v. 18. *peccatores conſtitui & juſtos conſtitui* verſ. 19. Ut condemnare & peccatores conſtituere non eſt injuſtitiam infundere, ita quoque juſtificare, & juſtum conſtituere non eſt juſtitiam infundere. At inquit Bellarminus; *Peccatum Adami ita nobis imputatur, ut tamen etiam hæreat in nobis, idem ergo de Chriſti juſtitia ſtatuendum erit.* Reſp. Comparatio non eſt extendenda ultra illud tertium, propter qđ inſtituitur. Quomodo vel Adami inobœdientia vel Chriſti obœdientia nobis imputetur, eo in loco ex profeſſo non docet Apoſtolus, cum præcedente cap. 3. & 4. illud ſatis disertè expoſuerit. Peccatum ex Adamo in nos propagatur per carnalem generationem, alia verò ratio eſt juſtitiæ Chriſti, quæ non inhæret nobis, ſed per fidem imputatur. Quamvis enim etiam hoc ſit beneficium Chriſti, non minùs quàm peccatorum remiſſio per ipſius meritum nobis partum, quòd regenerati Spiritu mentis ſuæ renoventur, ac novam obœdientiam inchoent, interim quia renovatio illa, & nova obœdientia in hac vita eſt imperfecta, ideò nec poteſt, nec debet judicio Dei opponi, ac proinde in ea & ex ea non eſt quærenda juſtificatio. Quare ſi ad applicationem transferenda eſt Apoſtolica oppoſitio, juxta fidei analogiam talis erit inſtituenda. Quemadmodum ei qui naſcitur ex Adamo, imputatur prævaricatio Adæ, ex qua ſequitur carentia Spiritus ſancti & dominatio Spiritûs maligni: ita ei, qui renaſcitur in Chriſto, id eſt, credit in Chriſtum, imputatur obœdientia & juſtitia Chriſti, ex qua ſequitur donatio Spiritus ſancti, qui incipit in hoc homine carnem mortificare. Brentius in Confeſſ. Wirtenb. p. 295. De tota hac re uberiùs dictum fuit ſuprà §. 11.

5. Rom. 10. Qui volũt ſuam juſtitiam conſtituere juſtitiæ Dei, non ſunt ſubjecti.

204. 5. Rom. 10. v. 3. *qui volunt ςῆσαι ſtatuere* ſeu conſtituere *propriam ſuam* ſive inhærentem, ſive actualem *juſtitiam non ſubjiciuntur juſtitiæ Dei*: E. quærenda eſt alia, quàm noſtra inhærens & actualis juſtitia. Excipit Bellarminus, *juſtitiam noſtram dici, quæ propriis viribus ſine gratia Dei paratur, aut parari creditur, ac reprehendi Iudæos, qui legem Dei ſe propriis viribus implere poſſe credebant.* Reſp. 1. Judæi juſtitiarii non excludebant Dei gratiam, ut patet exemplo Phariſæi Luc. 18. v. 10. & 11. qui hoc nomine Deo gratias agit, quod non ſit adulter, fur, raptor, &c. ideò virtutes illas dona Dei eſſe agnoſcit. 2. Juſtitia inhærens eſt omninò noſtra juſtitia, licet ex dono Dei ſit noſtra. Et animam & corpus & omnia bona ex Dei dono habemus, nihilo tamen minus noſtræ dicuntur animæ, noſtra corpora, ac noſtra bona. *Noſtra etiam ſunt, quæ ſunt gratiæ*, ait Petrus à Soto in ſcholiis ad conf. Wirtenb. c. de juſtif. *quia gratia facit, ut nos faciamus.* 3. Oſtendimus ſuperiùs ex actu juſtificationis excludi omnia omninò opera non ſolùm ea, quæ fiunt naturalibus liberi arbitrii viribus, ſed etiam ipſa renatorum opera, quod exemplo Abrahæ & Davidis Rom. 4. adducto ſit manifeſtiſſimum, ac perpetua eſt oppoſitio apud D. Paulum inter Evangelium & Legem, fidem & opera, gratiam & opera, gratiam & debitum. 4. Juſtitia fidei vocatur *juſtitia Dei*, non ſolùm quia à Deo donatur (in eo enim non differt à juſtitia operum) ſed quia credentibus à Deo imputatur, & coram ipſius judicio ſubſiſtit. 5. Quid intelligat Apoſtolus per DEI juſtitiam, quam Judæorum juſtitiæ opponit, ibidem ſatis manifeſtè exponit, addit enim, *Chriſtus eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti.* 6. Nec eſt, quòd Bel-

larmi-

larminus cavilletur *per doctrinam de imputata Chriſti juſtitia beneficiũ ejuſdem extenuari, quaſi non veram & abſolutam, ſed imputatitiam tantùm & relativam juſtitiam tot ſuis laboribus & doloribus comparaverit*: eſſet enim calumnioſa illa oppoſitio inter juſtitiam veram & imputatam. Chriſti juſtitia eſt veriſſima & perfectiſſima juſtitia, cùm plenè & perfectè legem impleverit; eadem Chriſti juſtitia per imputationem fit verè noſtra juſtitia, quam verè Chriſto in judicio Dei imputata ſunt peccata noſtra. Præterea nequaquam dicimus, Chriſtum ſuis laboribus & doloribus tantummodò imputatam illam juſtitiam nobis promeruiſſe, ſed addimus, quòd etiam donationem Spiritus ſancti nobis promeruerit, per quem *interior noſter homo de die in diem renovatur*. 2. Cor. 4. v. 16.

Altera argumentorum claſſis. 1. Chriſtus factus eſt nobis à Deo juſtitia. 1. Cor. 1.

205. Altera claſſis argumentorum petita eſt ex Epiſtolis ad Cor. 1. Apoſtolus docet. 1. v. 30. *Chriſtum eſſe nobis factum à Deo juſtitiam*; cum quo loco conjungimus Propheticum illud Jer. 23. v. 6. & 33. v. 16. *Hoc eſt nomen, quo vocabunt eũ* (Meſſiam) *Jehovah juſtitia noſtra*. Si Chriſtus factus eſt nobis juſtitia, utique ipſius juſtitia per fidem nobis imputatur, hanc enim vim habẽt Pronomina illa *Nobis* & *Noſtra*. Excipit Bellarm. 2. de juſtif. c. 10. *Chriſtum dici noſtram juſtitiam, nõ quod juſti ſimus eâ juſtitiâ, quæ eſt in Chriſto nobis imputatâ, ſed duabus aliis de cauſis. 1. Quia Chriſtus eſt cauſa efficiens noſtræ juſtitiæ, ſicut Deus dicitur fortitudo & ſalus noſtra, & quemadmodum Chriſtus dicitur ibidem ſapientia & redemtio noſtra, atq; alibi pax noſtra, quia ſcil. nos redemit, ſapientes fecit & patri ſuo reconciliavit. 2. Quia ſatisfecit pro nobis Patri & eam ſatisfactionẽ ita nobis donat & communicat, cùm nos juſtificat, ut noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit. Et hoc modo* (ait) *non eſſet abſurdum, ſi quis diceret, nobis imputari Chriſti juſtitiam & merita, cùm nobis donentur & applicentur, ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus, modo non negetur eſſe in nobis præterea inhærentem juſtitiam, eamq; veram & abſolutam eſſe juſtitiam, cui juſto Dei judicio non debeatur pœna ſed gloria*: in quam ſententiã allegat illud Bernhardi Epiſt. 190. ad Innocentium. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: Ergò omnes mortui ſunt, ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit.* Hæc omnia Bellarminus, ex quo non immeritò quærimus. 1. Si non eſt abſurdum ſtatuere, quòd Chriſti juſtitia & merita nobis ita donentur & applicentur, ac ſi nos ipſi DEO ſatisfeciſſemus, cur tàm hoſtiliter imputationem juſtitiæ CHRISTI impugnet, eamque per calumniam juſtitiam putativam appellet? 2. Quare huic perfectiſſimæ Chriſti juſtitiæ in actu juſtificationis conjungat noſtrã, quæ eſt imperfecta & multis modis contaminata; plena ac perfecta eſt Chriſti juſtitia, ergò ſupplementum operum noſtrorum non deſiderat; Noſtra juſtitia ita comparata eſt, ut quotidianâ peccatorum remiſſione indigeamus, quomodo ergò abſoluta erit in juſto Dei judicio ſubſiſtens? 3. Si Chriſti ſatisfactio ita nobis imputatur, ac ſi nos ipſi pro peccatis ſatisfeciſſemus, conſequens eſt, juſtitiam Chriſti eidem nobis ſic imputari, ac ſi nos ipſi legẽ perfectè impleviſſem᾽, ratio connexionis eſt manifeſta, præterquam enim quòd in Chriſti merito obœdientia & ſatisfactio ſunt arctiſſimè conjuncta, ac proinde non poſſint invicẽ ſeparari, accedit inſuper & hoc, quòd obœdientiæ & ſatisfactionis Chriſti in officio redemtionis ſit æqualis ratio. Ut enim Chriſtus non pro ſe nec pro ſuis peccatis, ſed pro nobis ac noſtris peccatis ſatisfecit: ita quoque non pro ſe, ſed noſtri loco legem implevit, ipſe enim eſt Dominus legis. Ergò ut ſatisfactio Chriſti nobis imputatur, ita quoq; ipſius obœdientia legi præſtita. 4. Si Chriſti juſtitiam & merita Bellarminus nobis applicari concedit, quærimus quo illud ſtatuat fieri medio? Certum enim eſt, Deum non ſine mediis nobiſcum in negotio juſtificationis agere: accedit quòd Chriſti ſatisfactio in ſe ac per ſe ſit univerſalis, requiritur igitur certũ quoddam medium, cujus ratione fiat, ut huic applicetur, alteri verò minimè. Illud medium non poteſt eſſe aliud, quàm fides, teſte totâ Scripturâ? ecquis enim diceret vel caritate vel aliis operibus Chriſti juſtitiam nobis applicari? Caritas & opera noſtra non ſunt manus recipiens, ſed potiùs manus aliis elargiens; cur ergò tanto conatu negat Bellarminus fidem eſſe fiducialem Chriſti apprehenſionem? Meritò igitur quis miretur, quomodo hæc verba verè Evangelica de imputatione ſatisfactionis Chriſti conciliare velit cum verbis ſuis cap. 7. arg. 4. prolatis: *Fieri non poteſt, ut juſtitia Chriſti nobis imputetur*: quâ item arte verba illa, quòd juſtitia nobis inhærens ſit abſoluta, cui juſto DEI judicio debeatur non pœna ſed gloria, conciliare velit cum orationib. Sanctorum Pſal. 130. v. 1. *Domine ſi peccata imputare decreveris, quis ſuſtinebit?* 143. v. 2. *Ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivẽs.* Dan. 9. v. 18 *Non in juſtitiis noſtris nos proſternimus coram te, ſed in miſerationibus tuis multis &c.* cum dicto illo Chriſti Luc. 17. verſ. 10. *Cùm omnia feceritis, dicite ſervi inutiles ſumus, quæ debuimus facere, præſtitimus*, adeoque cum communi omnium verè piorũ confeſſione & experientia, quâ ſe quotidianâ peccatorum remiſſione indigere humiliter & veraciter agnoſcunt. Ceterùm quòd ad priorem exceptionem attinet, Chriſtum eſſe juſtitiam noſtram, quia eſt cauſa efficiens noſtræ juſtitiæ, id verè quidem dicitur, ſed non plenè. Chriſtus enim etiam eo modo eſt juſtitia noſtra, ut *juſti ſimus in ipſo*. 2. Cor. 5. v. ult. ideò *Juſtitia* illa *ſempiterna*, quam Chriſtus nobis *adduxit* Daniel. 9. verſ. 24. & quâ coram Deo conſiſtimus, non hæret in nobis, ſed fides in Chriſto eam quærit & apprehendit. Chriſtus ergò dicitur *nobis factus ſapientia*, quia protulit ex ſinu æterni Patris Evangelium, quod eſt abſcondita ſapientia Pſal. 51. *Juſtitia*, quia applicat nobis ſuum meritum per fidem: *Sanctificatio*, quia donat nobis Spiritum ſanctum: *Redemtio* non ſolùm, quia redemit nos in cruce effuſione ſui ſanguinis, ſed etiam, quia in fine mundi liberabit nos ab omnibus calamitatibus. Primum beneficium oritur ex officio Chriſti Prophetico, poſtremum ex Regio, duo media ex Sacerdotali.

2. Deus erat in Chriſto mundũ reconcilians ſibi 2. Cor. 5.

206. 2. Ex 2. Corinth. verſ. 19. *Deus erat ex Chriſto mundum reconcilians ſibi ipſi non imputãs illis peccata eorum*, ita argumentamur. Reconciliatio noſtra cum DEO conſiſtit in non-imputatione peccatorum propter CHRISTUM. Atqui juſtificatio eſt ipſa reconciliatio cum DEO. Ergò juſtificatio conſiſtit in non-imputatione peccatorum. Excipit Bellarminus *non-*

imputationem trahere ſecum peccati remiſſionem & juſtitiæ infuſionem, quo refer dicta Coloſſ. 2. *Convivificavit vos Chriſto, donans vobis omnia delicta, delens, quod adverſus vos erat chirographum decreti*, ubi vivificatio, quæ pertinet ad interiorem renovationem, & donatio delictorum, quæ pertinet ad remiſſionem peccati, & deletio chirographi, quæ ſignificat omnimodam extinctionem delicti conjunguntur. Rom. 5. cum Apoſtolus dixiſſet, *per Chriſtum nos accepiſſe reconciliationem*, paulò pòſt addit: *abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes regnabant in vita per ipſum*: ubi reconciliatio definitur non ſolâ remiſſione peccatorum, ſed acceptione abundantis gratiæ & juſtitiæ & donorum. Coloſſ. 1. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem exhibere vos ſanctos & immaculatos & irreprehenſibiles coram ipſo*, ubi effectum reconciliationis clariſſimè explicari dicit. Reſp. fatemur & nos duplex eſſe Chriſti beneficium, ſcil. peccatorum remiſſionem ſive juſtificationem & renovationem, cùm *duplicia accipiamus à manu Domini pro omnibus noſtris peccatis* Eſa. 40. v. 2. interim tamen hæc non ſunt confundenda; renovatio eſt conſequēs remiſſionis peccatorum, etiamſi tempore ſint ſimul. Probandum igitur erat Bellarmino, nos reconciliari Deo per illud ipſum renovationis donum, ſed hoc allegata dicta non probant, quin potiùs diſtinguunt inter reconciliationem, quam docent fieri non imputatione peccatorum, & inter collationem donorum. Fide in Chriſtum datur nobis remiſſio peccatorum, quæ *dividebant inter Deum & nos* Eſa. 59. v. 3. Ergò fide in Chriſtum reconciliamur Deo, cujus reconciliationis conſequens eſt donatio Spiritus ſancti & interior renovatio.

3. *Eum qui non noverat peccatum, Deus pro nobis fecit peccatum* 2. Cor. 5.

207. 3. Ex ejuſdem capitis verſ. ult. *Eum qui non noverat peccatū (DEUS) pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo.* Ut Chriſtus factus eſt peccatum, hoc eſt, inſignis peccator per imputationem noſtrorum peccatorum, ſic nos efficimur juſtitia Dei, hoc eſt, inſigniter juſti coram Deo per imputationem juſtitiæ Chriſti. Ut Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, ita nobis imputatur Chriſti juſtitia. Auguſtinus in Enchirid. ad Laurent. cap. 41. *Ipſe ergo peccatum & nos juſtitia; nec noſtra, ſed Dei; nec in nobis, ſed in ipſo; ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum; nec in ſe, ſed in nobis factus eſt.* Chryſoſt. Theophylactus & Oecumenius eodem modo textum Apoſtolicum interpretātur. ** (Chryſoſt. verba in comm. h. l. ſunt: *Juſtum fecit Deus peccatorem, ut peccatores faceret juſtos. Imo neq; ſic dixit, ſed quod multò majus erat. Non enim habitum poſuit ſed qualitatem, nō dixit peccatorem ſed dixit peccatum, ut nos fieremus, non dixit juſti ſed juſtitia & juſtitia Dei. Dei enim eſt iſta, quando non ex operibus ſed a gratia fit juſtificatio.*)** *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, hoc eſt, inſignis peccator*, quod agnoſcit etiā Ruardus Tapperus Scriptor pontificius art. 8. tom. 2. p. 27. Refero hùc parallela Scripturæ loca. Eſa. 45. verſ. 24. *In Domino juſtitia & fortitudo mea.* Rom. 3. verſ. 23. *Juſtificamur per redemtionem, quæ eſt in Chriſto.* Act. 13. v. 39. ἐν τούτῳ *in eo omnis qui credit, juſtificatur.* Gal. 2. v. 17. *Quærimus juſtificari* ἐν Χριστῷ. Phil. 3. v. 9. *Ut reperiar in Chriſto non habens meam juſtitiam ex lege, ſed eam, quæ eſt per fidem Jeſu Chriſti &c.* quæ omnia evidenter teſtantur, juſtitiam, quæ coram Deo valet, in Chriſto fide quærendam eſſe Coloſſ. 2. v. 10. *In Chriſto eſtis* πεπληρωμένοι *perfecti & abſoluti.* Excipit Bellarminus 1. *Chriſtum non dici peccatum, hoc eſt, peccatorem, neque imputari illi peccata noſtra, quaſi ipſe illa fecerit & iniquus haberi poſſit, ſed ſolummodo imputari illi quoad debitum ſatisfaciendi, quod ipſe ſpontè ſuſcepit, ex quo non peccator, ſed juſtus dici meretur.* 2. Juſtitiam Dei interpretatur tripliciter modo: Primò, *Pro juſtitia divina, quæ eſt in Chriſto, tanquam capite noſtro, cujus nos ſumus membra*; Secundò, *pro juſtitia inhærente, quæ dicitur Dei, quia à Deo nobis donatur*: Tertiò, *pro effectu & imagine juſtitiæ Dei. Ut Chriſtus factus eſt pro nobis peccatū, id eſt, aſſumſit ſimilitudinem carnis peccati, ut fieret victima pro peccato: ita nos efficimur juſtitia Dei per ſimilem tropum, quia recipimus inhærentem juſtitiam, quæ eſt effectus & ſimilitudo quædam juſtitiæ Dei.* Reſponſ. 1. Chriſtum eo modo factum eſſe peccatum, ut fieret victima pro peccato, libenter concedimus, ſed per illud non excluditur, ſed potiùs ſtabilitur imputatio peccatorum noſtrorum Chriſto facta, inde enim & ideò Chriſtus factus eſt victima pro peccatis mundi, quia coram Dei judicio eadem ipſi imputata, quâ de re ſic loquitur Spiritus ſanctus. Eſa. 53. v. 6. *Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrorum. v. 12. portavit delicta multorum*, ubi obſerva conjungi in dicto Prophetico hæc duo, quòd Chriſtus & pœnas peccatorum, & peccata noſtra in ſe receperit. Joh. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei* αἴρων ſuſcipiens, portans & *tollens peccata mundi*, ubi reſpicit Baptiſta ad ſacrificia V. T. in quibus peccata ſacrificantium typicâ quadam imputatione trāsferebantur in hoſtias; cumprimis verò obſervandus eſt typus hirci emiſſarii Levit. 16. v. 21. *Poſita utraq; manu ſuper caput hirci confiteatur Aaron omnes iniquitates filiorum Iſrael & univerſa delicta atque peccata eorum, quæ imponens capiti illius emittet eum per hominem paratum in deſertum. v. 22. ut hac ratione hircus omnia illorum delicta portet ſuper ſe in deſertum &c.* quem hircum fuiſſe typum Chriſti nemo poteſt negare. 1. Petr. 2. v. 24. *Peccata noſtra ipſe pertulit* (ἀνήνεγκεν) *in corpore ſuo ſuper lignum.* 2. Nec eſt, quòd cavilletur Bellarminus, *Chriſtum non imputativè, ſed verè factum eſſe victimam pro peccato*, neque enim dicimus victimam Chriſto imputatam eſſe, ſed propter peccata noſtra verè in judicio DEI ipſi imputata ipſum victimam factū eſſe dicimus. Tam verè & efficaciter imputata ſunt Chriſto peccata noſtra, quàm verè ipſe pertulit pœnas peccatorum noſtrorum, dolores, mortem, crucem &c. quinimò cùm factus ſit pro nobis *maledictum* Gal. 3. v. 13. quomodo negari poteſt imputatio peccatorum noſtrorum ipſi facta? Ubicunque enim vibratur fulmen divinæ maledictionis, ibi reſpectus habetur ad peccata, vel per inhæſionem vel per imputationem, cùm judicium DEI ſit juſtum & ex veritate. Atqui contra Chriſtum vibratum eſt fulmen divinæ maledictionis. Ergò reſpectus habitus fuit ad peccata. Jam verò in Chriſto non fuerunt peccata per inhæſionem, cùm ipſe ſit omni ex parte innocens, E. per imputationem, propter quam ſibi ipſi transſcribit peccata noſtra Pſ. 69. v. 7. *Domine tu ſcis ſtultitiam meam, & debita mea non ſunt coram te abſcondita*, interim tamen quia ca-

dem

dem ipſi nec formaliter inhærent, nec actualiter ab ipſo ſunt perpetrata, ideò notanter præmittit, *quæ non rapui, cogor exolvere.* v. 6. ipſe enim in ſe & ſua perſona eſt juſtiſſimus ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Heb. 7. v. 26. 3. Evidenter igitur ex dicto Apoſtoli probatur beatiſſima illa commutatio, qua Chriſtus in ſe recepit peccatum noſtrum, ut donaret nobis juſtitiam ſuam. Ut enim ipſe in ſe juſtiſſimus & ſanctiſſimus factus eſt peccatum per imputationem peccatorum noſtrorum; ita nos in nobis peccatores efficimur juſtitia Dei ſeu juſti coram Deo per imputationem juſtitiæ Chriſti; id quod Chryſoſtomi, Theophylacti & Oecumenii expoſitio in hunc locum manifeſtè comprobat. Ambroſius ibidem. (Chriſtus) *factus caro non immutatus, ſed incarnatus factus eſt peccatum &c. Propter quod autem omnis caro ſub peccato eſt, ideò factus caro factus eſt peccatum. Et quoniam oblatus pro peccatis, non immeritò peccatum factus dicitur, quia & hoſtia in lege, quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur &c. Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus, quaſi peccator occiſus eſt, ut peccatores juſtificarentur apud Deum in Chriſto.* Bernhardus ſerm. 1. de circumciſ. *Qui peccatum non fecit, non dedignatus eſt ſe peccatorem reputari.* 4. Quòd ad triplicem ſignificationem juſtitię Dei attinet, reſpondemus, ſi per juſtitiam Chriſti in prima expoſitione intelligitur juſtitia perſonæ, id eſt, quâ CHRISTUS in ſe eſſentialiter juxta divinã Naturam juſtus eſt, tunc dicimus expoſitionem eam eſſe incommodam, nõ enim juſtitiâ illâ perſonæ, ſed juſtitiâ officii ſeu obœdientiæ (ut loquitur Form. Concordiæ p. 584.) hoc eſt, eâ, quam in officio Mediatoris agendo & patiendo acquiſivit, juſti ſumus. Sin verò de juſtitia officii terminus intelligitur, ſatis commoda ſunt illa Bellarmini verba. *Juſtitia Dei* (inquit) *nos dicimur, non in nobis, ſed in Chriſto, quia ipſe eſt caput noſtrum, & quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut ſunt membra diſtincta à capite, ſed ut faciunt unum & ſunt unum cum ipſo capite.* Addimus autem, per fidem nos Chriſto inſeri & membra myſtici hujus corporis effici, fides ergò eſt, quæ peccata noſtra in Chriſtum transfert & juſtitiam Chriſti nobis applicat, atque hac ratione beatiſſimam illam unionem & permutationem efficit. Secunda & tertia ſignificatio coincidunt, ſcilicet, quòd juſtitia Dei accipienda ſit pro juſtitia à Deo nobis eo modo donata, ut formaliter nobis inhæreat. Atqui interpretatio illa hoc loco ſtare nequit, dicimur enim effecti *juſtitia Dei in Chriſto* (non in nobis) Jam verò inhęrens juſtitia non eſt in Chriſto ſed in nobis. Refero huc egregium illud dictum Rom. 8. 3. *quòd impoſſibile erat legi, quia infirmabatur per carnem; Deus miſſo Filio ſuo in ſimilitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum, ut δικαίωμα juſtificatio legis* (perfectiſſima illa obœdientia & juſtitia, quam Lex à nobis flagitat) *impleretur* (non à nobis, ſed) *in nobis* (videlicet per fidem, quæ in Chriſto perfectam illam obœdientiam invenit & apprehendit.) 5. *At*, inquit Bellarminus, *in Chriſto eſt idem quod à Chriſto & per Chriſtum.* Reſp. hac ratione tranſitus fit à cauſa formali ad efficientem & meritoriã. Utrumq; Apoſtolus aſſerit, juſtificari nos propter Chriſtum, & juſtificari in Chriſto, utrumque igitur acceptandum, nec alterũ alteri opponendum. Ut per fidem ſum' in Chriſto, ita per eandem efficimur juſtitia Dei in ipſo, & ut Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum per imputationem, ita nos efficimur juſtitia Dei in illo per imputationem. Juſtitia Dei, cujus hoc loco fit mentio opponitur peccato, quod Chriſtus pro nobis factus eſt, vi ergò oppoſitionis alia juſtitia intelligi nequit, quàm quæ Chriſtus nobis factus eſt in ſuo officio; quæ per fidem nobis imputatur, ſicut Chriſto imputata ſunt peccata noſtra.

208. Tertia claſſis argumentorum depromitur ex Epiſtola ad Epheſios. 1. Epheſ. 1. verſ. 6. *Deus nos* ἐχαρίτωσεν *gratos* & acceptos *habuit in dilecto Filio ſuo.* Quo modo reddimur Deo grati & accepti, eo etiam modo juſtificamur. Atqui grati & accepti Deo reddimur in Chriſto, *per quem habemus redemtionem in ſanguine ejus, remiſſionem peccatorum*, ut Apoſtolus ibidem loquitur v. 7. Ergò etiam in Chriſto juſtificamur, non autem inhærente in nobis juſtitia: Excipit Bellarminus 2. de Juſtif. cap. 11. ἐχαρίτωσεν *ſignificat gratioſos nos fecit, nempè non tantùm per remiſſionem peccatorum, ſed etiam per donum juſtitiæ animam renovando & exornando, ut ſimus ſimiles capiti noſtro Chriſto, alioquin Chriſtus foret monſtrum, ſi tam ſpecioſo & ſancto capiti ſordida & immunda membra adjungerentur.* Reſp. 1. Fides in actu juſtificationis apprehendit Chriſti juſtitiam, quæ eſt precioſa & ſalutaris illa veſtis, quæ tegit nuditatem noſtram; cum hac peccatorum remiſſione & juſtitiæ Chriſti imputatione ſemper conjuncta eſt renovatio, quâ Spiritus ſanctus incipit Naturam noſtram ſanare, venenum peccati extergere, animam mundare &c. ſed hæc renovatio in hac vita eſt imperfecta, ideò per eam non tegitur noſtra nuditas coram Dei judicio, quippe *qui abſcondita noſtra collocat in lumine vultus ſui.* Pſal. 90. v. 8. *& coram quo omnes noſtræ juſtitiæ ſunt ſicut pannus mulieris menſtruatæ* Eſa. 64. v. 6. 2. verbum χαριτόω bis habetur in N. T. Luc. 1. v. 28. ubi Angelus ad Mariam dicit: χαῖρε κεχαριτωμένη, quòd Pontificii quidem ſic accipiunt, Mariam multis gratiarum donis à Deo repletam eſſe, ſed tutiſſimè ſequimur explicationem ſtatim additam v. 30. εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ, eodem igitur modo etiam hoc loco verbum χαριτοῦν accipitur, non pro donorum infuſione, ſed pro acceptatione in gratiam. 3. repetenda hoc loco argumenta ſuperiùs §. 18. & ſeqq. adducta, quibus probavimus, gratiam in articulo de juſtificatione non ſignificare infuſos habitus, ſed gratuitam Dei juſtificantis miſericordiam. Ergo ex conjugatorum Natura χαριτοῦν ſignificat in gratiam recipere, gratos & acceptos habere. Urgemus cumprimis locum Apoſtolicum 2. Tim. 1. v. 9. ubi *gratia* illa dicitur *nobis data in Chriſto ante tempora ſecularia.* 4. Idipſum comprobat res ipſa. Illi enim quos Deus ἐχαρίτωσεν in Chriſto, ſunt miſeri peccatores morti & æternæ damnationi obnoxii, unde Apoſtolus disertè dicit; quòd *Deus juſtificet impium* Rom. 4. v. 5. illos verò Deus ſibi gratos & acceptos habet in Chriſto fide ſcilicet apprehenſo, *per quem habemus redemtionem in ſanguine ejus remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus*, ut ἐξηγητικῶς Apoſtolus ſubjungit. 5. afferimus illuſtrationis gratiâ v. 4. *Elegit nos Deus in Chriſto, ut eſſemus ſancti*

Tertia claſſis argumentorũ. 1. Epheſ. 1. Deus nos gratos habuit in dilecto.

& irreprehenſibiles. Quemadmodum noſtra ſanctitas non eſt pars ſive cauſa, ſive meritum noſtræ electionis, ſed ejuſdem finis & conſequens; Itaquoque reconciliationis noſtræ conſequens eſt & finis. Eædem enim cauſæ ſunt electionis & juſtificationis, ut ſuo loco demonſtratum fuit. 6. Urgemus etiam emphaſin verborum ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς ἐν χριστῷ, quibus verbis non ſolùm ſignificatur, nos omnia bona debere Chriſto, ſed etiam in Chriſto, & non in nobis ipſis vel noſtris operibus fundamentum illius gratiæ & miſericordiæ quærendum eſſe. 7. nec tamen ex hac noſtra ſententia deduci poteſt illud abſurdum, quòd Chriſti corpus myſticum ſit quoddam monſtrum, ſiquidem veri credentes myſtici illius corporis membra, non ſolùm imputata Chriſti juſtitiâ veſtiuntur & ornantur, ſed etiam renovantur ſpiritu mentis ſuæ, induunt CHRISTUM, non ſolùm fide, ſed etiam ſanctâ converſatione Rom. 13. v. 14. Cùm Chriſtus ſit & donum & exemplum, &c. interim tamen hæc renovatio & Chriſti imitatio in hac vita non eſt numeris omnibus perfecta, quia ſancti quotidiè petunt peccatorum remiſſionem, quâ non indigerent, ſi membra hujus myſtici corporis à peccatorum ſordibus planè & plenè eſſent mundata & per infuſam juſtitiam undiquaque formoſiſſima.

2. Induite novum hominem, qui ſecundũ Deum creatus eſt Epheſ. 4.

209. 2. Epheſ. 4. v. 24. *Induite novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt*, ubi ſimilitudo indumenti indicat, nos juſtificari per juſtitiã extrinſecam, quæ non inhæret nobis, ſed per fidem apprehenditur & nos tegit atque operit, ne turpitudo noſtra in conſpectum Dei veniat. Excipit Bellarmin. *ſimilitudinem indumenti optimè convenire inhærenti juſtitiæ; primò quia non eſt naturalis, nec nobiſcum naſcitur, ſed extrinſecus accedit ex infuſione Spiritus ſancti; Secundo quia juſtitia per bona opera diſtinguit pios ab impiis, ſicut per veſtes alii ab aliis diſcernuntur; Tertiò, quia induere ſecundùm Hebraicam phraſin ſignificat abundanter & copioſe tegere, ſic Chriſtum ſive novum hominem induunt, qui pleni fide & caritate in omnibus operibus ſuis Chriſtum imitantur, & ejus doctrinam vitam & mores exprimunt.* Reſp. Fatemur Apoſtolum Epheſ. 4. v. 24. propriè & principaliter non de juſtificatione, ſed de renovatione agere, hactenus igitur locus ille eſt à quæſtione alienus. 2. Interim tamen ſimilitudo indumenti aliis in locis ad juſtificationem applicatur. Pſ. 89. v. 17. Eſa. 61. v. 10. Gal. 3. v. 27. &c. dicimus igitur, Chriſtum indui fide in actu juſtificationis, quando imputatur nobis ipſius juſtitia (ſi Chriſtum induimus per fidem, utique etiam induimur juſtitia ejus, quæ ſic nobis imputatur, ut poſſimus eam Dei judicio noſtro nomine opponere.) Deinde etiam indui ſanctâ vitæ converſatione, quando ſanctam ipſius vitam imitamur. 3. Ergò non negamus per induitionem novi hominis intelligi inhærentem juſtitiam ſive renovationem, ejuſdemque incrementum, interim tamen connotatur juſtitia fidei imputata, quam juſtitia inhærens ſequitur, & ſine ea locum non habet. 4. quod tam certum atque evidens, ut ipſe Bellarminus id quodammodo agnoſcat, ſic enim ſcribit hoc loco. *Poteſt tamen certo modo accommodari hæc ſimilitudo, ut etiam Exemplũ Patriarchæ Iacobi* (qui indutus veſtibus primogeniti, ac pro primogenito reputatus, benedictionem & hæreditatem à patre obtinuit Geneſ. 27.) *juſtitia imputata; ſi quis dicat, oportere, ut induamus merita Chriſti, & illis quodammodo tecti petamus a DEO indulgentiam peccatorum. Nam ſolus Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfacere potuit, & reipſa ex juſtitia ſatisfecit, & illa ſatisfactio nobis donatur & applicatur & noſtra reputatur, cum Deo reconciliamur & juſtificamur.* Hæc omnia Bellarm. verè Evangelicè; quæ verò ſubjungit de diſpari ratione ſatisfactionis & juſtitiæ Chriſti ſuperius ſunt diſcuſſa. *Quòd unus pro alio ſatisfaciat* (inquit) *facilè intelligi poteſt, ſed quòd unus ſit juſtus, quia alius eſt juſtus, eſt omninò inauditum & contra omnem rationem.* At num in Eccleſia inauditum ſit, Chriſti juſtitiam nobis imputari, paulò pòſt ex veterum teſtimoniis manifeſtum erit: nec tamen ita crudè ac nudè dicimus nos eſſe juſtos, quia Chriſtus juſtus eſt, ſed disertam addimus applicationis rationem, nimirum juſtos nos eſſe fide in Chriſtum, verâ illâ & vivâ fide, quæ Chriſtum reſpicit ac recipit, qui noſtro loco legem implevit, & pro peccatis noſtris ſatisfecit, quæ fides poſtea per dilectionem efficax eſt & juſtitiæ operibus ſeſe exerit. 5. Neve Bellarm. diſputet, induendi metaphoram propriè atque unicè inhærentem juſtitiam denotare, opponimus propriam ſuiipſius ratiocinationem lib. de gratia primi hominis cap. 6. *Indumentum eſt quippiam extrinſecum & ſuperadditum. Juſtitia originalis confertur veſtimento. Ergò fuit aliquid ſupernaturale extrinſecum.*

Quarta claſſis argumentorum

210. Quarta claſſis argumentorum petitur ex Actis Apoſtolorum & ex parabola Publicani. 1. *Act. 13. v. 38. Per Chriſtum annunciatur vobis remiſſio peccatorum & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari. v. 39. in hoc omnis qui credit, juſtus eſt,* in quo loco quatuor ſunt obſervanda. 1. Juſtificationem eſſe verbum judiciale, cùm declaretur per annunciationem remiſſionis. 2. Juſtificationem definiri per remiſſionem peccatorum. 3. Remiſſionem illam fieri per & propter Chriſtum, non per legem ac noſtra opera. 4. Applicationem hujus beneficii à Chriſto parti fieri fide. Si juſtificatio conſiſtit in remiſſione peccatorum, quæ datur credentibus in Chriſtum, ac fide eis obtingit, conſequens eſt, non juſtificari hominem per ac propter inhærentem juſtitiam. Bellarmin. in pervertendo hoc dicto Apoſtolico ſatis operoſus eſt & varias profert exceptiones. 1. *per Chriſtum nos juſtificari ut per cauſam efficientem, ſed phraſi illâ non excludi qualitatem infuſam, quæ eſt cauſa formalis juſtificationis.* Reſp. Sanè obœdientia & ſatisfactio Chriſti, eſt cauſa efficiens meritoria noſtræ juſtificationis, eadem tamen quatenus per fidem nobis applicatur & imputatur, eſt cauſa juſtificationis formalis. Bellarm. exclamat, *repugnare hoc rationi, quòd Chriſti juſtitia ſtatuitur & cauſa efficiens & formalis noſtræ juſtificationis*, at diverſitas reſpectus facile tollit omnem abſurditatem φαινομένην. Solutio alieni debiti reſpectu ſolventis eſt cauſa efficiens meritoria, ob quam debitor non poteſt conveniri; eadem ſolutio reſpectu debitoris, cui à creditore imputatur, eſt cauſa formalis nõ conventionis. Satisfactionem Chriſti eſſe cauſam juſtificationis meritoriã Bellarminus nõ negat, eandem ſatisfactionẽ Chriſti nobis imputari cõcedit, cur ergo ꝗ de ſatisfactione non invitus concedit, de juſtitia Chriſti negat?

1. Actor. 13. per Chriſtum annunciatur vobis remiſſio peccatorum.

cùm

cùm Chriſtus non ſolùm pro peccatis noſtris ſatisfecerit, ſed etiam legem Dei noſtri loco impleverit, ut hac ratione & ſatisfactiu & obœdientia Chriſti conſtituant illam juſtitiam, quę nobis per fidem imputatur. Porrò quamvis phraſi illâ *per Chriſtum* Bellarmino non videantur excluſæ, qualitates noſtræ noſtraque opera, tamen mentione fidei eadem excludi ſatis manifeſtum eſt, cùm in articulo Juſtificationis ſit perpetua oppoſitio inter fidem & opera. Nomine legis intelliguntur etiam virtutes & opera, quorum norma in lege proponitur, at lex dilertè excluditur, ergò virtutes & opera excluduntur. 2. *Verbo annunciandi non ſignificari ex ſola annunciatione remiſſionis fide apprehenſa homines juſtificari, ſed annunciari remiſſionem peccatorum iis qui credunt, ut oportet, implendo videlicet omnia, quæ fides implenda demonſtrat.* Reſp. Sophiſticam ambiguitatem illius phraſeos credere ut oportet, expoſuimus ſuo loco. Procedit hæc Bellarmini exceptio ex falſa hypotheſi, quòd fides formetur per caritatem. Oſtendimus autem ſuperiùs caritatem non eſſe formam, ſed effectum fidei. Forma juſtificantis fidei eſt fiducialis apprehenſio Chriſti in verbo Evangelii oblata. Confundit etiam Bellarminus fidem & opera, quæ Apoſtolus in actu juſtificationis accuratè diſtinguenda eſſe oſtendit. Quomodo juſtificamur fide & non ex operibus, ſi vera eſt paraphraſis Bellarmini: qui credunt ut oportet, hoc eſt, qui faciunt & implent ea omnia, quæ fides implenda eſſe demonſtrat, juſtificantur? nimirum confunditur deſcriptio formæ & effectus, ſubjecti & modi ſive juſtificatorum & ipſius juſtificationis. Sanè fides juſtificans non ſolùm apprehendit promiſſionem Evangelicam de remiſſione peccatorum, ſed etiam per bona opera ſeſe exerit & legi divinæ obœdientiam præſtat, ſed ex eo non poteſt nec debet colligi, quòd fructus bonorum operum proferendo juſtificet, ſive quod unà cum ea bona opera juſtificent. 3. *remiſſionem peccatorum ſolam nominari, ſed hoc nihil impedire, quò minus juſtificatio intelligatur conſtare remiſſione peccatorum & juſtitia infuſione, cùm remiſſio peccatorum non ſit ſola condonatio pœnæ, ſed etiam ablutio culpæ ſuccedente nitore gratiæ.* Reſp. ſanè remiſſio peccatorum eſt & condonatio pœnæ & ablutio culpæ, atqui illa ablutio culpæ non eſt ita comparata, ut ipſa peccati labes ac macula in hac vita penitùs eluatur, & funditùs eradicetur, quid enim opus foret miſerabili illâ querimonia Apoſtoli. *Scio quod in me, hoc eſt, in carne mea non habitet bonum?* Roman. 7. v. 18. *habitat in me peccatum*, v. 20. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, v. 24. *miſer ego, quis me liberabit de corpore mortis huius?* falſam igitur definitionem remiſſionis peccatorum proponit Bellarminus, quia juſtitia inhærens ſive renovatio non eſt pars nec cauſa, ſed conſequens remiſſionis peccatorum, quæ contingit ſolâ fide in Chriſtum. Verus nitor ac decor, qui nos Deo gratos reddit, eſt Chriſti juſtitia fide imputata: nitor renovationis ac decor juſtitiæ inhærentis in hac vita eſt imperfectus & immundus, perficiendus demum in vita æterna. 4. *quamvis hoc loco ſola mentio fiat juſtificationis a peccatis, tamen in aliis multis locis mentionem fieri ſanctificationis, mundationis, ablutionis, renovationis & ſimilium, quæ alteram juſtificationis partem oſtendant.* Reſp. fallacia eſt conſequentis. Fatemur & nos renovationis donum cum peccatorum remiſſione conjunctum eſſe, ſed ex eo non poteſt inferri, quòd conſtituat juſtificationis partem alteram; quippe quæ ſolâ peccatorum remiſſione propter Chriſtum abſolvitur, cujus conſequens eſt donum renovationis. 5. *verbis illis, à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari, illud tantummodo ſignificari, quod obſervatio legis propriis viribus vel ſolâ ipſa lege juvante præſumta non juſtificet, non quòd vera legis obſervatio non ſit juſtitia, ſed quod lex ante remiſſionem peccatorum ſervari non poſſit.* Reſp. 1. Diſtinctio illa inter obſervationem legis per vires proprias & per gratiam Spiritus ſancti hîc non habet locum, cum generaliter pronunciet Apoſtolus Roman. 3. v. 20. *ex operibus legis non juſtificari omnem carnem*, & ſuo loco oſtendemus etiam renatorum opera non habere vim juſtificandi. 2. quid quod hoc ipſo in loco ſimpliciter & ἀποτόμως negat Apoſtolus, obſervatione legis Moſaicæ quenquam potuiſſe juſtificari, atque huic legis obſervationi opponit fidem, quæ juſtitiam Chriſti apprehendit, & remiſſionem peccatorum impetrat. 3. inter illos, de quibus pronunciat Apoſtolus, quòd non potuerint ex lege Moſis juſtificari, fuerunt multi pii & religioſi viri, quibus ſuadent Apoſtoli, *ut perſeverent in gratia Dei*, v. 43. ex quo apparet, etiam illi legis obſervationi negari juſtificationem, quæ à renatis & in gratia Dei conſtitutis proficiſcitur, id quod exemplis Abrahæ & Davidis Roman. 4. manifeſtiſſimè comprobatur. 4. Per gratiam intelligit Bellarminus infuſam caritatem, quâ peccata expelluntur, & mandata Dei perfectè implentur. Sed ſuo loco oſtendimus, ne quidem renatos legem Dei perfectè implere poſſe, ideoque ad impletionem mandatorum requiri non ſolùm gratiam renovationis, ſed etiam gratiam remiſſionis. *Tunc omnia Dei mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoſcitur.* Auguſt. lib. 1. retract. cap. 19.

211. 2. Luc. 18. in Parabola Phariſæi & Publicani vivum juſtificationis ſpeculum nobis proponitur. Phariſæus opera ſua jactans, & in ſemetipſo confidens, quod ſit juſtus, repudiatur. Publicanus remiſſionem peccatorum quærens deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Excipit Bellarminus 1. *Publicanus, enim dixit, propitius eſto mihi peccatori, non petiit ſolam debiti condonationem, quaſi vellet iniquus eſſe, ſed non haberi à Deo neque puniri, ſed petiit integram reconciliationem, & talem obtinuit, unde dicitur exaltatus, quia de peccatore juſtus, de ſervo peccati ſervus juſtitiæ, de filio Diaboli filius Dei repentè factus eſt.* Reſp. Manifeſtiſſimum eſt ex hoc loco, quòd juſtificatio conſiſtat in remiſſione peccatorum, quæ gratis propter Chriſtum Mediatorem contingit, cujus juſtitia per fidem in vera & ſeria converſione credentibus imputatur. Fatemur igitur in noſtra cum Deo reconciliatione omninò requiri juſtitiam, cujus merito atque intuitu Deus remittit peccata, ſed juſtitia illa non eſt inhærens, cùm & Phariſæus de ea tanquam dono Dei gratias agens, illam habuerit, nec tamen juſtificatus domum

2. Luc. 18. Phariſæus in ſemetipſo confidens quod ſit juſtus repudiatur.

redierit, ſed eſt juſtitia Chriſti, quam ſolam Deus in judicio ſuo acceptat. Publicanus hic de nullis bonis operibus gloriari poterat, ſed ſolam Dei miſericordiam propter CHRISTUM promiſſam implorabat, *ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ* ait v. 12. reſpicit igitur ad *ἱλαστήριον* Vet. Teſt. quod tegebat arcam fœderis, in qua tabulæ legis divinæ erant reconditæ, quod propitiatorium fuiſſe typum CHRISTI docet Apoſtolus Roman 3. v. 25. Hoc igitur voluit dicere Publicanus. O miſericors Deus, ſi ad normam legis divinæ vitam meâ velis exigere, & in judicium mecum intrare non potero conſiſtere, ſed fide confugio ad propitiatorium, quod in Meſſia nobis propoſuiſti, illius obœdientia tegat meam inobœdientiam, ne in conſpectum tuum veniat. Sic ergò Publicanus fide obtinuit remiſſionem peccatorum & deſcendit juſtificatus in domum ſuam. Quod exaltatus dicitur, illud potiſſimùm intelligendum eſt de translatione ipſius è morte ad vitam, è regno Satanæ ad regnum gratiæ, è damnatione ad ſalutem : neque tamen repugnamus quò minùs etiam de renovatione intelligatur, per quam è ſervo peccati factus eſt ſervus juſtitiæ, fatemur enim cum reconciliatione individuo nexu conjunctam eſſe renovationem, nimirum ut conſequens, nequaquam verò ut partem, ſive cauſam : neque aliud quicquam probant dicta illa, quæ renovationem in juſtificatis ponunt. Removeatur verò calumnia iſta, quâ obliquè nos pungit Bellarminus quaſi ſtatuamus petendo ſolam debiti condonationem nos velle iniquos eſſe, ſed non haberi à DEO neque puniri; aliud enim eſt velle iniquum eſſe, aliud agnoſcere peccatum in carne adhuc habitans, ſive ut Apoſtolus loquitur, aliud eſt *peccatum habere*, aliud *facere peccatum*. 1. Johan. 3. v. 4. quid quòd non ſolam peccati condonationem, ſed etiam donationem Spiritus ſancti, incrementum renovationis & peccati mortificationem petimus, nec tamen in omnibus illis quę à DEO petuntur, quæque à DEO nobis donantur, conſiſtit juſtificatio.

2. Phariſæus non ideò poſtponi meruit Publicano, quia dona Dei recenſebat & Deo gratias hoc nomine agebat, ſed quia tumore ſuperbiæ plenus erat, & in ſua IVSTITIA ita confidebat, ut nihil ſibi addi, nihil ignoſci peteret, inſuper etiam humilem Publicanum contemnebat, alioqui Publicanus Zachæus Lucæ 19. *& Rex Ezechias* Eſaiæ 38. *bona opera promittentes & prædicantes exauditi ſunt à Deo.* Reſp. Veriſſimè hoc dicitur, quod ob tumorem ſuperbiæ Phariſæus fuerit repudiatus; quis verò fuerit ille ſuperbiæ tumor, non opus eſt dubiis conjecturis, cùm manifeſtam habeamus Evangeliſtæ explicationem v. 8. Jeſus dicebat ad quoſdam *πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς ὅτι εἰσὶ δίκαιοι καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς λοιποὺς, qui in ſe confidebant, quod eſſent juſti, & aſpernabantur cæteros.* Phariſæus igitur eſt imago eorum, qui juſtitiæ laudem coram DEO quærunt in ſuis operibus, vel ut Apoſtolus loquitur Roman. 10. v. 3. *qui ſuam juſtitiam quærunt στῆσαι ſtatuere* & erigere. Fiducia ergò in bona opera eſt damnatus ille ſuperbiæ tumor quem abſit ut minimâ ex parte vel Zachæo vel Regi Ezechiæ tribuamus. Commemorant ſua opera, non quòd fiduciam in illis ponant, & ex illis coram DEO juſtificari quærant, ſed adducunt ea tanquam teſtimonia veræ converſionis & pietatis, quemadmodum etiam Petrus jubet, *ut electionem & vocationem noſtram firmam faciamus.* 2. Epiſtol. 1. v. 10. verè pii reverenter & grato corde agnoſcunt dona DEI, gratias DEO agunt pro conſervatione in bono, ſtudent juſtitiæ bonorum operum, ſed fiduciam cordis in ea haudquaquam collocant, nec in illis juſtitiam, quæ coram DEI judicio conſiſtat, quærunt, ſed cum Apoſtolo dicunt 1. Corinth. 4. v. 4. *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc ſum juſtificatus* cum Davide ſuppliciter & humiliter deprecantur *Dei judicium* Pſalm. 143. v. 3. cum Eſaia agnoſcunt, *omnes noſtras juſtitias eſſe velut pannum mulieris menſtruatæ.* Eſaiæ 64. v. 6. proinde fiducia juſtificationis coram DEO neque ex toto, neque ex parte in opera collocanda, ſed in ſolum Chriſtum, *qui factus eſt nobis juſtitia à Deo* 1. Corinth. 1. v. 30. Quod ſi definiente Bellarmino eſt dâmnatus ſuperbiæ tumor, ſi quis ita confidit de ſua juſtitia, ut nihil ſibi addi, nihil ſibi ignoſci petat, quid fiet de Monachis, qui jactitant opera ſupererogationis? Qui bonis operibus adeò ſe abundare ſtatuunt, ut aliis ea communicare citra ſalutis ſuæ detrimentum queant, quid illi ad ſummam perfectionem ſibi deeſſe crederent? qui peccata renatorum ſuâ Naturâ ac per ſe venialia eſſe; nec contra, ſed tantùm præter legem fieri ſtatuunt, qui pravam concupiſcentiam in renatis adhuc hærentem verè peccatum eſſe negant, quid illi ſibi ignoſci magnopere peterent?

212. Atque hæc ſunt argumenta illa, quæ ex Scripturis Bellarminus pro noſtra ſententia producit, eademque infringere conatur, quid præſtiterit ex diligenti eorum examine cordatus facilè animadvertet. Jubemus autem ſemper in conſpectu haberi has hypotheſes. 1. Juſtificationem in propria ſede definiri per remiſſionem peccatorum, ſive quod idem eſt, per imputationem juſtitiæ. 2. Eſſe perpetuam oppoſitionem in articulo Juſtificationis inter Legem & Evangelium, fidem & opera, gratiam & opera, credentem & operantem, gratiam & debitum. 3. Ipſam renatorum juſtificationem definiri per remiſſionem ſive non imputationem peccatorum, & per gratuitam juſtitiæ imputationem. 4. Nuſpiam caritati, ſed ubique fidei juſtificationem tribui. 5. Prædicari in Juſtificationis negotio caritatem, non noſtram, ſed DEI. 6. Juſtificationem ubique deſcribi ut actum forenſem & judicialem, in quo homo peccator coram DEI tribunali ſiſtitur & propter CHRISTI ſatisfactionem non autem propter ſuas qualitates atque opera ab accuſatione legis abſolvitur. 7. Sanctos ubique coram DEI judicio imperfectionem & immunditiem ſuam agnoſcere, judicium DEI deprecari, miſericordiam ejus implorare; & in ſolo Mediatore CHRISTO omnem ſpem ac fiduciam, omne perfugium & ſolatium conſtitutum habere. 8. Nullam coram DEO ad juſtificationem valere juſtitiam, niſi quæ ſit abſoluta cum lege conformitas, quod nec de habituali, nec de actuali juſtitia noſtra dici poteſt. 9. Appellatione operum intelligi, non ſolùm exteriores actiones, ſed etiam ipſos habitus interiores & virtutes in lege præſcriptas; proinde cùm opera ex actu juſtificationis exclu-

Hypotheſes in hac quæſtione obſervādæ

dun-

duntur, ipſa quoque habitualis juſtitia excludi intelligitur. Si novem illæ hypotheſes diligenter obſerventur, facilè apparebit, quid de inhærenda juſtitia ſtatuendum ſit.

Teſtimonia veterum.

213. Quinta claſſis argumentorum petita eſt ex Patribus, ubi tria tantùm teſtimonia affert Bellarminus, ſed produci poſſunt longè plura. Præterquam enim quòd ad hunc locum pertineot omnia illa teſtimonia, in quibus Juſtificandi verbum agnoſcunt eſſe judiciale, & juſtificationem definiunt remiſſione peccatorum, (quæ enumerata ſunt ſuperiùs §. 8.) Item in quibus negant, renatos legem Dei perfectè implere (quæ teſtimonia enumerata ſunt in tractat. de lege §. 187.) denique in quibus negant, bona opera propriè & ex juſtitiæ debito meritoria eſſe, (quæ teſtimonia enumerabuntur in tractatu de bonis operibus) referenda hûc cumprimis ſequentia dicta, in quibus juſtitiam CHRISTI nobis imputari docent. Juſtinus Martyr in Epiſt. ad Diognet. pag. 386. *Quid enim aliud peccata noſtra potuit tegere, quàm ejus juſtitia? in quo alio nos iniqui & impii pro juſtis haberi poſſumus, quàm in ſolo Dei Filio? O dulcem permutationem! O impervestigabile artificium! O beneficia expectationem omnem ſuperantia! ut iniquitas quidem multorum in juſto uno abſcondatur, juſtitia autem unius faciat, ut multi injuſti pro juſtis habeantur.* Athanaſius adverſus eos qui damno afficiunt genus noſtrum, eò quod negant Servatorem ex Natura noſtra ſumſiſſe primitias tomo 2. p. 270. edit. Commel. *neceſſarium eſt, maximeque neceſſarium credere Scripturis ſanctis, confiteri ex noſtro genere primitias, celebrare ſingularem aſſumentis in genus humanum amorem, obſtupeſcere magnæ œconomiæ atque diſpenſationis miraculum, non timere execrationem legis: (Chriſtus enim nos à maledictione legis liberavit) impletionem legis à primitiis factam toti maſſæ aſcribere:* (in Græco eſt λογίζεσθαι imputare.) Idem de incarnat. verbi contra Samoſat. tom. 1. pag. 461. *Impoſſibile eſt puritatem & innocentiam in humana Natura exhiberi, niſi Deus credatur in carne eſſe, qui juſtitiam omni peccato liberam in mundum introduxit, cujus quia participes redditi ſumus* (μετέχοντες) *vivemus & ſalvabimur; illud enim, Non eſt juſtus in terra, qui bonum faciat, & non peccet, in commune ad omnes homines pertinet: unde ex cœlo deſcendit, qui immaculatam ex ſe juſtitiam daturus erat.* Macarius homil. 35. pag. 110. *Omnia in omnibus Chriſtus. Quemadmodum igitur infans non novit ſeipſum curare vel ornare, ſed ſolùm oculos convertit ad matrem flens, donec miſericordia commota illum ſuſcipiat: ſic fideles animæ in ſolo Deo ſpem habent; perpetuò omnem juſtitiam ei tribuentes, quia ſicut ſine vite palmes areſcit, ſic quoque qui abſque Chriſto vult juſtificari & ſalvari.* Baſilius ſerm. de humilit. tom. 1. p. 433. *Qui gloriatur, in Domino glorietur, quòd Chriſtus nobis factus eſt à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio. Hæc eſt perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob juſtitiam ſuam quis ſe jactat, ſed novit quidem, ſeipſum verâ juſtitia indigum eſſe, ſolâ autem fide in Chriſtum juſtificatum.* Gregorius Nyſſenus orat. 2. in Cantic. ** μεταθεὶς γὰρ πρὸς ἑαυτὸν τὸν τῶν ἐμῶν ἁμαρτιῶν ῥύπον, μετέδωκέ μοι τῆς ἑαυτοῦ καθαρότητος, κοινωνόν με τοῦ ἑαυτοῦ κάλλους ἀπεργασάμενος, ὃς πρῶτον ἐποίησεν ἐξ εἰδεχθοῦς ἐρασμίαν καὶ οὕτως ἠγάπησεν qui ex deformi prius fecit amabilem & ſic dilexit. p. 491.** *Chriſtus in ſe translatis peccatorum meorū ſordibus, puritatem ſuam mecum communicavit, meque pulcritudinis ejus, quæ in ipſo eſt, participem fecit.* Ambroſius libr. 1. de Jacobo & vita beata cap. 6. *Sed & illud mihi prodeſt, quòd non juſtificamur ex operibus legis. Non habeo igitur unde gloriari in operibus meis poſſim, unde me jactem, & ideò gloriabor in Chriſto. Non gloriabor quòd juſtus ſim, ſed quia redemtus: gloriabor, non quia vacuus ſum à peccatis, ſed quia remiſſa mihi ſunt peccata: non quia profui, aut mihi quisquam profuit, ſed quia pro me Advocatus apud Patrem Chriſtus eſt, quia pro me ſanguis Chriſti effuſus eſt.* lib. 3. de virginit. pag. 100. *Omnia Jeſus eſt nobis, ſi volumus: Si vulnus curari deſideras, Medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Guſtate igitur & videte, quàm ſuavis eſt Dominus.* In cap. 10. Lucæ pag. 154. *Pro me doluit Chriſtus, qui pro ſe nihil habuit, quod doleret; & ſequeſtrata delectatione divinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſtitiam meam, ut mihi ſuam lætitiam largiretur, & veſtigiis noſtris ad mortis deſcendit ærumnam, ut nos ſuis veſtigiis revocaret ad vitam.* in cap. 8. Roman. *Quando impletur in nobis juſtificatio, niſi cùm datur remiſſio omnium peccatorum, ut ſublatis peccatis juſtificatus appareat, mente ſerviens legi Dei.* Hieronymus in cap. 10. Roman. ſuper verba, Chriſtus eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti. *Talis eſt ille, qui in Chriſtum credidit, die qua credidit, qualis ille, qui univerſam legem implevit* (id verò aliter fieri nequit quàm imputatione perfectæ illius impletionis, quam Chriſtus noſtri loco Legi præſtitit) Auguſtin. tom. 3. Enchirid. ad Laurentium cap. 41. *Ipſe* (Chriſtus) *peccatum, ut nos juſtitia; nec noſtra, ſed Dei; nec in nobis, ſed in ipſo; ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum; nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum, ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demonſtravit.* (ut ergò Chriſtus eſt peccatum noſtrum, ita nos ſumus juſtitia Dei in illo, nimirum per imputationem) Idem tom. 8. in Pſalm. 21. expoſit. 2. *Quomodo ergò dicit delictorum meorum? niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra ſua fecit, ut juſtitiam ſuam noſtram juſtitiam faceret.* ** contra Pelag. & Cœleſt. de gratia Chriſti lib. 1. cap. 47. *Gratia per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in qua nos ſua non noſtra, juſtitia juſtos facit, ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt.*** Pſal. 30. conc. 1. *In tua juſtitia erue me & exime me. Quia non inveniſti in me juſtitiam meam, erue me in tua. hoc eſt illud quod me eruit, quod me juſtificat, quod ex impio pium facit, quod ex iniquo juſtum,* in Pſalm. 31. *tantùm credidero in Deum, deputabitur mihi ad juſtitiam.* in Pſalm. 70. in enarr. partis 1. *In juſtitia tua erue me. Non in mea, ſed in tua: ſi enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: ignorantes Dei juſtitiam & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* tom. 9 tract. 3. in Joh. *Omnes qui ex Adam cum peccato, peccatores: omnes qui per Chriſtum juſtificati, juſti, non in ſe, ſed in illo: nam in ſe ſi interroges, Adam ſunt: in illo, ſi interroges, Chriſti ſunt.* tom. 10. ſerm. 61. de verbis Domini in fine; ut nos ſimus juſtitia Dei

In

in ipſo. *Si enim non in ipſo, nullo modo juſtitia. Si autem in ipſo, totus nobiſcum vadit ad Patrem.* ſerm. 6. de verb. Apoſt. *Ipſum Chriſtum, qui non noverat peccatum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit, ut nos ſimus juſtitia Dei in ipſo. Videte duo, juſtitia Dei, non noſtra; in ipſo non in nobis.* Epiph. in Ancora. ἐγένετο μοι δικαιοσύνη καὶ ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις· δικαιοσύνη μὲν διὰ τῆς πίστεως αὐτοῦ ἁμαρτίας λύσας, ἁγιασμὸς δὲ διὰ ὕδατος καὶ πνεύματος καὶ ἐν ῥήματι αὐτοῦ ἐλευθερώσας, ἀπολύτρωσις δὲ τὸ αἷμα αὐτοῦ λύτρον ἀμνοῦ ἀληθοῦς ὑπὲρ ἡμῶν ἑαυτὸν παραδεδωκώς. Bernh. ſerm. 43. ſuper cant. col. 625. *pro acervo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam, hunc mihi faſciculum colligare & inter ubera mea collocare volui, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei: primum videl. infantilium illarum neceſſitatum, deinde laborum, quos pertulit in prædicando, fatigationũ in diſcurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lachrymarum in compatiendo, inſidiarum in colloquendo, periculorum in falſis fratrib. & mihi hic ſalutaris faſciculus ſervatus eſt, nemo tollet eum a me, inter ubera mea commorabitur; hæc meditari, dixi ſapientiam, in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum,* &c. ſer. 61. in Cant. col. 675. *Quid non boni in petra? in petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto, &c. Ubi tuta firmaq; ſecuritas, niſi in vulnerib. Salvatoris? tantò illic ſecurior habito, quantò ille potentior ad ſalvandum. Fremit mundus, premit corpus, Diabolus inſidiatur, non cado; fundatus enim ſum ſuper petram firmam. Peccavi peccatum grande, turbatur conſcientia, ſed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor, nempe vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras. Quid iam ad mortem, quod non Chriſti morte ſolvetur &c. Ego fidenter, quod ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex vulneribus Domini, quia miſericordia affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant: foderunt manus & pedes ejus, latusq; lanceâ foraverunt, & per has rimas licet mihi ſugere mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo &c. Meum proinde meritum miſeratio Domini, non planè ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum non fuerit inops. Quod ſi miſericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis ſum. Quid enim? ſi multorum mihi conſcius delictorum, nempe ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia, & ſi miſericordia Domini ab æterno & uſq; in æternum, ego quoq; miſericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid juſtitias meas? Domine memorabor juſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim & mea, nempè factus es mihi tu juſtitia à Deo. Nunquid verendum, ne non una ambobus ſufficiat? non eſt pallium breve, quod ſecundùm Prophetam non poſſit operire duos. Juſtitia tua juſtitia in æternum, & te pariter & me operiet larga & æterna juſtitia, & in me quidem operit multitudinem delictorum, in te autem Domine quid niſi pietatis theſauros, divitias bonitatis &c.* Epiſt. 190. ad Innocent. Pontif. Roman. *Juſtè homo Diabolo addictus, ſed miſericorditer liberatus, ſic tamen miſericorditer, ut non defuerit juſtitia quadam & in ipſa liberatione, quoniam hoc quoq; fuit de miſericordia liberantis, ut (quod congruebat remedio liberandi) juſtitiâ magis contra invaſorem, quàm potentia uteretur. Quid namq; ex ſe agere poterat, ut ſemel amiſſam juſtitiam recuperaret homo ſervus peccati, vinctus Diaboli? aſſignata eſt ei proinde aliena, qui caruit ſua & ipſa ſic eſt. Venit Princeps Mundi, & in Salvatore non invenit quicquam, & cum nihilominus innocenti manus injecit, juſtiſſimè quos tenebat, amiſit; quando is qui morti nihil debebat, acceptâ mortis injuriâ, jure illum, qui obnoxius erat & mortis debito & Diaboli ſolvit Dominio. Quâ enim juſtitia id ſecundò exigeretur? Homo ſiquidem qui debuit, homo qui ſolvit: nam ſi unus, inquit, pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, ut videlicet ſatisfactio unius omnibus imputetur, ſicut omnium peccata unus ille portavit; nec alter jam inveniatur, qui forte fecit, alter qui ſatisfecit, quia caput & corpus unus eſt Chriſtus. Satisfecit ergò caput pro membris, Chriſtus pro viſceribus ſuis &c. Si gratis venundatus, gratis non redimar? quod ſi dixeris, Pater tuus addixit te, reſpondebo, ſed frater meus redemit me. Cur non aliunde juſtitia, quia aliunde reatus? alius qui peccatorem conſtituit, alius qui juſtificat a peccato? alter in ſemine, alter in ſanguine. An peccatum in ſemine peccatoris & non juſtitia in Chriſti ſanguine? ſed juſtitia, inquit, ſit cujus ſit, quid ad te? Eſto, ſed ſit etiam culpa cujus eſt, quid ad me? an juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impij non erit ſuper eum? non convenit filium portare iniquitatem patris & fraternæ fieri exortem juſtitiæ; nunc verò ut per hominem mors & per hominem vita &c. non ſic illi attineo, ut non & iſti, ſi illi per carnem, & per fidem huic.* Ibidem. *Juſtum me dixerim, ſed illius juſtitiæ: quæ nam ipſa? finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti: tutior donata quàm innata. Nam iſta quidem gloriam habet, ſed non apud Deum; illa materiam gloriandi non habet niſi in Domino, hæc eſt juſtitia hominis in ſanguine Redemtoris.* Idem ſerm. ad milites templi capit. 11. *Qui peccati meritum tulit ſuam nobis donando juſtitiam, ipſe mortis debitum ſolvit & reddit vitam, ſic namque mortuâ morte revertitur vita; quemadmodum ablato peccato redit juſtitia, porrò mors in Chriſti morte fugatur & Chriſti nobis juſtitia imputatur &c. Qui noſtram & induit carnem & ſubijt mortem, putas ſuam nobis negabit juſtitiam? voluntariè incarnatus, voluntariè paſſus, voluntariè crucifixus, ſolam à nobis retinebit juſtitiam?* In eodem cap. *Unus peccavit & omnes tenentur rei, & unius innocentia, ſoli reputabitur uni? unius peccatum omnibus operatum eſt mortem & unius juſtitia uni vitam reſtituet? itane Dei juſtitia magis ad condemnandum, quàm ad reſtaurandum valuit? aut plus potuit Adam in malo, quàm Chriſtus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi & Chriſti juſtitia non pertinebit ad me?* **Anshelm. in 2. Cor. 5. *Ille peccatũ ut nos juſtitia, non noſtra ſed Dei, non in nobis, ſed in illo; ſicut ille peccatum non ſuum ſed noſtrum; nec in ſe, ſed in nobis.* Tauler. in præfat. ſuper Evang. Joh. An. 1502. Auguſtæ Vindelicorũ per Sigiſmund. Grimm. publicata. Wann du glaubeſt/ daß Chriſtus von deinet wegen Menſch iſt worden zur Erfüllung der Zuſagung Abraham vnd ſeinem Saamen geſchehen/ im Geſetz vnd Propheten/ Item dz er von deinetwegen gelitten/ geſtorben vnd begrabẽ iſt/ ſich ſelber als ein wahrer Biſchoff zur Abtilgũg der Sünde auffgeopffert/ It. dz er vom Tode erſtanden vñ als ein eingeborner Sohn Gottes allen/ die an ſeinen Namen glauben/ dz er Gottes Sohn ſeye verlihen kinder Gottes zu werden vñ dz ewige Leben zubeſitzen/ ſo haſtu warlich alles wz du glaubeſt vñ

wird

wird dir durch ſolchen Glauben zugeeygnet was Chriſtus hat. Alſo erfülleſtu das Geſetze / daß es dich nicht beſchuldige / ſterbeſt der Sünde / daß ſie dir nicht ſchade / erſiheſt die Gerechtigkeit die du hoffeſt vnd wirſt newgeborn in ein Göttlich Leben. Et poſtea. Alſo iſt auß Krafft deß Glaubens durch Würckung GOttes alles das dein / was Chriſtus hat / vnd das Chriſti / was du haſt. O wie groſſer Wechſel / hierauß kömpt es / daß dir keine Sünde ſchaden / kein Geſetz dich beklagen mag / denn GOtt nimpt das Leben vnd Sterben Chriſti an gleichſam wer es dein eygen. Idem Taulerus in meditat. vitæ Chriſti editis à Surio cap. 7. p. 61. *Chriſtus omnia mundi peccata in ſe receperat, tantumq; pro illis ultrò ſibi aſſumſit dolorem cordis, ac ſi ipſe ea perpetraſſet.* p. 64. *in perſona Chriſti. Quandoquidem peccatum Adæ multum abire non poteſt, obſecro te Pater cœleſtis, ut ipſum in me vindices: ego enim omnia illius peccata in me recipio. Si hæc ira tempeſtas propter me orta eſt, mitte in mare amariſſima paſſionis &c. atque ita omnia mundi peccata in ſe Agnus innocens recepit.*** Guilielmus lib. 1. vitæ Bernhardi cap. 13. col. 1886. *Infirmabatur aliquando homo Dei & velut rivulus quidam phlegmatis inceſſanter ab ejus ore fluebat, cumque extremum jam trahere Spiritum videretur, in exceſſu mentis ſuæ ante tribunal Domini ſibi viſus eſt præſentari; affuit autem & Satan ex adverſo improbis eum accuſationibus pulſans, ubi verò ille omnia fuerat proſecutus & viro Dei pro ſua parte fuit dicendum, nil territus aut turbatus ſubjecit: fateor non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum; Ceterum dupliei jure illud obtinens Dominus meus, hæreditate ſc. Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. In hoc verbo confuſus inimicus conventus ille ſolutus & homo Dei in ſe reverſus eſt.*** Ante cæptum reformationis opus Lutherus de juſtitia ſic docuit. *Diſce Chriſtum crucifixum & de teipſo deſperans dic ei. Tu Domine es juſtitia mea, ego autem ſum peccatum tuum, tu aſſumſiſti meum & dediſti mihi tuum, aſſumſiſti quod non eras & dediſti mihi quod non eram. Chriſtus deſcendit de cœlo, ubi habitabat in juſtis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Iſtam caritatem ejus rumina & videbis dulciſſimam conſolationem. Si enim noſtris laboribus & afflictionibus ad conſcientiæ quietem pervenire oportet, ut quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui & operum tuorum pacem invenies. Ipſe ſuſcepit te & peccata tua fecit ſua & juſtitiam ſuam fecit tuam. Maledictus qui hoc non credit.* Selnecc. in orat. de init. & progr. Aug. Confeſſ. anno 1511. (Extant hæc verba in Epiſtola Lutheri ad Georgium Spenlein Auguſtinianum Eremitam in Conventu Memmingenſi ſcripta ex Witeberga feriâ. 3. poſt Miſericordias Domini Anno 1516. Epiſtola Lutheri integra ſic habet tom. 1. Epiſt. fol. 11. *Quid agat anima tua, ſcire cupio, utrum nunc tandem ſuam pertæſa propriam juſtitiam diſcat in juſtitia Chriſti reſpirare atque confidere. Fervet enim noſtra ætate tentatio præſumtionis in multis & iis præcipuè, qui juſti & boni eſſe omnibus viribus ſtudent, ignorantes juſtitiam Dei quæ in Chriſto eſt nobis effuſiſſimè & gratis donata, quærunt in ſeipſis tamdiu operari benè, donec habeant fiduciam ſtandi coram Deo velut virtutibus & meritis ornati, quod eſt impoſſibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinione, imo errore, fui & ego: ſed & nunc quoque pugno contra iſtum errorem, ſed nondum expugnavi. Igitur mi dulcis frater diſce Chriſtum & hunc crucifixum, diſce eï cantare & de teipſo deſperans dicere ei. Tu Domine Ieſu es juſtitia mea, ego autem ſum peccatum tuum: tu aſſumſiſti meum, & dediſti mihi tuum, aſſumſiſti quod non eras & dediſti mihi quod non eram. Cave ne aliquando ad tantam puritatem aſpires, ut peccator tibi videri nolis, imò eſſe. Chriſtus enim non niſi in peccatoribus habitat. Ideò enim deſcendit de cœlo, ubi habitabat in juſtis, ut etiam habitaret in peccatoribus. Iſtam caritatem rumina & videbis dulciſſimam conſolationem ejus. Si enim noſtris laboribus & afflictionib. ad conſcientiæ quietem pervenire oportet, ut quid ille mortuus eſt? Igitur non niſi in illo per fiducialem deſperationem tui & operum tuorum pacem invenies: diſces inſuper ex ipſo, ut ſicut ipſe ſuſcepit te & peccata tua fecit ſua & ſuam juſtitiam fecit tuam. Si firmiter hoc credas, ſicut debes; maledictus enim qui hoc non credit, ita & tu fratres tuos indiſciplinatos & adhuc errantes ſuſcipere & patienter ſuſtineas, atque ex eorum peccatis facias tua & quid boni habes, illorum eſſe ſinas.***

214. Quid quòd ipſi adverſarii non omninò poſſunt negare imputationem juſtitiæ Chriſti. *Teſtimonia adverſariorum.* Caſparus Ulenbergius in libro, qui continet cauſas, cur ad Romanam Eccleſiam ſit redeundum cauſa 14. refert, in ſacrario parochiali Eccleſiæ Colonienſis haberi librum, Ann. 1475. ſcriptum, quo ſemper ab eo tempore, nimirum ab annis centū & ampliùs in viſitandis & ad mortem præparandis ægrotis uſi ſunt presbyteri: In eo quæſtiones aliquot reperiri, quas Anshelmo tribuant, proponendas illis hominibus, qui ad mortem feliciter obeundam præparantur: Inter illas quæſtiones hanc eſſe poſtremam: *Credisne, te non poſſe ſalvari niſi per mortem Chriſti? Reſpondet infirmus, etiam: tum dicit illi. Age ergò dum ſupereſt in te anima, in hac ſola morte fiduciam tuam conſtitue, in nulla re fiduciam habe, huic morti te totum committe, hac ſola te totum contege, totum immiſce te in hac morte, in hac morte totum te involve. Et ſi Dominus Deus te voluerit judicare: Dic, Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti objicio inter me & tuum judicium, aliter tecum non contendo. Et ſi tibi dixerit, quia peccator es, dic: mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti pono inter te & peccata mea. Si dixerit tibi; quòd meruiſti damnationem, dic: Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti obtendo inter me & mala merita mea, ipſiusq; merita offero pro merito, quod ego debuiſſem habere nec habeo. Si dixerit; quòd tibi eſt iratus, dic: Domine, mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti oppono inter me & iram tuam.* (Quid verò aliud eſt, credentes involvere ſe in Chriſti morte, & merita Chriſti offerre pro merito, quod debuiſſent habere, quàm credentibus imputari Chriſti juſtitiam) Georgius Caſſander in conſult. artic. de Juſtificat. *Hoc extra controverſiam eſt juſtitiam illam, quâ juſtificamur, conſiſtere in remiſſione peccatorum, hoc eſt, cùm propter meritum paſſionis Chriſti, quam ſuſcepit noſtrâ cauſâ, peccata nobis non amplius imputantur, quod nihil aliud eſt, quàm ipſum Chriſti meritum ad remiſſionem peccatorum nobis imputari. Atque hoc eſt, quod Paulus toties inculcat, imputari nobis fidem*

ad juſtitiam, eam videlicet fidem, quâ credimus in eum, qui Chriſtum ſuſcitavit a mortuis, qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. **Bened. Arias Mont. in cap. 4. Rom. v. 5. *Conſequitur fidem reputari ad juſtitiam ei, qui non operatur in lege, idque ſecundum propoſitum gratiæ Dei.*** Albertus Piggius controv. 2. & autores Antididagmatis Colonienſis in artic. de Juſtific agnoſcunt juſtitiam noſtram nunquam poſſe eſſe talem, ut judicium Dei ſuſtineat, ideò neceſſariam eſſe imputationem juſtitiæ Chriſti. Verba Piggii hæc ſunt: *Diſſimulare non poſſumus, hanc vel primam doctrinæ Chriſtianæ* partem (de Juſtificatione) *obſcuratam magis quam illuſtratam à Scholaſticis ſpinoſis plerisque quæſtionibus & definitionibus, ſecundum quas nonnulli magno ſupercilio primam in omnibus autoritatem ſibi arrogantes & de omnibus facilè pronunciantes, fortaſſis etiam noſtram hanc damnarent ſententiam, qua propriam & quæ ex ſuis operibus eſſet coram Deo juſtitiam derogamus omnibus Adæ filiis & docuimus unâ Dei in Chriſto nitis nos poſſe juſtitiâ, nullâ illâ juſtos coram Deo deſtitutos propriâ, niſi hoc ipſum aſtruxiſſemus aliquanto diligentius.* Item: *Nam quòd non operibus noſtris, non in juſtitia noſtra, ſed in una ignoſcente iniquitates noſtras miſericordia benevolentia erga nos divina & ſalutis à Deo aſſignandæ nobis ſpes ſit Davidis teſtimonio Apoſtolus ad Romanos comprobans non aliâ juſtitiâ nisi nos poſſe, niſi quam imputari nobis abſque noſtris operibus affirmat: Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum. Non dicit, beati, qui ex operibus ſuis juſti coram Deo ſunt, Beatus vir, qui non commiſit nec fecit injuſtitiam; ſed beati, quorum a Deo miſericorditer remiſſæ ſunt iniquitates, quorum ipſe ſuâ juſtitiâ tegit & abſcondit peccata: Beatus vir cui Dominus jam peccatum (quo vix carere quis poteſt, certè nunquam caret) non imputat. Hanc ille præcurſoris pater cognitionem ſalutis prædicat, non in noſtra ipſorum juſtitiâ, quæ nulla eſt; ſed potius in noſtra injuſtitia aut peccatorum noſtrorum remiſſione poſitam, quâ ipſam etiam Paulus in ea, quam apud Antiochenos concionem de ſalutis ſumma habuit, ſic connectit cum juſtitia, ut idem prorſus eſſe oſtendat. Notum, inquit, vobis ſit, viri fratres, quod per hunc vobis remiſſio peccatorum annuncietur ab omnibus, à quibus non potuiſtis in lege Moyſis juſtificari. Hoc ergo nobis juſtificari eſt quod peccata nobis miſericorditer a Deo remitti in Chriſto. Quoniam quidem, inquit, Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans hominibus ſua delicta: Et depoſuit apud nos verbum reconciliationis. In illa ergò juſtificamur coram Deo, non in nobis; non noſtrâ, ſed illius juſtitiâ, quæ nobis cum illo jam communicantibus imputatur. Propriæ juſtitiæ inopes extra nos, in illo docemur juſtitiam quærere. Cùm, inquit, qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit; hoc eſt, hoſtiam peccati expiatricem, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo, non noſtrâ, ſed Dei juſtitia juſti efficimur in Chriſto, quo jure? Amicitia, quæ communionem omnium inter amicos facit, juxta vetus & celebratiſſimum proverbium: Chriſto inſertis, conglutinatis & unitis & ſua noſtra facit, ſuas divitias nobis cõmunicat, ſuã juſtitiam inter Patris judicium & noſtram injuſtitiam interponit, & ſub ea veluti ſub umbone ac clypeo à divina, quam commeruimus, ira nos abſcondit, tuetur ac protegit, imò eandem nobis impertit & noſtram facit, quâ tecti ornatique, audacter & ſecurè jam divino nos ſiſtamus tribunali & judicio: juſtique, non ſolum appareamus, ſed etiam ſimus. Quemadmodum enim unius delicto peccatores etiam nos factos affirmat Apoſtolus: ita unius Chriſti juſtitiam in juſtificandis nobis omnibus efficacem eſſe: & ſicut per inobœdientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ſic per obœdientiam unius juſti (inquit) conſtituentur multi. Hæc eſt Chriſti juſtitia, ejus obœdientia, quâ voluntatem Patris ſui perfecit in omnibus. Sicut contra noſtra injuſtitia, eſt noſtra inobœdientia, & mandatorum Dei prævaricatio. In Chriſti autem obœdientia quòd noſtra collocatur juſtitia inde eſt, quòd nobis illi incorporatis, ac ſi noſtra eſſet, accepta ea fertur: ita ut ea ipſa etiam nos juſti habeamur. Et velut ille quondam Iacob, quum nativitate primogenitus non eſſet, ſub habitu fratris occultatus, atque ejus veſte indutus, quo odorem optimum ſpirabat, ſeipſum inſinuavit Patri, ut ſub aliena perſona benedictionem primogenituræ acciperet: Ita & nos ſub Chriſti primogeniti fratris noſtri precioſa puritate delitescere, bono ejus odore fragrare, ejus perfectione vitia noſtra ſepeliri & obtegi, atque ita nos piiſſimo Patri ingerere, ut juſtitiæ benedictionem ab eodem aſſequamur, neceſſe eſt.* Et paulò pòſt: *juſtificat ergo nos Deus Pater bonitate ſua gratuita, qua nos in Chriſto complectitur, dum eidem inſertos innocentia & juſtitia Chriſti nos induit: quæ una ut vera & perfecta eſt, quæ Dei ſuſtinere conſpectum poteſt, ita unam pro nobis ſiſti oportet tribunali divini judicii & veluti cauſæ noſtræ interceſſorem eidem repræſentari: qua ſubnixi etiam hic obtinemus remiſſionem peccatorum noſtrorum aſſiduam: cujus puritate velata non imputantur nobis ſordes noſtræ, imperfectionum immunditia, ſed velut conſepulta conteguntur, ne in judicium Dei veniant: donec confecto in nobis, & planè extincto veteri homine, divina bonitas nos in beatam pacem cum novo Adam recipiat.* Hæc omnia Piggius veriſſimè. Ruard. Tapperus tom. 2. art. 8. p. 36. *Sicut Chriſto noſtra ſcelera a Patre ob ſpontaneam eorum aſſumtionem & corporis myſtici intimam unionem imputantur: Ita ejus juſtitia quaſi capitis nobis ejus membris ad juſtitiam & vitam æternam imputatur: poſuit enim Pater ſuper eum volentem & ſpontaneum omnium noſtrorum iniquitates & oblatus eſt, quia voluit, & maledictum & peccatum factus eſt pro nobis, juſtitia itaque Chriſti a Patre nobis imputatur, ut propter eam nos formaliter juſtos faciat à juſtitia inhærente, ſine qua nemini Chriſti juſtitia quaſi meritum imputatur, ſicut ad reconciliationem non imputatur, niſi amicis ei acceptis & reconciliatis.* (ſtabilire quidem conatur Tapperus juſtitiam inhærentem, interim non negat juſtitiam Chriſti imputatam) Vega lib. 7. de Juſtific. cap. 15. & Staplet. lib. 7. de Juſtific. cap. 9. teſtantur, *quosdam Catholicos doctrina & pietate inſignes, Colonienſes item Canonicos atque autores libelli oblati à Cæſare collocutoribus proteſtantibus in Comitiis Ratisbonenſibus ſtatuere, tantùm per imputationem juſtitiæ Chriſti quatenus fides noſtra apprehendit miſericordiam atque juſtitiam Chriſti propter meritum Chriſti, nos juſtificari coram Deo.* **Blaſius de Viega in comm. cap. 5. Apoc. p. 243. inter cauſas propter quas dicatur Agnus etiam hanc recenſet, *quod Chriſti meritis tanquam agni*

velle-

velleri induamur, quæ ratio eſt Nazianz. orat. in ſanctum paſcha. Hieronymus in cap. 53 Eſai. Non ſolùm ſanguine ſuo nos redemit, ſed etiam lanis operuit, ut infidelitate algentes ſuâ veſte calefaceret juxta illud Gal. 3. Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Idem comm. in cap. 11. Apocal. p. 465. verba Pſal. 22. in vulg. verſione. Longè à ſalute mea verba delictorũ meorum ſic explicat, quòd dicta ſint à Chriſto in perſona omnium hominum, quod appellet delicta ſua noſtra ipſorum delicta, quæ in ſe ad ſatisfaciendum ſuſceperat, quæ expoſitio (inquit) eſt D. Auguſtini. Epiſt. 120. de gratia Novi Teſt. cap. 6. Nazianz. orat. 36. Damaſcen. libr. 3. cap. 25. & libr. 4. cap. 19. Hæc Viega. Atqui ſi Chriſtus ſuſcepit in ſe peccata noſtra, utique etiam donat nobis ſuam juſtitiam. Granatenſis in meditat. de vita Chriſti cap. 33. pag. 567. In hoc manifeſtè liquet differentia laborum & dolorum Chriſti & aliorum ſanctorum. Alii enim Sancti laborârunt & paſſi ſunt pro ſeipſis, ſancti fuêre ſibi, Chriſti verò ſanctitas & paſſio ita ejus fuerunt, ut magis etiam noſtra & ſint, & dici poſſint, quod & ipſe manifeſtè declarat, cum dicit: ego ſanctifico meipſũ pro eis, ut & ipſi ſanctificati in veritate** Bellarmini confeſſionem audivimus ſuperiùs, quam quid impedit denuò repetere? lib. 2. de Juſtific. cap. 10. Dicitur Chriſtus juſtitia noſtra, quoniam ſatisfecit Patri pro nobis & eam ſatisfactionem ita pro nobis donat & communicat, cùm nos juſtificat, ut noſtra ſatisfactio & juſtitia dici poſſit &c. Et hoc modo non eſſet abſurdum, ſi quis diceret, nobis imputari Chriſti juſtitiam & merita, cùm nobis donentur & applicentur, ac ſi nos ipſi Deo ſatisfeciſſemus, modò non negetur eſſe in nobis præterea juſtitiam inhærentem &c. ** Etiamſi (inquit) per juſtitiam nobis inhærentem verè juſti nominemur & ſimus, tamen non per eam ſatisfacimus Deo pro culpis noſtris & pœnâ æternâ, ſed eſt illa juſtitia inhærens cum remiſſione culpæ & ſempiterna pœna effectus juſtificationis Chriſti, quæ ut dicit Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. nobis in juſtificatione confertur & applicatur.** Ibidem in reſp. ad tertium argumentum. Imputantur Chriſto peccata noſtra, quoad debitum ſatisfaciendi, quod ille ſponte ſuſcepit: ſic igitur & nobis imputatur juſtitia ejus, quoad ſatisfactionem, quam pro nobis præſtitit &c. Juſtitia Dei dicimur non in nobis, ſed in Chriſto, quia ipſe eſt caput noſtrum, & quod convenit capiti, convenit etiam membris, non ut ſunt diſtincta à capite, ſed ut fiunt & ſunt unum cum ipſo capite. cap. 11. reſp. ad argumentum ſecundum. Poteſt ſano modo accommodari ſimilitudo indumenti juſtitiæ imputatæ, ſi quis dicat, oportere ut induamus merita Chriſti, & illis quodammodo tecti petamus indulgentiam peccatorum cap. 7. argum. 4. imputantur nobis Chriſti merita, quia nobis donata ſunt, & poſſumus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniam Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis, noſquè Deo Patri reconciliandi. Hoc modo etiam Coſterus, in Enchirid. pag. 292. fatetur Chriſti juſtitiam nobis imputari, valet enim, (inquit) ſolutio amici pro amico & maximè talis ac tantæ dignitatis. Denique quo jure negare poterunt Chriſti juſtitiam fide nobis imputari, cùm olim plusquam certiſſimum fuerit, Monachorũ merita aliis communicari & applicari poſſe, id quod teſtantur diplomata ſolenniter hac de re confecta. Adeóne major vis pecuniæ in applicandis meritis Monachalib. quàm fidei in applicando Chriſti merito? Ipſe Bellarm. in hac luce Evangelii non veretur ſcribere libr. 1. de indulg. cap. 14. Suffragia viventium per modum meriti de congruo aliis applicari poſſe. Eodem modo ſcribit Gregor. de Valent. lib. de indulg. cap. 5. Prælati religioſorum poſſunt aliis accommodare bona opera & ſatisfactione ſuorum ſubditorum, ut cùm faciunt participes omnium bonorũ operum eos, qui de ordine ſunt benè meriti. Ita quoq; Staniſl. Hoſius de expreſſo DEI verbo tom. 2. p. 21. Mercaturam quandam docere nos Paulus videtur. Abundatis inquit vos pecuniâ & eſtis inopes juſtitiæ, contrà illi abundant juſtitiâ, & ſunt inopes à pecunia: fiat quædam commutatio: date vos piis egentibus pecuniam, quæ vobis affluit, & illis deficit: ſic futurum eſt, ut illi viciſſim juſtitiam ſuam, quâ abundant, & quâ vos eſtis deſtituti, vobis communicent. Vide Eraſm in colloquiis in cap. Funus, ubi illam meritorum Monachalium communicationem falsè deridet. Gretſer. lib. 3. de diſcipl. cap. 1. diſputat, Flagellationem opus eſſe meritorium & ſatisfactorium, cujus fructus aliis non tantùm de congruo, ſed & condigno applicari poſſit. lib. 2. cap. 11. Licitè aliquem conſtitui, qui pro alio diſciplinam faciat, eundemq; (precibus imò & munuſculo inductum) alteri ſuam ſatisfactionem applicare poſſe. Quid ergò de paſſione & obœdientia Chriſti hoc verentur affirmare? ſed ad alia tranſeamus.

Rationes 1 Juſtitia debet exactè reſpondere legi.

215. Sexta claſſis argumentorum petita eſt ex ratione 1. juſtitia debet exactè reſpondere legi. At nulla humana juſtitia exactè reſpondet legi. Pſalm. 142. Ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Cùm igitur humana juſtitia judiciũ DEI ſuſtinere non poſſit, neceſſe eſt, ut confugiamus ad Chriſti juſtitiam, quæ fide nobis imputetur, ut per eam juſti haberi ac pronunciari in divino judicio valeamus. Excipit Bellarm. libr. 2. de Juſtif. cap. 14. hoc argumentum, ſi quid probet, probare juſtitiam actualem non eſſe perfectam; nequaquam verò probare juſtitiam habitualem, quâ formaliter juſti ſumus, non eſſe ita perfectam, ut abſolutè, ſimpliciter & propriè juſti nominemur ac ſimus, cùm infuſa illa juſtitia ſit opus Dei, de cujus operibus dicitur, quòd perfecta ſint. Deut. 32. Reſp. acceptamus quòd dat, actualem juſtitiam renatorũ hoc argumento probari imperfectam, jam verò quidam ex Pontificiis ſtatuunt, actuali juſtitiâ nos formaliter coram DEO juſtificari, quod ex ſequenti 15 capite Bellarmini manifeſtum eſt, contra illos igitur validum atque efficax erit hoc argumentum. Dicimus autem tàm habitualem, quàm actualem juſtitiam nobis inhærentem eſſe imperfectam, cùm imperfectio juſtitiæ actualis arguat imperfectionem habitualis (τῆς βελτίςης ἕξεως βελτίςη ἐνέργεια ait Philoſoph. lib. 2. Ethic. ad Eudem. cap. 1. ergò à contrario ſenſu imperfectio actus arguit imperfectionem habitus, niſi fortè externum quid operationem impediat) cùmq; neutra aſſequatur ſummum perfectionis gradum in exactiſſima legis divinæ norma præſcriptum, deniq; cùm utraq; multis peccatorum ſordibus adhuc ſit contaminata, ideoq; potiùs indigeat juſtificatione, quam ut juſtificare poſſit. Neq; eſt, quod Bellarm. obvertat: Juſtitia habitualis inhærens eſt opus Dei Ergò perfecta & juſtificans? quid enim, an non primum fidei initium, primus gradus caritatis eſt opus DEI? num propterea dicendum, primum fidei initiũ eſſe fidem

perfectam, primùm caritatis gradum eſſe perfectam caritatem? Quodlibet Dei opus perfectum eſt, in ſuo ſcil. genere, non autem abſolute. Surculus non minùs opus Dei eſt, quàm arbor, ecquis tamen ſurculum pro perfecta arbore venditare velit? Juſtitia habitualis in hac vita eſt opus Dei, nondum tamen numeris omnibus perfecta, cùm *interior homo renovandus ſit de die in diem*, 2. Cor. 4. v. 16. perficietur autem in futura vita. Adde quòd operetur Deus in vitioſo & imperfecto, ſubjecto, videl. *in homine carnali & ſub peccatum venundato*, Rom. 7. v. 14. unde etiam in ipſis renatis *caro adhuc concupiſcit adverſus Spiritum*, Gal. 5. v. 17. utiq; ergò non toti ſunt ſpirituales, ſed ex parte adhuc carnales, *ac vident aliã legem in membris ſuis, quâ captiventur ſub lege peccati, ut quod volunt bonum perficere non poſſint*, Rom. 7. v. 23. Concludimus igitur, quoniam lex divina non qualemcunq; tantùm externam obœdientiam requirit, ſed ipſius etiam Naturæ integritatem & perfectam conformitatem, ideò quamdiu Natura nondũ eſt plenè renovata, fruſtrà quæri perfectionem juſtitiæ ſive habitualis ſive actualis, quod cùm non ignorent ſancti ideò deprecantur Dei judicium, orant remiſſionem peccatorum, nihil in ſeipſis inveniunt, quod Dei judicio opponere poſſint, quod vel ex hoc ipſo Regii Pſaltis effato plus quam perſpicuum: aſſerit enim, nullum hominem adeoque nec ſervum Dei, quantâlibet polleat juſtitia ſive habituali ſive actuali in conſpectu Dei juſtificari poſſe, ſi Deus cum eo jure experiri velit, quod in quæſtione de impletione legis clariſſimè evicimus & in tractatu de bonis operibus plurib. cõprobatum dabimus. Sed enim videt Bellarm. ſe in concedendo nimis liberalem fuiſſe, ideò addit, *ne quidem actualis juſtitia perfectionem hoc argumento everti. Quamvis enim* (inquit) *juſtitia actualis aliquo modo imperfecta ſit propter admixtionem venialium delictorum, & egeat quotidianâ remiſſione peccati, tamen non propterea definit eſſe vera juſtitia & ſuo etiam quodammodò perfecta.* At ſuperiùs cap. 10. dixerat, *juſtitiam inhærentem eſſe abſolutam juſtitiam, cui juſto Dei judicio non debeatur pœna ſed gloria*; quomodo verò juſtitia aliquo modo imperfecta & quotidianâ peccati remiſſione indigens eſt abſoluta juſtitia, cui juſto Dei judicio debeatur gloria? de tota hac re ſuo loco ex profeſſo agetur.

a. Qui per inhærentem juſtitiam volunt juſtificari, injuriam faciunt meritis Chriſti.

216. a. Qui per inhærentem juſtitiam volunt juſtificari, injuriam faciunt meritis & juſtitiæ Chriſti, quid enim opus fuit Chriſtum tantis doloribus ac laboribus juſtitiam comparare, ſi per noſtram inhærentem juſtitiam coram Deo conſiſtere poſſumus? adde, quòd per doctrinam de inhærente juſtitia, quæ coram Deo conſiſtat, detur occaſio ſuperbiæ. Excipit Bellarm. *Nihil detrahi Chriſti meritis, cùm ab illorum virtute & efficacia dicatur juſtitia inhærens pendere: nos autem Chriſti gloria detrahere, affirmantes eũ non potuiſſe tot doloribus ac laboribus ſuis a Patre impetrare, ut verè peccata deleret, noſq; ad veram juſtitiam reformaret.* Reſp. Faceſſant calumniæ. Toto corde credimus & ſonorâ voce profitemur, perfectam peccatorum remiſſionem & perfectam juſtitiam Chriſti precioſâ morte & ſanguine nobis partam eſſe. Sin verò hoc injurium eſt in Chriſtum, ſtatuere, quod in renatorum carne adhuc habitet peccatum, quòd juſtitia nobis inhærens ſit inſtar panni mulieris menſtruatæ, quòd quotidianâ emundatione indigeamus, ſequetur & Paulum & Eſaiam & omnes Sanctos in Chriſtum injurios eſſe. Nimirum non arguit hoc quandam paſſionis Chriſti (ut ita loquar) inefficaciam, ſed extremam Naturæ noſtræ corruptionem: neq; tamen ex eo inferri poteſt, majores tribui vires Satanæ ad nocendum, quàm Chriſto ad curandum; quod enim in hac vita non perficitur, id in æterna vita pleniſſimè perficietur: ſucceſſiva curatio non arguit impotentiam Medici, ſed gravitatem morbi. Pontificii verò an nõ ſunt in Chriſtum injurii, quod perfectiſſimæ illius juſtitiæ per fidem nobis imputatæ, noſtram imperfectam & immundam juſtitiam ad noſtri juſtificationem; perfectiſſimæ ipſius ſatisfactioni noſtram ſatisfactionem conjungere volunt? quòd præfractè negant Chriſti juſtitiam nobis imputari, quòd quidam ipſorum diſputant juſtitiam Chriſti non eſſe propriè cauſam noſtræ juſtificationis? Vide ſuperiùs §. 54. quomodo ex juſtitia operum oriatur gloriatio, oſtendimus §. 152. membr. 5. Quod Bellarmin. attexit de Luther. *omnes ſanctos Mariæ virgini æquiparante*, facilem habet explicationem. Una & eadem eſt juſtitia Chriſti, quam ex æquo omnes verè credentes fide ſibi applicant, ſed vitæ & morum ſanctitas magnum diſcrimen inter illos conſtituit, abſit enim ut quiſquam fidelium ſummis Patriarchis, Prophetis, Mariæ virgini, Evangeliſtis & Apoſtolis ratione donorum divinorum & ſanctitatis vitæ ſeſe comparet. Legantur ipſa D. Lutheri verba Dom. 2. ab Epiphan. lect. ex Rom. 12. quibus ſeſe contra adverſariorum calumnias ſatis tuetur. *Quantumvis* (ait) *inter ſe corporis membra omnia imparia ſint, & officiis atque dignitate plurimùm diſtent, in eo tamen paria ſunt, quod ejusdem corporis membra pariter exiſtunt, neque poteſt oculus ſibi plus in corpore juris vendicare, quàm contemptiſſimum quodq; membrum, neq; plus ſuum eſſe corpus affirmare, quàm cujuslibet alterius: ita habet res Chriſtianorum, qualescunq; ſint, ſive firmi fide, ſive infirmi ſive conſummati moribus, ſive morbis gravati, tantundem quilibet in Chriſto & Chriſtianiſmo poſſidet, quantũ alij. unde equidem non minùs poſſum de Chriſto gloriari, quàm divus Petrus aut virgo Deipara. Perplacet ſanè divum Petrum nobilius eſſe in Chriſti corpore membrum, quàm ſim ego, at ille rurſus me non contemnit, quod ſim humilis & abjectus, quandoquidem ejusdem corporis membrum ſum.* Rectè igitur ſcribit Thom. Morton. in Apologia Cathol. lib. 1. cap. 36. p. 132. *proteſtantes enim docent, fideles omnes æquè juſtos eſſe coram Deo, dupliciter accipiendi ſunt, vel ut intelligant, par veritatis non inæqualitatis, i. e. æquè, licet non æqualiter Chriſti membra, non tamen ſi eorum ſimpliciter inter ſe, ſed cum Chriſto capite & corpore ejus myſtico ratio habeatur: vel etiam ſecundò, ut ſignificent, non quidem juſtitiam inhærentem, quæ in ſanctificatione, ſed imputatam, quæ in remiſſione conſiſtit.* Neq; hæc explicatio ignota fuit Bellarmino, ſic enim ſcribit lib. 3. de juſtif. cap. 16. *cùm dicunt, Proteſtantes, omnes ſanctos æquè juſtos eſſe coram Deo, loquuntur de juſtitia imputativa.* Quod autem ibid. addit, *nos non agnoſcere, quòd unus ſit alio juſtior* cujus contrariũ ex dictis Scripturæ complurib. evincere nititur, id ex ſuperiorib. facilè intelligi & explicari poteſt. Non negamus ſimpliciter operũ juſtitiam, ſed eam coram

Dei

Dei judicio ſubſiſtere, noſq; ea coram Deo juſtificari negamus, ideò etiam non negamus ſimpliciter incrementa juſtitiæ habitualis & actualis, ſed juſtitiæ illius, quæ coram Dei judicio unicè ſubſiſtit & cujus conſequens demum eſt imperfecta illa operum juſtitia, illius inquam juſtitiæ omnib. credentibus ex æquo applicationem fieri docemus. Mera igitur σκιομαχία eſt, quam in hoc cap. 16. Bellar. inſtituere voluit. Juſtitiam operum tàm habitualem quàm actualem in hac vita perpetuò creſcere debere tantum abeſt ut negemus, ut ex eo potiùs argumentum ducamus contra Bellarm. quod ideò non poſſit juſtitia operum coram Deo ſubſiſtere, quia in hac vita nunquam tam perfecta eſt, quin creſcere & poſſit & debeat, ac proinde *quod adhuc deeſt, ex vitio eſt, ex quo vitio non juſtificatur in conſpectu Dei omnis vivens* Auguſt. Epiſt. 29. ad Hieron.

Pontificiorum ſententia de forma juſtificationis.

217. Atq; hæc eſt noſtra de formali cauſa juſtificationis ſententia. Quid verò de ea ſtatuunt Romanenſes? Bellarm. nos accuſat diſſenſionis in hoc cœleſtis doctrinæ capite, ſed longè rectiùs de ſuis hoc pronunciaſſet. Sive enim ipſam praxin ſive diſputationes ipſorum reſpicias, maxima utrobiq; occurrit diſſenſio. **Vos enim charitate veſtra juſti eſtis? Quanam? an erga DEUM? Atqui eum quotidiè cultu Idolorum veſtrorum offenditis, irritatis, præ caritate ſcilicet. An erga Chriſtum? atqui hunc quotidiè in Miſſa veſtra verè & realiter ſacrificatis, mortificatis, deſtruitis: O eximiam charitatem. An in Angelos & Sanctos? Atqui hos quotidiè veſtro cultu & adoratione DEO & Chriſto, quantum in vobis eſt, redditis inviſos, quaſi prævaricatores adorationis religioſæ appetentes, læſæ Majeſtatis reos. An in homines mortuos? Atqui horum alios detruditis ad inferos, alios in purgatorium ignem, unde abſq; ſufficienti λύτρῳ quo focus luculentus nobis inſtruatur, neminem dimittitis. An in vivos Clericos? Atqui de vobis jamdudum illud frequentatũ ſępiùs audiviſtis haud dubiè: Conveniunt ſine notitia: vivunt ſine amicitia, moriũtur ſine triſtitia. An laicos Catholicos ſcil. veſtros? Atqui hos præ amore excluditis ex Spiritualium numero: ex choro veſtro: ex cælo deniq; niſi ad nutum & votum veſtrum vel confitentes vobis manus impleverint: vel morituri ꝓpter legata veſtra hæredes, ſuos fraudaverint. An deniq; nos miſeros hæreticos? Atqui præ amore quotidiè nos Diabolo traditis, ferro & gladio tollendos vociferamini. Hæc igitur eſt charitas, juſtificatio veſtra prima: Hypocritæ** Quod ad praxin attinet, quidam ſeſe vocant religioſos, reliquos autem ſeculares. Inter religioſos totidem diverſæ ſunt de juſtificatione opiniones, quot extant Monachorum ordines, quilibet enim in ſui ordinis operibus ac ceremoniis ſuam quærit juſtitiam. Secularium aliqui pro juſtitia ſua habent Miſſas, alii literas indulgentiarũ, alii paſſiones Martyrum, alii opera ſupererogationis Monachorum & Monialium, alii battologias precũ, alii jejunia, alii peregrinationes &c. Diſſenſiones in Scriptis & diſputationib. de Juſtificatione ecquis enumerare poterit? Piggius & Autores Antididagmatis Colonienſis (referente Bellarmino 2. de Juſtif. cap. 1.) *duplicem juſtitiam ſtatuunt, quâ formaliter coram Deo juſtificemur; unam imperfectam, quæ in virtutibus nobis inhærentibus ſit ſita, alteram perfectam, quæ eſt ipſa Chriſti juſtitia nobis imputata.* Sed hanc juſtitiæ Chriſti imputationem reliqui manifeſtè repudiant ac putativam juſtitiam vocant. Quidam ex Pontificiis (referente Bellarmino 2. de Juſtif. cap. 15.) ſtatuunt, *juſtitiam qua coram Deo formaliter ſumus juſti, eſſe actualem*, quidam verò, quorum pars major, ſtatuunt, actualem juſtitiam ſeu bona opera nō formaliter, ſed meritoriè nos juſtificare, habituali autem juſtitiâ formaliter hominem juſtificari. ** Eraſm. in Moria. *Magna Monachorum pars in tantum ſuis nititur Ceremoniis & hominum traditiunculis, ut putet, unum cælum parùm dignum eſſe tantis meritis præmiũ. Alius oſtentabit aqualiculum omni piſcium genere diſtentum. Alius Pſalmorum centum effundet modios. Alius jejuniorum myriadas annumerabit & toties unico prandio penè diſruptam immutabit alvum. Alius tantum Ceremoniarum acervum proferet, quantus vix ſeptem onerariis navibus vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquam attactam pecuniam, niſi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret adeò ſordidam & craſſam, ut nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius ſe plusquam undecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe, ſemper eidem affixum loco. Alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet, alius lethargum ſolitudine contractum, alius linguam jugi ſilentio torpentem. At Chriſtus, unde nam hoc inquiet novum genus Iudæorum? Vnicam ego legem verè meam agnoſco, de qua ſola nihil audio & olim pàlàm, nulloque parabolarum involucro miens paternam hereditatem pollicitus ſum, non cucullis, preculis aut inediis, ſed fidei & caritatis officiis. Nec eos agnoſco, qui ſua facta nimis agnoſcunt. Iſti qui me quoque ſanctiores videri volunt, Abraxaſiorum cælos, ſi libet, occupent, aut ab his ſibi novum extrui cælum jubeant, quorum traditiunculas meis præceptis antepoſuerunt.*** Diſpoſitiones ad juſtificationem plerique Pontificii Scholaſticorum opinionem ſecuti vocant *merita ex congruo*, ſed Dominicus à Soto hoc præfractè negat, cujus rationes ſolvere conatur Bellarm. libr. 1. de Juſtif. cap. 21. Ejuſmodi diſpoſitiones ex Concil. Trid. Bellarm. enumerat ſeptem, ſed Cenſ. Colonienſ. p. 117. dicit, *præter illas ſeptem eſſe multa alia, quæ longum foret enumerare.* Ad diſpoſitiones illas quidam ſpeciale DEI auxilium ſtatuunt eſſe neceſſarium, quidam verò negant. Roffenſis in lib. adv. Luth. *Scholaſtici hac in re* (de præparatione ad gratiam) *mutuò ſibi pugnant. Patres enim aſſerunt, neminem poſſe quicquam boni velle ſine ſpeciali Dei auxilio, nec ſufficere generalem illum influxum: nonnulli contrà Scholaſtici ſic contendunt, hunc ſufficere, ut quis abſque illo auxilio benè moraliter agere & bonum facere poſſit, non ſolùm ex genere, verùm etiam quod debitis undiq; circumſtantiis ornatum ſit* (Notat autem Roffenſis Scotum, Occamum, Bielem & alios) Latomus in ſuis Scriptis contra noſtram doctrinam editis ſtatuit. *Homines primum per legem Naturæ juſtificatos & ſalvatos eſſe, poſtea per legem Moſis in monte Sinai promulgatam, denique per legem Chriſti, nec Abrahamum aliam de Chriſto doctrinam habuiſſe, quam Socrates, Plato vel quiſquam Ethnicus habuit.* In eandem opinionem propendent Andradius, Eraſmus, Lud. Vives in lib. 18. Auguſt. de civ. DEI. cap. 47. &c. Sed reliqui eam repudiant, uti par eſt. Certitudinem gratiæ & juſtitiæ pleriq; omnes negant, ſed Ambroſ. Catharin. eam ſtabilit,

cui ſe opponit Bellar. lib. 3. de juſtif. cap. 3. Nicol. Sander. lib. 2. de juſtif. cap. 1. p. 170. *Cauſa formalis noſtræ juſtificationis eſt juſtitia, hujus initium & inchoatio prima eſt fides* p. 170. *ſed non tota formalis juſtitia in fide ſola conſiſtit vel per ſolam fidem apprehenditur, ſed oportet etiam nos uti caritate in apprehendenda juſtitia.* p. 172. *juſtitiam non minus apprehendit dilectio, quam fides, imo longè magis.* Eod. verè modo ſcribit Hoffmeiſt. in 4. art. Auguſt. confeſſ. *fidem juſtificare quâ tanquam inſtrumento remiſſio peccatorum & renovatio interioris hominis & vitæ accipiuntur, habentur & retinentur* (at Bellarm. hoc non feret, ſic enim ſcribit 1. de Juſtif. cap. 16. circa medium. *Fides non dicitur propriè apprehendere. Apprehenſio enim cùm refertur ad intellectum, propriè eſt cognitio rei prout in ſpecie repræſentatur &c. Eadem ratio eſt de fiducia, ſi per fidem fiduciam intelligi velius. Confidere enim non eſt apprehendere, ſed firmiter adhærere rei apprehenſæ,* & cap. 17. *Non apprehendit fides juſtitiam Chriſti, ſed ipſa fides in Chriſtum eſt juſtitia.* Et poſteà: *Juſtificatur homo ex fide, non quia fides tantùm reſpicit promiſſionem & illam credendo apprehendit ſed quia remiſſionem impetrat & ſuo quodam meretur.* Disertè negat Bellarm. fidem apprehendere & apprehendendo juſtificare) Quærimus autem ex Sandero, quid apprehendat fides in juſtificatione? certè non inhærentem juſtitiam, ſed Chriſti obœdientiam & ſatisfactionem, quæ eſt proprium ejus in actu juſtificationis objectum: Præterea ſi fides & caritas juſtificant apprehendendo juſtitiam, certè infuſus ejus habitus non erit ipſa formalis juſtitia: Si fides apprehendendo juſtificat. Ergò non ut inhærens qualitas. Tiletanus in confut. confeſſ. Antverp. cap. de Juſtif. ſtatuit, *Ob juſtitiam Chriſti excitari in mente noſtra quandam delectationem & dilectionem juſtitiæ, atq; hanc eſſe formaliter juſtitiam, qua juſtificamur.* Ruardus Tapp. art. 8. de Juſtif. p. 8. *Juſtitia fidei eſt multiplex, eſt enim juſtitia fidei habitualis, quæ à Deo infunditur per Spiritum inhabitantem & facit Naturæ divinæ conſortes ac filios Dei, alia eſt quæ acquiritur ex operũ fidei frequentia, & ideo dicitur juſtitia acquiſita, manens in peccatore: eſt & actualis, quæ eſt rectitudo operum juſtitia. Omnis autem juſtitia eſt & operum, quia ex operibus perficitur & gignitur, ex operibus autem quæ ex Spiritu Dei procedunt, ſed retributio fiet ſecundùm juſtitiam operum, parvulis autem & adultis, qui tempꝰ operandi non habuerunt, retribuetur juxta merita Chriſti, juxta proportionem tamen ad ejus imaginem, hoc eſt, Dei ſimilitatem* (atqui Scriptura unicam tantum coram Dei judicio conſiſtentem juſtitiam novit, videl. juſtitiam fidei ſive juſtitiam Chriſti fide apprehenſam: omnem juſtitiam eſſe operum juſtitiam, ne ipſe quidem Bellarm. concedet, qui inter habitualem & actualem juſtitiam operosè diſtinguit) Sed enim cùm imperfectio & habitualis & actualis juſtitiæ ex Scripturæ & experientiæ teſtimonio ſatis ſit conſpicua, ideò varia quærunt remedia. Lombardus, cùm animadverteret, caritatem noſtram nõ poſſe ſuſtinere formam juſtitiæ coram Deo, fingit, *caritatem in nobis eſſe ipſum Spiritum ſanctum:* lib. 1. ſent. diſt. 17. ſect. 2. & ſeqq. (Bellarmin. lib. 1 de grat. & lib. arbitr. cap. 8. Lombardi ſententiam ſic interpretatur, quòd ſtatuerit, *cauſam ſive principium proximum dilectionis Dei eſſe in nobis Spiritum ſanctum immediatè agentem, non autem habitum aliquem creatum*, fatetur tãmen hanc Lombardi ſententiam ab omnibus Scholaſticis, præſertim verò Thom. in 2. 2. q. 23. art. 2. acriter refelli. Occamus Lombardi ſententiam ſic interpretatur, quòd ſtatuerit, *rationem formalem propter quam actus dilectionis dicatur meritorius eſſe gratuitam Dei voluntatem, quæ eſt Spiritus ſanctus*) Gropperus fatetur, opera caritatis noſtra eſſe imperfecta, ac proinde in illis nõ poſſe conſtitui cauſam formalem juſtitiæ coram Deo, *conſiderandam igitur eſſe caritatem ut donũ Dei & Spiritus ſancti, & hoc modo eſſe formalem juſtitiam.* Sic & Hoſius ſcribit, opera caritatis eſſe imperfecta, *ſed habitum caritatis in credentibus eſſe perfectum & illam eſſe formam juſtitiæ noſtræ.* At ſi opera caritatis ſunt imperfecta, quomodo juſtificatio ſecunda in illis poterit quæri? agnoſcunt hoc recentiores, ideò diſputant, non *ſolùm habitum caritatis ſive habitualem juſtitiam, ſed etiam opera caritatis ſive actualem juſtitiam eſſe perfectam*, in quorum numero eſt Bellar. lib. 2. de Juſtif. cap. 14. Diverſimodè autem illud explicant; quidam dicunt, *juſtitiam actualem, quamvis aliquo modo ſit imperfecta propter admixtionem venalium delictorum, tamen non deſinere eſſe veram juſtitiam & ſuo etiam quodammodo perfectam & abſolutam* (nimirum in ſe ac per ſe, cùm ex ipſorum hypotheſi venialia peccata non ſint propriè dicta peccata, nec contra legem ſed præter legem fiant) Quidã verò modeſtiores diſputant, quod *operibus noſtris deeſt, illud ſuppleri per Chriſti ſatisfactionem, ac proinde bona opera juſtificare, non per ſe, ſed quatenus tincta ſunt Chriſti ſanguine* (atqui Chriſtus non eſt paſſus pro noſtris bonis operibus, ut illis meritum & vim juſtificandi impetraret, ſed pro peccatis noſtris, ut gratuitam illorũ remiſſionem fide obtinendam nobis promereretur: Nec opera noſtra ſunt tincta ſanguine Chriſti, ut nos juſtificẽt, ſed ut Deo placeant propter meritũ Chriſti, quod à ſanguinis ipſius effuſione pendet: nec juſtificamur propter opera ſanguine Chriſti tincta, ſed propter ſanguinem Chriſti opera illa tingentem & nos mundantem à peccatis) Solenne eſt Pontificiis ſcriptoribus ſtatuere duplicem juſtificationem, primam quando ex injuſto quis fit juſtus, ex peccatore bonus: Secundam quando juſtus majori juſtitiâ augetur: ſed Salmeron diſp. 9. in Epiſt. ad Rom. p. 95. novam quandam juſtificationem introduxit. *Juſtificari* (inquit) *eſt juſtum fieri, ſive ex juſto, quomodo Chriſtus & Angeli & primi parentes extiterunt, ſive ex injuſto, ut omnes nos qui concipimur & naſcimur in peccato originali.* Poſtea addit, *B. virgo medio quodam modo juſtificata eſt, non enim ex juſto, ut Chriſtus & alii dicti juſtificata eſt, neq; ex injuſto, ut omnes nos, quia actu peccatum non habuit, ex quo contracto ſublevaretur ad juſtitiã, ſed ex debito peccatum contrahendi erecta fuit in juſtitiam, quod eſt medium inter illa duo dicta.* Idem tom. 13. auctarii p. 342. alio reſpectu tertiam juſtificationem ſtatuit. *Præter primã* (ait) *& ſecundam juſtificationem, eſt adhuc tertia, cùm quis ſententia judicis abſolvitur & pronunciatur juſtus, quæ non niſi poſt hanc vitam contigit.*

218. Nobis res erit cum Bellarm. Is lib. 2. de Juſtif. cap. 2. repetit verba Concilii Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. *Unica formalis cauſa* (juſtificationis, *eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu* *Bellarmini ſententia de forma juſtificationis.*

mentis

mentis noſtra & non modo reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus &c. Id in hâc impy juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctiſſ.mæ paſſionis merito per Spiritum S. caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui juſtificantur, atq; ipſis inhæret, unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem & caritatẽ. Ex his Conc. Trid. verbis ita format Bellarm. ſtatum controverſiæ. *Sit ne formalis cauſa abſoluta juſtificationis juſtitia nobis inhærens an non.* Agnoſcimus rectè formatum controverſię ſtatum, ſed præterquam quòd in vocabulo abſolutæ juſtificationis lateant inſidiæ, non immeritò quærimus, cur Tridentini Concilii Patres unicam formalem cauſam juſtificationis in inhærente juſtitia ſtatuentes, ſeparatim faciant mentionem remiſſionis peccatorum & infuſionis gratiæ? Non ſatisfaciat Bellarm. reſpondens, *indicari duos terminos ejuſdem motus, videl. deletionem peccati & infuſionem juſtitia.* Præterquam enim quòd remiſſio peccatorum minùs rectè definitur per totalem deletionem culpæ, an non ipſe Bellarm. ſæpè repetit, præſertim verò 2. de Juſtif. cap. 13. ſtatim in principio, *remiſſionem peccati eſſe ipſius iniquitatis & macula in animo reſidentis per infuſionem gratia & juſtitia mundationem.* Si remiſſio peccati fit per infuſionem juſtitiæ, ſicut tenebræ fugantur per Solis lumen, quomodo remiſſio peccatorum & infuſio juſtitiæ, ita diſtingui poterunt, ut conjuncta & non prorſus eadem ſtatuantur? *Sicut aer* (verba ſunt Bellarmini 2. de Juſtif. cap. 2.) *cùm illuſtratur à Sole per idem lumen quod recipit, deſinit eſſe tenebroſus & incipit eſſe lucidus: ſic etiam homo per eandem juſtitiam ſibi à Sole juſtitia donatam atq; infuſam deſinit eſſe injuſtus, delente videl. lumine gratia tenebras peccatorũ & incipit eſſe juſtus ſuccedente nimirum tenebris peccatorum ipſâ juſtitia luce.* Statuit igitur Bellar. in Juſtif. *priùs fugari peccata, poſtea ſuccedere infuſionem gratia:* Sed Coſterus affirmat, *priùs infundi gratiam, quâ deinde expellantur peccata:* nimirum Coſterus ſequitur Thomam, qui 1. 2. q. 113. artic. 8. ſcribit: *Ordine Natura prior eſt infuſio gratia, quia in quolibet motu naturaliter primum eſt motio ipſius moventis; ſecundò motus ipſius mobilis, tertiò terminꝰ motus: Dei moventis motio eſt gratia infuſio. motus mobilis eſt duplex motus liberi arbitrij, terminus eſt remiſſio culpa.* Hactenus Thomas. Quicquid ſit, allata Bellarmini ſimilitudo peccat ratione diſparitatis. Neq; enim remiſſio peccatorum, quatenus talis, eſt in prædicamento qualitatis ſed relationis, ut ſuo loco demonſtravimus, non eſt totalis peccati deletio, ſed eſt ejus ad reatum non imputatio: quomodo ergò ex remiſſione peccatorũ, quę eſt in prędicamento relationis, & infuſione gratię, quæ eſt in prædicamento qualitatis, unica formalis cauſa Juſtificationis conficeri poteſt? Sanè conjuncta eſt remiſſioni peccatorũ renovatio ſive ſanctificatio (q̃ Bellarm. vocat *gratia infuſionem*) ſed illa renovatio & ſanctificatio non eſt ſtatim perfecta, cùm *interior homo renovandus ſit de die in diem* 2. Cor. 4. v. 16. cùm renati jubeantur *perficere ſanctificationem* 2. Cor. 7. 1. & *vetus fermentum expurgare* 1. Cor. 5. v. 7. cùm renati quotidiè cum prava concupiſcentia pugnare & peccatorũ remiſſionem flagitare cogantur &c. Ergò per infuſionem gratiæ ſeu renovationem non ita fugantur peccatorum tenebræ, ut intellectus totus fiat lucidus, voluntas tota perfectè ſanetur, cor plenè mundetur ab omnibus vitioſis affectibus &c.

219. Statuit igitur Bellarm, juſtitiam inhærentem ſive renovationẽ eſſe formalem cauſam juſtificationis. Sed meritò quærimus, quo jure eam appellet infuſionem gratiæ? Scriptura certè nuſpiam ſic loquitur. Agnoſcimus dona & effectus gratiæ quandoque μετωνυμικῶς vocari gratiam: agnoſcimus etiam de donatione Spiritus S. uſurpari *Effundendi* vocem Rõ. 5. v. 5. Tit. 3. v. 6. Sed quòd gratia juſtificans nobis infundatur, id verò nuſpiam Scriptura aſſerit, cùm per gratiam juſtificantem non intelligatur quippiam formaliter nobis inhęrens, ſed gratuita Dei miſericordia propter Chriſtum Mediatorem peccata remittentis, ut ſuperiùs comprobatum dedimus. Pręterea per hanc infuſionem gratiæ (gratum facientis) intelligit Bellarm. *habitum caritatis:* ita enim exponit ſuam ſententiam lib. 1. de gratia & lib. arb. cap. 6. *Quatuor* (inquit) *ſunt apud Theologos* (Scholaſticos) *ſententia de diſtinctione gratia gratum facientis & habitus caritatis. Quidam volunt gratiam gratum facientem eſſe habitum & re & ratione à caritate diſtinctum & gratiam quidem in ipſa anima ſubſtantia tanquam in ſubjecto ſedem habere, caritatem autem in voluntate. Alij diſtinctionem inter gratiam & caritatem non realem, ſed formalem conſtituunt. Alii gratiam & caritatem neq; reipſa neq; formaliter, ſed ratione tantum diſtinguunt. Alii deniq; nihil omninò intereſſe volunt inter gratiam & caritatem ſoloq; nomine diſtingui affirmant:* repudiatis opinionib. reliquis Bellarm. amplectitur tertiam, videl. quòd caritas & gratia gratũ faciens non diſtinguantur vel realiter vel formaliter, ſed ſolo λόγῳ. Quod ſi infuſio gratiæ & infuſio caritatis ſunt in juſtificatione ταυτό τι, meritò quæritur, cur dilectionem inter diſpoſitiones ad juſtificationem referat? lib. 1. de juſtif. cap. 13. Quod in ipſa juſtificatione demum infunditur, id non poteſt inter diſpoſitiones juſtificationem pręcedentes referri? Si dicatur caritatem, ut eſt actus, diſponere ad juſtificationẽ, infundi autem in ipſa juſtificatione, ut eſt habitus, meritò quæritur an actus ille caritatis ad juſtificationem diſponens procedat ex puris liberi arbitrii viribus, an verò ex gratia Spiritus ſancti? priùs aſſerunt Scholaſtici, ſed Bellarm. cooperationem gratiæ & liberi arbitrii amplectitur lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 15. Ergò ſi actus caritatis ante juſtificationem requirit divinam Spiritus S. gratiam, quomodo in ipſa juſtificatione demum infunditur gratia? Si dicatur, eſſe gratiam quandam excitantem, quandam adjuvantem, quandã infuſam, petitur principium, de eo enim quæritur, an in ipſa juſtificatione infũdatur gratia, quâ formaliter juſtificemur? Non negamus gratiam Dei non ſolùm remittere peccata, ſed etiam Naturam noſtram in converſione renovare, ſed renovationem illam vocandam eſſe infuſionem gratiæ gratum facientis, id verò eſt, quod totis viribus negamus & impugnamus.

An juſtificatio dicenda ſit gratia infuſio.

220. Sed redeamus ad quæſtionem propoſitam. Accuſat Bellarm. in hoc 2. capite lib. 2. de Juſtif. Dn. Chemnitium, quòd non rectè formâverit controverſiæ ſtatum. *Notandum eſt,* (inquit) *Chemnitium more ſuo fraudulenter admodũ proponere ſtatum quaſtionis de formali juſtificatione. Dicit n. id in controverſiã vocari, quod ſit id, pro-*

An Dn. Chemnitius rectè formaverit ſtatum controverſia.

pter quod Deus hominem in gratiam recipiat? an ſit meritum Filii, an inchoata in nobis novitas? ubi primùm de induſtria loquitur impropriè, ut confundere poſſit cauſam formalem cum meritoria, nã ſi quis propriè loqui velit, non utetur voce Propter, ſed Per, cùm formalem cauſam deſignare voluerit: deinde in eo quoq; fraudulenter egit, quod merito Filii Dei oppoſuit è regione inchoatam renovationem noſtram. Remotis igitur fraudib. & ambiguitate verborũ dicimus, ſi illud Propter ſignificet cauſam formalem, nos juſtificari propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum Chriſti, quod inhærere non poteſt. Si verò ſignificet cauſam meritoriam, nos juſtificari dicemus propter meritũ Filii Dei, non propter novitatem nobis inhærentem. Si deniq; ſignificet cauſam in communi, aſſeremus juſtificari hominem propter utrũq; ſed propter meritum Filii Dei meritoriè, propter novitatem nobis inhærentem formaliter. Hactenus Bellarminus, cui reſpondemus, D. Chemnitium rectè formâſſe ſtatum quæſtionis. Quando enim in veris ac ſeriis conſcientię angoribus peccator coram tribunali DEI conſiſtens à lege accuſatur, ibi quærit, ad quid ipſi reſpiciendum ſit, in quo debeat fiduciam collocare, propter quid debeat ſtatuere, ſe in gratiam recipi? ubi dicimus nos, debere eũ ſeſe ad Chriſti obœdientiam & ſatisfactionem convertere, ac firmiter credere, quòd propter illam in gratiam recipiatur & juſtificetur. Pontificii eum deducunt ad proprias diſpoſitiones, ad infuſos habitus, ad opera caritatis, &c. Sic ergò adducunt mentes hominum à paſſione, merito & obœdientia Jeſu Chriſti, ſubducunt ex oculis gratuitam promiſſionem Evangelii de remiſſione peccatorum & jubent quærere in nobis qualitates, quæ legi divinæ congruant & DEI judicio opponantur. Nec peccatori contrito proponimus paſſionem & opera Chriſti, ut in illo quærat & apprehendat juſtitiam ſuam: Pontificii proponunt ei opera & ſatisfactiones proprias, ut in illis ſuam quærat juſtitiam. Ceterùm πρῶτον ψεῦδος exceptionis Bellarminianæ conſiſtit in eo, quòd ſtatuit, juſtificationem non eſſe actũ quendã judicialem, ſed infuſionem juſtitiæ, cui Chriſtus precioſo ſuo merito hoc impetrârit, ut eoràm DEI judicio ſubſiſtere poſſit, quâ de re quid ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus patet, & ſuo loco plenius diſcutietur. Dicimus igitur, ſi juſtificationis cauſa quæratur in nobis ipſis in habitib. nobis inhærentib. ac in operib. noſtris, tum coincidere cauſam meritoriam & formalem. Quamprimùm enim noſtri habitus ac noſtra opera ſtatuuntur formalis cauſa juſtificationis, utiq; etiam reipſa meritum quoddam illis tribuitur, unde diſertè dicunt Pontificii, *diſpoſitiones noſtras eſſe merita de congruo; opera noſtra eſſe merita ex condigno*: ac proinde ſi quæritur, propter quid homo juſtificetur, tum non ſolùm reſpondent, propter meritum Filii DEI (ut h. l. Bellarmin. reſpondet) ſed etiam propter ſua merita, modò velint θεῖον ſuam φυλάττειν. Inde Petrus à Soto in Scholiis ad confeſſ. Wirt. tit. de Juſtif. expreſsè ſcribit: *Propter has virtutes (fidem, ſpem, caritatem) intrepidè Catholica fides hominem juſtum eſſe corã Deo confitetur.* Nos autem diſtinctè reſpondemus. Si enim quæritur propter quid homo juſtificetur? reſpondemus unicè propter Chriſtum Mediatorem, nec ullum aliud agnoſcimus meritum propriè dictum. Si quæritur, per quid juſtificetur? reſpondemus per Chriſtum fide apprehenſum; ſive quod idem eſt, fide Chriſtum apprehendente: loquimur enim de fide, non ut eſt abſoluta quędam qualitas nobis inhærens, ſed ut juſtitiam Chriſti apprehendit, ſibiq; applicat. Quamvis enim meritum Chriſti nobis inhærere non poſſit, ut Bellarm. ſcribit, tamen per fidem nobis à DEO imputari poteſt, ſicut Chriſto Mediatori imputata ſunt peccata noſtra: utrumque igitur juſtitiæ Chriſti tribuimus, quod ſit cauſa Juſtificationis meritoria, & quod ſit cauſa ejuſdem formalis, nimirum ratione applicationis, quatenus per fidem nobis imputatur.

221. Non igitur noſtra, ſive habitualis, ſive actualis, ſed Chriſti juſtitia eſt id, quod DEUS in juſtificatione reſpicit, ac propter illud hominem à peccatis abſolvit, quæ vocatur *Dei juſtitia* non legaliter ſed evangelicè. 1. quia à Chriſto Filio DEI parta. 2. quia credentibus à DEO donatur & imputatur, unde vocatur *Juſtitia ex Deo*. Phil. 3. v. 9. quæ eſt ratio Auguſtini. **qui de Spiritu & lit. cap. 9. ſcribit: *Nõ dixit* (Apoſtolus) juſtitia hominis *vel* juſtitia propriæ voluntatis, *ſed* juſtitia DEI, *non quâ Deus juſtus eſt, ſed quâ induit hominem, cùm juſtificat impium.* cap. 11. *Hæc eſt juſtitia Dei quæ in Teſt. Veteri revelata in novo revelatur, quæ ideò juſtitia Dei dicitur, quod impartiendo eam, juſtos facit.*** 3. quia *à promiſſione originem habet, & cùm promiſſum redditur, juſtitia Dei appellatur*, quæ eſt Ambroſii ratio in cap. 1. Rom. & 4. quia coram DEI judicio ſubſiſtit; dicitur etiam *Juſtitia fidei*, quia cùm non in nobis, ſed extra nos, in merito ſc. Chriſti fundamentum ſuum habeat, per fidem tamen nobis à DEO imputatur, idq; ex gratia, unde hæc juſtitia per *miſericordiã Dei* aliquoties in Scripturis explicatur Dan. 9. v. 17. & 18. quod ut manifeſtiùs evadat, explicandę ſunt variæ ſpecies juſtitiæ. Eſt enim primò *juſtitia rationis ſeu philoſophica*, eaq; vel *univerſalis*, quæ reſpicit legem Naturæ & dictamen rectæ rationis, adq; conformat vel conformare nititur actiones interiores & exteriores, vel *particularis*; quæ ſuum cuiq; tribuit. Vide Ariſtot. 5. Eth. c. 4. Deinde eſt *juſtitia legis*, ſed ea diverſimodè conſideratur. Quædam enim eſt καθ' ἀλήθειαν perfecta legis impletio, qualis eſt juſtitia Chriſti & primi Adami: quædam v. κατὰ δόξαν tantũmodò eſt impletio legis, qualis erat juſtitia Phariſæorum, qui exiſtimabant per qualemcunq; externam obœdientiam Legi ſatisfieri; à qua non multum abeſt perſuaſio illa, quod renati in hac vita pfectè impleant legem, quòd concupiſcentia in renatis reliqua non ſit peccatum, quòd venialia peccata nõ ſint propriè dicta peccata. Quædam verò legis juſtitia eſt & reipſa & hominum ſententiâ imperfecta, qualis eſt juſtitia novę obœdientię in renatis, qui renovati Spiritu mentis ſuæ legi obœdientiam præſtare ſtudent, interim tamen peccatũ in carne adhuc habitans & quotidianos lapſus agnoſcunt. Eſt etiam juſtitia certi cujuſdam *facti*, quam alii vocant juſtitiam *cauſæ*, eamq; à juſtitia *perſonæ* diſtinguendam eſſe monent. Sic David Pſ. 7. v. 9. orat, *Domine judica me ſecundùm juſtitiam meam.* Hæ ſpecies legalis juſtitiæ accuratè ſunt diſtinguendæ, neq; enim Philoſophica, nec Phariſaica, nec ipſa renatorum juſtitia corã DEI judicio cõſiſtit, ſed juſtitia Chriſti per fidem nobis imputata. Refero huc inſignem locum ex D. Luth. in comm. c. 1. Gal. ſtatim in princ. *Multi-*

Varia ſpecies juſtitia.

plex

plex eſt juſtitia, quædam eſt Politica, quam Cæſar, Principes mundi, Philoſophi & Iuriſconſulti tractant. Alia eſt ceremonialis, quam docent traditiones humanæ. Præter has eſt alia quædam juſtitia Legalis ſeu Decalogi, quam Moſes docet, hanc & nos docemus poſt doctrinam fidei. Ultra & ſupra has omnes eſt Chriſtiana juſtitia, quæ diligentiſſimè diſcernenda eſt ab illis ſuperioribus. Sunt n. ſuperiores huic prorſus contrariæ, tum quod fluunt ex legibus Cæſarum, traditionib. Papæ & præceptis Dei, tumq; verſantur in noſtris operib. & à nobis fieri poſſunt ſive ex puris naturalib. (ut Sophiſtæ loquuntur) ſive etiam ex dono Dei (ſunt enim & hæ juſtitiæ operũ dona Dei, ut alia bona quæ habemus) iſta autẽ excellentiſſima juſtitia nempe fidei, quam Deus per Chriſtum nobis abſq; operibus imputat, nec eſt Politica, nec Ceremonialis, nec Legis divinæ juſtitia, nec verſatur in noſtris operibus, ſed eſt planè diverſa, h. e. merè paſſiva juſtitia (ſicut illæ ſuperiores activa) ibi enim nihil operamur, aut reddimus Deo, ſed tantùm recipimus & patimur alium optantem in nobis, ideò libet illam fidei ſeu Chriſtianam juſtitiam appellare paſſivam juſtitiam &c.

Argumenta Bellarmini pro Iuſtitia inhærente ſtabilienda 1. Roman. 5. opponitur injuſtitia Adæ & juſtitia Chriſti.

222. Sed audiamus, quomodo Bellarminus probet inhærentem non autem imputatam Chriſti juſtitiam eſſe formalem noſtræ juſtificationis cauſam. Lib. 2. de juſtificat. cap. 3. producit hæc argumenta. 1. Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiã gratiæ, & donationis & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Ieſum Chriſtum &c.* Ex quo loco colligit, *Iuſtificari per Chriſtum non eſſe haberi aut pronunciari juſtum, ſed verè fieri & conſtitui juſtũ per adeptionem inhærẽtis juſtitiæ*, quod patere dicit ex phraſi conſtitui juſti, quod eſt, juſtum fieri: & ex antitheſi Adami ad Chriſtum. Reſp. De hoc loco Apoſtoli egimus ſuperiùs §. 11. 26. & 29. ubi oſtendimus Juſtificandi verbum itidem in forenſi ſignificatione hîc accipi; conferri autẽ primum & ſecundum Adamum, ſive Chriſtum, non quoad ſimilem modũ derivationis juſtitiæ & injuſtitiæ, ſed tantùm quoad amplitudinẽ utriuſq; extremi: quod alii ſic efferunt, *Collationem inſtitui juxta rem, non autem juxta rei modum ſive attributionem.* Quòd Bellarminus hoc loco addit, juſtitiã illam, quę injuſtitię Adami opponitur, & quam per Chriſtum conſequimur, eſſe abſolutã & perfectam juſtitiam, cùm nominetur abundãtia juſtitiæ, id τοῖν ἀμφοῖν amplectimur; addimus autẽ inhærentem juſtitiã noſtram à Chriſto nobis per Spiritum S. donatam non eſſe tam perfectam & abſolutam, ut injuſtitiæ per Adamum in nos propagatæ opponi poſſit, cùm de inhærente noſtra juſtitia dicatur, quòd ſi *velut pannus mulieris menſtruatæ* Eſa. 64. v. 6. cùm *coram Deo nemo innocens pronuncietur* Exod. 34. v. 7. cùm *peccatum adhuc habitet in carne renatorum* Rom. 7. v. 18. cùm *mendaces ſint, qui ſe peccatum habere negent* 1. Joh. 1. v. 8. cùm ſanctiſſimi quique *peccatorum remiſſione* ſeſe indigere & humiliter & veraciter confiteantur Pſal. 32. v. 6. quæ omnia evidenter demonſtrant, nec habitualem nec actualẽ renatorũ juſtitiam eſſe perſectam & abſolutam, requiri igitur juſtitiã, quæ judicio Dei & injuſtitiæ Adami in nos propagatæ opponatur, ea verò non eſt alia, quam ipſa Chriſti juſtitia per fidem nobis imputata.

2. Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.

223. 2. Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit propitiatorium per fidem in ſanguine ejus.* Ubi *per gratiam intelligitur juſtitia nobis donata & infuſa.* Reſp. De hoc loco itidem ſatis prolixè diſſeruimus ſuperiùs §. 18. ubi exceptiones Bellarmini diſcuſſimus, hâc vice monemus Apoſtolum disertè dicere, nos juſtificari διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως, per redemtionem, quæ eſt in Chriſto. Jam verò diſputantem audivimus Bellarminum ſuperiùs, *particulam PER propriè denotare cauſam formalem*, conſequens igitur fuerit, formalem cauſam juſtificationis eſſe redemtionem Chriſti, nimirum per fidem nobis imputatam, ideò enim addit Apoſtolus verſ. 25. *quem* (Chriſtum) *propoſuit DEUS propitiatorium* διὰ τῆς πίστεως, *per fidem in ſanguine ejus.* Monemus etiam gratiam illam, quâ nos hoc loco juſtificari Apoſtolus pronunciat, opponi *juſtitiæ legis.* Roman. 3. v. 21. & ipſis *Abrahæ* renati *operibus.* Roman. 4. v. 4. quomodo ergo infuſam gratiam ſive inhærentem juſtitiam denotare poterit? Reliqua ex ſuperioribus manifeſta ſunt; Ambroſius in hoc loco *gratiam illam, quâ juſtificamur, dicit eſſe in Chriſto.* Theoph. ibidem. *Juſtificantur omnes gratis gratiâ Dei, quæ gratia per redemtionem fit, hoc eſt, perfectam libertatem, quam operatus eſt Chriſtus, ipſe enim ſe in pretium redemtionis dans, juſtificavit nos.*

3. 1. Cor. 6. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis.

224. 3. 1. Cor. 6. *Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri*, ex quo loco patet, juſtificationem continere & purgationem & ſanctificationem. Reſp. 1. demus ex hypotheſi, deſcribi hoc loco & peccatorum remiſſionem & interiorem renovationem individuo nexu eidem conjunctã, num verò ſtatim ſequitur, has eſſe duas juſtificationis partes? non omnia quæ invicem conjuncta ſunt, ut partes eſſentiales conjuncta ſunt. 2. Fatemur utrumque eſſe Chriſti beneficium, tàm peccatorum remiſſionem, quàm renovationem, interim tamen negamus, utrumque ad formam juſtificationem referendum eſſe, cùm per ſolam peccatorum remiſſionem & juſtitiæ Chriſti imputationem juſtificatio definiatur. 3. Si accurata textus conſideratio adhibeatur, apparebit, triplici accuſationi antegreſſæ tria hæc tanquam ſubordinata opponi; ſordibus ſcilicet ablutionem, contaminationi ſanctificationem, reatui, quem in præcedentibus Apoſtolus expreſſerat his verbis: *Regnum Dei non hæreditabunt*, opponi juſtificationem. 4. Notanter dicit Apoſtolus, *Iuſtificationem fieri in nomine Chriſti*, quod Actor. 4. verſ. 12. ſic exponitur, *non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Actor. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. 13. verſ. 38. *Per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur & ab omnibus, à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari*: Ergò juſtificatio in nomine Chriſti eſt remiſſio peccatorum per & propter Chriſtum, non autem deletio peccati per infuſam gratiam. 5. Nec abſurda aut à textu aliena eſt explicatio eorum, qui ex conſideratione oppoſitionis Apoſtolicæ colligunt, deſcribi hîc ablutionem, quæ fit per Chriſti ſanguinem, ſanctificationem, quæ fit fide & juſtificationem, quæ conſiſtit in remiſſione facta per nomen Chriſti, hoc ſenſu: fuiſtis olim in Ethni-

ciſmo contaminati variis peccatorum ſordibus, at nunc Chriſti ſanguine abluti ac mundati eſtis, *ſanguis enim Chriſti abluit vos ab omnibus veſtris peccatis.* 1. Joh. 1. v. 8. Fuiſtis olim prophani & maledicti, at nunc ſanctificati eſtis per Chriſtũ, in quem credidiſtis, *qui ſanctificavit ſeipſum pro vobis.* Joh. 17. v. 19. *& factus eſt vobis à Deo ſanctificatio & juſtitia.* 1. Cor. 1. v. 30. *ut in ipſo ſimus juſti & ſancti.* 2. Cor. 5. v. 21. Fuiſtis olim rei æternæ damnationis, excluſi è regno cœlorum, at nunc eſtis juſtificati remiſſis peccatis & facti hæredes vitæ æternæ; quam ablutionem & ſanctificationem in juſtificatione fieri, adeoq; ad ipſũ formale juſtificationis pertinere non negsmus.

4. Ut juſtificati ipſius gratiâ heredes ſimus vitæ æternæ.

225. 4. Tit. 3. *Ut juſtificati ipſius gratiâ heredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ:* ex quo loco colligit Bellarminus, in verbis præcedentibus per regenerationem & renovationem deſcribi juſtificationem, quam per donum aliquod inhærens fieri probat tribus argumentis, primò ex ipſa Natura regenerationis, neque *enim intelligi poteſt, quomodo aliquis regeneretur ſine ullâ ſui mutatione per ſolam Dei benevolentiam & juſtitiæ imputationem:* deinde *quia regeneratio & renovatio dicuntur fieri per effuſionem Spiritûs ſancti, quæ eſt ipſa caritas,* denique quia *nec nos negemus renovationem aliquam fieri per Spiritum ſanctum.* Reſp. Monendum primò omnium Regenerationis vocem eſſe ambiguam: quandoque enim ſumitur γενικῶς, ut & remiſſionem peccatorum & renovationem ſimul complectatur: quandoq; verò εἰδικῶς accipitur, ut remiſſionem peccatorum ac gratuitam juſtificationem tantummodò ſignificet: priori ſenſu accipitur à D. Luther. in lib. de Eccl. & Conciliis monẽte Formula Concordiæ art. 3. Poſteriori ſignificato ſpeciali Apologia Aug. Conſ. ſæpiuſculè regenerationis voce utitur. Bellarminus regenerationem hic videtur accipere pro ſola renovatione ac ſanctificatione, vel certè generaliter accipit, pro remiſſione peccatorum & renovatione conjunctim. Atqui 1. nemo noſtrûm negat, regenerationi (propriè & ſpecificè pro remiſſione peccatorum & juſtificatione per fidem acceptæ) conjunctam eſſe renovationem per S. S. nemo noſtrûm negat mutationem aliquam fieri in regeneratione ac renovatione; nemo noſtrûm negat Baptiſmum eſſe lavacrum & regenerationis & renovationis, potuiſſet igitur Bellarminus labore hoc probandi ſuperſedere. 2. Id verò in quæſtione eſt, an utrumque beneficium Chriſti tàm renovatio quàm regeneratio ſpecificè pro remiſſione peccatorum accepta pertineant ad ipſum juſtificationis actum? quod ex textu non poterit evinci. 3. Verba Apoſtoli clariſſimè obloquuntur Pontificiis, negant enim *ex operibus juſtitiæ, quæ nos fecimus, ſalvos nos fieri,* (Bellarminus in allegatione hujua dicti vocabulum Juſtitiæ, quod diſertiſſimè non ſolùm in Græco textu, ſed etiam in vulgata translatione habetur, omittit) illis operibus opponit Apoſtolus DEI miſericordiam, verſ. 5. ac benignitatem & φιλανθρωπίαν Salvatoris noſtri. verſ. 4. quam per gratiam illam, cujus v. 7. mentio fit, intelligendam eſſe, manifeſtè patet, nequaquam verò infuſum gratiæ habitum. 4. exponit igitur Apoſtol' cauſas juſtificationis & ſalutis noſtræ per ἀρετὰς καὶ θέσιν. Cauſa principalis eſt Dei miſericordia & gratia; cauſa meritoria Chriſtus, non noſtra opera: Cauſa inſtrumentalis offerens, Baptiſmus, quem deſcribit Apoſtolus à duplici effecto ſcilicet, regeneratione & renovatione, additâ mentione cauſæ principalis videlic. Spiritûs ſancti, qui per Baptiſmum ea operatur. Ergo quæ Apoſtolus diſtinctè proponit de cauſis juſtificationis & de Baptiſmi effectis, ea non ſunt invicem confundenda. Et regenerationem & renovationem Baptiſmo tribuit Apoſtolus, nequaquam verò ad juſtificationem utrumque beneficium refert. 5. Regeneratio propriè ſic dicta, quæ remiſſionem peccatorum, imputationem juſtitiæ Chriſti, translationem ex ſtatu iræ in ſtatum gratiæ, υἱοθεσίαν & jus vitæ æternæ complectitur; tàm non recipit majus ac minus, quàm ipſa carnalis generatio. At renovatio majus ac minus recipit, quia *interior homo de die in diem renovatur.* 2. Corinth. 4. v. 16. & renati jubentur quotidiè *renovari Spiritu mentis ſuæ.* Epheſ. 4. v. 23. & *perficere ſanctificationem.* 2. Cor. 7. v. 1. ergò fundamẽtum, meritum, cauſa & formale regenerationis ac juſtificationis non poteſt quæri vel conſtitui in renovatione, ſed per fidem ex Deo naſcimur, & Filii DEI reddimur. Johan. 1. verſ. 12. & 13. 6. Fides ergò eſt, per quam regeneramur, ſed nec fides, nec caritas, nec aliud quicquam in nobis eſt cauſa, propter quam regeneramur. Quemadmodum enim nihil quicquam eſt in homine, propter quod dicatur generari ſive naſci, quin potius totum illud in generante ſitum eſt: ita quoq; non eſt in nobis cauſa ſpiritualis regenerationis, ſed gratuita Dei miſericordia per Spiritum ſanctum & verbum nos regenerat, ex filiis iræ facit filios gratię, non propter caritatem, quę ſequitur demum regenerationem, ſed propter Chriſtum fide apprehenſum. 7. Non negamus in regeneratione fieri aliquam mutationem, præterquam enim quòd Spiritus ſanctus per lucem verbi accendit in cordibus regenerandorum lucem fidei, quâ Chriſtum agnoſcunt & amplectũtur, conjuncta inſuper eſt regenerationi renovatio, ac opulẽta illa donorum Spiritus ſancti effuſio, ſed hæc nõ eſt formalis cauſa regenerationis, ſed ejus conſequẽs, quomodo n. Deus effunderet in eos Spiritum ſanctũ, qui nondum ſunt ipſi reconciliati, quibus peccata nondum ſunt per & propter Chriſtum remiſſa? In Baptiſmo utrumq; beneficium conjunctum eſt, nam & regeneramur & renovamur ſimul per Spiritum ſanctum, interim tamen renovatio non eſt juſtificationis cauſa, ſed conſequens.

226. 5. Heb. 11. teſtatur Apoſtolus, *aliquos homines fuiſſe ferè & abſolutè juſtos. Abel, Noe & alii eorũ ſimiles verè juſti erant, nõ imperfectè & inchoatè, ſed abſolutè & perfectè, neque enim Scriptura abſolutè juſtos vocaret eos, qui abſolutè juſti non eſſent: quid quod etiam quoſdam perfectos & immaculatos appellat Gen. 6. Pſ. 118.* Reſp. 1. duplex eſt juſtitia imputata & inhærens, utraque dicimur juſti, illâ relativè, perfectè, & coram Deo, hac verò ſubjectivè, inchoatè & imperfectè, coram hominibus. 2. Juſtitiæ imputatæ non eſt opponenda vera juſtitia, ut enim vera eſt imputatio peccatorum noſtrorum facta Chriſto, ita quoque vera eſt imputatio juſtitiæ Chriſti per fidem nobis facta. 3. Apoſtolus diſertè dicit Abelem *per fidẽ teſtimoniũ juſtitiæ conſecutũ eſſe,* v. 4. ac *Noahũ juſtitiæ, quæ per fidẽ eſt, heredem conſtitutũ,* fide ergo juſtitia fuit, quâ Abel & Noahus corã Deo juſti

fuerunt,

fuerunt, hæc fidei juſtitia exeruit ſe per bona opera. 4. De qua juſtitiæ declaratione & manifeſtatione per opera loquuntur dicta illa, quæ Bellarminus hîc adducit, quòd *Deus teſtimonium perhibuerit Abelis muneribus, quod juſtus ſit, qui faciat juſtitiam, quòd Noe fuerit juſtus, quia cum Deo ambulaverit, &c.* nimirum deſcribuntur in his & ſimilibus dictis homines juſti ab effectibus, non autem definitur formale juſtificationis coram Deo. 5. Quo ſenſu & reſpectu verè pii & renati dicantur perfecti, latè expoſuimus in tractat. de lege §. 192. breviter, pii dicuntur perfecti, primò ratione fundamenti in Chriſto, quia imputativè coram DEO ſunt perfectè juſti in Chriſto, quam imputatam juſtitiam ſequitur juſtitia operum, quæ licet ſint imperfecta & immunda, tamen placent DEO per fidem: deinde ratione integritatis ab omni hypocriſi remotæ, quia enim non duplici & hypocritico, ſed toto & ſincero corde DEUM colunt, ideò hoc reſpectu etiam perfecti dicuntur: tertiò reſpectu oppoſitionis ad aliorum injuſtitiam, ſic Noë dicitur vir *juſtus & perfectus in generationibus ſuis*: denique ratione termini perfectionis ad quem tendunt, renovantur enim de die in diem, perficiunt Sanctificationem, ad plenam in cœleſti patria perfectionem totis viribus adſpirant, & toto cordis deſiderio contendunt.

b Rom. 8. *Electi dicuntur cõformes imagini Filii Dei.*

227. 6. Rom. 8. & 1. Corinth. 15. *Electi dicuntur conformes imagini Filii DEI, & portare imaginem Chriſti. Atqui Chriſtus non eſt juſtus per imputationem, ſed verè ac propriè, igitur & nos juſtitiam veram & inhærentem habere neceſſe eſt; ſi enim non re ipſâ, ſed ſolùm putativè juſti ſumus, magis Diaboli quàm Chriſti imaginem geremus. Adde quòd veram imaginem Adami portavimus, ergò juſtitiam oportet nobis verè ac reipſa inhærere, ut & veram Chriſti imaginem geramus.* Reſp. 1. Num etiam hoc modo colliget Bellarminus, Ea juſtitiâ ſumus coram DEO juſti, quæ nobis inhæret & juſtitiæ Chriſti eſt conformis. Atqui Chriſti juſtitia non includit fidem. Ergò nec noſtra juſtitia conſiſtit in fide. Certè ita philoſophatur. cap. immediatè ſequente, ubi ſic ſcribit, arg. 3. *Juſtitia res eſt adeò bona, ut cum nullo alio pugnet, & ideo adjunctione aliorum bonorum non minuatur, nec deſinat eſſe, ſed perficiatur ſemper & creſcat, ut perſpicuum eſt ex eo, quod invenitur in beatis, in Chriſto & in ipſo Deo. At fides repugnat beatitudini, neque in DEO, aut in Chriſto unquam fuit, neque in Angelis & hominibus manet, cùm beati eſſe incipiunt.* Et poſtea: *juſtitia facit nos Chriſto ſimiles & per eam gerimus Chriſti imaginem. At fides non facit nos Chriſto ſimiles, ſed potiùs aliquo modo diſſimiles, cùm in Chriſto fides non fuerit, quippe qui faciem Patris ſemper viderit. Ad hac juſtitia eſt virtus, per quã lex divina completur, ac plenitudo legis non eſt fides ſed caritas.* Hæc omnia Bellarminus, quæ ſi aliquod robur habeant, fides planè cogetur exulare à juſtificatione: deleat igitur Bellarminus, quæ alibi diſputat, quòd fides ſit initium juſtificationis, ejuſdemque cauſa formalis, licet non ſola. 2. imputatam Chriſti juſtitiam vocare putativam, hoc eſt, imaginariam & falſam, calumnia eſt; ne quid dicam gravius. 3. conformitas illa piorum cum Chriſto conſiſtit primò in fide, per

b quam Chriſto unimur, & corpori ejus myſtico inſerimur, per *quam fidem Chriſtus habitat in cordibus noſtris.* Eph. 3. v. 17. deinde in cruce, quem- 2.
admodum enim Chriſtus *per paſſionem intravit in gloriam ſuam.* Luc. 24. v. 26. ita & nos *per multas tribulationes oportet ingredi in regnum Cælorum.* Actor. 14. v. 22. Præterea etiam vita noſtra 3.
debet conformari vitæ Chriſti, *Diſcite à me*, ait Matth. 11. v. 28. *quia mitis ſum & humilis corde*, ſed hæc conformitas in hac vita non eſt perfecta. 1. Pet. 2. v. 21. *Chriſtus reliquit nobis* ὑπογραμμὸν, *ut ſequamur veſtigia ejus*, ubi elegans metaphora proponitur. Quemadmodum enim puer literas pingere diſcens, nondum perfectè aſſequitur ὑπογραμμὸν, exemplar Scripturæ ſibi propoſitum; ita quoque vitæ noſtræ cum Chriſto conformitas in hac vita nondum eſt perfecta, ſed in æterna demum vita implebitur id quod ſcriptum eſt Epheſ. 5. v. 26. *Chriſtus mundavit Eccleſiam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet eam ſibi glorioſam non habentem maculam, nec rugam, nec quicquam ejuſmodi.* Vide Auguſt. 1. de doctr. Chriſtiana cap. 16. ſerm. 29. de verbis Apoſt. lib. 2. retract. cap. 18. &c. Rectè Bernhardus ſerm. 25. ſuper Cant. *Sponſa Chriſti nævo rugâ-ve in loco peregrinationis ſuæ non caret, alioquin erit, cùm eã ſibi in patria Sponſus gloriæ exhibebit glorioſam, non habentem maculam, aut rugam.* Denique in reſurrectione mortuorum *transformabit* Chriſtus *corpus noſtrum humile, ut* σύμμορφον *fiat corpori ſuo glorioſo.* Phil. 3. v. 21.

228. 7. Rom. 6. *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato, ubi docet Apoſtolus, nos per juſtificationem, quâ morimur peccato & reſurgimus Juſtitiæ, repræſentare Chriſti mortẽ & reſurrectionem. At Chriſtꝰ nõ putativè, ſed verè mortuus eſt & verè reſurrexit. Ergò & nos non putativè ſed verè morimur peccato & reſurgimus ad juſtitiam, cùm per Baptiſmum juſtificamur, quò refert dictum Petri 1. Epiſt. 4. Qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis.* Reſp. 1. quidam ſtatuunt, Apoſtolum verbis illis Rom. 6. v. 7. *qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato*, alluſiſſe ad judiciorum capitalium ſententias, quibus condemnati ad mortem non magis deinde delinquunt (vide Camerar. in notis ad hunc locum) ſed ſimpliciùs exponitur dictum eſſe phraſi Hebraicâ δεδικαίωται pro ἠλευθέρωται, quo verbo utitur Apoſtolus verſ. 18. & 22. ejuſdem cap. qui enim juſtificatur, hoc eſt, in judicio abſolvitur, is liberatur à pœna. Ambroſ. h. l. *Hoc eſt mori peccato, liberari à peccato, fieri autem ſervum Dei.* 2. Juſtificari igitur à peccato non eſt liberari ab omni eo, quod habet veram rationem peccati, ſed liberari à reatu & pœna peccati, quos enim hoc loco *peccato mortuos* verſ. 2. *conſepultos cum Chriſto per Baptiſmum in mortem* v. 4. & *à peccato juſtificatos* v. 7. Apoſtolus pronunciat, *in eorum carne adhuc habitare peccatum* cap. ſeq. docet, admonet verò, ne ei permittant *dominium*, Rom. 6. v. 12. nec *ulterius ei ſerviant* v. 18. Sic veterem hominem in renatis crucifixum eſſe docet, v. 6. quod Gal. 5. v. 24. ſic exponitur, *eos, qui Chriſti ſunt, crucifigere carnem cum affectibus & concupiſcentiis*, ſed ibidem v. 17. additur, quod *caro adhuc adverſus Spiritũ in renatis concupiſcat.* 3. Verè igitur, non putativè renati ſunt peccato mortui, in mortem Chriſti baptizati, & cum Chriſto per Baptiſmum in mortem conſepulti, quia percipiunt efficaciam mortis iſtius, non ſolùm quoad peccati remiſſionem, ſed etiam quoad ejuſdem mortifi-

7. *Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.*

cationem,

cationem, quæ non minùs quàm ipſa peccati remiſſio eſt beneficium mortis Chriſti; ſed ex eo non poteſt inferri, quòd in carne renatorum non ampliùs ſit peccatum. Mortificatio enim illa non peragitur uno ſtatim momento, ſed quotidiè debet vetus homo ſive caro cum ſuis concupiſcentiis crucifigi, occidi ac ſepeliri, ut quotidiè reſurgat homo novus, qui in ſanctitate & juſtitia coram Deo vivat. 4. Scopus igitur Apoſtoli eſt renatos exhortari, ut in mortificatione veteris hominis conſtanter pergant, peccato ulteriùs non ſerviant, nec regnum ei concedant, nequaquam verò aſſerit, omne, quod veri peccati rationem habet, in renatis eſſe extinctũ & abolitum, quinimò cùm peccatum in ipſorum corpore regnare prohibeatur, ex eo manifeſtum eſt, quòd in corpore adhuc habitet, aliàs fruſtrà tam ſolicitè dominium ejus prohiberetur. Auguſt. tract. 41. in Johan. *Non regnet peccatum; non ait, non ſit, ſed non regnet, quamdiu enim vivis, neceſſe eſt peccatũ eſſe in membris tuis, ſaltem illi regnum auferatur, non fiat, quod jubet.* lib. 2. de peccat. meritis & remiſſione c. 7. *Non ex qua hora quiſq; baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus abſumitur, ſed renovatio incipit à remiſſione omnium peccatorũ.* Et poſtea. *Profectò qui de die in diem adhuc renovatur, nondum totus eſt renovatus, & in quantum nondũ eſt renovatus, in tantũ adhuc ſub vetuſtate eſt.* Ambroſ. h. l. *caro, i. e. corpus ſic crucifigitur, ſi deſideria ejus calcentur, quæ manēte in eo peccato creantur ex prævaricatione primi hominis cœpta.* Repetenda ſunt h. l. ea, quæ de concupiſcentia prava in renatis adhuc reliqua alibi propoſita ſunt.

8. Rom. 8. Accepimus per Chriſtum Spiritum adoptionis.

229. 8. Rom. 8, *ſcribit Apoſtolus, nos jam per Chriſtũ accepiſſe Spiritum adoptionis filiorum Dei, quoad animum, quæ vivit propter juſtificationem, quamvis corpus mortuũ ſit, i. e. adhuc mortale propter peccatum, ſed paulò poſt addit: nos jam primitias Spiritus habentes, intra nos gemere, expectantes adoptionem filiorum Dei redemtionem corporis noſtri, nam ut idem ait Phil. 3. Salvatorem expectamus, qui reformabit corpus noſtrum humile, ut fiat conforme corpori ſuo glorioſo. Atqui adoptio filiorum, quam expectamus in redemtione corporis veriſſima erit, & inhærens in ipſo corpore, i. e. immortalitas & impaſſibilitas, non putativa ſed vera. Igitur adoptio, quam nunc habemus in Spiritu per juſtificationem, vera etiam eſſe debet, non putativa.* Reſp. 1. propter imputatam Chriſti juſtitiam verè adoptamur in filios DEI, calumnia ergò eſt, quòd nobis tribuitur, quaſi putativam adoptionem ſtatuamus. 2. Locus Apoſtoli disertè repugnat Bellarmino. Quia enim corpus renatorũ mortuum, h. e. morti obnoxium eſt propter peccatum, ex eo manifeſtè apparet, quòd peccatum adhuc in eo habitet. 3. Per corpus non intelligit Apoſtolus tantummodò renatorũ corpus, prout ab anima diſtinguitur, nec per Spiritum animam, prout à corpore diſtinguitur; ſed in tota illa diſputatione Apoſtolica per corpus intelligitur *vetus homo*, per Spiritum verò *novus homo*. Quando igitur corpus dicitur mortuum propter peccatum, intelligitur hoc de renatis, quatenus adhuc carnales ſunt, & ob id etiam morti obnoxii, non quòd ipſa anima ſit mortalis, ſed quia cum dolore & violentia à corpore in morte ſeparatur. 4. Quæ verò hæc eſt conſequentia. Renati verè ſunt in filios Dei adoptati. Ergò propter inhærentem juſtitiam *υἱοθεσία* ipſis contigit? quinimò cùm adoptio illa ſit merè gratuita & fide in Chriſtum contingat, ideò non eſt ex operibus. 5. Nec abſurdum eſt, ut quidem Bellarmino videtur, animæ redemtionem nos adhuc expectare; cùm enim ab odiis & perſecutionibus Mundi, à tentationib⁹ Satanæ & à concupiſcentiis carnis in hac vita coanguſtetur, cur non exclamem⁹ cum Davide Pſ. 142. v. 8. *Educ ex carcere animam meum*, cum B. Apoſtolo Rom. 7. v. 24. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Phil. 1. v. 23. *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto.* Nec eſt, quòd diſtinguatur inter exteriorem animæ coanguſtationem & interiorem ejus renovationem, oſtendunt enim pravæ concupiſcentiæ in ipſa anima adhuc reliquiæ interiorem ejus renovationem in hac vita non eſſe perfectam ac numeris omnibus abſolutam.

An fides ſit integra formalis cauſa juſtificationis.

230. Atq; hæc ſunt argumenta, quæ Bellarminus profert, ut probet juſtitiam inhærentem eſſe formalem juſtificationis noſtræ cauſam, ubi quilibet videt, non potuiſſe ipſum afferre manifeſta & perſpicua Scripturæ dicta, ſed contortas quaſdam concluſiones, ex variis Scripturæ dictis malè applicatis elicitas: adde quòd vix unũ atque alterum ex propria ſede hujus doctrinæ Rom. 3. & 4. Galat. 2. & 3. Eph. 2. Phil. 3. ſit petitum, noſtra autem ſententia disertis verbis aliquoties extat apud Apoſtolum, & quidem in propria hujus argumenti ſede, quòd *juſtificemur fide abſq; operibus legis*, quòd *non operanti ſed credenti in eum, qui juſtificat impium, fides imputetur ad juſtitiam*, quòd *beatificatio ſit ejus hominis, cui Deus imputat juſtitiam abſq; operibus &c.* c. 6. diſputat Bellarminus, *fidem nõ eſſe integram formalem cauſam juſtificationis*, quod uti probet, aſtruere nititur, *fidem per caritatem operari, h. e. formari* (ut ipſe quidem per inſignem ſolæciſmum exponit dictum Apoſtolicum Gal. 5. v. 6.) quâ de re quid ſtatuendũ ſit, patere poteſt ex ſuperioribus § 124 Adducit etiam argumentum quoddam. *Fides* (inquit) *repugnat beatitudini, neq; in Deo, aut in Chriſto unquam fuit: nec facit nos Chriſto ſimiles, ſed potius aliquo modo diſſimiles. Ergo non eſt ipſa formalis juſtitia, niſi inchoata & imperfecta.* At ſi quid roboris ineſt huic argumento, obtinebit, fidem nullo modo eſſe formalem juſtitiã nec perfectam, nec imperfectã, nec inchoatã, nec completam, ſed tantummodò ad diſpoſitiones juſtificationis prævias pertinere; conſequens etiam fuerit, caritatem (in quâ potiſſimùm formalis juſtificationis cauſa ex hypotheſi Bellarmini conſiſtit) abolere fidem, ne per eam amplius ſimus Chriſto diſſimiles. Cap. 5. diſputat contra Oſiandrum, quòd formalis cauſa juſtificationis non ſit juſtitia Dei eſſentialis, quâ in parte, quod ad ſummam rei habet nos Bellarmin⁹ ſibi *ὁμοψήφους*, aliis tamen argumentis utimur, quorum præcipua ſuperiùs §. 195. enumerata ſunt, quid autem in *ἐγχ-οίᾳ* hujus capitis deſideremus, patere poteſt ex antedictis. Cap. 6. probare nititur, juſtificationẽ noſtram nõ conſtare ſolâ peccatorũ remiſſione, quod dicit ſe cõtra Calvinũ demonſtraturum. Atqui Calvin⁹ non excludit imputationẽ juſtitię Chriſti, ut ſuperiùs demonſtratũ fuit. ſed in ſola peccatorũ remiſſione juſtificationẽ ſtatuens, negat in remiſſione peccatorũ & renovatione ſimul eã quęrendam eſſe, quâ in parte nobiſcũ conſentit.

231. Videt hoc ipſe Bellarminus, ideo ad illum ſcopum argumentorum ſuorum tela dirigit, quòd

An juſtificatio cõſiſtat in renovatione.

quòd juſtificatio non conſiſtat in ſola remiſſione peccatorum, ſed etiam in interna renovatione. Atqui juſtificatio & renovatio multis modis differunt. 1. τῷ εἶναι ſive *formâ*. Juſtificatio eſt remiſſio peccatorum, & imputatio juſtitiæ. Renovatio eſt impurarum qualitatum ad puras reductio. 2. *Subjecto*. Juſtitiæ enim illius, quâ juſtificamur, fundamentum eſt in Chriſto, ſed renovationis ſubjectum eſt mens, voluntas, affectus & omnia membra exteriora. 3. *Objecto*. Juſtificatio reſpicit Chriſtum, renovatio verò legem. 4. *Cauſâ efficiente proximâ*. Juſtificatio non habet cauſam in nobis inhęrentem, renovatio habet voluntatem, quæ eſt principium actionum. 5. *Effectu*, illa nos abſolvit in judicio Dei: hæc minimè. 6. Juſtificatio eſt actus ἀδιαίρετος, renovatio *dividuus*, ſucceſſivè enim perficitur ex Dei beneplacito. Ita D. Pelargus in Jeſuitiſmo loco 9. §. 9. Hæc membra diſtinctionis alii hoc modo proponunt, quòd juſtitia imputata ac juſtitia inchoata differant. 1. *Prædicamentis*. Juſtitia imputata eſt σχέσις relatio ſeu λογισμὸς Dei ſeu obœdientia Chriſti imputata credenti: at juſtitia inchoata eſt qualitas vel actio ſeu ἐνέργεια in nobis. 2. *Cauſis efficientibus propinquis*: Imputata eſt propriiſſimum & immediatum beneficium Chriſti Mediatoris. Inchoata immediatè & propriè eſt opus Spiritus ſancti. 3. *Ordine Naturæ* ſeu cauſæ & effectus, ſeu antecedentis & conſequentis. Nam imputata prior eſt inchoatâ, & donatio Spiritus ſancti initium ſeu cauſa efficiens renovationis & vivificationis eſt, ita ut nemo domicilium & templum Spiritus ſancti eſſe poſſit, nondum coram Deo juſtificatus inde Paulus de illa ex profeſſo diſputat Rom. 3. 4. & 5. de hac cap. 6. & 7. 4. *ratione perfectionis*. Ut enim juſtitia ſeu obœdientia Chriſti in ſeſe perfecta & omnibus numeris abſoluta eſt, ita in conſpectu Dei & Angelorum eadem tota, plena & integra omni credenti ad juſtitiam imputatur, & juſtitia perſonæ credentis ſemper perfecta eſt, nec majus aut minus recipit: ſed inſtauratio imaginis divinæ, etſi ſubinde augetur, nunquam tamen ad perfectionem pervenit in hac vita. 5. *Effectibus*, pace ſcilicet & tranquillitate conſcientiæ. Sola enim juſtitia imputata cauſa eſt pacatæ & tranquillæ conſcientiæ in Deo propitio ſuaviter acquieſcentis per & propter Chriſtum fide apprehenſum. Donatio Spiritus ſancti eſt teſtimonium ſaltem noſtræ cum Deo per Filium Mediatorem reconciliationis & adoptionis in filios. Ita D. Schilterus in diſp. de Juſtificat. th. 89. & ſeqq. Renovatio differt à Juſtificatione. 1. *Ordine*. Juſtificatio enim præcedit, renovatio verò ſequitur. 2. *effectu*, per juſtificationem reddimur juſti λογισμῷ ſeu imputatione: per renovationem habitu juſti & ſancti fieri incipimus. 3. *formâ*, Juſtificatio eſt perfectiſſima & abſolutiſſima, renovatio autem imperfecta. 4. *duratione*, Juſtificatio imputativa ceſſabit in altera vita, renovatio verò tunc complebitur: ita Lobechius diſput. 7. in Auguſt. Confeſſ. theſ. 75. Ex quibus omnibus patet, juſtificationem à renovatione differre *genere, efficiente cauſâ proximâ, formâ, ſubjecto, objecto, gradibus, effectu & adjunctis*, quæ omnia ex parabola de filio prodigo, qui primùm patri reconciliatur, poſtea verò precioſis donis ornatur; ex diſtinctione inter ſpiritualem deſponſationē & Spiritus ſancti obſignationem arrhæ loco datam, ex praxi D. Pauli, qui de inhærente ſua juſtitia flebiliter exclamat: *Video aliam legis membris meis &c.* ſed de imputata juſtitia magnificè gloriatur; ex loco Rom. 8. v. 30. *quos juſtificavit, hos & glorificavit (per donorum largitiones*, ut exponit Chryſoſt. hom. 15. in Ep. Rom.) & ex aliis fundamentis declarari poſſunt uberius. Habet ſe peccatum in nobis ut reatus & morbus, juſtificatio tollit reatum, ſanctificatio ſanat morbum; qui reo ægro debitum pœnæ remittit, nõ ſtatim morbum radicitùs tollit.

Juſtificationem cõſiſtere in renovatione.

232. Quomodo ergo probat Bellarminus, juſtificationem conſiſtere in renovatione? 1. Roman. 4. *Apoſtolus ita loquitur de Chriſto; qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtitiam noſtrã, ubi nomen juſtificationis tribuit potiùs renovationi internæ, quam remiſſioni peccatorum, ac per hoc docet, juſtificationem non modo non conſtare ſolà remiſſione peccatorum, ſed neq; præcipuè ea conſtare.* ** Pererius diſp. 10. in cap. 4. Rom. th. 48. *Paulus hoc loco remiſſionem peccatorum diſtinguit à juſtificatione, dicens Chriſtum eſſe mortuum propter delicta noſtra & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram, apertè indicans, nec in ſola remiſſione peccatorum conſiſtere juſtificationem noſtram & principalem juſtificationis partem eſſe renovationem vitæ ac rectitudinem mentis cujus exemplum fuit reſurrectio Chriſti.*

1 Rom. 4. Chriſtus reſurrexit propter juſtitiam noſtram.

Reſp. renovatio vitæ non eſt juſtificationis pars ſed fructus; exemplaris illa interpretatio reſurrectionis Chriſti locum non habet, nondum enim Apoſtolus de effectis ſed de cauſis juſtificationis agit, poſtea demum cap. 6. dicit, nos conſepultos cum Chriſto in mortem. Pererius ibidem num. 48. fallò ſcribit, *reſurrectionem Chriſti non habere cauſam meritoriam noſtræ juſtificationis*. Nam ſi Chriſtus manſiſſet in morte, nondum devicta eſſet mors, nec dum expiata peccata 1. Cor. 15. v. 17. Hieron. Rom. 4. *Chriſtum reſurrexiſſe, ut juſtitiam credentium confirmaret.*** Ad argumentum Bellarmini Reſp. 1. quamvis videri velit Bellarminus, quòd non planè neget, in peccatorum remiſſione conſiſtere juſtificationem, monendum tamẽ, quòd per remiſſionem peccatorum non intelligat abſolutionem à peccatis, ſive non-imputationem eorum propter Chriſtum, ſed totalem eorum deletionem & expunctionẽ per infuſam gratiam, ſic enim paulò pòſt ſcribit. *Una & eadẽ gratia per Chriſti meritũ nobis infuſa atque in nobis inhærens & peccata delet, & animã juſtitiâ ornat*; longè ergò alio ſenſu Bellarm. accipit remiſſionem peccatorũ, quàm in noſtris Eccleſiis accipitur, nimirũ confundit eam cum renovatione & carnis mortificatione. 2. dictũ Apoſt. Bellar. ſic interpretatur. *Chriſtus mortuus eſt propter delicta noſtra, videl. remittẽdâ & reſurrexit propter juſtificationẽ noſtram, i. e. ut in novitate vitæ ambulemus*, quam expoſitionem probare conatur ex c. 6. Rom. ubi Apoſtolus aſſerit, *mortẽ Chriſti fuiſſe exemplar mortis peccatorũ, i. e. remiſſionis & deletionis peccatorum; reſurrectionem verò exemplar regenerationis & renovationis internæ, per quam in novitate vitæ ambulamus*. At ψευδερμηνείαν illã non recipim⁹. Quamvis enim Apoſtolus Rom. 6. proponat mortem & reſurrectionem Chriſti ut cauſam & exemplar noſtræ renovationis, quæ in mortificatione veteris & reſurrectione novi hominis conſiſtit:

tamen

tamen in locn Rom. 4. v. ult. non de exemplari, ſed de merito paſſionis & reſurrectionis Chriſti agit, id quod particula propter ſatis evidenter comprobat; exponit enim alium & quidem primarium paſſionis & reſurrectionis Chriſti in ſalute nobis promerenda finem, ac verus dicti Apoſtolici ſenſus is eſt, Chriſtum paſſione & morte ſuâ veram juſtitiam coram Deo valentem nobis promeruiſſe, diſtinctè verò morti Chriſti peccatorum noſtrorum expiatio, ac reſurrectioni ipſius noſtra juſtificatio aſſcribitur, non quòd ab acquiſitione ac merito juſtificationis paſſio & mors Chriſti ſint excluſæ (cujus contrarium vel centies in Scripturis occurrit) ſed quia mors Chriſti ad juſtitiam acquirendam nobisque applicandam otioſa fuiſſet, niſi de peccato, morte & Satana victor ex mortuis reſurrexiſſet. Aug. lib. 13. de Trinitate c. 15. *Non eſt difficile videre Diabolum victum, quoniam qui ab illo occiſus eſt, reſurrexit.* Reſurrectio ergo Chriſti eſt evidens teſtimonium, quòd plena & perfecta ſatisfactio, pro peccatis noſtris Deo præſtita, & perfecta juſtitia adducta, aliàs cœleſtis Pater hunc ſponſorem non eduxiſſet ex ſepulchri carcere. 3. Nequaquam igitur renovationi internæ nomen juſtificationis tribuitur, ſed *fides* Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum, & propter juſtitiam noſtram reſuſcitatum apprehendens *ad juſtitiã imputari dicitur* Rom. 4. v. 5. 4. *At*, inquit Bellarminus, *Chriſti mors, quæ eſt redemtionis noſtræ pretium, fuit non ſolùm cauſa remiſſionis peccatorum ſed etiam internæ renovationis.* Reſp. id verò libenter fatemur, quod tàm renovatio, quàm peccatorum remiſſio ſit Chriſti beneficium, quin etiam addimus, in juſtificatis hæc ſemper eſſe conjuncta, interim tamen accuratè ſunt diſtinguenda, nec in utroque juſtificatio ſtatuenda. 5. Aliud enim eſt peccati remiſſio, quæ eſt ſolius Dei opus, nec magis aut minus recepit, ideoque in juſtificatione perfectè contigit: aliud peccati mortificatio, quæ non eſt abſolutè ſolius Dei opus, ſed ex parte etiam noſtrum, quatenus renati novis viribus à Spiritu ſancto donati in mortificatione peccati ſunt Dei συνεργοὶ, atque hæc mortificatio recipit magis & minus, alii enim renati magis, alii minus, quin iidem renati diverſis temporibus magis ac minus mortificant peccatum; neque enim in momento perficitur illa mortificatio & renovatio, ſed ſuos habet gradus, ſuaque incrementa, *inte‹ri›or homo de die in diem renovatur.* 2. Cor. 4. v. 16.

2. Rom. 5. Sicut peccatum regnavit in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam.

233. 2. Rom. 5. *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam, ubi renovatio interna dicitur juſtitia, utique ergo erit juſtificationis cauſa.* Reſp. per juſtitiam intelligitur ibi non noſtra inhærens, ſed Chriſti juſtitia, ſiquidem opponitur peccato Adæ per carnalem propagationem in nos traducto, & diſertè additur, gratiam regnare per juſtitiam in vitam æternam *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum:* de ea igitur juſtitia loquitur Apoſtolus, quam gratis Deus donat in Chriſtum credentibus, ut ſic *gratia exuberet ſupra delictũ.* Sed demus ex hypotheſi, renovationem internam hîc vocari juſtitiam & peccato opponi, num ex eo ſtatim conſequens, quod ſit juſtificationis cauſa? minimè verò: cùm enim imperfecta & immunda ſit, ideo non poteſt Dei judicio opponi; cùm ſit juſtificationis conſequens, ideo non poteſt ejus cauſa ſtatui: Tiletanus in confut. Conf. Antverp. urget potiſſimum hoc, quòd dicatur *juſtificatio vitæ*, per quam intelligi vult *inhærentem juſtitiam ac vitæ novitatem.* Atqui juſtificatio ibidem manifeſtè opponitur condemnationi. Ergo non ſignificat virtutum infuſionem, ſed abſolutionem, quæ vocatur juſtificatio vitæ, quia affert vitam æternam, ſicut Chriſtus Joh. 6. v. 35. dicitur *panis vitæ*, id eſt afferens vitam, phraſi Hebraicâ. Ex quo facilè apparet, quid ad reliqua loca, quæ Bellarminus adducit, reſpondendum ſit. Damus enim, quòd ex dictis Scripturæ & Auguſtini teſtimoniis obtinere voluit, eſſe in renatis juſtitiam aliquam inhærentem, at ex eo nondum poteſt deduci, quòd inhærens illa juſtitia ſit formalis juſtificationis cauſa, cùm illi ipſi renati, quibus inhærens juſtitia tribuitur, quotidiè renovari & peccatorum remiſſionem petere jubeantur. Aug. Epiſt. 29. ad Hieron. *Caritas* (quæ ex hypotheſi Bellarmini eſt potiſſima pars inhærentis juſtitię) *in aliis major, in aliis nulla eſt; pleniſſima verò, quæ jam non poteſt augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine eſt. Quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud, quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt: ex quo vitio non eſt juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet: ex quo vitio non juſtificabitur in conſpectu Dei omnis vivens: propter quod vitiũ, ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt: propter quod etiam, quantumlibet profecerimus, neceſſarium eſt nobis dicere, dimitte nobis debita noſtra, cùm jam omnia in Baptiſmo dicta, facta, cogitata ſunt remiſſa.* Idem in Pſal. 65. *perfecta juſtitia non erit niſi in illa vita. tamen ad profectum & bonos mores ab ipſo inſpiramur. ab ipſo donamur: noli ergo merita tua computare &c.* Hæc Auguſt. imperfectionem inhærentis juſtitiæ manifeſtè aſſerens, utique ergo requiritur alia perfecta juſtitia, quæ coram Deo Judice juſtiſſimo poſſit ſubſiſtere, ea verò eſt juſtitia Chriſti per fidem imputata. Specialem dictorum Scripturæ ἐξήγησιν vide apud D. Battum lib. 1. de Juſtificat. cap. 24.

Juſtificationem nõ conſiſtere in imputatione juſtitiæ Chriſti.

234. Cap. 7. Aggreditur Bellarminus acropolin controverſiæ ac probare conatur, *juſtificationem noſtram non conſiſtere in imputatione juſtitiæ Chriſti.* Ceterum cùm doctrinæ huic de imputatione juſtitiæ Chriſti admodum iniqui ſint Pontificii, adeò ut appellent *putativam & imaginariam juſtitiam* (Andradius in defenſ. fid. Trid. p. 477. vocat *amentiſſimam inſaniam.* Stapletonus in Antid. Apoſt. p. 97. nominat *ſpectrum cerebri Lutherani.* Cenſura Colonienſis dicit *hanc imputationem à ſeculo non eſſe auditam.* ** Schmaltzius Photin. vocat *Satanæ impoſturam.* diſp. 2. contra Frantzium. Cornelius à Lapide vocat *Larvat.* in cap. 4. Epheſ. ** Wilhelm. Rainold. in lib. contra Witak. p. 324. vocat *Mathematicum ſolifidianum commentum.* Sanderus lib. 5. de Juſtific. cap. 1. ſcribit, *dolo malo verbum Apoſtolicum λογίζεσθαι à noſtris redditũ compoſito Latino imputari.* ** Sibrand. in declarat. p. 110. *Si viva fides, quatenus viva, nobis imputatur ad juſtitiam, ſequitur Chriſti obœdientiam nobis non imputari.* p. 76. *Fides propriè dicta non imputatur nobis ad juſtitiam.*) ** Ideo præmittenda quædam explicatio hujus imputationis. Quod Hebræis eſt חָשַׁב chaſchábh. Græcis λογίζειν ſive λογίζεσθαι, id Latinus Bibliorum

imput-

interpres vertit per *imputari, reputari, acceptum ferre*, Plinius lib. 18. cap. 1. *Quod terra noxia parit, noſtra eſt culpa, nos eam noſtris criminibus urgemus & culpam noſtram illi imputamus.* Eraſm. in cap. 4. Rom. p. 262. λογίζεται *imputat ſive acceptũ fert. Eſt autem acceptum ferre, pro accepto habere, quod non acceperis, quæ apud ICtos vocatur acceptilatio.* Vide tit. 4. lib. 46. ff. Flacius in lib. de diſſ. Pontif. p. 175. & in Apolog. Confeſſ. Antverpienſis cap. 6. p. 147. allegat locum ex Dominico Soto, qui in cap. 4. Rom. Imputandi vocabulum hoc modo declarat. *Acceptum ferre (quod ad præſentem attinet expoſitionem) remiſſionem ſignificat debitorum. Cùm enim creditor debitum remittit debitori, dicitur illi acceptum ferre, unde verbum juris dimanavit Acceptilatio, ubi ſcil. debitor, qui non eſt ſolvendo, interrogat ſuum creditorem, utrũ acceptum habeat, quicquid illi debebat, hoc eſt, pro accepto & ſoluto deputet, tunc enim ſi creditor reſpondeat, habeo quidem acceptumque tibi fero, remiſſio illa & condonatio dicitur acceptilatio, quæ è regione opponitur juſtæ ſolutioni. Pulcherrima ergo hic accommodatiſſimaque oratione explicat Paulus, tum id quod dixerat, reputatur fides ad juſtitiam, tùm clariſſimè rationem noſtræ juſtificationis. Cùm enim nos ſolvendo non ſimus Deo, acceptum fert ipſe nobis noſtrum debitum, id eſt, pro accepto ducit, ſi modò illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca magis perſpicua eſſet, fateor, verſio cui Deus acceptum fere juſtitiam ſine operibus, hoc eſt, ſine debiti ſolutione.* Hæc Sotus non malè. Declarari poteſt hæc imputatio ex ſequentibus Scripturæ locis. Num. 18. v. 27. de Levitarum decimis dicitur: וְנֶחְשַׁב venæchſchábh. *Et reputabitur vobis elevatio veſtra ſicut frumentum de area*, hoc eſt, coram DEO perinde id erit ac ſi de area veſtra frumentum eſſet oblatum. 1. Reg. 1. v. 21. *cùm dormierit Dominus meus Rex cum patribus ſuis, ero ego & filius meus peccatores* חַטָּאִים הָיִיתִי chattaim hajithi reputabimur peccatores, hoc eſt, rei criminis læſæ majeſtatis ac digni, qui morte afficiamur. Eſa. 53. v. 12. אֶת־פֹּשְׁעִים נִמְנָה æth-poſchcim nimnáh *cum prævaricatorib. numeratus eſt*, Marc. 15. v. 28. id ſic reddit, μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη *cum iniquis reputatus eſt.* Chriſtus certè ἄκακος, ὅσιος, ἀμίαντος, ſed noſtri cauſâ in judicio divino & humano cum iniquis reputatus eſt, nimirum quia *Pater poſuit in eo iniquitates omnium noſtrûm*, ut Eſaias ibidem exponit. Paulus in Epiſt. ad Philem. v. 18. *Si quid nocuit aut debet tibi* ἐμοὶ ἐλλόγει *mihi imputa.* Roman. 2. v. 26. *Ethnicus ſervantibus legem præputium imputabitur* λογισθήσεται *ad circumciſionem*, id eſt, cenſebuntur pro circumciſis. Hæc & ſimilia exempla oſtendunt eſſe veram quandam & realem imputationem, quæ fundamentum habet in imputante, non autem in eo, cui fit imputatio. ** Rom. 4. v. 5. Imputationis fundamentum conſtituitur in judicio & voluntate imputantis non in vobis, in quibus contrarium eſt fundamentũ, non ad juſtitiam ſed ad iram, ſi Deus intrare vellet judicium. *Imputatio 1. non eſt opinio aut figmentum aliquod. 2. nec realis alicujus infuſio ſed realis applicatio meriti Chriſti & juſtitiæ extra nos præſtitæ, per fidem autem nobis aſſcriptæ. Habet autem duplicem conſiderationem. 1. fit imputatio rei ab una perſona ad aliam & ſic juſtitia Chriſti ad nos & viciſſim noſtra injuſtitia ad Chriſtum ſolo Dei decreto & æſtimatione transfertur. Sic Paulus dicit juſtitiam Chriſti nobis imputari & peccatum noſtrum imputari Chriſto* 2. Cor. 5. *in qua imputatione res abſens accipitur & habetur pro præſente. Nam juſtitia Chriſti, quæ in nobis non hæret, æſtimatur in Deo quaſi in nobis eſſet & peccatum noſtrum, quod non eſt in Chriſto, accipitur à Deo ac ſi in ipſo eſſet. 2. eſt imputatio pretii ſeu dignitatis, ubi pretium ſeu dignitas unius rei ad aliam transfertur cogitatione & decreto, ita ut loco illius res habeatur, quemadmodum deprecatio ſontis ſupplet locum juſtit. innocentiæ, fides ſupplet locum juſtitiæ. Atque hâc ratione fides imputari dicitur ad juſtitiam, id eſt, ejus pretii, valoris ac dignitatis habetur ac ſi perſona ipſa in ſe eſſet juſta, quia alienam juſtitiam precariò accepit.* Bald. in cap. 4. Rom. *In juſtificatione duo concurrũt imputationis modi, unus* στερητικὸς *privativus, eſtque res, quæ in homine exiſtit, & imputari poterat, non imputatio & conſiſtit tum in oblivione & non annotatione peccati, tum in dimiſſione reatus; alter* θετικὸς *poſitivus, quando nobis juſtitia imputatur, eſtque ejus rei quæ in nobis non exiſtit & quam minime promeruimus, ac ſi in nobis exiſteret, attributio, quando ſcilicet Deus pro verè juſtis nos habet propter Chriſti obœdientiam, cùm tales per nos non ſimus.* Meiſner. Flacius in Clav. p. 422. *Cùm dicitur Deus imputare juſtitiam, dupliciter id accipi debet. 1. ratione cauſæ. 2. ratione effectus. Iſta enim locutio 1. indicat juſtitiam Chriſti credenti transſcribi ſicut noſtra injuſtitia Chriſto potenter eſt transſcripta, atque hæc eſt propriè cauſa noſtræ juſtitiæ. 2. monſtrat effectum, nempe aliquem haberi pro juſto, qui non ſit talis, ſicut Chriſtus habebatur pro injuſto.*** Ergò quid ſit, quod Apoſtolus dicit, *fidem Abrahamo imputatam ad juſtitiam.* Item *credentibus imputari juſtitiam abſque operibus*, tum ex dictis patet, tum ex ſequenti cõſideratione magis manifeſtum. Deus in judicio ſuo rationes à nobis exigit donorum nobis conceſſorum, hoc eſt, ejus perfectionis & integritatis, in qua & cum qua nos creaverat ad imaginem ſuam. Exactio illa fit per tabulas legis, quæ hoc ſenſu rectè dicuntur tabulæ accepti & expenſi, accepti ſcilicet à nobis & expenſi à Deo. Atqui concreatam illam integritatem, ſapientiam ac juſtitiam non invenit Deus in nobis, ſed contrà peccatum & iniquitatem στέρησιν τῶν ἀγαθῶν ac θέσιν τῶν κακῶν, accuſamur igitur & damnamur voce legis, ſive quod idem eſt, juſtitiâ Dei in lege revelata. Verùm hic miſericordia venit in mediũ, quæ Chriſtum Mediatorem ac Redemtorem nobis exhibet, tollentem à nobis, quod noſtrum eſt, hoc eſt, peccata & iniquitates; ac donantem nobis quod ſuum eſt, nimirum obœdientiam legi præſtitam. Ex hoc verè admirando juſtitiæ & miſericordiæ divinæ temperamento oritur noſtra juſtificatio. Deus enim, qui eſt ſimul miſericors & juſtus, non imputat nobis peccatum, ſed imputat nobis juſtitiam Chriſti, nimirum per fidem. Fides enim eſt, quæ ad propitiatorium hoc in Chriſto nobis propoſitum confugit atq; in eo recumbit ac nititur. Neve Bellarm. obvertat, *ſatisfactionem quidem Chriſti, non autem juſtitiam ejus nobis imputari*, monemus hominem in peccatum prolapſum debere Deo non ſolum pœnam, ſed etiam plenã legis obſervationem, quare cùm & pœnam ſuſtinere ipſi fuerit intolerabile, & legem perfectè implere impoſſibile, ideò Chriſtus & pœnas peccatorum noſtrorum in ſe rece-

pit & perfectam legi obœdientiam noſtri loco præſtitit: hæc ſatisfactio & obœdientia Chriſti non aliâ ratione fieri poteſt noſtra, niſi ſolâ imputatione, neque enim in animam infundi poteſt, ut ei velut accidens quoddam inhæreat, cùm non ſit quædam qualitas, ſed meritum in actionibus & paſſionibus conſiſtens; reſtat igitur, ut nobis imputetur: in qua imputatione duplex concurrit applicatio. Prior eſt Dei, qui nobis credentibus ſatisfactionem Chriſti, hoc eſt, legis impletionem & pœnæ peccatis noſtris debitæ perſolutionem imputat ac noſtram ducit, perinde ac ſi ipſimet legem implevisſemus & pro peccatis noſtris debitas luiſſemus pœnas: poſterior eſt noſtra, tunc enim applicamus nobis Chriſti ſatisfactionem, cùm firmiter ſtatuimus, nos propter Chriſtum in gratiam à Deo recipi, peccata nobis remitti, & juſtos nos reputari. Declarari hoc poteſt parabolâ ſervi propoſitâ Matth. cap. 18. verſ. 28. Homo peccator debet DEO decies mille talenta. Filius DEI incarnatus offert ſe ad ſatisfaciendum pro tota ſumma, & ſibi eam transſcribi patitur, Er leſt jhm die Schuld zurechnen/ ut ipſe fiat debitor, & ſic debitum illud imputatur Chriſto, unde Scriptura pronunciat, *Deum poſuiſſe in Chriſto iniquitates omnium noſtrûm*, Eſa. 53. v. 6. *feciſſe Chriſtum pro nobis peccatum*, 2. Cor. 5. verſ. ult. *Chriſtum eſſe agnum Dei*, αἴροντα in ſe *ſuſcipientem & auferentem peccata mundi*, Johan. 1. v. 29. unde ipſe *exolvere cogitur, quod non rapuerat*, Pſal. 69. v. 5. & *propter iniquitates noſtras vulneratus eſt*. Eſa. 53. v. 5. Exemplo imputationis factæ Chriſto, rem hanc declaravimus ſuperiùs §. 201. ut enim Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, ita per fidem nobis imputatur Chriſti juſtitia: monuimus etiam duplicem ab Apoſtolo conſtitui *imputationem ſecundum gratiam & ſecundum debitum*. Rom. 4. v. 4. & 5. Referendæ huc æquipollentes Scripturæ phraſes, quæ illam juſtitiæ imputationem & peccatorum non-imputationem deſcribunt &c. Quod enim Apoſtolus dicit, *fidem imputari ad juſtitiam, peccata remitti & non-imputari*, id alibi ſic exponitur, quod Deus *non recordetur peccatorum*, Ezech. 18. v. 22. *projiciat peccata in profundũ maris*, Mich. 7. v. 19. *non obſervet iniquitates* Pſal. 130. v. 3. ſed *eaſdem tegat* Pſal. 32. v. 2. *non intret nobiſcum in judicium*, Pſal. 143. v. 2. ſed *poſt tergum peccata projiciat* Eſa. 38. v. 17. eaque *a nobis elonget* Pſal. 103. v. 12. *abſcondat faciem ſuam à peccatis noſtris*, Pſal. 51. v. 11. &c. Contrà verò *imputare peccata* eſt *in conſpectum & judicium ea adducere*, Thren. 1. v. 12. *ſtatuere alicui peccata* Act. 7. v. ult. *alligare & retinere peccata*, Matth. 18. v. 18. *conſignare peccata*, Job. 14. v. 17. *facere alicui ſecundum injuſtitiam ejus*, Pſal. 103. v. 10. &c. ex quibus & ſimilibus phraſibus evidenter liquet, quid ſit imputatio juſtitiæ & non-imputatio peccatorum apud Apoſtolum; nuſpiam verò Imputare in Scripturis accipitur pro Infundere. ** Pontificii quidem urgent factum Pineës quod Pſal. 106. v. 31. ei *ad juſtitiam imputatum* dicitur ubi imputationis fundamentum in ipſo Pinees facto ſtatuitur. Reſp. 1. factum eſt ſingulare non propoſitum ad imitationem, de imputatione verò facta Abrahæ dicit Apoſtolus quod ſcripta ſit propter nos quibus imputabitur, ac Pſalmus dicit imputatum eſſe Pineæ ad juſtitiam in generationem & generationem, ſed Rom. 4. v. 12. dicitur, *imputabitur non omnibus qui ſunt ex Abraham, ſed qui veſtigiis fidei illius inſiſtunt*. 2. libẽter concedimus, quandã imputationem habere fundamentum in eo cui fit imputatio ſed quęſtio eſt an præter eam non ſit alia imputatio & qualis imputatio intelligatur apud Apoſtolũ Rom. 4. 3. Pſaltes loquitur de facto & opere Pineæ, Paulus v. de credentibus quibus ſine operibus imputatur juſtitia. 4. nec ex uno aliquo opere poſſet homo coram DEO juſtificari, cùm ſcriptum ſit maledictus qui non permanet in omnibus. 5. factum ipſũ apparebat externâ ſpecie truculentũ & aliquid habuiſſe vitũ, ideo opus declaratione juſtitiæ.**

235. Hiſce præmiſſis audiamus, quomodo imputationem illam Bellarmin⁹ impugnet. *1. Nullum in Scripturis aut Patribus imputatio juſtitia Chriſti habet teſtimonium: legimus quidem, beatũ eſſe, cui non imputantur peccata, & fidem reputari ad juſtitiam & Chriſtum factum nobis eſſe a Deo juſtitiam, ſed nuſpiam legimus Chriſti juſtitiam nobis imputari, aliás ſequetur, etiam redemtionem aut ſapientiam Chriſti nobis imputari.* Reſp. repetenda hoc loco ea, quæ ad confirmationẽ noſtræ ſententiæ ex Scriptura & Patribus, adeoque ex ipſis adverſariis produximus. Certum eſt & ab utraq; parte conceſſum, in juſtificatione hominis coram Deo requiri omninò juſtitiam, cùm judicium Dei ſit ſecundum veritatem, cumq; juſtificationem ſine juſtitia conſtituere, ſit inſomnium ſine ſomno cogitare. Illa igitur juſtitia aut erit noſtra inhęrens aut Chriſti Juſtitia. Prius dici nequit multis de cauſis. 1. Juſtitia quæ valet coram Deo, oportet ut ſit perfecta, ac toti legi conformis: ratio eſt manifeſta, quia Deus eſt Judex juſtiſſimus, & lex ejus eſt æterna & immota norma juſtitię. Atqui inhęrens noſtra juſtitia nõ eſt perfecta. 2. Juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur, imputatur nobis Rom. 4. v. 6. Atqui inhærens juſtitia non imputatur nobis, ſed ut Bellarminus ſtatuit, *infunditur*. Imputare nuſpiam ſignificat infundere, nec imputari uſpiam ſignificat ſubjectivè inhærere. Ergo juſtitia imputata non eſt infuſa aut habitualiter inhærens. 3. Juſtitia, quâ coram Deo juſtificamur, non eſt *noſtra*. Rom. 10. v. 3. Ad Philip. cap. 3. v. 9. Atqui inhærens juſtitia eſt noſtra: quanquam enim ſit ratione efficientis, donum Dei: tamen ratione ſubjecti, cui inhæret, eſt & dicitur noſtra. Etiam panis quotidianus dicitur *noſter*, Matth. 6. v. 11. cùm tamen illum à Deo petamus. 4. Imputatio juſtitiæ fit *ſecundum gratiam*. Rom. 4. v. 4. Atqui inhærens juſtitia nõ dicitur imputari ſecundum gratiam, cùm *ei qui operatur, merces non imputetur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. 5. *Juſtitia Dei*, h. e. juſtitia illa, qua coram Deo juſtificamur *manifeſtata eſt ſine lege*. Rom. 3. v. 21. unde dicimur juſtificari ex Evangelio, non ex lege, fide ſine operibus, credendo, non operando, ex gratia, non ex operibus. Atqui inhærens juſtitia pertinet omninò ad legem & opera legis. Quamvis n. ratione cauſæ efficientis referatur ad Evangelium, cujus beneficium eſt donatio Spiritus S. Naturam renovantis, tamen ratione cauſæ formalis pertinet omninò ad legẽ, definitur enim, quòd ſit rectitudo interna normæ legis congruens. 6. Juſtitia Dei, quâ juſtificamur, *eſt in Chriſto*, fit autẽ noſtra per imputationem, ſicut *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum*. 2. Cor. 5. v. ult.

1. Imputatio juſtitiæ Chriſti in Scripturis aut Patribus nullũ habet teſtimoniũ.

Atqui

Atqui juſtitia noſtra inhærens non eſt in Chriſto, ſed in nobis. 7. Imputatio juſtitiæ definitur apud Apoſtolum per remiſſionem ſive non-imputationem peccatorum. Rom. 4. v. 8. At inhærens juſtitia non eſt ipſa remiſſio ſeu non imputatio peccatorum, ſed conſequens ejus, videlic. mortificatio peccati. 8. Juſtitia, quam Apoſtolus dicit nobis imputari, conſideratur abſque operibus. Juſtitia inhærens non conſideratur abſque operibus. E. Juſtitia inhærens non eſt illa, quam Apoſtolus dicit nobis imputari. Nec eſt, quòd Bellarminus regerat, *Chriſtum factum eſſe nobis à Deo juſtitiam, ſicut factus nobis eſt ſapientia & redemtio; ac proinde cùm ſapientia & redemtio Chriſti nobis non poſſit imputari, ideo nec juſtitia.* Quæ enim abſurditas eſt, dicere quod in Chriſto, *qui nobis factus eſt à Patre ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemtio*, per fidem ſimus juſti, ſancti, ſapientes & redemti, qui in nobis ſumus injuſti, impii, inſipientes, poteſtati Satanæ & mortis ſubjecti? neque enim ex eo ſequitur, quòd ſimus mundi Redemtores, ut ἀναιδεύτως Bellarminus infert, ſed quod ſimus redemti. Ut enim imputatione juſtitię Chriſti non reddimur nec dicimur juſtificatores, vel imputatione ſanctitatis Chriſti ſanctificatores, ſed juſti ac ſancti; ita imputatione redemtionis Chriſti non reddimur nec dicimur Redemtores, ſed redemti: interim libenter fatemur, Chriſtum etiam talem quandam juſtitiam & ſanctitatem nobis promeruiſſe, quâ in nobis ipſis formaliter & inhærenter ſumus ſancti & juſti, ſed illa juſtitia & ſanctitas in judicio DEI non ſubſiſtit propter imperfectionem & immunditiem ex vetuſtate carnis adhuc reliquam. Poſſunt igitur in explicatione Dicti Apoſtolici beneficia Chriſti conjungi. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia* in ſuo verbo, *juſtitia* in ſua obœdientia, *ſanctificatio* in ſuo Spiritu, *redemtio* in ſuo ſanguine: interim tamen ex eo nullâ veritatis ſpecie inferri poteſt, quòd Chriſti juſtitia nobis non imputetur. Quid quòd ab hoc loquendi modo ne ipſum quidem Concil. Tridentinum abhorreat. Cùm enim in ſeſſ. 6. can. 11. neget, *nos juſtificari ſola imputatione juſtitiæ*, concedit juſtificari quidem nos imputatione juſtitiæ Chriſti, ſed non ſolâ. Regerit Bellarmin: *Concilium damnare errorem illorum qui dicunt, ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti hominem juſtificari; nequaquam verò approbare aliorũ errorem, qui ſtatuunt hominem juſtificari partim renovatione internâ, partim imputatione juſtitiæ Chriſti, tùm in Can. 10. neget hominem juſtificari formaliter per juſtitiam Chriſti ullo modo.* Reſp. Can. 10. non habentur illa verba *ullo modo*, ſed à Bellarmino attexuntur verba Canonis 11. manifeſta ſunt. *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſolâ imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſolâ remiſſione peccatorum, excluſâ gratiâ & caritate, &c. anathema ſit*: ubi obſerva eodẽ modo Patres Concilii loqui de Imputatione juſtitiæ Chriſti & de peccatorum remiſſione. Atqui peccatorum remiſſionem non planè excludunt à juſtificatione, ſed eam ſolam ſufficere negant ſeſſ. 6. cap. 7. Idem ergò judiciũ de imputatione juſtitiæ Chriſti quòd nec ea planè excludatur. Ineptum foret, ſi quis afferat aliquid ſolũ non ſufficere, quod planè excluſum vellet. Adde quòd Piggius & autores Antididagmatis Colonienſis verba Concilii ſic intellexerint, cum quib' Bellarminus priùs transſigat, antequam Dn. Chemnitium hoc nomine flagellet.

236. 2. *Nulla poteſt afferri neceſſitas illius imputationis, quia remiſſio peccatorum notat totalem eorum deletionem, aſſerit enim Scriptura peccata tolli* 1. Paral. 2. *deleri*, Eſa. 43. *mundari* Ezech. 36. *ablui* Pſal. 50. *purgari* Prov. 15. *à nobis removeri* Pſal. 102. *projici in profundum maris* Mich. 7. *quæ phraſes etiam in N. T. repetuntur*, ubi etiam addit argumẽtum *ex collatione Adami & Chriſti*, quod exiſtimat nullã admittere reſponſionem. Reſp. de collatione Adami & Chriſti egimus ſuperiùs §. 11. nec dubitamus cordatis ſatisfactum eſſe. De peccatorum remiſſione an ſit totalis eorum deletio, egimus prolixè in tractatu Germanico de Baptiſmo cap. 16. p. 93. verba mundandi, delendi, lavandi &c. reatum planè & plenè ſolutum eſſe arguunt, interim tamen negari nequit. 1. *In carne renatorum adhuc habitare peccatum* teſte Apoſtolo Rom. 7. v. 14. & ſeq. 2. in renatis *manere luctam carnis & Spiritus* Gal. 5. v. 17. 3. *interiorem hominem in renatis quotidiana renovatione indigere* 2. Cor. 4. v. 16. 4. infantes baptizatos & *morbis & morti* obnoxios eſſe Rom. 5. v. 14 5. etiam fidelium baptizatorum liberos *peccato originali* obnoxios naſci Joh. 3. v. 6. 6. inde eadem Scriptura, quæ peccata deleri teſtatur, ea *tegi & non imputari* aſſerit Rom. 4. v. 6. 7. &c. plura hac de re ſuo loco. Invertim' igitur argumentum. In ſanctis manent adhuc peccata, pro quibus quotidiè orare coguntur Pſal. 32. Matth. 6. Rom. 7. 1. Joh. 1. &c. Ergò ſumma eſt imputationis illius neceſſitas. Addit Bellarminus duplicem calumniam 1. opponit imputationem veritati. 2. tribuit nobis hanc ſententiã, quòd Chriſtus imputativè tantùm deleverit peccata.

2. Nulla poteſt afferri neceſſitas illius imputationis.

237. 3. *Si fides, ſpes & caritas in hac vita poſſunt eſſe perfecta, non erit neceſſaria imputatio juſtitiæ Chriſti. At verum prius. 1. Fides aut in hac vita perfecta eſt, aut nunquam poterit eſſe perfecta, ſiquidem in vita æterna non perficietur, ſed evacuabitur, quid quod auro ignem ſuſtinenti comparatur*, 1. Petri 1. *& quidam dicuntur credidiſſe toto corde* Actor. 8. *Abraham dicitur πληροφορηθεὶς in fide* Roman. 4. *nec languidam ſed robuſtam oportet eſſe fidem, quæ vincit regna & obturat ora leonũ* Heb. 11. *vincit mundum*, 1. Joh. 5. *reſiſtit Diabolo* 1. Pet. 5. *& omnia ejus tela extinguit*, Eph. 6. *unde πληροφορία, hoc eſt, pleniſſima & perfectiſſima perſuaſio tribuitur fidei* Hebr. 3. 2. *Spes vocatur anchora animæ tuta ac firma* Heb. 6. 3. *Martyres ex caritate animam poſuerunt pro fratribus, jam verò nemo habet caritatem majorem, quàm ut animã ſuã quis ponat pro amicis* Joh. 15. *qui ſervat verbum Dei, in hoc perfecta dicitur caritas* 1. Joh. 2. *deniq; quidã dicuntur Deum toto corde dilexiſſe* Deut. 30 *ac multis tribuitur perfectio.* Matth. 5. 1. Cor. 2. Phil. 3. *reſtat igitur, fidem, ſpem & caritatem in renatis eſſe perfectam, ideoque imputatione juſtitiæ Chriſti nenuquã indigere.* Reſp. 1. Oſtendimus ſuo loco ad ſumum illum perfectionis gradum in lege divina requiſitũ neminẽ in hac Naturæ corruptione aſpirare ubi pleraq; quæ h. l. Bellarm. affert, prolixè ſunt diſcuſſa. Breviter; *lex Spiritualis eſt, nos a.* (etiam poſt regenerationem) *carnales ſumus, venundati ſub peccatũ* Rom. 7. v. 14. 2. Perfectio igitur renatorũ non conſiſtit in perfecta legis impletione, ſed in imputatione perfectæ juſtitię Chriſti, in ſinceritate novę obœdientiæ

3. Fides, ſpes & caritas in hac vita poſſunt eſſe perfecta.

in agnitione imperfectionis, in comparatione ad alios, in ſerio ad perfectionem curſu, &c. quâ de re latè tractat Auguſtinus in libro de perfect. juſtitiæ contra Cœleſtium Pelagianum. Diſtinguendũ igitur inter perfectionem abſolutam & κατά τι ſive comparatè ſic dictam, ipſe Thomas p.2.2.q.184. artic.2. *in charitate tres ſtatuit perfectionis ſpecies 1. abſolutam ſecundùm totalitatem ex parte diligentis & ex parte diligibilis; hanc perfectionem negat eſſe creaturæ poſſibilem. 2. perfectionem ſecundùm totalitatem abſolutam ex parte diligentis, hanc tribuit patriæ ſive ſtatui vitæ æternæ. 3. Perfectionem, quæ nec attendatur ſecundùm totalitatem ex parte diligibilis (quâ Deus tantum diligatur, quemadmodum eſt diligibilis) nec ſecundùm totalitatem ex parte diligentis, quemadmodũ ad hoc quod ſemper actu feratur in Deũ, ſed quemadmodum ad hoc quod excludantur ea, quæ repugnant motui dilectionis, hanc ſolùm perfectionem in hac vita haberi poſſe concludit*, (oſtendit autẽ ipſa piorum experientia, ne hanc quidem perfectionem ſemper ab omnibus piis & renatis obtineri, cùm ex corde exurgant motus vitioſi dilectioni divinæ repugnantes) 3. Fides conſideratur vel ratione objecti quod apprehendit; vel ratione qualitatis; priori modo perfectio ejus conſiſtit in apprehenſione Chriſti, poſteriori modo ſuos habet gradus, ſuaque incrementa. 4. Quomodo & quo reſpectu fides in vita æterna ceſſatura ſit, non opus eſt hoc loco latè explicare. Ipſi Scholaſtici diſtinguunt inter habitus & actus virtutũ, nec concedunt, ut ex remotione actus, ipſius habitus remotio colligatur. Fidei ſanè, ut eſt cognitio in ſpeculo, ſuccedet manifeſta viſio, nec ampliùs occupata erit fides in apprehenſione promiſſionis Evangelicæ de peccatorum remiſſione, interim tamen lux notitiæ & fiducia miſericordiæ Divinæ in voluntate nõ abolebitur, ſed perficietur. 5. Phraſes Scripturæ, quibus fidei & caritatis ſinceritas ab hypocriſi & ſimulatione diſcernitur, non ſunt eò trahendæ, quaſi perfectam legis impletionem deſcribant. 6. Verbum Dei ſervare intelligendum eſt non legaliter, ſed Evangelicè, *Hoc eſt præceptum ejus, ut in Chriſtũ credamus & nos invicem diligamus*. 1. Joh.3.v.23. 7. Quanti omninò roboris ſit fides, quantæcunq; perfectionis charitas, tamẽ *pleniſſima illa, quæ augeri omninò nequit, quamdiu hic homo vivit, in nemine eſt, quamdiu autem augeri poteſt, profecto illud, quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt, ex quo vitio non juſtificabitur in conſpectu Dei omnis vivens*. Auguſt. Epiſt. 29. ad Hieron. &c. Idem lib.3. contra duas Epiſt. Pelag. cap.7. *Virtus, quæ nunc eſt in homine juſto, hactenus perfecta nominatur, ut ad ejus perfectionem pertineat ipſius etiam imperfectionis & in veritate agnitio, & in humilitate confeſſio*. De Natur. & grat. cap. 26. *Si omnes ſanctos & ſanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quantalibet fuerint excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, unâ voce clamaſſent: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus*. 8. Martyres, quamvis ex vera & ſeria dilectione pro gloria Dei mortui ſint, tamẽ communem illam totius Eccleſię vocem uſurpârunt: *Dimitte Domine nobis debita noſtra*. Pſal.32.v.6. Luc.11.v.4. ubicunque verò neceſſaria eſt peccatorum remiſſio, ibi nondum eſt perfecta legis impletio, cùm peccare & legem implere ſint contradictoria. 9. Quædam dicta deſcribunt pios, non quales ſint, ſed quales eſſe debeant. 10. Denique procedit argumentum Bellarmini ex falſa hypotheſi, quòd juſtificatio conſiſtat in fide, ſpe & caritate, cùm ſit ſolius fidei, & quidẽ, non ut eſt habitus vel qualitas nobis inhærens, ſed ut Chriſtũ in verbo Evangelii apprehendit.

238. 4. *Fieri non poteſt, ut juſtitia Chriſti nobis imputetur, & pugnat cum recta ratione ita nobis imputari Chriſti juſtitiam, ut per eam formaliter juſti nominemur & ſimus. Tametſi enim aliquando denominatio fiat à forma extrinſeca, quo modo res dicitur cognita per cognitionem, quæ eſt in mente, & paries dicitur viſus per viſionem, quæ eſt in oculo: Tamen cùm in aliquo duæ ſunt formæ contrariæ, una inhærens, altera extrinſeca, ſine dubio abſoluta denominatio ſumitur ab inhærente forma potius quàm ex intrinſeca. Si quis enim æthiopem candidâ veſte indueret, non rectè diceret, hic æthiops eſt albus, ſed potiùs diceret, hic æthiops eſt niger.* Reſp. 1. modus juſtificationis non eſt æſtimandus ex regulis Phyſicis, nec audienda humana ratio contra myſteria doctrinę cœleſtis inſurgens. ** Phyſica ignorat humani generis lapſum, ignorat Medicum Chriſtum, quomodo igitur ſciret juſtificationis modum? Coſterus in Ench. p. 227. *Hæ voces* (juſtificare & juſtificari) *ſunt Chriſtianorum propriæ, utpote qui ſolùm juſtificantur & quid juſtificatio ſibi velit, ſoli cognoſcũt & experiuntur.* ** Juſtitia imputata vocatur *admiranda juſtitia*, Pſal.65.v.6. *Sapientia abſcondita* Pſal. 51. v. 8. *Prudentia juſtorum* Luc.1.v.17. quid mirum, ſi ratio hanc rem non aſſequatur? Unde etiam *Spiritus ſanctus arguet mundum de juſtitia* Joh.16. v.10. 2. Bellarminus ſibiipſi contradicit, diſputat enim lib. 2. de Juſtif. cap. 4. *caritatem eſſe formam fidei extrinſecam, à qua ſit & dicatur fides formata.* Quod ſi fides reſpectu formæ extrinſecæ eſt & dicitur vel informis vel formata, quomodo negari poteſt denominationem fieri a forma extrinſeca? certè antequam accedat caritas, fides habet ſuam formam internam, eſt enim qualitas, nihilo tamen minùs fidem abſque caritate, quæ eſt forma ejus extrinſeca, Bellarminus vocat informem lib. de gratia primi hominis c.5. & ſeqq. diſputat, *in primo homine fuiſſe morbũ & languorem Naturæ, pugnantes propenſiones, concupiſcentiam pravam &c. ſed additam fuiſſe juſtitiã originalem, quâ velut aureo freno pars inferior ſuperiori, & ſuperior Deo ſubjecta contineretur.* Certè hæc juſtitia ex hypotheſi Bellarmini fuit donum ſupernaturale & extrinſecum, unde etiã in ſequenti cap. 6. confert honori, interim tamẽ denominatus eſt primus homo tum ex eo juſtus. 3. Juſtificatos dici peccatores & juſtos diverſo reſpectu, tàm non eſt abſurdum, quàm non eſt pro abſurdo habendum, quòd *caro & Spiritus, novus & vetus, interior & exterior homo*, in renatis ſtatuuntur. Juſtificati ſunt peccatores, reſpectu peccati in carne adhuc hærentis, ſunt juſti reſpectu juſtitiæ imputatæ & inchoatæ. Quid enim? an non *omnes Sancti peccatorum remiſſione indigent?* Pſal.32.v.2. an non omnes renati fateri coguntur, *ſe habere peccatum* 1. Joh.1.v.8. Eccleſia Cantic.1. dicit ſe eſſe *nigram* verſ.5. & *pulchram* v. 8. eat nunc Bellarminus & dicat oppoſitum eſſe in adjecto, ſi ſtatuatur, ſanctos eſſe adhuc peccatores. 4. Ne verò imputationem juſtitiæ Bellarminus ridere pergat, conſtanter ur-

4. Fieri nõ poteſt, ut juſtitia Chriſti nobis imputetur.

gemu

gemus collationem Apoſtolicam 2.Cor.5.v.ult. *Chriſtus factus eſt pro nobis peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in illo.* Quemadmodum Chriſto imputata ſunt peccata noſtra, etiamſi in ſe & ſui ratione eſſet juſtiſſimus, imò ipſa juſtitia: ita quoque imputatur nobis Chriſti juſtitia, etiamſi in nobis ac noſtri ratione adhuc ſimus peccatores: quæ eſt ratio appellationis, quando Chriſtus dicitur *peccatum*, eadem eſt ratio appellationis, quando dicimur *juſtitia*. At illîc ratio appellationis non æſtimatur à forma inhærente, ſed intrinſeca & imputata. Ergo & hîc ratio denominationis à forma imputata æſtimanda eſt. 5. Exempla Bellarmini de pallio albo in Æthiope, de viſu in pariete, de cognitione in re cognita &c. ſunt valde diſparia, quia fundamentum imputationis illius, quam propugnamus, eſt in DEO, qui *vocat ea, quæ non ſunt tanquam ea, quæ ſunt* Rom. 4. v.17. Sicut imputatio peccatorum noſtrorum facta Chriſto non fuit umbratilis & imaginaria, ſed impoſuit ipſi tale onus, ſub quo tàm miſerabiliter clamat & ingemiſcit: ita quoque imputatio juſtitiæ Chriſti per fidem non eſt umbratilis putativa ac imaginaria. 6. Quid quòd exempla in medium allata poſſunt inverti, & ad noſtræ ſententiæ confirmationem accommodari. Quemadmodum n. Æthiopem candidâ veſte indutum & nigrum & album diverſo reſpectu appellare poſſum: ita quoque juſtificatos & peccatores & juſti diverſo reſpectu appellare poſſum, peccatores in ſe, juſtos in Chriſto fide apprehenſo; peccatores reſpectu carnis, juſtos reſpectu Spiritus, ſive inchoatæ renovationis. Probè igitur notandum, quod peccatum quidem dicimus in renatis manere, interim tamẽ addimus, & reatum ejus verè ſolutum eſſe, & peccatum ipſum mortificari cœptum: proinde quòd urget Bellarminus denominationem fieri potius ab intrinſeco, quàm extrinſeco, id cum hac limitatione accipiendum eſt, ſi intrinſecum illud ſuam (ut ita loquar) formalitatem & vigorem obtineat: atqui peccatum, quod poſt juſtificationem in renatis adhuc hęret, amiſit ſuum formale, i. e. reatum, ac manet tantùm materiale, atq; illud ipſum mortificari cœptum ut non ampliùs ſubjuget renatos. 7. Quare cum nihil obſtet, quò minùs etiã à forma extrinſeca fieri poſſit denominatio, quantò magis pii denominari poſſũt juſti à juſtitia Chriſti per fidem imputata? quamvis n. ea non inhæreat, tamen cùm à Deo imputatur, denominatio inde veriſſima oritur. 8. cur non affert Bellarm. exemplum debitoris, quod Scripturis conforme & propiùs accedit ad imputationis hujus explicationem. Quemadmodum enim debitor cui aliena ſolutio à creditore imputatur, in ſe quidem debitor eſt, ſed in allo, qui pro ipſo ſolvit, habetur non debitor, propter ſolutionem alienam; quæ ipſi imputatur, hoc eſt, ipſius propria cenſetur: ita in nobis ſumus debitores, ſed Chriſti ſolutio nobis per fidẽ imputatur. 9. quid, quòd ipſe Bellarminus hoc loco ſcribit, *Chriſti merita nobis imputari, ut poſſimus ea Deo Patri offerre pro peccatis noſtris, quoniam Chriſtus ſuſcepit ſuper ſe onus ſatisfaciendi pro nobis*: Certè ſi merita Chriſti nobis imputãtur, utique etiam ipſius juſtitia, ſiquidem non ſolùm paſſiones, ſed etiam actiones ejus meritoriæ fuerunt, ut conſtat: ſi Chriſti ſatisfactio ideò nobis imputatur, quia in ſe onus ſatisfaciendi ſuſcepit, utique etiam Chriſti juſtitia ideò & inde nobis imputatur, quia peccata noſtra, & onus implendi legem in ſe ſuſcepit. Si merita Chriſti ita nobis imputantur, ut poſſimus ea Deo afferre pro peccatis noſtris, utique in judicio Dei merita Chriſti (quæ tamen nobis non inhærent) cenſebuntur noſtra: & quia peccata quædam ſunt commiſſionis, quædam omiſſionis, utique non ſolùm meritum ſatisfactionis pro peccatis commiſſionis, ſed etiam meritum obœdientiæ pro peccatis omiſſionis nobis imputari conſequens fuerit.

239. 5. *Si verè nobis imputaretur Chriſti juſtitia, profectò non minùs juſti haberi, cenſeriq; deberemus, quàm ipſe Chriſtus, proinde deberemus dici atq; haberi redemptores & ſalvatores mundi, quod eſt abſurdiſſimum.* Reſp. 1. quamdiu eſt, quod Bellarminus in negotio juſtificationis & ſalutis tam modeſtus eſſe cœpit! certè lib. 1. de purgatorio cap. 14. diſertè ſcribit: *hominem ſui ipſius Redemptorem & Salvatorem rectè appellari poſſe*. Propugnat noſtras ſatisfactiones & operum noſtrorum merita, quod gloriæ Chriſti detrahere ſuo loco oſtendemus. Schöpp. in Apol. de Indulg. cap. 47. diſputat, *Sanctos appellari poſſe redemtores licet impropriè, eò quod debitum parvi momenti perſolvant, ſi cum eo debito conferatur, pro quo Chriſtus ſatisfecit*. De Chriſti ſatisfactione ſcribit Tapperus tom. 1. artic. 6: *eam non mereri nomen perfectæ ſatisfactionis*. Quidam ex Scholaſticis diſputant, *Paſſionem Chriſti non eſſe ex ſe, ſed tantùm ex cœleſtis Patris acceptatione meritoriam*. Hæc ſunt, quæ honorem Chriſto proprium adimunt, ac noſtris operibus tribuunt, nequaquam verò imputatio juſtitiæ Chriſti repugnat ipſius honori, cùm eo fine juſtitiam illam merito paſſionis ſuæ acquiſierit, ut nobis imputari poſſet. 2. Dicimus igitur, quamvis Chriſtus Redemtor & Salvator Catholicus pro peccatis totius mundi ſatisfecerit, cuilibet tamen credenti id ex merito illo imputari, quod ſuo loco pręſtare debebat, nec pręſtare poterat. *Quantum in bonis Domini pedem fiducia porrexeris, tantum ex illis habebis.* Ex precioſa & abundantiſſima illa juſtitiæ medicina quisque ſibi applicat, quod ſuæ ſaluti conveniens ac ſufficiens. Chriſtus veluti Sponſor noſter debitum noſtrum in ſe transferens ſuâ obœdientia & ſatisfactione pleniſſimè illud perſolvit, hanc perſolutionem velut prægrande quoddam pondus auri ad ſuum tribunal ſoliumvé in uſum egentium peccatorum depoſuit, ex eo fide quisque accipit quantum ſibi ſufficit. 3. Chriſtum *per fidem in cordibus noſtris habitare* Eph. 3. v.17. adeoque *in nobis vivere*, Galat. 2. v. 20. per Chriſtum *divinæ conſortes Naturæ nos effici* 2. Petri 1. verſ. 4. *Corpora noſtra eſſe Chriſti membra* 1. Cor. 6. v. 15. evidenter aſſerunt Apoſtoli, ecquis verò ex eo colligere voluit nos mundi redemtores & ſalvatores effici? 4. Si juſtitia Chriſti nobis inhæreret, vel ſi cum Oſiandro ſtatueremus, eſſentiali juſtitiâ Chriſti nos juſtificari, tum fortaſſis aliquid roboris huic argutiæ ineſſet, ſed imputari nobis dicimus Chriſti juſtitiam, non inhærere. 5. Ex hac imputatione non poterit colligi nos eſſe mundi Salvatores ac Redemtores, ſiquidem ad hoc nõ ſufficit imputata quædam juſtitia, ſed requiritur unio divinæ & humanæ naturæ. adeoque ut in ſeſe quis ſit ἀναμάρτητος, quod ſoli Chriſto ex omnibus hominibus competere

1. *Eſſemus non minus juſti quàm ipſe Chriſtus.*

petere conſtat. 6. Urgemus denuò collationem Apoſtolicam: quemadmodum imputatio peccatorum noſtrorum facta Chriſto non efficit ut Chriſtus dicatur peccator activè ſed tantùm paſſivè, quatenus ei peccata noſtra imputantur: ita quoque imputatio juſtitiæ Chriſti facta per fidem nō efficit, ut dicamur Juſtificatores activè, ſed tantùm paſſivè; non redemtores ſed redemti; non juſtificatores, ſed juſti; non ſalvatores, ſed ſalvati; ex quo fundamento D. Luth. juſtitiam fidei vocat *juſtitiam paſſivam*. 7. Quando igitur à juſtitia Chriſti per fidem nobis imputata, denominamur juſti, vocabulum Juſti accipitur non activè, ſed paſſivè, ita quoque à redemtione & ſalvatione non dicimur redemtores & ſalvatores, ſed redemti & ſalvati, Rom. 2. v. 26. *Si præputium juſtitias legis cuſtodiat, præputium illius reputabitur in circumciſionem*, nec tamen haberi activè, aut dici poſſunt circomcidentes, ſed paſſivè habentur pro circumciſis.

6. In Adam perdidimꝰ non imputatam ſed veram juſtitiam.

240. 6. *Chriſtus id nobis reſtituit, quod perdideramus in Adam, atqui in Adam perdidimus non imputatam, ſed veram inhærentem juſtitiam. Ergo per Chriſtum veram juſtitiam, non extrinſecam tantum imputatamq́; recipimus.* Reſp. 1. mutatur quid in quale, ac confunditur res & rei modos. Veram & perfectam juſtitiam in Adamo amiſimus, veram & perfectam juſtitiam reſtituit nobis Chriſtus; idem ergò quod per primum Adamum eſt amiſſum, per ſecundum Adamum eſt reſtitutum, ſed modus participationis variat. Adami injuſtitia propagatur in nos carnali generatione; ſed Chriſti juſtitiæ participes reddimur vera veræ fidei apprehenſione. 2. Oppoſitio inter veram & imputatam juſtitiam non eſt legitima & repugnat collationi Apoſtolicæ. 2. Cor. 5. v. ult. Quemadmodum Chriſto verè imputata ſunt peccata noſtra, ita quoque verè imputatur nobis per fidē Chriſti juſtitia. 3. Concedimus, Chriſtum non ſolùm imputatam, ſed etiam inhærentem juſtitiam nobis promeruiſſe, cùm non ſolùm peccatorum remiſſionem, ſed etiā donationem Sp. ſancti nobis promeruerit, interim tamen inhærens illa juſtitia, in hac vita tantùm inchoatur, in futura demum perficietur, ergo non eſt id, quod judicio Dei in juſtificatione opponi poſſit. Imago Dei, quam in Adamo amiſimus, non reſtituitur nobis perfectè in hac vita, ſed in altera demum perfectè reſtituetur. 1. Cor. 15. v. 50. *Sicut portavimus imaginem terreni; ita portabimus* (φορέσωμεν) *etiam imaginem cæleſtis, in hac vita interior noſter homo de die in diem renovatur* 2. Cor. 4. v. 16. ** Si quis regerat: *Per Chriſtum plus recuperatum, quam per Adamum perditum. Ergò peccata penitùs delentur.* Reſp. 1. Quamvis ſucceſſivè expurgentur peccati reliquiæ, ex eo tamen nihil decedit merito Chriſti, ejusdemque efficaciæ. Si vel maximè Deus ſex dierum ſpatio hunc mundum condidit, tamen Omnipotentiæ ejus nihil detrahitur. Poſſet unâ horâ infantem in utero matris formare, ſed placet ipſi novem menſium ſpacio illud abſolutum reddere. 2. Ut duo nobis per Adamum collata ſunt, pravitas & reatus, ita duo viciſſim nobis à Chriſto donata ſunt, regeneratio & renovatio, reatus condonatio & ſanatio, Ergò Chriſti beneficium efficacius eſt Adæ veneficio. 3. Si nimis abjectè de Chriſti gratia loquimur, quod negamus omnimodam peccatorum deletionem in hac vita, ſequetur etiam Pontificios nimis abjectè de ea loqui, agnoſcunt remanere concupiſcentiam peccati fomitem, fateri coguntur renatos mori, obnoxios eſſe morbis & calamitatibus, quæ omnia in Adamo non fuiſſent reperta, ſi in perfectione perſtitiſſet. 4. Si urgeatur, quare Chriſtus non ſtatim poſt juſtificationem omnia peccata is renatis tollat, Reſp. verbis Auguſt. lib. 4. contra Julian. c. 3. *Quis cognovit ſenſum Domini, non tamen parum ſcio, quæcunq; illa ſit cauſa, quod ne juſti Dei ſit iniquitas, nec omnipotentis infirmitas. Eſt igitur aliquid in abdito & alto ejus conſilio cur quamdiu vivimꝰ in hac mortali carne, eſt in nobis contra quod dimicet mens noſtra, eſt etiam propter quod dicamus, dimitte nobis debita noſtra.* 5. Si omnino danda ratio, dicemus id fieri primò propter divinæ potentiæ manifeſtationem 2. Cor. 12. v. 9. quæ magis eluceſcit in ſalute infirmatorum deinde propter Spiritualem exercitionem, *ut ſub iſtis paſſionibus contra concupiſcentiam homo depugnans acquirenda corona miſericordiam habeat.* Auguſt. 1. de Bapt. parv. c. 39. Deniq; propter conformitatem cum Chriſto, qui obnoxius fuit paſſionibus ex peccato noſtro redundantibus.**

7. Chriſtꝰ poſſet dici verè peccator.

241. 7. *Si per juſtitiam Chriſti nobis imputatam verè dici poſſumus juſti & filii Dei, ergo poterit Chriſtus per injuſtitiā noſtram ſibi imputatam dici verè peccator, & quod horret animus cogitare, filius Diaboli, Atqui hoc eſt blaſphema & ſacrilega impudentia*, Reſp. 1. Apoſtolus disertè dicit Chriſtum factum eſſe pro nobis *peccatum* 2. Corinth. 5. v. ult. quem locum ex Chryſoſtomo, Theophylacto & Oecumenio, Ruardus Tapperus ſic explicat, quòd Chriſtus pro nobis factus ſit inſignis peccator, cum illis priùs tranſigat. 2. Neque eſt, quòd regerat Bellarminus, *Chriſtum in ſacris literis dici ſemel peccatum per tropum, quia fuit hoſtia pro peccato, ac ſemel dici maledictum, quia maledictis & opprobriis ac pœnis plurimis ſubjectus fuit.* Vera eſt hæc explicatio, ſed non plena, cùm ex ſubordinatis faciat oppoſita. Chriſtus vocatur peccatum, non tantùm quia factus eſt victima pro peccato, verùm etiam quia *impoſuit illi Deus peccata omnium noſtrûm.* Eſa. 53 v. 4. unde dicitur, *Agnus Dei tollēs peccata mundi.* Joh. 1. v. 29. Id quod ſuperiùs latè fuit declaratum. 3. Invertimus igitur argumentum. Chriſtus verè & realiſſimè pœnas peccatorum noſtrorum in ſe ſuſcepit; Ergo peccata noſtra rectè ipſi dicuntur imputata; Chriſtus *victima loco in ara crucis obtulit ſe Deo Patri in odorem ſuavitatis.* Epheſ. 5. v. 2. Ergò *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignū.* 1. Pet. 2. v. 24. *Chriſtus vulneratus eſt, propter iniquitates noſtras.* Ergò *Deus poſuit in ipſo iniquitates omniū noſtrûm.* Verè igitur Chriſtus dici poteſt peccator, imò peccatū, non ratione inhæſionis, ſed ratione imputationis. 4. Quanquā v. ſemel tantùm κατ' ῥητὸν in ſcripturis Chriſtꝰ dicatur *factꝰ pro nobis peccatū*, tamē æquipollentes phraſes complures extāt, ut ſuo loco oſtendimꝰ, ac ſufficit omnibus Chriſtianis ad fidei πληροφορίαν ſi vel ſemel Sp. ſanct. qui eſt ipſa veritas aliquid aſſerat. 5. Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum, non ſolùm quia maledicta & opprobria hominū noſtri loco pertulit, ſed etiam quia peccata noſtra, quibus maledictio debebatur, ipſi ſunt à Patre cœleſti impoſita, id quod ex loco Apoſtolico evidenter colligitur. Sic enim procedit Apoſtolus Gal. 3. v. 10.

Qui-

Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt, ſcriptum eſt enim, Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea, v. 13. *Chriſtus nos redemit à maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia ſcriptum eſt, Maledictus omnis, qui pendet in ligno,* v. 14. *ut in gentes benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, ut promiſſionem Spiritus accipiamus per fidem.* Hìc diſertè exp itur, quomodo Chriſtus factus ſit pro nobis maledictũ, nimirum quia maledictioni legis, cui propter peccata noſtra ſubjecti eramus, ſeſe ſubjecit, atque hac ratione à maledicto legis nos liberavit. Quò referendus eſt anxius ille clamor Chriſti in cruce, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Matth. 27. v. 46. nimirum non hominum ſolùm opprobria & maledicta ſuſtinebat, ſed etiam in juſtiſſimo Dei judicio propter peccata generis humani in ſe conjecta factus erat maledictum. Ideò *Deus Pater ipſi non pepercit*, Rom. 8. v. 32. *ſed propter noſtra ſcelera* ipſi imputata *percuſſit eum,* Eſa. 53. v. 5. Quemadmodum igitur Chriſtus verè dici poteſt ab Apoſtolo ἐπικατάρατος, *quia factus eſt pro nobis κατάρα.* Gal. 3. v. 13. ita quoq; verè dici poteſt ἁμαρτωλὸς, *quia factus eſt pro nobis ἁμαρτία.* 2. Cor. 5. v. ult. 6. *At,* inquit Bellar. *ſi Chriſtus dici poteſt peccator propter noſtra delicta ipſi imputata, dici etiã poterit filius Diaboli.* Reſp. ἀσυλλόγιστως, id inſertur, filius Diaboli in Scripturis is demum dicitur, *qui facit opera Diaboli* Joh. 8. v. 44. adeò ut nec renati, quamvis adhuc in illis habitet peccatum, filii Diaboli propterea dici debeant; at Chriſtus nec inhærenter nec activè peccator eſt, ſed tantùm imputativè, quatenus peccata noſtra in ipſum conjecta, ipſiq; imputata ſunt.

8. Sponſa habet propriã quandã pulchritudinem.

242. 8. *Chriſtus in Cantico Canticorum comparatur Sponſo & Eccleſia ſive anima juſtificata comparatur Sponſa. Dicitur autem Sponſa illa pulcherrima pulchritudine ſibi inhærente, nõ pulchritudine Sponſi ſibi imputatâ. Nam idcircò tribuitur Sponſæ pulchritudo propria, ut aliam intelligamus eſſe Chriſti, aliam Eccleſiæ vel animæ juſtificatæ pulchritudinem. Adde quòd abſurdiſſimum foret, ſi Sponſus cœleſtis & verè pulcherrimus haberet Sponſam turpiſſimam & ſolum extrinſecus ornatam precioſâ aliquâ veſte viri.* Reſp. I. Nemo noſtrum negat Eccleſiam & animã juſtificatam habere propriam & inhærentem pulchritudinem, non tamen innatam, ſed à Sponſo ſibi donatam. 2. Sed enim cùm inhærens illa pulchritudo in hac vita nondum ſit perfecta, *Sponſa* enim *nævo nigredinis hic nondum caret,* & quod Eph. 5. v. 28. de ea pronunciatur, in futura demùm vita perfectè implebitur, ut pluribus in locis Auguſt. teſtatur, quod & agnoſcit ipſe Thom. Aquin. part. 3. q. 8. art. 3. reſp. ad 2. *Eccleſiam eſſe glorioſam non habentem maculam neque rugam eſt ultimus finis, ad quem perducimur per paſſionem Chriſti, unde hoc erit in ſtatu Patriæ, non autem in ſtatu viæ, in quo ſi dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus,* ideò per & propter illam inhærentem pulchritudinem non poteſt coram Deo juſtificari, ſed requiritur ipſius Chriſti cœleſtis Sponſi juſtitia, quæ tegat ipſius nuditatem ac nævos, atq; hæc eſt *veſtis illa nuptialis, veſtis juſtitiæ, palliũ ſalutis,* quod Sponſam facit Deo gratam, quâ de re ſuperiùs. 3. Quamvis pulchritudo ſive juſtitia Chriſti per fidem Sponſæ imputetur, ex eo tamen non poteſt inferri, quòd nõ ampliùs ſit alia Chriſti, alia Eccleſiæ pulchritudo. Diſtinguendum enim inter juſtitiã perſonæ & officii. Juſtitiã perſonæ Chriſtus eſſentialiter & formaliter juſtus & pulcher eſt, ſed ratione officii *nobis factus eſt à Deo juſtitia,* quicquid enim in officio Mediatoris acquiſivit, id nobis acquiſivit ac per fidem donat. *Duplici ergò jure* (ut ex Bernhardo audivimus §. 179.) *obtinet Chriſtus regnum cœlorum hæreditate ſcil. Patris, & merito paſſionis, altero ipſe contentus eſt, alterũ nobis donat &c.* 4. Cant. 1. v. 5. *Eccleſia ſe dicit nigram* & v. 8. *formoſam.* Quando fatetur nigredinem ſuam, deformitatem intelligit nativam, quando de pulchritudine gloriatur, pulchritudinem intelligit à Sponſo ſibi donatam. Invertimus igitur argumentum: Eccleſia eſt Sponſa Chriſti, Atqui Sponſa & uxor coruſcat radiis Sponſi & mariti. Ergò Eccleſia formam & dignitatem ſuam accipit à Chriſto.

9. Cor immundum licet ornatum verè tur, non poteſt videre Deũ.

243. 9. *Per juſtificationem mundatur cor, ut præparetur ad viſionem Dei* Matth. 5. Act. 15. *At oculus reipsâ immundus, quamvis mundiſſimus habeatur, non poteſt Solem videre, igitur nec cor immundum, quamvis mundũ reputetur, Deum unquam videbit.* Reſp. 1. *per fidem purificantur corda* Act. 15. v. 9. quia fides in Chriſto peccatorum remiſſionem & juſtitiã apprehendit. 2. Cum hac peccat. remiſſione conjuncta eſt veteris hominis mortificatio & interior renovatio, per quam itidem cor purificatur, ſed hæc puritas in hac vita inchoatur & quotidiè creſcit, in futura demũ vita plenè perficitur. *Quis enim* (reſpectu hujus inhærentis puritatis dicere poteſt) *mundũ eſt cor meũ, & mundus ſum à peccatis?* Prov. 20. v. 9. *cum ex corde* renatorum quandoq; *exurgant pravæ cogitationes, quæ ipſos conquinant corã Domino* Matth. 15. v. 19. & 20. 3. Unde etiam in hac vita viſio ſeu cognitio Dei eſt imperfecta, ſed in æterna vita, ubi peccatum planè fuerit abolitum, & cum omnibus fibris eradicatum, *videbimus Deum à facie ad faciem.* 1. Cor. 13. v. 12. & perfectè erimus mundi ſine macula & ruga, ſine omni peccati labecula etiam minima. Auguſt. lib. 3. contra Creſc. c. 3. *Ad exiſtimationem humanam magna teſtium, qui me noverunt, ſuppetit copia, ad Dei verò conſpectum ſola conſcientia, quam cum contra veſtras criminationes intrepidam geram, non me tamen ſub oculis omnipotentis juſtificare audeo, magisq; ab eo effluentem miſericordiæ largitatem, quam judicii ſummum examen expecto; cogitans quod ſcriptum eſt, cùm Rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur ſe caſtum habere cor, aut mundũ eſſe à peccatis?* 4. Nequisq̃ noſtrum negat conferri homini juſtificato munditiem quandã inhærentem, ſed in hac mũditie formaliter conſiſtere juſtificationẽ ac mundiciem illã Dei judicio opponi poſſe negamus.

10. Chriſtꝰ fruſtra paſſus eſt, ſi imputativè tantũ ſanctificamur.

244. 10. *Chriſtus paſſus eſt, ut ſanctificaret & mundaret ſibi populũ per ſuum ſanguinem; At ſi non verè, ſed imputativè tantũ populũ ſuum Chriſtus ſanctificavit, fruſtra paſſus eſt & mortuus, & non potuit perficere, quod optabat.* Reſp. 1. Denuò recurrit vitioſa oppoſitio imputationis & veritatis, toties profligata. 2. Imputatæ ſanctitati conjuncta eſt interior renovatio & ſanctificatio, ſed ea in hac vita eſt imperfecta, unde jubentur renati *perficere ſanctificationẽ & ab omni inquinamento carnis & Spiritus ſeſe mundare.* 2. Cor. 7. v. 1. prior igitur ſanctitas per fidẽ imputata juſtificat, poſterior eſt fructus & conſequens juſtificationis. 3. q̃vis in hac vita ſanctitas inhærens inchoata & quotidiè proficiens nõ veniat ad perfectionẽ: tamen

in vita æterna erit plena, perfecta & numeris omnibus abſoluta, proindè non fruſtratur Chriſtus mortis & paſſionis ſuæ fine, ſive imputatam, ſive inhærentem ſanctitatem reſpicias.

Dicta Patrum.

245. Cap. 8. affert Bellarm. *Dicta Patrum* pro inhærente juſtitia. Reſp. 1. Hoc genus argumentorum eſt ſecundariũ, *neq; enim quorumlibet diſputationes, etiamſi Catholicorũ & laudatorum hominum velut Scripturas Canonicas habemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ, quæ illis hominibus debetur, aliquid in illorum ſcriptis improbare ac reſpuere, ſi fortè invenerimus, quòd aliter ſenſeriat, quam veritas habet*, ut loquitur Auguſtin. Epiſt. 111. 2. Scriptura verbum Juſtificandi accipit in ſignificatione forenſi pro abſolutione à reatu peccatorum, ſed patres quandoq; ſecuti Grammaticã vocis compoſitionem pro donatione inhærentis juſtitiæ uſurpant. Hanc Lat. vocis compoſitionem ſecutus ipſe D. Brent. in Apol. Conf. Wirt. de Juſtif. p. 287. ſic ſcribit: *Cùm homo credit in Chriſtum, duplici ratione juſtificatur: Unâ juxta alterum ac Hebræum ſignificatum juſtificationis, quòd abſolvitur à peccatis & conſequitur remiſſionem peccatorum, ac imputatur ei juſtitia Chriſti, adeoq; adoptatur in Filium Dei & hæredem æternæ ſalutis, idq; tantùm propter Chriſtum, quem fide accepit: Cùm enim Deus proprio Filio non pepercerit, quemadmodũ Paulus loquitur, ſed pro nobis omnib. tradiderit eum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quare quicunq; accipit per fidem Chriſtum à Deo Patre donatum, is ſimul accipit remiſſionem ſeu condonationem peccatorum, juſtitiã Chriſti & jus adoptionis filiorum Dei ac cæleſtis hereditatis. Hæc eſt una ratio juſtificandi, quâ videl. juſtificamur coram Deo, h. e. abſolvimur à peccatis & pronunciamur liberi ab æterna morte propter juſtitiam Chriſti, quæ nobis ex gratuita Dei clementia per fidem imputatur. Et hæc ratio juſtificandi ut Naturâ prior eſt, ita durat per omnem hanc vitam, quamdiu vitam in hac carne agimus. Altera ratio eſt juxta alterum & Latinum ſignificatum juſtificationis, quòd cùm credimus in Chriſtum, donamur Spiritu ſancto, qui renovat nos & efficit in nobis opera juſtitiæ, ut mortificetur caro, & non ambulemus ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum. Hæc juſtificandi ratio priori ita conjuncta eſt, ut ab ea non recedat. Quicunq; enim per fidem in Chriſtum juſtificatur, pro Hebræa loquendi conſuetudine, h. e. abſolvitur corã tribunali Dei à peccatis & adoptatur in Filium Dei propter Chriſtum, is etiam ſtatim juſtificatur pro Latina loquendi conſuetudine, h. e. excitatur à Spiritu ſancto, ut non ſolùm deteſtetur opera carnis & fugiat peccata, verùm etiam faciat opera juſtitiæ & ambulet in lege Domini obœdienter. Quæ juſtitia & obœdientia etſi ſit in homine per Spiritum ſanctum, tamen in hac vita non eſt perfecta, ideoq; ſemper reſpiciendum eſt ad priorem illam juſtificationem, quâ condonantur nobis peccata gratis per fidem propter Chriſtum.* Hæc omnia D. Brentius, quem abſit ut propterea Pontificii erroris de Juſtific. reum ſuſpicari velimus, quod termino juſtificationis in latiori ſignificatione Latinam vocis compoſitionem ſecutus utatur. Idem de dictis Patrum habendum. 3. nimirum pleriſq; ipſorũ, præſertim verò Auguſtino res fuit cum Pelagianis gratiæ Dei inimicis, contra quos demonſtrandum fuit, non ſolùm remiſſ. peccatorũ, ſed etiam interiori renovatione nos indigere, ac utrumq; eſſe gratiæ cœleſtis beneficiũ. Pelag. conceſſâ gratiâ primâ (juſtificationis) negavit ſecundam (renovationis) inde in veterũ diſputationib. frequentior fuit uſus gratiæ de ſecunda quàm de prima gratia. 4. Adde quòd remiſſio pecc. & interior renovatio nexu arctiſſimo invicem ſint conjuncta, q̃modum igitur ex cõſequenti aliàs deſcribitur antecedens, ex effectu cauſa; ita quoq; ex renovatione, quæ eſt conſequens juſtificationis, Naturã ejuſd. veteres deſcribunt. 5. quid quòd obviam ire voluerunt inani perſuaſioni de fide juſtificante, etiamſi non adſit interior renovatio & ſerium ſanctitatis ſtudiũ. 6. quando a. emphaſes Scripturæ penitius introſpiciũt, & præcipuè quando in tentationib. ac meditationib. quaſi ad tribunal Dei ſeſe ſiſtunt, tunc dulciſſimis ſententiis doctrinam de gratuita peccat. remiſſione propter Chriſtum fide apprehenſum in ſcriptis ſuis exprimunt, quarum aliquas in tract. de bonis operib. recenſebimus. 7. quamvis igitur verbum juſtificandi pro donatione inhærentis juſtitiæ uſurpent, expreſſè tamen addunt, inhærentem illã juſtitiam ac renovationem in hac vita nondũ eſſe perfectam, adeoq; quosvis ſanctiſſimos quotidianâ remiſſione pecc. indigere. 8. quandoq; juſtificationem à renovatione expreſſè diſtinguunt. Cyril. Alex. in c. 44. Eſa. *Ubi eſt peccati remiſſio & juſtificatio per fidem, & Spirit. ſancti participatio, & adoptionis ſplendor, & regnum cœlorum, & non vana ſpes bonorũ, quæ mens nequit complecti, ibi eſt lætitia & gaudiũ*, quò pertinent dicta ſuperius enumerata, in quib. juſtificationem per remiſſionem peccat. definiunt.

An actuali justitiâ formaliter justificemur.

246. Cap. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. conatur Bellar. noſtræ ſententiæ firmamenta ſubruere, quorum diſcuſſionem propoſuimus ſuperiùs. Cap. 15. diſputat contra quosdam Pontificios, *qui actuali juſtitiâ nos formaliter juſtificari* aſſerunt; ac pro ſtabilienda juſtitia habituali producit dicta Scripturæ, quæ de efficacia Sacramentorum, præſertim verò Baptiſmi agunt. Joh. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo.* Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis &c.* ex quibus ita colligit, *Sacramenta non juſtificant niſi concurrendo per modum inſtrumenti ad infuſionem juſtitiæ habitualis. Ergò.* Reſp. Oſtendemus ſuo loco, Sacramentorum finem præcipuũ hunc eſſe, quòd ſint media fidei excitandæ, augendæ, & confirmandæ ergò inſtituta, hac fide accipimus remiſſ. peccatorum, induimus Chriſtum & in filios Dei adoptamur; non negamus, per uſum Sacramentorum augeri etiam interiorem hominis renovationem, ſive gratiam habitualem (ut loquuntur) ſed quòd Sacramenta non concurrant ad juſtificationem per modum inſtrumenti niſi ad infuſionem habitualis juſtitiæ, id verò Scripturis, quæ de fructu & fine Sacramentorum agunt, contrarium eſſe dicimus. Nec eſt, quòd Bellarminus infantum exempla proferat; illos enim fidei per Baptiſmum ipſis collatæ capaces eſſe demonſtravimus in tractatu Germanico de Baptiſmo cap. 25. pag. 156.

247. Cap. 16. Tria producit Scripturæ dicta, quibus ex Pontificiis aliqui probare conantur, actuali juſtitia nos formaliter juſtificari. Rom. 2. *Factores legis juſtificabuntur.* Jac. 2. *Videtis, quoniã ex operib. juſtificatur homo.* 1. Joh. 3. *Qui facit juſtitiã, juſtus eſt.* Reſpondet a. *dictis illis hoc tantùm evinci, q. opera meritoriè juſtificent, non a. formaliter.*

ter. Atqui ne hoc quidẽ ex teſtimoniis illis evinci, oſtendemus ſuo loco. Quando factores legis juſtificari Apoſtolus pronunciat, de perfecta legis impletione loquitur, eam verò in nullum hominem, excepto Chriſto θεανθρώπῳ cadere, ibid. evidenter probat: Jacobus per verbum Juſtificandi intelligit juſtitię declarationem, nec exprimit id propter quod homo coram Deo juſtificatur, ſed ex quo coram hominibus juſtus agnoſcitur. Eodem modo etiam Johannes loquitur. Qui enim juſtificatus eſt per fidem, is facit juſtitiam ac bona opera, ex quibus agnoſcitur juſtificatus. Quod ad diſtinctionem inter *Juſtificationem primam & ſecundam* attinet, de ea ſuo loco pleniùs agetur, hâc vice illud tantùm monemus, Bellarminũ potiùs debuiſſe triplicem juſtificationem ponere: ſiquidem 1. Opera quæ ad infuſionem juſtitiæ præparant, juſtificant per modum diſpoſitionis, vel etiam per modũ meriti de congruo. 2. Infuſa gratia juſtificat formaliter. 3. Opera abſolutè bona juſtificant per modũ meriti de condigno. Certè ſi opera abſolutè bona, ideò dicuntur juſtificare, quia faciunt hominem juſtiorem, cur non & opera præparatoria dicenda ſunt juſtificare, cùm incipiant facere juſtum? Si verò juſtificationem per merita de congruo, referre velit ad juſtificationem per infuſionem juſtitiæ, non poterit negare, etiam primam illam juſtificationem eſſe quodam̃odo meritoriam & actualem. Neq; hoc diſſimulat Bellarm. ſic enim ſcribit cap. 15. circa medium: *Auguſtinus quando dicit opera non præcedere juſtificandum, ſed ſequi juſtificatum, non loquitur de operibus, quæ diſponunt ad juſtitiam acquirendam, quales ſunt actus fidei, ſpei, dilectionis, pœnitentiæ & ſimiles, ſed ſolùm de operibus abſolutè juſtis & meritoriis. Quamvis autem opera abſolutè juſta ſequantur juſtificatum, non præcedant juſtificandum, tamen opera pœnitentiæ diſponentia ad gratiam juſtificationis omnino præcedunt.*

Cauſa finalis juſtificationis. 248. Et de formâ juſtificationis hactenus. Cauſa finalis ejusdem reſpectu noſtri duplex eſt; in hac quidem vita, pax & tranquillitas conſcientiæ. Eſa. 32. v. 17. *Fructus juſtitiæ erit pax & cultus juſtitiæ erit quies & ſecuritas uſque in ſempiternũ*: Roman. 5. v. 1. *Juſtificati fide pacem habemus apud Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*: in altera verò vita, ſalus & beatitudo æterna Rom. 6 v. 22. *Liberati à peccato habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitã æternam*: v. 23. *Stipendium enim peccati mors eſt: donum autem Dei eſt vita æterna, in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Tit. 3. v. 5. *ſecundùm miſericordiã ſuam ſalvos nos fecit, &c. ut juſtificati illius gratiâ hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* In Symbol. Apoſtolico hæc tria ſunt invicem connexa: *Credo remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem & vitam æternam*: ubi ipſa ſeries articulorum oſtendit, remiſſionem peccatorum dari credentibus propter reſuſcitationem ad vitam æternam, ac D. Petrus pronunciat, *finem fidei noſtræ*, quâ coram Deo juſtificamur, *eſſe vitam æternam* 1. Epiſt. 1. v. 9. Reſpectu Dei finalis juſtificationis noſtræ cauſa eſt gloria Dei. **Jerm. 33. v. 8. *emundabo illos ab omni iniquitate ſua, quâ peccaverunt contra me, & parcam omnibus iniquitatibus eorum, quibus peccaverunt contra me & quibus prævaricati ſunt contra me. v. 9. & erit mihi in nomen, gaudium, in laudem & in gloriam cunctis gentib. terræ, quæ audierint omne bonum, quod ego faciã eis.* 4. Eſdr. 8. *In hoc annunciabitur juſtitia tua & bonitas tua Domine, cùm miſertus fueris eis, qui non habent ſubſtantiam bonorum operum.*** Rom. 3. v. 24. *Juſtificamur gratis per illius gratiam, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* v. 25. *quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ejus, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*, v. 26. *ut ſit ipſe juſtꝰ & juſtificans eum, qui eſt ex fide Jeſu Chriſti.* Gratuita per Chriſtum juſtificatio oſtendit Deum eſſe miſericordem, juſtum & veracem. Illud, quia ex gratia alienam ſatisfactionem & juſtitiam nobis donat; iſtud, quia non remittit peccata, niſi intercedente ſatisfactione, non pronunciat juſtũ, niſi intercedente juſtitiâ; hoc, quia credentibus in Chriſtum promiſit remiſſ. peccatorum, juſtitiam & vitam æternam. Pſal. 51. v. 6. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis & vincas cùm judicaris.* Qui verò ſunt illi ſermones Dei? Reſp. Duę ſunt præcipuæ Dei conciones in tota Scriptura, una eſt accuſatio legis, altera promiſſio Evangelii, illa eſt concio iræ, hęc verò eſt cõcio gratiæ, utraque eſt univerſalis, dicit ergò David, ſe ingenuè & apertè confiteri peccatum, ut Deo tribuatur laus juſtitiæ & æqualitatis, non ſolùm in concione legis & iræ, quâ omnium hominum peccata accuſantur; ſed etiam in concione Evangelii & gratiæ, quâ omnibus offertur peccatorum remiſſio. Additur autem *ut vincas, cùm judicaris*, quia hypocritæ ſolent cum Deo contendere, non agnoſcunt peccata, non tribuunt Deo laudem juſtitiæ &c. ***Effecta Juſtificationis* ſunt bona opera Eph 2. v. 10. 2. Petr. 1. v. 10. Jac. 2. v. 14. *Subjectum circa quod* ſeu objectũ eſt homo peccator non quilibet, ſed pœnitens ac credens Rõ. 4. v. 5. cap. 3. v. 22. qui conſideratur primò ſecundùm Naturæ corruptionem & legis execrationẽ, deinde ſecundùm gratiam & Evangelicam conſolationem illo reſpectu accuſatur, hoc abſolvitur. Jeſuitæ ſubjectum Juſtificationis ſtatuunt ſolam hominis peccatoris animam, unde Becan. ſuaviter philoſophatur cap. 5. de Juſtific. Cathol. theſi. 8. *An gratia educatur de potentia animæ, an per ſimplicem creationem producatur.* Atqui 1. non ſola anima ſed totus homo eſt Juſtificationis objectum, quia peccatum à quo homo juſtificari ſeu abſolvi debet, invaſit totum hominem Pſ. 51. v. 7. Job. 14. v. 4. 2. ſententia Jeſuitarum nititur falſa hypotheſi, quaſi gratia juſtificans inhęſivè & habitualiter h. l. ſit intelligenda. *Adjuncta juſtificationis* ſunt pax & tranquillitas conſcientiæ Eſ. 32. v. 7. Rom. 5. v. 1. odium peccati & ſtudium bonorum operum Rom. 8. v. 4. quotidiana renovatio 2. Cor. 4. v. 6. ſanctificatio Apoc. 22. v. 11. *Contraria* ſunt Juſtitia legalis Rom. 3. v. 20. Galat. 2. v. 16. Phariſaica ſeu hypocritica & Jeſuitica. Luc. 8. v. 9.**

249. Atq; hæc ſatis quidem prolixè dicta ſunt de gratuita juſtificatione hominis peccatoris coram Deo per fidem in Chriſtum, quorum omnium verus ac ſalutaris uſus in ſeriis tentationibus & conſcientiæ angoribus demum conſpicitur. Extra tentationes dominatur in cordibus hominum perſuaſio propriæ juſtitiæ maledictioni legis, atrocitati peccati & judicii divini ſeveritati opponendæ; ac connatum nobis eſt poſt Protoplaſtorum lapſum, ut in nobis ipſis quæramus peccati remedium ac reconciliationis meritum, ſicut ſervulus ille Matt. 18. v. 26. *ſe omnia perſolu-*

turum

turum in ſe recepit, ſed vanam illam perſuaſionem verus ac ſpiritualis divinæ legis uſus deprimit & extinguit. Proinde illa omnia, quæ de gratuita juſtificatione p & propter Chriſtũ hactenus dicta, referenda ſunt, 1. ad juſtitię & miſericordię divinæ gratam agnitionem ac deprædicationem. Lucet enim in noſtra juſtificatione admirandũ juſtitię & miſericordiæ divinæ temperamentum; quòd Chriſti obœdientiam & ſatisfactionem noſtri loco præſtitam Deus acceptat, & propter illam à peccatis nos abſolvit. Eſ.64.v.6. *Noſtra juſtitiæ ſunt ſicut pannus mulieris menſtruata* v.8. *Tu autem Iehovah Pater noſter*. Dan.9.v.7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei*. v.8. *non in juſtitiis noſtris proſternimus deprecationes noſtras in conſpectu tuo, ſed in miſerationib. tuis multis*. 2. ad certam conſcientiæ conſolationem, ſiquidem animam peccati pondere preſſam & ſenſu iræ divinæ territam nihil quicquam erigere ac conſolari poteſt, præterquàm gratuita promiſſio Evangelii de remiſſioue peccatorum propter Chriſtum Rom.3.v.25. *Chriſtum propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine ejus*. Hebr.5.v.3. *accedamus ergò tum fiducia ad thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus ad auxiliũ opportunum*. 3. ad verę fidei & grati animi per bona opera teſtificationem. Cùm tanti conſtiterit Chriſto Mediatori pro peccatis noſtris ſatisfactio, utique etiam peccata ſeriò odiſſe convenit. Cùm tanti per Chriſtum participes reddamur beneficii, idque ex gratuita Dei miſericordia, ideò per verum ac ſerium ſanctitatis ſtudium nos gratos præſtare convenit. Cùm vera & ſalvifica fides efficax ſit per dilectionem, utique etiam fidem noſtram per bona opera demonſtrare neceſſarium erit. Roman.5.v.20. *Vbi abundavit delictum ſuperabundavit gratia*. Roman.6.v.1. *Quid ergò dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet?* v.2. *abſit: qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo?* 1 Cor.6.v.9. *Nec ſcortatores, nec idololatra, nec adulteri &c. regnum Dei obtinebunt*. v.11 *& hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis &c.* quaſi dicat, quia eſtis juſtificati, ideò non amplius indulgendum erit peccatis. Tit.2.v.14. *Chriſtus dedit ſeipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem* ζηλωτὴν *cum zelo quodam bona opera ſectantem*.

250. Definitionem juſtificationis ex ſuperioribus conſtituimus talem. Juſtificatio eſt actio Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti, quâ ex mera gratia & miſericordia propter Chriſti Mediatoris ac Redemtoris obœdientiam & ſatisfactionem homini peccatori verè in Chriſtum credenti gratis ſine operibus aut meritis propriis peccata remittit, juſtitiam Chriſti imputat, & ad vitam ęternam eum acceptat, ad divini nominis ſui gloriam & hominis ſalutem. Huic uni ac vero Deo, Patri noſtro benigniſſimo, qui nos in Chriſto Filio ſuo ante jacta mundi fundamenta elegit, qui in plenitudine temporis hunc Filium ſuum miſit natum ex muliere factum ſub lege, ut eos qui ſub lege redimeret; qui ex mera gratia & miſericordia per & propter hunc unicum Mediatorem noſtrum nos vocavit, juſtificavit & glorificavit, ſit laus, honor & gloria in omnem nunquam finiendorum ſeculorum æternitatem, Amen.

467

Digitized by Google

468

INDEX GENERALIS SIVE PRIMUS, TOMI III.

Continens Materias & earum ordinem:

UBI AUTEM NOTANDUM, QUOD INDEX HIC PRIMUS IN quinq; Locos, & quilibet Locus in ſuos Paragraphos, ſit diviſus.

LOCUS I.

De Lege Dei.

1. Connexio cum loco præcedente. §.1.
2. Tractatio de lege quæ complectitur ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν.
3. Ὀνοματολογία, quæ continet ἐτυμολογίαν. §.2. ὁμωνυμίαν. §.3. & συνωνυμίαν. §.4.
4. ſequitur πραγματολογία. ubi
1. Variæ ac diverſæ legis deſcriptiones enumerantur. §.6.
2. Variæ legum diviſiones recenſentur. §.7. & ſeqq.
3. Nomen legis Moralis explicatur. §.13.
4. Lex Moralis eſt æterna, atque ſic etiam ante Moſen in Eccleſia fuit propoſita. §.14.
5. Praxis Legis Moralis ante Moſen oſtenditur. §.15. & ſeqq.
6. Solennis legis moralis repetitio habetur. §. 25.
7. Propter quas cauſas facta ſit. §.26.
8. Modus promulgationis pertractatur §. 27. ubi conſideranda τὰ προηγούμενα, Antecedentia. §.27.
τὰ περιστατικά, circumſtantia. §. 28.
τὰ ἑπόμενα, conſequentia. §. 30.
9. Tabulæ Decalogi conſiderantur. §. 31. uſque ad 37. §. incluſivè.
10. Quæ præcepta, ad quamque tabulam, pertineant, inquiritur. §.38. & ſeqq.
11. Regulas generales veræ Decalogi explicationi inſervientes proponit. §. 53.
12. Ordo præceptorum Decalogi proponitur. §. 54.
13. Explicatio primi præcepti habetur. §.55. ubi notetur
1. præfatio primi præcepti: Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. §.56.
2. Virtutes primo præcepto mandatæ. §. 57.
3. peccata contra primum præceptum. §.59.
4. Species Idololatriæ. §. 60. & 61. & multa alia ad idololatriam pertinentia.
5. Appendix primi præcepti. § 62. ſeqq.
6. Definitio Idololatriæ. §.86. ſeqq.
14. Quæſtiones moventur
1. Quâ ratione Deo tribuatur Zelotypia. §.109.
2. quæritur, quomodo cum divina juſtitia præſertim verò cùm dicto Prophetico Ezechiel. 18. conveniat, quod hoc loco minatur Deus, ſe viſitaturum iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem. §.110.
3. quæritur, An omne peccatum qualecunque ac quantulumcunque ſit, rectè dicatur ex odio Dei ortum. §.111.
15. Explicatio ſecundi præcepti continetur. §. 112. ubi notentur
1. Virtutes in ſecundo præcepto requiſitæ §.114.
2. Peccata in ſecundo præcepto prohibita. §. 115.
16. Quæſtiones moventur.
1. quæritur. an Chriſtianis licitum ſit jurare? §. 116.

2. Quæritur, de quibus rebus ſit jurandum ſeu quæ juramenta ſint licita? §.118.
3. Quæritur. An liceat jurare per creaturas? §.119.
4. Quæritur. Quid de Ceremoniis, quæ in juramentis adhibentur, ſtatuendum ſit. §.120.
5. Quæritur. Quæ juramenta ſint ſervanda? §.121.
6. Quæritur. An approbandæ ſint ſuperſtitioſæ illæ vel ligaturæ vel ſuſpenſiones quarundam rerum vel characteres ad avertendos morbos aliaque mala adhibita? §. 122.
17. Explicatio tertii præcepti traditur. §. 123.
18. Singula verba hujus præcepti expenduntur. §. 124. & ſeqq.
19. Virtutes in tertio Præcepto requiſitæ proponuntur. §.136.
20. Peccata contra tertium Præceptum recenſet. §. 137.
21. Officia Miniſtrorum verbi & auditorum enumerat. §.138.
22. Quæſtiones proponuntur: Quæritur
1. Quotuplex ſit Sabbathum? §. 139.
2. Quæritur; Quo fine Sabbathum Moſaicum fuerit à Deo inſtitutum? §.140.
3. Quæritur: Cur in locum Sabbathi Judaici primus ſeptimanæ dies in Novo Teſtam. ſacris ſit deſtinatus? §.141.
4. Quæritur: Num abſolutè & ſimpliciter opera hujus vitæ œconomica ſcilicet & politica Sabbatho ſint prohibita? §.142.
23. Explicatio præcepti quarti habetur. §. 143. & ſeq.
24. Virtutes in quarto præcepto requiſitas proponit. §.145.& ſeqq.
25. Quæſtiones deciduntur.
1. Quæritur: An etiam Spurii obligentur hoc præcepto ad honorandos parentes? §.148.
2. Quæritur. Cùm jubeantur parentes honorari, quare & quo ſenſu dicat Chriſtus Luc. 14. Si quis venit ad me & non odit patrem ſuum & matrem &c. non poteſt eſſe meus diſcipulus? §.149.
3. Quæritur; Num poſſit beneficii ac præmii loco μακροβιότης haberi, cùm hæc vita ſit labor ac dolor, à quo citiùs liberari, beneficii loco potiùs ſit habendum? §. 150.
4. Quæritur; Quâ ratione conſiſtat liberis morigeris vitæ longævitatem præmii loco promitti, cùm quandoque contingat morigeros non eſſe longævos, contra verò immorigeros eſſe longævos? §. 151.
26. Explicationem quinti præcepti proponit. §.152.
27. Virtutes in quinto præcepto requiſitas recenſet. §.153.
28. Peccata contra præceptum quintum enumerat. §.154.
29. Quæſtiones moventur:
1. Quæritur; An αὐτοφονία ſit peccatum contra quintum præceptum? §.155.
2. Quæritur. Unde demonſtrari poſſit facinoroſorum ſuppliciis à Magiſtratu irrogatis non peccari contra hoc præceptum? §.156.
3. Quæritur: Quid de caſuali homicidio ſtatuendum ſit. §.157.
4. Quæritur. Quid de homicidio defenſorio ſtatuendum ſit? 158.
30. Explicationem ſexti præcepti habet. §.159.
31. Virtutes in ſexto præcepto requiſitas enumerat. §.160.
32. Peccata contra ſextum præceptum enumerantur. §.161.
33. Quæſtiones proponuntur.
1. Quæritur hoc loco: Quid propriè ſit adulterium. §.162.
2. Quæritur; An lupanaria tolerare ſit peccatum contra hoc ſextum præceptum? §.163.
3. Quæritur: Sitne adulterium pro enormi ac deteſtando ſcelere habendum. §.164.
4. Quæritur. An pollutio nocturna ſit peccatum? 165.
34. Explicatio ſeptimi præcepti habetur §.166.
35. Virtutes in ſeptimo præcepto requiſitæ proponuntur. §.167.
36. Peccata contra ſeptimum præceptum enumerantur. §.168.
37. Quæſtiones deciduntur.
1. Quæritur. An omne furtum ſimpliciter prohibitum? §. 169.
2. An furtum ſit naturâ prohibitum? §. 170.
3. An juſtum ſit fures ſuſpendio puniri? §.171.
38. Octavi Præcepti explicatio proponitur. § 172.
39. Virtutes in octavo præcepto requiſitæ proponuntur. §.173.
40. Peccata contra octavum præceptum enumerat. §. 174.
41. Secundariæ ac minus principales hujus præcepti virtutes recenſentur. §.175.
42. Quæſtiones recenſentur: Quæritur
1. An omne omninò mendacium ſit peccatum contra octavum præceptum? §. 176.
2. Quæritur: An omnis ſimulatio ſit prohibita? §.177.
3. Quæritur: An liceat in judicio vel in caſu confeſſionis æquivocationibus uti ac veritatem occultare? §.178.
43. Explicatio noni & decimi præcepti habetur. §.179.
44. An Lex Dei perfectè impleri poſſit. §. 181. & ſeqq. ubi argumenta noſtra contra Pontificios proferuntur & argumenta nobis oppoſita ſolvuntur.
45. Uſus legis triplex oſtenditur.
1. Politicus.
2. Theologicus ἐλεγκτικός.
3. Theologicus διδακτικός. §.203.
46. Antinomorum Argumenta ſolvuntur & uſus legis latius exponitur. §. 205. & 206.

LOCUS

LOCVS II.

De Legibus Ceremonialibus & Forenſibus.

1. Connexio cum præcedentibus oſtenditur. §. 1.
2. Diſcrimen Legum Ceremonialium ac Forenſium à Morali proponit. §. 2. & ſeqq.
3. Κριτήρια quibus cognoſcitur, quæ præcepta ad legem Moralem, quæ ad Ceremonialem & Forenſem pertineant. §. 6. Hactenus de Legib. Ceremonialibus & Forenſibus conjunctim ſumptis, reſtat ut de utriſque ſigillatim agamus.
4. Legum Ceremonialium etymologia. §. 7.
5. Diviſiones Legum Ceremonialium. §. 8.
6. Collatio inter ſummum Sacerdotem Vet. Teſtam. & Chriſtum. §. 9.
7. Diſcrimen inter ſummum Sacerdotem V. T. & Chriſtum. §. 10.
8. Quomodo Sacramenta V. T. pertineant ad Leges Ceremoniales. §. 11.
9. Sacrificiorum ſpecies ſeu diviſio ſacrificiorum. §. 12. & 13.
10. Quinque requiſita cujuſque ſacrificii §. 14.
11. Locus Sacrificiorum. §. 15.
12. Finis Sacrificiorum principalis. §. 16.
13 Minus principales Sacrificiorum fines. §. 17.
18. Utenſilia vaſa ſacra. §. 18. & ſeqq.
19. Loca ſacra. §. 21.
20. Tempora ſacra. §. 22.
21. Agitur de privatis quibusdam obſervantiis Legum Ceremonialium in cibo, potu & reliquis privatæ converſationis partibus divinitus in Vet. T. præſcriptis. Huc pertinet
   1. Diſcrimen animalium mundorum ac immundorum. §. 23.
   2. Immunditiés Levitica, quæ variis modis contrahi poterat, utpote ex contactu puerperæ, leproſi, patientis fluxu &c. cui oppoſitæ erant variæ lotiones ac mundationes per ſacrificia, alioſve ritus perficiendæ. §. 24.
   3. huc referendæ ordinationes in cibo, veſtitu & operis œconomicis obſervandæ. §. 25.
22. Fines Legum Ceremonialium. §. 26.
23. Abrogatio legum Ceremonialium. §. 27.
24. Legum Forenſium Nomina. §. 29.
25. Enumeratio Legum Forenſium, habetur Exodi cap. 21. 22. 23. Convenientiſſimè autem juxta ordinem præceptorum Decalogi enumerari poſſunt §. 30. 31. 32. 33. 34. 35.
26. Diſtinctio Legum Forenſium. §. 37. & 38.
27. Abrogatio Legum Forenſium in N. T. §. 39.
28. Notatur error Carolſtadii quem Anabaptiſtæ Monaſterienſes poſtea ſunt ſecuti, qui ſtrenuè pugnarunt jus Romanum ex Chriſtianis Rebus publicis exterminandum, ac ſecundum leges Moſaicas in cauſis civilibus pronunciandum eſſe. §. 40.
29. Argumenta eorum, qui legum forenſium Moſaicarum obſervationem moroſius urgent, proponuntur. §. 41.
30. Lex Moralis in N. T. non eſt abrogata. §. 42.
31. Uſus ll. Ceremonialium & Forenſium in N. T. §. 44.

LOCVS III.

De Evangelio.

1. Connexio cum loco præcedenti. § 1. & 2.
2. Evangelii Etymologia. §. 3.
3. Definitio Nominis & ὁμωνυμία. §. 4. & 5.
4. Propria hujus vocis Evangelii ſignificatio. §. 6.
5. Judicia proponuntur, quando γενικῶς vel εἰδικῶς vox Evangelii uſurpetur. §. 7.
6. Evangelii Synonyma. §. 8.
7. Summa Evangelii, 1. ex V. T. §. 9. 2. ex N. T. §. 10. 11.
8. Parabolicæ ac Typicæ Evangelii deſcriptiones. §. 12.
9. Genuina & propria Evangelii doctrina § 13.
10. Evangelii beneficia. §. 14.
11. Quòd Evangelium propriè ſit concio de gratuita peccatorum remiſſione propter Chriſtum §. 15.
12. Teſtimonia veterum, quibus propria Evangelii doctrina deſcribitur, ac genuina ejus natura explicatur. §. 16.
13. An in Evangelio nova præcepta tradantur? §. 17.
14. Argumenta Bellarmini pro parte affirmante. §. 18.
15. An in Evangelio contineantur leges. § 19.
16. An comminationes & terrores in Evangelio contineantur. §. 20.
17. An Promiſſiones conditionales in Evangelio contineantur. §. 22. & ſeqq.
18. An Evangelium requirat conditionem obedientiæ. §. 27.
19. An Evangelium & fidem & opera requirat. §. 28.
20. Cauſa principalis Evangelii quænam? §. 29. ubi & traditur cauſa impulſiva interna & externa decreti Evangelici.
21. Manifeſtatio Evangelii eſt opus totius ſacroſanctæ Trinitatis. §. 30.
22. An Filius Dei ſit συναίτιον Evangelii. §. 31.
23. Cauſa Organica Evangelii. §. 32.
24. Organum apprehendens. §. 33.
25. Tempus manifeſtationis Evangelii. §. 34.
26. Unum idemque Evangelium eſt in Vet. & N. Teſt. §. 35.
27. Antitheſis hujus ſententiæ habetur. §. 36.
28. Objectiones huic ſententiæ oppoſitæ ſolvuntur. §. 38.
29. Forma Evangelii conſiſtit in promiſſionibus quæ ſunt 1. gratuitæ. §. 40. & Univerſales. §. 41.
30. An conditio fidei tollat gratiam & univerſalitatem promiſſionum Evangelicarum. §. 42. & 43.
31. Ad quos pertineant Evangelii bona. §. 44.
32. Effectus & bona Evangelii. §. 45.
33. Accidentarii effectus Evangelii. §. 46.
34. Quomodo ſalutares & divini effectus Evangelio tribuantur? § 47.
35. An Evangelium Johannis collo geſtandum? §. 48.
36. Efficacia Spiritus non eſt ſeparanda à verbo Evangelii. §. 49.
37. Finis Evangelii. §. 50.
38. Evangelium à lege diſcernere, utile ac neceſſarium eſt. §. 52.
39. Convenientia legis & Evangelii. §. 53.
40. Diſcrimen legis & Evangelii. §. 54. & 55.
41. Dicta Veterũ de diſcrimine legis & Evangelii. §. 56.

INDEX I.

42. ἐπίκρισις de dictis veterum. §.57.
43. Scholaſticorum ſententia de diſcrimine V. & N.T. §.58.
44. Bellarmini ſententia de diſcrimine V.& N.T.§.59.
45. An diverſæ promiſſiones in V. & N. T.§.60.
46. An nova mandata in N. T. tradita.§.61.
47. Minus principales legis & Evangelii differentiæ. §.63.
48. An Chriſtus ſit novus legiſlator ? §. 64.
49. Argumenta eorum proponuntur, qui Chriſtum ſtatuunt novum legiſlatorem. §. 65. & nonnullis ſeqq.
50. Photinianorum error de perfectioribus mandatis in N. Teſtam.traditis. §. 71.
51. Quid additum putent Photiniani primo præcepto? §.72. quid ſecundo ? §.73. quid tertio ? §.74. quid quarto ? §.75. quid quinto ? §. 76. quid ſexto ? §.77. quid ſeptimo. §.78. quid octavo ? §.79. quid nono ? §. 80. quid denique decimo ? §.81.
52. De Conſiliis Evangelicis Scholaſticorum & Pontificiorum vid. §.82.
53. Refellitur opinio de Evangelicis cōſiliis §.83.& 84.
54. Exceptiones Bellarm.ad argumenta noſtra contra conſilia Evangelica Pontificiorum directa proponuntur. §.85.ſeqq.
55. Dicta Patrum quænam huc referenda, quibus ſententia de Conſiliis Evangelicis Pontificiorum impugnatur? §.92.
56. Argumenta pro ſtabiliendis conſiliis Evangelicis Pontificiorum proponuntur. §. 93.& ſeqq. videlicet uſque ad §. 105.
57. An Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ ? §.105.
58. Non ſimpliciter negandum, quòd Evangelium ſit prædicatio pœnitentiæ. §.106.
59. Diſtinctiones in quæſtione præcedenti notâ obſervandæ. §. 108.
60. Evangelium propriè acceptum non eſt prædicatio pœnitentiæ. §.109.
61. Argumenta contraria ſeu objectiones ſolvuntur. §. 112.& ſeqq.
62. De diſcrimine V. & N. T. §.119.
63. An unum ratione materiæ ſive ſubſtantiæ ſit Teſtamentum.§.120.
64. Argumenta Adverſariorum pro eſſentiali utriuſque Teſtamenti identitate. §.123.& ſeqq.
65. Convicia Pontificiorum contra doctrinam Evangelij. §.127.
66. Abuſus doctrinæ Evangelicæ. §.128.
67. Verus ejuſdem uſus. §.129.
68. Definitio Evangelii. §.130.

LOCVS IV.

De Pœnitentia.

1. Connexio cum loco præcedenti. §.1.
2. Neceſſitas & utilitas doctrinæ de Pœnitentia. §.2.
3. Etymologia vocabuli. §.3.
4. An Lutherus negaverit pœnitentiam eſſe dolorem de vita præterita. §.4.
5. Μετάνοια quid notet. §.5.
6. Μεταμέλεια quid ſignificet. §.6.
7. Quomodo differant μετάνοια & μεταμέλεια. §. 7.
8. Hebræis uſitata eſt vox תְּשׁוּבָה Reditus. Converſio, ad Deum regreſſio. §. 8.
9. ὁμωνυμία vocis Pœnitentiæ. §.9.& 10.
10. συνωνυμία Pœnitentiæ. §.11.
11. Periphraſes pœnitentiæ ex Veteribus. §.12.
12. An ſit pœnitentia? §.14.& 15.
13. Argumenta Novatianorum contra pœnitentiam lapſorum. §.16.& 17.
14. Deſcriptiones pœnitentiæ. §.18.
15. Pœnitentia an ſit Sacramentum. §. 19.
16. Quo fine à Pontificiis Pœnitentia ſtatuatur Sacramentum. §. 20.
17. An Novatiana hæreſis ſit, negare pœnitentiam eſſe Sacramentum. §.21.
18. Auguſtana Confeſſio an ſtatuat pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè ſic dictum. §.22.
19. Argumenta, quibus pœnitentia ex numero Sacramentorum excluditur. §.23.& ſeqq.
20. Argumenta Pontificiorum inprimis Bellarmini pro ſtabiliendo pœnitentiæ Sacramento. §. 30. & ſeqq.
21. Definitiones Pœnitentiæ interioris Pontificiorum. §.33.
22. Diviſiones pœnitentiæ. §.34.
23. Cauſa efficiens Pœnitentiæ Principalis eſt ſolus Deus. §.35.
24. An voluntas hominis ſit pœnitentiæ συναίτιον, uti Pontificii ſtatuunt? §.37.
25. Argumenta Pontificiorum pro ſtabilienda συνεργίᾳ in Converſione. §.38.
26. Cauſa inſtrumentalis pœnitentiæ. §.39.
27. Partes pœnitentiæ ſunt duæ: Contritio & Fides §. 40.
28. Contritionem eſſe partem pœnitentiæ. §.41.
29. Fidem eſſe partem pœnitentiæ. § 42.
30. Dicta veterum huc referenda. 1. in quibus pœnitentiam & fidem conjungunt.
  2. in quibus pœnitentiæ ſpem veniæ addunt.
  3. in quibus pœnitentiam dicunt eſſe peccata plangere & plangenda ulteriùs non facere. §. 43.
31. An Evangelici diſcordes ſint in enumerandis pœnitentiæ partibus. §.44.
32. Bellarminus format quinque propoſitiones, quibus ſententiam ſuam de veris & eſſentialibus pœnitentiæ partibus complectitur, quarum prima eſt terrorem animo incuſſum à lege non rectè inter partes pœnitentiæ poni. §.45. Secunda eſt: Fides non eſt pars pœnitentiæ licet ad eam efficiendam neceſſariò requiratur. §.49. Tertia Bellarmini propoſitio eſt hæc: Non ſunt omnia bona opera, quæ poſt juſtificationem fiunt, inter partes pœnitentiæ numeranda. §.53. Quarta Bellarmini de pœnitentiæ partibus propoſitio hæc eſt: Non rectè ponuntur pœnitentiæ partes; Mortificatio & vivificatio ad eum ſenſum, quo à Calvino & Beza accipiuntur. §.56. Quinta Bellarmini propoſitio, quâ ſuam de pœnitentiæ partibus ſententiam diſertè ac διττικῶς exponat, eſt hæc: Tres ſunt pœnitentiæ partes, Contritio, Confeſſio, & ſatisfactio. §.57.
33. Hanc enumerationem partium probare nititur Bellarminus 1. dictis & exemplis Scripturæ. §.58. 2. Rationibus. §.59.
34. Quid complectatur Contritio. §.63.
35. Signa Contritionis externa. §.65.
36. Cauſa efficiens Contritionis principalis eſt Spiritus Sanctus. §.67.

37. Diſcri-

37. Diſcrimen inter contritionem ſalutarem & exitialem. §. 68.
38. Quid ſtatuendum inter Contritionem legalem & Evangelicam. §. 69.
39. Cauſa Inſtrumentalis contritionis. §. 70.
40. Quo fine requiratur Contritio in converſione. §. 73.
41. Pontificiorum opinio de contritione proponitur, quam Bellarm. 10. includit quæſtionibus, de quib. omnibus vide à §. 74. uſque ad §. 96. incluſivè.
42. Agitur de Confeſſione quæ vel publica. §. 97. vel privata. §. 98. ubi& tres ſpecies confeſſionis recenſentur.
43. An improbetur confeſſio? §. 99.
44. Utilitates Confeſſionis coram Miniſtro Eccleſiæ. §. 100.
45. Confeſſio auricularis Pontificia tractatur. §. 102.
46. Argumenta contra neceſſitatem auricularis Confeſſionis Pontificiæ continet. §. 104. uſq; ad §. 110.
47. Argumenta pro ſtabilienda confeſſione Pontificia. à §. 111. uſque ad §. 116. incluſivè.
48. Confeſſioni reſpondet correlatè Abſolutio, de qua agitur. §. 117.
49. Agitur de ſatisfactione pro peccatis, quæ duplex, una coram Deo, altera coram hominibus. §. 118.
50. An Chriſtus pro originali tantùm peccato ſatisfecerit? §. 118.
51. Pontificii inprimis Scholaſtici quidam negant Chriſtum pro actualibus peccatis etiam ſatis feciſſe; argumenta noſtra illis oppoſita vide. §. 119.
52. An Chriſtus pro pœnis peccatorum noſtrorum ſatisfecerit? §. 120.
53. An nos poſſimus ſatisfacere pro peccatorum pœnis? §. 121.
54. Dictum eſt, ſatisfactionem eſſe duplicem, unam coram Deo, quam ſoli Chriſto Redemptori vindicamus, de qua hactenus actum fuit: alteram coram hominibus de qua nunc agetur.
55. Satisfactio coram hominibus duplex eſt. 1. Publica. 2. Privata. §. 122.
56. Diſſenſiones Pontificiorum de ſatisfactione continet. §. 123.
57. Bellarmini de ſatisfactione diſſertationem continet. §. 124.
58. Quibus modis Bellarminus doctrinam de ſatisfactionibus probare conetur, vide. §. 125. & ſeqq.
59. Indulgentias Papales, quæ originem ducunt ex ſatiſfactione, continet. §. 132.
60. Argumenta contra indulgentias continet. §. 133.
61. Fundamentum indulgentiarum petitur ex 1. capite Col. v. 24. vide §. 134.
62. Jubilæum Papale continet. §. 135.
63. Jubilæum Chriſtianum continet. §. 136.
64. Quinam debeant agere pœnitentiam. §. 137.
65. Quo tempore ſit agenda pœnitentia. §. 139.
66. Fructus veræ pœnitentiæ. §. 140.
67. Quæ ad pœnitentiam nos incitare debeant. §. 141.
68. Pœnitentiam non eſſe differendam. §. 142.
69. Quæ ad contritionem excitandam meditari debemus? §. 143.
70. Quæ ad excitandam & confirmandam meditari conveniat. §. 144.
71. Definitio pœnitentiæ. §. 145.

LOCVS V.

De Iuſtificatione per fidem.

1. Connexio cum loco præcedenti. §. 1.
2. Dignitas & utilitas hujus loci. §. 2.
3. Etymologia & ſignificatio vocabuli Juſtificationis. §. 3.
4. Significatio forenſis demonſtratur. §. 4. & ſeqq.
5. Antitheſis Pontificiorum: Juſtificationem ſumi pro infuſione juſtitiæ. §. 9. & ſeqq.
6. Summa hujus articuli. §. 16.
7. Cauſa efficiens principalis Juſtificationis. §. 17.
8. Gratiam Dei in articulo Juſtificationis denotare ipſius miſericordiam, probatur. § 18. & ſeqq.
9. Antitheſis Scholaſticorum & Pontificiorum quod gratia ſignificet infuſum habitum. §. 24. & 25.
10. Bellarmini argumenta, quibus probat gratiam, quâ juſtificamur, eſſe donum inhærens, continet. §. 26. & 27. & 28. & 29.
11. An gratia gratum faciens diſtinguatur ab habito charitatis? §. 30.
12. Cauſa meritoria Juſtificationis. § 31.
13. Hoc juſtificationis & ſalutis noſtræ meritum à Chriſto præſtitum quidam vocant cauſam impulſivam externam. §. 32. Quidam verò dicunt eſſe cauſam materialem juſtificationis. §. 33.
14. An Chriſtus Mediator ſit Inſtrumentum juſtificationis? §. 34.
15. Neo Photinianorum error circa meritoriam cauſam noſtræ juſtificationis. §. 35.
16. Occaſio illius erroris. §. 36.
17. Syllogiſmus generalis Neo-Photinianis circa hunc errorem oppoſitus. §. 37.

Tom. III.

18. Exceptiones Neo-Photinianorum. §. 38. & ſeqq.
19. Argumenta Neo-Photinianorum pro errore ſuo circa cauſam meritoriam juſtificationis ſeu ſatisfactionem Chriſti pro peccatis noſtris ſtabiliendo. §. 47. & ſeqq.
20. Pontificiorum de cauſa meritoria Juſtificationis opiniones erroneæ. 1. Negant Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundùm utramque Naturam. §. 42. 2. negant Chriſtum in paſſione ſenſiſſe Iram Dei. §. eodem. 3. negant Chriſtum perfectè pro peccatis & pœnis eorum ſatisfeciſſe; & plures aliæ opiniones erroneæ de hac re loc. cit. proponuntur.
21. Per quid Chriſtus juſtitiam nobis promeruerit? §. 55.
22. An habitualis Chriſti juſtitia à cauſa meritoria excludet. §. 56.
23. Error Piſcatoris de cauſa meritoria. §. 57.
24. Status controverſiæ. §. 58.
25. Occaſio erroris. §. 59.
26. Argumenta noſtræ ſententiæ. §. 60.
37. Argumenta Piſcatoris potiora continet. §. 63.
38. Cauſa Inſtrumentalis Juſtificationis quæ reſpectu hominis accipientis, eſt fides. §. 64.
39. Fidei ſignificatio. §. 65. & 66.
40. Fides juſtificans quid ſit. §. 66.
41. Quòd ſit notitia. §. 67.
42. Argumenta Bellarmini, quòd fides non ſit notitia. §. 6.8.

 43. Objectum

INDEX I.

43. Objectum fidei quatenus eſt notitia proprium & adæquatum eſt Dei verbum. §. 69.
44. Quòd fides ſit aſſenſus §.70.
45. Quòd fides ſit fiducia. §.71.
46. Argumenta Photinianorum, ſtatuentium obedientiam eſſe formam fidei. §. eodem.
47. Exceptiones Bellarmini. §.72. quòd fides non notet fiduciam.
48. Fidem non eſſe fiduciam volunt Pontificii. §.74.
49. Argumenta Bellarmini quibus probat fidem non eſſe fiduciam. §.75. & ſeqq. uſque ad 80.
50. An homo poſſit eſſe certus de Dei gratia. §.81.
51. Argumenta noſtræ ſententiæ pro certitudine gratiæ unà cum vindicationibus ab eluſionibus Bellarmini proponuntur. §.83. & ſeqq.
52. An Pontificii propugnent dubitationem de gratia. §.89.
53. Origo doctrinæ dubitationis. §. 91.
54. Dicta Veterum, quibus gratiæ certitudo probatur. §.92.
55. Teſtimonia Adverſariorum improbantium incertitudinem gratiæ & ſalutis. §.93.
56. Hypotheſes cum dubitationis dogmate pugnantes. §.94.
57. Argumenta, quibus utitur Bellarminus pro ſtabiliendâ incertitudine gratiæ. §. 95. & ſeqq.
58. Diviſiones fidei variæ. §.109. & ſeqq.
59. Quomodo fides ſit una. §.113.
60. Diviſiones aliæ fidei ex Scholaſticis. §. 114. & ſeqq.
61. Caritas eſt effectus non forma fidei. §.117.
62. Diſtinctio inter fidem informem & formatam rejicitur. §.117. & ſeqq.
63. Argumenta, quibus probare cupit Bellarminus fidem formari per charitatem. §. 123. & 124.
64. Cauſa efficiens Principalis fidei eſt Deus. §.125.
65. Cauſa inſtrumentalis fidei eſt verbum Dei. §.126.
66 Objectum fidei duplex. §.127.
67. Quid ſit propriè articulus fidei. §.128.
68. Objectum fidei ratione fiduciæ ſunt promiſſiones Evangelii. §.129.
69. Teſtimonia Patrum, quibus oſtenditur, hominem gratiâ Dei in Chriſto juſtificari. §. 131.
70. Exceptiones Bellarmini ad argumenta de proprio & adæquato objecto fidei juſtificantis. §.132.
71. Antitheſis Adverſariorum. videlic. Pontificiorum quâ volunt, fidem juſtificantem non reſpicere ſpecialem Dei miſericordiam in Chriſto propoſitam. §. 135. & ſeqq.
ubi à Bellarmino argumenta ex ſcripturis ſacris, & variæ rationes proferuntur.
72. Exceptiones Bellarmini ad argumentum Lutheranorum, quòd generalis Evangelii promiſſio includat ſpecialia. §.144.
73. Effectus veræ fidei eſt juſtificatio. §.148.
74. Fides ſola juſtificat §.149. & ſeqq.
ubi ad argumenta noſtra ſimul adjunguntur exceptiones à Bellarmino prolatæ.
75. Ἀνακεφαλαίωσις argumentorum Lutheranorum pro ſola fide juſtificante. §. 158.
76. Teſtimonia veterum pro ſola fide juſtificante. §.159.
77. Exceptiones Bellarmini ad teſtimonia Patrum pro ſola fide juſtificante. §. 160.
78. Confeſſio Adverſariorum ſolam fidem juſtificare. §.161.
79. Bellarminus objicit Lutheranis diſſenſum in articulo Juſtificationis. §.163. & ſeqq.
80. Argumenta Bellarmini contra Juſtitiam fidei in quinque claſſes diſtributa, à §.166. uſque ad § 183.
81. An vera & juſtificans fides à dilectione & reliquis virtutibus ſeparari poſſit? R. neg. contra Pontificios. §.183.
82. Teſtimonia veterum pro vivâ fide in juſtificationis articulo requiſita. §.185.
Teſtimonia Adverſariorum, pro eadem ſententia. §.186.
83. Antitheſis Adverſariorum veram fidem ſeparari poſſe à bonis operibus. §.187.
84. Bellarmini argumenta quibus probat veram fidem poſſe à dilectione aliisque virtutibus ſeparari. §. 188. & ſeqq.
85. Cauſa formalis juſtificationis proponitur. §. 194. ubi Bellarminus objicit Noſtratibus inconſtantiam in explicanda forma juſtificationis, vide §. 195. & ſeqq.
86. An remiſſio peccatorum & imputatio juſtitiæ Chriſti differant? §.198.
87. Argumenta, quibus probamus, nos non juſtificari juſtitiâ inhærente. §. 200. & ſeqq.
88. hypotheſes obſervandæ in quæſtione; An juſtitiâ inhærente juſtificemur. §.212.
89. Teſtimonia Veterum pro Juſtitia Chriſti nobis imputata. §.213.
90. Teſtimonia Adverſariorum pro imputatâ Chriſti juſtitia. §.214.
91. Pontificiorum ſententia de forma juſtificationis. §.217.
92. Bellarmini ſententia de forma juſtificationis §.218.
93. An Chemnitius rectè formaverit ſtatum controverſiæ de forma juſtificationis quem ea de cauſa accuſat, Bellarminus. §.220.
94. Variæ ſpecies juſtitiæ proponuntur. §.221.
95. Argumenta Bellarmin. pro juſtitia inhærente ſtabilienda. §.222. & ſeqq.
96. An fides ſit integra formalis juſtificationis cauſa, quod quæritur contra Bellarminum contra nos id negantem. §.230.
97. An juſtificatio conſiſtat in renovatione? quod contra Bellarminum negatur. §.231.
98. Quomodo probet Bellarminus, juſtificationem conſiſtere in renovatione? §.232.
99. Aggreditur Bellarminus acropolin controverſiæ ac probare conatur juſtificationem noſtram non conſiſtere in imputatione juſtitiæ Chriſti. §. 234. & ſeqq.
100. An actuali juſtitiâ formaliter juſtificemur. §. 246.
101. Cauſa finalis juſtificationis reſpectu noſtri duplex eſt; in hac quidem vita, pax & tranquillitas conſcientiæ: Reſpectu verò Dei finalis noſtræ juſtificationis cauſa eſt gloria Dei. §.248.
102. Effecta, ſubjectú circa quod ſeu objectum, adjuncta & contraria Juſtificationis. §.248.
103. Denique ponitur definitio juſtificationis. §.250.

Finis hujus Primi Indicis.

INDEX

INDEX SECUNDUS TOMI TERTII:

Continens dicta Sacræ Scripturæ, partim explicata, partim ſic allegata, ut ex ipſa citatione dicti ſenſus appareat; partim à ſtrophis Adverſariorum vindicata.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESEOS.

Cap.	Verſ.		
	3	Benedixit Deus.	6.b.
	17	Morte morieris.	153.b.
	24	Relinquet homo.	7.a.b.
3	6	Vidit, quòd bonum.	9.a.
	8	Audiverunt vocem.	141.a.& 242.b.
	11	Ne commederes.	419.b.
	15	Semen mulieris.	129.b.
4	4	Reſpexit Deus.	106.a.
	1	Adeptaſum virum Jehovaham.	143.a.
	6	Cur iratus es.	159.a.
	10	vox ſanguinum.	7.b.
	26	Cœptum eſt invocari nomen Domini.	7.a.
5	22	Henoch ambulavit.	ib.
6	2	Filii hominum.	8.a.
	5	Omne figmentum.	161.a.
	6	Pœnitet me.	186.a.
	8	Invenit gratiam.	208.b.
	9	Perfectus.	88.b.
	11	Terra repleta eſt.	8.b.
7	2	Ex omnibus animantibus mundis tollet	
		ſeptena & ſeptena.	106.a.
8	21	Odor ſuavitatis.	106.a.
9	5	De manu Viri	7.b.
	6	Qui effuderit.	ibidem.
	25	Chami procacitas.	ibidem.
12	2	Benedicentur in te.	129.b.180.b.
	7	Ædificat altare.	6.b.
13	8	Ne ſit contentio.	8.a.
14	20	Benedictus Deus.	6.b.
15	6	Sic erit ſemen tuum.	129.b.
	16	Credidit Abraham.	391.b.
17	7	Ero Deus tuus.	103.a.
		In generationibus ſuis.	117.b.
		Fœdus ſempiternum.	118.b
18	19	Quòd præcepturus ſit.	7.b.
	24	Intercedit Abraham pro Sodomitis.	8.a.
19	26	Vxor Lothi.	9.a.
21	33	Invocavit ibi.	6.b.
22	18	Benedicentur.	129.b.
26	4	Benedicentur.	ibidem.
28	14	Benedicentur.	ibidem.
	20	Votum Iacobi.	6.b.
29	25	Mendacium Labani.	9.a.
30	2	Nunquid pro Deo ſum	18.a.
31	19	Idola Patris	17.b.
32	26	Paratur cor.	68.b.
39	4	Invenit gratiam.	280.a.
49	10	Legulator.	101.a.
		Non auferentur.	123.b.
		Siloh.	129.b.

EXODI.

Cap.	Verſ.		
1	17	Vivificarunt.	224.b.
3	5	Locus in quo ſtas.	43.b.
4	10	Difficilis lingua Moſis.	82.b.
7	1	Datus pro Deo.	298.b.
12	14	Cultu ſempiterno.	118.b.
	48	Quod ſi quis peregrinorum.	123.a.
	16	Dies paſcha ſancta.	43.b.
13	17	Ne pœniteret.	186.a.
14	31	Crediderunt.	315.b.
17	12	Erant manus ejus אמונה	320.b.
	12	Graves Moſis manus.	82.a.
18	21	Avaritia.	160.a.
19	12	Conſtitues terminos.	12.b.
	13	Clangere buccina.	12.a.
	18	Ignis.	ibidem.
20	2	Ego Iehovah.	20.b.
	3	Non habebis Deos.	24.a.
	4	Non adorabis.	32.a.
	5	Ego ſum Dominus	46.b.
	7	Non aſſumes nomen.	158.b.
	10	Nullum opus facies in Sabbatho. 51.b.	
		55.b.56.a.	
	5	Deus tuus.	24.a.
	17	Non concupiſces.	159.b.
	23	Dii argentei.	18.a.
21	1	Hæc ſunt judicia.	119.a.
	2	Si emeris ſervum.	ibid.a.b.
	6	Leolam.	118.b.
	15	Qui percuſſerit.	119.b.
	13	Locum in quem fugere debeat.	120.a.
	18	Si rixati fuerint.	120.b.
	17	Furatus fuerit hominem.	121.b.
	33	Si quis aperuerit.	122.a.
	35	Si percuſſerit bos	121.b.
22	1	Si quis furatus.	ibidem.
	2	Si in effoſſione inventus fuerit Fur.	70.a.

Cap.	Verſ.		
	5	Si quis dimiſerit.	121.b.
	6	Si egreſſus igais.	122.a.
	7	Si quis dederit.	ibidem.
	9	De re amiſſa.	ibidem.
	14	Qui commodate.	ibidem.
	16	Si quis ſeduxerit virginem.	121.a.
	17	Dabit pecuniam.	160.a.
	18	Maleficum non ſines.	119.a.
	19	Qui concubuerit.	121.a.
	20	Occidatur.	119.a.
	21	Non inferes vim.	121.a.
	23	Si puellam virginem deſponderit vir. ibidem.	
	25	Si pecuniam.	122.a.
	26	Si pignus.	ibidem.
	30	Die octave dabis.	105.b.
23	1	Non aſſumes rumorem mendacij.	160.b.
	4	Si occurreris bovi inimici tui.	121.a.
	4	Reduc ad eum.	159.a.
	7	Mendacium fugies.	160.b.
	7	Non juſtificabo impium.	272.a.
	10	Sex annis ſeminabis terram tuam. 119.a. 113.a.	
	13	In omnibus, quæ dixi vobis.	158.b.
	18	Non immolabis ſuper fermento.	108.a.
	19	Hadus in lacte.	116.b.
24	3	Venit Moſes.	
	6	Sanguis fœderis	14.a.
	12	Lapidea tabula.	82.b.
25	18	Cherubim.	42.b.
	40	Iuxta exemplar.	117.a.118.a.
31	16	Pactum ſempiternum.	ibidem.
	13	Sabbatum.	54.b.55.a.b.
32	4	Hi ſunt Dii tui.	40.b.
	15	tabulæ duæ ſcriptæ ex utroq; latere.	13.b.
33	2	Tabernaculum congregationis.	112.a.
	19	Gratioſus ero.	280.b.
34	6	Iehovah fortis.	47.b.
	26	Hadus in lacte.	116.b.
	29	Radians facies Moſis.	82.a.
35	2	Qui fecerit opus.	119.a.
40	13	Sacerdotium ſempiternum.	118.b.

LEVITICI.

Cap.	Verſ.		
2	13	Sal.	108.a.
3	23	Sex diebus	56.b.
10	11	Sacerdotes.	57.a.
13	5	Confeſſio peccatorum.	242.b.
	14	Loquar judicium.	ibid.
16	12	Aſſumpto thuribulo intrabis in ſancta. 108.b.	
	20	Hircus emiſſarius.	p.298.a. 292.a. 436.b.
	21	Confitebitur ſuper caput.	p.195.a. & 228.a.
	22	Portaverit.	297.b.
17	9	Quicunq; ad oſtium.	107.a.
	10	Eſus ſanguinis.	116.a.
	11	Anima carnis eſt in ſanguine.	ibid.
	15	Eſus morticini	
	11	Sanguis ipſe animam expiabit.	292.b.
18	5	Vivet in eis	153.a.
19	11	Ne mentiemini.	160.b.
	17	Non odio habeas.	159.a.
	18	Ne quæras ultionem.	ibid.
	23	Præputia arborum.	116.b.
	27	Coma capitis.	117.a.
	29	Ne proſtituas filiam.	160.a.
20	9	Qui maledixerit.	119.b.
	27	Pythonici moriantur.	p.eadem a.
21	2	Si emeris ſervum.	ibid.
	13	Virginem ducet uxorem.	102.b.
	14	Ab altari meo avelles.	120.b.
	17	Qui habuerit maculam.	102.b.
24	15	Maledici moriantur.	119.a.
25	4	Sex annis ſeres agrum tuum.	113.a.119.a.
	36	Si pecuniam.	122.a.
	39	Si attenuatus.	119.b.
26	1	Non facietis idola.	27.b.
		Non adorabis coram eis.	91.a.
	41	Humiliabitur cor.	215.b.

NUMERORUM.

Cap.	Verſ.		
5	7	Fatebuntur peccatum.	37.a.
	12	Cananæorum affinitas.	120.a.
15	38	Fimbria.	116.b.
	39	Non ſequantur cogitationes ſuas. 18.a. 106.a.	
		Recordamini.	37.a.
18	27	Reputabitur vobis	427.a.
19	1	Vacca ruffa.	116.a.
	13	Tangens corpus mortui.	ibidem.
21	8	Serpens æneus.	42.b.
36	13	δικαιώματα.	119.a.

DEUTERONOMII.

Cap.	Verſ.		
4	2	Nihil addatis.	164.a.
	5	κρίσεις	119.a.
	7	Quæ eſt gens ita.	14.a.
	15	Cavete diligenter.	40.a.39.b.
	26	Teſtor.	52.b.
5	2	Pactum in Horeb.	178.b.
	4	à facie ad faciem.	11.b.
	15	Memento.	56.a.
	14	Die ſeptimo	59.a.
	22	Verba hæc locutus.	99.a.
6	1	iſtud eſt præceptum.	3.b.
	6	Erunt verba hæc.	116.b.
	5	Diliges Dominum Deum tuum. & 76.a. & b.	75.b.
	8	Lex iſta erit.	54.a.
	13	Jurabis.	50.a.51.a.
		Ipſi ſoli ſervies.	419.b.
	20	Teſtimonia.	3.b.
	21	Non concupiſces.	160.b.
7	3	Filius uxoris dilectæ.	120.a.
	11	Præcepta.	3.b.
	15	Sculptilia.	31.a.
10	20	Timebis	24.b.
	5	Locus quem elegerit.	107.a.
12	8	Non facietis.	37.a.
	30	Cave.	117.b.
		Non inquires.	108.a.
13	5	Interficietur.	119.a.
14	21	Hadus in lacte.	116.b.
15	13	Si ſervum.	119.b.
	17	Serviet tibi uſq; in æternum.	118.b.
16	16	Solennitas infermentatorum.	112.b.
17	6	In ore duorum.	122.b.
	18	Cùm ſederit Rex.	99.b.
18	1	Nec erit Sacerdotibus.	107.b.
	13	Perfectus eris.	88.b.89.a.
	15	Prophetam ego	156.b. & 129.b.

Hemi-

LOCORVM SCRIPTVRÆ.

Cap.	Verſ.		
19	5	Homicidium caſuale.	120.a.
	15	Non ſtabit teſtis.	122.b.
	16	Cum teſtis.	ibid.
20	5	Quis eſt homo, qui ædificavit domum novam.	120.b.
	16	Non vivificabis.	224.a.
21	11	Cum inter captivas.	119.b.
	15	Repudiata.	120.a.
	18	Cum quis habuerit filium contumacem.	119.b.
	20	Comeſſationibus vacat.	160.b.
22	1	Reduces fratri tuo.	159.a.
	5	Non induetur mulier.	160.a.
	6	Mater cum pullis.	116.b.
	9	Semina diverſa.	ibidem.
	13	Cùm acceperit quis.	122.b.
	20	Virginitas.	121.a.
	22	Si dormierit vir.	ibid.
	28	Virgo ſeducta.	ibidem.
23	1	Non ingredietur.	62.b.122.b.165.b.
	2	Non ingredietur Spurius.	122.b.
	3	Non ingredietur Ammonita & Moabita.	ibidem.
	17	Non erit meretrix.	160.a.
	18	Merces meretricis.	121.b.
	19	Non fœnaberis.	122.a.
24	5	Immunitas novorum conjugum.	120.a.
	6	Propignore.	122.a.
	7	de plagy pœna.	121.b.
	10	capias pignus ejus.	122.a.
25	1	Iuſtificent.	273.a.b.
	5	Demortui vidua.	120.a.
	11	Cùm rixati fuerint viri.	121.b.
27	26	Maledictus.	77.a.129.a.
		Coles Deos alienos.	18.a.
29	4	Deus non dedit vobis cor intelligens.	150.a.
30	2	Quando redibis.	185.b.
	11	Mandatum quod præcipio.	86.a.
	15	Vita & mors.	137.a.153.a.
	19	Eligas.	166.a.
32	5	opera Dei perfecta.	93.b.
	34	In theſauris meis.	268.a.

JOSUÆ.

2	13	Vivificabitis.	224.b.
11	15	Sicut præceperat &c.	89.a.
23	7	Idumæi & Ægypty.	123.a.
24	14	Servite Domino perfectè.	89.a.
	15	Eligite.	166.a.
	26	En lapis iſte.	13.a.

JUDICUM.

8	27	Ephod.	41.a.
	7	Michas idololatra.	ibidem.
11	11	Fecitq; eum omnis populus Principem.	122.b.

I. SAMUELIS.

2	6	Dominus mortificat.	204.a.
4	18	Evangelizate.	128.a.
7	6	Effuſio aquæ	216.b.226.b.228.b.
	3	Dii alieni.	18.a.
12	23	Abſit à me.	57.b.
15	22	Nunquid Iehova.	37.b.
	29	Pœnitet me.	186.a.
20	3	Vivit anima.	52.b.
31	9	Adnunciaretur.	128.b.

II. SAMUELIS.

1	20	Annunciare.	128.b.
4	4	Nuncius de Saule	pag. eadem a.
	10	Pronuncio.	ibidem.
12	5	Filius mortis eſt.	70.a.
15	4	Iuſtificem.	273.a.
	20	Fides.	315.
18	22	Boni nuncij bajulus.	128.a.
	27	nuntium portans.	ibidem.
24	10	Percuſſit cor.	212.b.

I. REGUM.

1	21	Reputabimur.	457.a.
	22	Habitabit in ſeculum.	118.b.
	50	Tenuitq; cornu altaris.	111.a.
8	32	Iuſtificando.	273.b.
	46	Non eſt homo, qui non peccet.	97.a.
11	4	Cor non fuit perfectum cum Domino.	p.89.a.
12	28	Vituli aurei.	41.b.
14	8	Toto corde	89.a.
15	5	Rectum in oculis.	ibid.
20	3	David jurat	51.a.
21		Achabi pœnitentia	200.a.
2	28	Apprehendit cornu altaris	111.a.
		Miſertus eſt.	111.a.

II. REGUM.

10	25	Jehu	41.b.
	20	Sancti	57.a.
12	13	Tranſtulit peccata	194.b.
13	23	Miſertus eſt	280.b.
18	9	Æneus ſerpens.	29.b.
	21	In Iehovah Domino.	41.b.
23	25	Toto corde.	89.a.

I. PARALIPOMENON.

14	12	Deos ſuos	18.a.
12	33	Abiq; corde & corde	89.b.

II. PARALIPOMENON.

12	12	Humiliati ſunt	266.b.
15	15	In tota voluntate.	89.a.
20	20	Credite in Deum	322.a.
33	12	Egit pœnitentiam	186.b.
34	31	Eduth	

NEHEMIÆ.

9	1	Convenerunt fily Iſrael in jejunio.	228.b.

JOBI.

6	2	Utinam appenderentur.	264.a.
9	2	non juſtificabit	273.a.
	11	Si venerit ad me	353.b. & 354.a.
	20	Si me juſtificaro	ibidem.
	28	Verebar omnia opera.	79.a.b.234.a.162.a. 353.b.
19	25	Scio quod Redemptor	317.a.340.a.
24	15	Oculus adulteri	159.b.
31	1	Pepigi fœdus.	ibid.

14. Quid

Cap.	Verſ.		
	14	*Quid faciam, cum ſurrexerit.* & 354.a.	p.353.b.
	24	*Qui ponit aurum.*	25.a.
39	14	*Conſidet.*	321.a.

PSALMI.

Pſal.	Verſ.		
1	2	*In lege Domini 2. die ac nocte.*	54.a.
2	v.ult.	*Conſidit.*	321.a.
4	5	*Iraſcimini, & aolite peccare.*	159.a.
	7	*Mendacium.*	160.b.
6	1	*Ne arguas me.*	215.a.
	11	*Pudore afficiantur.*	184.a.
7	1	*In te ſperabo.*	24.b.
12	3	*Corde & corde.*	89 b.
14	3	*Non eſt, qui faciat bonum.*	82.a.
15	4	*Qui juravit.*	53.b.
	2	*Veritas.*	160.b.
16	4	*Non levabo.*	49.b.
	10	*Non relinquet.*	304.a.
18	6	*Funes inferni ceciderunt.*	304.a.
19	8	*Lex perfecta.*	1.b.
	13	*Delicta quis intelligit.* 161 a. 216.a.	354.a.
22	23	*in medio congregationis.*	57.a.
	2	*Deus mi, ut quid me dereliquiſti.*	304.a.
25	17	*Anguſtia.*	215.b.
31	1	*in Domino confido.*	321.a.
	13	*Factus ſum.*	215.b.
32	4	*Verſus eſt viror.*	215.a.
	5	*Notum feci peccatum.*	228.b.
		Confitebor.	215.b.
	6	*Pro remiſſione.* 161.a	79.a.
33	4	*Omnia opera ejus in fide.*	315.b.
	12	*Cujus eſt Deus.*	24.a.
34	19	*Contritis corde.*	215.b.
37	8	*Deſine ab ira.*	159.a.
	27	*Declina à malo.*	211.a.
38	3	*Sagittæ tuæ.*	215.a.
	4	*Non eſt pax.*	pag. eadem b.
	9	*Humiliatus ſum.*	ibid.
40	8	*Ecce venio.*	127.b.
	10	*Annunciavi juſtitiam*	281.b.
		Faciam voluntatem tuam.	310.a.
44	25	*Humiliata eſt.*	215.b.
45	3	*Diffuſa eſt gratia.*	133.a.
	8	*Unxit te oleo lætitiæ.*	102.b.
50	9	*Non accipiam juvencum.*	115.a.
51	5	*Prævaricationes meas agnoſco.*	215.a.
		Peccatum coram me eſt.	216.a.
	6	*ut juſtificeris.*	272.b.
		in ſermonibus tuis.	465.b.
	8	*Abſcondita Dei ſapientia.*	148.a.
51	9	*Hyſſopus.*	115.b.
	10	*Quæ contriviſti.*	215.b.
	16	*Prædicabo juſtitiam tuam.*	281.b.
		De ſanguinibus.	108.a.
	19	*Cor contritum.*	214.b. 219.b.
		Spiritus contribulatus.	224.b.
55	24	*Viri ſanguinum.*	63.a.
62	9	*Confidite.*	321.a.
	11	*Si affluant divitiæ.*	160.a. 161.a.
68	12	*Evangeliſtæ.*	127.b. 128.b.
69	5	*Quæ non rapui.*	292.a.
	15	*Eripe me de luto.*	304.a.
71	2	*in Iuſtitia tua.*	281. b.
76	2	*Notus in Iudæa Deus.*	200.a.
78	22	*Non confiſi ſunt.*	321.a. 322.a.
82	3	*Juſtificate.*	273.a.
84	11	*Elegi.*	166.a.
86	13	*Eruiſti animam meam ex fovea inferiore* 304.a.	
88	17	*In me tranſierunt.*	215.a.
90	8	*Abſconditum.*	161.b. 265.a. 216.a.
95	6	*Adorate ſcabellum.*	43.a.
96	2	*Novum canticum.*	127.b.
	5	*Dii gentium.*	25.b.
102	5	*Cor percuſſum.*	215.b.
		obliviſcitur comedere.	215.a.
	10	*Potum meum.*	ibid.
105	22	*Erudit ſenes.*	7.a.
106	21	*Obliti Dei ſui.*	40.b.
	31	*Reputatum eſt ei in juſtitiam.*	458.a. & b.
	45	*Pœnituit eum.*	186.a.
109	22	*Cor vulneratum*	215.b.
110	4	*Melchiſedek.*	117.b.
111	10	*Timor Domini.*	408.a.
118	18	*Caſtigando caſtigavit.*	204.a.
119	6	*Ad omnia præcepta tua.*	88.b.
	16	*Non obliviſcar.*	54.a.
		Iuſtificationes tuas.	275.b.
	28	*Defecit anima mea.*	204.a.
	30	*Elegi*	166.a.
	32	*Viam mandatorum.*	164.b.
	34	*Toto corde exquiſivi mandata tua.*	88.b.
	36	*Non ad avaritiam.*	160.
122	3	*Ædificata eſt.*	100.a.
132	7	*Adorabimus in loco.*	43.a.
141	2	*Sit oratio mea.*	111.a.
143	2	*Propter juſtitiam tuam.*	281.b.
		Ne intres.	79.a. 80.a. 445.b.
147	3	*Contritos corde.*	214.b.
	19	*Non fecit taliter.*	100.a.

PROVERBIORUM.

Cap.	Verſ.		
1	7	*Timor Domini.*	408.a.
	8	*Lex matris.*	2.a.
	19	*Lucro inhiant.*	160.a.
3	5	*Confide.*	321.a.
	20	*Ne amplexeris alienam.*	160.a.
6	3	*Non eſt grandis culpa.*	69.b.
	18	*Cor quod molitur cogitationes iniquas.* 161.a.	
	25	*Non concupiſces.*	159.b.
7	13	*Meretrix.*	160.a.
8	17	*Diligentes me.*	288.a.
11	8	*Impius traditur pro juſto.*	298.b.
12	10	*Cognoſcit juſtus.*	56.b.
13	8	*Redemtio animæ viri.*	294.b.
	24	*Odit filium.*	49.a.
14	27	*Timor fons vitæ.*	408.b.
	15	Μετάνοια.	185.b.
15	27	*Avaritia.*	160.a.
16	6	*Redimitur iniquitas.*	258.a.
	14	*Placabit.*	258.b.
17	15	*Iuſtificans impium.*	272.a. 273.b.
20	9	*Quis poteſt dicere.*	79.a. 265.a. 350.b.
	20	*Qui maledicit.*	63.a.
22	15	*Stultitia colligata.*	61.b.
	24	*Ne fias amicus iracundo.*	159.a.
23	13	*Ne ſubtrahas.*	62.a.
	31	*Ne intuearis.*	159.b.
24	16	*Septies in die.*	93.b. 200.b. 234.a.
	19	*Sic faciam ei.*	159.b.

Ira.

LOCORVM SCRIPTVRÆ.

Cap.	Verſ.		
27	3	*Ira.*	159.a.
	23	*Agnoſce vultum pecoris tui.*	243.b.
28	13	*Confitetur.*	215.b.
	16	*Avaritia.*	160.a.
	24	*Qui ſemper eſt pavidus.*	356.b.
	25	*Qui ſperat in Domino.,*	409.a.b.
30	17	*Oculum eruent.*	63.b.

ECCLESIASTES.

Cap.	Verſ.		
3	14	*Opera Dei perſeverant in ſeculum.*	118.b.
7	10	*Ne feſtines in ſpiritu tuo ad iraſcendum.*	159.a.
9	2	*Neſcit homo.*	351.a.b.
12	1	*Lætare Iuvenis.*	160.a.

CANTICORUM.

Cap.	Verſ.		
5	2	*Aperi mihi Soror mea.*	267.b.

ESAIÆ.

Cap.	Verſ.		
1	6	*Auferte malum cogitationum.*	161.a.
	11	*Victima.*	115.a.
	12	*Quis hæc requiſivit.*	37.a.106.a.
	15	*Manus veſtra ſanguine plenæ ſunt.*	108.a.
	16	*Lavate vos.*	211.a.
	17	*Quieſcite perversè agere.*	258.a.
2	3	*Exibit lex.*	149.b.
5	22	*Potentes ad bibendum.*	160.b.
	23	*Qui juſtificant.*	273.a.278.a.
6	5	*Pollutus labiis.*	79.b.
7	9	*Niſi credideritis.*	318.b.
	14	*Filius virginis.*	129.b.
8	13	*Sanctificare Jihevam.*	278.a.
9	4	*Jugum oneris.*	82.a.
	6	*Puer nobis natus eſt.*	128.b.
11	5	*Fides.*	315.b.
26	3	*Figmentum fultum.*	320.b.
		Quia in te confiſum eſt.	321.a.
	18	*Doluimus, peperimus cum ſuſpiriis.*	408.b.
28	16	*Qui credit, non feſtinat.*	321.b.
	21	*Facit opus alienum.*	204.a.
30	15	*in quiete.*	186.a.
31	9	*Cujus ignis in Sion.*	100.a.
33	18	*Legifer.*	156.b.
	22	*Rex Regum.*	ibidem.
38	3	*Corde perfecto.*	90.b.
	13	*Contrivit.*	214.b.
40	1	*Conſolamini.*	128.b.
	9	*Evangeliſans.*	127.b.
41	27	*Evangeliſare.*	ibid.
42	8	*Ego Dominus.*	[illegible]8.a.
43	9	*Juſtificantur.*	273.a.
	24	*Servire me feciſti in peccatis.*	129.b. 297.a.
45	22	*Convertimini.*	183.a.
46	5	*Cui adſimilabitis.*	40.b.
52	3	*Gratis venundati eſtis.*	145.b.
	7	*Evangeliſantis pacem.*	127.b.
53		*Totum caput.*	297.
	4	*Nos reputavimus.*	218.b.
	5	*Attritus eſt propter.*	247.a.b.
	6	*Quaſi oves erravimus.*	247.a.
53	6	*Sicut agnus.*	107.b.
		Poſuit in eo.	436.b.
	11	*Juſtificabit.*	272.a.
		In notitia ſui.	129.b.317.a.
	12	*Reputatus eſt.*	437.a.
55	1	*Omnes ſitientes.*	324.a.
	10	*Pluvia.*	147.a.
56	2	*Cuſtodiens Sabbathum.*	58.b.
	4	*Eunuchis.*	165.a.
		Dabo eis nomen melius.	pag. eadem.b.
	11	*Avaritia.*	160.b.
57	15	*In ſancto habitat.*	204.a.
		Cum contrito ſpiritu.	214.b.215.b.& 266.a.
	19	*Fructus labiorum.*	370.b.
58	7	*Frange eſurienti.*	57.a.
	13	*à Sabbatho.*	55.b.
59	2	*Peccata veſtra diviſerunt.*	185.b.
60	6	*Laudem Domino annunciantes.*	128.a.
61	1	*Evangelizari.*	128.a.129.a.132.b.
		Contriti corde.	214.b.
		Indulgentia.	264.a.
		Dominus miſit me.	266.a.
		Captivis liberationem.	128.b.
	2	*Annus beneplaciti*	264.b.
63	3	*Torcular.*	291.b.
	9	*In indulgentia ſua redemit eos.*	264.a.
64	6	*Pannus menſtruata.*	390.a.79.a.& b. 116.a.162.a.
66	2	*Contritus ſpiritu.*	214.b.
	23	*erit Sabbathum.*	58.b.

JEREMIÆ.

Cap.	Verſ.		
2	27	*Pater meus tu.*	40.b.
3	13	*Agnoſce iniquitatem.*	215.a.
	16	*Multiplicati.*	64.b.
4	8	*Plangite.*	215.a.
5	8	*Hinniebat.*	159.b.67.a.
6	13	*Avaritia.*	160.b.
7	28	*Periit fides.*	315.b.
9	21	*Per feneſtras mors.*	9.a.
	24	*Ego ſum Dominus.*	24.b.
12	16	*Si juraverint.*	51.a.
14	20	*Agnoſcimus.*	215.a.
16	14	*ex Ægypto.*	21.b.
17	9	*Parvum cor.*	161.a.358.a.
18	8	*Si convertatur.*	186.b.211.a.
		Pœnitebit me.	266.b.
20	15	*Natus eſt tibi puer.*	128.b.
22	17	*Avaritia.*	160.b.
23	6	*Juſtitia noſtra.*	435.a.
	5	*Germen juſtum.*	129.b.
	7	*Non dicent ultra.*	24.a.
25	9	*Solitudo perpetua.*	118.b.
27	12	*Subjicite colla veſtra.*	124.b.
31	28	*Solicitus ero.*	218.a.
	30	*Unus quiſq; morietur.*	153.a.
	31	*Fœdus novum.*	125.b.178.b.180.b.335.a.
	15	*Germen juſtitiæ.*	129.b.
	16	*Juſtitia noſtra.*	435.a.
36	3	*Propitius ſim.*	266.a.
44	26	*Juravi.*	50.b.
50	25	*Theſauri iræ.*	268.a.

THRENORUM.

Cap.	Verſ.		
3	42	*Prævaricati ſumus.*	215.a.

EZECHIELIS.

Cap.	Verſ.		
2	11	*Dedi eis præcepta.*	80.b.
4	7	*Dies pro anno.*	298.b.

Oculi

Cap.	Verſ.		
6	9	*Oculi fornicantium.*	159.b.
11	19	*Cor carneum.*	220.a.
16	49	*Iniquitas Sodoma.*	66.a.b.
	51	*Iuſtificaſti.*	272.a.
18	4	*Anima quæ peccavit.*	153.b. & 303.b.
	20	*Filius non portabit.*	48.a.b.
	21	*Impius ſi converſus.*	139.a.b. & 211.a.
	27	*Animam vivificabit.*	224.a.
	31	*Facite vobis cor novum.*	224.b.411.a.
20	12	*Sabbatha.*	59.a.
	22	*Sabbatha mea.*	55.b.
22	13	*Avaritia.*	160.b.
23	16	*Concupiſcentia.*	159.b.
	38	*Sabbatha mea.*	57.b.
33	18	*Vivo ego.*	335.a.
33	31	*Avaritia.*	160.b.
36	26	*Dabo ſpiritum novum.*	201.b.

DANIELIS.

4	24	*Redime peccata tua.*	225.a.258.a.
		Forſan ignoſcet.	356.a.
6	15	*Lex Medorum.*	2.a.
	23	*Credidit Deo ſuo.*	322.a.
8	14	*Iuſtificabitur.*	272.a.
9	5	*Peccavimus.*	204.a. & 228.b.
	24	*Vt aboleatur prævaricatio.*	298.b.129.b.
		Iniquitatem expiavit & perfectam iuſtitiam adduxit.	313.b.
12	3	*Ad iuſtitiam.*	277.b.
	7	*Iurat Angelus.*	51.a.

HOSEÆ.

2	16	*Baal.*	41.a.
	19	*Deſponſabo.*	335.a.396.b.
3	4	*Diebus multis manebunt.*	124.a.
4	6	*Peccata populi mei comedent.*	264.b.
	10	*Sciet iſta.*	317.a.
	15	*Ne iuretis.*	158.b.
5	15	*Donec deficiant.*	218.a.
6	1	*Revertamur.*	ibidem.
		Dominus lacerat.	204.a.
	6	*Dolabra.*	94.b.
		Miſericordiam volo.	115.a.
9	1	*In tribulatione.*	204.a.
11	8	*Quid faciam tibi.*	190.b.
13	14	*Ero mors tua ô mors.*	128.b.

JOELIS.

2	13	*Scindite corda.*	217.a.
	14	*Quis ſcit ſi convertatur.*	190.b.356.a.

JONÆ.

3	5	*Crediderunt.*	209.b.& 322.b.
3	9	*Quis ſcit an ignoſcat.*	356.a.
	10	*Vidit opera eorum.*	266.b.324.b.211.a.

MICHEÆ.

2	1	*Concupiſcentia.*	160.b.
4	2	*Egredietur lex.*	149.b.

Cap.	Verſ.		
5	2	*Dux.*	130.a.156.b.
6	6	*Holocauſta.*	115.a.
7	5	*ne credatis.*	321.a.
	9	*ira Domini.*	215.a.

NAHUM.

1	6	*Ante iram.*	215.a.
	15	*Evangelizantis.*	127.b.

HABACUC.

2	4	*Iuſtus in fide ſua vivet.*	366.b.

ZACHARIÆ.

9	9	*Iuſtus & Salvator.*	130.a.
	11	*è lacu in quo non erat aqua.*	128.b.
11	7	*Virga gemina.*	127.a.
13	1	*Fons patens.*	130.a.

MALACHIÆ.

1	6	*Si pater.*	24.b.
	11	*Magnum nomen meum in gentibus.*	130.a.
1	6	*Nonne honorare.*	61.a.
2	6	*Legem requirant.*	4.a.
4	2	*Sol iuſtitia.*	130.a.
	4	*Mementote legis.*	54.a.

SAPIENTIÆ.

1	11	*Mendacium.*	160.b.
3	3	*Felix ſterilis.*	166.b.
4	7	*Iuſtus etiam.*	63.a.
5	3	Μετανοοῦντες.	185.b.
12	19	*Pœnitentia pro peccatis.*	266.a.

TOBIÆ.

12	9	*Eleemoſyna liberat à morte.*	225.a.

SIRACIDIS.

1		*Qui ſine timore eſt.*	407.b.408.a.
2	10	*Sperate in eo.*	409.b.
2	26	*Timor expellit.*	391.a.409.a.
3	8	*Qui timet Dominum.*	60.a.
4	30	*ne contradicas.*	160.b.
5	5	*noli eſſe ſine metu.*	353.a.
7	14	*Mendacium.*	160.b.
17	9	*Lex vitæ.*	126.a.
18	22	*Iuſtificari*	276.a.
19	8	*Ne mores alienos enuncies.*	72.a.
23	9	*Iuramento non adſueſcat.*	158.b.52.a.
26	12	*Fornicatio.*	160.a.
27	10	*Oratio iurantis.*	158.b.

II. MACCAB.

2	4	*Arca occultata.*	14.b.

BARUCH.

3	39	*Liber mandatorum.*	126.a.

ORATIO MANASSIS.

		Peccavi.	215.a.
		Pœnitentia non eſt poſita iuſtis.	265.a.

EX

LOCORUM SCRIPTURÆ
EX NOVO TESTAMENTO.

MATTHÆI.

Cap.	Verſ.		
1	21	Salvum faciet populum ſuum à peccatis.	p.130.a.
2	10	Gaviſi ſunt gaudio magno.	279.b.
3	6	Confitebantur peccata.	215.b.& 243.a.
	8	Facite fructus.	258.b.210.b.
	9	Ne velitis dicere.	165.b.
5	14	Lux mundi.	110.b.
	16	Luceat lux veſtra.	421.a.
	17	Solvere legem.	134 b.135.a. & 309.b.
	18	Amen.	300.a.
	19	Qui fecerit.	183.a.
		Qui ſolverit unum.	135.a.80.b.
	20	Niſi abundaverit.	137.a.b.
	22	Reus gehennæ.	136.a.
		At ego dico.	134.b.
		Qui iraſcitur.	63.b.
	23	Si offers.	250.b.
	28	Concupiſcentia.	160.b.
5	34	Non jurabitis.	42.b.51.b.158.b.
	39	Ne reſiſtas malo.	159.b.
6	2	Tubâ canere.	57.b.
	10	Fiat voluntas.	92 b.
		Sanctificetur nomen tuum.	278 a.
	12	Debita noſtra.	234.a.249.a.
7	9	Ex vobis homo.	61.b.
	19	Omnis arbor non faciens fructum bonum	136.a.
	25	Petra.	334.b.
	29	Erat docens.	135.a.
8	11	Multi ab oriente accambent.	165.b.
	17	Ipſe infirmitates noſtras accepit.	297.b.
9	2	Paralyticus.	196.a.
		Confide.	322.a.
		Remittuntur tibi.	336.a.
	3	Blaſphemat Deum.	344.a.
	12	Non indigent Medico.	204.b.146.b.
	13	Ad pœnitentiam.	130.a.186.b.
	22	Fides tua te.	324.b.
	13	Miſericordiam volo.	23.a.
10	37	Qui patrem & matrem.	62.a.b.
11	5	Evangelium.	128.b.146.b.
	12	Omnes Prophetæ.	118.a.
	13	Lex & Prophetæ.	2.a.
	19	Iuſtificata eſt.	272.a.
	21	Tolerabilius.	147.a.
		Pœnitentiam egiſſent.	186.b.
	28	Venite ad me omnes.	146.b.204.a.130.a. 267.a.
	30	Iugum ſuave.	86.a.b.
12	5	In lege.	2.a.
	37	Iuſtificaberis.	273.b.
13	8	Fructus centeſimus.	166.b.
	37	Semen bonum.	146.b.
	23	Intelligit.	317.a.b.
14	31	Dubitaſti.	321.b.327.b.
15	9	Fruſtra colunt.	162.a.
	28	Magna eſt fides tua.	324.b.
	32	Miſereor.	280.b.
16	17	Caro & ſanguis.	369.b.
	24	Qui vult me ſequi.	169.b.
17	20	Fides.	316.a.
	27	Solvi pro aliis.	298.b.
18	17	Dic Eccleſiæ.	57.b.
	18	Quæcunque alligaveritis.	336.a.379.a.
	23	Rex ponens rationẽ cum ſervis ſuis.	301.a.
	26	Servus debitor.	83.a.
19	8	Quoniam Moſes ad duritiem cordis.	p.123.a.
	11	Caſtrantes.	167.a.b.
	17	Si vis ad vitam ingredi.	137.b.& 138.a.
	18	Non occides.	20.b.
	21	Perfectus.	87.b.168.a.b.
		Sequere me.	169.b.
20	28	λύτρον pro multis.	297.a.& 145.b.
21	5	Rex tuus ad te venit.	380.a.
	21	Non hæſitaveritis.	340.b.
	22	Credentes.	321.a.
	29	μεταμεληθείς.	185.a.
22	12	Veſtis nuptialis.	428.a.b.
	37	Diliges Deum.	14.a.
	39	Mandatum ſecundum ſimile eſt primo.	p.23.a.
24	45	Fidelis ſervus.	320.b.
26	28	Novum Teſtamentum.	298.b.& 178.b.

MARCI.

Cap.	Verſ.		
1	1	Initium Evangelij.	128.b.& 144.b.
	5	Confitentes peccata.	215.b.
	14	Agite pœnitentiam.	186.b.204.b.209.a. 265.a.
	15	Evangelium.	132.b.
	40	Si vis potes.	376.a.
2	18	Non veni vocare juſtos.	130.a.
	22	Vinum novum.	157.a.
	27	Sabbathum.	55.b.
	28	Dominus Sabbathi.	310.b.
5	36	Ne metuas, tantùm crede.	321.b.327.b.
8	35	Perdiderit animam.	146.b.
9	23	Credenti omnia poſſibilia.	86.a.
	50	Habete in vobis.	108.a.
10	29	Qui reliquerit.	146.b.153.b.
15	28	Reputatus eſt.	457.a.
16	15	Prædicate Evangelium.	130.a.240.a.128.b
	16	Qui crediderit.	321.a.324.a.
	16	Signa ſequentur.	377.a.

LUCÆ.

Cap.	Verſ.		
1	8	Erant juſti.	89.a.
	74	De manu inimicorum liberati.	128.b.
	77	Scientia ſalutis.	317.a.
	78	Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.	47.b.
2	9	Timuerunt timore magno.	279.b.
	22	In lege Domini.	1.b.
3	11	Fructus pœnitentiæ.	258.b.
4	16	Chriſtus docet.	57.a.
	18	Evangelizare pauperibus.	128.a.
	22	Verba gratiæ.	146.b.
5	32	Non veni vocare juſtos.	130.a.
6	46	Non facitis.	183.a.
7	24	Ex gratia.	280.b.
	28	Non ſurrexit major.	51.b.
	29	Juſtificaverunt.	272.b.
	35	Iuſtificata eſt ſapientia.	272.a.
	47	Dilexit multum.	324.a.
		Remiſſa ſunt ei.	225.b.288.b.
	48	Remiſſa tibi ſunt peccata tua.	336.a.
	50	Fides tua.	300.a.418.a.b.
8	50	Crede tantùm.	390.a.

Cap.	Verſ.		
		Parabola ſauciati.	82.b.
	28	*Fac hoc.*	153.a.137.a.b.138.a.
	29	*Iuſtificabat.*	272.b.
	34	*Oleum & vinum.*	127.a.92 b.
12	14	*Quis me conſtituit.*	126.a.
	29	*Parvæ fidei.*	321.b.327.b.
13	3	*Niſi pœnitentiam egeritis.* 183.a. 266.b. 414.b.	
	5	*Niſi converſi fueritis.*	218.a.
14	26	*Qui non odit.*	22.b.62.b.49.a.
15	7	*Iuſti non indigent.*	265.a.
	10	*Gaudium coram Angelis.*	267.b.
	18	*Pater peccavi.*	212.b.
16	11	*Quis concredet vobis.*	320.b.
	17	*Facilius eſt.*	300.a.
17	10	*Cùm omnia feceritis.*	162.b.
	32	*Memores eſtote.*	9.a.
18	14	*Phariſæus & Publicanus.* 266.a.376.b. 439.b.	
19	10	*Venit filius hominis.*	201.b.
23	28	*Deplorate vos.*	218.b.
24	26	*Per paſſionem intravit in ſuam gloriam.* 310.b.	
	28	*Chriſtus ſimulat.*	72.a.b.
	44	*In lege.*	179.a.
	47	*Prædicari pœnitentiam.*	204 a.265.a.

JOHANNIS.

Cap.	Verſ.		
1	1	λόγος.	141 a.b.
	5	*Non comprehenderunt.*	414.b.
	11	*Sui eum non receperunt.*	ibid.
	12	*Quotquot receperunt.*	414.b.321.b.
		Filios Dei fieri.	323.b.128.b.
		Dedit poteſtatem.	396.a.
	14	σκηνώσει.	112.b.
	16	*Gratia pro gratia.*	281 a.
	17	*Lex per Moſen.*	144.b.
		Gratia per Chriſtum.	146.b.155.a.284.b.
	29	*Agnus Dei.*	436.b.107.b.247.a.
2	19	*Templum.*	112.b.
	5	*Quodcunque dixerit vobis, facite.*	92.a.
	24	*Non credebat ſe.*	320.b.
3	5	*Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.*	414.b.
	14	*Serpens in deſerto.*	324.a.
	16	*Sic Deus dilexit.*	301.a.334.a.324.a.
		Qui credit in filium.	379.b.
	18	*Non judicatur.*	136.b.
	33	*Obſignavit.*	324.a.
	36	ἀπειθῶν.	321.a.
		Qui credit in filium.	324 a.
4	14	*Aquam quam dabo.*	286.a.
		Qui biberit.	324.a.
	22	*Salus eſt ex Iudæis.*	100.a.
5	8	*Tolle grabatum.*	56.a.
	17	*Operatur & ego.*	56.b.
	19	*Quæ facit Pater.*	141.b.
	24	*Amen. Amen dico vobis.*	335.b.
		In judicium non venit.	136.b.
	45	*Qui vos accuſat.*	74.b.155.b.
	46	*Si Moſi credideritis.*	127.a.315.b.
		Scripſit de me.	143.b.
6	29	*Fides opus Dei.*	369.b.413.b.
	35	*Panis vitæ.*	456.b.
	49	*Panis vitæ.*	110.b.
	51	*Caro mea.*	307.a.
	64	*Qui non credunt.*	420.b.
7	3	*Vt qui cognoſcant.*	317.a.
	19	*Moſes dedit.*	74.a.
	51	*Num lex noſtra.*	2.a.
8	6	*Adultera.*	125.b.
	5	*In lege.*	2.a.
	51	*Si quis ſervaverit.*	335.b.
10	34	*In lege.*	1.b.
11		*Vincula Lazari ſoluta.*	243.b.
12	42	*Crediderunt.*	423.b.
13	10	*Qui lotus eſt non indiget, niſi ut pedes lavet.*	111 b.
	34	*Mandatum novum.*	157.a.
	35	*In hoc cognoſcent.*	87.b.
14	10	*Non creditis, quia ego in Patre.*	302.a.
	31	*Sicut mandatum dedit mihi Pater.*	ibid.
	23	*Si quis me diligit.*	288.a.87.a.b.
15	13	*Majorem dilectionem nemo habet.*	164.a.
	14	*Si feceritis.*	183.a.
16	8	*Arguet mundum.*	177.a.
	ult.	*Confidite.*	321.a.
19	7	*Habemus legem.*	1.b.
20	21	*ſicut miſit me.*	233.a.b.
	23	*quorumque remiſeritis.* 197.b.239.a.336.a. 379.a.	
21	15	*Scis quod amem te.*	339.b.

ACTORUM.

Cap.	Verſ.		
2	24	*Impoſſibile erat.*	302.a.
	37	*Compuncti ſunt.*	136.a.
	38	*Pœnitentiam agite.*	196.b.
4	12	*Non eſt aliud nomen.*	143.b.276.a.
4	32	*Omnia communia.*	173 a.b.
5	29	*Oportet Deo obedire.*	15.b.93.a.
7	35	*Redemptorem miſit.*	294.b.
	38	*Sermo vivus.*	126.b.149.b.
	53	*Accepiſtis legem.*	74.a.11.a.
8	12	*Sermo quem miſit.*	130.a.
	22	*Si fortè remittetur.*	190.b.356.
	37	*Si credis.*	321.a.
9	15	*Portet nomen.*	49 b.
10	1	*Cornelius.*	124.b.
	11	*Diſcrimen ciborum.*	118.a.
	13	*Remiſſio peccatorum.*	323.b.
	43	*Omnes Prophetæ.*	195.a.
11	18	*Pœnitentiam, dedit.*	266.b.
13	12	*Sergius Proconſul.*	124.b.
	14	*Paulus docet.*	57.a.
		Omnes voluntates.	89.a.
	38	*Annunciatur vobis.*	196.b.438.b.
		Remiſſio peccatorum.	196.b.
		Iuſtificari.	272.b.
		quibus non potuiſtis.	149.a.
	33	*Adimplevit.*	247.a.
14	9	*Lyſtrenſes fidem habent.*	360.a.
	15	*Annunciamus.*	203.b.
15	1	*Niſi circumcidamini.*	388.a.
	6	*Eſus ſuffocati.*	118.a.
	9	*purificans corda fide.* 323.b.417.b.418.a. & 421.a.	
	10	*Quid tentatis Deum imponendo jugum.* 74.a.b.75.a.	
	11	*Per gratiam Domini noſtri.*	154.b.
	21	*Moſes a tempore.*	57.a.
	29	*Vt abſtineatis.*	100.b.
16.	3	*Circumcidit eum.*	ibid.
	13	*die Sabbathorum.*	57.a.
17	29	*Numen non eſt ſimile.*	40.a.
	30	*Agant pœnitentiam.*	265.a.

18 13 Con-

Cap.	Verſ.		
18	13	*Contra legem.*	2.a.
19	8	*ſuadens ea.*	317.a.
	18	*Confitentes actus ſuos.*	215.b.243.b.
20	7	*Vna Sabbathorum.*	57.a.
	20	*Nihil ſubtraxi.*	204.a.
	21	*Pœnitentia.*	209.a.186.b.
	24	*Evangelium gratia Dei.*	133.a.
	29	*Deus redemit.*	307.a.
21	9	*Virgines quatuor.*	173.b.
	26	*Tunc Paulus aſſumptis viris.*	100.b.
22	25	*Num hominem Romanum.*	124.b.
24	16	*Sine offendiculo.*	172.a.
	26	*Tremefactus.*	136.a.
25	10	*Ad tribunal Caſaris ſto.*	124.b.
26	18	*Converſio ad lucem.*	186.a.204.a.
		Sanctificati per fidem.	278.a.
	20	*Opera facientes digna.*	210.b.
		Μεταvοεῖν.	186.a.
	22	*Propheta locuti ſunt.*	195.a.196.a.
28	11	*Caſtor & Pollux.*	158.a.

ROMANORUM.

Cap.	Verſ.		
1	2	*Evangeliũ promiſſum.*	128.b.133.a.144.b.
	3	*Evangelium Chriſti.*	145.a.
	5	*Obedientia fidei.*	93.a.156.b.
	8	*Fides veſtra.*	315.b.
	16	*Evangelium.*	129.a.
	17	*Iuſtitia Dei.*	148.b.281.b.154.b.
		Ex fide.	340.b.366.a.
	18	*Ira Dei.*	636.a.
	23	*Non glorificarunt.*	18.b.
2	5	θησαυρίζειν iram.	268.a.
	12	*Sine lege pereunt.*	136.b.
	13	*Factores legis.*	464.b.465.a.387.a.
	14	*Sibi ipſis lex ſunt.*	126.a.
		Quæ legis ſunt.	4.b.
	15	*Oſtendunt opus.*	149.b.97.a.
		Lex data eſt.	75.a.
	16	*Iudicabit Deus.*	136.a.
	25	*Circumciſio prodeſt.*	93.b.
	26	*Imputabitur.*	457.a.
		Si cuſtodiat.	387.a.
3	2	τὰ λόγια θεοῦ.	100.a.
		Concredita.	320.b.
	3	*Fidem Dei non evacuat.*	315.b.
	8	*Mala non facienda.*	71.b.
	10	*Non eſt juſtus.*	82.a.
	19	*Obnoxius fiat totus mundus Deo.*	153.a.
	20	*Ex lege.*	75.a.
	21	*Iuſtitia fidei.*	154.b.
		Lege & Prophetis.	153.a.2.a.
	26	*Ex fide.*	316.a.
	24	*Ad oſtenſionem.*	431.b.
		Propitiatorium.	291.b.110.a.295.a.
		Iuſtificamur gratis.	279.a.451.a.288.b.
	25	*Peccatorum remiſſio.*	300.a.
	27	*Ne quis glorietur.*	171.b.177.b.
		Lex fidei.	133.a.316.a.1.b.
		Vbi eſt gloriatio.	177.b.
	28	*Arbitramur.*	80.b.
	30	*Num deſtruimus.*	140.a.
	31	*Legem non abrogamus.*	126.b.
4	2	*Si ex operibus.*	385.b.
	4	*Qui operatur.*	387.b.
	5	*qui juſtificat.*	276.a.
		tantùm credit.	419.b.
	6	*Remiſſio peccatorum.*	438.b.
	11	*Signaculum.*	157.b.335.b.
	15	*Lex operatur iram.*	136.b.
	16	*Vt firma ſit.*	340.a.
		Ideò ex fide.	327.b.145.b.
	18	*Abraham credidit.*	324.b.327.a.
	19	*Non infirmatus eſt.*	330.b.
	20	*Diffidentia.*	321.b.
	21	*Pleniſſimè ſciens.*	321.a.
	24	*Non ſolum propter Abrahamum.*	pag. 145.a.
	25	*Propter juſtitiam noſtram.*	455.b.
5	1	*Iuſtificati fide.*	321.a.
		Pacem habemus.	323.b.
	2	*In qua ſtamus.*	340.a.
		Gloriamur.	322.a.
		Fide in gratiam.	ibid.
5	5	*Charitas Dei diffuſa.*	285.b. 286.b. 288.b.
	10	*Reconciliati ſumus.*	295.b.
	11	*Reconciliationem accepimus.*	321.b.
	15	*Gratia.*	284.b.
	16	*In juſtificationem.*	273.b.
	17	*Accipientes abundantiam gratia.*	284.b.
	19	*Per unius obedientiam.*	309.b.311.a.
		Iuſti conſtituuntur.	280.a.276.b.434.a.
	20	*gratia.*	281.a.
	21	*gratia regnet.*	456.a.
6	7	*Iuſtificatus à peccato.*	453.b.
	15	*Gratia.*	281.b.
	12	*Vt obœdiatis.*	93.a.
	14	*Sub lege.*	2.a.96.a.
7	4	*Mortui legi.*	126.b.
	6	*Lex peccati.*	2.a.
		Lex operatur iram.	626.b.
	7	*Num lex peccatum eſt.*	155.b.
		Concupiſcentia.	20.a.160.b.
	10	*Mandatum ad vitam.*	2.b.80.b.
	13	*Lex ſancta.*	78.a.
	14	*Lex ſpiritualis.*	75.a.
		Ego carnalis ſum.	79.a.b.
	23	*à lege viri.*	2.a.
	25	*Lex peccati.*	ibid.
		Mente ſervio legi Dei.	89.b.162.a.b.
8	1	*Nulla condemnatio.*	126.b.323.b.
	2	*Lex Spiritus.*	2.a.93.a.126.b.
	3	*quod impoſſibile.*	74.a.126.b.
		In ſimilitudine.	292.a.
	4	*Iuſtificationem legis in nobis impleri.*	81.b. 92.b.93.a.126.b.
	13	*Si Spiritu mortificaveritis.*	138.b.
	15	*In quo clamamus.*	336.a.
	14	*Qui aguntur Spiritu.*	96.a.
	16	*Spiritus teſtimonium dat.*	336.a.337.a.
	24	*Spe ſumus ſalvati.*	390.b.
	29	*Conformes imagini.*	453.a.
	30	*Hos juſtificat.*	276.a.
	33	*Qui juſtificat.*	273.b.
	38	*Certus ſum.*	338.a.
9	1	*Iurat Apoſtolus.*	51.a.
	4	*Iſraelitarum gloria.*	100.a.
	7	*Num qui ſemen ſunt Abraha.*	165.
	15	*Miſereor.*	280.b.
10	3	*qui volunt ſtatuere.*	277.a.434.b.137.a.
	4	*Iuſtitia.*	323.b.
		Finis legis.	74.a.311.b.
	6	*Quæ ex fide eſt juſtitia.*	86.a.

Cap.	Verſ.		
	8	*Verbum fidei.*	133.a.
	11	*qui crediderit.*	321.a.
		non confundetur.	323.b.
	14	*Invocabunt.*	324.a.
	15	*Evangelium.*	127.b.
	17	*Fides ex auditu.*	146.b.319.b.370.a.
	10	*Corde nos credere.*	315.a.328.b.329.b.
11	6	*Si ex gratia.*	133.a.139.b.
	32	*Concluſit Deus.*	396.a.
12	6	*Analogia fidei.*	316.a.
	17	*Non vindicantes nos.*	159.b.
13	1	*Omnis anima.*	124.a.125.b.
	3	*Magiſtratus.*	159.b.
	4	*Gerit gladium.*	65.a.
	8	*Qui proximum diligit.*	87.a.b.
14	5	*Certus ſit.*	340.a.
	9	*Vt mortuis ac viventib. dominetur.*	310.b.
	14	*Scio & perſuaſus ſum.*	339.a.
	22	*Tu fidem habes.*	316.a.
	ult.	*Quicquid non ex fide.*	22.b.106.a.
15	8	*Promiſſio.*	144.b.
	14	*Perſuaſum habeo de vobis.*	338.b.
	16	*Evangelium Dei.*	128.a.
	18	*In obedientiam.*	93.a.
16	25	*Evangelium.*	128.b.
		Myſterium revelatum.	141.a.145.a.

I. CORINTHIORUM.

Cap.	Verſ.		
1	6	*Teſtimonium Chriſti.*	145.a.
	18	*Verbum crucis.*	ibid.
	21	*Stulta prædicatio.*	146.b.
	30	*Factus juſtitia.*	309.b.311.b.459.a.435.a.
2	7	*Animalis homo.*	147.a.
	12	*Accepimus Spiritum.*	336.b.337.b.
3	5	*quis Paulus.*	370.b.
	10	*Fundamentum aliud.*	417.b.
	24	*Juſtificamur gratis.*	294.a.
4	4	*Nihil mihi conſcius.*	171.b.354.b.
	11	*Vſq; in hanc horam.*	147.a.
		Ethnici Magiſtratus.	126.a.
	11	*Juſtificati eſtis.*	275.b.279.
		Abluti eſtis.	431.b.
	20	*Empti eſtis.*	294.b.145.b.
7	1	*Bonum eſt mulierem non tangere.*	170.a.
	4	*Vir non habet.*	67.a.
	6	*Secundùm indulgentiam.*	264.a.
	7	*Volo omnes eſſe.*	170.b.
	17	*ſicut vocavit.*	ibid.& 55.a.
	25	*De virginibus.*	170.b.
	32	*Qui ſine uxore.*	168.a.
	34	*Vt ſit ſancta.*	66.b.
	39	*Alligata legi.*	2.a.
8	4	*Idolum nihil eſt.*	25.b.18.a.158.a.
9	18	*merces mea.*	172.a.
	21	*Lex Chriſti.*	157.a.
	27	*Corpus caſtigare.*	256.a.
10	18	*Videte Iſrael.*	107.b.
	19	*Idolothytum nihil.*	158.b.
	31	*Omnia in Dei gloriam.*	76.b.
11	23	*A Domino accepi.*	57.b.
	28	*Seipſum judicare.*	256.a.
12	3	*Nemo poteſt Jeſum.*	337.a.370.a.
	8	*Alij datur ſermo ſapientiæ.*	319.a.
13	2	*ſi omnem fidem.*	316.a.360.a.377.a.
		ſi caritatem non.	424.b.
		ſi habuero omnem ſcientiam.	319.a.
	10	*Cùm a.venerit,quod perfectum eſt.*	88.b.
	13	*Fides Spes.*	331.a.
14	17	*Tu quidem bene.*	57.b.
	21	*In lege.*	2.a.
15	49	*Imago Chriſti.*	453.a.
16	1	*De collectis.*	57.a.

II. CORINTHIORUM.

Cap.	Verſ.		
1	9	*Gratia data.*	281.a.
	12	*Gloriatio noſtra.*	172.a.
	20	*Omnes promiſſiones in Chriſto ſunt Amen.*	321.b.
	21	*Qui confirmat nos.*	336.b.
	22	*Signum & pignus.*	286.b.
	23	*Teſtem invoco.*	51.a.
2	9	*Condonatis.*	280.b.
3	4	*Fiduciam talem habemus.*	321.a.
	6	*Novum Teſtamentum.*	178.b.
		Miniſterium Spiritus.	177.a.
	12	*Habentes ſpem.*	340.a.
4	3	*tabula cordis.*	13.a.
		ſi opertum eſt.	147.a.
	4	*Deus hujus ſeculi.*	370.b.
	13	*Spiritus fidei.*	369.b.
		loquimur.	324.a.
5	18	*Dedit miniſterium.*	244.a.196.b.
	19	*Erat in Chriſto.*	302.a.
		Non imputans.	435.b.
	20	*fungimur legatione.*	244.a.267.b.
	21	*Pro nobis peccatum.*	292.a.295.b.298.b. 461.a.462.a.& b.436.
		In quo efficeremur juſtitia.	309.b.311.b. 277.a.301.a.
6	14	*quæ ſocietas luci.*	285.b.
7	1	*Perficiamus ſanctificationem.*	278.a.
		Mundemus nos.	111.b.
	10	*Triſtitia ſecundùm Deum.*	207.b.
	11	*Vindicta.*	259.a.
8	18	*In Evangelio.*	128.b.
9	4	ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ.	320.b.
10	5	*Obſequium.*	319.a.331.b.
	18	*qui ſeipſum commendat.*	356.b.
11	2	*Deſpondi vos.*	102.b.172.b.
	11	*Hoc facio,ut.*	171.b.
	16	ὑπόστασις.	320.b.
	31	*Novit Dominus.*	51.a.
12	16	*Non gravavi vos.*	172.a.
	14	*Parentes debent.*	61.b.
14	12	*Eſt efficax.*	369.b.

GALATARUM.

Cap.	Verſ.		
1	8	*Licet nos aut Angelus.*	424.b.
2	16	*Credimus.*	385.a.
		Niſi per fidem.	383.b.316.a.
	17	*Miniſter peccati.*	155.b.
	20	*dilexit me.*	339.b.301.a.
		In fide vivo.	421.a.
	19	*legi mortuus.*	126.b.
	21	*ſi per legem.*	81.a.
3	2	*Auditus fidei.*	133.a.316.a.
		à vobis diſcere.	154.a.
	5	ἐπιθεία.	128.b.
	9	*Benedicentur.*	323.b.
	10	*Qui fecerit ea.*	80.b.
	11	*Juſtus ex fide.*	366.b.
	10	*Quicunq; ex operibus legis ſunt.*	80.b.
	12	*Lex non ex fide.*	129.a.
		qui fecerit ea.	149.b.153.a.137.a.

13 ma-

LOCORVM SCRIPTVRÆ.

Cap. Verſ.

13 maledictum. 436.b.463.a.
Maledictus. 126.b.
Redempti à maledictione. 292.a
19 Per Angelos. 11.a.b. Mediator ibidem.
qui fecerit ea. 75.a.
21 Non eſt data lex. 74.a.126.b.
23 Fides. 316.a.
22 Concluſit Scriptura. 396.a.
4 4 Vt redimeret. 307.a.96.a.
factus ſub lege. 309.b.
6 Clamans Abba. 324.a.336.b.
10 Dies obſervatis. 118.a.
21 legem non legiſtis. 2. a. eſſe ſub lege 310. a. 311.a.
24 Duo Teſtamenta. 178.b.
5 2 Si circumcidamini. 118.a.
6 Fides operatur. 288.a.368.b.369.a.b.
Per dilectionem. 224.a.
18 Si Spiritu ducimini. 126. b. eſſe ſub lege. 2.a.
14 Omnis lex in uno ſermone impletur. 87.b.
23 ἐγκράτεια. 66.b.
6 2 Lex Chriſti. 157.a.
10 Domeſtici fidei. 316.a.
15 Nova creatura. 285.a.

EPHESIORUM.

1 4 Electi in Chriſto. 301.a.
13 Signati eſtis. 336.b.
18 Viſcera tis. 317.b.
5 gloria gratiæ. 281.a.
6 dilexit nos. 285. a. gratos habuit. 437. b. prædeſtinavit nos. 148. b. gratia. 281.a.
2 4 Gratiâ ſalvati. 279.b.
7 Abundantia gratiæ. 284.b.
8 Gratiâ ſalvati. 280.b.
9 Ne glorietur. 172.a.
10 nova creatura. 285.a.
14 Φραγμὸς. 108.a.123.b.
15 Καταργήσας. 125.b.
3 5 Myſterium Chriſti. 145.a.
9 Myſterium abſconditum à ſeculis. 141.a.
12 In confidentia. 321.a.331.b.338.b.
13 Nolite deficere. 264.a.
17 Habitat per fidem. 421.a.
4 1 Vocatione dignè. 259.a.
5 Vna fides. 361.b.
7 Gratia data ſecundùm menſuram. 285.a.
12 Evangeliſtas. 127.b.
13 Vir perfectus. 88.b.
14 Vt jam non ſimus pueri. ibidem.
24 Novus homo. 438.a.
28 qui furatus eſt. 68 b.
30 ſignati eſtis. 336.b.
5 2 Oblationem Deo. 296.a.b.
8 Nunc lux. 285.b.317.a.
14 Evigila. 187.a.
26 Sanctificaret eam. 278.a.
6 1 Filii obedite. 62.a.
2 honora Patrem. 61.a.
16 Scutum fidei. 323.b.

PHILIPPENSIUM.

1 27 Dignè Evangelio. 259.a.
Commilitantes. 146.b.

Cap. Verſ.

2 12 Cum metu. 356.b.
9 Propter quod. 306.a.310.b.
15 Vt ſitis. 88.b.
3 3 Gloriamur in Chriſto. 322.a.
7 Stercora. 171.b.389.b.
12 Non quòd jam apprehenderim. 88.b.161.b.
15 Perfecti. 87.b.
19 Venter Deus. 18.a.25.a.

COLOSSENSIUM.

1 13 Eripuit nos. 128.b.
15 Imago Dei. 96.b.
1 24 Adimpleo ea. 263.a.
26 Myſterium abſconditum à ſeculis. 141.a.
2 2 πληροφορία. 321.a.
6 Accepiſtis Ieſum Chriſtum. 414.b.
9 In quo habitat. 112.b.
10 In eo eſtis conſummati. 88.b.
12 Operationis Dei. 369.b.
Reſurrexiſtis. 187.a.
15 Exſpolians Principatus. 128.b.
16 Nemo vos judicet. 118.a.
17 Vmbra futurorum. ibidem.

I. THESSALON.

1 8 Fides. 315.b.
2 22 Deo dignè ambulare. 259.a.
4 3 Voluntas Dei ſanctif. 93.a.
4 Sanctificatio. 66.b.
11 Operam detis. 55.a.

II. THESSALON.

1 7 Revelabitur. 147.a.
3 11 Non laborantes. 55.a.

I. AD TIMOTH.

1 8 Lex bona eſt. 3.a.
9 Iuſto non poſita. 94.b.96.a.150.a.
15 Certus ſermo. 340.a.
19 naufragium fidei. 187.b.
2 4 Vult omnes homines. 293.b.
5 Mediator. 291.b.293.a.
8 Sine diſceptatione. 340.b.
4 6 verbum fidei. 133.a.146.b.
8 Pietas ad omnia. 153.b.
16 ſeipſum ſalvare. 277.b.
5 8 qui domeſticis. 61.b.
fidem abnegavit. 420.b.
6 6 Magnus quæſtus. 69.a.

II. AD TIMOTHEUM.

1 7 Spiritus roboris. 340.a.
9 Gratia data. 141.a.281.a.437.b.
12 Scio. 317.b.
πέπεισμαι. 339.a.
2 11 Si commortui. 138.b.
15 ὀρθοτομεῖν. 149.a.
20 Vaſa aurea. 110.b.
25 Pœnitentia. 187.a.
8 Secundum Evangelium. 128.b.
3 15 Ab infantia. 43.b.
4 10 Demas reliquit. 410.a.

AD TITUM.

1 2 Spes vitæ æternæ promiſſa. 141.a.
13 Sani in fide. 316.a.

Cap.	Verſ.		
2	7	*Per omnia te ipſum.*	57.b.
	14	*redemti ab iniquitatibus.*	296.a.
3	5	*Secundum miſericordiam.*	279.b.
	7	*Iuſtificati ipſius gratia.*	452.a.

AD PHILEMONEM.

Cap.	Verſ.		
	13	*In vinculis.*	146.b.
	18	*Mihi imputa.*	457.a.

I. PETRI.

Cap.	Verſ.		
1	2	*Aſperſio ſanguinis.*	93.a.
		Obedientia.	156.b.
	13	*Perfectè ſperate.*	340.b.
	17	*In timere.*	356 b.
	18	*Redempti à vana.* 145.b.	291.b.293.b.296.a.
	19	*pretioſo ſanguine.*	298.b.
	23	*Semen.*	288.a.
2	8	*lapis offenſionis.*	147.a.
	13	*Subditi eſtote.*	124.a.125.b.
	20	*patienter.*	146.b.
	21	ὑπογραμμὸν.	453.b.
	24	*Abſtulit.*	292.a.298.a.436.b.
3	10	*Qui vult vitam diligere.*	153.b.
	21	ἐπερώτημα.	335.b.
4	3	*Illiciti idolorum cultus.*	41.b.
	11	*qui loquitur.*	57.b.
5	5	*humiliamini.*	24.b.

II. PETRI

Cap.	Verſ.		
1	10	*Satagite.*	356.b.
	11	*Sic enim abundanter vobis monſtrabitur.* 138.b.	
	16	*Doctæ fabulæ.*	319.b.

I. JOHANNIS.

Cap.	Verſ.		
1	4	ἀνομία.	1.a.
	7	*Sanguis Ieſu Chriſti.*	162.a.307.a.
	8	*Si dixerimus.*	79.a.80.a.265.a.
	9	*Si confiteamur.*	215.b.228.b.244.b.138.b.
2	1	*Advocatum habemus.*	247.a.
	2	*Propitiatio.*	291.b.
	4	*Novi eum.*	420.b.
	7	*Non mandatum novũ ſcribo vobis.*	157.a.
	9	*In luce eſſe.*	285.b.
3	1	*Qualem dilectionem.*	287.b.
	2	*Similes ei erimus.*	97.a.
	4	ἀνομία.	77.b.
	6	*qui manet in Deo.*	421.a.
	7	*Qui facit juſtitiã, juſtus eſt.*	464 b.465.a.
	9	*Non facit peccatum.*	93.b.420.b.
		Semen ipſius in eo manet.	286.b.
	14	*Scimus quòd.*	288.a.338.b.
		Diligimus.	225.b.410.a.367.b.409.b.
	16	*Pro fratribus animas ponere.*	164.a.
	19	*Perſuadebimus.*	320.a.
	21	*Accipiemus.*	266.b.
		Fiducia.	321.a.
4	7	*Omnis qui diligit.*	420.b.287.b.
	9	*In hoc apparuit caritas Dei.*	300.a.
	10	*In hoc eſt charitas.*	288.a.
	12	*Perfecta eſt.*	87.b.
	13	*In hoc cognoſcimus.*	338.b.339 a.
	14	*Fiducia.*	321.a.
	20	*Dilige Deum.*	23.a.225.b.226.a.421.a.
5	1	*Qui credit.*	420.b.
	3	*Gravia non ſunt.*	86.b.87.a.162.a.
	4	*Victoria noſtra.*	421.a.
		Mundus.	323.b.
		Fides noſtra.	321.a.
	10	*Mendacem facit.*	340.b.
		Qui credit.	338.b.339.b.
	13	*Qui creditis.*	321.a.375.a.
		Vt ſciatis.	338.b.
	14	*Fiducia.*	pag.ead.col.a.

HEBRÆORUM.

Cap.	Verſ.		
1	3	*Character ſubſtantiæ.*	96.b.
2	2	*Legislator.*	156.b.
	9	*Eum, qui modico minoratus.*	306.b.
		Per paſſionem mortis gloriâ & honore coronatus.	310.b.
3	1	*Conſiderate Apoſtol.*	156.b.
	6	*Fiduciam.*	340.a.
	14	*hypoſtaſis.*	320.b.
4	2	Κρᾶσις.	pag.ead.col.a.
	6	*in requiem.*	58.b.
	10	*qui ingreſſus.*	ibidem.
	16	*in thronum gratiæ.*	281.a.110.a.
		cum fiducia.	340 a.
		Vt accipiamus miſericordiam.	321.b.
5	9	*Obedientia fidei.*	395.a.92.b.93.a.
6	4	*Impoſſibile eſt eos.*	189.a.
	11	πληροφορία.	331.a.
	16	*juramentum.*	335.b.158.b.
	19	*Ancora firma.*	334.b.
7	5	*Juxta legem.*	2.a.
	11	*Sacerdotium Leviticum.*	117 b.
	19	*Lex nihil ad perfectum.*	155.b.
	21	*Sacerdotes.*	102.b.
	22	*Teſtamentum.*	179.a.
	26	*Talis decebat, ut eſſet nobis Pontifex.*	307.a.
8	4	*Vmbra rerum.*	117 a.
	13	*dicendo novum.*	179.a.99.b.123.b.125.b.
9	9	*Parabola temporis.*	118.a.
	10	*tempus correctionis.*	118.a.
		juſtitia carnis.	74.a.
	12	*Obtulit ſeipſum.*	108.b.294.b.
	14	*Sanguis Chriſti.*	247.a.
	15	*Mediator novi Teſtamenti.*	170.a.293.b.
	26	*Per hoſtiam apparuit.*	296.b.
10	1	σκιὰ ἀλλ' οὐκ... 117.a. *Lex umbram habet.* 117.a.118.a.	
	4	*Sanguis taurorum.*	115.a.
	7	*Ecce venio.*	127.b.
	10	*Sanctificati ſumus.*	272.a.
	12	*unam pro peccatis offerens hoſtiam.*	296.b.
	14	*Conſummavit ſanctos.*	314.a.
		Vnicâ oblatione.	88.b.
	19	*Habentes fiduciam.*	340.a.
	22	*In certitudine fidei.*	321.a.
	38	*Iuſtus ex fide.*	366.b.
11	1	*Hypoſtaſis.*	371.a.372.a.329.b.320.b.326.b
		ἔλεγχος.	317 b.
	3	*Fide intelligimus.*	330.a.
	4	*Abel fide.*	107.b.296.b.322.b.330.a.7a.
	6	*Credere Deum eſſe remuneratorem.*	330 a.
		ſine fide impoſſibile.	106.a.
	7	*Fide Noe.*	330.a.
	8	*Obedivit.*	324.a.
	26	*Majores divitias æſtimans.*	322.b.
	31	*Rachab.*	427.a.

12 17

Cap.	Verſ.		
12	17	*Μετάνοια.*	185.b.190.b.
	24	*Novum Teſtamentum.*	179.a.
13	4	*Conjugium.*	172.b.
	9	*ſperate.*	340.b.
	18	*Ieſus Chriſtus heri.*	144.a.154.b.
	20	*Teſtamentum æternum.*	179.a.

JACOBI.

Cap.	Verſ.		
1	6	*Nihil hæſitans.*	321.b.340.b.
		in fide.327.a.	
	14	*Concupiſcentia.*	19. b.
	21	*Verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.*	288.a.
2	10	*Qui in uno.*	80.b.
	8	*Si legem perficitis regalem.*	138.b.
	14	*ſi fidem.*	315.b.
	17	*fides mortua.*	425.b.421.a.
	19	*Credis Deum.*	315.b.
	21	*Iuſtificatus eſt.*	272.b.276.a.
	24	*Ex operibus juſtificatur.*	464.b.465.a.
	26	*Spiritus.*	365.b.368.b.
3	2	*In multis offendimus..79.a.80.a.b.265.a.*	
4	3	*Petitis & non accipitis.*	338.a.
5	12	*Nolite jurare.*	51.b.
	16	*Confitemini peccata.*	200.b.244.b.

JUDÆ.

Cap.	Verſ.		
	3	*Fidei.*	

APOCALYP.

Cap.	Verſ.		
1	5	*Princeps Regum terræ.*	156.b.
	10	*Dies Dominicus.*	59.b.
	13	*In medio candel.*	110.b.
3	21	*Qui vicerit.*	138.b.
8	3	*Data ſunt illi incenſa multa.*	108.b.
10	6	*Iurat Angelus.*	51.a.
13	8	*Agnus occiſus.*	107.b.144.a.154.b.
14	4	*Virgines agnum ſequentes.*	172.b.
	6	*Angelus volans.*	142.a.
		Evangelium æternum.	141.a.144.a.
16	9	*Non egerunt pœnitent.*	268.a.
19	16	*Rex Regum.*	156.b.
20	6	*Reſurrectio prima.*	187.a.
21	6	*Sitienti dabo.*	324.a.
22	11	*Iuſtificetur.*	276.a.

Finis Indicis Secundi, Tomi III.

INDEX TERTIVS, AUTORUM ALLEGATORUM, Explicatorum & Vindicatorum.

Numerus notat paginam, Litteræ paginæ faciem.

A.

R. ABenezra. de liberis puniendis.48.b. exponit vocem אֱמוּנָה 320.b.

Abulenſis. de imaginum adoratione.40.a.

Acacius. de ſola fide. 403.a.

Acoſta. de Confeſſione. 238.a.

Acta Synodica. de particula Sola in Articulo Juſtificationis.406.a.

Adon. de Concilio Francofurtenſi.44.a.

Adrian. de Traject. de meritis hominum.80.a.

Adrianus Papa. de imaginum cultu.33. a. de cultu propriâ voluntate, ſuſcepto.42.b.

Adrichomius. refert ignem tempore Aaronis demiſſum in altari holocauſti nutritum fuiſſe uſq; ad tempus captivitatis Babylonicæ.107.a.

Adelhelmus Abbas Malmesburienſis. diſputat, virgines illas beatas prædicandas, quæ ſibi ipſis ob metum ſtupri violentas manus intulerunt.

Agenda Brunſuicenſia. de Juſtificatione.383. a.

Ægydius Topiar. de Jacobo Veldio.206.b.

Alanus Copus impudentem ſe præbet mendacem.44.a.

Albericus Gentilis ſtatuit die Sabbathi licitum eſſe fruges invehere.60.b.

Albertus Richardus. de imaginum cultu.33. a.

Alcoranus. de lege Moſis. Chriſti & Mahometi. 157. b. de juſtificatione. 405.a.

Alcuinus. de ſola fide.401.b.

Alexander Alenſis. de gratia gratum faciente.287.b. de fidei ſignificationibus. 316. b. de Imaginum cultu.33.a.38. de Juramento per creaturas.p.52.b. de voce Impoſſibile.189.b.

Alexander ab Alexandro. de furtis laudatis.69.b.

Alexand Guagninus Veronenſis Eques auratus. de funebri ſacro Moſcovitarũ. & Rutbenorum.264.b.

Alexander III. Papa. de diſpenſatione adulterii.67.b.

Almainus. de imaginum cult.33.a.

Alphonſus de Caſtro. de imaginibus.34.a. 38.a. de indulgentiis.262.a. de Novatiana hæreſi. 191. b. de fidei acceptionibus.316 b.

Alphonſus Cæſaris Cancell. de Evangelicis.182.a.

Ambroſius. de legis diviſione.4. b. de legis promulgatione.9.b. de idololatria. p.37.a. ſcribit, non velle Deum in lapidibus coli. 40. a. de cruce Domini. 44.a. ſtatuit primùm manna die Dominica pluiſſe. 59.b. vult amandum eſſe genitorem, ſed præponendum eſſe creatorem. p.62. b. de legis implendæ ἀδυναμία.83.b. verba iſta Geneſeus.6.9. in generatione iſta: explicat.88.b. ait, Deum rectè exigere à natura, quod ei dedit, pag. 92. b. de peccato damnato. p.93.a. de lege Spiritus.93.b. de legis uſu. 94.b. ex Geneſ. 7. 2. voluntatem Dei de ſacrificandi ritu ipſi Nohæ innotuiſſe oſtẽdit.106.a. adducit interpretationẽ altaris de lignis Sittim.111.a.

de uſuris.122.a. de Evangelio.133.b. de lege&fide. 150.a. de diſcrimine legis & Evangelii.151.a. de legeChriſti.157.a. de Chriſtianorum officio.163.b. de Juvene divite.169. a. de Paulo ſtipendium recuſante.172.a.b. de pœnitentia.183.a.& 186.a. de pœnitentiæ periphraſi.p.187.a. de pœnitentia ſecunda naufragii tabula pag. eâd.col. b. de Novatianis.p.188. a. de relaxandi licentia Sacerdotibus conceſſa.189.a. loc. Hebr.10.26. explicat. 190.a. de poteſtate remittendi peccata miniſteriali.190. a. de Dei indignatione pag. ead. col. b. de definitione pœnitentiæ p.191.a. de dimiſſione peccatorum 194. b. de pœnitentia eaſſa. 200. b. de converſione hominis, quòd ſit Dei.202. a. de pœnitentiæ partibus.204.b. de fide pœnitentiæ parte p.205.b. 206.a. de triſtitia pœnitentiæ. p.207.b. 208 a. in pœnitentia quandoq, ſolius confeſſionis mentionem facit, quandoque ſolius orationis 210.a. illuſtrat locum Luc. 7.47. 226.a. de totali peccatorum remiſſione 227.b. de confeſſione auriculari. 238.b. de peccatorum remiſſione.240.b. de poteſtate remittendi peccata. 246 a. de ejus dicto: Lacrymas Petri lego, ſed ſatisfactionem non lego.249.b. de divite.261.a. de expectatione Dei gemituum noſtrorum. 267.a. de non differendâ pœnitentia 268.b. in peccatis non eſſe deſperandum. p.270.b. de Juſtificatione.274.b. de loco Rom.5.19.277.a. de adverbio Gratis.280.a. Deum nos propter Chriſtum ex miſericordia recipere.280.a. de gratia.281.b.282.a. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. p.285. b. de juſtitia Dei. 300.a. de obedientia Chriſti activa. 312. a. de fidei fiducia. 325.a. 345.b. 372. b. de fide Abrahæ. 373.b. de ſola fide.399.a. de veſte nuptiali. 428 b. de Chriſto peccatum facto. p. 437.a. de juſtitia Chriſti imputata.441.b. de gratia.451.b. de phraſi, mori peccato.453.b.

Ambroſius Cathar. de Imaginibus. 30.b. de Chriſti ſatisfactione.304.a.

Anabaptiſtæ Juramenta illicita eſſe aſſerunt.51.a.

Andidagma Colonienſe. de juſtitia Chriſti imputata. p.444.a.

Antidotar. Animæ de Mariâ conculcatrice capitis antiqui ſerpentis.304.b.

Andradius de dubitatione.343.a. de imputatione juſtitiæ Chriſti.456.b.

Andreas Fricius de confeſſione auriculari. p. 239. a. de certitudine ſalutis.348.b.

Andreas Maſius de Hithphael.369.b.

Andreas Oſiander. de anno Jubilæo Chriſti.113.b.

Andreas Vega de ſatisfactione pro actualibus peccatis.246.b.

Angelus Claviſius de Interrogationibus Confeſſionariis.238.a.

Annonius de Concilio Francofurtenſi.44.a.

Ansbertus de ſola fide. 402. a.

Anshelmus de juramento per creaturas.p.52.b. de dilectione Dei.76.b. in 1. Cor. 4. producit dictum hoc: Ad illius examen vita noſtra ducitur ſub quo & virtutes noſtræ trepidant. de impoſſibilitate legis.92. a.b. de ſeptem beneficiis Evangelii.131.b. de lege & fide.140.a. de neceſſitate Θεανθρώπου Mediatoris 148.a. de legis & gratiæ diſtinctione.150.a. de eo, quod Chriſtus reddidit. 173.b. de caritate Chriſti pro nobis patientis.p.177.a. de miſericordia Dei. 182.b. in loc. ad Hebr.6.4.189.b. de converſione & pœnitentia quòd ſit ſolius Dei opus. 202. b. de paſſione Domini.p.218.b. de ſatisfactione Chriſti pro omnibus peccatis.247.b. de obligatione quâ homo Deo eſt obſtrictus.249 b. de loco Galat.4. 21.311.a. de obedientia Chriſti activa.312.b. de fidei certitudine.p.355.b. de ſola fide. 402.a.403.a.b. de fide cum caritate conjuncta. p.422.b. de juſtitia Chriſti imputata.ibid.

Antoninus de diſcrimine legis & Evangelii.152.a. de ſatisfactione.250. b.

Antonius Archiepiſcopus Flor. de abſolutionum formulis. 246.a. de indulgentiis.262.a.

Antonius Marinarius. de fide parte pœnitentiæ. 206.b. de ſatisfactionis hominis pro peccatis nullitate. 249.b.

Apologia Auguſtanæ Confeſſionis de Evangelio.177.b quomodo abſolutionem annumeret ſacramẽtis 192.a. de partibus pœnitent.p.207.a quâ ratione novam obedientiam, tertiam pœnitentiæ partem concedat. 207.a. de commendatione Articuli de Juſtificatione. 271. a.

Apologia Confeſſionis Witteberg. de merito paſſionis Chriſti.223.b. de Contritione 227. a. de quadragena, ſeptena, & Carena. 257.b.

Arauſicanum concilium de fidei & amoris divini inſpiratione gratuita.412.a.

Aretius de imaginibus. 26.b de legibus forenſibus Judæorum 125.a. Ariſtophanes de acceptione vocis Evangelii.128.a.

Ariſtoteles de lege.p.3.a. de homonymis.39.a. de legiſlatoribus.125 b. de extremis & medio in demonſtratione.212.a. de voce πιςεύειν.320 b. de optimi habitus optima actione.445.b. de juſtitia. 450.

Arminius de differentia legis & Evangelij.157.b.

Arnobius de ſola fide 398.b.400.a.

Arnoldus quidam de Brixia negavit ſatisfactionem Chriſti.290.a.

Athanaſius de numero præceptorum.15. b. Dei imaginem fingere nefas ducit 40.a. de idololatria gentilium. 42.a. ejus liber de paſſione imaginis Domini eſt ſuppoſititius.44.b. de lege ſpirituali homini data.97.a. de prima fide.p.315.b. de ſola fide. 398.b. de juſtitia Chriſti imputata.441.a. Arianis tribuit idololatriam.37. a.

Aventinus de Concilio Francofurt.44.a.

Averroes animam hominis facit aſſiſtentem hominis formam.365.b.

Auguſtinus. de lege. 2.a. de lege peccati. ibidem. de legis promulgatione. 9.b. de tabularum colliſione. 12. de memoria uxoris Lothi. 9. a. decem plagas Ægyptiacas comparat cum decem præceptis tanquam vulnera cum medicamentis. 10. a. digitum Dei de Spiritu S. explicat.13.b. de diviſione Decalogi.17.a. de numero ternario primæ tabulæ. 21.b. de ſeptenario ſecundæ. 22.a. de imaginibus.31.b. Carpocratem idololatriæ accuſat.37 a. de idololatria. ibidem de alieno Deo.37.b. de utili veritatis inquiſitione.38.b. de Dei imagine.p.40.a. de cultu imaginum in primo præcepto prohibito. ibidem. de idololatria Ægyptiorum. 40.b. de Ephod Gideonis.41.a. de ſimulacris gentium.42.a de ſcabello pedum. p.43.a. de Angelo Moſi apparente.pag.ead.col. b. de cultu religionis. 45.a. explicat verba Exodi: in tertiam & quartam generationem. 47.b. ſtatuit temporalibus calamitatibus liberos etiam verè pios quandoque ſubjici propter parentum peccata. 84. b. de juramento. 51.a.b. de juramento per creaturas.52.a. de Martyrum honore. 55 b. de Sabbatho redemptionis. 58.a. de Sabbatho ſpirituali.pag.ead.col.b. de obſervatio-

Digitized by Google

ſervatione Sabbathi Iudæorum. 59. a. de collatione Sabbathi noſtri & Judaici. pag. ead. col. b. primum manna, ait, die Dominica pluiſſe. ibidem. de *αὐτοφονία*. 64 b. de ſupplicio à Magiſtratu ſonti irrogato. 65. a. de meretricibus. 67. b. de pollutione nocturna. 68. a. de mendacio. 71. b. 72. a. de ſimulatione. 72. b. capitale dicit eſſe mendacium, quod fit in doctrina religionis. 72. b. de dilectione Dei. 75. b. 76. a. ejus egregium dictum de toto, adducitur. 77. a. de dilectione Dei totali. 77. a. 77. b. in Pſal. 143. v. 2. 80. a. de imperfectione noſtra. 83. b. 84. a. de legis implendæ *ἀδυναμία*. 87. a. 91. b. de caritate in hac vita imperfecta. 87. b. de perfectis. 87. b. 88. a. b. 89. a. b. loc. Luc. 1. 6. de Zacharia & Eliſabetha irreprehenſibilibus explicat. p. 90. b. 91. a. dictum aliquod Baſilii exponit. 92. a. de cauſa legis datæ. pag. ead. col. b. de poſſibilibus gratiæ. 91. b. de peccato quod renatus non facit. 93. b. dicit aliud eſſe non peccare; aliud peccatum non habere, adeoque locum. 1. Joh. 3. 9. explicat. 94. a. de legis uſu. p. 95. a. de gente Judæa. 100. a. de ſignificatione hoſtiarum Veteris legis. 180. a. de tabernaculo. Vet. Teſt. 112. ait Moſen Chriſtum prophetaſſe per figuras obſervationum carnalium. 117. a. de ducenda fratris uxore. 120. a. dictum profert: In uno eodemque facto; & Deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. 120. b. de hiſtoria adulteræ Johan. 8. 125. b. de Evangelio. 128. a. de natura Evangelii. 133. b. de gratia. 146. a. de Evangelio ad caput poſito. p. 147. b. de fide impetrante. 149. b. de Teſtamento Veteri & Novo. 152. b. de regno cœlorum. 153. a. de ſpiritu & litera. 154. a. de legis perfectione. 155. b. de magno Propheta. 156. b. de novo mandato. p. 157. a. de Sacramentis 157. b. de mendacio. 160. b. de perfectione dilectionis. p. 162. a. de virginibus. p. 166. b. de fructu centuplici. p. 167. a. de Juvene divite Matth. 19. 168. b. de ſequela Chriſti. 169. b. de ſupererogatione. 173. b. de V. & N. Teſtamenti differentia. 180. a. de Moſe. 181. a. de paganis. 182. a. de pœnitentia. 183. a. de voce pœnitentiæ. 184. a. de verè pœnitente, pag. ead. col. b. de pœnitentia. 186. a. de pœnitentia Dei. ibid. de morte animæ. 187. a. de periphraſi pœnitentiæ. pag. 187. a. de Catharis. 188. a. In loc. Hebr. 6. 4. 189. b. locum Ambroſii exponit. 190. b. Accedat verbum ad Elementum. 192. b. de Sacramentorum definitione in genere. 193. a. de videndi ſenſu. ibid. Miracula ſuas linguas habere. p. 196. a. de Sacramenti integritate. 197. b. de converſione hominis quòd ſit Dei opus 202. a. de fide pœnitentiæ parte. 206. a. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus. p. 211. a. de pœnis temporalibus. p. 218. a. de novi cordis creatione. 224. b. de timore ſervili. *227*. b. *228*. a. de diſtinctione inter confeſſionem laudantis & gementis. *228*. a. de confeſſione auriculari. 238. b. de privata confeſſione. 250. a. de 1. Johan. 1. Si dixerimus. 244. b. ejus dictum: Non quia durum aliquid, ideò rectum. 245. b. de ſatisfactione Chriſti pro omnibus peccatis. 247. b. 248. b. de ſatisfactione Chriſti pro pœnis peccatorum noſtrorum. 248. a de dimidia venia. pag. ead. col. b. de obligatione, qua homo Deus eſt obſtrictus. 249. a. de Chriſto noſtro Redemptore. 249. a. & b. de ſatisfactione publica. 250. a. de cauſis calamitatum. p 254 a. de pœna. 255. a. de clave ligante. 256. de ſatisfactione p. 259. b. de ficulneis foliis, quibus protoplaſti ſe contexere. 259. b. de tempore pœnitentiæ. 265. b. de judiciis Dei. p. 266. b. de voce Corvina Cras 268. a. 269. a. de Paulo Peccatore recepto. 270. b. de remiſſione peccatorum. 271. b. de juſtificatione. 274. b. de gratis. 282. a. de loco. 1. Johan. 3. 14. Scimus quòd tranſlati ſumus. 288. a. de Deo juſto & miſericorde. pag. eadem col. b. de loco Pſalmi. 69. 5. Quæ non rapui. *292*. a. de ſolutione peccatorũ. 307. b. de phraſi: ſub lege eſſe. 311. a. de laude fidei. 315. a. de fidei ſignificationib. p. ead. col. a. b. de vocabulo credere. *316*. b. de phraſibus: credere in Deũ: credere Deũ: credere Deo. 317. a. de fidei notitia. 317. b. de aſſenſu fidei. 320. a. de fid. fiducia. 325. a. de oratione impetrante fidei firmitatem. 332. a. de juramento. 335. b. de fidei certitudine. 345. b. 346. a. 347. a. In 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum. 354. b. de fide hypocritica. 360. b. de fide una. 361. b. de fructu bono. 365. b. de vera virtute. 366. b. de loc. Habacuc. 2. 4. Juſtus ex fide vivet. 367. a. de phraſi: ex fide vivere. ibidem. in locum. 1. Johan. 3. 14. Tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. 367. b. 368. a. de fidei fiducia. 372. b. de fide Abrahæ. 373. a. de fidei objecto. 375. b. de fidei lumine. p. 381. a. de diſtinctione inter τὸ credere & inter τὸ opinari. ib. gloſſam, quòd, Apoſtolus de ſolis ceremonialibus loquatur, multis refellit, 384. a. b. de filiis Dei. 396. a. de ſola fide. 399. b. gratiam Dei non dari ſecundùm merita noſtra. p. 412. a. de manu ſubveniente homini. 418. b. de fide cum caritate conjuncta. 422. a. de Jacobi doctrina in articulo Juſtificationis. 427. b. de incredulitate. p. 428. a. de veſte nuptiali. pag. ead. col. b. de juſtitia Chriſti imputata. 436. a. 441. b. de juſtitia Dei. 450. b. de Dominio peccati. 454. a. de Diabolo victo. 456. a. de caritate. pag. ead. col. b. de fidei perfectione. 460. a. de ratione, cur non ſtatim poſt juſtificationem omnia peccata in renatis tollantur. 462. b de ſcriptis aliorum Catholicorum & Judæorum hominum. 464. a.

Auguſtana Confeſſio. de partibus pœnitentiæ. 207. a. contra Anabaptiſtas diſputat. p. 147. b. de privata confeſſione. 230. b. de ſatisfactione. 246. b. de juſtificatione. 383. a.

Aureolus. de voluntatis & intellectus potentiarum animæ diſtinctione. 329. a.

Aurea bulla jurandi ritum, qui ante electionem Regis vel Imperatoris Romani adhiberi ſolet, exponit. pag. 53. a.

Azorius omne peccatum eſſe *ἀνομίαν* aſſerit. 80. b.

B.

BAcmeiſterus profert varias ſpecies imaginum. 30. a. b. de typis. V. T. 127. b.

Bandinus. de vocabuli pœnitentiæ etymologia. 183. b.

Balduinus. de pœnis. 254. b. de imputatione. p. 431. a. 457. b.

Barradius. de lege nova. 134. a. de Chriſto legiſlatore. 155. a. de juſtis. Luc. 15. 7. 265. b. in Joh. 16. 27. Pater amat vos. 410. a.

Baronius. de imaginibus. p. 35. a. de honore imaginis. p. 45. a.

Bartſcius. de origine opinionis Papiſticæ de incertitudine fidei & ſalutis. 333. b.

Baſilius. de imaginibus. 33. a. de parentum officio. 61. b. de ſcortatione. 67. b. de Novati errore. 188. a. de pœnis temporalibus. pag. 218. a. exponit locum. Luc. 7.

Luc.7.47.226.a.de una expiatione peccati.249.b. de pœnitentiæ procraſtinatione. 268.a.de filiis ſapientiæ.272.a. de gratia. 281.b. Non eſſe hæſitandum in divinis.338.a. de fidei fiduciæ.372.b. de ſola fide.398.b. & 399.a. de veſte nuptiali.428.b.de juſtitia Chriſti imputata.441.a.

Beatus Rhenanus.de privata confeſſione. 230. a.b. de confeſſione auriculari.232.b.236.b.238 b.de privata confeſſione.234.a.

Becanus Deum,ait,ſuper omnia omnib.aliis rebus præferendum.75.b. aſſerit doctrinam de impoſſibili impletione legis repugnare ſanctitati & præbere occaſionem peccandi.94.a. de vocabulo juſtificationis. pag. 275.b. de phraſi, conſtitui juſtum. 276.b. de gratia gratum faciente.287.b. ſuaviter philoſophatur an gratia educatur de potentia animæ, an per ſimplicem creationem producatur. 465.b.

Beda. de nomero denario. 5. a. de lege in monte data 12.a.de numero præceptorum.14.a. de Decalogi diviſione. 17. a. de idololatria.37.a. de legiſlatore dante benedictionem.150.a.de diſcrimine legis & Evangelii.151.a. de ſervo inutili.163. b. de pœnitentia quòd ſit Dei opus. p.202. b. de ſola fide. 401.a.b. de fide cum caritate conjuncta. 422. b.

Bellarminus ait vocem Concilii Tridentini de imaginum cultu eſſe vocem Eccleſiæ Catholicæ, quam omnes Catholici ut Magiſtram ſequuntur. 33. b. de imaginum cultu. p.34.a.b. 35. a. quæ imago in Decalogo prohibeatur.36.a.agnoſcit latriam eſſe cultum ſoli Deo debitum. 38.a. de imaginum cultu ſententiam ſuam profert. 38. a. & tres opiniones. ibidem. recenſet, dicitque, quid dicatur honorari impropriè.38.b. declarat,quis ſit analogicus cultus imaginibus debitus. ib. agnoſcit votum eſſe actum religionis ſoli Deo debitum.39.a. concludit, licere pingere imaginem Dei Patris in forma hominis ſenis.39.b. fatetur, non ſine periculo exhiberi imperitis ejusmodi picturas, in quibus membra corporea tribuuntur Deo. ibid. diſputat tribus modis aliquid pingi poſſe.ibidem. de μεγολατρία.p.40.b.de gentilibus idololatria 41.b. putat Bellarminus imaginum cultum ex ſacra ſcriptura probari poſſe. p.42.b.arbitratur decretis Synodi Francofurtenſis non conſenſiſſe Romanum Pontificem.44.a.Alani Copi ſententiam de Synodo Francofurtenſi ſuſpicatur eſſe falſam.ibidem.Athanaſii librum de paſſione imaginis Domini non audet Athanaſio tribuere. 44.b.refert Chriſtianos noſtra ætate in Æthiopia degentes una cum Dominica Chriſtiana etjam Sabbathum Judaicum colere.58.a. ad locum Act.15.10.excipit.74.b. præcepta legis de opere externo tantùm explicat.75.a. de dilectione Dei, quam præſtandam,ait.verè non fictè.pag.ead.colum.b.de dilectione Dei ex toto corde. p. 76. b. 77.b.78.a.b. de dicto Rom.7.14.p.79.b.Job.9. 28. Verebar omnia.ibidem. Eſa.64.6. Omnis noſtra juſtitia.ibid.Jacob.3. a. In multis offendimus omnes.80.b. 1.Joh.1.8. Si dixerimus. 80.a. excipit Bellarminus in quinta argumentorũ claſſe contra legis impletionem, & dicit Chriſtum eſſe Mediatorem noſtrum, quamvis ipſimet legem impleamus. 81. b. præterea excipit Bellarminus ad quintam argumentorum claſſem contra legis impletionem hoc modo:per noſtram ſententiam Chriſtum conſtitui otioſum Mediatorem. ib.legem impleri poſſe ſtatuit.85.a.opera ſupererogationis habere fundamentum affirmat. ibid.negat charitatem in hac vita non poſſe eſſe tam perfectam,ut præcepto adimplendo ſufficiat.87.b. reponit hominem non poſſe quidem vivere abſque peccato,interim poſſe perfectè implere præcepta, cum peccata venialia non ſint contra ſed præter mandata.92.a.rationes proponit,quibus legis impletionem probare ſatagit.92.a.b. Dicta Patrum producit pro probanda legis impletione. p.91.b. ſeq. cultus divinos non præceptos Deo placere aſſerit.105.b. ait ſacrificium, cum ipſa religione natum fuiſſe.107.b. in Evangelio contineri nova præcepta.134.b. Oculum pro oculo.135.b. Concionem Chriſti.Matth.5.non legi morali,ſed corruptelis Phariſæorum oppoſitam ſcribit.ibidem. verba Chriſti de præbenda percutienti maxilla altera explicat.ib. in Evangelio contineri comminationes.135.b.136.a b. item conditionales promiſſiones.137.a. in Matth.19. Si vis ad vitam ingredi. p.137.b. Luc 10. Fac hoc.ib. Rom. 8. Si ſpiritu mortificaveritis.138.b. 2. Timoth. 2. Si commortui ſumus. ibidem. Jacobi 2 ſi tamen legem perficitis Regalem. ibid. 2.Pet.1. Sic enim abundanter.ibid.1.Joh.1. ſi confiteamur peccata ibid. Apoc.3.Qui vicerit.ibid.Ezech.18.ſi impius p.139.a. de fide in promiſſionibus Evangelicis. 139.b.de Evangelio an requirat conditionem obedientiæ. 140. a. de Evangelio,an fidem & opera requirat.pag ead col.a.b. de diſcrimine legis & Evangelii.152. b. de diverſitate promiſſionum in V.& Nov. Teſtamento.quam oſtendere conatur. p. 152.b. 153. a. de Phariſaica legis depravatione, pag.155.b.156.a. de conſilii perfectionis definitione.161.a.de perfecta dilectione.162.a.de exceptionibus ad argumenta noſtra de conſiliis Evangelicis.ibidem. de anima ponenda pro fratribus. 164.a.de additionib. ad præcepta Dei. ib. de Eunuchis.165 a. de continentia.166.b. in Matth.19. 21.ſi vis perfectus eſſe.168.a.b. de conſilio.169.a. in 1.Corinth.7.bonum eſt non tangere.170.a. in 14. Apoc.de virginibus.172.b. de conjugio.ib.in Apoc.7.de virginibus.173.a. de Evangelio, quòd ſit concio pœnitentiæ.174.a.de Evangelio.181.b. de vocis pœnitentiæ etymologia.183.a b.de derivationibus vocum.pag.ead.col.b. de Lutheri errore in articulo de pœnitentia. p.184.a. de voce μεταμελείας.185.a. de loco. Hebr.6.4.189.b. de pœnitentia an ſit Sacramentum. 191.a. Perperam nos Novatianis ac Montaniſtis aggregat. 191.b. de χειροθεσία p.194.a. de pœnitentia a Baptiſta & Chriſto prædicata.195 b.in Joh.20.23. Quorumcunq, remiſeritis.197.b.habitum fidei infantibus baptizatis tribuit.199.a.de dictis Patrum pro ſtabiliendo pœnitentiæ ſacramento pag.ead. col.b. fidem vivam & ſalvificam vocat inanem perſuaſionem. p. 200.a. figmentum Lutheri ac meram ſtultitiam.ibid. de cooperatione hominis in converſione ſui. 203.a. objicit noſtris inconſtantiam & diſcordiam in enumerandis pœnitentiæ partibus. p. 207. a. de contritione ex numero partium pœnitentiæ excluſa.pag.ead.col. b. de fide quòd non ſit pars pœnitentiæ.209.a. fidem à pœnitentia diſtingui.ib. de contritione.211.b.219.a. in Ezech.18.27.224.a.in Ezech.18.32. Facite vobis cor novum 224.b in Jon.3.10.ibid. in Pſalm.51. 19. ibid. in Daniel 4.24.225.a.in Luc.7.47. pag. eod.col.b.de verbis Concionatorum. 226.b. de confeſſione auriculari. p.235.b. de abſolutione. 236.a.b.

Digitized by Google

p.236.a.b. de arcendis Laicis à lectione ſcripturæ.
238.a. in Johan.20.233. b. de poteſtate judiciaria.
240.a. de confeſſione, quam ex conciliis probare
vult.245.a. quando peccatum perfectè cenſeatur
eſſe remiſſum.248.b. de ſatisfactione Chriſti.pag.
ead.col.a. de diverſitate ſatisfactionis.251.b. de ſa-
tisfactione. 252.b. de cauſis calamitatum. 254.b.
de pœna. 255.a. de operibus ſatisfactoriis.257.a.b.
in Dan.4.24.258.a. de indulgentiis.261.b. de in-
dulgentiis Veterum.262.a. de pœnitentia, quorum
ſit.265.a. de tempore pœnitentiæ. pag. ead. col.b.
de nomine Juſtificationis. p.273 a.275.b. ſibi ipſi
contradicit.277.b. de favore & gratia Dei. 279.b.
de gratia. 282.b.284.a. de gratia gratum faciente.
287.b. de humanitate Chriſti, quòd ſit inſtrumen-
tum juſtificationis.289.a. de Mediatore.303.b. ne-
gat Chriſtum paſſum eſſe dolores inferni 304.a. de
juſtitia Chriſti per fidem nobis imputata. pag.ead.
col.b. de paſſione Chriſti.305 b. de merito Chri-
ſti.306.a. de cauſa meritoria juſtificationis.308.a.
de humanitate Chriſti, quòd ſit cauſa inſtrumen-
talis juſtificationis.314.b. de fide, quòd non ſit no-
titia.318.a. de fidei fiducia. 320.a. negat fidem defi-
niendam per fiduciam. p.328.a. de fidei hypoſtaſi.
329.b. de fidei certitudine.333.a. de fidei certitudi-
ne contra Chemnitium.pag ead.col.b. de promiſ-
ſionibus Evangelii.335.a. in Rom.8.16.337.a. in 1.
Corinth.2.12. 337.b. excipit ad promiſſiones ex-
auditionis divinæ.338.a. in Rom.8.38.pag. eadem.
col.b. de dubitatione.341.a.& 343.b. de Phariſæo-
rum murmuratione. 344. a. de Novatianis. ibid.
excipit ad locum Cypriani citatum de fidei fiducia
pag.ead.col.b. excipit ad locum Hilarii citatum de
fidei fiducia.345.a. excipit ad locum Gregorii Na-
zianz. citatum de fidei fiducia. ib. excipit ad locum
Ambroſii citatum de certitudine ſalutis. pag. ead.
col.b. excipit ad locum Auguſtini citatum de fidei
certitudine. ibid. excipit ad multa alia loca Auguſti-
ni de certitudine fidei & ſalutis allegata.346.a.b. &
347.a. excipit ad locum Chryſoſtomi de certitudi-
ne ſalutis allegatum.347.a. excipit ad locum Cyrilli
de fidei certitudine allegat: pag.ead.col.a. b. ex-
cipit ad locum Bernhardi allegatum de certitudi-
ne ſalutis. pag.ead.col.b. de nonnullis Catholicis
docentibus aliquam fidei certitudinem 349. b. de
fidei certitudine.350. In Eccleſiaſt.9. neſcit homo.
352.a. Calumniatorem ſe uſteodit.353. a. in 1. Cor.
4. nihil ſum conſcius.354.b.355.a. de articulo, cre-
do remiſſionem.358.b. de fidei diviſione.360.a. de
fide hiſtorica. pag. ead. col.b. de fide infantum.
363.b. de fide informi & formata 364.a. de chari-
tate fidei forma extrinſeca.365.b. in Habacoc.2.4.
366. b. argumenta duo profert, quibus probare
vult, fidem formari per charitatem.368.a.b.& 369.
a. b. de verbo, operatur.369. a. de authoritate Ec-
cleſiæ.371.a. de fiducia fidei.373.a. de fidei objecto
375.b. de leproſo.376.a. de Phariſæo & Publicano.
pag.ead.col.b. de merito ex condigno. 376.b. de
merito congrui contra Dominicum à Soto.393.b.
de fide omnia Dei mandata implente. p.396.b. de
Patrum dictis de ſola fide.403.a.b. propter doctri-
nam de ſola fide cum Simonianis & Eunomianis
nos comparat. 405. a. Fides quomodo juſtificet.
406.b. de diſpoſitionibus ad juſtificationem. ibid.
de fide à ſpe ſeparata.412.a. de fidei apprehenſione
414.b. 415. b. τὸ credere eſſe Chriſtum recipere.
415.a. de fide quòd meritoriè juſtificet. 416. b. in
1. Timoth.5.8.420.b. ſtatuit fidem veram poſſe eſ-
ſe ſolam, id eſt, à bonis operibus ſeparatam.423.b.
de gratiis gratis datis.425. b. de Jacobi doctrina in
articulo Juſtificationis. 427.a. de inconſtantia Lu-
theranorũ in cauſa formali Juſtificationis. 429. b.
de Chriſto juſtitia noſtra.p.435.a. de Juſtitia Dei.
436.b. de ſimilitudine indumenti 438.a. de Juſtitia
Chriſti imputata. 445.a. de cauſa formali juſtifica-
tionis. 447.a.b.448. a.b.449.a. de gratia gratum
faciente. p.449.b.& 450. a. de juſtitia inhærente.
451.a. de conformitate cum Chriſto 455.a. de im-
putatione juſtitiæ Chriſti.458.b.456.b. de homine
ſui ipſius Redemptore.461.b.

Benedictionale Eccleſiæ & diœceſis Ratisbonenſis e-
ditũ Norin. Anno 1491. de Abſolutionis formulis.

Benedictus Arias Munt. de imputatione fidei ad juſti-
tiam. 444.a.

Bernhard. de diviſione Decal.27.a. nimiã copiam imagi-
num ſumptuoſarum taxat.30.b. de Sabbatho non
mutato in diem Dominicum, ſed abrogato.60.b.
de dilectione Dei ex toto corde. 77.a. de impoſ-
ſibilium mandato.78.a in Eſai.64.6.79.b. de im-
perfectione hominum. 83.b. de ἀδυναμίᾳ im-
plendæ legis. 84.b. de uſu legis. p. 95. a. in 1. Ti-
moth.1.9. Juſto non eſt lex poſita.96.a. dicit im-
piam Synagogam Chriſtum Dei filium perperiſ-
ſe officio quidem matris, ſed non matris affectu.
100.a. de candelabro ſacro tabernaculi. V. Teſt.
110.b. de legis & Evangelii natura.133.b. de diſcri-
mine legis & Evangelii. 151.b. de ſervo inutili.
163.b. de hominis debito, quo Deo eſt obſtrictus
ibid. de ſequela Chriſti.170.a. de paſſione Chriſti
176.b. 177. a. de redemptione noſtra. 182.b. de
periphraſi pœnitentiæ.187.a. de veræ conſecu-
tione.189.a. de converſione, quòd ſit Dei opus.
202.b. de fide pœnitentiæ parte.p.206.b. de un-
guento animæ. 209. a. de bonis operibus pœni-
tentiæ fructibus.211. a.

Bernhardus. de ſatisfactione Chriſti.209.b. de immen-
ſa Dei benignitate & juſtitia.269.a. de divinæ pie-
tatis magnitudine.270.a. de copioſa apud Deum
redemptione. ibid. de juſtificatione.275 a. de A-
dami culpæ imputatione:277 b. de meritis homi-
num. 306.a. de actione paſſiva & paſſione activa
Chriſti.311.b. de obedientia Chriſti activa.312.b.
de fide.316.b. de fidei notitia.318.a. de fidei fidu-
cia.335.a. non eſſe hæſitandum in divinis. 338. a.
de fide non habente ambiguum.338.b. de ſibi ipſis
confidentibus. 343.a. de certitudine ſalutis.347.b.
& 348.a. in Eccleſiaſt.9. neſcit homo.352.a. de fi-
de vivâ.361.a. de fidei fiducia.373.a. in Eſai.64.6.
Pannus menſtruatæ. 390.a. de ſola fide.402.b. de
bonis operibus, viâ regni. 403.b. de fide cum ca-
ritate conjuncta.422.b. de Chriſto, quòd non de-
dignatus ſit ſe peccatorem reputari.437.a. de ju-
ſtitia Chriſti imputata. 442. a. de ſponſa in altera
vita glorioſa futura.453.b. de duplici jure hæredi-
tatis Chriſti.463.b.

Bernhardus Textor. de legibus Moſaicis in Reſpubli-
cas Chriſtianorum recipiendis.124 b.

Beza. de imaginibus. 26.a. de imagine crucifixi. 29.a.
fatetur non eſſe peccatum manifeſtationem Dei
Patris in forma antiqui dierum depingere. ibid.
de verbi efficacia.p.148.a. de diſtinctione vocum
μετανοίας καὶ μεταμελείας. 185.a. de contritione,
quòd non ſit pars pœnitentiæ. 207.b. de confeſ-
ſione privata.230.b. de juſtis. Luc.15.7.265 b. de
cauſa meritoria juſtificationis.pag.307.b. de ob-
edientia Chriſti activa.313.b.

Biel

Biel. de definitione legis. 3. a. de Decalogo. 5.a. de imaginibus.33.a. de mendacio officioſo. 72. a. de gratia Sacramentorum. V. Teſtam.103.a. de lege nova. 134.a. de materia ſacramenti pœnitentiæ. 192.b. de ſatisfactione. p. 251. a. de ſatisfactione Chriſti 252.b. quærit, cur peccatis remiſſis injungitur ſatisfactio.260.a. ait, non teneri hominem actualiter ſummè diligere Deum. p. 76.b. ſtatuit hominem per liberum arbitrium ex naturalibus ſuis poſſe divina præcepta quoad actus ſubſtantiam implere. 86.a. de diſcrimine legis & Evangelii.152.a.b. de virtute pœnitentiæ.195. b. de cõfeſſione auriculari. p.232. a. 235.b. malè diſputat Chriſti paſſionem non eſſe ſolam & totalem cauſam meritoriam ſalutis noſtræ. p.248.a. diſputat non ſimpliciter fuiſſe neceſſarium Filium Dei incarnari & mori ad redimendum genus humanum 253.a. de gratia.282.a. 283.b. de gratia gratum faciente. 287.b. de ſatisfactione 305.a. de remiſſione debiti. p.ead.col.b. de paſſione Chriſti, quòd non ſit ſola & totalis cauſa meritoria.306. b. de fidei notitia. 318.a. de fide in voluntate.329. a. de fide explicita & implicita.362. a. de particularibus explicitè credendis.362.a. de fide acquiſita & infuſa. 363. a. de Pontifice, quòd non poſſit cudere novum fidei articulum.370.b. 371. a. de merito congrui.392.b.

Bibliorum Germanicorum exemplaris vetuſtiſſima duo in Bibliotheca Senatus Spirenſis repoſita in loco Galat.2.16. τὸ ἐὰν μὴ niſi reddunt per Nur. p.420.a.

Bilberius Pictavienſium Epiſcopus negavit ſatisfactionem Chriſti.290.a.

Binsfeldius legem impleri poſſe aſſerit.85.a.

Blondus.de Synodo Francofurtenſi.32.b.

Bonaventura. de imaginum cultu.33.a. 38.b. de ſimulatione. 72.a. de lege nova. 134.a. de pœnitentiæ virtute.195.a. de pœnitentiæ definitione. 220.a. de dolore contritionis. 220.b. de ſatisfactione. 246.b.251.a.b. de gratia. p. 282.a. de Mediatore. 303.b. de decem fidei ſignificationibus.316.b. de duplici certitudine. 331 a. de ſola fide. 404. a. de confeſſione auriculari.234.b.

Bonfinius. de circumgeſtatione imaginum.35.a.

Brantius. de privata abſolutione.230. b.

Brentius. de Evangelio. p.147.a.b. de voce Juſtificari. 272.a. de fide infantum. p.363.b. de fidei duplici manu.364.a. de Juſtificatione.464.a.

Breviarium Prædicatorum. de formulis abſolutionis. p.246.a.

Brigitta. de paſſione Mariæ.304.b.

Bucanus. de Chriſto quòd ſit συναίτιον Evangelii.141.b. de Evangelio an pœnitentiæ concio. 174.b. de diſtinctione vocum μεταμελείας καὶ μετανοίας. 185.a. de legibus Moſaicis.125.a. de Evangelio an pœnitentiæ concio.177.b. de diſcrimine. V.& N. Teſtam. p. 178. a. de acceptione veteris fœderis. 180.a. de Spiritu S. quòd ſit συναίτιον pœnitentiæ. 201. b. de mortificatione & vivificatione. 211. b. de privata confeſſione. 231. a. de juſtis. Luc. 15. verſ. 7. 265. b. de cauſa meritoria juſtificationis p.307.b.

Budæus. de fidei etymologia. 320.b.

Buſæus. de mediatore.303.b.

Burgenſis. de numero præceptorum. p. 16. a. de juſtis. Luc.15.7.265.b. de dubitatione.343.a.

C.

CAjetanus. de imaginibus. p.33.b. idola gentilium vocat imagines.36.a. de pœnitentiæ virtute.195.a de ſatisfactione. 251.a. de ſatisfactione pro aliis p. ead. col. b. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. 285.b. de Mediatore. 303. b. de fidei fiducia. pag. 315.b. in Eccleſiaſt. 9. Neſcit homo.351.b. de epiſtola Jacobi.425.b.

Calvinus. de imaginibus. 26.b. de diviſione præceptorum.16.b. de diverſis ſeminibus non commiſcendis.116.b. de verbi efficacia.148.a. de contritione p.207.b. de fide quòd non ſit pars pœnitentiæ. 209.a. de privata confeſſione. 230.a.b. de merito Chriſti. p.306. a. de jure Romano in Chriſtiana Republica.124.b.125.a. de merito Chriſti.290.b. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b. de loco Gen.4.1.143.a. de neceſſitate ſatisfactionis Chriſti.271.a. de phraſi ſub lege eſſe.311.a.

Calvinus JCtus. de Jure Romano in Chriſtiana Republica.124.b.

Calvinus Theologus. de diſcrimine. Vet. & Nov. Teſt. 178.a. de mortificatione & vivificatione.211.b.

Calviniani. de diviſione Decalogi. 16. b. de multiplici errore in articulo juſtificationis.271.a.

Campianus. de æquivocationibus.73.a.

Carolus M. de imaginibus.26.b. Synodum Francofurtenſem convocavit.32. de libris ipſius de imaginibus. 44.a. de propria Evangelii natura.133. b. de legis implendæ ἀδυναμίᾳ. 84.a.

Carolina Conſtitutio. de pœna furti.70.a. de pœna capitali adulterii.121.a.

Carolſtadius. de imaginibus.30.a.

Camerarius oſtendit imprecationes parentum quandoq; ſuum ſortiri effectum. 62.a. in Roman. 6.7. Qui mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato.455.b.

Cæſarius. de incredulitate & diffidentia. 342.b.

Cæſarienſis Synodus ſtatuit die Dominicâ manna pluiſſe. 59.b.

Capreolus. de imaginibus. p.33. a. de gratia gratum faciente 287.a.

Caniſius. de fidei notitia.318.a.

Canus. de loco Luc. 7. 47. pag. 226. a. de Mediatore. 303.b.

Carlet. de cauſa meritoria juſtificationis.307.b.

Caſaubonus. de Sabbatho. 60.a.

Caſſander. de imaginibus. b. merita humana vocat baculum arundineum. 8. a. de confeſſione auriculari.237.a.239. de ſatisfactione.249.b. de indulgentiis.263.a. de fidei fiducia.326.a. de certitudine fidei.348.b. de ſola fide.404.a. de fide cum caritate conjuncta.482.a. de juſtitia Chriſti imputata.443.b.

Caſſianus. de Confeſſione auriculari.239.a.

Caſſiodorus. de converſione quòd ſit ſolius Dei. 202.a.

Catecheſis Eccleſiæ Palatinæ. de cauſa meritoria juſtificationis.307.b.

Catharinus. de imaginibus.33. b. & 34. a. de imaginum cultu. 38.b. de venientibus ad baptiſmum Johannis & confitentibus peccata ſua. 243.b. de ſatisfactione. p. 246.b. diſſentit à Dominico à Soto in controverſia de certitudine gratiæ.349.b.

Celichius peculiari ſcripto oſtendit, non omnes αὐτοχεῖρας indiſtinctè æternæ morti adjudicandos eſſe.65.a.

Centum gravamina Principum Germaniæ de avaritia Eccle-

Eccleſiaſticorum Judicum & officialium. 262. b. de oneribus Papalium indulgentiarum. 263. a.

Chaldæus Paraphraſtes ſecundum præceptum illuſtrat. p. 49. b.

Carthagineuſe concilium. de juramento Clerici per creaturas. 52. b.

Chamier. de lege factorum & lege fidei. 386. b.

Chemnitius docet æquivocationem vocabuli legis inſignes jam olim perperiſſe errores. 1. b. de legis diviſione. 3. b. de legis Synonymia. 2. b. de promulgatione. 11. b. de numero præceptorũ cujuslibet tabulæ. 15. a. de diſtinctione moralium legis ab involucris Moſaicis. 22. b. de verbis primi præcepti. 24. a. de imaginibus. 26. b. 30. b. 31. b. 32. a. de juramento per creaturas. 43. a. de ſecundo præcepto. 49. b. de juramento. 51. b. graviter ſcribit diſputare de peccatis ſine comminationibus non eſt legem docere ſed ſolvere. 64. a. diligenter quæſtionem de homicidio defenſorio tractat. p. 66. a. allegoriam profert de legis implendæ ἀδυναμία. 82. b. de cauſis obediendi legi Dei. 98. a. de diviſione legum forenſium. 123. a. de abrogatione legis moralis. 126. b. de Evangelio. 128. a. de Synonymis vocis Evangelii. pag. 129. a. phraſin illam, Matth. 7. v. 29. ἐξουσίαν habena, pulcherrimè exponit. 135. b. de juſtitia Phariſaica. 137. b. de repetita Evangelica promiſſione de ſemine mulieris. 144. a. de gratia & veritate data. pag. ead. col. b. de ſermone Domini, quem in exordio prædicationis ſuæ habet. 154. a. de complemento legis in N. Teſtam. 156. a. de conſiliis Evangelicis 161. b. de paupertate Evangelica. 168. b. de virginibus Agnum ſequentibus. 173. a. de bonorum communione. pag. ead. col. b. de occaſione opinionis de conſiliis ibidem. de Evangelio, an ſit concio pœnitentiæ. 175. a. de Evangelio excludente omnem gloriationem. 177. b. de doctrina Chriſti in veteri Teſtamento. 181. a. de pœnitentia an ſit Sacramentum. 191. b. in locum Dan. 4. 24. Peccata tua eleemoſynis redime. 225. a. de canonica & diſciplinari ſatisfactione. 250. a. b. de cauſis calamitatum. 254. a. de pœnis. pag. ead. col. b. de ſatisfactione. 256. b. de Juſtificationis articuli commendatione. 271. b. de loco Luc. 7. 35. Juſtificata eſt ſapientia. 272. a. de vocabulo juſtificare in articulo juſtificationis. 273. a. de vocabulo Gratis. 279. b. de vocabulo ὑποστάσεως. 321. a. de teſtimonio Spiritus S. 337. b. de fidei fundamento. 342. b. in 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum. 354. b. de particula Gratis. 392. a. de filiis Dei. 396. b. de ſola fide. 397. b. aperit inſidias can. 14. ſeſſ. 6. Concil. Tridentini. 405. a.

Chromatius. de diſcrimine legis & Evangelii. 151. a.

Chryſoſtomus. de imagine Meletii. 31. b. dicit Deum ſummum à Gentilibus coli in ſimulachris. 42. a. de αὐτοχειρίᾳ. 64. b. de adulterio. 68. a de B. Maria etiam peccato obnoxia. 82. a. de legis implendæ ἀδυναμία. 84. a. Noam vocat perfectum, ſed quomodo, vide pag. 88. b. de legis effectu & uſu. 94. b. colligit voluntatem Dei de ſacrificandi ritu ipſi Noaho innotuiſſe. 106. a. ſacrificia in V. Teſt. Deo accepta fuiſſe intuitu fidei in promiſſum Meſſiam. pag. ead. col. b. omittit hiſtoriam de adultera. Johan. 8. 125. b. de propria Evangelii natura. 133. b. de Evangelii abuſu. 147. b. de legis & Evangelii diſcrimine. 151. a. de novis in Evangelio præceptis. 152. a. de ſupererogatione. 173. b. de voce μετανοίας. 185. b. de periphraſi pœnitentiæ. 187. a. de veniæ conſecutione. 189. a. de loco Heb. 6. verſ. 4. pag. ead. col. b. de pœnitentia, quòd non pœnas, ſed peccatorum remiſſionem tribuat 192. a. de fide pœnitentiæ parte. 206. a. circa pœnitentiam ſolius confeſſionis mentionem facit. p. 210. a. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus. 211. a. de pœna à Deo irrogata. 218. a. de pœnitentia ſola, ſine fide conſiderata. 226 b de confeſſione auriculari. 238. b. 239. a. de peccatorum remiſſione. 241. a. de dicto: Ubi miſericordia, pœnæ locus non eſt. p. 248. b. de ſatisfactione hominis. 249. b. de reconciliatione 250. b. de cauſis calamitatum. 254. a. de vera pœnitentia. 259. a. de fructibus pœnitentiâ dignis pag. ead. col. b. de ſatisfactione. ibid. in loc. Luc. 7. 35. ſapientia eſt juſtificata. 272. b. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. 285. b. 286. b. de obedientia Chriſti activa. 312. a. de fidei fiducia. 325. a. de voce ὑποστάσεως. 326. b. in Rom. 8. 16. 337. a. de certitudine ſalutis. 347. a. de caritate. 365. b. de fide Abrahæ. 385. b. de ſola fide. 400. a. b. de fide cum caritate conjuncta. 422. a. de veſte nuptiali. p. 428. b. in 2. Corinth. 5. verſ. ultim. p. 436. a. Deum ipſi naturæ in prima creatione inſculpſiſſe legem de honorandis parentibus. 7. b. in loco. Gal. 3. 19. per Μεσίτην intelligit ipſum Chriſtum. 11. b.

Chytræus. de pœnis pag. 254. b. de Carolo V. pag. 404. b.

Cicero. de legis Etymo. pag. 1. a. de legis deſcriptione. 3. a. de legibus duodecim tabularum. p. 5. a. 315. a. de imaginibus. 42. a. de vocis Evangelii acceptione. 128. a.

Claudius Guilliaud. de fiducia fidei, 325. b.

Claudius Marius Victor. de ſola fide. 401. a.

Claviſius. de ſatisfactione. 251. b.

Clemens Alexandrinus. de diviſione Decalogi. p. 17. a. de Dei imagine. 40. a. de idololatria Gentilium. 42. a. teſtatur, Philippum Filias viris tradidiſſe. pag. 173. b. incommodè loquitur de pœnitentia. 188. b. de fide pœnitentiæ parte. p. 205. b. de fide. 315. a. de ſola fide. 398. a. de fide cum caritate conjuncta. 422. a. de Novatianis. 188. a.

Clemens Octavus. Pontifex. de Jubilæo. 264. b.

Clemens Romanus. de imaginum cultu. 44. b.

Clemens. VI. de poteſtate Pontificis Romani in purgatorio & inferis. 260. b.

Cochlæus. de legis impletione. 86 a. de juſtificatione. p. 429. b.

Coclenius. de cauſa meritoria juſtificationis. pag. 308. a.

Colonienſia cenſura. de materia Sacramenti pœnitentiæ. 192. b. de gratia. p. 284. a. ſtatuit legem impleri poſſe. p. 85. a. de propria Evangelii doctrina. 134. a. de juſtificationis ſignificatione. 275. b. de fide informi & formata. 364. a. de fidei objecto. pag 375. b. de diſpoſitionibus ad juſtificationem. pag. 411. b. de imputatione juſtitiæ Chriſti. 456. b.

Colonienſe Enchiridion. de fidei certitudine. pag. 348. b.

Columbus. de hymene. 121. a.

Collegium Angelo Rem. de Idiota Catholico in cauſa fidei examinando. 362. b.

Compendium Theologiæ. de numero Sacramenti pœnitentiæ 192. b. de indulgentiis. 260. b. de Juſtificatione. 304. a.

Conimbricenſes. de potentiarum animæ diſtinctione. 329.a.

Conrad Dantzinger. de Epiſcopis Ruſſiæ.264.b.

Cornelius Agrippa. de imaginibus.46.b.

Cornelius à Lapide. de ſanguine Chriſti. quòd ſit inſtrumentalis juſtificationis cauſa.289.b. de ſpeciali fidei Abrahæ objecto.373.a. de particul. ἐὰν μὴ. pag. 383. b. de imputatione juſtitiæ Chriſti. 456.b.

Cornelius Biſontinus. de fidei certitudine.349.b.

Cornelius Janſenius. de legis impletione. 85.a. de fidei fiducia.326.a. de fide. 332.a.

Conſtantinopolitana Synodus. de imaginibus. p.30.a. Dei imaginem aliquam fingere nefas ducit.40.a.

Coſterus. de imaginum cultu. p.34.a.58.a. Deum diligendum eſſe recto corde pro virium noſtrarum modulo. p. 75. b. de definitione pœnitentiæ. 220.a. de nomine juſtificationis.272.a. de gratia. 284.a. de meritis bonorum operum.306.a. de fidei notitia.318.a. de fide fiducia.326.b. de fidei definitione.328 b. de fidei certitudine. 333. a. de dubitatione.343.b.350.a. de phraſi: Juſtum ea fide vivere.366.b. de merito congrui.392. b. de definitione meriti. p. 393. b. de fidei apprehenſione. 415.a. peccatum non niſi per infinitum meritum, nempe ſolius Chriſti, poſſe deleri. 516. b. veram fidem ſeparari poſſe à bonis operibus.423. b. donum juſtitiæ infuſæ eſſe Spiritum S. p.429.b. de Chriſti juſtitia imputata. 445. a. de cauſa formali juſtificationis.449.a. de vocibus juſtificare, & juſtificari, quòd ſint Chriſtianorum propriæ. p.460.b.

Covan. inquit, non exigi neceſſariò integros dies, qui cultui divino tribuantur.60.b.

Cramerus. de feſtis Judæorum.112. b.

Crantzius. de Bonifacio IIX.264.a.

Crentzheimius. de annis Jubilæis Eccleſiæ Chriſti. 113.b.

Crypto-Calviniſtæ errores Antinomorum fovent. p.174.b.

Cypræus. de notis virginitatis.121. a.

Cyprianus imperfectionem noſtram oſtendit. 83.a. de Novato.187.b. de eleemoſyna.225.b. exponit locum. Luc.7.47.226.a. de peccatorum remiſſione 240.b. de ſatisfactione.256.b. 259. b. de pœnitentia. p.267. a. de procraſtinatione pœnitentiæ. 268. a.269.a. omni tempore Dei gratiam recipere pœnitentes.268.b. de fidei fiducia. 344.b. de ſola fide.398.a. de objectione Paganorum. 404.b. de fide cum caritate conjuncta. 422.a.

Cyrillus. de crucis Chriſti contemplationis utilitate. 31.b. omnes ſub lege condemnari propter peccatum.94.b. legis utilitatem ſimilitudine explicat. 95 b. omittit Johan. 8. hiſtoriam de adultera. 125.b. de typis veteris Teſtamenti. 127.a. humanitatem Chriſti in arca fœderis adumbratam fuiſſe,108.b. de propitiatorio. 110. a. de diſcrimine legis & Evangelii. p.149.b. 150.a.151.a.b. de loco Hebr.6.4.189.b. de fide pœnitentiæ parte. 206. a.b. de peccatorum remiſſione.240.b. de liberationis noſtræ medio ac remedio.252. b. de juſtificatione.274.b. juſtificationem eſſe Dei Patris & Filii.279. a. de gratia. 282. a. de obedientia Chriſti activa.pag 312.a. de fidei notitia. p. 317. b. de fidei certitudine. p.347.a. de fidei fiducia. 373. a. de fide cum caritate conjuncta. 422.a.b. de numero præceptorum.15.b.

a

D.

DAmaſcenus Chriſtianocategoros vocat idololatras. 37. a. Dei imaginem aliquam fingere nefas ducit. 40.a. de pœnitentiæ definitione. p. 186.a. 191.a. de obedientia Chriſti activa. 312.b. de fidei laude.315.a. de definitione fidei.320.a.

Danæus. de diſtinctione vocum μετανοίας καὶ μεταμελείας.185.a.

Demoſthenes. de lege.3.a.

Didacus Stella in loc. Luc.7.47.226.a.

Diodorus Siculus teſtatur, Ægyptios coluiſſe Deum ſuum per vitulum Apim dictum. 40.b.

Dietenbergerus particul: ἐὰν μὰ, εἰ μὴ exprimit per vocem Allein. 397.b.

Dominicus à Soto. de gratia gratum faciente. 287.a. de fidei lumine.318.a. de diſſenſu inter ſe & Ambroſium Catharinum in controverſia de certitudine ſalutis.349.b. de merito congrui. 392. b.

Druſius. de Urim & Thumim.14.b.

Duarenus. de jure connubiorum.pag.123.a. de æquitate. 48.b.

Durandus apertè negat imagines adorandas eſſe adoratione latriæ. 33.a.38.a. de pœnitentiæ virtute. 195.a. de pœnitentiæ partibus.207.a.212.a. de dolore.220 b. de ſatisfactione Chriſti.252.b.253.a. de gratia gratum faciente. 287.b. Deum poſſe ſine ſatisfactione homini remittere peccata. 291.a. de definitione pœnitentiæ.220.a. de ſatisfactione Chriſti.305.b. de fide in voluntate.329.a.

Duræus ſtatuit Apoſtolum in articulo iuſtificationis loqui de operibus factis ſine gratia. pag. 385. a.

E.

ECkhardus. de errore Piſcatoris in cauſa meritoria juſtificationis.309.a.

Elibertinum concilium, prohibet, ne id, quod adoratur & colitur, in parietibus depingatur.29.b.

Eliſabetha Germana. de avaritia Romanæ curiæ. 262.a.

Enjedinus. de epiſtola ad Hebræos, quòd non ſit canonica.189.a.

Epheſina Synodus vocat Neſtorianos Anthropolatras. p.37.a.

Ephrem. de pœnitentia quòd Dei opus.202. b. de paſſione Domini.218.b. de obligatione, quâ homo Deo eſt obſtrictus. 249.a. de impœnitentibus. 268.b.

Epiphanius. de Perſicis Magis ſcribit, quòd idola adorent, ignem, lunam & Solem. 35.b. Carpocratem idololatriæ accuſat.37.a. de gemmis in pectorali ſummi Sacerdotis. p.102.b. de diſcrimine legis & Evangelii.151.a. de vocibus μεταμελείας καὶ μετανοίας.185.b. de Catharis.188.a.& 189.a. de Petro Alexandrino refutante Meletium.229.b. de ſola fide.398.b. de juſtitia Chriſti imputata.442.a.

Eraſmus ait in 1.Corinth.8. Certè Ambroſius nullum novit diſcrimen inter idolum & ſimulacbrum, nec ego nullum video. 36. a. indicat Chronologiam imaginum in templa prolatarum.44.a. de caſtrantibus ſemetipſos propter regnum cœlorum. pag. 168.a. de pœnitentiæ vocis derivatione. p.183.a. de numero Sacramenti pœnitentiæ. pag. 192.b. de confeſſione auriculari. pag.232.b. 233.a. in Jacob.5.verſ.16.Confitemini peccata.p.244.b. de

fidei

fidei ſiducia. 325.b. de fide Carbonarii.362.b. de ſola fide. p. 404. a. de epiſtola Jacobi. 425. b. de commonicatione meritorum Monachalium. 445.b. unum, ait, cœlum parum dignum eſſe tantia Monachorum meritis prœmium. 447. b. de voce λογιζιῶς. 457. a.
Euripidea dicit parẽtes colentes eſſe Diis charos.100.b.
Euſebius Cæſarienſis. de imaginibus. p. 31.b. 40.a. per Angelum Domini qui Moſi apparuit. Exod.3. intelligit filium Dei. 43.b. de hæmorrhouſæ ſtatua. 44.b. refert, Ebionitas unà cum Dominica Chriſtiana etiam Sabbathum Judaicum coluiſſe. 58.a. diem Dominicum peculiari Conſtantini M. conſtitutione fuiſſe confirmatum. p.59.a. de Baſilide Hæretico. 73.a. de animalibus immundis. 114.a.b. de propria Evangelii natura. 133. b. de diſcrimine legia & Evangelii. p. 151. a. de novis in Evangelio præcepris. pag. ead. col.b. de quatuor virginibus filiabus Philippi. 173.b. de Nuvato. 187.b. de concilio Romano. 188.b. de Novatianis. p. 191.b. de Philippo Gordiani filio. p.229. a. de ſatisfactione publica. 250.a de ſatisfactione canonica. 256. b. de Apellis opinione; fidei, ſcilicet, non oportere diſcuti rationem. 362 a. de ſola fide. 398.b. de epiſtola Jacobi. 425.b.
Euſebius Emiſſenus. de fide cum caritate conjuncta. p.422.b.

F.

FAgius. de duabus tabulis Moſia ſcriptis ex utroque latere..... de Urim & Thumim. 102.a.
Fauſtus Epiſcopus Galliæ. de ſola fide. 402.b.
Fallopius. de hymeue. 121.a.
Felinus. de coufeſſione auricolari. 231.b.
Ferus teſtatur Judæoa veneratos eſſe Deum verum in viulo. 40.b. de cultu Dei Gentilium. 42.a.
Feſtus Hommius. de ſatisfactione Chriſti. 291.a.
Fevardentius. de imaginibus libris laicorum. 31.b. de ſola fide. 405.a.
Feorbornua. de errore Piſcatoris in cauſa meritoria juſtificationis. 309.a.
Fineelius imagioem Chriſti in cœlo aliquoties apparuiſſe refert. 28.a.
Flacius. de voce imputandi. 457.a.b. de voce μετανοίας 184. b. de jejunio. 216.b. de vocabulo juſtificandi in loco Daniel. 12. 3. de verbis Hebræis tertiæ conjugationis. pag. 278.b. de fidei ſignificatis. 315. a.
Florentinum concilium ſtatuit ſacramenta. V. T. oon contuliſſe gratiam. 103.a.
Fonſeca idola gentilium vocat imagines. 36.a. de cultu Dei Gentilium. 42.a.
Formula Concordiæ. de partibus pœnitentiæ. 207.a.
Forſterus. de voce Hebræa אָוֶן. p.19.b. die Dominica. 60.a. de propitiatorio. 110.a. de vocibus בְּמַרְאֹת הַצֹּבְאֹת Bemaróth Hatzebeóth. p.111.b. de voce כִּפֵּר 258.b. de voce Juſtificari. 272.a.
Fortunatus Epiſeopus Pictavienſis. de ſola fide. 402.b.
Foxus. de cauſa meritoria juſtificationis. 307.b.
Fraocifei Conforioirates. de ſtigmatis S. Franciſci. 305.b.
Franciſci Floſculi. de ſtigmatis S. Franciſci. ibidem.
Franc. Rueus. de gemmis in pectorali ſummi Sacerdotis. 102.b.
Franciſeus Lambertus io Apocalyp. 14. de virginibus 173.a.
Franciſc. Turrianus. de Evangelio. 181. b.
Franciſcos Victoria. de contritione. 223. b.
Francofurtenſe concilium rejecit adorationem imaginum. 44.a.

Frantzius ex V. Teſt. ſacrificiis ſatisfactionem Chriſti probat. 292.b.
Fridericus Myconius. de indulgentiis Papalibus. 263.a.
Fulgentius. de promiſſo. 132.b. de converſione, quòd ſit ſolius Dei opus. 202.a. de fide pœnitentiæ parte. 206.b. de pœnis temporalibus 218.b. de pœnitentia in hac vita unquam ſera. 268.b. de gratia. 282.a.
Func. vaticinii Apocal. 14. 6. explicationem & accummodationem tradit. 142. a.

G.

GAlatinus. de lege Dei. 5.b. de Sabbatho. 59.b.
Garthii diſputatio. de Evangelio. 132. b.
Gaudenſis. de pœnitentiæ diviſione. 201.a.
Gellius. de vocabulo pœnitentiæ. 183.b.
Gennadius. de ſola fide. 401.a.
Gerardus Busdragus Epiſcopus Argolicenſis. de Carolo V. 404.b.
Gerſon. de latria. 38. a. de pollutione nocturna. 68. a. de abſolutione. 336. a. de juſtitia noſtra. 80. a. de legis impletione. 165.a. de pœnitentia & cõverſione hominia, quòd ſit ſolius Dei opus. p. 202.b. de pœnitentiæ partibus Pontificiorum. 214.b. de juſtificatione. 275. a. de idololatria. 37.a.
Geſnerus. de definitione mendacii. 72. a. de fictione & ſimulatione pag. ead. col.b. de pœnis. 254.b.
Giſelbertus. de ſola fide. 402. a.
Glirius. de bonis operibus hominis, oum poſſint judicio Dei ſiſti. 85.b.
Gloſſa interlinearis in Matth. 18. Quæcunque alligaveritis. 256.a.b. de lege in tabulis lapideis ſcripta. 13.a. de diviſione Decalogi. 17.a. de numero ſeptenario præceptorum ſecundæ tabulæ. 22. a. de zelo. 48.a. in loc. Hebr. 6.4. 189.b.
Gloſſa marginalis. de baptiſmo. 189.b.
Gloſſa ordinaria. de natura Evangelii. p.134.a. in Eſai. 56.4. 165.b. in loc. Jacobi. 5.16. 244. b. de loco Rom. 8.30. hos juſtificavit. p. 276. a. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. 285.b. de ſola fide. 402. a. 404.a. de Jacobi doctrina in articulu juſtificationis. 427.b.
Gloſſator. de confeſſione auriculari. 231.b.
Gothardus Can. Patav. de fidei objecto. 375. b.
Granatenſis. de juſtitia Chriſti imputata. 445.a. de pœnitentia quòd ſit Sacramentum. 191. a. de pœnitentia, quòd ſit Dei opus. 202.b. de peccato malo infinito. 213. a. 269. b. de impœnitentia. pag. ead. col.a. de fidei fiducia. 326.a.
Gratianus. de pœnitentia ſemel tantum utili. 188. b. de confeſſione auriculari. 231.b. quid nonnulli Patres de ea ſenſerint. 238.b. in quæſtione iſta utrum ſolâ cordis contritione & ſecretâ ſatisfactione abſq; oris confeſſione quisquam poſſit Deo ſatisfacere, dubius hæret. 238. b.
Gratianus Turpianus. de cauſa meritoria Juſtificatioois. 290.a.
Gregorius M. de maginibus. 44.a. teſtatur Chriſtianos olim juraſſe tacto ſancto alicujua Martyris ſepulchro. 53.a. in loc. Hiob. 9.28. p.79. b. de veſtibus ſummi Sacerdotis. 102.b. de propitiatorio. 110.a. de candelabro ſacro tabernaculi. V. Teſt. 110. b. de altari terreo. 111.a. de lignis pomiferis. 116. b. de fructu ſeminis multiplici. 167.a. de definitione pœnitentiæ. 191.a. de converſione, quòd ſit ſolius Dei. 202.a. in loc. Luc. 7.47. 226. a. de juſto noſtro Advocato. pag. ead. col. b. de totali peccatorum remiſſione. pag. 227. b. de poteſtate abſolvendi peccatores miniſteriali. pag. 241. b.

de Juſtis. Luc. 15. 7. 265. b. de tempore pœnitentiæ. 266. a. de juſtitiæ retentione & continuatione. 276. b. de Euticii Epiſcopi Conſtantinopolitani dicto. 379 a. de ſide cum caritate conjuncta. 422. b.

Gregorius Nyſſenus paſſionis conſiderationis utilitatem oſtendit. 31. a. de peccatorum remiſſione. 240. b. de ſide, quòd ſit fiducia. 324. b. de juſtitia Chriſti imputata. 441. a.

Gregorius Nazianzenus. de idololatria. 37. a. de perfectione hominis futura. 97. a. de appellatione λόγε. 141. b. regulam talem tradit: Id quod in divinis agit, eſt una communis tribus Deitas. 141. b. de pœnitentiæ periphraſi. p. 187. a. de Deo, quòd delectetur pœnitentia hominis. p. 188. b. de afflictionibus piorum. 254. b. de ſanguine Chriſti, cur & quam ob cauſam fuſus ſit. 296. a. b. de fidei fiducia. 345. a. de ſola ſide. 399. a.

Gregorius Turonenſis. de jurandi ritu. 53. a.

Gregori' de Valentia arbitratur quendam ſimolachrorum cultum eſſe licitum. 41. b. concedit miracula quædam per ſtatuas facta eſſe fictitia. 44. a. æquivocationem vocat prudentem defenſionem. 73. a. legem ſine ſacerdotio & ſacrificio conſiſtere non potuiſſe aſſerit. 107. a de legis Evangelicæ obligatione. 155. a. de idololatriæ definitione. 36. a. b. Lutherum errare circa pœnitentiam. p. 184. a. de ſatisfactione. 246. de indulgentiis. 262. a. de Mediatore. 303. b. de fidei ſignificatis. 316. b. de fidei notitia. 318. a. de fidei fiducia. 326. a. de dubitatione. 343. b. de fide implicita & explicita. 362. a. de Mercatore Placentino. 362. b. de communicatione meritorum Monachalium. 445. b. de imaginibus. p. 33. b. dicit Deum imaginum cultoribus quibusdam in locis præclara impertiri beneficia. 34. b. de definitione idololatriæ. 35. a. 36. a. b. idolum Græcè imaginem ſive ſimulachrum ſignificare. 36. a. aſſirmat eundem honorem deberi imagini & exemplari. 38. a. 39. b.

Greſerus in loc. Hebr. 6. 4. 189. b. de ſatisfactione pro peccatis. 255. b. de communicatione meritorum. 445. b.

Gropperus. de certitudine fidei. 384. b. de cauſa formali juſtificationis. 448. b.

Grynæus. de miniſterii effectu. 148. a. de diſcrimine legis & Evangelii. 178. a.

Gualterus. de Leviticis Sacrificiis. 104. a.

Gualtperius. de feſtis Judæorum. 112. b.

Guid. Fabric. de Evangelio. 128. a.

Guillermus dictum de bona voluntate Deo offerenda ex Remigio citat. 210. b.

Guilhelm. Altiſiodorenſ. de ſatisfactione. 246. b. de juſtitia Chriſti imputata. 443. a.

Guillaud. de certitudine gratiæ. 350. a.

H.

HAdrianus Jungios. de Evangelio. 181. b.

Hammelmannus. de ſola fide. 397 b.

Haymo. de fide & lege. 150. a. de fide ſola. 402. a.

Hebræi de duabus tabulis legis ex utroque latere ſcriptis. 13. b.

Heinricus fatetur nullam imaginem eſſe adorandam cultu latriæ. 33. b.

Henricus Stephanus. de legibus Hebræorum in omnes Reſpublicas recipiendis. 124. b.

Henricus Wetzelius. de cauſa meritoria Juſtificationis. p. 308. a.

Helvicus. de pœna Gentilium Sabbathi transgreſſorum 58. a.

Herodotus teſtatur Ægyptios Deum ſuum coluiſſe per bovem. 40. b.

Heſhuſius. de pœnis poſt remiſſam culpam. 254. b.

Heſychius. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ. 16. a. adducit cauſam, ob quam ex utroque genere agnum & agnellum Deus offerri præceperit. 107. b. de ſola fide. 401. a.

Hemmingius. de diviſione Decalogi. 17. a. de imaginibus. 26. a. de Chriſti imagine, cum corona ſpinea in cœlo viſa. 28. a. de Evangelio quòd ſit concio pœnitentiæ. 174. b. de diſtinctione vocum μεταμελείας καὶ μετανοίας. 185. a.

Hieronymus. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ. 15. b. idololatras deſcribit. 37. b. Dei imaginem aliquam ſingere nefas eſſe ducit. 40. a. de formulis jurandi per creaturas. 43. b. 52. a. allegoricè philoſophatur de gradibus peccatorum. 48. a. aſſerit juramentum conſtare tribus conditionibus; veritate, judicio, juſtitiâ. 53. a. de αὐτοφονίᾳ 64. b. de ſimulatione aliqua utili. 71. b. de legis implendæ ἀδυναμίᾳ. 83. b. verba: Paralip. c. 12. 33. absq; corde & corde, vertit, non in duplici corde. p. 89. b. exemplo Davidis oſtendit nullum eſſe ſine peccato. 90. a. mandata Dei, inquit, eſſe impoſſibilia naturæ, ſed poſſibilia gratiæ. 91. b. de legis datæ fine. 94. b. de libro Levitico, quòd cœleſtia ſpiret Sacramenta. 117. a. de voce עלם 118. b. de anima ſpiritualiter Chriſto ſocianda. 120. a. pericopen de adultera Joh. 8. non haberi in omnibus exemplaribus fatetur. 125. b. de natura Evangelii. 133. b. de legis & Evangelii diſcrimine. 151. a. b. de perfectione. 163. b. de Eunuchis. 166. a. de triplici fructu ſeminis. p. 167. a. de Juvene divite Matth. 19. 269. a. de cœlibatu. 173. b. de pœnitentia ſecunda naufragii tabula. 187. b. de fide pœnitentiæ parte. 206. a. de agnitione peccatorum. 216. a. de peccatorum remiſſione. 240. b. de ſatisfactione Chriſti. 248. b. de ſatisfactione publica. 250. a. de tempore pœnitentiæ. 266. a. de juſtificatione. 274 b. de gratia. 282. a. de prima fide. 315. b. de Deo jurante. 335. b. de Hilarionis morti appropinquantis dicto. 359. b. de ſola fide. p. 399 b. de fide cum caritate conjuncta. 422. a. de juſtitia Chriſti imputata. 441. b. in Rom. 4. 25. propter juſtitiam noſtram. 455 b.

Hilarius docet humanitatem Chriſti in arca fœderis adumbratam fuiſſe. 108. b. de novis præceptis in Evangelio. 151. b de Pſalmis quibusdam ante Davidem ſcriptis. 158. a. in Matth. 19 21. Si vis perfectus eſſe. 186. b. de Dei miſericordia. 226. b. de totali peccatorum remiſſione. 227. b. de fidei fiducia. 372. b. 345. a. de filiis Dei. 396. a. de ſola fide 398. b.

Hincmarus Remenſis. de concilio Francofurtenſi quà rem de imaginibus. 44. a.

Hoffmannus. de incommodis confeſſionis auricularis. 237. b.

Hoffmeiſterus. de ſola fide. 404. a. de cauſa formali juſtificationis. 448. a.

Holkoth. de imaginibus. 33. a. de latria. 38. a.

Hoſius. de dubitatione. 343. b. de gratiæ certitudine. p. 359. a. de communicatione meritorum Monachalium 445. b. de cauſa formali juſtificationis. 448. b.

Hortulus animæ. de formulis abſolutionis. p. 246. a. de meritis ſanctorum. 305. b.

Hugo. de ſale ſacrificiorum. 108. a. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus. 211. b. de pœnitentiæ Etymologia. 183. b. de voce Impoſſibile. 189. b.

Hugo.

Hugo de S. Caro Cardinalis. de numero præceptorum 17.a. de pœna furti ſimplicia.121.b.
Hunæus. de excluſiva Tantum aut Sola. 419.b.
Hunnius. de juſtitia divina. p.303.b. de ſymulatione. 72.a.b.
Hutterus. de Juſtificatione gratuita.393.a.

I.

IAcobus de Voragine.de pœnitentiæ diviſione.201.b
Jacobus Faber. de fidei lumine.318.a.
Jacobus Veldius. de fidei fiducia. 325. b. de fide parte pœnitentiæ.206.b.207.a.
Janſenius. in Eccleſ.9.5. Noli eſſe ſine metu.353.a.
Jarchius Salomo dicit quinque res defuiſſe templo ſecundo.14.b.
Ignatius Sabbatum ſpirituale præcipit. 58. b. diei Dominicæ feſtivitatem inculcat. 59. b. de Evangelii natura.133.b. de vera antiquitate. p.199 b.de reali Chriſtianiſmo.183.a.
Index expurgatorius. de confeſſione auriculari. 238.b. de meritis. 305.b. 306.a.
Johannes à Daventria. de Lutheranis. p.182.a. de dubitatione.350.a.
Johannes Agricola author Antinomorum.174.a.
Johannes Crocius. de cauſa meritoria juſtificationis. 308.a.
Joh. Cochlæus arbitratur hominem propriis naturæ viribus præcepta Dei quoad ſubſtantiam actus facere poſſe.86.a.
Johannes Eccius in verſione ſua Germanica ἐὰν μὴ, εἰ μὴ niſi expreſſit per vocem Allein.420.a.
Johan. Caſp. Rutlandus. de imaginibus.46.b.
Johan. Gallus. de abſolutione.246.a.
Johan. Geiler. Keiſersberg. negat Chriſtum eſſe cauſam totalem ſalutis noſtræ.306.b.
Johan. Heſſelius. de dilectione Dei.76.b.
Johan. Eiſentreit. de Maria in opere redemptionis cooperatrice.305.a.
Johan. Paulus Windeck aliquot argumentis probare conatur, hanc explicationem, quâ per opera legis tantùm ceremonialia intelliguntur, non eſſe improbabilem.384.b.
Johan. Sarisburienſis. de avaritia Romanæ curiæ. pag. 262.b.
Johan. Ripa. de confeſſione auriculari.239.a.
Jonathan. de loco Gen.4.1.143.a.
Joſeph Ben Gorion. de arca.14.b.
Joſephus. de monte Sinai. 10.b. de legis promulgatione. 10.a. de Urim & Thummim.14.b.102.a. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ.15.a. ſequitur in præcepto ſecundo paraphraſin Chaldæi. p. 49. b. de opere neceſſitatis in Sabbatho licito. 60.b. errorem de Phariſaica legis depravatione fovet.155.b.
Irenæus. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ. 15.a. idololatriæ Carpocratem accuſat. p.37.a. de Sabbatho toto celebrando.58.b. de legis implendæ ἀδυναμία.83.a. de animalibus immundis.114.a. de fine legum ceremonialium.117.b. de Hieroſolyma derelicta & de medio ablata. p.118. a.b. verbum Revelavit de Chriſto uſurpatum expendit. 141.a.b. de una & eadem Abrahæ & noſtra fide. 145.a. de legis & Evangelii convenientia. 149.a. de novis præceptis in Evangelio. 151. b. de particularibus præceptis. p. 156. a. de novo mandato. 157.a. de legis impletione. 165.a. in Matth.19.21. Si vis perfectus eſſe. 168.b. de novo Teſtamento dicit, quòd ſit libertatis Teſtamentum. p.179. b. de 4. teſtamentis.180.b. pœnitentiam & regreſſum conjungit.185.b. de fide pœnitentiæ parte. 205. b. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus 211. a. de mulierculis à Marco Valentin. ſeductis. 228. b. de peccatorum remiſſione.240.b. de occultorum delictorum confeſſione. pag 245.a. de ſatisfactione. 259.b. de obedientia Chriſti activa. 312. a. de ſola fide. pag. 398. a. de fide cum caritate conjuncta. 421.b.
Iſidorus Hiſpalenſis. de pœnitentiæ vocis Etymologia 183.a. de periphraſi pœnitentiæ. 187.a. de definitione contritionis. 215. a. de definitione dubitationis. p. 341.b. de veſtibus Summi Sacerdotis. 102.b.
Iſidorus Peluſiota. de juramento 53.a 73.a. de imperfectione hominum. p. 83. b. de fructu centuplo. 167.a. de Sabbatho ſpirituali.58.b. de contritione.
Iſſa R. in cap.5. Cantici Canticorum verba: Aperi mihi ſoror mea.267.b.
Judæi. de Evangelio.128.a.
Julius Capitolinus. de pœna adulterorum 68. a.
Juſtinianus dividit jus in Naturale, Gentium & Civile. 4.b. Neſtorianos dicit eſſe anthropolatras. 37. a. jubet jurare per ſanctos.52.b. de diverſis Juramenti ſpeciebus. pag. col. a. in caſu neceſſitatis opera ſervilia die Dominica peragenda concedit. 60. a.
Juſtinus Eccleſiaſticos cœtus temporis ſui pulcherrimè deſcribit. p.57.a. cauſas diei Solis inſtituti adfert. 59.b. negat legem impleri poſſe. 83. a. de Zacharia & Eliſabetha, quomodo dicantur irreprehenſibiles 90.b proponit cauſam, cur Deus populo Iſraelitico hoſtias offerre præceperit. p.108.a. de ciborum abſtinentia.114.b. aſſerit Ceremoniales leges in V. Teſtam. fuiſſe figuras.117.a. cur leges ceremoniales Judæis ſint injunctæ. pag. ead. col.b. de legis & Evangelii congruentia.149. a. b. de diſcrimine legis & Evangelii. 150.b. de pœnitentiæ Synonymis 187.a. de pœnitentiæ periphraſi. ibid. de fide parte pœnitentiæ.205.b. de Juſtificatione noſtra coram Deo.274.a. de obedientia Chriſti activa 312.a. de timore.357.a. de ſola fide.398.a. de Juſtitia Chriſti imputata. 441.a.
Jus Canonicum. de formulis jurandi per creaturas.52.a. de Othone Rege jurante per lignum vivificæ crucis & per ſanctorum reliquias. pag. ead. col.b. meretrices è civitatibus eliminandas eſſe. 67. b. de auriculari confeſſione.236.a. de ſatisfactione Chriſti pro culpa & pœna. p.248. a. de lachrymis Petri. 249.b. de ſatisfactione.260.a. de certitudine fidei. 348.a. de Sola fide.404.a. de fide cum caritate conjuncta.423.a.

K.

KEiſeraberg. de indulgentiis.260.a.
Keckermannus. de mortificatione & vivificatione. 211.b. de cauſa meritoria juſtificationis.307.b.
Kimchius Rabbi aſſerit quinque res defuiſſe templo ſecundo. 14.b. de Urim & Thumim. 102. a. ligna Sittim interpretatur per ſpeciem cedri optimam. p. 108. b. de vocibus במראות הצבאות Bemaróth Hatzebeóth. 112. b. errorem de Phariſaica legis depravatione fovet. 155. b.
Kirchn. de pœnis poſt remiſſam culpam. 254.b.

L.

LActantius. de idololatria Gentilium.42.a. de αὐτόφωνία. 64.b. de imperfectione noſtra. 83.a. b. de uſu

de uſu legis. 94.b. 95.a.b. de animalibus immundis. 114.a. de legis & Evangelii in ipſa praxi conjunctione. 136.b. de pœnitentia. 183.a. de reſipiſcentia. 184.b. de pœnitentiæ periphraſi. p. 187.a. de pœnitentiæ deſcriptione. 191.a. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus. 211.a. de fide pœnitentiæ parte. 205.b.

Landſperg. de ſatisfactionis hominis pro peccatis nullitate. 249.b.

Langius affirmat carnem ſuillam validiſſimè nutrire. 114.b. aſſerit ob Elephantiaſin olim peculiare Ægypti malum Judæos ſuillæ carnis eſu ſibi temperare juſſos. ibid.

Laodicena Synodus. de Angelo latris 37.a.

Latomus. de cauſa formali juſtificationis. 447.b.

Laurentius quæ de hymene dicuntur, negat. 121.a.

Lazius exemplis oſtendit, imprecationes parentum quandoque ſuum ſortiri effectum. 62.a. de legis implendæ ἀδυναμίᾳ. 84.b.

Leo M. de confeſſione auriculari. 239.a. de confeſſione publica. 245.a. de Martyrum patientia. 261.a. de Dei Juſtitia & miſericordia. 288.b. de obedientia Chriſti activa. 312.a. de ſola fide. 400.a. de clementia Dei. 141.a. de ſapientia Evangelio revelata. 148.a.

Leo X. commendat verſionem Eraſmi.

Leſſius. de meritis hominum. 306.a.

Lex Julia capitalem adulterii pœnam ſtatuit. 121.a.

Liber continens cauſas recuſati concilii Tridentini de quadragena, ſeptena & carena. 257.b.

Lobecchius. de errore Carolſtadii & Anabaptiſtarum. 124.b. de obedientia Chriſti. 289.a de juſtificationis & renovationis differentia. 455.a.

Lombardus. de diviſione decalogi. 17.a. de mendacio. 71.b. de diſcrimine legis & Evangelii. 152.a. de vocis pœnitentiæ Etymologia. 183.a.b. de pœnitentia ſemel tantùm utili. 188.b. de definitione pœnitentiæ. 191.a. de numero ſacramenti pœnitentiæ. p. 193.a. de pœnitentiæ Sacramenti inſtitutione. p. 198.a.b. de contritione quòd meritum ſit de congruo. 223.a. de juſtificatione. p. 275.a. de reconciliatione. 295.b. de reconciliatione toti Trinitati communi. 302.b. de Mediatore. 303.b. de merito Chriſti. 306.a. de fidei ſignificatione. 316.a.b. de fidei fiducia. 325.b. 373.a. de fidei definitione. 328.b. de fide informi & formata. 363.b. de verbo Operatur. 569.a. de fide quòd ſit donum Dei. 370.a. fidem in corde hominis ab homine intellectualiter videri. 381.a. de caritate Dei & proximi. pag. 329.b. de cauſa formali juſtificationis. 448.a.

Lorinus in Act. 19. de confitentibus actus ſuos, 244.a.

Lovanienſes. de dubitatione. 343.b.

Lubertus Sibrandus. de cauſa meritoria juſtificationis. 307.b.

Lucius Marineus Siculus Caroli V. Hiſtoricus. de Salvatoris Chriſti imagine in urbe Burgenſi valde efficaci. 35.a.

Ludovicus Carbonis. de Chriſto abſcondito. 127.a.

Ludovicus Crocius. de cauſa meritoria juſtificationis. p. 307.b.

Ludovicus Vives. de cauſa formali juſtificationis. 447.b.

Lutherus. de diverſis appellationibus legis. a.b. in ſingulis præceptis decalogi ſingulari conſilio repetit verba: Debemus Deum timere & diligere. 22.b. affirmat Carolſtadium bellum εἰκονοκλαστικὸν redintegraſſe. p. 30.a. de juramento per creaturas. pag 52.b. vocem Sabbathi in translatione reddit den Feyrtag. p. 58.a. de lupanaribus. pag. 67.a. de quolibet decalogi præcepto, quòd ſit ſpirituale. 75.a. de tribus legis diſcipulorum generibus. 82.b. de legis perfectè implendæ ἀδυναμίᾳ. 91.b. de legis uſu 97.b. de cultu divino quòd prærequirat mandatum divinum. 106.a. de vocibus Bemaroth Hatachaóth, de ungulis bifidis quòd denotent Spiritum prudentiæ. 114.a. de loco Geneſ. 17. v. 7. pag. 118.a. de Moſe rectè docendo. p. 124.b. errori Carolſtadii, qui ſtatuit jus Romanum ex Chriſtianis Rebuspublicis exterminandum acriter ſe opponit. ibid. affirmat Chriſtum ad legem propriæ juſtitiæ faſcinatos opinione revocare voluiſſe. 138.b. vertit locum Geneſ. 4. verſ. 1. 143.a.b. de diſcrimine legis & Evangelii. 149.a. de lege docente & Chriſto dante. 150.a. de legis & Evangelii in praxi conjunctione. pag. ead. col. b. de legis & Evangelii circa peccatum officio. pag. ead. col. a. de Veteri & Novo Teſtamento egregium profert dictum. 152.b. de conjugatis. 168.a. de Antinomis. pag. 174.b. de officio legis. 175.b. de lege & Evangelio in praxi. 176.a. de oſtenſione iræ divinæ 177.a. de pænitentia. ibidem. de Doctore quodam Gallo 181.b. de quæſtione, nũ pœnitentia ſit dolor de vita præterita. 184.a. de voce μετανοίας, pag. ead. col. b. de partibus pœnitentiæ. pag. 2[illegible].a de magnitudine peccati. 213.a. de ſemoris percuſſione. p. 217.a. de pœnis temporalibus. 218.b de contritionis perfectione. 222.b. de voce Beichten. 228.a. de privata confeſſione. 230.b. memorat in Papatu pro ſtabilienda confeſſione privata etiam adductum fuiſſe locum Proverb. 27. 23. p. 243.a. de formula abſolutionis Monaſticæ. p. 246.a. de ſatisfactione Pontificia. 248.a. de ſatisfactione publica. 250.a. de pœnis poſt remiſſam culpam. p. 254.b. de ſatisfactione Principis cujusdam Anhaldini. p. 256.a. de indulgentiis. 260.a. 263.a. de tempore pœnitentiæ. 266.a. de juſtificationis articuli encomio & neceſſitate. 271.b. 272.a. de voce Juſtificari in loc. Luc. 7. 35. 272.a. de verſione loci Apocal. 22. v. 11. 276.a. de fide hiſtorica. 316.b. de fidei & promiſſionis connexione. 321.b. de fidei fiducia. 325.a. de Dei juramento. pag. 335.b. de fidei certitudine. 336.b. de dubitatione. 341.a. de fidei fundamento. 342.b. indicat, quâ ratione vehementer tentatus a Monacho quopiam ſit erectus. 347.b. de diviſione fidei in Concretam & Abſtractam. 361.b de ſcholaſtica diſtinctione fidei, in infuſam, & acquiſitam. pag. 363.a. de fide informi & formata. 364.a.b. de fide viva. 366.a. de vi fidei. 367.a. de relatione inter verbum promiſſionis & fidem perpetuâ. p. 371.b. de dexteritate fratris cujusdam ſenioris. 379.a. de fide omnia mandata implente. 395.b. de ſolius fidei officio proprio. p. 412.b. de particula Sola in verſione Germanica appoſita 419.b. de fide cum caritate conjuncta. 422.b. 423.a. de juſtitia Chriſti imputata. 443.a. de Maria virgine, cui Sanctos æquiparat. 446.b. juſtitiam fidei vocat paſſivam. p. 462.a. quo ſenſu dicat, fidem niſi ſit ſine ullis etiam minimis operibus, non juſtificare, imò non eſſe fidem. 406.a. 413.a.

Lyra. de duabus tabulis ſcriptis ex utroque latere. 13.b. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ. 14.a. de 2. Maccabæorum libro pag. eadem col.

colum.b. in diviſione decalogi, ait, Joſephum & Philonem ſequi Doctores Hebræos. p. 15. a. de diviſione decalogi. 17. a. quâ ratione tria præcepta primæ tabulæ ad Deum referat, p. 22. a. de ſerpente æneo. 42. b. de tertia & quarta generatione. 47. a. de particula ὅλως. 51. b. de honore parentum. 61. a. de adulterio, quod non niſi cum maritata committi putat. 67. a. de loco Actor. 15. v. 29. 100. b. de cauſis præputiorum arborum amputatis. 116. b. de ſignis virginitatis. pag. 121. a. de loco Luc. 7. 47. 226. a. in Levitic. 16. 21. Confitebitur ſuper caput. 243. a. de ſatisfactionis hominis nullitate. 249. b. de fidei fiducia. 325. a. de ſola fide. 403. a.

Lyſerus. de pœnis. 254. b.

M.

Macarius. de imperfectione noſtra. 83. a. de pœnitentia quâ delectatur Deus. p. 189. a. de obligatione, quâ homo Deo eſt obſtrictus. 249. a. de juſtitia Chriſti imputata. 441. a.

Macrobius teſtatur Ægyptios coluiſſe Deum ſuum per bovem ſive vitulum Apim. 40. b.

Makoth liber Talmudicus mandata jubentia & prohibentia recenſet. 99. a.

Maldonatus. de furto pauperis. 70. a. de Novatiana hæreſi. 191. b. de confeſſione auriculari. 233. a. 234. b. 235. a. de vinculis Lazari. 243. b.

Malvenda. de dubitatione. 343. b.

Mariale Anno 1493. Argentinæ editum. de Maria Chriſti adjutrice in opere redemptionis. pag. 304. b.

Marius Victorinus. de totali peccatorum remiſſione. 227. b.

Marloratus. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b.

Marſilius Patavin. de peccatorum remiſſione. p. 241. a. de imaginum cultu. pag. 33. a. 38. b. fatetur cultum imaginum non poſſe è ſcriptura ſacra probari. 42. b.

Martialis virum fortem deſcribit. 64. b.

Martinius. de cauſa meritoria juſtificationis. 308. a. de reſolutione iſtius propoſitionis Deus eſt paſſus. pag. ead. col. b.

Martinus Eiſengrein. de fidei certitudine. 350. a.

Martinus Pereſius. de imaginum cultu. 34. a.

Martyr. de diviſione Decalogi. p. 17. a. de imaginibus. 26. a. de Chriſto, quod quoad humanam naturam pingi poſſit. 29. a. de abrogatione legum forenſium. 125. a. de privata confeſſione. 230. b. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b.

Maſius. de ſignificatione verborum in Hithpaël. p. 369. b.

Matheſius vaticinii Apoc. 14. 6. explicationem & accommodationem tradit. 142. a.

Matth. Radeke. de pœnitentiæ poſt lapſum in peccata negatione. 187. b.

Maxentius de fidei fiducia. 372. b.

Maximus Tyrius ait, Deum ſummum à Gentilibus in ſimulachris coli. 42. a.

Mehlfürerus. de Sabbathu. 58. a.

Meiſnerus. de homicidio defenſorio. 66. a. de furum ſuſpendio. 70. a. de voce pœnitentiæ. 184. a. de imputatione. 457.

Melanchthon. de Evangelio quòd ſit concio pœnitentiæ. 177. b. de partibus pœnitentiæ. 207. a. de privata confeſſione. 230. b. de Carolſtadio. 30. a. de lege morali. 98. b.

Mentzerus refutat Piſtorium in controverſia de cultu imaginum. 39. a. de errore Piſcatoris in cauſa meritoria juſtificationis. 309. a. de morali Sabbathi obſervatione. 58. a. de obedientia Chriſti activa. 313. b.

Mercerus. de voce מְחוֹקָק 123. b. in Eccleſ. 9. Neſcit homo. 351. b.

Michael Gittichius. de ſatisfactione. 290. a.

Milevitanum Concilium. de illo Johannis: Si dixerimus. quod peccatum non habemus. 163. a.

Minutius Felix, ait in Octavio: Nos cruces nec adoramus nec optamus. 44. a. de fidei fiducia. 344. b.

Miſſale Romanum teſtatur nonnullis imaginibus thus adoleri. 35. a.

Molanus. de dilectione Dei. 76. b.

Mompelgartenſe Colloquium aſſerit infantes non eodem modo juſtificari. quo adulti. 271. a.

Münſterus dicit Hebræos colligere ex Exod. 34. מדות proprietates Dei. 48. a. de duabus tabulis ſcriptis ex utroque latere. 13. b. in loc. Exod. 20. Non facies omne opus in eo. p. 55. b. de Judæo, qui die Sabbathi in latrinam eccidit. p. 60. b. de Urim & Thummim. pag. 10·. a. de vocibus Hebræis במראת הצבאת Bemaróth Hatzebeóth. 111. b. de animalibus mundis & immundis. 113. b.

Muſculus. de diviſione decalogi. 16. b. 17. a. de furto. 69. b. de merito Chriſti. 290. b.

Myconius. de fidei certitudine. 348. b. de indulgentiis. 263. a.

N.

Nannius Lovanienſis Athanaſii librum de paſſione imaginis Domini non diffitetur ſuppoſititium eſſe. pag. 44. b.

Nauclerus teſtatur templum Sophiæ Conſtantinopolitanum ſub Chriſtianis Imperatoribus picturis totius hiſtoriæ paſſionis Dominicæ fuiſſe exornatum. 31. b.

Nauſea Vien. Epiſc. de fidei fiducia. 325 b. de fide cum caritate conjuncta. 423. a.

Nazianzenus longævitatis vitæ effectum deſcribit. 63. a. videtit. Gregor. Nazianz.

Neomarpurgenſes. de præcepto de ſculptilibus. 16. b.

Nicæna Synodus ſecunda, quam Græci vocant Oecumenicam VII. approbat cultum imaginum. 32. a. vera ejus ſententia inquiritur. 33. a.

Neſtorianos vocat idololatras. 37. a. honorariam ſaltem adorationem imaginibus tribuit. 39. a. Dei imaginem aliquam fingere nefas ducit. 40. a.

Nicolaus Kus. de indulgentiis. 262. b. 263. a.

Nicolaus Gortam. de ſola fide. 403. b.

Nicolaus de Orbellis ſtatuit mandata Dei non eſſe ſupra hominem. 86. a. de confeſſ. auriculari. 232. a.

Nilus. de legis implendæ ἀδυναμία. 84. b.

Nicephorus Dei imaginem aliquam fingere nefas eſſe ducit. 40. a. de hæmorrhouſæ ſtatua. 44 b. de confeſſione auriculari à Nectario abrogata. 239. b. de Exemologeſi publica. 245 a.

Nonnus omittit Johan. 8. hiſtoriam de adultera. 125. b.

O.

Occam. de cauſa formali juſtificationis. 448. b.

Ochinus. de ſatisfactione Chriſti. 289. b.

Oecolampadius. de diviſione decalogi 17. a.

Oecumenius in loc. Heb. 6. 4. 189. b. de juſtificat. 274. b. in Rom. 8. 16. 337. a. de ſola fide. 402. b. 403. a.

Onkelos. de vocibus Bemaróth Hatzebeóth. 111. b.

Onus Eccleſiæ ſive onera Eccleſiæ author de indulgentiis. 262. b. 263. a. in 2. Co. 4. v. ult. 36. a.

Optatus Milevitanus. de ſupererogatione. 173. b.

Oribaſius quæ de hymene dicuntur. 121. a.

Origenes. de numero præceptorum cujuſlibet tabulæ. 16.b. de Zelo Dei. 47.a. de Zalo. 48.a. de gradibus peccatorum allegoricè philoſophatur. 48.a. de Sabbato æterno. 58.b. ſtatuit die Dominica primum manna in deſerto pluiſſe. 59 b. de juſtitiæ noſtræ imperfectione. 83.a. per cedrum intelligit lignum crucis. 115.b. per coccum intelligit Chriſti ſanguinem. ibid. de injuria parentibus illata. 119.b. de typis V.T. 127.a. de Juvene divite Matth. 19. 168.b. locum Ambroſii exponit. 190.b. de totali peccatorum remiſſione. 227.b. de ſatisfactione. 259. b. de gratia. 281.b. de fidei lumine. 317.b. de fide quòd ſit fiducia. 324.b. de ſola fide. 398.a. de fide cum caritate conjuncta. 422. a. de veſte nuptiali. 428.b.

Oſiander Lucas. de errore Parentis circa juſtificationem. 429.b.

Oſorius. de indulgentiis. 262. a. de Jubilæo. 264.b. de paſſione Mariæ. 304.b.

Oſterodus proximum interpretatur Iſraelitam, idq; ineptiſſimè. 159. a. de ſatisfactione Chriſti. 290.a. de reconciliatione. 295.a. nullam, ait, ſatisfactionis Chriſti in Scripturis fieri mentionem. 298.b. de eo, quòd dicatur, Deum gratis remittere peccata 300.b. de fide juſtificante. 322.a. de quibus operibus in loco ad Gal. 2. 16. agat Paulus. 384. a.

P.

PAnormitanus affirmat, licere diebus feſtis piſcari propter neceſſitatem, & capere debitorem fugitivum 60.b. de confeſſione auriculari. 231.b. de ſatisfactione. 251.b.

Paræus. de loco Gen. 4. 1. pag. 143.a. juſtitiam vindicatricem Deo eſſe naturalem. 299.a. de Evangelio, quòd ſit concio pœnitentiæ. 174.b.

Paraphraſis Syriaca prætermittit hiſtoriã de adultera de voce ἀπειθεῖν. 321.a. in loc. Gal. 5 6. Fides operatur. 369.a. in loc. Rom. 4. 5. adjicit particulã balchud Tantum. 419.b.

Paſchaſius Ratbertus. de ſola fide. 402.a.

Paulinus. de ſequela Chriſti. 169.b.

Paulus Diaconus. de Synodo Nicæna. 11. 32.a.

Paulus III. Papa deſiderat reformationem Eccleſiæ. 67.a.

Pelargus arcam fœderis explicat de Eccleſia. 109. a. de juſtificationis & renovationis differentia. 455.a.

Pelbartus de Themes War. de ſola fide. 404.a.

Pellicanus. de non miſcendis diverſis ſeminibus. 116.b.

Peraldus imagines laicorum libros conſtituit. 31.b.

Pererius. de lege Moſis, quòd tantum Judæos obliget. 5.b. de vocis pœnitentiæ ſignificatione. 184.a. de pœna propriè dicta. 255.a. de gratia. 282.b. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. 285.b. de fidei notitia. 318.a. de quibuſdam Papiſtis docentibus aliquam ſalutis certitudinem. 350 a. de fidei objecto. 373. de fide Abrahę. 374.a. quomodo exponat, per fidem juſtificari hominem. 415 a. ad illa verba Pauli per legem cognitio peccati; adjicit adverbium, tantùm. 420.a. quomodo fidei operanti cooperetur. 326.b. in Rom. 4. 25. propter juſtitiam noſtram. 455.b.

Pereſius. de imaginum cultu. 40.a. de cultu Dei apud Gentiles. 42.a.

Perkinſus. de legibus Judaicis. 15.a. de Sabbatho. 58.a.

Petrus Abailardus. de ſatisfactione Chriſti, quam negat. 290.a.

Petrus Aſilus. de clave poteſtatis. 241.a.

Petrus à Soto. de merito contritionis. 223.b. de omniũ peccatorum confeſſione. 231.a. de dubitatione. 343.b. noſtra etiam eſſe ait, quæ ſunt gratiæ. 434. b. de juſtificatione hominis coram Deo. 450.a. difficilius multò eſſe, inquit, divina mandata tranſgredi quàm obſervare. 85. a. de operibus ſupererogationis. ibid.

Petrus Cluniacenſis. de fide parte pœnitentiæ. 206.b.

Petrus Caniſius. de verbo merendi. 226 b.

Petrus Cudſemius. de legis implendæ poſſibilitate. 85 a.

Petrus de Palude. de meritis noſtris 305.b.

Petrus Gregorius teſtatur veteres Alemannos juraſſe oppoſitâ ad pectus dextrâ. 53.a.

Petrus Martyr. de diſcrimine Novi & Vet. Teſt. 178.a. de fide, quòd non ſit pars pœnitentiæ. 209.a.

Petrus Stevartius diſputationem Anno 1600. de indulgentiis habitam prædicat elegantem doctam & veritati orthodoxæ conſentaneam. 261.b.

Petrus Tataretus. de ſatisfactione. 305.a.

Philo. de appellatione Decalogi 5.a. de numero præceptorum cujuslibet tabulæ. 15.a præfationem Decalogi pro peculiari præcepto agnoſcit pag. ead. col. b. ſequitur in ſecundo præcepto paraphraſin Chaldaicam. 49. de juramento. 52.a. 53.a. de legibus ſcriptis, quòd ſint ſymbola rerum intellectualium. 60.b. de parentibus. 61.a. de ciconiis. 62.a.

Philippus Nicolai. de anno Jubilæo Eccleſiæ Chriſti. 313.b.

Philippus Presbyter S. Hieronymi auditor. de natura Evangelii. 133.b.

Phocylides. de ſignificatione vocis πιςεύειν. 320.b.

Photius Patriarcha. de ſola fide. 403 a.

Pierius. de cauſa meritoria juſtificationis. 307.b.

Piggius. de gratia. 282.b. de fide juſtificante. 328.b. ſcrit Eccleſiam impertiri canonicam authoritatem quibuſdam libris Scripturæ. 371. a. de ſola fide. 404.b. de juſtitia Chriſti imputata. 444 a.

Pineda. de juſtificatione. 275.a. de fidei notitia. 318.a. in Eccleſ. 9. Neſcit homo. 351.b.

Pinellus. de pœnitente, ut paratus ſit ſatisfactionem à Sacerdote impoſitam perficere. 256 a.

Piſcator. de mortificatione & vivificatione. 211.b. juſtificationem à ſalvatione realiter diſtinguit. 271.a. de merito Chriſti ratione ſui ipſius. 308.b. de impletione legis prout à Chriſto præſtita. 300. a. cum Sociuo conſpirat. 313.a.

Piſecius. de fide juſtificante. 323.a.

Piſtorius. de cultu imaginum. 39.a. de certitudine fidei. 338.b. de fide informi & formata. 364.a. idololatriæ ſuſpicionem à Pontificiis amoliri conatur. 32.b. & 35.b. de fidei objecto. 375.b.

Platina. de jubilæo. 264.a.

Plato. de lege. 3.a. actum, inquit, eſſe de civitate, in qua pueri veſtiuntur purpura. 62.a.

Plinius. de voce imputare. 457.a.

Plutarchus teſtatur Ægyptios Deum ſuum coluiſſe per bovem ſive vitulum Apim dictum. 40.b. de Sabbati derivatione. 58.b. de acceptione vocis Evangelii. 128.a. de ὑπιςαμένοις. 321.a.

Polanus. de mortificatione & vivificatione. 211. b. de cauſa meritoria juſtificationis. 307.b.

Polybius. de hypoſtaſi. 320.b.

Polycarpus Lyſerus. de ducenda fratris uxore. 120.a.

Polydorus Vergilius. de idolorum cultu. 34.b. de Dei imagine. 40.a. de confeſſione auriculari. 238.b. de jubilæo. 264.a.

Poſtill. Amberg. de partibus veræ pœnitentiæ. 206. b.

Potho. de diſcrimine legis & Evangelii. 151.a.

Primaſius aſſerit legem nullum ad regnum cœlorum tranſmittere. 84.a.b. de legis & Evangelii diſcrimine

mine.151.a.b.de Evangelii propria natura. 133.b. de obedientia Chriſti activa. 312.a. de ſola fide. 401.a.

Prucopius. de Eunuchis.166.a.

Proſper.de converſione hominis. 220.a. de ipſius dicto: Ex toto veniam dabit & non dimidiabit. 248 b.de procraſtinationis pœnitentię periculo. 267.b. de gratuita hominis juſtificatione. 412. a.

R.

RAbanus.de natura Evangelii.134.a.

Rabini ſtatuunt ſingulas animalium, piſcium & avium ſpecies prohibitas Moſi in monte oſtenſas eſſe.114.b.dicunt: Qui ſemen ex ſe non edit, habetur pro effuſore ſanguinum.165.b.de verbo recordandi in principio præcepti tertii poſito. 54. a. in Bereſchit Rabba dicunt Abrahamum non obſervaſſe Sabbathum. 58. b. præceptum ſeptimum explicant de furto hominis ſive plagiatu. 68.b. Præcepta & jubentia & prohibentia numero ſatis multa recenſent. 99.a. dicunt candelabri ſacri lampadibus ſeptem Planetas fuiſſe denotatos. 110.b.de uſu vaſorum ſupra menſam auream in tabernaculo V.T.poſitorum.ibidem.

Rackovienſis Catechiſmus ſtatuit Deum in V.T.nunquam revelaſſe vel promiſiſſe vitam æternam. 142.a.de perfectioribus mandatis in N.T.traditis.157.b. de duplicibus præceptis novis.ibid.de ſatisfactione Chriſti. 290.a. excipit adverſus dictum Eph.5.1.de recõciliatione.295.a. de λύτρῳ. 296.a.de juſtitia Dei puniente peccata.299.a.de miſericordia Dei. 300. b. de eo quòd dicitur, Deum gratis remittere peccata.ibid.Chriſto nos plus debere quàm Patri. 302.a. doctrinam de ſatisfactione Chriſti hominibus occaſionem præbere ad flagitia. 302.b.

Radisbonenſe colloquium de cane Tobiæ caudam movente.371.b.

Radulphus Flaviacenſis. de legis implendæ ἀδυναμίᾳ. 84.b. Leviticas ceremonias eſſe typos Chriſti oſtendit.127.a.

Raũchbartus latè diſputat de juramento latroni præſtito.53.b.

Ravenſpergerus.de merito Chriſti.306.a.de cauſa meritoria juſtificationis.307.b.

Raymundus de Sabaude. de exſpectatione Dei ad pœnitentiam.267 a.b.

Regino. de Synodo Francofurtenſi.32.b.

Remigius.de fiducia fidei.373.a.

Reuchlinus ait Rabinos dicere legem Dei ante mundi creationem conditam eſſe duobus annorum millibus atque literis igneis nigris in dorſo ignis candidi ſcriptam. 5.b.

Ribera ſuper loc. Luc. 7.35. Juſtificata eſt ſapientia. 272.a.b.in Habac.2.4.Juſtus ex fide.367.a.

Richardus. de materia ſacramenti pœnitentiæ. 193.a. animam, inquit, per contritionem mereri de condigno peccati mortalis remiſſionem. 223. a. de conditionibus confeſſionis. 236.b. 237.a. de ſatisfactione unius pro altero.251.b. de confeſſione auriculari. 234.b.

Rivius. de fidei certitudine.349.b.

Robertus Holkot agnoſcit, latriam eſſe honorem ſoli Deo debitum.38.a.

Roffenſis de indulgentiis. 262.a.de ſola fide.404.a.de cauſa formali juſtificationis.447.b.

Rollocus Scotus cum Socino conſpirat.313.a.

Romanus Catechiſmus. de materia Sacramenti pœnitentiæ.192. de definitione pœnitentiæ interioris. 199.b.de fide quòd non ſit pars pœnitentiæ.209. a.de confeſſione auriculari.234.b. de ſatisfactione.252. a. dè gratia.284.a. de fidei notitia.318.a. de certitudine fidei.350.b.

Ruffinus. de ſola fide.400.a.

Rungius. de injuria proximo dônanda.62.b.

Rupertus Tuitienſis. de veſtibus ſummi ſacerdotis. 102.b.menſam auream tabernaculi V.T.exponit de menſa cœnæ Dominicæ.110.b.de phraſi: pœnitentiam agere & converti ad Dominum.185.b. de ſola fide.402.b.

S.

SAcroboſc. in loc. Sir.9.5. Noli eſſe ſine metu.353.a. de authoritate Eccleſiæ. 371.a.

Sadoletus. de fide cum caritate conjuncta.423.a.

Salmeron affirmat cultus electitios Deo placere. 105. b.de Evangelii ſumma.134.a. de Evangelio Johannis è collo appenſo.147.b.de nova lege.154. b.de conſiliis Evangelicis.161.b. de Evangelio, quòd ſit concio pœnitentiæ.174.a.de loco Luc. 7.47.a. de indulgentiis. 262. a. in cap. Philip. σπένδομαι.264.a.de juſtis. Luc.15.7.265.b.de juſtificatione.275.a.de Maria corredemptrice.305. a.negat Chriſtum eſſe cauſam totalem ſalutis noſtræ.306.b.fatetur locum Eccleſ.9.2.vitioſè adduci contra certitudinem gratiæ.351.a.de fide infantum.363.b. de inconſtantia Lutheranorum in cauſa formali juſtificationis. 429.b. de cauſa formali juſtificationis.448.b.

R. Salomo Jarchi. de adulterio. 67. a. de dicto Eccleſ. 9.352.a.

Salvianus.de impœnitentia.269.b. de fide cum caritate conjuncta.422.b.

Sanderus.de imaginum cultu.34.a. 38.b. de fiducia fidei.328.a. de cauſa formali juſtificationis. 448.a. de voce λογίζεσθαι 456.b.

Scaliger. de flore aut fructu, quòd non ſit plantæ pars. 210. b. non eſſe neceſſarium, ut ſi actiones ſint contrariæ, etiam eſſentialia ſint principia. 299.a. de intellectu & voluntate. 329.a.

Schilterus. de juſtificationis & renovationis differentia.455.a.

Schindlerus. de juramenti formula Judæorum. 52.b. & 53.a.de Urim & Thumim.102.a.

Schmuc. de juramento latroni præſtito.53.b.

Scholaſtici eundem honorem imagini & exemplari deberi diſputant.38.a.de imaginum uſu.31.b.de cultu earundem variè diſputant.33.b.de obligatione juramenti.53.b.

Schönfeldius Mentzero opponit Syllogiſmum decalogicum de Sabbathi obſervatione.58.a.

Schopperus.de fide juſtificante.419.a. de fide cum caritate conjuncta. 423.a. de homine ſui ipſius redemptore.461.b.

Schröderus.de imaginum uſu in templis.31.a à primitiva Eccleſia liberè eſſe uſurpatas non in privatis tantùm ædibus ſed etiam in templis pag. ead. col. b.indicat, qualis honor quilve cultus in Eccleſiis Pontificiis imaginibus exhibeatur.34.a. dę definitione idololatriæ.36.b.

Scipio Gentilis. de æquitate.48.b.

Scotus. de peccato ex odio Dei orto.49.a. de pœnitentiæ derivatione. 183. b. de legis & Evangelii diſcrimine.152. a. de confeſſione auriculari. 231. b.235.b.de ſatisfactione. 250.b. 251. a. de gratia. 282.b.de

282.b.de quatuor diſtinctis actibus virtutis pœnitentiæ.195.a.de pœnitentiæ partibus.207.a. de ſatisfactione.251.b. de definitione ſatisfactionis. ibidem.de fide infuſa & acquiſita.363.a.
Secretarius Pauli IV. Pontif. de Carolo.V.404.b.
Sedulius. de legis implendæ ἀδυναμία. 84. a. in loc. Heb.6.4.189.b.de ſola fide.402.b.
Selneccerus.de pœnis.254.b.
Septuaginta Interpretes intra unius periodi contextum verba appendicis præcepti primi de imaginibus, quæ in Hebræo per ſilluk diviſa videntur, contraxerunt.27.a.de voce ὑποςάσεως.320.b.
Sibrandus.de imputatione juſtitiæ Chriſti.456.b.
Sigebertus. de Concilio Francofurtenſi.44.a.
Sigfridus Saccus. de certitudine fidei.341.a.
Simon Epiſcopius. de pacti veteris & novi differentia. 157 b.
Simpl. de fidei Etymologia.315.b.
Sixtus Senenſis. de verbis concionatorum.226.b.
Sleidanus.de Caroliſtadio, quòd bellum εἰκονοκλαςικὸν redintegrarit Wittebergæ 30.a.de circügeſtatione imaginum.25.a.de indulgentiis. 260.a. de errore Oſiandri.429.b.
Smalcaldici articuli. de partibus pœnitentiæ.207.a. de privata confeſſione & abſolutione.230.b.
Smalcius Valentinus excipit ad lucum.1.Reg.8.46. Non eſt homo,qui non peccet. 79.a. de duplici perfectione.85.b.vitam æternam Deum in V.T. nunquam revelaſſe vel promiſiſſe ſtatuit. 42.a. de ſatisfactione Chriſti.290.a. in quæſtione de ſatisfactione Chriſti ſibi contradicit.291.b.de juſtitia Dei.299.b. Chriſtum pœnas peccatorum luendas in ſe non ſuſcepiſſe. 301.b. excipit,Chriſtum pro nobis non potuiſſe ſatis facere,303.a. de imputatione juſtitiæ Chriſti.456.b.
Smaragdus.de ſola fide.402.a.
Socinus pervertit dictum Rom.8.3.74.a.juſtitiam hominum elevat.85.b. de perfectioribus mandatis in N.T.157.b. de ſatisfactione ſeu cauſa meritoria juſtificationis.289.b.excipit adverſus dictum 1 phel.5.1.292.b.victimis V.T. ſatisfaciendi vim [illegible] itam fuiſſe negat.ibid.de ſignificatione vocabuli Mediatoris. ibid. de ſignificatione vocis Redemptionis in quæſtione de ſatisfactione Chriſti. 293.b. 294.b. de vocabulo ἱλασμοῦ ſeu [illegible]onis.294.b. de reconciliatione.295.a. [illegible].296.a. de Chriſto peccatum facto. 296. b. [illegible] Chriſto maledictum facto.297.a. de phraſi: [illegible] propter peccata.298 a.nullam,inquit,ſatisfactionis Chriſti in Scripturis fieri mentionem [illegible] 1.col.b.de ira & vindicta Dei.299.b.de miſericordia Dei.300.a.de loco Matth.18.23.301.a. de fide Abrahæ. 323.a.b. negat fidem juſtificare per apprehenſionem Chriſti Redemptoris ejuſq; meriti.375.b. de quibus operibus agat Paulus in loc.Gal.2.16.384.a. de phraſi Paulina, nobis imputari juſtitiam.432.a.
Socrates. de ligno Servatoris.28.a. de Iſidoro.85.a.de Novatianis.188.a.b.344.a. de confeſſione auricularì à Nectario abrogata. 239. b. de Leunate Conſtantii Aulico.406.a.
Sohnius. de cauſa meritoria juſtificationis.307.b.
Sommerus. de bonis operibus.85.b.de pœnis temporalibus. 187. b. excipit ad exempla remiſſorum peccatorum.189.a.in quæſtione de ſatisfactione Chriſti ſibi contradicit. 291. b. de ſignificatione vocis Redemptionis.293.b. de fide juſtificante. 323.a.
Sozomenus. de jurandi ritu. 53.a. de ſtatua ænea ab hæmorrhouſa erecta. 44. b. de confeſſione auriculari à Nectario abrogata 239.b de eo,quod Julianus fidelibus objecit.404.b.
Spinæus. de perfectione decalogi. 5.a.
Stapletonus. de jugo impoſſibili Act.15.10.p.75.a. de dilectione Dei.76.a. excipit, præceptum de diligendo Deo ex toto corde&c.eſſe doctrinale,non obligatorium.77.a.de voce ἐχαρίτωσεν.281. a. de fidei fiducia.326 b. in loc. 1. Joh.3. Tranſlati ſumus de morte ad vitam. 367.b. de verbo operatur.369.a. de authoritate Eccleſiæ.371.a.de miraculis. 377. b. de nonnullis Catholicis rectius de articulo juſtificationis ſentientibus. 404. b. de miraculis. 425. b. de juſtitia Chriſti imputata. 444.b.456 b.
Staniſlaus Orichonius.de 45. meretricum millibus, ex quarum fornicatione Pontifex Romanus cenſum exegit.67.b.
Stephanus Boſtrorum Epiſcopus. de imaginibus Divorum.42.b.
Stephanus Bruliſer.de fide cum caritate conjuncta. 423.a.
Strackius.de cauſa meritoria juſtificationis.308.a.
Suarez. de Sabbatho. 60.b. de confeſſione auriculari. 234.b.
Suetonius. de pœna adulterii.68.a.
Suidas. de diſtinctione ſacrificiorum.103.b. de Evangelio.128.a.de voce ὑποςατικῶς.321.a.
Sulpitius Severus. de præcepto de ſculptilibus.16 b.
Surius. de Juliano.42.a.
Sylvius. de imaginibus. 34.b.
Sylveſter Prieras. de indulgentiis.262.a.
Syneſius.de voce ὑποςάς.321.a.

T.

TAnnerus.de dubitatione. 336.a.
Tapperus.de ſatisfactione.246. b.251 a. de cauſa meritoria juſtificationis.306.b. de fiducia fidei. 328.b. de fidei objecto.375.b. de juſtitia Chriſti imputata.444.b. de cauſa formali juſtificationis. 448. a. de Chriſti ſatisfactione ſcribit,eam non mereri nomen perfectionis.461.b.
Taulerus. de fide pœnitentiæ parte.206.b.de confeſſione auriculari.236.b.de ſatisfactionibus.255.a. 256.a.de exſpectatione Dei quo ad pœnitentiam noſtram.267.a.de paſſione Mariæ.304.b.de ſola fide.403.a.de juſtitia Chriſti imputata.442.b.
Taxa pœnitentiaria. de nundinationibus indulgentiarum.261.a.
Tertullianus. de primæva lege de non comedendo arboris vetitæ fructu. 6. a. de pictura Chriſti in calicibus Euchariſticis.31.b. de idololatria.37. a. de verieate.38.b.de imagine Dei.40.a.de Dei caritatis perfectione. 78.b. de fine legum ceremonialium.117.b. de novis præceptis in Evangelio. 151.b.de conſiliis Evangelicis.161.a.b.de cœlibatu.173.b.de voce pœnitentiæ.184.b.de voce Reſipiſcentiæ.184.b.de pœnitentia.185 a. de pœnitentia Dei. 186. a. de pœnitentia periphraſi. 187. a. de pœnitentia ſecunda naufragii tabula. 187.b. incommodè de pœnitentia loquitur. 188. b.de veniæ conſecutione.ibid.de pœnitentiæ deſcriptione.191.a.de diviſione pœnitentiæ, quâ alia dicitur eſſe in bonis,alia malorum.200.a. de fide pœnitentiæ parte. 205. b. de bonis operibus pœnitentiæ fructibus.211.a.de voluntate vitandi delicta.217.b. de peccatorum remiſſione.240.b. profert ſententiam : Exemto reatu, eximitur pœna.

pœna. 247. b. de ſatisfactione publica. 250. a. de indulgentiia. 262. a. de bono divini pręcepti. 267. a. de pœnitentia. 257. a. de Angelorum gaudio ſuper pœnitente. 267. b. de Juramento. 335. b. de fidei fiducia. 344. b.
Tezclius. de indulgeutiis. 260. a.
Tharaſius. de pœnitentia. 187. a.
Theodulus. de ſola fide. 401. b.
Theodotion. locum Gen. 4. 4. vertit. 106. a.
Theodoretus. de honorandis parentibua. 7. b. de Dei imagine non fingenda. 40. a. ex Gen. 7. 2. colligit voluntatem Dei de ſacrificandi ritu ipſi Noaho innotuiſſe. 106. a. de Chriſto pro humanitate lepra ioquinata crucifixo. 115. b. de diſcrimine legis & Evangelii. 151. a. io loc. Hebr. 6. 4. 189. b. de cauſis calamitatum. 254. a. de loco Gal. 4. 21. 311. a. in Rom. 8. 16. 337. a. de ſola fide. 401. b. de Baſilio. 406. a.
Theodoſius. de imaginum veneratione. 33. a.
Theophylactus. de juramento per creaturas. 52. a. de dilectione Dei. 76. a. b. oſtendit per legem nullum juſtificari. 84. b. de natura Evangelii. 134. a. in loc. Hebr. 6. 4. 189. b. de gratia. 282. a. de gratia in cordibus noſtris diffuſa. 285. b. de loco Eph. 5. 16. Redimentes tempus. 294. b. de fidei notitia. 317. b. de μετεωρισμῷ. 321. b. de fidei fiducia. 325. a. de voce ὑποστάσεως. 326. b. io Rom. 8. 16. 337. a. de ſola fide. 398. b. 402. a. in 2. Cor. 5. v. ult. 436. a. de gratia. 451. b.
Thomas Aquinas. de lege. 3. a. de ordine præceptorum Decalogi. 23. b. de imaginum cultu. 33. a. 38. b. de ligno crucis canticum Eccleſiæ adducit. 35. a. de idololatria. 37. a. fatetur cultum imaginum non poſſe è ſacra Scriptura probari. 42. b. de juramento 51 a. de diviſione juramenti 52. a. de voluntaria ſeminis effuſione, quam dicit, ipſa ſcortatione gravius eſſe peccatum 67. a. de mendacio 71. b. locum Deut. 6. 5. de Dilectione Dei explicat. 76. b. probare conatur Sacramenta V. Teſt. non contuliſſe gratiam. 103. a. monſtrat cauſam, ob quam adepa & ſanguis non venerint in uſum Sacerdotum & offerentium. 108. a. de diſcrimine legis & Evangelii. 152. a. de Juvene divite Matth. 19. 169. a. de loco Hebr. 6. 4. 189. b. de materia ſacramenti pœnitentię. 192. b. 193. a. de manus impoſitione in abſolutione. 194. a. de virtute pœnitentiæ. 195. a. de duratione interioris & exterioris pœnitentiæ. p. ead. col. b. de opere hominis bono, quod habeat rationem meriti. 203. a. de ſacra doctrina, quomodo utatur authoritatibua Canonicæ ſcripturæ. 208. a. de contritione, quòd ſit meritoria. 219 b. de coofeſſione auriculari. 234. b. de ſatisfactione pro actualibus peccatis. 246. b. affirmat Chriſtum pro pœnis peccatorum ſatisfeciſſe. 248. a. de perfecta & ſimultanea peccatorum omnium remiſſione. 248 b. de ſatisfactione publica. 250. b diſputat, quòd Deus ſine ſatisfactione homini peccata remittere poſſit. 252. b. 305. a. de pœna propriè dicta. 255. a. de diſtinctione pœnarum. 255. a. de indulgentiia. 263. a. de paſſionibus Sanctorum pag. ead. col. b. de juſtificatione. 275. b. de loco Jacobi 2. 20. Ex operibus juſtificatus eſt. 276. a. de gratia. 282. b. 287. a. de gratia gratum faciente. 287. a. de peccatorum remiſſione per ſolam non imputationem. 291. a. de Mediatore. 303. b. de Chriſti paſſione. 305. b. de merito Chriſti 306. a. de fidei certitudine. 319. b. de aſſenſu fidei. 320. a. de fidei definitione 328. b. de fide quòd ſit in intellectu & voluntate 328. b. de eo, quod eſt in duobus. 329. a. b. de ſpe roborata. 331. a. de fidei certitudine. 338. b de fide, quòd ſit una. 362. a. de particularibus explicitè credendia. ibid. de fide infuſa & acquiſita. 363. b. de fide habituali & actuali. ibid. de fide informi & formata. ibid. de fide vita animæ. 366. b. de fide, quòd ſit donum Dei. 370. a. de fidei objecto materiali & formali. 370. b. de articulis fidei. 371. b. de ſola fide. 400. b. 403. b. 404. a. de fide cum caritate conjuncta. 423. a. de fide quòd duxerit Abrahamum ad opera. 426. b. de Jacobi doctrina in articulo juſtificationis. 427. b. opinionem Lombardi de caritate quòd ſit Spiritus S. refellit. 448. b. de cauſa formali juſtificationis. 449. a. de perfectione. 460. a. de Sponſæ pulchritudine. 463. a.
Thomas Mortonus. de Jeſuitis. 73. a. de fidelibus omnibus æquè juſtis coram Deo. 446. b.
Thuanus. de concionatoribus Caroli V. 464. b.
Tilem. Smelinus. de legis impletione. 85. a.
Tiletanus. de juſtificatione. 275. a. in 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum. 355. a. de cauſa formali juſtificatiooia. 448. a.
Toletus. de operibua in die Sabbathi. 60. a. abſolvit eum, qui motu repentino correptus adeò ut rationis non ſit compos, alterum occidit. 65. b. de pollutione. 68. b. de æquivocationibus. 73. a. de definitione pœnitentiæ. 220. a. de interrogationibus confeſſionariis. 238. a. de juſtificatione. 275. a.
Toſſanua. de Evangelio quòd ſit concio pœnitentiæ. 174. b.
Tractatua aliquot Chriſtianæ religionis editi falſo titulo Ingolſtadii de cauſa meritoria Juſtificatioois. 290. a.
Trallian. de curatione per concepta quædam verba. 53. b.
Trelcatius. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b.
Tremellius. de verſione loci Prov. 16. 6. 258. b.
Tridentinus Catechiſmus. de idololatria. 37. a. de cultu Dei apud Gentiles. 42. a. de contritionis vi meritoria. 223. b. de voce credendi. 350. a.
Tridentinum Concilium confirmat acta Synodi Nicenæ ſecundę de imaginum cultu. 32. b. 34. b. adorare, inquit, imaginem eſſe ipſum Chriſtum adorare. 38. b. ſtatuit legem impleri poſſe. 85. a. Sacramenta V. T. non contuliſſe gratiam. 103. a. de Chriſto Legislatore. 134. a. 155. a. de confeſſione auriculari. 231. a. de pœnitentia quòd ſit ſacramentum. 191. a. 194. b. de fide quòd non ſit pars pœnitentiæ. 209. a. de contritione. 221. a. de ſatisfactione. 250. b. de gratia. 284. a. de cauſa meritoria juſtificationis. 308. a. de fidei fiducia. 320. a. de fide hæreticorum. 332. b. de dubitatione gratiæ. 343. a. de verbo Operatur. 369. a. de fide, quòd ſit initium gratuitæ juſtificatioois. 391. a. de ſola fide. 404. b. & 405. a. ſtatuit nos juſtificari fide cooperante boois operibus. 414. a. de vera fide, quòd poſſit ſeparari à bonia operibus. 423. a. b. de imputatione juſtitiæ Chriſti. 459. a.
Tripartita hiſtoria. de confeſſione auriculari abrogata. 239. b. de confeſſione. 245. a. de Novatianis. 344. a.
Turſellinus. de S. Franciſco. 305. b.

V.

Valentinus Gentilis. de Chriſti ſanguine. 290. a.
Valerius Maximus. de Apolline. 44. b. de dilectione parentum. 61. a. de ceremoniarum origine. 100. b. 101. a.

Varinus. de lege. 3. a. de vocis *δικαιοῦν* ſignificatione. 272. a.

Varro tradit, quòd leges publicè legi conſueverint. 1. a.

Vaſquez. de cultu imaginum. 38. a. non licuiſſe, inquit, verum Deum in aliqua imagine venerari. 40. a. omne peccatum contra legem eſſe affirmat. 80 b.

Vatablus vertit locum Syracidis. 5. 5. 353. a.

Vega omne peccatum, qualecunque ſit, eſſe *ἀνομίαν* affirmat. 80 b. de prærogativis diei Dominicæ. 59. b. de arca fœderis, typo Chriſti. 109. a. de Novatianis. 191. b. in Act. 19. de confitentibus actus ſuos 244. a. de ſatisfactione. 246 b. 251. a. de gratia gratum faciente. 287. b. de fidei ſignificatis. 316. b. de quodam Papiſta fidem conjecturalem vehementer oppugnante 350. a. de merito congrui 392. b. de juſtitia Chriſti imputata. 444. b.

Venator ait, ſe non credere, Deum jure poſſe ab hominibus exigere, quod à nativitate ipſi præſtare non potuerunt. 86. a.

Verſio Bibliorum Germanica antiqua & Confluentiæ in Jeſuitarum bibliotheca repoſita habet Rom. 3. particulam excluſivam allein durch den Glauben ohne die Werck der Ehe. 420. a.

Verſio Bibliorum Italica Venetiis Anno 1546. edita Gal. 2. 16 habet particulam Sola. 420. a.

Vicarius quidam de merito Chriſti. 404. a.

Victor. de dilectione Dei. 76. a.

Vincentius producit Almericum Gallum, fidei certitudinem ſtatuentem. 348. b.

Vincentius Brunius. de Matre Chriſti redemptionis noſtræ cooperatrice. 304. b. 305. a.

Vitus Miletus negat Chriſtum eſſe cauſam ſalutis noſtræ totalem & integram. 306. b.

Ulenbergius. de Chriſti juſtitia imputata. 443. b.

Vopiſcus. de pœna adulterii. 68. a.

Vorſtius. de obedientia in lege Dei requiſita. 85. b. de ſatisfactione Chriſti. 290. a. b. 291. a. de merito Chriſti. 306. a. conſentit cum Photinianis in definitione fidei. 323. a.

Urbanus Regius. de abſolutionis formulis. 246. a.

Urſinus. de noſtra Decalogi diviſione. 17. b. 18. a. 20. a. pag. ead. col. b. de Evangelio, quod ſit concio pœnitentiæ. 174. b. de diſcrimine V. & N. T. 78. a. de teſtamento fœderis. 180. a.

Urſpergenſis. de Concilio Francofurtenſi circa materiam de cultu imaginum. 44. a. de avaritia Romanæ curiæ. 262. b.

W.

WAppinenſis ſynodus. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b.

Weidnerus. de fimbriis. 116. b. de amplitudine pœnitentiæ in hac vita. 268. b.

Weigel. de confeſſione & abſolutione privata, quam prorſus rejicit. 230. a.

Weinrichius. de imputationis actu. 431. a.

Weſenbec. de legis definitione. 4. b. de æquitate. 48. b. de juramento per Evangelium. 52. b. de capitali pœna furum 70. a.

Weſſelus. de indulgentiis 263. a. de uſu ſigilli. 336. b de fide juſtificante. 419. a.

Wilhelmus Holderus. de merito congrui. 393. a.

Wilhelmus Rainoldus. de imputatione juſtitiæ Chriſti. 456 b.

Wilhelmus Zepperus. de legibus Moſaicis in Reſpublicas Chriſtianorum recipiendis. 124 b.

Witakerus. de imaginibus. 26. a. de cauſa meritoria juſtificationis. 307. b.

Wulffius. de Carolo V. 404. b.

Z.

ZAcharias Urſinus ait, de verborum enumeratione in Decalogo non eſſe odiosè pugnandum. 16. b. de imaginibus. 26. a. de diſtinctione inter imaginem & idolum. 26. b. exceptiones profert contra uſum imaginum licitum. 28. b 29. a. b. de eo, quod in abolitione imaginum & ſtatuarum obſervandum eſſe monet. 30. a.

Zanchius. de 13. מדות ſive proprietatibus & Epithetis Dei. 48. a. de diſtinctione vocum *μεταμελείας* & *μετανοίας* 185. a. de privata confeſſione. 230. b.

Zehnerus. de obedientia Chriſti. 289. a.

Zigabenus. de juramento Mahometi. 52. b.

Zonaras. de præcepto de ſculptilibus. 16. b.

Zvvingerus. de Fulcone Andegavenſi Comite ſatisfacturo pro peccato quodam. 256. a.

Zvvinglius. de imaginibus. 26. b. de confeſſione privata. 230. b. de clavibus Eccleſiæ. 231. a. 245. b.

Finis Indicis Tertii, TOMI III.

INDEX QVARTVS, TOMI III.

Rerum & Verborum Memorabilium.

Numerus notat paginam, Litteræ paginæ faciem.

ABel, Noachus & reliqui Patres an habuerint divinum mandatum de ſacrificando. 105. b.

Abba עֲבַד *ſerviliter operatus eſt. 55. a.*

Abrahæ fides. 324. b. an reſpexerit promiſſionem de remiſſione peccatorum. 373. a. non obſervavit Sabbathum, ut Rabini dicunt. 58. b.

[illegible] negare ſeipſum. 170. a.

[illegible] ſtinentia mandatorum a ſuffocato & ſanguine. 114. b.

[illegible] ſtinentia conjugalis ſuas quandoque habet peculiares cauſas. 11 a.

Abſ[illegible] pronunciatum an ſit elementum externum. 194. a. privata utilitas. 229. b. [illegible] actu anſit abſolutè

lutè neceſſaria.242.a.ὑπερ οὗ ἰδιοκτησία.245.b.formula.246.a.

Abſolutum & conditionale diverſo reſpectu accipiuntur in promiſſionibus Evangelicis 375.a.

Abſolutum decretum ſtatuentes idolum in cordibus auditorum ſuorum erigunt.29.a.

Acceptilatio.457.a.

Actiones & Paſſiones ſunt perſona.308.b.

Accuſationis falſa pœna.122.b.

Adam non ſacrificavit ſine pravio mandato.106.b.

Adorare coram imaginibus.31.a.

Adoratio qualis honor.39.a. Advena.165.b.166.a.

Adulterium quid ſit?67.a.ejuſdem ſpecies.ibid.quale ac quantum ſit peccatum.pag ead.col.b. ejuſdem pœna varia.68.a.

Æben.13.a. Ægyptiaca ſervitus.24.a.

Æmunah.320.b. Æmath veritas.ibid.

Ærein αἴρειν.297.b.

Ærach appaim longus narium:id eſt,tardus ad iram & vindictam.47.b.

Æquivocationibus an liceat in Judicio & confeſſionibus uti.72.b.

Affabilitas.71.a.

Afflictiones diſtinguuntur ratione impiorum & piorum. p.254.b.

Agnitio Dei.24.b. Agnus Paſchalis.105.b.

Agni Dei conſecratio.34.b.ejuſd.virtus & efficacia.ibid.

Ἀγοράζειν talem emptionem ſeu acquiſitionem notat, in qua verum interveniat pretium.274.a.

Allegoria legis impletionis impoſſibilitatem illuſtrantes. p.82.a.b.

Alexander VI.anno Jubilæi 1500.celebrato ſupra trecenta millia aureorum acquiſiviſſe ſcribitur.264.b.

Altaria à Veteribus extructa.7. a. altare thymiamatis eſt typus Chriſti.110.b.111.a.altaris in atrio poſiti deſcriptio.111.a.altare terreum humanitatem Chriſti adumbravit.ibid.

Amen,juramenti formula.51.a. Amiſſum.122.a.

Ammonitæ arcendi à publicis honoribus.122.b.

Anáh reſpondit.70.b. Ἀναφέρειν.187.a.

Ἀναφέρειν ſignificat oblationem cum oneris portatione conjunctam.298.a.

Angeli jurant.51.a.legis Moralis promulgationi interfuerunt.11.a.

Angelolatra.37.a.

Animæ vivificatio.224.a. redemptio an adhuc exſpectanda.454.b.animam ponere pro fratribus.164.a.

Animalium mundorum & immundorum diſcrimen. 113. b. animalium munditiès duplex.ibid.de animalibus mundis & immundis regula.ibid.

Ἀνομία.1.a.

Anni Sabbatharii.113.a.Iubilæi pag.ead.col.b.

Ἀνταποδιδόναι.69.a.

Anthropolatræ vocati ſunt Neſtoriani.37.a.

ἀντὶ frequenter ſignificat in Scriptura commutationem ſeu vicem alterius.298.b.

Ἀντίλυτρον 292 a.an ſit metaphoricum.296.a.

Ἀντιπελαργεῖν.62.a. Antinomi refutantur.95.b.96.a.

Apis.40.b.

Apoſtoli an alicui peccata remiſerint.196.b.an ipſis judicandi poteſtas data fuerit.240.a.

Ἀπολύτρωσις dicitur Chriſti pro nobis ſatisfactio.248.a.

Apelles Hæretici vox.362.a.

Apprehenſio, quæ fit per fidem, eſt quidem quà vocem Grammaticam activa, ſed quà ſignificationem reverà eſt paſſiva.414.a.apprehenſio fidei duplex.415.a.an fidem præcedat.319.a. an propriè dicatur notitia.ibid.

Aqua profluens quid myſticè notet.116.a.

Aqua effuſio fuit uſitata in pœnitentia.216.b 217.a.

Arca fœderis typus Chriſti.108.b.109.a. ſecundum quoſdam eſt typus Eccleſiæ.109.a.

Arbor ſcientiæ boni & mali.7.a.

Ariani idololatræ.37.a. Arrha.337.a.

Articulus fidei quid propriè ſit. 371. a. an omnia,quæ in Scripturis habeatur, pro articulis fidei habenda. 371.a. Articuli fidei ſunt vel principales vel minùs principales pag.ead.col.b.

Aſáh notat facere,ſeu abſolvere.55.a.

Aſcham ſacrificij ſpeciem ſignificat.104.a.b.

Aſperſio,ſepties facta quid notet.116.a.

Aſireth haddebarim.2.b. Aſtaroth idolum.41.a.

Attributa Dei dupliciter conſiderantur.300.a.b.

Avaritia etiam in V.T.prohibita.160.a.

Auditorum officia 57.b.

Aven vox hæc uſurpatur de corruptione naturæ,de cupiditate, & concupiſcentia conatu & ſtudio carnali. 19.b.160.b.

Ἀνοία.47.b. Αὐτάρκεια.69.a.

Αὐτοφονία.64.a.

B.

ב particula.366. b. Baal.41.a.

Baculus Chriſti Paſtoris duplex.127.a.

Baptiſta an verba abſolutionis peccata confitentibus annunciarit.195.b.

Βαστάζειν.297.b.

Baſilides hæreticus docuit fidem perſecutionis temporibus etiam perjurio negari poſſe.73.a.

Bathách Confidit,ſpem & fiduciam poſuit.321.a.

Beichten.228 a.

Bella licita.8.a.belli jura V.T.120.a.

Bemaróth, Hazebeóth, Interpretes variè has voces reddidere.111.b.

Benedictio Abrahæ.373.a.b.

Beneficiorum divinorum multitudo.269.b.

Berith.2.b. Beſtialitas.121.a. Biſſer.128.a.

Bona opera quomodo pertineant & ad legem & ad Evangelium.96.a.an pars pœnitentiæ.210.a. fructus pœnitẽtiæ.258.b.259.a. fidei teſtimonia,ſed non fiduciæ noſtræ fundamenta.371.a. ipſorũ perfectio.162.a.b.

Bonum ſpeciei & individui.171.a. Bonitas Dei.47.b.

Bovis utilitatis quinq;.121.b. Buccina clangor.12.a.

Bulla Iubilæi anno 600. promittit pleniſſimam omnium peccatorum indulgentiam.261.a.

Buß unde deducatur.184.a.

C.

CÆlibatus quâ ratione conjugio præferatur.170.a.b.

Calamitates hujus vitæ ſunt vel ſpontè attractæ vel aliunde contractæ.253.b.cur à Deo piis imponantur.ib.

Calil Conſummatum Abſolutum [ſacri]ficii ſpecies.104. b.

Calumniæ pœna.122.b.

Candelabrum ſacrum in tabernaculo V. T. eſt typus Chriſti.110.b.hujus rami non incommodè referuntur ad Apoſtolos.ibid.

Captiva quomodo ducenda.119.b.120.a.

Captivatio intellectus.319.a. Carena quid.257.b.

Caritas effectus non forma fidei.364.a.an magis juſtificet, quam fides.365.a.an fidei forma extrinſeca ſit. 368. a.qualis ſit impletio.296.a. vinculum perfectionis. 397.a.Caritas Pontificiorum.447.a. (404.b.

Carolus V. amplexus doctrinã de gratuita juſtificatione.

Carolſtadii error de exterminando jure Romano ex Republica Chriſtiana.124.b.

Carpocrates idololatriæ reus.37.a.

Caſtitas duplex.66.b.ejuſdem derivatio.ibid.

Caſtrare ſe propter regnum cœlorum.167.a.b.

Catecheſis Lutheri an mutilata, cum præceptum de non faciendis idolis ſit omiſſum.21.b.

Cathari Hæretici.188.a.

Cauſa prior ſuo effectu, regula limitanda.381.b. ejuſdem conſideratio eſt duplex.413.b. in effectu probari intelligitur.22.b. *Cedrus.115.b.*

Ceremonialium legum Etymologia.100.b.vid.indic.general. dicuntur pactum æternum.118.b. earundem uſum adhuc hodie ſub N. T. neceſſarium eſſe Iudæi inepte diſputant.118.b. ceremonialia cedunt moralibus etiam in ſecunda tabula.22.b.

Certitudo fidei moralis Bellarminiana 341.b. Certitudo juſtitiæ & præſentis gratiæ eſt diſtincta à certitudine futuræ perſeverantiæ.342.b.

Cerus quid veterum linguâ notet.101.a. *Chabel.127.*

Chakak conſtituit rei alicujus formam, impreſſit imaginem.101.a.

Chamas propriè ſignificat violentiã notoriã injuriã.8.b.

Chamad ex animo aliquid deſideravit cum conſenſu & opere in rem ferventi, appetivit vehementer.19.b.

Chanan.280.b. חָנַן*.47.b.*

Characterum uſus ad avertendos morbos & alia mala improbandus eſt.53.b.

Χαρίζεσθαι, Χαριτοῦν, Χάρις.280.b.281.a. *(tur.13.a.*

Chavath ſculpſit, non niſi ſemel in tota Scriptura S. reperi-

Chattaáh peccatũ, quo nomine peccata malitiæ, dicta voluntaria ſine fronte admiſſa ſignificantur.37.b. notat quoq; ſacrificii ſpeciem.104.a.b.

Χειροθεσία *in abſolutione an ſit externum elementũ.194.a. cur adhibeatur.ibid.* *Cherubim.110.a.*

Cheſed propriè ſignificat ardentem illam στοργὴν*, affectũ illum pietatis & charitatis, quo parentes tanguntur erga liberos, & viciſſim hi erga illos.47.b.*

Chijor.111.b. *Chinb.161.a.*

Chriſtianiſmus conſiſtit in γνώσει καὶ πράξει*.183.a.*

Chriſtiani in Æthiopia degentes una cum Dominica.

Chriſtiana Sabbathum Iudaicum colunt.58.a.

Chriſtianocategori idololatra.37.a.

Chriſtophorus M. nunquam in rerũ natura extitit.36.a.

Chriſtus ſanctus.97.a. dicitur aqua viva.286.a. ejus juſtitia dicitur juſtitia Dei.450.b. dicitur Mediator ratione longè excellentiore quàm Moſes.293.a.

Chukkim.101.a. *(notabat.102.b.*

Cidaris Sacerdotis in V.T. Regiam Chriſti dignitatem de-

Cineris ſuper caput ſparſio in luctu Iſraelitis fuit uſitata. p.216.b.

Cingulum Sacerdotis V. Teſt. alacritatem ad officii ſibi demandati partes exequendas denotabat.102.b.

Cipper texit, operuit.258.b.

Circumciſio quo in corporis membro, & cur inſtituta.9.a.

Clemens VI. jubilæum ad annum quinquageſimum reduxit.264.a. *Coccus.115.b.*

Columna nubis & ignis.12.b. *Collecta Feſtum.113.a.*

Coma capitis non in circuitum tondenda.117.a.

Comitas.71.a. *Commodatum.122.a.*

Concilia imaginum cultum ſtabilientia.43.b.

Concionatorum verba non rigoroſè accipienda.226.b.

Concupiſcentia prava à Deo reprehenditur.9.a. quænam in præcepto nono & decimo prohibeatur.19.a.b. concupiſcentia prava prohibita in decimo præcepto prohibetur in omnib. præceptis.22.b. alia originalis alia actualis.19.b. mulieris etiam in V.T. prohibita.159.b.

Conditio alia eſt fidei, alia operum.139.b.

Confitentis adulteræ hiſtoria.235.b.

Confeſſio eſt vel laudantis vel gementis.228.a. publica vel privata.ibid. & hæc vel coram Deo, vel coram tota Eccleſia.228.b. Confeſſio coram Eccleſia facta ſubdividi poteſt in voluntariam & coactam.ibid. alia eſt confeſſio coram Eccleſiæ Miniſtro, alia coram proximo.ibid. de confeſſione quoq; vide indicem generalem in loco IV. de Pœnitentia à n.41.uſq; ad num.47.

Conformitas piorum cum Chriſto.453.a.b.

Conjugum novorum immunitas.120.a. *(89.a.*

Cor phraſi Hebræâ quid complectatur.76.b. ex toto corde.

Cornua altaris.111.a. *Corpus mortuũ peccato.454.a.*

Corpus Chriſti myſticum an ſit monſtrum.438.a.

Conſiliorum Evangelicorum origo.161.a. vide huc indic. generalem de Evangelio à n.52. uſque ad num.56. incluſivè conſilia perfectionis.97.b.

Conſtituendi vocabulum quid notet.277.a.

Continentia meritoria an ſit ſingularis gloria.164.a. virginitatis an donum ſingulare.167.a.b. quibuſdam impoſſibilis, quibuſdam non.170.b.

Contractuum variæ ſpecies.68.b.

Contritionis requiſita quinque.219.b. quid notet. ibid. vide huc, quæ habentur in indic.general.loc.IV. de Pœnitentia à n.28.uſq; ad 41.incluſivè.

Converſionis συνεργεῖν*.203.b.* *(judiciarius.301.b.*

Creditor eſt vel privatus & pecuniarius vel publicus &

Credere & operari oppoſita.133.a. Credere & confidere an unum alterum explicet.531.a. Credere in Chriſtũ.578.a. credere Deo, credere Deum, credere in Deum differunt.422.a. Credere Eccleſiam & remiſſionem peccatorum Bellarmino quid.379.a. Credere in Chriſtum an ſemper denotet veram fidem.424.b.

Credentes in Dei timore perpetuo vivant.333.a. *(35.a.*

Crucis conſecratio.34.a. de crucis ligno canticum Eccleſia.

Culpâ remiſſâ an maneat debitum luendæ pœnæ.253.a.

Curatio per concepta quædã verba eſt ſuperſtitioſa.53.a.

Curatorum officia.62.a.

D.

Damnum datum.122.a.

Debita vocantur peccata noſtra.249.a.

Debita ſunt duplicia.301.b. A debito pecuniario ad debitum criminale non V.C.301.a.

Decalogus intelligendus eſt juxta interpretationem Prophetarum Chriſti & Apoſtolorum.22.a. In Decalogi præceptis affirmativis negativa, & in negativis affirmativa continentur.ibid. Decalogi appellatio unde deſumpta.5.a. Decalogi diviſio.p.15. & ſeqq. In diviſione Decalogi veteres non conſentiunt.21.a. Ad veram cujuſque Decalogi præcepti ſententiam inveſtigandam valde prodeſt finem ac ſcopum ejuſdem conſiderare.22.b. in Decalogo appellatione craſſioris delicti minora prohibentur, ut magnitudinem ac gravitatem eorum coram Dei judicio verè agnoſcamus.ibid. plures alias regulas Decalogi intellectum oſtendentes vide.p.22.a.b. Decalogi præfatio an conſtituat peculiare præceptũ.15.b. an præceptum de ſculptilibus à primo ſeparandum 16.a.b. tria præcepta prioris tabulæ.17.a. præceptum de ſculptilib. ad primum pertinere.ibid. cur pro hac diviſione pugnent.17.a.b. argumenta eorum qui præceptum de ſculptilibus à primo ſeparandum eſſe pugnant. pag.17. & ſeqq. Decalogus an in Catecheſi Lutheri mutilatus.21.b. alluſiones veterum ad numerum ternarium præceptorum prima tabula.21.b. de numero ſeptenario in 2.tabula 22.a. de ſingulis Decalogi præceptis vide indic.gen.Loc.I. de Lege Dei. Decalogi tabula opus Dei.12.b. lapidea.13.a. Dei digito ſcripta.13.a.b. duæ.14.b. ex utroq; latere ſcripta.13.b. tabula teſtimonii fœderis.14.a. quid de illis tandem factum.14.a. an etiam in templo ſecundo fuerint.ibid. præcepta utriuſq; tabulæ.15.a.

Decimarum oblatio.105.b. *Dedicatio imaginum.34.a.*

Delicti externi craſſioris nomine interiora delicta in Decalogo prohibentur.160.b.

Denarius numerus eſt perfectiſſimus & capaciſſimus.5.a.

Depoſitum.122.a. *Derech via.2.b.*

Deſertio bonorum à Chriſto præcepta.168.a.b.169.a.b.

Deſperatio.25.b.

Deus dicitur tradere in manum occiſoris interfectum.120.a. Deo pretium redemptionis noſtræ perſolutum eſt.296.a. Dei attributa dupliciter conſiderantur.300.

eſt

u.b. Dei veracitas.334.b. Dei opus quodlibet perfectum eſt in ſuo genere, non autẽ abſolutè.446.a. Deus ratione creationis, conſervationis & gubernationis eſt Deus omnis carnis, ſed ratione patefactionis & dilectionis peculiaris eſt tantum Eccleſiæ Deus.24.a. Deus alienus quomodo fiat.25.a. Dei cultus Gentilium.42.a. Deus incorporeus quomodo digitis ſcribat.13.b. cum ſit Spiritus, an pingi debeat.28.b.29.a.b. Deus iurat 50.b. an ſit tyranno crudelior ſi lex impoſſibilis 92.b. Deus ignoſcens quibus fuit iratus, an ſit mutabilis.190.a.b. iuſtificans nos, an nos iuſtos & ſanctos faciat.280.a. Deo quies tribuitur, ſed quomodo vide.p.56.b.

Διαθήκη.4.a.

Διὰ τὴν πίστιν & διὰ τῆς πίστεως differunt.417.a.

Dicta legalia non ſunt opponenda fidei Evangelicæ in merito Chriſti fundatæ.322.a.

Differentia toto genere non poſſunt ſeſe mutuò conſtituere vel eſſentialiter informare.368.a.

Digitus Dei.13.b. Dii alieni.37.b.

δίκαιος.65.a.

δικαιοῦν, δικαιοῦσθαι. δίκαιον εἶναι.272.a.

Dilectio Dei.24.b. Renatorũ an legem impleat.87.a.b. erga Deum & proximum an ſit legis impletio.ibid. an ſit perfecta.162.a. diligere Deum ex toto corde.89.a.

Dilectionis Dei totalitas in impletione legis triplex rigoroſè exigitur 75.b.

Dilectionis & fidei diſcrimen 364.b. Dilectio an Chriſtum apprehendat.416.b. an diſpoſitio ad iuſtificationem referri poſſit.409.b.

Dilectio noſtra non efficit nos Chriſti diſcipulos & amicos, ſed demonſtrat.87.b.

Diligere in ſacris etiam pro proſequi & amplecti uſurpatur.410.a.

Dies ſanctificandus & quidem ſeptimus.54.b. Dominicus.59 a.

Διὸ propterea, particula, non ſemper eſt cauſa meritoria ſed quandoq; conſequentiam notat.310.b.

Diſcipulorum officium.62.b.

Diſpenſatio legis de ſpuriis facta.122 b.

Diſpoſitiones Pontificiorũ ad iuſtificationem.406.& ſeqq.

Diſtingui ſæpius ſolent verſiculi, qui neceſſariò ſunt coniungenda, & contra verſiculo coniungi, qui neceſſariò ſunt diſtinguenda.20.b.

Divortia Iudæis permiſſa.123.a.

Doctrina de Chriſto fuit etiam in V.T. tradita.181.a.

Domitorum officia.62.b.

Domitianus ex quotidiano muſcas confodiendi exercitio tyrannidem didicit.56.b. Dona Dei duplicia.171.a.

Dubitationis definitio.341.b. dubitationis Pontificia deſcriptio.343.a. eiuſdem deformitas.340.b. vide & huc indicem generalem, Loco V. de Iuſtificatione per fidem, num.52.& ſeqq.

Durities cordis.123.a.

E.

Ἐὰν pro ἀλλὰ uſurpatur.384.a.

Eber ſignificat propriè tranſitum, ex quo fortè deſcendit Germanicum vber.13.b.

Ebionitæ Hæretici unà cum Dominica Chriſtiana etiam Sabbathum Iudaicum coluerunt.58.a.

Eccleſia ad totos quingentos annis in errore verſari potuerit.199.b. an poteſtatem habeat librum aliquem ſuâ naturâ apocryphum in canonem referre.371.a.

Eccleſia Romana ad imitationem cultus Levitici congeriem theatricarum ceremoniarum inſtituit.118.b.

Ἐθελοθρησκεῖαι ſunt ſpecies εἰδωλολατρείας.37.a.

Ed.70.b. Eduth.2 b.118.b.

Effectus rei non tollit formale ipſius.331.b.

Effundendi verbum.449.b.

εἰδωλοποιίαν, non verò ſimpliciter omnem εἰκονοποιίαν prohiberi.26.b.

εἰ ἄρα.356.a.

ἔλεγχος dicitur fides.329 b.

Eligere.166.a.

Elilim Deunculi, alii deducunt à vanitate ſeu ſtultitia: alii volunt dictum quaſi Al Eloa Deus.27.b.

El.47.a.

Elohacha. eſt nomen plurale cum affixo ſingulari conſtructum denotans myſterium Trinitatis, & Vnitatis in natura Divina.24.a.

ἐνηργημένο 369.a.

ἐντετυπωμένον.

Εὐαγγελία.128.b.

Eth, particula.143.a.

Εὐαγγέλιον. ibidem.

Εὐαγγελίζειν. ibidem.

Evangelii nomen ſumitur vel generaliter vel ſpecialiter: 137.a. Evangelij vox ſumitur dupliciter.p.144.a.b. 175.a. an fuerit in ſtatu innocentiæ ante lapſum.142.a.

Evangelium confertur fonti.129.b. Evangelium quandoq; ſumitur pro promiſſione de Chriſto exhibendo, quandoq; pro nuncio de Chriſto exhibito.128.a. Evangelicarum promiſſionum univerſalitas opponitur abſoluti decreti reprobatorij architectis.146.a. quæ prætereà de Evangelio huc referri poſſunt, de iis conſer Indicem generalem Loc. III. de Evangelio.

Eunuch.122.b. arcendi ab honoribus publicis.122.b.

Exauditionis promiſſa infallibilitas.338.a.

ἐξαγοράζειν talem emptionem ſeu acquiſitionem notat, in qua verum intervenit pretium.274.a.

Exceptivarum propoſitionum regula: Ab exceptiva negativa ad excluſivam affirmativam & contra ab hac ad illam V. C.383.b.& 384.a.

Excluſivarum particularum uſus.406.b.

ἐξιλάσκεσθαι quomodo à LXX. Interpretibus uſurpetur: p.294.b.

ἐξομολογήσεις, publica commendatur.228.b.

Expiare peccatum quid ſit.295.b.

Explicitè credenda particularia quænam ſint Scholaſticis.362.a.b.

F.

Favor & gratia in Latina lingua habent ſe correlativè.281.a.

Fermentum cur in ſacrificiis prohibitum.108.a.

Feſta Iudæorum.101.b.112.b.113.a.b. ſolennia tria.113.a.

Fides & bona opera in actu iuſtificationis ſunt oppoſita, extra hunc actum per ſe, abſolutè & ſimpliciter conſiderata non ſunt oppoſita, ſed ſubordinata.139.b. Fides quo pacto requirat opera.140.b. habet duplicem ἐνέργειαν. p.140.b.288.a 407.a. ab Evangelio requiritur tanquam correlatum.140.b. habet duplicem ad Evangelium reſpectum.142.a. Fides conditio nec gratuito, nec univerſalitati quicquam derogat.145.b. Fidei Etymologia quæ convenientior videatur.315.b. Fides conſideratur vel formaliter vel materialiter.316.b. Fidei notitia qualis ſit.318.b. Fidei obedientia.319. fidei iuſtificantis forma & quaſi anima eſt fiducialis Chriſti cum omnibus beneficiis in verbo Evangelij oblatis apprehenſio.321.b. non tantum eſt apprehenſiva, ſed & quietativa.p.322.a. eſſe fiduciam, prolixiſſime oſtenditur. 320.& ſeqq. eiuſdem incertitudo unde apud Pontificios oriatur.333.b. fides hypocritica quid.360.b. fidei infirmitas duplex.361.a. fides ſola iuſtificat, quamvis nunquam ſit ſola, id eſt, à bonis operibus ſeparata.361.b. fides una quâ ratione dicatur.362.a. fidei iuſtificantis forma propria & ſpecifica.364.a. fidei & charitatis diſtinctio.365.a.

Fides non eſt torpida & otioſa quædam qualitas.366.a.

fides alia eſt ſcriptura, qua creditur; alia verò eſt cordis, quâ creditur. 367.b. fides juſtificans & caritas toto genere differunt. 368.a. fides Abrahæ. 373.a. & b. fides miraculorum & fides juſtificans non ſunt eſſentialiter unum quid. 377. a. de fide quædam prædicantur ratione notitiæ, quædam ratione fiduciæ. 377.b. fides juſtificans & remiſſio peccatorum ſunt tanquam relata ſimul 381.b. fide ſolarij à Pontificiis Evangelici appellantur. 404.b. fides eſt apprehenſiva, caritas egreſſiva, ita veteres. 414.a. fides quomodo opponatur operibus. 417. a. b. fides quomodo imputetur ad juſtitiam. 417.b. duplices habet reſpectus. 418.a. cum manu comparata quomodo intelligatur. 418.b. fides tota efficacia pendet ab objecto, quod apprehendit. ibid. fides vox aliter à Jacobo quàm à Paulo accipitur. 426.a. fides per bona opera perficitur, ſed quomodo vide pag. eii. ead. col.b. fides in vita æterna quomodo ceſſatura ſit. 460.a. conſideratur vel ratione objecti vel ratione qualitatis. ibid. plura, quæ de fide huc referri poſſunt, vide in Indice generali. Loc. V. de Iuſtificatione per fidem n. 38. & ſeqq.

Fides, ſpes & caritas in hac vita an ſint perfecta. 459.b.

Fiduciæ etymologia. 320.a. an ad ſpem pertineat. 327.b. alia eſt ſpes, alia fides. 331.a. fiduciæ fundamentum an ſit in noſtris viribus. 333. a. fiducia propria recenſentur. 321.b. eſt duplex: altera legalis, altera Evangelica. 322. a. fiducia filialis. 359.a.

Fidelis appellatio ambigua. 428.a.

Fieri multa tunc dicuntur, quando facta eſſe manifeſtantur. 225.b.

Filius quomodo non portet iniquitatem patris. 48.a.

Filius Dei an ſit συναίτιον Evangelii. 141.b.

Forenſia jura ad tria in univerſum capita revocari ſolent. 123.b. forenſium legum nomina. 118. plura quæ huc referri poſſe videntur, vide in Indice generali. Loc. II. de Legibus Cer. & For. num. 24. & ſeqq.

Formatum. 366.a.

Fornicationis nomine ſæpius idololatria in ſacris indigitatur. 37.a.

Fornicatio & adulterium vinculum conjugii ſolvit. 160.a.

Fœdus gratiæ & Teſtamentum an ſint ἰσοδυναμοῦνται 180.a.

Fœmoris percuſſio. 217.a.

Fœtus informis & formati diſtinctio. 120.b.

Franciſci merita. 305.b.

Fratris demortui vidua ducenda. 120. a. conciliatur lex iſta cum illa. Lev. 18.16. ibid.

Fructus pœnitentiæ. 258.b. 259.a. fructus Spiritus S. an à lege accenſentur. 93.a.

Fumus in promulgatione legis quid notet. 12.a.

Furti nomine avaritia in 7. præcepto συνεκδοχικῶς prohibetur. 160.b. furti ſpecies variæ. 69. a. furem nocturnum occidere legibus 12. tabularum licitum. 121.b. vide & huc indicem generalem. Loc. I. de Lege num. 37.

Futurum in generali ſententia ex Hebræorum idiotiſmo pro præſenti continuo uſurpatur. 367.a.

G.

GAnâbh. 68.b.

Gentiles idololatræ. 41.b.

Genus ſemper continet ſpecies. 22.a.

Gloria Dei finis Evangelii. 148.a.b.

Gloriatio alia eſt bona conſcientia: alia juſtitia propria. 389.a. omnis gloriatio en articulo juſtificationis excluſa. 388.b.

Glorificant Deum & fides & opera ſed diverſo modo. 396.b.

Gratia. 154 a. Dei alia renovationis, alia remiſſionis. 284.b. Dei in articulo juſtificationis quid. 279 b. gratiæ vocabulum quid ſignificârit apud Veteres. 281.b. Gratiâ affirmatâ negatur meritum, affirmato merito, negatur gratia. 393.a. Argumenta gratiæ incertitudinē ſtabilientium. 350.b. gratia comparatur pignori, unctioni & ſemini. 286.b. vide etiam huc indicem generalem Loc. V. de Iuſtificatione per fidem num. 8. & ſeqq.

Gratis particula noſtram dignitatem, noſtra merita, & noſtram ſatisfactionem excludit, nequaquam verò Chriſti ſatisfactionem e medio tollit. 301 b.

Guido Fabric. corrupit text. Gen. 3.4.

H.

HAbitus omnis conſtat formâ ſuâ propriâ & contrâ Nullus habitus conſtat duabus formis. 368.a.

Habitus diſparati de ſe non poſſunt prædicari. ibid.

Harſchiah. 275.b.

Heu particula. 356.a.

Hæmorrhoiſſæ ſtatua ænea. 44.b.

Hieroſolymitanum templum typus Eccleſiæ. 112.b.

Hilaskeſdai ἱλάσκεσθαι quomodo à LXX. Interpp. uſurpetur. 294.b.

Hiſtoriæ quædā ſunt legales, quædā ſunt Evāgelicæ. 374.b.

Hithaveh. 19.b.

Hizdik quid notet. 273.b.

Holocauſtum. 104.b. fuit typus unici illius propitiatorii ſacrificii à Chriſto in ara crucis offerendi. ibid.

Homicidium caſuale. 65. b. homicidia caſualia duplicis ſunt generis. ibid. homicidium defenſorium. ibi. duplex eſt. ibid.

Homo Dei imago. 96. b. an poſſit plus facere quàm debet. 164. b. propter quid juſtificetur & per quid. 450.a.b. an ſit ſui ipſius Redemptor & Salvator. 461.b.

Honorari impropriè. 38.b.

Humicubatio in vera pœnitentia uſitata. 216.b.

Humilitas. 24.b.

Hypocritæ cur fructum ſacramenti non percipiant. 214 a

Hypoſtaſis ὑπόστασις quid ſignificet. 320.b.

Hyſſopus. 115.b.

I.

IAcobææ Epiſtolæ autoritas. 425. b. analyſis capitis ſecundi. 426.a.

Iadâb. 317.a. Iarâh 156.b. Iehova nomen. 23.b.

Iejunium pœnitentiæ. 216.b.

Ieruſalem in medio ferè τῆς οἰκουμένης ſita fuit. 100.a.

Idolothytum. 158.b.

Idola dii alieni. 17.b. quid. 25.a.

Idolum vocabulum relativum. 25.b. Idolorum ſtatuæ dicuntur aſſervatæ, ut eſſent idolomaniæ teſtes. 45. a. idolorum duo genera apud Hebræos. 41.b.

Idololatriæ ſpecies duplex. 25.a. definitio Pontificia. 35.a. vera. ibid. idololatria & adulterij cognatio. 68.a. Idololatriæ reus Carpocrates. 37.a. idololatriæ deſcriptiones. 37.a. idololatrarum exempla. 40.a. pœna idololatriæ. 119. a. ſuſpicionem Pontificij ſed fruſtra à ſe amoliri conantur. 32 b. idololatriæ ſpecies variæ. 25.a.

Ignis in quo deſcendit Iehova in promulgatione legis. 12.a.

Ignit in nube. 12.a. Ignorantia Dei. 25 b.

Iirath Iehovah. 2.b. ἱλαστήριον. 295.a.

Imlô. 384.a.

Imago Dei in homine accidens. 96.b.

Imagines quatenus prohibitæ. 17.b. imagines & εἴδωλα an differant. 35.b. à Deo factæ. 28.a. à natura. ib. Exceptiones adverſariorum. 1. in templo prohibitas fuiſſe. 28. b.

ſtationes Dei non licere depingere.29.a. 3.mandatum de fabricandis imaginibus fuiſſe ſpeciale.29.b. 4.imagines illas non facile trahi potuiſſe ad idololatriam. ibidem.5.Veteris Teſtamenti fuiſſe typicas.30.a.

Imaginum variæ ſpecies.30.a.quibus conditionibus haberi poſſint.30.b.uſus earum indifferens.30.b. ex Papatu ſuperſtites an removendæ.31.a. cur earum uſu defendatur.31. a. b. imagines coli prohibitum.31.b. propugnatores cultus imaginum.32.a. argumenta contra religioſum cultum imaginum. 32.b.an per cultum imaginum committatur idololatria.32.b. praxis Papatus in colendis imaginibus. 34. a. Bellarmini opinio de cultu imaginum.38. a. cultus analogicus an imaginibus debitus.38.b.39.a. Exceptiones adverſariorum.39. a. argumenta per cultum imaginum committi idololatriam, oſtendentia.39. b. dicta ſcriptura pro ſtabiliendo imaginum cultu à Bellarmino allata.42.b.43.a. b.pro hac ſententia Bellarminus adfert argumentum ex Conciliis & Patribus.43.b. ex miraculis producit argumentum IV. 44.a. quintum argumentum ex rationibus profert.44.b. Imago Regis Venerabilis.45.a. Imagines,quæ ad cultum religioſum fiunt & uſurpantur,in ſcripturis dicuntur Dii alieni.18.b. Imaginum cultus ſeu ratio exprimendi & colendi Deum ſub ſpecie imaginum Ægyptiis uſitatiſſima.25.b.imaginum cultum cur in ſolenni legis ſuæ promulgatione prohibere Deus voluerit.25. b. de imaginibus diſputatio ſuperioribus ſeculis & tempore noſtro magnas Eccleſiæ turbas dedit.25.b.imaginum uſum,ſi abſit cultus idololatricus, in templis licitum eſſe probatur.28.a. imaginum utilitas in templis.31.a.imaginum uſus in primitiva Eccleſia.31.b.de cultu imaginum Scholaſticorum diſputationes variæ ſunt.33.a. b. Imaginum conſecrationis ſeu benedictionis formula.34.a.b. imaginis Mariæ conſecratio.34.b. imaginis Iohannis conſecratio.ibid. imago una apud Pontificios magis frequentatur quam alia,propter varias cauſas.34. b. imaginibus Pontificii tribuunt efficaciam aliquam.35.a.

Immunditiæs Levitica.114.

Impatientia.25.b.

Impetratio & meritum differunt.419.a.

Implicita fides.362.a.

Impœnitentis vita.268.a.

Impoſſibilia an obligent.92.a. cur Deus præceperit.92.b.

Imprecationes parentum ſuum quandoq; ſortiuntur effectum.62.a.

Imputationis vox enucleatur.456.b.457.a.b.

Imputatio juſtitiæ qualis ſit.432. a. b. eſt duplex:una ſecundùm debitum altera ſecundùm gratiam. 432. b. modus imputationis geminus eſt.431.a.alia divina,alia humana.433.b. imputatio Chriſti juſtitiæ an juſtificatio noſtra.432.a. imputatio quid.432.b.imputata juſtitia. 457. a. b. imputatio an veritati opponatur. 459.b.463.b. an ſatisfactio Chriſti non vero ejus juſtitia nobis imputetur.457. b. phraſis æquipollentes,quæ deſcribunt juſtitiæ imputationem.458. a. an in ſcriptura & Patribus teſtimonium habeat.458.b.an illius imputationis nulla ſit neceſſitas.459. b. an fieri poſſit, ut Chriſti juſtitia nobis imputetur.460.b. juſtitia imputata quomodo in ſcripturis appelletur. ibid. Chriſti merita an nobis imputentur.461.a.b.imputata Chriſti juſtitiâ an non minùs ſimus juſti,ac ipſe Chriſtus.461. b.an repugnet honori Chriſti In Adam nos non imputatam ſed veram juſtitiam amiſiſſe.462.a.

Incarnationis & mortis Chriſti neceſſitas.253.a.

Indignitati opponenda gratiæ promiſſio.145.b.

Indulgentiæ Papales.260.refutantur pag.ead.col.b. propugnantur.263.a. Indulgentia quid in primitiva Eccleſia fuerit.264.a.

Incredulitatis materiale & formale differunt.176.a.

Incredulitas in malis an à Spiritu S.arguatur.

Induere novum hominem.438.a.indumenti ſimilitudo ad juſtificationem accommodatur.ibid.

Infidelibus an peccata remittantur per baptiſmum.199.a.

Infuſio caritatis & infuſio gratiæ an ταυτὸ τὶ.449.b.

Ingredi in congregationem Domini.122.b.

Inſolentia Phariſaica & fiducia Chriſtiana differunt. pagina.359.a.

Intellectus captivatio.331.b.

Invocatio circa altaria valde uſitata fuit apud Patriarchas 6.b.

Johannis Evangelium an collo geſtandum.147.b.

Johannes Agricola Antinomorum ἔξαρχος.174.a.

Ira Dei an in Evangelio reveletur.136.a.

Ira etiam in Vet. Teſt. prohibita.159.a.

Iſcbah.104.b.

Iſraelitæ idololatræ.41.a.

Jubilæus V.T.113.b.Papalis.264.a.Chriſtianus.264.b.

Judaica Politia divinitus inſtituta cauſa.100.a.

Judiciaria quadam poteſtas an Miniſtris data.

Judicium extremum piis eſt dies redemptionis & refrigerii, impiis vero & incredulis dies iræ & ultionis, dies judicii & damnationis.136.b. de judicio extremo articulus quo reſpectu ad Evangelium pertineat. ibid.

Judicialis proceſſus in articulo juſtificationis opponitur Epicuræa & Phariſaica peccati extenuationi. pagina.274.a.

Judæ pœnitentia.214.a.b.

Judæorum fabula ridicula de clangore buccinæ in monte Sinai circa promulgationem legis audito.12.a.

Judæus quidam die Sabbathi in latrinam lapſus extrahi eodem die noluit.60.b.

Judicia civilia, ob crimen læſæ Majeſtatis etiam liberos pœnâ dignos agnoſcunt.48.b.

Juſtitia Dei.148.b.fidei.132. b. juſtitia Dei an ipſius miſericordia opponatur. 299. a. an ſit effectus voluntatis Dei.ibid. juſtitia divina an proprium ſit peccata punire.300.a.

Juſtitiam, per quid Chriſtus nobis promeruerit.307.a.an habitualis Chriſti juſtitia à cauſa meritoria excludet. ibidem. error Piſcatoris de cauſa meritoria.pagin.ead. col.b.ſtatus controverſiæ.308.b. erroris occaſio.ibidem. refutatur.309.a.b.Exceptiones Piſcatoris. 1.Chriſtus ſpeciali Patris mandato ſeſe ſubjecit. 310. a. 2. pro ſeipſo implevit legem. 310. a. b. 3. factus eſt ſub lege tantùm ratione paſſionis.311.a. 4. nomine obœdientiæ intelligi paſſionem Chriſti.ibid. 5. ſanctam vitam Chriſti nuſpiam referri ad cauſam meritoriam. ibid. 6. Chriſtum eſſe finem legis,quia leges ceremoniales abolevit.311.b. 7. Chriſtum factum eſſe nobis juſtitiam per ſacrificium mortis. ibid. teſtimonia veterum.312.a.b. Piſcatoris ſophiſmata.pag.ead.col.b. 1. ſcripturam nuſpiam mentionem facere obœdientiæ activæ.312. b. 2. Chriſtus ut verus homo tenebatur obœdire Deo.313.a. 3. non opus fuiſſe Chriſtum pro nobis mori.pag. ead.col.b. 4. legem obligare vel ad pœnam,vel ad obœdientiam.113.b.114.a. 5. nos non teneremur obœdire legi. 314. a. 6. Chriſtum unicâ oblatione conſummaviſſe ſanctificandos.ibid.

Juſtitiæ & gratiæ certitudo.332.b.

Juſtitia legis.387. a. ex lege & ex fide.390.a.Juſtitia Dei quid.281.b.triplex.137.a. Chriſti juſtitia quomodo dicatur noſtra juſtitia. 435. a. juſtitia debet exactè reſpondere legi.445.b.habitualis qua opus Dei,an ſit perfecta.ib.juſtitiæ variæ ſpecies.450.b. Bellarmini pro juſtitia inhærente argumẽta.p.451.& ſeqq.alia imputata alia inhærens 452.b.juſtitia legis tripliciter accipitur. 176.b.Juſtitia fidei ſeu Evangelica reſpectu noſtri eſt in

tertia conjugatione, id eſt, imputativa: reſpectu verò Mediatoris eſt in prima conjugatione, id eſt, poſitiva. 272. b. juſtitia & miſericordia Dei vocabula in articulo juſtificationis Interpp. invicem frequenter commutant. 281. b. juſtitia judiciaria ſeu vindicatrix puniens impios & infideles, contra verò liberans inſontes & credentes non quidem contradictoriè, ſed tamen privativè & contrariò opponitur divinæ miſericordiæ. 299. a. juſtitia legis, & juſtitia ex lege ſive in lege nulla eſt diſtinctio. 387. a. ut quidem diſtinctio hæc à Bellarmino applicatur. Juſtitia legis & juſtitia Evangelii: juſtitia operum & juſtitia fidei verè & Apoſtolicè diſtinguuntur. ibid. juſtitia Chriſti eſt vel perſonæ: vel officii. 463. b. juſtitia legis quotupliciter accipiatur. 176. b.

Juſtificandi vox quid propriè & in genere notet. 273. a. Juſtificari a vel coram Domino quid denotet. 272. b. juſtificari in Domino quid notet. ibid. juſtificari in nomine Chriſti quid ſit. 276. a. Juſtificatio gratuita excludit quidem opera ab ipſo juſtificationis actu, non tamen excludit ea à juſtificatis. 393. a. juſtificatio quomodo fiat. 415. b. juſtificationis vox aliter à Iacobo, quàm à Paulo accipitur. 426. a. Iacobi & Pauli collatio in doctrina de juſtificatione. 427. a. b. juſtificationis & renovationis differentia 455. a. Juſtificationis modus non eſt æſtimandus ex regulis Phyſicis. 460. b. juſtificat Deus efficienter & principaliter: Miniſtri verò Dei organicè & inſtrumentaliter. 277. b. Plura alia, quæ de juſtificatione huc referri poſſent, vide in indice generali Loc. V. de Juſtificatione per fidem.

Juſtificati & juſti & peccatores dicuntur. 460. b.

Juſto quomodo non ſit lex poſita. 96. a.

Jumentorum quies à Deo cur præcepta. 56. b.

Jurandi mos Patriarcharum. 6. b.

Jurare per nomen Dei. 6. b. jurare an licitum. 50. b. juramenti comites. 50. b. juramenta licita. 51. b. 52. a. illicita. 52. b. juramentum legitimum eſt virtus ſecundi præcepti. 51. a. oritur ex recta in Deum fide. ibidem. eſt pars cultus divini. ibid. facit ad gloriam Dei illuſtrandam & proximi ſalutem promovendam. ibid. Anabaptiſtarum exceptiones. 51. a. b.

Juramentum in N. T. an ſit prohibitum. 51. b. varia juramenti ſpecies. 52. a. de juramento latroni dato. 53. b. juramentum hoſti præſtitum ſervandum. ibid. juramenti formula per creaturas Status Auguſtanæ confeſſioni addicti non recipiunt. 52. b. Jurare per Deum & per Evangelium in pacificatione Religionis Paſſavienſi Aſſeſſoribus in Camera Imperiali vel cauſis ibidem agentibus aut defendentibus liberum fuit relictum. 52. b. confer huc quoq; indicem generalem, Loc. I. de Lege Dei. num. 16.

Juvenis dives apud Matthæum à Chriſto dilectus. 168. a. b.

K.

KIbbed. 61. a.

Kinne verbum Hebræum ſignificans zelum habere. 47. a. inde vox קַנָּא zelotem denotans. ibid.

L.

LAborandum ſex dieb. 55. a. Labrum æneum. 111. a.

Lacryma pœnitentium. 216. a.

Lacedæmonij furta ingenioſa laudarunt. 69. b.

Lacrymas loqui coram Deo. 196. a.

Lamina aurea, quam in fronte geſtabat Summus Sacerdos, inſcripta erant hæc verba: Sanctitas Domini ad denotandam Chriſti ſanctitatem. 102. a.

Λατρεία. 4. a.

Lazari vincula an diſcipuli an verò alij ſolverint. 243. b.

Legi obedientiam præſtandi neceſſitas. 97. b.

Lex moralis quid ſit. 98. a. b. legis moralis diſcrimen à forenſibus & ceremonialibus. 99. a. κριτήρια, ex quibus deprehendi poteſt, quæ præcepta ad legem moralem, quæ ad forenſem vel ceremonialem pertineant. 100. a. Legis ambiguitas diligenter eſt evolvenda propter varias, quas in ſacris literis obtinet, ſignificationes. 1. b. Lex naturæ & lex moralis in natura integra idem omnino erant, ſed in natura corrupta magna pars legis Naturalis per peccatum obſcurata eſt. 4. b. in legis promulgatione Mediator fuit Moſes. 11. b. quo pacto autem fuerit Mediator. 11. b. cur non prius lex repetita? ibid. quare tonitrua, fulgura, clangor buccinæ, ignis &c. in promulgatione legis fuerint adhibita. ibid. lex cur in tabulis lapideis ſcripta. 13. a. lex accuſat non ſolum opera mala, ſed etiam illud malum, quod bonis operibus renatorum adhæret. 22. b. legis impletio requirit perfectionem eſſentialem, integralem & accidentalem. 75. b. Legis concionis adminicula. 218. a. Legis impletionem vult probare Bellarminus. 1. dictis ſcripturæ. 86. a. b. 2. dictis Patrũ. 91. b. 3. rationibus. 92. a. b. Lex. 1. eſt ſpeculum juſtitiæ, ſanctitatis & perfectionis divinæ. 2. eſt ſpeculum primævæ hominis juſtitiæ. 96. b. 3. eſt ſpeculũ corruptionis per lapſum πρωτοπλάστων in naturam humanam introductæ. 97. a. 4. eſt ſpeculum perfectiſſimæ illius, quam Chriſtus Mediator noſtri loco præſtitit, obedientiæ. ibid. 5. eſt ſpeculum vitæ piæ & ſanctæ à renatis ducendæ ibid. 6. denique eſt ſpeculum perfectionis in vita æterna expectandæ. 97. b. Leges Ceremoniales & Forenſes nihil aliud ſunt quàm legis moralis appendices. 99. a. Leges Ceremoniales ſunt exercitia primæ tabulæ. ibid. leges verò Forenſes ſunt exercitia ſecundæ tabulæ. ibid. legum ceremonialium & forenſium differentia. ibid. Leges quædam forenſes præcipiunt aliquid per ſe & ſuo genere bonum: quædam verò ad præcavendum majus malum id, quod per ſe & ſuo genere non bonum, permittunt. 123. a. leges quædam forenſes ad partem quandam legis Ceremonialis ſuum habuerunt reſpectum, ſuam ex ea dependentiam. 125. b. lex & Evangelium in Eccleſia meritò proponenda veniunt. 127. a. Leges Romanæ Moſaicis præferuntur non ſimplici collatione, ſed temporum, loci & gentis conditione. 125. b. lex moralis conſideratur dupliciter. 181. a. lex poſt ſtatum lapſus obligat & ad obedientiam & ad pœnam. 314. a. legis impletio alio modo tribuitur caritati, alio modo fidei. 396. a. plura de Lege Dei huc pertinentia vide in Indice Generali Loc. I. de Lege Dei.

Lex ſpecialis de non comedendo vetitæ arboris fructu cur data. 97. a. Lex naturæ, Moſis & fidei. 146. b. Lex an veniat ſola, Evangelium autem cum gratia. 154. a. lex fidei. 156. b. Chriſti. 157. a. leges novas an Chriſtus tradiderit. 155. a. lex an incredulitatẽ arguat, cùm ignoret Chriſtum. 176. a. lex alia ſola, alia Evangelij luce illuſtrata. ibid. an ſeipſam accuſet. 176. b. legi an teneantur obœdire à Chriſto redempti. 314. a. lex factorum & fidei. 336. b.

Lehrgeſetze. 123. a.

Leproſi Marci. 1. fides. 376. a. Leproſi ſanatio quid myſticè notet. 115. 116. a.

Levare manum ſuam ad Jehovaam, phraſis ſcripturæ ſignificans jurare per nomen Jehova. 6. b.

Leviticum Sacerdotium totum fuit typus Chriſti. 243. a.

Liber de paſſione imaginis. 44. b.

Liberatio noſtra facta dupliciter. 248. a.

Liberatio alia eſt à periculis corporis, alia à peccatis & pœnis animæ 322. b.

Liberi morigeri cur quandoq; non longævi. 63. a. liberis carere in V. T. fuit opprobrium. 165. b.

Liberorum officium. 62. a.

Libidines vagæ puniuntur. 8. a. b.

Ligaturarum & characterum uſus an approbandus. 53. b.

Ligna Sittim. 108. b.

Lingaa nobile hominis membrum.23.a.
Loca ſacra V.T.112.a. λόγιι appellatio.141.a.b.
Longævitatis promiſſio.61.a. λογίζεσθαι.456.b.
Lupanaria an toleranda.67.a.
Lutherus an negaverit pœnitentiam eſſe dolorem de vita præterita ... ipſius Catecheſis an mutilata.21.b. cum præceptum de idolis omittatur.ib. cur in ſingulis præceptis repetat: Debemus Deum timere ac 22.b. Doctrinæ Evangelicæ repurgator.142 a. quatenus ſervilem improbet timorem.228.a. quomodo Mariæ ſanctos æquiparit.446.b.
λύτρον *an ſit metaphoricum.296.a. non Satanæ ſed Deo perſolutum.296.a. Chriſti eſſe bonam infinitam.301.b.*

M.

MÆchiæ appellatione quid notetur.160.a.
Magi puniendi.119.a.
Magiſtratui etiam Ethnico obediendum.124.a. an vindicta prohibita.159.b.
Μακροβιότης *an beneficij loco habeada.62.b.*
Mandatum ſecundum ſimile primo 23.a. novum.157.a. mandata Dei quomodo gravia & non gravia.86.b. quomodo poſſibilia.91.b.
Mandata jubentia Rabini recenſent.248.prohibentia vero numero.365.
Manna fuit typus Chriſti.109.b.à quibuſdam confertur cum Evangelio. ibid.
Manichæi capite plectendi.119.a.
Manumiſſio ſervorum.119.a.b.
Manuum impoſitio uſurpata.194.a.
Manuum ſuper caput poſitio doloris ſignum.216.b.
Maria an fuerit adjutrix Chriſti in opere redemptionis.304.b.
Matris expreſſè fit mentio in quarto præcepto.61.a.
Mechokek.123.b. *Mechokkim.101.a.*
Medici curationem per concepta verba probantes inconſideratè agant.53.b.
Mediator quomodo ipſis Neophotinianis dicatur Chriſtus.292.b.
Membrorum ſuorum Dominus nemo eſt. 64.b.
Mementote.54.a.
Mendacium an omne peccatum.71.b. perniciosum, jocoſum, officioſum.ib. exempla officioſi.72.a. etiam in V.T. prohibitum.160.b.
Menſa aurea.110.b. *Menſtruata mulier.116.a.*
Mercator Placentinus.362.b.
Merces alia eſt ſecundum gratiam, alia ſecundum debitum.172.a.
Meretricum potentia quæ fuerit Romæ.67.b. ingens earundem copia. ibid.
Meriti Chriſti unde æſtimanda infinitas.301.b. meritum Chriſti & ſanctorum an conjungenda 305.b. meritum congrui an Concil. Trident. docuerit.393.b. ſtatuunt Scholaſtici in operibus ſine gratia factis. 394.a.
Merita & ſtigmata S. Franciſci.305.b.
Merita S. Claræ. ibid. *Meſchubáh.185.b.*
Μεταμελεῖν.185.a. Μεταμέλεια.ibid.
Μεταμελείας & Μετανοίας *diſtinctio 185.a.b.*
Μετάνοια.185.a. Μετανοεῖν. ibid.
Mi jodéah. Quis ſcient. 356.a.
Μία σαββάτων *una Sabbathorum.59.a.*
Micha idololatra. 41.a.
Militia ſpiritualis impedimentum.120.b.
Mincha Speiſsopffer ſacrificij ſpecies. 104.a.105.a.
Miniſtrorum verbi officium.57.b.
Miracula per imagines ſanctorum facta.44.a. articulum fidei non conſtituunt.245.b.
Miſericordia Dei.148.b. an eſſentialis Dei proprietas. 300.a. an in concionibus Petri & Pauli ſit ullum verbum de ſpeciali Dei miſericordia.377.b.378.a. Miſericordia Dei peccata remittentis & condonantis eſt gratuita, non autem abſoluta, quæ nullum habeat reſpectum ad Chriſti meritum.301.b.
Miſericordia erga animalia.116.b.
Miſchpatim.101.a.118.b. *Mitzvah. 2.b.*
Moralis lex in Nov. Teſt. non abrogata.126.a. ſed ſaltem modo aliquo.pag.ead.col.b.
Mors pro nobis, & mors pro peccatis noſtris, quomodo phraſes de Chriſto dicantur.292.b.
Mors Chriſti ſatisfactoria an debuerit eſſe æterna. 301.b.
Mors præmatura.63.a. *Morticinii eſus.116.b.*
Mortui hominis corpus tangens in V.T. pro immundo habebatur.pag.ead.col a.
Mortificatio & vivificatio an partes pœnitentiæ.211.b.
Μοχθολατρεία. 40. a.b.
Moſes mediator in promulgatione legis. p. 11.b. doctor & legiſlator. pag.144.b. duplicem ſuſtinuit perſonam 123.a. ipſius miniſterium & Chriſti officium diſtinguendum. 155.a. fuit Miniſter Veteris & Propheta Nov. Teſtam.181.a.
Motus montis in promulgatione legis quid notet.12.a.
Muads.350.b.351.a. Mutuum.122.a.

N.

NAáph. 66.a. *Nachám. 185.b.*
Nakah innocens fuit.49.b.
Naſáh.49.b 297.b. *Natus ex Deo an peccat.93.b.*
Natura alia inſtituta alia deſtituta.92.a.
Neomenia. p.112.b.
Nectarius abrogavit confeſſionem auricularem.239.b.
Nicænum Concilium II. valde turbulentum fuit.44.a.
Niſi particula, quando ſumatur excluſive.384.a.
Nizzel.69.b.
Noah θυγατρόγαμος*. 8.b. ipſius fides.330.a.*
Nocturna pollutio, num ſit peccatum.68.a.
Nomen Dei quid notet.49.a.148.b.
Νόμιμον *Statutum legale.101.a.* Νομοθεσία.4.a.
Non facies omne opus.55.b.
Novatianorum error.187.b.188 a. illius αἵρεσις.188. b. damnatus.ibid. ipſorum argumenta.189.a b.
Novum Teſtamentum an nova mandata contineat.153.b.
Nubes denſa ac caliginoſa in promulgatione legis.12.a.

O.

OBedientia Chriſti Mediatoris. 311. a. obedientiam Chriſti activam & paſſivam divellere eſt rerum ordinem invertere 313.a. obedientia Chriſti eſt cauſa meritoria & cauſa formalis diverſo ſc. reſpectu:434.a. obedientiæ nomine an paſſio Chriſti intelligatur.314.b. activa Chriſti an ſcriptura mentionem faciat.312.b.
Obedimus Chriſto dupliciter.88.a.b.
Obedientia duplex eſt, una legalis: altera Evangelica. pag.322.a.
Obedientia non tantum externa, ſed & interna in præceptis Decalogi requiritur.22.a. Non interior ſolum qualiſcunque obedientia ſed perfecta ac numeris gradibusve omnibus abſoluta in lege requiritur. ibid. Obedientia reliquorum præceptorum ortum ac ſcaturiginem ducat ex obedientia primi præcepti.22.b. obedientia primæ tabulæ derogat ſecundæ ibid. obedientia conditionem an requirat Evangelium.
Objectum aliud materiale, aliud formale.370.b.
Oblatio pro peccato.104.b. pro delicto.ibid.
Obſervantiæ privatæ Iudæorum in V.Teſt.113.b.
Odiſſe phraſis ſcripturæ.49.a.62.b. *Oemunah.320.b.*
Olam non ſemper accipitur de infinita æternitate, ſed quodcunque temporis longioris ſpatium quandoque exprimit.118.b.

Oláh ſacrificii ſpecies.104.a. oláh thamid juge ſacrificium pag. eád. col.b. Oláh millium ſacrificij ſpecies.104.b.
Oleum virginum fatuarum.428.b.
Ὀλιγόπιστοι.361.a.
Opera vocationis facienda.55.a. qualia die Sabbathi licita.55.b. quæ illicita. ibid. Oeconomica & Politica an ſimpliciter Sabbatho prohibita.60.a.
Opera ſupererogationis.161.a.
Opera noſtra an vim habeant ſatisfaciendi ex paſſione Chriſti.249.a. quomodo Chriſti ſanguine tincta . . opera quænam excludantur in articulo juſtificationis 385.a.b 386.a.a.b. Exceptiones Bellarm.386.b.
Opera legis dupliciter accipiuntur.220.b.
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa ſervato tamen ordine & diſcrimine perſonarum.279.a.
Opera Dei ſunt perfecta. 446.a. Opera Sanctorum ſunt imperfecta 261.a.
Operatur an paſſivum ſit.368.b.369.a.
Oppoſitorum ea eſt natura, ut poſito uno tollatur alterum. pag.383.b.
Oratio credentis quomodo peccatorum veniam accipiat. p.226.b. Orationis Dominicæ nulla melior explicatio quam liber pſalmorum.158.a.
Oſiandri error de cauſa formali juſtificationis.429.b.
Ovis utilitates quatuor.121.b.

P.

PAnes propoſitionis.110.b. panis facierum.110.b. Parak.225.
Paralyticus Matth.9. an nihil præter corporis ſanitatem petierit, an verò peccatu ſua confeſſus fuerit.196.a.
Parentes quomodo odio habendi.62.b. Parentes honorandi.60.b. parentum officium.61.b. eorundem negligentia.62.a. parentum percuſſores.119.b.
Parricidij pœna.ibid.
παῤῥησία.332.a. Parſimonia.69.a.
Particularitati opponenda promiſſ. univerſalitas.245.b.
Particularia quæ omnib. etiam minorib. credenda.362.a.
Particularum excluſivarum in Sacris uſus.397.b.
Paſchatis feſtum.112.b.
Paſſio & mors Chriſti quomodo & ad legem & ad Evangelium pertineant.176.b. paſſionis meditatio cauſa inſtrumentalis contritionis.218.b. Paſſio & dolores Chriſti finiti, quomodo ſint infinitum pretium pro peccatis noſtris.298.a.301.b. paſſio Chriſti an tantum ſit ſecundùm acceptionem ſatisfactio..... an totalis cauſa juſtificationis.306.b. Paſſio & mors Chriſti duplicem obtinet reſpectum.176.b. Paſſio Chriſti eſt lucidiſſimum iræ divinæ adverſus peccata noſtra ſpeculum. 218.b. Paſſiones Chriſti ſunt duplices 1. propria 2. appropriata. 263.b. Paſſio Chriſti ejusq; ſatisfactio ſeu impletio legis non ſunt duæ diſtinctæ ſpecies obedientiæ, ſed ſunt unius obedientiæ diſtinctæ partes. 313.b.
Patientia.24.b.
Patriarchæ in cultu divino divinum reſpexére mandatum.106.a.b.
Patris nomine in præcepto quarto quinam intelligantur. 60.b. quibus tribuatur.159.a.
Patrum dicta quæ videntur negare gratiæ certitudinem, quomodo intelligenda. p.357.a.b. de inhærente juſtitia. (464.a.
Patach. 320.a.
Pauperies, quam quadrupes fecerit.121.b.
Paupertas Spiritus.215.b.
Pauli & Iacobi doctrinæ de Iuſtificatione diſcrimen. pag.427.a.b.
Paulus an plus fecerit, quam ipſi præceptum fuerit.171.b. cur ſtipendium à Corinthiis non acceperit.171.b.172.a.
Peccatum an omne ex Dei odio ortum.49.a.
Peccata quotidiana an ex natura levia ſint . . . an ſolus Deus remittat.190.a. infinitum malum.269.b. quomodo gratis remittatur.300.b. tegatur.433.b. eorum remiſſio, an ſit totalis deletio.459.b.
Peccati definitio.1.a. non externa tantùm, ſed & interiora cordis peccata, adeoq; intima illa naturæ corruptio à lege accuſantur. 22.a. non ſolum peccata, ſed etiam peccatorum occaſiones lege Dei ſunt prohibita. p.56.a. Peccata mortalia & venialia in explicatione legis accuratè diſtinguenda.pag.eâd.col.b. peccatorum remiſſio duplex: authentica & miniſterialis.240.b.241.b. peccatum tollitur vide quomodo.433.b.
Pectus & armus in ſacrificiis.107.b.
Pectoris percuſſio.216.b. Peculatus.69.a.
Pentecoſtes feſtum.112.b. V. & N. collatio.11.b.
πέπεισμαι.338.b. πεποίθησις.320.a.
Per particula ſæpiſſimè in Scripturis notat cauſam efficientem. 280.a. aliquando denotat cauſam formalem.451.b.
Perfectio duplex.173.b. eſſentialis in quib. conſiſtat.174.a. Renatorum. 459.b.460.a. alia eſt abſoluta, alia κατά τι. 460.a.88.a. perfectio partium tribuitur renatis in hac vita.88.b. perfectio abſoluta ſive graduum denegatur renatis in hac vita. ibid. perfectionis pars eſt, imperfectionem agnoſcere, dictum veterum.ibid.
Perfectus quomodo quis dicatur.88.a.453.a.
Perficiendi terminus. Matth.5. eſt ambiguus.135.b.
Perjurium ſex modis committitur.50.b.
Perſicum Senatusconſultum.8.b.
Perſona ſacra in V.Teſt.101.b.
Perſonarum acceptio eſt duplex.298.a.
Peſchah ſignificat tranſgreſſionem, prævaricationem, & ut plurimùm hac voce denotare ſolet peccata ignorantiæ & infirmitatis.47.b.
Petri Pauli Vergerij Epiſcopi Juſtinopolitani ſcriptum damnatum eſt.305.b.
Phariſæi & Publicani fiducia 376.b. Phariſæus Luc.18. damnatus.440.a.
Philippi Apoſtoli filia.173.b.
Photiniani quid additum putent præcepto: I.158.a. II.ib. III.158.b. IV.159.a. V.ibid. VI.ibid. VII.159.b. VIII. 160.a. IX.160.b. X.ibid. ipſorum deliria de perfectioribus mandatis à Chriſto traditis. p.157.b. Chriſtum eſſe cauſam meritoriam juſtificationis negant. 289.b. erroris occaſio.290.b. Mediatorem Chriſtum dici volunt tantùm reſpectu prædicationis.292.b.
Pictura Bellarmino triplex.39.b.
Pictura laſciva in Italiæ templis.30.b.
Pignora.122.a. pignus dari ſolet creditori ad confirmationem ſolutionis.396.
Piſcatoris error de cauſa meritoria juſtificationis. 307.b. refutatur.309.a.312.b.
Πίστις.315.b. Πίστις ἔντεχνοι.315.a.
Πίστιν διδόναι, fidem dare.315.ibid.
Πίστις καὶ πεποίθησις unam eandemque habent originem. (320.a.
Plagij pœna.121.b.
Πληροφορία.321.a. 330.b.
Πνεύματος vox apud Iacobum quid ſignificet.427.a.
Pœna eſt vel ſupplicij, vel caſtigationis.254.b.
Pœnæ temporales, conciones pœnitentiæ.218.a.
Pœnitentia an ſit ſecunda poſt naufragium tabula.187.b. pœnitentiæ partes diverſimodè enumerantur à Pontificiis.207.a. pœnitentiæ vox eſt ἄγραφος.183.b. pœnitentia alia eſt renatorum & ſtantium, alia non renatorum. 209.b. pœnitentiæ vocabulum dupliciter accipitur.175.b. pœnitentiam prædicare duobus modis accipitur.ib. pœnitentiæ ſigna externa plura de Pœnitentia huc refer ex Indice generali Loc.IV. de Pœnitentia.
Politia Iudaica divinitus conſtituta cauſa recenſentur. pag.100.a.

Pollutio nocturna.68.a.
Pontificii negant Christum eſſe Mediatorem ſecundum utramq; naturam. 303. b. ſenſiſſe iram Dei in paſſione 304.a. perfectè pro peccatis & eorum pœnis ſatisfeciſſe. ibid. meruiſſe juſtitiam quæ fide in nobis imputetur. 304.b. ſtatuunt Mariam fuiſſe adjutricem Christi in opere redemptionis. ibidem. ſatisfactionem Christi non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam.305.a. fundamentum ſatisfactionis non quærunt in infinita vi meriti Christi. ibid. Christi merito addunt merita Sanctorum.305.b. item noſtra. ibidem. diſputant Christum ſibi aliquid promeruiſſe.306.a. Christi paſſionem non eſſe totalem cauſam juſtificationis.306.b.
Potentia divina in Evangelio revelata.148.b.
Porticus Salomonis.112 a.
Præcepta affirmativa includunt negativa & è contra. 22.a.
Præcepti I.explicatio.23.b.virtutes.24. a. peccata.25.a. appendix.25.b. præfatio.23. b. ejus generalis promiſſio & comminatio.46.b.II.49 a.virtutes.49.b. peccata. 50.a.III.54.a. virtutes.57.a.peccata.57.a.b. IV.60.b. virtutes.61.b.V.63.b.virtutes. ibid. peccata.64.a. VI. 66.a.virtutes pag.ead.col.b.peccata.ibid. VII. 68.b. virtutes.ibid.peccata.69.a.IIX 70.b.virtutes.ibidem. peccata.71.a. IX. & X.73. a. vide & hic Indicem Generalem Loc.I.de lege Dei num.13.& ſeqq.
Præceptis divinis nihil addendum.164 a.
Præceptorum divinorum oblivio proxima eſt ad tranſgreſſionem ipſorum via.54. a. præceptorum Decalogi generales regulæ ad certam atq; integram cujuſq; præcepti ſententiam pernoſcendam apprimè utiles.22.a.b. 23.a. præceptorum Decalogi noni & decimi diſtinctio non poteſt primò ac propriè ex objecto peti.73.b.præceptum de dilectione Dei eſt regula & menſura obœdientia in præceptis affirmativis, quemadmodum præceptum de non concupiſcendo eſt regula & menſura obœdientia in præceptis negativis.75.b.præcepti octavi verba deſumuntur ex ordine judiciorum divinitus inſtituto.160.b.
Præceptorum officium.62.b.
Prægnantis percuſſoris pœna.120.b.
Præmia potiſſima ac pœna differuntur ad futurum judicij diem.63.a.
Pretij perſolutio & ipſius conſequens liberatio diſtinguenda.296.a.
Primitiarum oblatio.105.a.primogenitorum redemptio. ibid.
Pro præpoſitio quinq; modis accipi ſolet.263.a.b.
Profectionis annua ad urbem Hieroſolymam cauſa finales.113.a.
Prohibitionum animalium quorundam non comedendorum ratio in V.T.fuit triplex.114.a.
Promiſſio gratiæ an fidei objectum.328.a.ſalutis in Evangelio quomodo ſit abſoluta.342.a.alia oblata, alia recepta.382.a.juſtificationis an requirat conditionem operis.394.a.
Promiſſiones conditionales an in Evangelio contineantur.137. a. Evangelij ſunt gratuitæ & univerſales. 145.b.in V. & N.T.ſunt diverſæ.152.b. an ſint abſolutæ.375.a. generales includunt ſpeciales.379 b.Promiſſionum divinarum firmitas & finis.334.a.legis & Evangelij diſcrimen.334.b.proprietas.ibidem. ὁμώνυμα cum verbo revelato.ibid.ſimilia.ibidem. Evangelii an ſint gratuita 335.a.
Promiſſio & fides ſunt correlata.334.b.
Promiſſionum humanarum ac Divinarum diſcrimen. 335.a.promiſſiones bonorum corporalium intelligenda ſunt cum exceptione caſtigationis & crucis.63.a.
Προπάθεια.20.a.
Propitiatio quid notet Socinianis.294.b.
Propitiatorium.110.a.
Propitiationis feſtum.112.b.
Proportio Arithmetica an Geometrica in pœnis irrogandis utrum ſit adhibenda.65.a.b.
Propoſitum novæ vitæ an diſpoſitio juſtificationis.411.a.
Προσάγματα.101.a.
Pſalmorum epitome melior nulla eſt, quàm oratio Dominica.158.a.
Publicani Luc.18.juſtificatio.440.a.

Q.

QVadragena quid.257 b.
Quieviſſe quomodo Deus dicatur, qui propriè non laboravit.56.b.
Quies duplex.ibid.

R.

RAbbi chaſad.47 b. *Rabbamath ibid.*
Rabini de lege Dei ante creationē mūdi condita.5.b.
Rabinorum regula.3.b. *Rabbith lethoráh.161.a.*
Rachum.47.b.
Ratione excogitata, ratione diſſolvuntur.319.b.
Reatus pœnæ an bonis operibus poſſit redimi.255.a.
Reconciliatio hominis cum Deo 244.a.b.248.a.an ſit hominum inter ſe invicem. 295. a. reconciliationem facit Deus 295.b.
Recordandi verbum cur in principio tertij præcepti ponatur.54 a.
Redemptio an ſimpliciter ſignificet liberationem. 293. b. redemptionis opus ab omnibus tribus perſonis divinitatis peractum 302.a. redemptionis vox in quæſtione de ſatisfactione Chriſti ab ipſis Neophotinianis metaphoricè accipitur. 293. b. redemptio eſt corporalis & ſpiritualis, vel ut alii diſtinguunt eſt judicialis & extra judicialis.294.a.
Refugij civitates quinq;.120.b.
Regeneratio & renovatio individuo nexu cōjūcta. 285.a.
Regenerationis vox quandoq; γένεσις quandoq; ἀνάκτισις accipitur. 452. a. regeneratio propriè ſic dicta quid cōplectatur.p ead.col.b.non accipit majus & minus.ibid.
Relatio inter verbum promiſſionis & fidem eſt perpetua. 371.b. In relato ſemper intelligitur correlatum.22.b.
Regnum cœlorum.168.a.ambiguè dicitur.153.a.
Remiſſio peccatorum alia eſt authentica.alia miniſterialis.240.b.241.b. quomodo gratis fiat.300.b.an pendeat ab enumeratione peccatorum.236.a. an ab imputatione juſtitiæ Christi differat.431.a.quomodo Deus peccata remittat.pag.eadem col.b.
Remittendi poteſtas an etiam fuerit in N.T.194.b.an Apoſtolis data.240.a.
Renati ex Deo an peccent.93.b.quomodo non ſint ſub lege. 96.a.quomodo agantur Dei Spiritu.ibid.cur ipſis proponantur conditiones mortificationis veteris hominis novæ obœdientiæ.&c.138.b. quomodo peccato mortui ſint.453.b. *Renes in ſacrificiis.108.a.*
Renovatio & juſtificatio differunt.436.a.majus & minus recipit.452.b.an juſtificatio noſtra.455.a.differunt.ib.
Repudium etiam in V.T.ab initio prohibitum.160.a.
Res ſacra in V.T.101.b. *Reſipiſcentia.184.b.*
Reſurrectio prima 186.b.187 a.
Ruminatio animalium.114 a.
Rex Regum dicitur Chriſtus.156.b.

S.

SAbal.297.b
Sabbathum Dei 55.b.quotuplex 58.a. Moſaicum.ib. annorum.ibid.terræ.ibid.creationis.ibid. redemptionis.ibid Chriſtianum.58.b.Spirituale.ibid. æternum. ibid.confer etiam Ind. Gener.Loc.I.de Lege Dei n.22.
Sabbathi vocis derivatio 58.b. Sabbathum in N.T. ſublatum eſſe ſtatuunt Photiniani.57.b.Gentilium tranſgreſſorum Sabbathi pœna à Iudæis ficta.58.a.Sabbathi violatores punien dī.419.a.
Sabbathicus fluvius Iudæorum.118.b.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotis Summi in V.T. & Chriſti collatio.105.a.b. V. & N. T. diſcrimen.102.b. Sacri indutio.215.b 216.b.

Sacramenta in publico cœtu vigeant.57.a. a ſacrificiis differunt.101.b. V.T. quomodo pertineant ad leges ceremoniales.103.a. an contineant gratiam ib. utilitas ſumendi propoſitum ini diſpoſitio juſtificationis.410.a. quomodo Lutherus ſcripſerit ea non juſtificare.416.a. finis.464.b. *Sacrificia veterum.7.a.*

Sacrificiorum diviſio.1.ex cauſa efficiente.103.b. 2. materiali.3. formali.4. finali. ibid. ex objecto, ſubjecto, adjunctis.104.a.

Sacrificiorum Leviticorum enumeratio.104.a.b.105.a.b. Abel, Noachus & reliqui Patres an habuerint divinum mandatum de ſacrificando 105.b. gratiſtā.106.b. locus.107.a. finis 107.b. quædam ἱλαςικὰ quædam ευχαριςικὰ.224.b. an fuerint ſatisfactoria.259.a. cujuſcunq; quinq; requiſita.105 b. ſacrificium juge ſignificabat, quòd fructus ſacrificij à Chriſto in ara crucis oblati duret in perpetuum.104.b. ſacrificia, ſi destructo templo adhuc offerantur, graviſſime peccatur p.107.a. de ſacrificiis poſt captivitatem Babylonicam oblatis quid ſtatuendum.107.a. ſacrificia an in ſtatu innocentiæ futura fuiſſent. ibid. ſacrificia V.T pro peccatis & delictis expiandis fuere oblata.p.296.b. ſacrificia Chriſtianorum ſpiritualia.108.b.

Sacer recordari eſt vocabulum emphaticum.54.a.

Sal in ſacrificiis.108.a.

Salus noſtra finis Evangelii.148.b. an in verbo Dei in particulari annuncietur.p.379.b. Bellarmini exceptiones.380.a. aliquando æquipollet juſtificationi.403.b.

Salvum facere quot modis dicatur.418.b.

Samſon Mediolanenſis ex venalibus Leonis X. indulgentiis ſummā 200000. ducatorum collegiſſe dicitur.265.a.

Sanctificatio populi tempore promulgandæ legis.11.a.

Sanctificatio Sabbathi.54.b. aliter Deus, aliter homines ſanctificant. ibid.

Sanctificandi vocabulum quid notet.278.a.

Sanctificatio de hominibus uſurpata quandoque accipitur pro imputatione ſanctitatis Chriſti per fidem.278.a.

Sanctificatio externa ſæpius eſt interna Symbolum.51.a.

Sanctificabit leproſum, phraſis Levitica.278.a.

Sancti jurans.51.a. Sanctum ſanctorum.108.b.109.a.b.

Sanguinis eſus 116.a. Sanguines dicuntur peccata.108 a.

Sanguinum prohibitio fuit Symbolum delictorum fugiendorum.ib. Sanguis Chriſti cor impœnitens non abluit à peccatis.268.a.

Sapientia alia hujus mundi, alia cœleſtis.319.a.

Sapientia filij.272.a. *Serith .366.a.*

Satisfactio.246.a duplex. ibid. ſatisfecit Chriſtus non tantum pro originali, ſed etiam pro actualibus peccatis.246.b argumenta pro parte negante. ibid. an Chriſtus pro pœnis peccatorum noſtrorum ſatisfecerit.247.b. an nos poſſimus ſatisfacere pro pœnis peccatorum.248.a.b. ſatisfactio coram hominibus eſt vel publica.250.a. vel privata pag. eād. col.b. Pontificiorum diſſenſiones de ſatisfactione. ibid. ſatisfaciens pro alio, an etiam pro ſe ipſo ſatisfaciat.251.b. ſatisfactio in peccato mortali facta, an iteranda. ibid. Bellarmini de ſatisfactione diſſertatio. ibid calamitates piorum an ſint ſatisfactiones.253.a.b. Reatus pœnæ an poſſit bonis operibus redimi.255.a. an opera ſatisfactionis ſponte ſuſcipi poſſint. pag. ead. colum. b. an rectè injungantur a Sacerdotibus. p.256 a.

Satisfactiones pœnitentibus in primitiva Eccleſia impoſita. 256.b. lapſi poſt baptiſmum an ipſi pro peccatis ſatisfaciant.p.256.b.257.a. opera ſatisfactoria quot ſint.257.a. an poſſimus verè Deo ſatisfacere.258.a Patrum dicta de ſatisfactione.259.a.

Satisfactio Chriſti an præbeat occaſionem ad flagitia.302. b. an ſi Chriſtus ſatisfecit, omnes ſalvarentur 303. a. quomodo Chriſtus ſua ſatisfactione dilectionem Dei promeruerit. ibid. Chriſti ſatisfactio an fuerit ſimpliciter neceſſaria.305 a. fundamentum poſitum in infinita vi meriti Chriſti.305.a. ſatisfactio Chriſti & gratuita peccatorum remiſſio ſunt ſubordinata non oppoſita.360. b.

Scabellum pedum.43.a.

Scenopegia.113.a.

Schabbar fregit.215.a.

Schaphal humilis fuit, humiliatus fuit. ibidem. ſchephal ruach, humilis Spiritu. ibidem.

Scholaſticorum ſententia de diſcrimine Vet. & Nov. Teſtamenti.152.a.

Scriptio quomodo Deo tribuatur.53.a b.

Scriptura dicuntur ſacra.43.b.

Scriptura non eſt inſolens majoris emphaſeos cauſa unum vocabulum exponere per aliud, vel duo Synonyma conjungere, aut adverbium addere nomini ejuſdem ſignificationis propter rei certitudinem. p.279.b.

Scripturæ ſacræ dictorum novæ interpretationes ex ſingularitatis & novitatis ſtudio originem ducunt. pag.308.b.

Sculptilium prohibitio ad quod præceptum pertineat.17.a.

Sebach Schelamim.104.a.

Securitas carnalis.25.b. ejus cauſa.357.a.

Sedulitas.68.b.

Septenarius numerus.47.a. *Seniorum officia.62.b.*

Septimus dies cur ſanctificationi concedatur.55.b.

Sequela à Chriſto præcepta.169.b.

Sequi Chriſtum quid ſit. ibid.

Serpens æneus.324.a.

Servetiserror.290.b.

Servi Dei ſunt omnes Chriſtiani.163.a.

Servorum officia.62.b. ſervorum duo genera apud Hebræos.119 b.

Si particula.139.b.

Sigillorum uſus.336.b. *(347.b.*

Signa quædam probabilia, quædam certa & infallibilia.

Silluk, ſive Soph paſuk non ſemper finit ſententiam.27.a.

Simulatio an omnis prohibita.72.a.

Similia 1. de immunditia operum.82.b. 2. de introductione in vitam æternam. ibid. 3. de doctrina Chriſti ejuſq; miraculis longè lateq; ſparſis.102.a. 4. de pœnitentia procraſtinatione.260.a. 5. de fide.412.a.417.b.418.a 6. de vita noſtra cum Chriſto conformitate.pag.453.b. 7. de ſanctitate Chriſti.102.a.b. alia quoq; nonnulla ſimilia. ibidem. vide 8. de particula Sola in articulo juſtificationis.406.b.

Sinecdochicæ deſcriptiones in Scriptura ſacra ſunt uſitatiſſima.214.a

Sixtus V. Pontifex Jubilæum ad annum vigeſimum reduxit.264.a.

Σελαγοκεγδία Judæorum.123.a. *Sodomia.67.a.*

Sola non determinat in propoſitione: Sola fides juſtificat, ſubjectum ſed prædicatum.383.b.405 b. argumenta propoſitionem probantia. ibid. Bellarmini exceptiones 384 b. ἀνακεφαλαίωσις argumentorum nos ſola fide juſtificari.397.b. teſtimonia veterum.p.397.& nonnullis ſeqq. Bellarmini exceptiones.403.a. confeſſio adverſariorum p. ead. col.b. antitheſis adverſariorum.404.b. an noſtrates in hac re diſſentiant.405.a. particula Sola an virtutes excludat.405.b. cur particula illa retinenda.406.a. an inveniatur in ſacris 463.b. ſola fide juſtificari, & per fidem ſine operibus ἰσοδυναμοῦντα. ibid. an ſit Dei voluntas donare juſtificationem cum ſola conditione fidei.414.b. quibus opponatur.416.a. de particula Sola in verſione Germ. Lutheri.419.a.b.

Spit

Spes an tantum Patribus V. Teſt. tribuenda, non verò fides.145.a. Spes venia Catholicis quid. 200.a. an à fide ſpes diſtinguatur.331.a.an diſpoſitio ad juſtificationem. pag.409.a.

Σφραγίζειν.336.b.

Spiritus efficacia non ſeparanda à verbo Evangelij.147.b. Spiritus S.an mundum arguat de peccato per Evangeliū.177.a.an ſit cauſa συναίτιος pœnitentia.201.b. ipſius teſtificantis in cordibus veritas.336.a.Spiritus Sanct.teſtimonium duplex eſt 337.a.

Sponſa propria pulchritudo.463.a.

Spurij an obligentur ad honorandos parentes. 62.b. Spurij homines infames.ibid. arcendi ab honoribus publicis.122.b.

Statua apud Judaos & Ethnicos Deorum nomine fuere inſignita atq; per metonymiam ſigni pro ſignato. 42.a. ſtatua anea ab Hamorrhoiſa erecta non fuit cultu religioſo honorata.44.b.hac ſtatua in oratoria Chriſtianorum per trecentos annos non fuit translata.ib.

Sterilitas in V. Teſt. opprobrium.165.b.

Stipendium cur Paulus à Corinthiis non acceperit. 171.b. 172.a.

Stupri & adulterij pœna.121.a.

Sudor pœna loco in laboribus vocationis poſt lapſum hominibus eſt impoſitus.8.b.

Supellex ſacra in tabernaculo.V.T.109.a.

Supplicia à Magiſtratu irrogata an pugnent cum quinto pracepto.65.a.

Suſpenſ.cadáver ante Solis occaſum removendum.123.a.

Συνίδρειον.101.a.

Synecdoche in propoſitione fide juſtificamur.405.b.

Syriacus textus in Novo Teſtamento non eſt praferendus Graco.369.b.

T.

TAbernaculum V. T.in tres partes erat diſtinctū. 108. 112.a.à templo differētia.112.a.b.typus Chriſti.112.b. Eccleſia militantis.ibidem.tabernaculorum feſtum. p.113.a.tabernaculum vocatur tabernaculum congregationis.112.a.habuit quatuor tegumenta. ibid. tabernaculi vela quid notent.ibid. tabernaculi partis ſecunda contenta.110.a.b. tabernaculi partis tertia contenta.111.a.b.

Tabula Decalogi pag.12.13.14.in arca fœderis repoſita quid typicè notent.109.b.

Taciturnitas. 71.a.

Τιμωρία.347.b.

Τίνα καὶ ὑιδι.272.b.

Tempora ſacra.112.b.

Templum Salomonis. p. 112.a. in tres partes diſtinctum. p.108.b.typus Eccleſia triumphantis & militantis. 112.b. typus Chriſti.ibid.ipſius pars tertia vocata fuit atrium Judaorum. 111.b.

Teraphim.37.a.

Ternarius numerus praceptorum prima tabula habet alluſiones apud veteres ad myſterium Trinitatis.21.b.

Terra expianda ritus, in qua inveniebatur interfectus. 120.b.a veteribus applicatur ad Chriſtum. ibid.

Terrores an ſit affectio naturalis.208.b.an etiam ſint terrores in non agentibus pœnitentiam.ibid. an terrores pertineant ad partes pœnitentia.207.a. an à pœnitentia diſtinguantur.207.b.

Tertia & quarta generatio.47.a.

Teſtamenti V. & N. diſcrimen.178.a.Scholaſticorum de hac re ſententia.ibid.Pontificiorum.ibid. Anabaptiſtarum & Calvinianorum.ibid. an ratione ſubſtantia unum duntaxat ſit Teſtamentum.p.178.b. Teſtamenti vocis acceptio.108.a.

Teſtimonij natura.70 b.teſtimonium unius repudiatur. 122.b. teſtimonij falſi pœna.ibid.

Theſhubah.184.a.b.185.b.

Thodáb.104.b.

Thorah vox Hebraa notans legem.1.a. generaliter pro doctrina accipitur.156.b.

Thuribulum aureum.108.b.

Thus panibus impoſitum.11a. b.

Thymiamatis nomine preces denotantur.108.b.

Timor Dei.24.b.alius filialis, alius ſervilis.227. b. an ſit diſpoſitio juſtificationis. p. 407.b.an per timorem ad Deum accedamus.408.a. an per eundem Chriſtus in nobis informetur.498.b.timor Dei non opponitur filiali fiducia Spiritus.333.a.timor & tremor in articulo juſtificationis quid notent.357.a. timor Domini quomodo vivificet. 409.a.

Tintinnabula aurea in ora pallij Sacerdotalis quid notent. p.102.a.

Totum quid.77.a.

Traditiones humana an fidei objectum.319.b.

Triſtitia alia eſt ſecundùm Deum: alia eſt hujus ſeculi. p.207.b.

Tubarum feſtum.113.a.

Tunica byſſina inconſutilis candidiſſima Sacerdotis in V. Teſt. innocentiam Chriſti denotat.102.b.

Tutorum officia. 62.a.

Tzebbach ſchelamim.104.a.105.a.

V.

VAcca ruſa.116.a.

In vanum ſumere.49.b.

Vas teſtaceum.115.b.

Verbum an charitate impleatur.395.a.

Verbum Dei ſervare.460.a.

Verba notitia apud Hebraos connotant affectum cordis. 278.a.328.b.331.b.376.a.

Verbum ἀκουστὸν καὶ ὁρατὸν *eſt cauſa inſtrumentalis juſtificationis.315.a.*

Veritas Dei in Evangelio revelata.148.b.

Veronica imago.35.a.

Verſio vulgata, pluribus in locis excluſivam majoris emphaſeos gratia inſerit.419.b.

Veſtes ſummi Sacerdotis.101.a.

Veſtis nuptialis.428.a.b.

Veſtium ſciſſio in luctu uſitata.p.216.b.etiam in pœnitentia adhibita.ibid.

Veſtium externa ablutio aliquando interioris purgationis à vitiis eſt Symbolum.11.a.

Veteris Teſtamenti doctrina an ſit imperfecta.152.b.

Vias Dei cuſtodire ſecundùm Auguſtinum quid ſit. 89.b.

Videndi vox.193.a.

Vindicta an omnis prohibita.159.b. alia publica, alia privata.159.b.

Virga Aaronis eſt typus Chriſti.109.b.

Chriſti Paſtoris duplex.127.a.

Virginitatis ſigna.121.a.

Virgines in Scriptura quanam.172.b.

Virtutes ſingulorum praceptorum Decalogi vide in lit. P. in voce praceptum.

Vita Chriſti perfectiſſima.97.a.

Vita ſpiritualis an tantùm initium à fide ducat. 366. a. an continuetur per fidem cum charitate conjunctam. p.391.b.

Vitia omnium & ſingulorum praceptorum Decalogi vide in lit.P.in voce Praceptum

Vitulus aureus.25.a. duo à Ieroboamo facti.41.b.

Vivere ex fide & vivere dignè Evangelio hac non ſunt Synonyma.367.b.

Vivifi-

Vivificare animam. 224.a.
Vias particula Hebræa.356.a.
Vngula bifida.114.a.
Vniverſalis particula ſæpe ad ſubjectam materiam reſtringenda.51.b.
Vocabula in omnibus linguis à ſpecie transferuntur ad genus. 273.a.
Voluntas hominis an ſit συνάιτιον pœnitentia.202.b.
Voluntatis noſtræ nomine non prava ſolum deſideria ſed etiam ſuperſtitioſa ἐθελοθρησκείας intelliguntur. pag.55.b.
Vox Dei.10.b.
Vrna aurea. pag. 109.a. an etiam ſuerit in arca fœderis. p. 109.a.b.
Vrim & Thummim.14.b.102.a.
Vſura.122 a.
Vtenſilia ſacra.108.b.

W.

Wehrgeſetze.123.a.

Y.

ὑπόστασις.326 b.

Z.

Zadak de hujus vocis ſignificatione: vide pag.272.a.
Zedek.2.b.
Zelotes 47.a.
Zelotypia quâ ratione Deo tribuatur.48.a.
Zelare pro gloria nominis Dei.50.a.

Finis Indicis Quarti, TOMI III.

Errata Tomi III.

PAg 14.b.lin.2.pro Iaril lege Iarchii. pag..;.2.a lin.36. leg.auteis. p.47.a.lin.52.pro ſeculi lege ſecuti.pag 47.b lin.2.lege ſermonem meum pag & col. eadem lin.29.leg. רחום pag.& col.ead.lin 33.lege ermeth.pag & col ead lin 63.leg. Vecharaah p.53.a lin.48. pro pejus leg pejus.pag.53 b lin.25. pro Kabba lege Rabba. p.86.b lin.3.leg.caſtitati.pag.67.a.l.62 leg. emendationem.pag 70.b.l n.28 leg. famæ p.77.b lin.48.leg.nullam. p.88.b. lin.41. lege parvulus.pag.92.a.lin.56 leg peccatis.p.93.a.lin.5.leg nos.p 94.a.lin.3 pro peccatum regnat,videtur legendum, peccatum non regnat.pag.112.a. lin.50.pro מעל leg. מעד pag.138.b.lin.33.leg commentanti.p.141.b l.penult.leg Apoſtolos p.158 a.l.38 leg Dominicæ. p.236.lin.27.leg.corporis. p.262.b.lin.64.leg.valoris.p 313.a.lin.antepenult.in fine.lege cauſam.pag.317.a.lin.40.leg.כרעתו pag.3.0.b.lin 62.leg fultum.p.384.a.lin.25.leg.fatente.p.409.a lin.18 pro confert,videtur legendum,aufert.p.450.a lin.37 pro.Nec leg Nos p.451 a.lin.35.pro conſtitui juſti legendum,conſtitui juſtum p.408.b.lin.46.leg.v.18.p.60.b.lin.6.pro ſcortatur dubio procul legendum videtur hortatur.

F I N I S

Digitized by Google

INDEX IV. RERUM & VERBORUM.

Vivificare animam. 224.a.
Viai particula Hebræa. 356.a.
Vngula biſida. 114.a.
Vniverſalis particula ſæpe ad ſubjectam materiam reſtringenda. 51.b.
Vocabula in omnibus linguis à ſpecie transferuntur ad genus. 273.a.
Voluntas hominis an ſit συνάντιον pœnitentia. 202.b.
Voluntatis noſtra nomine non prava ſolum deſideria ſed etiam ſuperſtitioſa ἐθελοθρησκείας intelliguntur. pag. 55.b.
Vox Dei. 10.b.
Vrna aurea. pag. 109.a. an etiam fuerit in arca fœderis. p. 109.a.b.
Vrim & Thummim. 14.b. 102.a.
Vſura. 122 a.
Vtenſilia ſacra. 108.b.

W.

Wehrgeſetze. 123.a.

Y.

ὑπόςασις. 326.b.

Z.

Zadak de hujus vocis ſignificatione: vide pag. 272.a.
Zedek. 2.b.
Zelotes 47.a.
Zelotypia quâratione Deo tribuatur. 48.a.
Zelare pro gloria nominis Dei. 50.a.

Finis Indicis Quarti, TOMI III.

Errata Tomi III.

PAg. 14.b. lin. 2. pro Iatil lege Iarchii. pag. 31 a lin. 36. leg. auteis. p. 47.a. lin. 52. pro ſeculi lege ſecuti. pag. 47.b lin. 2. lege ſermonem meum pag. & col. eadem lin. 29. leg. מרום pag. & col. ead. lin. 53. lege æmæth. pag. & col ead. lin. 63. leg. Vecharraah p. 53. a lin. 46. pro pejus leg. pejus. pag. 58 b. lin. 65. pro Kabba lege Rabba p. 66.b lin. 3. leg. caſtitati pag. 67. a l. 66 leg. emendationem pag. 70.b. lin. 18. leg. famæ. p. 77.b. lin. 42. leg. nullum. p. 88. b. lin. 41. lege parvulus. pag. 92. a. lin. 56. leg. peccatis. p. 93. a. lin. 5. leg. nos. p. 94. a. lin. 3 pro peccatum regnat, videtur legendum, peccatum non regnat. pag. 112. a. lin. 50. pro מעל leg. מעד pag. 138. b. lin. 33. leg. commentanti. p. 141. b l. penult. leg. Apoſtolos p. 158. a. l. 38 leg. Dominicæ. p. 256. lin. 27. leg. corporis. p. 265. b. lin. 64. leg. valoris. p 313. a. lin. antepenult. in fine. lege cauſam. pag. 317. a. lin. 40. leg. כרעיו pag. 320. b. lin 62. leg. fultom. p. 384. a lin. 25. leg. fatente. p. 409. a. lin. 28 pro confert, videtur legendum, aufert. p. 450. a. lin. 37 pro Nec leg. Nos p. 451. a. lin. 35. pro conſtitui juſti legendum, conſtitui juſtum p. 408. b. lin. 46. leg. v. 18. p. 69. b. lin. 6. pro ſcortatur dubio procul legendum videtur hortatur.

F I N I S